This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

https://books.google.com

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

https://books.google.com

2801
H.

Digitized by Google

4 C 5
J 0 7
4 10

Bibliotheca Conventus S. Catharinae V. et M. Ord. Praed. S. P. Augustini

XXVIII
D I 11

Národní knihovna ČR
Historické fondy
28D 1/T.4
Národní knihovna
1002590441

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

# THESAURUS MONUMENTORUM ECCLESIASTICORUM ET HISTORICORUM,

SIVE

# HENRICI CANISII LECTIONES ANTIQUÆ,

*Ad Sæculorum Ordinem Digestæ*

VARIISQUE OPUSCULIS AUCTÆ,

*Quibus*

PRÆFATIONES HISTORICAS, ANIMADVERSIONES CRITICAS, ET NOTAS IN SINGULOS AUCTORES ADJECIT

JACOBUS BASNAGE,

Cum Indicibus Locupletissimis.

TOMUS IV.

ANTVERPIÆ,
APUD RUDOLPHUM & GERHARDUM WETSTENIOS
M D C C X X V.

Digitized by Google

Digitized by Google

# GUNTHERI,
# MONACHI
## IN COENOBIO
## *PARISIENSI,*
# HISTORIA
# CONSTANTINOPOLITANA
## SUB
# BALDUINO
## CIRCA
## Annum Domini 1203. & 1204.

*Ex membranis manuscriptis Bibliothecæ Academiæ Ingolstadiensis edita.*

*Tom.* IV.

Digitized by Google

# CANISIUS

# AD LECTOREM.

*IN m. ſ. codice alius titulus non erat, præter hunc:* Incipit Hiſtoria Conſtantinopolitana. *Porro ex verbis illis, quæ ſub finem ab alio quopiam adjecta ſunt, patet auctoris nomen. Qui cap.* 24. *non obſcurè innuit, ſe monachum fuiſſe in cœnobio* Pariſienſi, *Diœceſis Baſilienſis, de quo cap.* 2. *plura. Item cap.* 1. *cum ait:* Præſentis loci noſtri felicitatem perpetuam, *idipſum diſerte teſtatur. Fuit hoc Monaſterium Ciſtercienſis Ordinis in diœceſi Baſileenſi, ut patet ex cap.* 2. *&* 4. *Martinus ille Abbas* Pariſienſis, *qui expugnationi Conſtantinopolitanæ interfuit, & ex cujus ore Guntherus hanc hiſtoriam habet, vixit adhuc cum hæc Guntherus ſcripſerat, ut colligi poteſt ex cap.* 5. *&* 1. *Quanta autem fide ſit conſcripta, vel ex his verbis capitis primi liquet:* Noſtræ narrationis pagina nil prorſus falſum vel ambiguum continebit, ſed veram ac certam rerum geſtarum ſeriem perſequetur, ſicut idem vir, de quo plura dicturi ſumus, humiliter ſatis ac verecundè puram nobis ac ſimplicem enarravit hiſtoriam. *Scribit hanc ipſam captæ Conſtantinopolis tragœdiam Nicetas Acominatus Choniates Magnus Logotheta in Annalibus Conſtantinopolitanis, quos Græcolatinos iterato editos anno* 1593. *hæreticus quidam ineptis & hæreticis ſcholiis contaminavit. Ita nimirum illi nati ſunt bonos libros malè inquinatos dare. Cum autem hic frequentiſſima ſit mentio Martini Abbatis, redit in memoriam ille Martinus Ordinis Prædicatorum, qui floruit ſub Ludovico, anno* 1320. *ejuſque Opuſcula enumerat Trithemius lib. de Script. Eccleſ. qui ſubdit hæc verba:* Sunt item alii, qui Ciſtercienſis Ordinis collegio exiſtiment aggregandum, quos aut ignorantia rerum obfuſcavit, aut livor. *Hæc Trithem. Sed forte Trithemius hic deceptus fuit, cùm legit apud alios mentionem Martini, Abbatis Ordinis Ciſtercienſis. Certe hic noſter Martinus, Ciſtercienſis fuit, cujus (utpote celeberrimi viri) ſi alii meminerunt, rectè Ciſtercienſem vocaverunt. Licet erraret, quisquis hunc noſtrum Martinum Ciſtercienſem, qui ſub Philippo Imp. floruit, miſcere vellet cum illo Martino Prædicatorum, qui ſub Ludovico claruit. In cap.* 24. *ſignatur annus Domini* 1205. *quo Argentinenſis Epiſcopus fuit Henricus. Fuit hic* Henricus Comes à Veringen, *inquit Bruſchius, in Epiſcopo* 59. *Argentinenſium*, Suevus; pius ac religioſus, pacis publicæ & bonæ inter omnes homines tranquillitatis author & cuſtos, promotor & conſervator ſtudioſiſſimus. Præfuit ſapienter & utiliſſimè uno & viginti annis. Inſtauravit iterum caſtrum Dagenſtein pœne collapſum, Dagoberti, Galliarum regis, olim ſedem ac domicilium, ab eodem etiam extructum. Deceſſit anno incarnati verbi 1223. undecima Martii. Sepelitur honorificè & magnificè in ſacello S. Andreæ, quod eſt in Baſilica Cathedrali. *Hæc Bruſchius.*

Digitized by Google

# JACOBI BASNAGII
## IN
# GUNTHERI HISTORIAM
# CONSTANTINOPOLITANAM
# OBSERVATIO.

1. AN eodem tempore plures fuerint Guntheri merito dubitaverit aliquis. Refert quidem *Trithemius* Guntherum quendam Monachum, Carmine prosâque disertum, floruisse Imperatoris *Henrici* IV. temporibus; sed ille ab eo quem quærimus, plane diversus est, utpote qui sæculo fere integro præcesserit. Alius est Guntherus qui Musas dudum exulantes remeare jussit: SÆC. XIII. ANNO 1210.

*Hoc quoque me famæ, si desint cætera, solum*
*Conciliare potest, quod jam per multa latentes*
*Secula, nec clausis prodire penatibus ausas*
*Pierides, vulgare paro, priscumque nitorem*
*Reddere carminibus.* . . . . . .

Is laudes *Friderici Barbarossæ* decem Libris cecinit. Vixit non modo sub *Friderico*, sed & sub *Henrico Sexto*, Friderici filio.

*Tu primum placatus ades, qui jure paterno.*
*Virtutum regnique simul successor & Hæres*
*Sceptra geris.* . . . . . .

Itaque finem duodecimi seculi, vel etiam initia sequentis, attigit. Illi tribuitur Poëma quod *Solymarium* dixit, eo quod ibi bellum cruce signatorum describeretur.

Si vera forent quæ dicit *Baronius*, hunc poëtam fuisse *Ligurinum*, hoc est Patria Mediolanensem, deberet distingui a Gunthero qui Historiam Constantinopolitanam exaravit. Hic enim, Natione Germanus, Cœnobita fuit in Monasterio *Parisiensi* juxta Basileam. Sed erravit *Baronius*, qui titulum Carminis a Gunthero editi autumavit esse nomen ipsius Patriæ. *Ligurinum* dixit Librum suum Guntherus, eo quod res gestas a Friderico in Italia, præcipue tamen Mediolani in *Liguria*, narrare aggrederetur. Patriam indicandi mens ipsi non fuit. Scripsit quidem ille *Solymarium*; sed titulus ille novi carminis non convenit Historiæ Constantinopolitanæ quæ hic editur; ille enim Liber carmine fuit scriptus, hic prosâ. Deinde alter forsan Hierosolymorum expugnationem, hic Constantinopoleos refert. Diversa sunt igitur illa opuscula. Conjiciat alter, si uni eidemque authori tribui debeant, qui junior carminibus ludere, Senior



Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1210.

Senior prosa, impulsu Martini Abbatis, iter Constantinopolitanum potuit describere.

II. De tempore quo scripsit, diu non est disputandum, 1° enim expeditio Constantinopolitana confecta est anno 1204. quo, urbe expugnatâ, *Balduinus*, Comes Flandrensis, electus est Græcorum Imperator. 2° Martinus Abbas, qui sequenti anno e Græcia reversus est, Guntherum ad expeditionem illam describendam impulit. Ideoque in laudando Martino Abbate Parisiensi totus est Guntherus. Vixit igitur ille initio sæculi decimi tertii: 3° illud opusculum non confecit, nisi post mortem Philippi Imperatoris, qui cæsus est ann. 1208. Refert enim ipse, Imperatorem in solemnibus festis tabulam gemmis ornatam, Reliquiis onustam, gestare *consuevisse*. Obierat igitur Philippus, dum hæc scriberet Guntherus. Ideoque annus 1210. huic operi assignatus est. Cætera vide apud Canisium.

III. Aliqua sunt hic observatione digna: primò non consentiunt omnia quæ hic narrat *Guntherus* de expeditione Constantinopolitana cum fide Historicâ. Fidem adhibuit Abbati *Martino*, qui laudum suarum præconem quæsiverat & dummodo sibi adularetur, cætera transmittebat. Si quis igitur hanc expeditionem Constantinopolitanam diligentius examini subjicere velit, consulat Bzovium ad an. 1204. secundò, nescio unde quædam hauserit placita, quæ religioni Christianæ multum detrahunt: *Si qua à populo nostro contra pietatem facta videbuntur, eadem tamen utique divina voluntate semper justa facta esse* non dubitat. Deus certe, quanquam omnipotens, nec crimina probare, nec injusta facere justa potest. Tertiò, sibi contradicere videtur Scriptor, dum inter Reliquias ab Abbate translatas recenset lignum Dominicæ crucis, cum scripsisset *venerabile Crucis lignum, Christi sanguine perfusum ita occultatum, ut nemo Christianus, quid de illo actum sit, vel unde requiri debeat, scire possit.*

IV. Mitto odium Pontificis in Græcos, quod laudatur; Sed caveat Lector a Donatione Constantini tabulisque ibi annexis, ut de Pyramide in qua versus Sibyllini à longo tempore insculpti victoriam classicam Latinis pollicebantur.



Digitized by Google

# HISTORIA CONSTANTINOPOLITANA.

## PROLOGUS AUTHORIS.

UNiversa divinæ virtutis opera plurimum habent admirationis, eatenus, ut si qua mirâ non sunt, nec divina debeant judicari. Specialiter tamen ea mirari consuevimus, quæ magna & ardua per humiles personas, illorum scilicet hominum, qui & apud seipsos per humilitatem in imo sunt, & apud alios tantis rebus minus putantur idonei, eadem virtus divina dignatur ostendere. Unde & illud magis mirandum est, quod per *Moysem*, hominem privatum & humilem, qui oves soceri sui *Jethro* pascere solebat, populus filiorum Israël de tyrannide *Pharaonis* & de fornace ferrea Ægyptiæ servitutis eductus est, quàm si per aliquem fortissimum regem in manu valida & millibus armatorum populus idem fuisset ereptus. Sic & illud majori stupore suscipimus, quod per homines brutos & pauperes piscatores & idiotas fidem *Christi*, novam prorsus & incognitam, mundus accepit, quàm si vel *Augusti Cæsaris* auctoritate, vel *Platonis* scientia, vel *Demosthenis* aut *Ciceronis* eloquio ejusdem fidei *Christianæ* religio persuasa fuisset & tradita. Opera quippe *Dei* quanto minus in se humanæ facultatis admittunt tanto major in eis divinæ potentiæ sublimitas eluceſcit. Hinc est, quod quædam magna valde & ardua, stilo tamen humili & plano & sermone palpabili libuit explicare, quæ *Dominus* per virum quendam modestum satis & humilem, nostris temporibus operari dignatus est, ad laudem utique & gloriam nominis sui, & piam ejusdem viri memoriam, & præsentis loci nostri felicitatem perpetuam. Imo certe ad honorem & gaudium totius *Theutonicæ* nationis; vel quod verius & majus est, ad solatium & tutelam universæ *Occidentalis Ecclesiæ*, cujus nostræ narrationis pagina nil falsum vel ambiguum continebit; sed veram ac certam rerum gestarum seriem prosequetur, sicut idem vir, de quo plurima dicturi sumus, humiliter satis ac verecundè, puram nobis ac simplicem enarravit historiam. De cujus viri laude atque præconio digna scribere non audemus; ne ipse, qui totum *Deo* attribuens nihil sibi quærit ascribi, suis laudibus offendatur. Neque tamen omnino poterimus reticere, ne *Deo*, quo authore, hæc gesta sunt; qui suos humiles exaltare consuevit, evidentem faciamus injuriam. Quapropter ita inter utrumque calamum temperare curabimus, ut & *Dei* magnalia, quæ per eum gesta sunt, non lateant, & ipse in sua humilitate inoffensus permaneat. Quisquis ergo huic nostræ paginulæ manum vel oculum lecturus admoverit, animi quoque diligentem solertiam rebus ipsis, de quibus hic agitur, subtiliter intuendis studiosus adhibeat. Inveniet siquidem ibi res magnas & celebres, & quæ, nisi divino jussu, nullatenus vel accidere, vel fieri potuerunt. Unde & lectorem volumus esse admonitum; ut si qua etiam à populo nostro contra pietatem facta videbuntur, ea tamen voluntate divina, semper utique justa, facta esse non dubitet.

SÆC. XIII. ANNO 1210.

Exod. 3.

Exod. 14.

Matth. 4.

Martini laudes.

2. Eo igitur tempore quo famosus Prædicator ille *Francigena*, *Fulco*, nomine *Leo*, (a) autem *Parisiensis*, ad subveniendum *Terræ sanctæ* & civitati eximiæ *Hierusalem*, a Barbaris diu possessæ, totas *Francorum* gentes, totamque *Flandriam*, *Normaniam*, atque *Britanniam*, ceterasque provincias suis prædicationibus incitabat, fuit vir quidam in *Superiori Germania*, *Martinus* vocabulo, *Abbas* cujusdam cœnobii de Ordine *Cisterciensi*, quod in *Episcopio Basilienſi* positum, ipsumque *Parisius* appellatur. Quæ utique res jam in ipso sui exordio quiddam videtur habere miraculi, ut tam ille, qui jam verbum *Crucis* publicè prædicabat, quàm & iste, qui paulo post ejusdem prædicator futurus erat, ambo, inquam, hi viri, sicut pares essent officio, ita ambo *Parisienses* communi vocabulo dicerentur; sed ille quidem à nomine civitatis suæ, de qua carnaliter oriundus extiterat; hic autem cœnobio, cui pater spiritualis, ut diximus, præsidebat. Uterque etenim locus, id est, tam præfatum cœnobium, quod & paulo ante dictum est, quàm & famosa civitas illa *Francorum*, *Parisius* nominatur.

(a) M. S. aut. Martini Elogium.



Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1210.

Quod nomen lingua quidem *Gallica* ſuam habet etymologiam; *Theutonice* vero ex hoc videtur habere rationem & cauſam. Primi cœnobitæ, qui de monaſterio *Luzelenſi* ad inhabitandum illum locum miſſi ſunt, nil aliud ibi, niſi locum deſertum & frigidum & puram glaciem repererunt. Nunc vero per gratiam *Dei*, qui pauperes ſuos exaltat & promovet, eccleſia celebris eſt, ditata poſſeſſionibus & prædiis, ædificiis decorata, & quod his omnibus præſtantius eſt, divinis nocte ac die mancipata obſequiis. Abbas igitur ille, quem dicimus, maturus quidem erat animo; ſed facie jocundus, prudens conſilio, familiaritate affabilis, eloquio gratioſus, inter fratres ſuos manſuetus & humilis, ut quilibet illorum apud ſeculares autoritate præcipuus, apud utrosque dilectus atque tractabilis haberetur. Hic à *Summo Pontifice Innocentio*, qui tunc *Sanctæ Romanæ Eccleſiæ tertius* ſub hoc nomine præſidebat, mandatum accepit, ut & ipſe indubitanter *ſignum crucis* acciperet, & hoc idem aliis in partibus illis publice prædicaret. Qui etiam mandato *pontificali* in utroque obtemperans, confidenter & impigrè verbum prædicationis arripuit, mirantibus cunctis, pro eo, quòd complexionis homo tantique laboris impatiens ab omnibus putabatur. Habuit itaque ſermonem ad clerum & populum in civitate ſua, quæ Græco vocabulo *Baſilea*, id eſt, *regalis*, dicta eſt, in celebri Eccleſia beatæ Virginis *Mariæ*, ubi magna utriuſque ordinis, novis excitata rumoribus, convenerat multitudo. Audierant quippe jam dudum alias circumquaque provincias ad hanc *Chriſti* militiam celebribus prædicationibus excitari; In partibus autem illis nullus adhuc ejusdem rei fecerat mentionem. Unde & eorum quam plurimi, parati animo *Chriſti* caſtris ſe tradere, hujusmodi exhortationem totis deſideriis expectabant. Stabant igitur omnes auribus arrectis, fixis in ipſum obtutibus, quid de hac re vel præciperet, vel moneret, quidve obtemperanti de divina bonitate promitteret, cupidiſſimè præſtolantes.

Martini oratio ad populum Baſileenſem.

3. Verbum mihi ad vos, Domini mei & fratres mei, verbum mihi ad vos; non meum utique, ſed *Chriſti*. *Chriſtus* ipſe verborum autor eſt; Ego fragile inſtrumentum. *Chriſtus* vos hodie per os meum ſuis alloquitur verbis, ſuas vobis deplorat injurias. Expulſus eſt *Chriſtus* de loco ſancto ſuo, de ſede ſua, dejectus eſt de illa civitate, quam ipſe ſibi proprio ſanguine dedicavit. Proh dolor, ubi dudum *Filius Dei* venturus in carne à ſanctis Prophetis promiſſus eſt, ubi jam natus, & parvulus in templo voluit præſentari, ubi præſens prædicavit & docuit, virtutes & ſigna frequenter exhibuit, cœnans cum diſcipulis ſuis ſanctiſſimi *corporis* & *ſanguinis* inſtituit *Sacramentum*; paſſus, & mortuus, ac ſepultus; poſt triduum reſurrexit, cernentibus ejusdem diſcipulis in cœlum aſſumptus eſt, & decima die *Spiritum Sanctum* in linguis igneis ſuper eos effudit Ibi nunc prophanæ gentis dominatur barbaries. O miſeria! ô gemitus! ô extrema calamitas! *Terra Sancta*, quam *Chriſtus* ſuis calcavit veſtigiis, in qua infirmos curavit, cœcos illuminavit, leproſos mundavit, mortuos ſuſcitavit; terra, inquam, illa in manus impiorum data eſt. Subverſæ ſunt Eccleſiæ, pollutum ſanctuarium, regni ſedes & dignitas translata eſt ad gentes. Sacroſanctum illud & venerabile *Crucis Lignum*, quod *Chriſti* ſanguine perfuſum eſt, ab his, quibus verbum *Crucis* ſtultitia eſt, ita ſuppreſſum occultatur, ita ut nemo *Chriſtianus*, quid de illo actum ſit, vel unde requiri debeat, ſcire poſſit. Gens noſtra, quæ fines illos habitare conſueverat, tota fere vel hoſtili gladio, vel longa jam captivitate conſumpta eſt. Pauci qui de clade illa evadere potuerunt, apud *Achonem*, vel in aliis tutioribus locis ſe receptant, ibique crebros à Barbaris patiuntur incurſus. Hæc eſt illa *Chriſti* neceſſitas, quæ ipſum vobis hodie per os meum ſupplicare compellit. Nunc itaque, validi bellatores, ſuccurrite *Chriſto*: Date nomina veſtra militiæ *Chriſtianæ*, felicibus caſtris aggregari ſatagite. Vobis hodie cauſam Chriſti committo, vobis ipſum, ut ita loquar, in manus trado, ut eum in hæreditatem ſuam, de qua crudeliter ejectus eſt, reſtituere ſtudeatis. Ac ne vos illud terreat, quod hoc tempore gentilis rabies ſuper noſtros adeo invaluit, rerum præcedentium vos cupio reminiſci. Eo tempore, quo celebris iſta expeditio ſub nobili Duce *Gotefrido*, cæteriſque *Francorum* ac *Theutunicorum Principibus* facta eſt, infidelis ille populus, ita ut nunc, *Chriſtianis* omnibus occiſis vel captis, terram illam occupaverat, ſanctamque civitatem *Jeruſalem*, & *Tyrum*, ac *Sydonem*, ipſamque *Antiochiam*, & alias urbes (a) munitas, imò totam terram uſque *Conſtantinopolim* ſecurè & abſque ullo metu annis quadraginta poſſederant. Quæ tamen omnia, volente *Domino*, per eundem exercitum breviſſimo tempore, velut in tranſcurſu recepta ſunt. *Nicæa*, *Iconium*, *Antiochia*, *Tripolis*, & aliæ civitates expugnatæ ſunt. Ipſa etiam ſedes regni *Jeruſalem* populo noſtro reſtituta. Nunc autem, licet impia gens præcipuam illam ſedem & maximam terræ partem violenter obtineat, noſtra tamen eſt *Achon*, noſtra eſt *Antiochia*, noſtræ ſunt & adhuc aliæ quædam urbes munitæ & validæ, quarum præſidio, divino favore, & viribus noſtris, incliti bellatores, etiam præclara ſedes illa cum omnibus aliis ſub noſtram poterit redigi poteſtatem. Si autem quæritis, quid à *Deo* certi ſtipendii pro tanto labore ſperare debeatis; certiſſimè vobis polliceor, quia

(a) *m. ſ. munitam.*

Digitized by Google

quia quisquis *Signum Crucis* acceperit & puram fecerit *Confessionem*, ab omni prorsus mundabitur peccato, & quocunque loco, vel tempore, seu casu præsentem reliquerit vitam, æternam accipiet. Taceo nunc, quòd terra illa, quam petetis, longe hac terra opulentior est atque fœcundior; & facile fieri potest, ut multi etiam ex vobis in rebus etiam temporalibus prosperiorem ibi fortunam inveniant quàm hîc se expertos meminerunt. Nunc videte fratres, quanta sit in hac peregrinatione securitas; in qua & de regno cœlorum promissio certa est, & de temporali prosperitate spes amplior. Ego ipse spondeo socium itineris & laboris; &, prout *Deo* placuerit, prospera vobiscum & adversa partiri desidero. Nunc igitur, fratres, lætis mentibus triumphale *Signum Crucis* accipite, ut & causam *Crucifixi* fideliter exequentes, pro labore brevi & modico magna & æterna percipere valeatis stipendia. SÆC. XIII. ANNO 1210.

Hæc loquente venerabili viro, cunctis, qui aderant, vehementer attritis, videres lacrimas tam per ejus faciem quàm per ora omnium largissimè defluentes: Audires gemitus & singultus atque suspiria, & alia hujusmodi signa, quæ internæ compunctionis faciebant indicium. Hunc itaque præfati *Abbatis* sermonem idcirco diligenter prosecuti sumus; quia, cum ipse postea frequenter & illos & alios viriliter exhortatus sit, de nulla ejus exhortatione quidquam sumus dicturi, ut ex hac ejus diligentia, quàm strenuus etiam in aliis credendus sit, liceat æstimare.

4. Assentit denique vir *Dei* precibus illorum, & qui, ut jam diximus, à *Summo Pontifice* curam animarum acceperat, exterioris quoque providentiæ rogatus accepit officium. Tunc exhortans illos & confortans in *Christo*, cujus militiam professi erant, certum tempus constituit, quo rebus suis dispositis, parati omnes ad eundem locum ei occurrerent, ibique secum iter sanctæ peregrinationis arriperent. Redeuntes autem ad propria diligenter admonuit, ut tempore medio castè & innocuè se haberent, & seipsos *Christo*, totius puritatis amatori, milites exhiberent idoneos. Ipse verò cum honesto comitatu præcipua & maximè populosa totius regionis loca circumiens, crebras prædicando faciebat stationes, & plurimos ad eandem *Christi* militiam convertebat. Quibus etiam illud curabat injungere, ut qui possent, præfixo tempore ad locum prædictum aliis occurrerent, cum eis pariter profecturi. Qui verò propter temporis angustiam à negotiis suis expediri non possent, quàm celerrimè fieri possit, alios sequerentur. Tempore autem profectionis jam vicino, *Martinus*, licet auctoritate *Pontificalis* mandati tutus esset, cupiens tamen sanctæ professioni suæ reverentiam exhibere, fontem totius Ordinis *Cistertium* adiit, ibique ab ipso loci ejusdem Abbate, aliisque præcipuis quibusdam Abbatibus, peregrinationis licentia & benedictione accepta, ad monasterium suum reversus est. Ubi etiam fratrum suorum se orationibus commendans & eos mutua caritate divinæ pietati committens, *Basileam* petiit, ubi jam *Signatorum* multitudo magna convenerat, à quibus lætissime susceptus est. Ibi quoque sermone exhortationis habito, seipsum & socios beatæ *Virgini* commendavit, humiliter rogans, ut ipsa Filio suo novum conciliaret exercitum. Postea valedicens clero & populo ejusdem civitatis, a quibus plurimum diligebatur, læto vultu & mente impavida sanctæ profectionis laborem cum sociis aggressus est. Qua ex re illud conjicere possumus, hominem *Dei* nescio quid magni jam tunc in animo concepisse, & quæ Deus per ipsum facturus erat, certo jam mentis augurio præsagire. Conveniunt signati.

5. Profectus itaque de civitate *Basilea* Signatorum exercitus, relictis aliis, stratam illam arripuit, quæ per angustos *Tridentinæ* vallis anfractus *Veronam* ducit, minori quidem labore, & majori compendio. Erat autem tam clara & celebris famæ præcurrens opinio, ut non solum hi, per quos eis transitus erat, verum etiam de villis & oppidis catervatim occurrerent, & eos multo favore & gratia suscipientes, victui necessaria justis pretiis exhiberent. *Martinum* verò præcipuè mirabantur, quod homo religiosi habitus & vitæ admodum spiritualis armatum ductaret exercitum, seque ipsum tanti laboris officio tam strenue coaptaret. Unde & nomen ejus inter se celeberrimè frequentantes, post illum *Turonensem*, qui in sanctorum confessorum catalogo ferè primus atque præcipuus est, quadam similitudinis ratione, *Martinum* hunc alterum vocitabant. Et revera, si rem diligenter inspicimus, quædam, ne multa dixerim, in utroque concurrunt similia. Primum quidem, quod sicut ille aliquando armatam sequens militiam, sicut de ipso scriptum est, tam sanctè & innocue se habebat, ut jam tunc non tam miles quàm monachus putaretur; ita & hic verus monachus, imò Pater monachorum, armatum ducens exercitum, inter belligeros homines ita vixit, ut quantum labor itineris vel injuncti cura permittebat officii, de rigore suæ professionis nil sibi penitus relaxaret. Deinde sicut ille tantæ fuit compassionis in pauperes, ut asperrimo frigore chlamydem, quam unicam habebat, cum nudo paupere partiretur, sic & iste de his, quæ vel secum detulit, vel postea, volente *Deo*, copiosè adeptus est, indigentibus sociis largas distribuit portiones: adeò, ut in duobus diebus centum viginti marchas in (a) utiles usus liberaliter erogaret, & in tertia die septuaginta mar- Martinus Parisiensis Turonensi comparatur.

(a) tilés m. s.

cas

Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1210.

cas argenti. Tertium est; quod sicut ille de monacho factus Episcopus in sua tamen paupertatis humilitate seipsum semper continuit; sic & iste, sicut nobis certissimè compertum est, cùm posset vel Episcopatum, vel quas vellet alias ecclesiasticas dignitates, imo & immensam auri argentique pecuniam, nonnullis rogantibus, accepisse; amore tamen Ordinis monasterii sui, cui *Deus* per ipsum, & ipse per *Dei* gratiam solenniter benefacere cogitabant, oblata respuit; & expleta peregrinatione, ad fratres, pauper quidem spiritu, sed cælestis thesauri operibus dives & plenus reversus est. Sunt & alia fortè plura quæ possent in utroque *Martino*, unius ad alterum similia reperiri, nisi forte minus idoneo lectori vel sanctissimum Confessorem nimis deprimere, vel honestum virum, quem dicimus, attollere videremur. Quapropter utrumque debito fine honoris venerari nos condecet; sed illum quidem velut sanctissimam animam, jam fruentem consortio angelorum; hunc verò tanquam prudentem virum adhuc in carne agentem, qui & jam apud *Deum* & homines magni meriti æstimatur, & postmodum apud utrosque amplioris gratiæ per *Dei* gratiam futurus sit. Sed neque illud silendum credimus, quia in illius sancti *Martini* sacro natalitio iste *Martinus* natus est in mundum. Et ideo *Martinus* appellatus est, &c.

Nomina signatorum.

6. Venientes itaque *Veronam* milites peregrini cum Duce suo tam à populo civitatis quàm ab alia multitudine maxima *Signatorum*, quæ illos de diversis mundi partibus ad eundem locum prævenerat, lætissimè susceptì sunt. Nam & ipsius urbis *Episcopus Martinum* in domum devotè ac reverenter assumpsit, eique per octo ferè hebdomadas sumptus & obsequium benevolè ministravit. Posteà discedentes *Venetiam* petierunt, ibi naves intrare decreverant, & inde versus *Alexandriam*, civitatem *Ægyptiam*, recto impetu navigare; propterea, quod tempore illo in partibus transmarinis inter nostros & Barbaros induciæ pacis erant, quas nostris, salva fide, quam interposuerant, solvere non liceret.

Erant autem in exercitu *Signatorum* famosi & potentes viri quamplures, tam seculares quàm Ecclesiastici. Inter quos *Balduinus*, *Comes Flandrensis*, & *Bonifacius Marchio* de *Monte ferrato*, authoritate & viribus atque consilio præcipui habebantur. Et siquidem omnes uno consensu in hoc convenerant, ut petentes *Alexandriam*, & eam viriliter obsidentes, non tam belli fortunam quàm divinæ virtutis experirentur potentiam. Quod utique si fecissent, sperabile satis erat, tam ipsam magnificam civitatem quàm & maximam totius *Ægypti* partem facili compendio in eorum potestatem posse transferri; eo quod totus ferè populus terræ vel consumptus fame perierat, vel squalebat penuria propter sterilitatem ejusdem videlicet terræ, cui *Nilus* frugiferas aquas, quibus eam rigare solet, annis, ut ajunt, jam quinque subtraxerat. Impediebatur autem illud *Principum* nostrorum laudabile satis consilium fraude & nequitia *Venetorum*, qui tanquam domini navium & *principes Adriatici* maris, eis navigium penitus abnegabant, nisi cum ipsis prius celebrem *Dalmatiæ* civitatem juris autem *Hungarici* (a) *Jaziram* expugnarent. Ajebant enim, illam semper suis utilitatibus fuisse contrariam, adeo, ut sæpe cives ejusdem urbis naves illorum mercibus onustas piraticis invasionibus spoliassent. Quæ utique res nostris principibus, tanquam Deum timentibus, crudelis ac nefaria videbatur; tum quia civitas illa *Christianæ* gentis erat, tum quia ad Regem *Hungariæ* pertinebat, qui & ipse *signo crucis* accepto, ut moris est, sub protectionem *Summi Pontificis* se & sua tradiderat. Illis ergo instanter urgentibus, nostris autem obnixè negantibus, sub hac contentione atque discordia plurimum temporis elapsum est. Putabant enim rem omninò detestabilem & *Christianis* illicitam, *milites Crucis Christi* in homines *Christianos* cæde, rapina, & incendio degrassari, qualia in expugnandis urbibus frequenter solent accidere. Unde & multi pauperes, qui secum pauca detulerant, eisdem consumptis, non habentes ultra viaticum, relicto exercitu, versis vestigiis ad propria regressi sunt. Sed & quidam potentes & divites viri, non rerum penuria laborantes, quàm perpetrandi flagitii horrore perterriti, inviti ac pænè nolentes in reditum conversi sunt. E quibus aliqui *Romam* petentes vix à *Summo Pontifice* redeundi licentiam impetrare potuerunt, ea tamen conditione præfixa, ut saltem post aliquot annos votum suæ peregrinationis exsolverent. Qui reditus peregrinorum non solum exercitum nostrum illorum fraudavit absentiâ, verum etiam multos, qui de *Germania* cæterisque regionibus subsequi festinabant, ab illo, quem conceperant, animi fervore cohibuit, ut in locis suis immoti consisterent.

Dissidia cum Venetis.

(a) *al. Jaziram.*

Martinus reditum meditatur.

Tempore autem illo missus est ad exercitum nostrum *Cardinalis* quidam, *Petrus* videlicet *Capuanus*, quem *Summus Pontifex* ad hoc direxerat, ut præfatam sedaret controversiam, ageretque cum *Venetis*, ut felici embole, id est, *Christi* militiæ maturum versus *Alexandriam* præstarent navigium. Quod cum ab eis nullatenus extorquere posset, nisi nostri propositam sibi conditionem implessent, visum est eis veniale magis & minus improbabile, minori malo majus bonum compensare, quàm *votum crucis* inexpletum

Digitized by Google

pletum relinquere, & greſſu retrogrado ad ſuos cum peccato reportare infamiam. Spoponderunt itaque facturos ſe, quod illi inſtanter exigebant, accepto nihilominus ab eis certiſſima ſponſione, quod ipſi quoque armati noſtros uſque *Alexandriam* & comitarentur & veherent. Videns ergò *Martinus* noſter non ſolum negotio *Crucis* moras innecti, ſed & toti exercitui noſtro fundendi ſanguinis *Chriſtiani* neceſſitatem incumbere; neſciens quò ſe verteret, quidve ageret, totus in ſe exhorruit, & de pluribus, quorum ei quodlibet diſplicebat, illud elegit, quod in tali articulo potiſſimum videbatur. Aggreſſus itaque præfatum *Cardinalem*, omnium precum inſtantia ſuppliciter exorabat, ut eum à voto peregrinationis abſolutum, ad ſolitam clauſtralis vitæ quietem tranſire permitteret. Ille verò niſi prius expleta peregrinatione, omnem prorſus ei reditum denegabat, & inſuper majorem imponens ſarcinam, auctoritate *Summi Pontificis*, omnes ei commiſit *Theotonicos*, quos vel ipſe adduxerat, vel ibi repererat, vel qui poſtmodum ad eundem exercitum eſſent venturi. Injunxit etiam tam ei, quàm quibuſdam aliis religioſis, qui aderant, ut per omnes caſus ſocios ſequerentur, & eos à ſanguine *Chriſtiano*, quantum poſſit fieri, cohiberent. SÆC. XIII. ANNO 1210.

7. Trajecta igitur claſſe per mare *Adriaticum*, quod & ipſum *Dalmaticum* appellatur; alterum quidem ab *Adria* civitate, vel ſecundum fabulas, à filia (a) *Jonis Adria*; alterum verò à *Dalmatica*, quam alluit, appellationem accipiens, milites noſtri celeri curſu, ſed mente triſti & tarda, regionis oppoſita littora tenuerunt, ac ne in re odioſa & ſibi ipſis deteſtabili diuturnas agerent moras, præfatam urbem magno terrore & fremitu obſederunt, eamque per triduum non tam hoſtiliter quàm minaciter oppugnantes, ſine cæde & ſanguine ad deditionem compulerunt. Quæ civitas poſtquam ſuis victoribus tradita eſt, mox eam *Veneti* à fundamentis inexorabili odio ſubverterunt. Quo in facto, quia noſtri *ſententiam excommunicationis* inciderant, pro eo, quod rebus *Hungariæ Regis* manus injeciſſent, quas ille ſigno *Crucis* accepto, *B. Petri, ſummique Pontificis* protectioni commiſerat; viſum eſt noſtris ad eundem *ſummum Pontificem* nuncios deſtinare, ut coactæ culpæ miſericorditer condeſcendens, eos ab illa ſententia excommunicationis abſolveret. Cui legationi proſequendæ cum perſonæ utiles & idoneæ quærerentur, electus eſt *Martinus Abbas*, & *cum eo Sueſſionenſis Epiſcopus*, vir magnæ ſanctitatis & dulcis facundiæ, & tertius *Magiſter Iohann. Pariſienſis*, homo *Francigena*, nobiliter eruditus, & ſermone affabilis; quorum interveniente præſentia, cauſſa favorabilis apud *ſummum Pontificem* plenius fulciretur. Jazira expugnata. Signati excommunicati.

Qui tres viri cum *Romam* veniſſent, admiſſi cauſam, quam attulerant, fideliter exponentes, Dominum *Papam* humillimè rogaverunt, ut coacto flagitio, quod milites noſtri ob *Chriſti* honorem in *Chriſtianos* commiſerant, clementer ignoſceret, & cauſa diligenter inſpecta, illam *excommunicationis* relaxaret ſententiam. Ille vero tum favore, (a) quem neceſſitas excuſabat, tum noſtri exercitus humili ſupplicatione, tum etiam nunciorum gratia & auctoritate permotus, habita ſecum deliberatione, petitæ indulgentiæ benignus aſſenſit, juſſitque ſcribi formam abſolutionis ad noſtrum exercitum perferendam. Erat enim vir multæ diſcretionis & gratiæ; juvenis quidem ætate, ſed canus prudentia, maturus animo, morum honeſtate compoſitus, clarus genere, forma conſpicuus, amator æqui & boni, inimicus autem nequitiæ & malitiæ, adeò ut non tam ſorte, quàm meritò *Innocentius* vocaretur. (a) *m. ſ.* quam.

8. Factum eſt autem, dum adhuc nuncii noſtri in curia verſarentur, certus rumor inſonuit, veniſſe videlicet *Alexium* juvenem in caſtra, *Græcum* genere, filium videlicet *Iſaac Regis Conſtantinopoleos*, miſſum à *Philippo, Rege Theotonicorum*, cum nunciis & mandatis, quibus obnixè rogabat exercitum, ut præfatum juvenem in regnum ſuum reſtituere niterentur. Cujus rei ordo talis eſt, ſi ordo congruè dici poteſt rerum inordinatè & crudeliter geſtarum narratio. (b) Regnante igitur apud Græcos *Iſaac* illo, quem diximus, frater ejus *Alexius*, patruus minoris *Alexii*, cujus & modò facimus mentionem, conſilio quorundam peſſimorum, maximè autem cujuſdam cognati ſui, nobilis quidem viri, ſed perfidi, qui *Murtiphlo*, id eſt, *flos cordis* in gente illa vocabatur, eundem fratrem ſuum *Iſaac* regno dejecit, & ipſe regnum arripiens, filium ejus, & eundem nepotem ſuum, hunc ſcilicet, de quo nunc agitur, *Alexium* ſub diligenti cuſtodia carceri mancipavit. Qui tamen inventa opportunitate latenter effugiens, occulta & celeri fuga *Theutoniam* petiit: veniensque ad *Philippum Regem*, qui ſororem ipſius habebat uxorem, ſuas illi patriſque miſerias, & patrui crudelitatem fideliter conqueſtus eſt. Qui præfatum juvenem ſatis honeſtè ſuſpiciens, eum apud ſe aliquanto tempore magno dilectionis affectu detinuit, eique ſumptus & obſequia copiosè De Iſaaco & Alexio. Murciſlo. *ſ. ſuſcipiit.*



(a) *m. ſ. vitiosè Nuncios Adriæ.* Sunt, qui ſcribant, ut apud Janum Parrhaſium Euſtathius, Jon, Italus Adriæ pater fuit, à quo Sinus Jonius, qui mox ab Adria filia dictus eſt Adriaticus. CANIS. (b) Alexius fratrem Iſaacum excoecaverat & throno detruſerat an. 1195. BASN.

Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1210.

piosè ac liberaliter miniſtravit. Audiens autem exercitum noſtrum, *Iazira* expugnata, circa fines *Græciæ* converſari, ſæpe dictum juvenem cum nunciis & epiſtolis ſuis direxit ad *Principes*, utrum ſi fieri poſſet, in regnum patris ſui reducere molirentur. *Theutonicis* autem pro eo quod ſui juris eſſe videbantur, hanc rem ſecurioſius & imperioſius injungebat. *Marchionem*, cognatum ſuum, ejus, quæ inter eos erat, commonebat propinquitatis. *Flandrenſes* atque *Francigenas*, & *Venetos*, & aliarum regionum homines, omni precum molimine ſedulus exorabat; certiſſimè promittens, ſi ille auxilio ipſorum ſedem ſuam reciperet, peregrinis omnibus tam per *Theotoniam*, quàm per totam *Græciam*, tutam ac liberam in perpetuum patere viam. Accedebat etiam ad hoc, quod idem juvenis certiſſimè pollicebatur, ſi viribus eorum reſtitutus foret, eis in commune argenti trecenta marcharum millia ſe daturum. His omnibus cauſſis in unum concurrentibus, major pars noſtri exercitus in aſſenſum juvenis jam cœperat declinare. Pauci verò, qui de *Crucis* proventu magis erant ſolliciti, obnixè diſſuadebant, dicentes, id quod & veriſimile putabatur: præfatum juvenem ſine ferro & ſanguine nullatenus poſſe reſtitui; videbatur enim eis ſtultum & improbum, paucos homines peregrinos, nec habentes quo ſe reciperent, omiſſo *ſanctæ peregrinationis* propoſito, certo ſuo periculo, pro commodis alienis, tantæ urbi, tam munitæ, tam populoſæ, bellum indicere, quod ſine multa cæde alterutrius partis, vel fortaſſis utriusque, terminari non poſſet. Sed de hac re, id eſt, de juvenis illius reſtitutione, ad tempus tacendum eſt. Sequentia ſuo tempore proſequemur. Poſtquam ergo, ſicut loqui cœperam, rumor iſte *Romæ* auditus eſt, Dominus *Papa* cum omni Clero ſuo, nunciisque noſtris, aliisque quam plurimis vehementer expavit; metuens ne maligni hoſtis invidia hac occaſione vel totius exercitus noſtri machinaretur interitum, vel ſaltem *Crucis* negotium impediret. Oderat autem *ſummus Pontifex* illam urbem tam ipſe, quàm ejus prædeceſſores à multo tempore, quoniam jam diu *Romanæ Eccleſiæ* rebellis extiterat, & in quibusdam fidei articulis, velut in *proceſſione Spiritus Sancti*, quem *Græci* de Filio procedere negant, & in modo ſacrificandi, quod illi in fermentato facere ſolent, à *fide Catholica* diſſidebant. Unde & quendam *Cardinalem*, qui quodam tempore à *ſummo Pontifice* ad eos corripiendos & inſtruendos miſſus erat, verſis ſurſum veſtigiis, & capite deorſum in aëre ſuſpenderunt, donec communicato cum *Petro* ſpiritum exhalaret. Oderat igitur eam, ut diximus, & optabat, ſi fieri poſſet, eam à gente *Catholica* ſine ſanguine expugnari, niſi noſtri cladem exercitus formidaret. Hoc autem per noſtros poſſe fieri non ſperabat, dicens, eandem urbem plus in ſolis navibus piſcatorum abundare, quàm illos in toto navigio. Habebat enim mille ſexcentas piſcatorias naves, quarum quælibet per totum annum ad quatuordecim dies fiſco regio perſolvebat nummum aureum, qui (a) perperam vocari ſolet *Ferdoni*, id eſt, quartæ parti Marcæ unius æquivalens. Bellicas autem ſive mercatorias habebant infinitæ multitudinis, & portum tutiſſimum. Erat autem de conſilio & ſententia ejusdem *ſummi Pontificis*, qui de *Crucis* negotio maximè anxiebatur, ut noſtri recto curſu verſus *Alexandriam* navigarent. Permittebat etiam eis, ut de maritimis locis *Romaniæ*, quam alluit id mare, cibos inemptos, id eſt, abſque pretio moderatè tollerent, qui eis ad annum dimidium poſſent ſufficere. Quod ſuum conſilium, quia mutari metuebat, & *Crucis* profectum terrenis occupationibus impediri, merito tam ipſe, quàm alii omnes novis rumoribus turbabantur.

(a) *m. f. propera: f. propterea.*

Ægrotant ſignati.

9. Inſtabat igitur *Abbas*, omni precum molimine, & has omnes, quas diximus cauſſas, aliasque prætendens, redeundi licentiam flagitabat. Ille verò omninò ei reditum denegabat, niſi prius *terram ſanctam*, quam petere voverat, attigiſſet. Egreſſus itaque de curia *Martinus* cum ſociis, accepta *Pontificali benedictione*, cum literis continentibus formam abſolutionis, quæ noſtro exercitui redderentur, *Beneventum* petiit, reperitque ibi *Petrum* illum *Capuanum*, cujus ſupra meminimus, verſus *Achonem*, recto curſu transnavigare cupientem. Cui *Martinus* adhærens Pontificales epiſtolas per ſocios miſit ad caſtra, per quos etiam *Theotonicæ* cohorti, quam prius ductaverat, verbis excuſatoriis valedixit, 2. Nonas April. Deinde apud *Sypuntem* navem ingreſſi, poſt laborem diuturni temporis portum *Achonis* tenuerunt, ubi etiam ab omnibus celeberrimè ſuſcepti ſunt, 7. Kal. Maji. Erat autem ibi *Theutonicæ* gentis magna frequentia, inter quos quidam nobiles & potentes viri, qui *Martinum* in *Germania* prius noverant atque dilexerant, eum devotiſſimè ſuſceperunt. *Capuanus* verò omnes ei *Theutonicos*, qui vel tunc aderant, vel poſtmodum ſuperventuri ſperabantur, *ſummi Pontificis* autoritate commiſit. Eadem æſtate circa dies illos, qui propter fervoris malitiam caniculares vocari ſolent, orta eſt ibi graviſſima peſtis, & corporum humanorum corruptio in tantum, ut una die plus quàm bis mille corpora mortuorum ſepulta memorentur. Erat autem tam ſubita & improviſa lues, ut quisquis cœpiſſet ægrotare, infra triduum mortem certiſſimus exſpectaret. Unde & multi ſubita ægritudine deprehenſi, cum de rebus ſuis diſponere non valerent, vocato *Abbate*, omnia ſua illi tradebant, vel retinenda

Digitized by Google

tinenda in proprium, vel distribuenda sociis egentibus, retenta sibi parte sua pro libitu disponentes. Quam rem ipse *Martinus* ita fideliter exequebatur, ut in duobus diebus, quod & paulo ante dictum est, centum viginti marchas in tales usus expenderet, & in tertia septuaginta marchas. Quorundam etiam virorum fortium arma, quæ illi ob rerum penuriam pignori suppositerunt, ipse gratuito pretio satis liberaliter redimebat. Amplius autem per infirmos strenua pietate discurrens, tam consilio quàm rerum impensa benevolè providebat, admonens eos de pura confessione, de certa spe æternitatis, ne mortem brevem & momentaneam formidarent; post illam continuò vitam interminabilem accepturi. Sanos etiam viriliter exhortabatur, ne terreret eos brevis illa & citò transitura calamitas, sed promptis animis ad utrumlibet parati essent, vel hanc vitam ad honorem Dei diutius producere, vel socios sequendo æternam brevi compendio feliciter adipisci. SÆC. XIII. ANNO 1210.

10. Hac igitur peste in civitate illa & finibus ejus diu pervagante, maxima pars tam civium quàm peregrinorum ibidem commorantium ejusdem contagionis tabe consumpta est. Nam & de sedecim hominum personis, quæ in *Abbatis* hospitio versabantur, vix ipse quartus mortem effugit; cæteri omnes periculo succubuerunt. Sed & si qui superstites erant, ii responso mortis accepto languidi & exsangues eam per singula momenta certissimè præstolabantur. Accessit autem ad hoc & aliud incommodum: quoniam induciæ pacis, quæ inter nostros & Barbaros juramento firmatæ fuerant, fraude illorum & nequitia solutæ sunt, captis & spoliatis duabus navibus nostræ gentis, & direptis omnibus, quæ in eis vehebantur. Quam tamen injuriam nostri fortiter ac celeriter vindicantes, sex illorum naves magnas annona & mercibus ac aliis rebus onustas in mari deprehensas, tam ipsas quàm omnia, quæ in eis erant, sibi prædam fecerunt. Atque ita divina virtute & sua fraudem illorum viriliter ulti sunt. Renovato itaque bello cœpit hostilis rabies solito vehementior nostris incumbere, tum propter numerum pauciorem, tum quia & hi, qui residui erant, tanquam morte vicina imbecilles & invalidi putabantur. Quapropter visum est his, qui inter eos præcipui habebantur, nuncios ad castra peregrinorum dirigere, quos in *Græcia* versari acceperant, ut civitati *Achonitanæ*, & illi portiunculæ *Terræ sanctæ*, quam adhuc nostri multo labore & periculo possidebant, maturo subvenirent auxilio, & scirent eam vix jam posse diutius defensari. Hanc quoque legationem, rogantibus illis, suscepit *Abbas Martinus* cum alio quodam viro, *Conrado* scilicet, *Advocato de Swartzenberg*: Cui idem *Abbas* testimonium perhibet tantæ integritatis, ut quotiens se vel joco, vel serio, vel casu mentitum esse recordaretur, tot venias in secreto petere consuevisset. Ex quo & illud satis patet eum, qui in levibus & his, quæ alii ferè omnes pro nihilo ducunt, tam providus erat, in majoribus nullatenus fuisse negligentem. Tertia ergo die ante festum sancti *Martini* præfati duo viri navem ingressi sunt, & in *Circumcisione Domini* juxta *Constantinopolim* littora tenuerunt. Ubi tunc exercitus noster non satis lætus agebat, eo quod magnum discrimen incurrisset negotiis implicitus alienis. Quod utique *Deum* ita ordinasse credendum est, ut civitas illa, quæ pro sua magnitudine atque potentia, jam multo tempore *Romanæ Sedi* rebellis fuerat, virtute nostrorum & insperata victoria unitati Ecclesiasticæ redderetur. Auxilium postulant.

Venientes itaque ad nos nuncii transmarinæ *Christi* militiæ reverenter ab omnibus ac benevolè suscepti sunt; maximè autem à *Theotonicis* illis, quibus *Abbas* præesse consueverat. Exposita autem causa sui adventus, compassionem utique magnam experti sunt; sed nullam omninò spem consilii seu auxilii à nostris acceperunt: quippe qui nec sibi ipsis posse satis auxiliari videbantur. Erant enim in tanto extremæ adversitatis articulo, ut nec circa civitatem ipsam satis essent securi, propter inæstimabilem hostilemque *Graiæ* plebis multitudinem: nec ab ea absque multo labore ac periculo discedere possent, propter innumeras illorum naves, quibus, si fugerent, eos persequi & expugnare satis hostiliter cogitabant. Unde factum est id, quod rarò solet accidere, ut nostri eidem civitati, de qua fugere non audebant, obsidionem ponere cogitabant. Ad cujus rei evidentem notitiam, operæ pretium est, illud explicandum resumere, quod in superioribus nos ad tempus suppressisse meminimus. Quam rem si quisquis diligenter adverterit, occulta Dei judicia & latentes rerum accidentium causas poterit pernoscere.

11. Ordo autem rerum illarum, quæ nostros in hanc perduxerant necessitatis angustiam, hoc modo colligi potest: Cum regius ille juvenis *Alexius*, quod & supra dictum est, cum nunciis & epistolis *Philippi Regis* in castra venisset; & ipse quoque precibus suis & promissis ingentibus Principes exercitus nostri plurimum permovisset, cœperunt paulatim omnes, ut diximus, in ejus favorem & causæ ipsius præsidium declinare, quod utique diversis ex causis agebatur, tum ob gratiam Regis *Philippi*, qui nostris pro ipso attentius supplicabat, tum quia pium eis videbatur, si fieri posset, legitimum regni hæredem, crudeliter dejectum, in sedem suam reducere: tum etiam propter Cogitant de obsidione Constantinopoleos.



Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1210. propter ejusdem juvenis preces, atque promissa, qui si restitutus foret, magnum peregrinis omnibus & tunc & postea præstare posset auxilium. Aderat autem & illud, quod eandem civitatem S. *Romanæ Ecclesiæ* noverant esse rebellem & odiosam, nec putabant ejus oppressionem à nostris *summo Pontifici*, vel etiam *Deo* plurimum displicere. Sed & *Veneti*, quorum navigio utebantur, ad hoc præcipuè impellebant, partim in spe promissæ pecuniæ, cujus illa gens maximè cupida est, partim verò pro eo, quod eadem civitas multitudine navium freta in toto illo mari principale sibi dominium arrogabat.

Harum omnium rerum, & fortè aliarum concursu illud actum est, ut omnes in favorem juvenis unanimiter consentirent, & ei suum pollicerentur auxilium. Fuit autem & alia, ut credimus, causa, longè his omnibus antiquior atque potentior, divinæ scilicet bonitatis consilium, quod gentem illam elatam ex rerum opulentia ab illo fastu suo deprimi, & ad pacem & concordiam sanctæ universalis Ecclesiæ revocare hoc ordine disponebat. Congruum quippe videbatur, ut gens illa, quæ aliter corrigi non valebat, paucorum cæde, & rerum temporalium, quibus intumuerat, amissione puniretur, ut & populus peregrinus superborum spoliis ditesceret, & terra tota in nostram transiret potestatem, & Occidentalis Ecclesia sacrosanctis reliquiis, quibus illi se indignos reddiderant, illuminata perpetuo lætaretur. Accidit autem & illud, quod utique magnum est, quod sæpe dicta civitas, quæ semper infida peregrinis extiterat, deinceps, volente *Deo*, mutatis civibus, fida & unanimis permanebit, & nobis ad expugnandos Barbaros, & *Terram Sanctam* obtinendam ac possidendam quanto vicinius, tanto præstantius ministrabit auxilium. Quæ omnia utique cassarentur, si gens illa per homines alterius fidei, veluti *Gentiles* aut *Hæreticos* expugnata foret; imò quod & gravissimum esset, in eorum transiret errorem. Has igitur causas apud *Deum* arbitror præcessisse, nobis quidem occultas, ei verò, qui omnia prævidet, manifestas: quibus res istæ grandes atque mirificæ, quas sumus dicturi, certo limite, sed occulto, ad suum perducerentur eventum.

Alexius fugit. 12. Ex hac igitur tàm occulta & inscrutabili divinæ mentis conceptione, quæ omnia formaliter comprehendit, quam nec arenæ numerus, nec guttarum in mari, nec frondium in silvis fallere potest, omnia, quæ in tempore fieri, vel contingere solent, certo tramite & immutabili cursu proficiscuntur. Unde & eam *Græcorum Philosophi* archetypum, id est, principalem figuram vocare solent: *Johannes* in *Evangelio* suo *Vitam* nominat. Quod factum est, inquiens, in *ipso vita erat, & vita erat lux hominum.* Sicut enim in mente hominis, qui mortalis est, res illæ quodammodo vivunt, quas cogitat in præsenti, sive illæ præsentes sunt, sive adhuc futuræ sperantur, ita quidem, imò multo verius in mente divina, quam Græci *Noyn* vocant, quæ tota vitalis, vel potius ipsa vita est, quæ nihil vel ignorare vel oblivisci potest; vivebant omnia etiam antequam fierent, quæ vel postea creata sunt, vel adhuc usque ad finem seculi creabuntur. Quæ divinæ mentis conceptio cum rerum omnium & minimarum ideas, id est, formas contineat, multo magis hanc rem, quam dicere proponimus, tantam, tàm novam, tàm mirificam, sicut futura erat, ita ab æterno complexa est. Itaque ex illa irrefragabili Dei dispositione illud processisse credendum est, quod exercitus noster, qui mox capta *Jazira* versus *Alexandriam* tendere festinabat, mutato proposito huic tantæ civitati bellum indixit, & directo navigio fines ejus hostiliter ingressus est, positis castris haud longè ab ipsis mœnibus urbis ad bellum paratus consedit. Cui cum magna multitudine armatorum occurrit ille fraternæ sedis invasor & possessor *Alexius*, qui brevi conflictu virtutem militum vix expertus, diffidens causæ suæ, & ignaviæ sociorum, quos nec sibi propter perpetrata flagitia satis fidos arbitrabatur, mox in fugam turpiter conversus est.

Joan. 1.

νοῦν.

Alexius Junior fit Imperator. 13. Cives itaque magnificæ (*a*) urbis territi fuga *Regis* sui, quem etiam plerique nec prius propter scelera perpetrata satis dilexerant, simulque per nuncios à juniori *Alexio* promissis ac precibus frequentibus attentati, nostris quoque contra spem suam comminantibus excidium urbis, nisi illum legitimum hæredem regni in regem susciperent, patentibus portis illum cum toto exercitu intra mœnia pacificè admiserunt. Qui etiam juvenis regalibus ornatus indumentis in sede regni, ut decuit, absque mora collocatus, dimidiam promissæ pecuniæ partem Principibus nostris benevolè ac liberaliter numerari jussit; sperans se id quod reliquum erat, brevissimo tempore redditurum. Manserunt itaque nostri in ipsa civitate per aliquot dies, & tàm novi regis, quàm civium ipsorum obsequio moderatè utentes id maximè cavebant, ne cui onerosi hospites viderentur. Sed quoniam civitas ipsa, licet magna & speciosa, duobus populis tàm diversis lingua & moribus, nec satis mutua dilectione consentientibus, tantæque hominum & equorum multitudini sufficere non valebat; placuit eis, ut relicta urbe, in locum

(*a*) Contigit hoc anno 1203. primo mensis Augusti: Suffocatus est vero Alexius post sex Imperii menses 5°. die Februarii. BASN.

Digitized by Google

cum planum atque diffusum sese reciperent, ibique positis castris, promissa *Regis* commodius exspectarent. Quibus urbem egressis cœpit oriri occulta quædam civium adversus *Regem* seditio, plerisque murmurantibus, quod ipse homines peregrinos & à moribus suis alienos tanto foveret affectu, & jam ferè totius opes *Græciæ* sine causa ad eos transtulisset, & adhuc tantundem, vel forte plura, spoliato regno suo, eis largiri proponeret. Quam rem cum omnes ferè quererentur, ausi sunt etiam ipsum regem patenter arguere; publicè prohibentes, ne regnum suum pro commodis spoliaret alienis, ne suorum inopiam prædam faceret aliorum; sed eos, tanquam rerum alienarum cupidissimos invasores, pariter cum ipsis persequeretur & perderet. Quæ illorum seditio novum *Regem* vehementer exterruit, tum propter civium eorum perfidiam, qui eum coacti susceperant, tum propter illam, quam in nostros habebat dilectionem; tum propter juramentum de reddenda pecunia, quod ipse bona fide præstiterat. Videres eum graviter anxiari, quasi medium inter suorum nequitiam, & amorem nostrorum, & gratiam *Philippi Regis*, quod si nostros vel falleret, vel læderet, graviter metuebat offendere. Cùm ergo ad tantum facinus non facilè posset impelli, *Murcisso* ille, cujus superius fecimus mentionem, cujus consilio pater ejus cœcatus, & ipse in carcerem retrusus fuerat, eum propria manu suffocavit, dicens: Minus esse malum, si solus ipse præsenti vitæ foret exemptus, quàm si totius *Græciæ* opes ad ignotos quosdam homines ejus stultitia transferrentur. Quo sublato de medio ipse tanquam homo regii generis, & ipse quoque sanguine propinquus, diadema sibi imposuit, & regiam sedem tàm audacter quàm impudenter occupans, cœpit de regni negociis & nostrorum perditione crudeliter cogitare. Cujus nos in hoc facto impietatem attentius abhorrentes ita cogimur exclamare.

S. Æc. XIII. à Anno 1210.

14. Crudelis igitur parricida, postquam juvene suffocato regnum invasit & tenuit, jussit ad tempus rumorem hujus sceleris reticeri ac supprimi, ne statim ad castra perveniens nostrorum auribus insonaret; antequam ipse conceptæ fraudis experiretur molimina: misitque continuò nuncios sub nomine junioris *Alexii*, qui *Principes* exercitus nostri de castris ad ipsum evocarent; quasi promissam pecuniam & insuper ampliora munera regiæ liberalitatis accepturos. Quod cùm ad ipsos perlatum esset, ipsi tanquam homines *Christianæ* simplicitatis, nullam ibi fraudem suspicantes, urbem ingredi festinabant; quippe qui nil minus metuebant, quàm novum *Regem*, quem ipsi creaverant, tàm brevi temporis articulo de medio esse sublatum. Erat autem ibi vir quidam prudentissimus, Dux videlicet *Venetorum*, cœcus quidem in facie, sed perspicacissimus in mente, qui corporis cœcitatem animi vigore atque prudentia optimè compensabat. Hunc alii semper in rebus ambiguis omni diligentia consulebant, & ad nutum ejus publica negotia solebant disponere. A quo cum alii more solito quæsissent, quid ei de hac re videretur; dissuasit, ne se amore pecuniæ, *Græcorum* dolis exponerent, dicens, se idipsum timere, quod evenerat, id est, ne juvenis *Alexius*, vel à suis peremptus esset, vel tanquam *Græcus* genere, ab eis corruptus nostram cum illis machinaretur perniciem. Dum ergò Principes super hac re diutius consultassent, nuncii verò perurgerent instantius, erupit rumor ille de medio civitatis, & universum exercitum gravi terrore concussit. Videbant se in terra hostili deprehensos, in medio pessimæ nationis, & illum raptum è vita, quem ipsi eis in manu potenti & magno terrore regem induxerant, qui utique si viveret, posset & illorum vecordiam reprimere, & nostros plurimum consolari, eosque securos ac locupletes de regno suo ad explendum iter suæ peregrinationis emittere. Quibus omnibus se nunc frustratos penitus agnoscebant; adeò, ut nihil aliud quàm mortem à rege novo & civibus certissimè exspectarent. Quid enim agere, aut quid spei habere poterant homines peregrini in tali articulo deprehensi, nec habentes ullum securitatis receptaculum, quo vel ad horam possent ab incursu hostium respirare? Indicerent eis bellum, ut eos publicè in suam persecutionem excitarent, quos sciebant & anteà latenter sibi esse inimicos? At verò illorum infinitus erat numerus, & qui cottidianis crescerent supplementis, & in terra propria, ubi eis omnia copiosè suppeterent; nostri autem pauci, & inopes in medio inimicorum, à quibus nil aliud sperare poterant, nisi quantum, ut ita loquar, suis possent ab eis gladiis exsecare. Sed & illud eos plurimùm contristabat, quod promissa pecunia magna ex parte frustrati erant, cujus spe ipsi iter suum distulerant, & viaticum peregrinationis suæ negotiis insumpserant alienis. Elegerunt tamen illud, quod in tali casu optimum putabatur consilium, dissimulato metu, sine quo utique esse non poterant, minaciter obsessis hostibus imminere, & in vindictam suffocati *Regis*, quem ipsi instituerant, totam urbem cum civibus suis & illo execrabili parricida, hanc quidem ad excidium, illos verò ad certam mortis pœnam reposcere. Quibus ita insultando tantum eis terrorem incusserant, ut illi de mœnibus suis egredi vix auderent. Maxime autem propter balistas nostrorum, quorum usus quanto est rarior apud illos, tanto etiam terribilior & periculosior æstimatur. Interim autem nostri

Murt sus fus impe rat.



Digitized by Google

Sæc. XIII. Anno 1210. confirmatis animis ad utrumque parati erant, vel ad recedendum, si se honesta & utilis præberet occasio; vel ad cædendos hostes, & subeundam ab eis & cum eis mortem, si illi de lateribus suis ad conflictum auderent erumpere. Nam de victoria tantæ multitudinis obtinenda, sive de expugnatione urbis nulla eis spes poterat arridere; pro eo, quod illa munitissima erat; illorum autem numerus inæstimabilis cottidiè succrescebat. Sed quanto studio noster exercitus optabat confligere & mori cum hostibus, tanto illi refugiebant victoriam de nostris suis mortibus comparare, videntes jam illos in terra hostili laborare penuric, se autem in loco suo bonis omnibus abundare.

Descriptio Constantinopoleos.

15. Confederat itaque exercitus noster ante regiam urbem, ut dictum est: sed absque ulla spe ejusdem expugnandæ. Quoniam ipsa non solum innumera civium multitudine, sed & bonis omnibus abundabat; & tanto munita studio, ut paucorum manu posset ab innumeris hostibus defensari. Est enim civitas triangula, ut ajunt, qui eam viderunt; habens in quolibet latere magnum milliare, vel amplius, ex ea parte qua terram attingit, vasto aggere & muro firmissimo tripliciter clausa. Turres habens per circuitum sui excelsas & fortes, adeò sibi invicem propinquas, ut puer septennis de una turri ad alteram pomum valeat jaculari. Structuram autem ædificiorum in corpore civitatis, in Ecclesiis videlicet, & turribus, & domibus magnatorum vix ullus vel describere potest, vel credere describenti; nisi qui ea oculata fide cognoverit. Ex ea verò parte, qua ipsam urbem alluit *Hellespontiacum* mare, quod separat *Asiam* ab *Europa*, quibusdam in locis adeò angustum, ut de una in alteram transmittat aspectum, ex ea, inquam, parte quoniam agger esse non potuit, propter frequentiam portus, quem habet tutissimum ac celeberrimum, muri sunt alti admirandæ spissitudinis, & turres densæ, eductæ ad tantam celsitudinem, ut quivis in culmen ipsarum aspectum dirigere perhorrescat. Hanc autem tantam firmitudinem & decorem, quem nunc habet, à prima origine non accepit. Nam olim quidem ita erat, sicut unaquæque aliarum, & *Græco* nomine *Bisantion* vocabatur. Unde & apud Modernos nummi aurei, qui in illa formari consueverant, à nomine ipsius urbis *Bisantii* appellantur. Postea verò cujusdam regiæ visionis occasione, de qua aliqua dicturi sumus, in eum, quem nunc habet splendorem atque magnificentiam promota est. Quæ visio licet brevis humilisque appareat; magnæ tamen cujusdam rei fuisse prænunciam, effectus subsequens declaravit. Sicut enim visione quandoque magnarum rerum longè minores designantur, quemadmodum in somno *Joseph* per solem & lunam & stellas undecim pater ejus & mater & fratres undecim designati: ita nonnunquam per infimas magnæ & celebres designatæ reperiuntur, velut in visione *Danielis*, ubi per quasdam bestias regna potentissima legimus præmonstrata. Quapropter falluntur hi, qui putant eorum, quæ se dormientes videre putant, nullam esse distantiam, sed omnia vana esse, & nullum prorsus in se continere mysterium.

*Gen.* 57.

*Dan.* 7.

Visio fabulosa Constantini.

16. Visio igitur illa, quam dicimus, huic tantæ pulchritudini & gloriæ civitatis illius occasionem præstitisse, hujusmodi fuisse narratur & legitur: Post illam celebrem donationem, qua *Constantinus*, *Græcorum* ac *Romanorum Imperator*, reddita sibi sanitate & fugata lepra cœlesti miraculo, *Christum* ejusdem salutis auctorem, & beatos Apostolos *Petrum* & *Paulum*, qui nuncii fuerant, necnon & *Sylvestrum Papam*, qui ministet extiterat, imò totam *Christi* Ecclesiam regaliter honoravit; idem *Constantinus* regiæ sedis dignitatem, quam *Romæ* habuerat, beato *Petro* derelinquens, *Græciam* petiit, & hanc urbem, quæ tunc *Bisantium* dicebatur, præ ceteris omnibus habitandam elegit, (*a*) ubi dum nocte quadam regali strato suffultus quiesceret ac dormiret, videbatur sibi videre (*a*) aviculam quandam longævam valdè & mortuam, quam & beatus *Sylvester Papa*, qui & præsens adesse videbatur, dicebat ab eo certissimè suscitandam. Quam cùm idem Imperator facta oratione in juvenculam quandam pulcherrimam suscitasset, & illa casto amore suis aspectibus placuisset, induit eam regia chlamyde, & cum diadema suum capiti ejus impressisset, mater ejus *Helena* ei dicere videbatur: *Hanc, Fili, habebis Uxorem usque in finem Seculi in hac pulchritudine permansuram.* Quam visionem cùm ipse pluribus retulisset, & alius sic, alius verò sic eam interpretaretur; proposuit ipse *Rex* à jejunio non cessare, donec *Christus* ei per famulum suum *Sylvestrum* interpretationem suæ visionis exponeret. Cùm ergò septem diebus jejunasset, ipsa nocte septima apparuit ei beatus *Sylvester* in visione, dixitque ad eum (*b*) Avis illa, quam vidisti, civitas ista est, quæ jam quasi neglectu & senio defuncta, per te in tantum decorem renovanda est, ut regina dicatur inter omnes *Græciæ* civitates. Qua visione *Rex* non tàm territus quàm gavisus, convocatis de tota regione opificibus tàm lignorum quàm lapidum, jussit eam & ampliari loco, & muris ac turribus emuniri, ecclesiis cæterisque ædificiis exornari; donec in eam, quam nunc habet pulchritudinis elegantiam juvenescens, *Romæ* similis, ut ajunt, redderetur.

(*a*) *forte aniculam.*

(*b*) *f. annus.*

(*a*) Eadem habet Althelmus de laude virginum l. 1. Sed quàm fabulosa sint, nemo nescit. Basn.

tur. Unde & ipsa urbs quandoque altera *Roma* dicta est, & terra ei adjacens hodie- Sæc.
que *Romania* vocatur. At ne ulla supereſſent vestigia vetustatis, reprobato priore vo- XIII.
cabulo, quod posset homines illius primævæ humilitatis commonere, præcepit eam Anno
*Constantinopolim* appellari, à suo videlicet nomine, & Græco, polis, quod civitas in- 1210.
terpretatur. Hanc itaque, ut dictum est, à parte terræ nostri obsederunt; magis utique odio rerum suarum, quod aliud propter causas præmissas facere non audebant, quam ulla spe obtinendæ victoriæ, pro eo quod ipsa inexpugnabilis videbatur. Cum ex ea parte nil aut parum proficerent, placuit eis ex altera parte, qua mari clauditur, non tàm fortunam, quam divinæ virtutis potentiam, sine qua illud nullatenus fieri posse noverant, suo magno periculo experiri. Insilientes itaque naves suas velut quodam indignationis impetu ad terrorem inimicorum, trajecto mari, quod ibidem angustum est, in littore oppositio civitati cuncti viriliter consederunt, ibique mutato proposito cœperunt de explendo negotio per mortem aut victoriam sollertius consultare.

17. Sed & de navibus illis, quarum infinita erat multitudo, frequenter aliquæ leviores ac celeriores ad lacessendos eos & virtutem illorum experiendam subitò erumpebant, quibus illi occurrentes jaculis & sagittis, & maxime terrore balistarum eos facilè abigebant. Consulentes itaque Ducem illum Venetorum, cujus paulò antè meminimus, hominem videlicet cœcum vultu, sed animo perspicaciſſimum, id habuerunt consilii, ut per singulas naves suas, juxta malum ipsius navis alias quoque arbores longas valdè & fortes hinc inde erigerent, & eas carinæ fortiter tàm cum ipso malo quàm sibi invicem tàm vasto collaquearent connexu, ut eis tanquam ligneæ turres, quasi propugnacula, præsidium exhiberent. Quibus etiam arboribus aliquanto spatio ab invicem distantibus, veluti quosdam scalarum gradus infigerent, per quos animosi juvenes ad tuendas naves hostesque desuper impugnandos quaterni aut seni velociter ascendere possent & descendere. Quod & factum est, & turres illæ, sive scalas vocare malueris, in tantum culmen altitudinis eductæ sunt, ut magna sui parte omnes turres & fabricas Græcorum excederent. Quas etiam cum totis navibus tali undique artificio muniverunt, ut nec tela nec lapides, nec ignem, vel communem, nec illum qui *Græcus* dicitur, formidarent. Extructis ergò navibus & ad urbem applicitis placuit eis prius in expugnatione portus & navium Dei gratiam experiri, ut ab illa parte securi eos qui in muro & turribus erant, tanto securius, quanto facilius expugnarent. Erat autem clausus ille portus tutissimo quodam recessu, & catenis ferreis immensæ magnitudinis, quæ ab una fronte portus ad alteram extensæ naves omnes, velut sub una clausula, coercebant. Quæ postquam à nostris multo labore ruptæ sunt, fugientes *Græci* maxime terrore balistarum, quas ferre non poterant, captivas naves suis victoribus reliquerunt, quas illi cupide rapientes in suos usus, velut quædam belli spolia gratissima, transtulerunt. Deinde turrigeris navibus, quantum fieri potuit, ad murum admotis, & fortibus quibusque per scalas ascendentibus, præconis voce clamatum est, eum qui primus hostiles muros insiliret, centum marcas in præmium accepturum. Videres omnes vehementer appetere, quod uni tantum servabatur, non tàm amore promissæ pecuniæ, quàm ob *Dei* honorem, & causæ communis utilitatem, & incepti laboris compendium. Qui postquam scalarum summum tenuerunt, aliis ita festinanter sequentibus, ac si eos in medios hostes propellere, & ipsi eos subsequi properarent; Tunc verò cerneres eos ex alto subjectis hostibus hastis, jaculis & sagittis odiosum imbrem impluere, illos autem turbatos ac trepidos, nec habentes quod contra facerent, gravissimè coartari. Balistarum tamen horror & impetus, eò quòd gens illa naturaliter timida est, eos maximè reddebat exanimes. Postquam verò unus inventus est, qui primus muros insiluit, & illum alii celerrimè sequerentur, continuò cives exsangues & trepidi, videntes jam hostem sibi immixtum, discurrentes per murum ubicunque possunt, sese in fugam præcipitant, quasi muris amissis tuti possent in sua civitate consistere, qui eorum præsidio nequiverant defensari. At nostri nihilominus per murum discurrendo turres illorum alacriter occupant. Jamque ex eis quindecim vel plures invaserant, tum hostes velut resumpto spiritu, tum pudore, tum periculo impulsi cœperunt in quandam respirare audaciam, & seipsos mutuo exhortantes clamore simul & omni genere telorum eos vehementissime perurgebant. Quod videns quidam comes *Thetunicus*, jussit urbem in quadam parte succendi, ut *Græci* duplici laborantes incommodo, belli scilicet atque incendii, facilius vincerentur. Quod & factum est, & hoc illi consilio victi penitus in fugam conversi sunt; qui autem è nostris jam intra muros recepti erant, portas, quas multo lignorum lapidumve objectu diligenter *Græci* obstruxerant, remoto omni obice vel exciderunt vel fregerunt, & his, qui adhuc in navibus erant, optatum patefecerunt ingressum. Actum est hoc circa *Ramospalmarum*; *Deo*, ni fallimur, ita disponente, ut eodem die *Christi* exercitus hanc triumphaliter perfidam urbem irrumperet, qua *Christus* veniens ad triumphum *passionis* sanctam ingressus est civitatem.

Pugna adversus Græcos.

Expugnatur Constantinopolis

18. Patentibus itaque portis, hi qui in navibus erant lætis clamoribus irruentes territis

Digitized by Google

Sæc. XIII. Anno 1210.

ritis hoſtibus haſtis, gladiis, baliſtis, & ſagittis, & omni genere telorum mortem ſpecietenus intentantes: ſed nullam prorſus fundendi ſanguinis habentes voluntatem, tanquam oves diſperſas, eos per omnes plateas civitatis abigebant, in tanta multitudine fugientes, ut ipſa platearum ſpatioſa capacitas vix poſſet eis ad fugam ſufficere: inſtabant enim eis tanto terrore & impetu, ut nec eos reſpirare, nec reſpicere paterentur. Cumque tantam haberent cædis copiam, quantam ipſi nunquam ſperare potuerant, pauciſſimi tamen ab eis perempti ſunt: ipſis ultro parcentibus, quippe qui à viris religioſis ſecum in caſtris agentibus, *Martino* videlicet, & aliis, frequenter erant admoniti, quantum fieri poſſet, manus ſuas à ſanguine continerent. Ceciderunt tamen illa die civium quaſi duo millia, non utique à noſtris; ſed à quibusdam *Francis*, *Italis*, *Venetis*, *Theotonicis*, & aliarum nationum hominibus, qui prius cum eis in ipſa urbe habitare conſueverant, ſed tempore obſidionis expulſi, pro eo, quod de proditione ſuſpecti civibus habebantur, noſtris adhæſerant. Cujus injuriæ memores illi graviſſimam in *Græcos* plagam ultionis crudeliter exercebant. De noſtris autem nullus omnino ibi cecidiſſe reperitur, excepto milite quodam nobili admodum & famoſo, qui dum hoſtes vehementius perurgeret, incautus ipſe pariter cum equo, cui inſidebat, in foveam quandam repentè abſorptus ſociis omnibus in lætis rebus dolorem magnum invexit. Victis igitur omnibus & profugatis hoſtibus, & de tota urbe ſatis miſerabiliter excluſis, foribus etiam diligenter obſtructis, tum demum victoribus ad prædam currere permiſſum eſt, nec antea; quia ſub periculo capitis erat prohibitum, ne quis ante plenam victoriam de præda cogitare præſumeret. Invenerunt itaque paſſim & copioſè tantam auri argentique pecuniam, tantum ſplendorem gemmarum ac veſtium, tantam pretioſarum mercium exuberantiam, tantam rerum victualium ubertatem, domos adeo egregias, & bonis omnibus plenas, ut omnes repentè de advenis & pauperibus cives ditiſſimi redderentur. Vaſtaverat autem incendium interim ſupradictum ferè tertiam partem civitatis, cum, omnibus tam civibus quàm peregrinis graviori occupatis periculo, nulli erant, qui flammas licitè pervagantes poſſent extinguere. Mulieres verò, & parvuli, ac decrepiti ſenes, qui fugere non valentes, in urbe remanſerunt, in occurſu noſtrorum digitum digito in formam crucis implicantes, ſatis flebiliter: *Aijos Phaſileos marchio!* decantabant, quod latinè *Sanctus Rex Marchio* interpretatur, quod ideo faciebant, quia *Marchionem*, quem maximè *Græci* noverant, & idcircò inter noſtros maximum reputabant, captæ urbis Regem haud dubiè cogitabant, quod tamen *Deus* aliter diſponebat.

ἅγιος Βασιλεὺς Μάρχιος,

Reliquiæ Martini Abbatis ſpolia.

19. Cum ergo victores urbem victam, quam jure belli ſuam fecerant, alacriter ſpoliarent, cœpit *Martinus Abbas* de ſua etiam præda cogitare, ac ne aliis omnibus ditatis ipſe vacuus remaneret, propoſuit & ipſe ſacratas manus ſuas ad rapinam extendere. Sed quoniam prædam rerum ſæcularium eisdem manibus attrectare putabat indignum, illud agere cœpit, ut de *Reliquiis Sanctorum*, quarum ibi magnam ſciebat eſſe copiam, aliquam ſibi corraderet portionem. Aſſumpto igitur ſecum altero è duobus Cappellanis, neſcio quid grande præſagiens, quandam petit Eccleſiam, quæ in magna veneratione habebatur, ex eo quod mater famoſiſſimi *Imperatoris Emmanuëlis* ibi nobilem habebat ſepulturam, quod cum *Græcis* magnum videretur, noſtri pro nihilo reputabant. Ibi de tota circumpoſita regione plurimum pecuniæ repoſitum ſervabatur, nec non & *Reliquiæ* pretioſæ, quas de vicinis Eccleſiis atque cœnobiis ad eum locum ſpes vana ſecuritatis fecerat congregari, quod etiam noſtris ante urbis expugnationem ab his, quos *Græci* expulerant, fuerat intimatum. Quam Eccleſiam cum multi peregrinorum ſimul irrumperent, & alii circa res alias, aurum ſcilicet & argentum, & pretioſa quæque diripienda cupide occuparentur, *Martinus* indignum ducens ſacrilegium, niſi in re ſacra, committere, locum petit ſecretiorem, ubi ea, quæ maximè affectabat, reperiri poſſe ipſa loci religio promittere videbatur. Invenit ibi ſenem quendam venuſta facie, barbaque prolixa & cana, ſacerdotem utique, ſed noſtris ſacerdotibus ipſo corporis habitu valdè diſſimilem. Unde & *Abbas* laicum ratus, placido quidem animo, ſed voce quidem terribili vehementer increpitans, age, inquit, perfide ſenex, oſtende mihi, quas potiores ſervas reliquias, vel ſcias te ſtatim mortis ſupplicio puniendum. Ille verò clamore potius, quàm verbis territus, quippe qui clamorem audiens, verba intelligere non valebat, ſciens nec illum *Græci* ſermonis habere commercium, *Romana* lingua, quam ex parte noverat, cœpit hominem mitigare, & iram ejus, quæ nulla erat, blandiciis emollire. Ad hæc verò *Abbas* in pauca ejusdem linguæ verba vix potuit eluctari, ut eidem ſeni, quid ab eo exigeret, aperiret. Tunc ille vultum ejus habitumque conſiderans & illud tolerabilius judicans, ſi homo religioſus ſacras *Riliquias* cum timore ac reverentia contrectaret, quam ſi ſeculares viri fortaſſis cruentis manibus funeſtarent, ferratam ei archam aperuit, oſtendens ei theſaurum deſiderabilem, quem ſuper omnes gazas *Græciæ Martinus Abbas* ſibi gratum & deſiderabilem judicabat. Quem videns Abbas, feſtinanter & cupidè utraſque manus

Digitized by Google

manus immerſit, & uti ſtrenuè ſuccinctus erat, ſacrilegio ſinus ſuos implens, tam ipſe, quàm Cappellanus ea, quæ ſibi potiſſima videbantur, ſagaciter occultavit, & protinus egreſſus eſt. Quæ autem ſint, & quantæ venerationis illæ, quas ſibi prædo ſanctus mancipavit, reliquiæ, poſtea competentius exponetur. Cum ergò, ut ita loquar, ad naves ita ſuffarcinatus properaret, videntes eum, qui noverant & amabant, de navibus & ipſi properantes ad prædam, an ipſe aliqua rapuiſſet, aut quibus rebus ipſe ita onuſtus incederet, læto animo requirebant. Ille verò lætò, ut ſemper erat, vultu, & verbis jocundis, bene nobiſcum actum eſt, ajebat. Quibus, *Deo gratias*, reſpondentibus, ipſe feſtinanter tranſiens, & omnem retardationis cauſſam moleſtè ferens, ad navem reverſus eſt, ibique in cubiculo ſuo, quod habebat honeſtum & mundum, votiva illa ſuæ militiæ ſpolia collocavit, donec ille tumultuoſus in urbe ſtrepitus reſideret. Ubi etiam poſtea triduo manſit in multæ devotionis obſequio, nullo ſibi hujus rei conſcio, præter alterum è duobus Cappellanis, & illum ſenem, qui ei res easdem ſacras tradiderat, qui etiam, videns eum hominem benevolum ac liberalem, jam ei ſatis familiariter adhærebat. Cujus etiam miniſterio interim ei apud quandam ejusdem urbis Eccleſiam honeſtum ſatis & commodum, ſuæ profeſſioni conveniens, præparavit hoſpitium. Poſtquam ergo præfatus ille ſtrepitus conquievit, Abbas cum illo, quem diximus Cappellano, ſuum ſibi ſecretum aſſumens, paratam ſibi petiit manſionem, ubi tota æſtate commoratus, ſacras illas *Reliquias* indeſinenter amplectens, occulto quidem, ſed magno venerabatur affectu, & quod minus erat in exteriori, obſequio devotionis ſupplebat. Manebat autem in loco eo licentius, quod inducias pacis, quas pagani violaverant, renovatas acceperat, tum quia per illud mare non erat ſatis tuta navigatio propter magnam & novam rerum mutationem, tum etiam detentus amore ſociorum, ſimulque exſpectans debitum ſtatum civitatis & regni, ut his, qui eum miſerant, rerum iſtarum formam poſſet exprimere. Atque ita, ut diximus, civitas illa regalis & inter omnes Græcorum urbes famoſiſſima, breviſſimo temporis articulo capta & ſpoliata, & à ſuis victoribus poſſeſſa eſt. *Viderint igitur alii*, qualiter hoc factum metiantur. Ego in omnibus his, quæ vel ab hiſtoriographis, vel etiam à Poëtis referuntur, nil me tale, vel tam magnificum legiſſe confiteor. Nec arbitror absque certo divini favoris miraculo fieri potuiſſe, ut civitas illa munitiſſima, cui tota ſerviebat *Græcia*, in manus paucorum tam repente, tam publicè, tam facilè traderetur. Plus enim hic, ut ita dixerim, uno momento paucos fortes feciſſe intelligo, quàm Poëtæ veteres apud *Trojam* infinita hominum millia profeciſſe decennio mentiantur, inveniantur.

SÆC. XIII. ANNO 1210.

20. Capta igitur urbe ac ſpoliata, & ipſis ædificiis novis civibus diſtributis, ne absque principe quaſi Acephali remanerent, cœpit de Rege ſtatuendo inter eos quæſtio agitari. Erant autem duo viri opinatiſſimi & celebres in exercitu noſtro, *Marchio* videlicet de *Monte ferrato*, *Bonifacius*, & *Flandrenſis Comes* (*a*) *Balduinus*; è quibus alterutrum in Regem eligi, & res ipſa videbatur exigere, & univerſus exercitus acclamabat, & quoniam uterque multorum favoribus atque ſuffragiis nitebatur, nec facile alter alteri præferri poterat, pro eo, quod ambo ſatis idonei viri putabantur; viſum eſt omnibus transferre curam & arbitrium electionis in duodecim viros, qui maximè inter omnes integritatis, & potioris conſilii apud alios habebantur. Qui poſtquam habita multa deliberatione *Flandrenſem* Comitem nominarunt, collocatus eſt in ſede regni, & capiti ejus diadema impreſſum. Provinciæ autem ejusdem regni in tres partes diviſæ ſunt, unam, quæ ad fiſcum Regis ſpeciabilem pertineret; altera, quam *Veneti* poſſiderent, & tertiam, quæ data eſt *Marchioni*, *Theſſalonica* videlicet, & fines ejus ampliſſimi, qui etiam *Martinum* noſtrum, ſicut nobis certiſſimè compertum eſt, ſecum deducere, & Epiſcopum creare proponeret. Ille ſibi votorum ſuorum conſcius cum gratiarum actione recuſavit, malens ad fratres ſuos, ſi *Deus* annueret, privatus & humilis remeare. Deinde minores poſſeſſiones veluti caſtella, villæ, & municipia, & quæ hujusmodi ſunt alia, in illas perſonas, quæ ad hoc magis idoneæ putabantur, diſtributæ ſunt; Leges autem, & jura, & ceteræ inſtitutiones, quæ ab antiquo tam in urbe, quàm in provincia laudabiles habebantur, ita ut prius fuerant, conſiſtere permiſſæ ſunt; quæ vero reprobabiles videbantur, vel correctæ in melius, vel penitus immutatæ. Quæ dum ita in civitate agerentur, interim peſtifer ille *Mortiflo*, (*b*) graviſſimi ſceleris perpetrator & breviſſimi temporis imperator, qui ſuorum

Balduini electio in Imperatorem.



(*a*) Fuit ille Balduinus IX. Comes Flandriæ & Hannoniæ, qui eodem anno, quo electus eſt Imperator, e vivis exceſſit ann. 1204. BASN. (*b*) Fuit ille ex nobili Ducarum Familia vocabatur autem non Mortiflus, ſed Mutzuflus, vir ſcelerum plenus. Conſule notas Cangii in Vir. ill. Harduinum. BASN.

Digitized by Google

Sæc. XIII. Anno 1210. sibi malorum conscius, etiam pœnam timens, ante expugnationem ex urbe profugerat; nesciens quo se verteret, aut quid spei in aliquo vel homine, vel loco habere posset, ad *Alexium* seniorem se contulit: (*a*) cui principes nostri in divisione regni, quamvis homini nefario, tamen quia regii sanguinis erat, quandam terræ portiunculam habendam concesserant. Qui videns hominem sceleratum ad se venientem, quamvis nec ipse multum dissimilis, vix à suis prohibitus, quo minus eum extremo mortis puniret supplicio; cœcari jussit, & expulit; recolens cum tantæ cladis auctorem, qui sibi fratrem cœcare, & nepotem carcerare, & utrumque regno spoliare persuasisset, & postremo, ad augmentum sceleris, eundem nepotem suum manu propria suffocasset. Ille verò turpiter expulsus, qui dudum mente cœcatus fuerat, nunc etiam corporeo lumine privatus, pauper & miser, & omnibus odiosus, cum in illis partibus fugibundus miseram ageret vitam, audientes nostri miserunt qui raperent eum & eorum aspectibus exhiberent. Quod cum factum esset, cœperunt tam nostri omnes, quam *Græci*, qui in urbe relicti erant, misero probris, & jurgiis, & contumeliis insultare; parricidam, & patriæ subversorem, & dignum supplicio conclamare. Cumque de morte ipsius certa omnium esset sententia, de genere tamen mortis multa erat inter eos disceptatio, quibusdam censentibus, eum laqueo suffocari, quemadmodum ipse Dominum suum peremerat; aliis verò vivum flammis immitti, vel saxo alligato pelago immergi, vel terræ infodi, vel detracta pelle totius corporis viscera denudari, vel truncari omnibus membris, vel si quid aliud atrocioris pœnæ in hominem sceleratum posset ab aliquo reperiri. Quid putas misero tunc animi fuisse, cum audiret eos de morte sua tam subtiliter disputantes, nisi quod dolor luminis amissi mortis vicinæ formidinem leniebat. Placuit tandem principibus, pro eo, quod licet homo nefarius, alti tamen sanguinis erat, cum super altissimam pyramidem duci, & inde longo asseri alligatum præcipitem jaculando dari, ut qui de alto regni statu subita dejectione corruerat, nihilominus ab alto cadens mortem miserrimam quidem, sed non turpissimam, inveniret. Quod ubi factum est, toto corpore conquassatus cum dolore & miseria infelicem spiritum exhalavit.

Pyramidis delineatio. 21. De pyramide autem illa, de qua iste projectus est, quam & plerique columnam vocant, aliquid notabile dici potest. Extructa est itaque de maximis lapidibus, ferro invicem arctissime consertis, incipiens ex magna spissitudine, & paulatim se acuens in immensam celsitudinis quantitatem: in cujus tamen summitate solitarium quoddam latibulum habuisse commemorant, qui terrenam sibi habitationem negans, nedum cœlestem attingens, quasi inter utrumque medius eremum sibi fecerat in medio celeberrimæ civitatis, cui etiam, ut dicunt, diversæ rerum imagines ab antiquo insculptæ sunt, quæ *Sibyllæ* vaticinia & maxime superiorem regno variis dicuntur figuris exprimere. Inter quas erant & navium figuræ & quasi scalæ de navibus erectæ, per quas viri armati ascendentes civitatem nihilominus ibi sculptam expugnare & capere videbantur. Hanc sculpturam *Græci* usque ad hoc tempus contempserant, nil minus posslibile reputantes, quam ut tantæ urbi suæ tale quid unquam posset accidere. At ubi viderunt scalas in navibus nostris erectas, tunc demum illius sculpturæ jam recordati, serioſius cœperunt illud & quod diu spreverant, formidare. Unde & quidem lapidibus, malleis ferreis easdem imagines contundentes, plurimi eas deformaverant; arbitrantes se hoc modo infaustum in nostros auspicium retorquere. Quæ spes omnino utique cassa fuit, & præfatam sculpturam veri significativam extitisse, certus rei exitus declaravit. His omnibus ita gestis & bona parte medii temporis elapsa, *Martinus* videns exercitum nostrum circa regni negotia studiis ingentibus occupari, ut infra multa tempora susceptæ peregrinationis iter exequi non valeret, ac per hoc principalem *Crucis* causam variis casibus impediri, totam suæ mentis intentionem in hoc contulerat, ut rediens ad fratres suos claustrali se redderet disciplinæ, quam in tanto rerum strepitu, ita ut vellet non poterat observare. Cumque de loco in quo tunc erat usque *Venetiam* facili posset transnavigare compendio, maluit cum his, quæ *Deus* ei præstiterat, ad eos prius redire, qui miserant, ut eis de statu illius regni & de omnibus, quæ præsens audierat & viderat, nuncius fidelis existeret, & tunc demum valedicens omnibus, de *terra sancta*, quam ex voto petierat, sui quoque reditus cursum feliciter inchoaret.

Martini reditus. 22. Ingressus itaque navem circa *nativitatem sanctæ Mariæ*, quasi nolens & vo-

(*a*) Hic imperaverat Constantinopoli annos VII. m. III. excœcato fratre, cujus imperium usurpaverat. Sed captâ Constantinopoli omni potestate exutus miserrime vixit. Incidit in manus Marchionis de Montferraro, deinde in Lascaris, generi; à quo in carcerem detrusus reliquum vitæ confecit. Basn.

Digitized by Google

& volens, ſecurus & timidus, non ſine metu & ſollicitudine multa; prima die Octobris apud *Achonem* applicuit, ubi à ſociis ſuis, maxime autem à *Theotonicis*, qui eum ſpecialiter diligebant, lætiſſime ſuſceptus, de ſtatu regni & de his omnibus, quorum ipſe præſens teſtis aſſuerat, vel ab aliis indubitanter audierat, fideliter enarravit. Secretum autem illud ſuum nulli voluit aperire, niſi cuidam honeſtiſſimo & forti viro, nomine *Bernhero*, qui cum eſſet natione *Theotonicus*, patria vero *Elſazienſis*, ſanguine generoſus, & quod præcipuum eſt, virtute conſpicuus, grande ſibi nomen in terra illa comparaverat, adeo ut ipſius *Regis* conſilia maxima ex parte in ipſum reclinarentur. Hic *Abbati* noſtro ſemper familiaris extiterat, qui eum & in terra ſua noverat atque dilexerat, & ibi majori dilectione amplexus præ ceteris fere omnibus excolebat. Huic ergo cum Abbas illa *Dei* munera, quæ ſecum attulerat, oſtendiſſet, ille ſtatim læto timore correptus expavit, & cœpit gratiam illam, quam *Deus* ſervo ſuo contulerat, vehementius admirari. Cum autem audiviſſet ejusdem Abbatis de reditu ſuo propoſitum, obnixè ſtuduit dehortari dicens, vix unquam fieri poſſe, ut tantæ res tam pretioſæ inter tot terræ & maris pericula, inter tot piratas & latrones, inter tot caſus, qui frequenter occurrere ſolent, indireptæ ad terram *Theotonicam* pervenirent. Monebat igitur eum, ut ipſe rebus eisdem terram ſanctam devote & humiliter honoraret; in qua etiam cum eis permanſurus, vel epiſcopatum, vel quas vellet alias eccleſiaſticas dignitates à rege, ceterisque principibus non recuſaret accipere. Qui ſi ſecretiorem & monaſticæ profeſſioni magis congruam vellet agere vitam, hoc quoque ipſe apud regem, cui familiariſſimus erat, pro libitu Abbatis pleniſſime provideret. Eſt enim in partibus illis territorium, quod tam moderno uſu, quàm apud veteres ſcripturas mons *Carmeli* nominatur, locus omnibus bonis uberrimus, fertilis frugum, veſtitus optime vinetis, oleis & aliis arborum generibus eleganter conſitus, paſcuis etiam copioſis exuberans. In hoc monte tria ſunt monachorum cœnobia, diſtincta ab invicem & latas poſſeſſiones habentia, quibus cœnobiis vel ſingulis uterentur, vel in unum redactis ipſe Abbas & dominus præſideret. At verò ſi magis vellet ſui Ordinis fratribus quàm aliis præeſſe, cœnobitæ illi ad alia loca ſatis commodè tranſferrentur; Abbas vero, aſſumptis ſui Ordinis hominibus quibus vellet & quanto vellet numero, totum præfati montis territorium tam ipſe quàm ejus ſucceſſores perpetua ditione liberrime poſſiderent. Poſtremo ſi nil horum acceptaret, acciperet à rege & principibus tantam auri argentique pecuniam, quantam ipſe nunquam vel poſteri præſumerent vel ſperarent, quam & commodius ſecum deferre & ſecretius occultare & eadem eccleſiam ſuam ditare facili poſſet impendio. Quæ omnia cum *Abbas* renueret, dicens, ſe nil aliud velle, niſi ſacras res illas, quas *Deus* dederat, ſuo fideliter exhibere cœnobio, præfatus *Wernerus*, tanquam homo fideliſſimus, ſecretum tenuit, & tam ipſe quàm alii quàm plures ad navem quæ in portu parata erat, cum debito honore proſecuti ſunt. Quam poſtquam *Martinus* ingreſſus eſt, mutua charitate dicto Vale & accepto, feria tertia ante *Palmas* illi ad ſua redierunt, *Martinus* expanſis velis optatæ navigationis curſum aggreſſus eſt.

SÆC. XIII. ANNO 1210.

Libet inſuper hoc loco huic noſtræ narrationi quædam inſerere, quæ ſola, ſi alia deeſſent, ſatis poſſent aſtruere ea, quæ per Abbatem *Martinum* vel jam geſta diximus, vel adhuc dicenda reſtant, de fonte divinæ diſpenſationis (a) ordinem accepiſſe. Tertia ſiquidem nocte, antequam ipſe *Martinus* ſui reditus iter arriperet, quidam clericus admodum ei familiaris, *Egidius* nomine, natus de *Boëmia*, cujus nullum verbum niſi latine prolatum Abbas ipſe intelligere poterat, qui & ipſe cum Abbate in eadem navi redire proponebat; non dormiens quidem, ſed vigilans, certiſſimè, ſicut ipſe penitus affirmabat, vidit angelos duos in eodem loco, ubi ſacræ ſervabantur reliquiæ, ubi etiam tam ipſe quàm Abbas cubiculum habere conſueverant, Abbas quidem ob ſacrarum rerum diligentem cuſtodiam; ille vero, quid ibidem ſervaretur penitus ignorabat. Qui angeli circa ſcrinium, in quo ſacra *Dei* munera claudebantur, miræ devotionis officium ſatagere videbantur, & *Deum* qui hæc famulo ſuo contuliſſet, omni reverentia collaudare. Facto autem illo divinæ venerationis officio, alter alterum exhortantes Deum obnixe precabantur, ut eundem virum, cui tanta bona præſtantur, cum omnibus, qui ei familiariter adhærebant, ſua defenſione protegeret. Quam utique certiſſimam viſionem cum ipſe facto mane Abbati recitaret, ſubito inter ipſa verba ex multa cordis compunctione erupit in lacrimas: Neſcio, inquiens, qui ſis, aut unde veneris, aut quid in illo ſcrinio tuo cuſtodias; ſed illud veriſſime ſcio, quia manus domini tecum eſt. Quapropter in hac maris tranſfretatione à tuæ ſanctitatis non rece-

Viſiones.

(a) Originem.



Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1210.

dam consortio, certissime credens me in illa navi, qua tu vehendus es, periclitari non posse. Cujus sanctæ visionis Abbas perculsus miraculo, præsertim propter hominis fidem, quem sanctum & veracem esse noverat, retulit & ipse aliam visionem, quæ ipsi dormienti eadem ipsa nocte occurrerat. Videbatur ei siquidem ab eo loco, ubi tunc erat, *Achone* videlicet, usque ad villam proximam claustro suo, nomine *Sigoltsheim*, nil aliud esse quam mare; sed adeo securum & tenue, ut in eo nec etiam navicula quantumlibet parva naufragium formidaret; præterea ab eodem loco usque ad villam præfatam facta videbantur esse desuper in directum velut quædam tectorum umbracula, ut nec ventus, nec pluvia, nec aliud maris aërisvè incommodum Abbati navigaturo nocere nullatenus prævaleret. Quam Abbatis visionem nos modo sic possumus interpretari, quod ab illo loco usque ad cœnobium suum, licet inter multa terræ marisque pericula, divina tamen protectione in reditu suo tutum iter habiturus esset, & præfatæ villæ populus, viri scilicet ac mulieres, primi ex omnibus apud claustrum *Parisiense* sacris essent occursuri Reliquiis, sicut postmodum expressa rei veritas hoc ipsum approbavit.

Martinus Basileam petit.

23. Non est facile casus omnes atque pericula memorare, quibus & Abbas ipse, & hi qui cum ipso in eadem navi ferebantur, frequentius expaverunt. Sed ipse tanto amplius, quanto plus amabat ea, quæ perdere metuebat. Sed in tanto timore & periculo Dominus ei majorem fere, quàm ipse sperare poterat, gratiam suæ protectionis exhibuit. Occurrebant ei frequenter naves piraticæ, quæ vel aliis spoliatis, vel alios spoliare cupientes, hac visa, subita mansuetudine mitescebant, & eam omni reverentia pacifice salutantes, illæsam abire non tam sinebant, quàm sinere cogebantur. Virtus enim Dei erat, quæ & illos poterat coërcere & istam securo cursu ad portum perducere. Post multos itaque labores & pericula non pauca navis illa Martini, vel potius *Dei* & Sanctorum ejus Reliquiarum, ad portum *Venetiæ* perducta est in Vigilia *Pentecostes*, ubi cum applicuisset Abbas, & de statu terræ satis dissimulanter inquireret, comperit non minus periculi & timoris in terra supereresse, quàm in mari præcesserat. Totam quippe *Italiam*, per quam ei transitus erat, in fervore ac strepitu bellorum positam asserebant. Ipse vero sciens, quia idem Deus potens est in terra & in mari, & qui eum in mari salvaverat, salvare poterat & in terra, paratis equis, sibi & suis sarcinis deferendis, confidenter quidem, sed tamen non absque metu & solicitudine, versus Alpes iter arripuit. Cum autem ei frequenter armatorum cohortes occurrerent, quæ ad nil aliud nisi ad prædandum & rapiendum venerant, subito quodam terrore compulsi, oblatam sibi prædam inæstimabilem, tanquam ea indigni, timide abhorrebant, & cedentes de via, summario, qui scrinia cum sacris ferebat Reliquiis, per medium sui transitum præstabant innocuum. Transiens itaque Martinus noster totam Italiam, & post illam Alpes asperrimas, post quas etiam loca multa periculosa & plena latronibus, urbem *Basileam*, de qua primum suæ peregrinationis iter inchoaverat, lætissime ingressus est, ac primo omnium beatæ *Virginis* Ecclesiam petens, cui & peregre proficiscens devote se commendarat, quantas potuit ei gratiarum retulit actiones, quod eum apud dilectum Filium suum ejusdem Filii sui *Reliquiis* honorasset, & de tot ac tantis periculis exceptum, lætum & incolumem reduxisset. Unde & altare ipsius, quod in ipsa Ecclesia celeberrimum habet, palla nobili decoravit. Episcopo quoque ejusdem urbis, Domino *Lutholdo* & aliis quibusdam personis & Ecclesiis ejusdem loci donaria sua satis liberaliter erogavit. Mansit autem in loco paucis diebus, donec ei fratres sui, qui jam reditum ejus acceperant, reverenter, ut dignum erat, occurrerent, cum quibus ipse, assumptis quoque aliis de civitate quam pluribus, qui eum gratissime prosequebantur, ad *Parisiense* monasterium egregie quidem, sed cum multa devotionis humilitate se contulit, ubi etiam, toto fratrum conventu tam ei, quàm sacris, quas afferebat, *Reliquiis* ad portam humiliter recurrente, in nativitate *sancti Joannis Baptistæ* ante horam Tertiarum triumphales illas sacræ prædæ manubias, gaudentibus cunctis & *Deum* corde & voce laudantibus, in ipsam invexit Ecclesiam, & in ipso altari majori, qua potuit reverentia, collocavit.

Reliquiæ allatæ e Græcia.

24. Benedictus itaque sit *Deus*, qui facit mirabilia magna solus, qui per ineffabilem virtutem & misericordiam suam *Parisiensem* respexit & illustravit Ecclesiam, per quædam suæ gratiæ donativa, quæ per venerabilem virum jam sæpe dictum, *Martinum* Abbatem, ad nos transmittere dignatus est. Quorum præsentia & præsens exultat Ecclesia & ipsorum patrociniis quælibet anima fidelis apud Deum adjuvatur & proficit: de quibus ut legentibus certior fides astruatur, quædam ex ipsis propriis duximus titulis exprimenda.

Pri-

Digitized by Google

Primum igitur & generaliſſimum imo in omni veneratione digniſſimum *veſtigium ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti*, qui pro redemptione totius generis humani effuſus eſt. Sæc. XIII. Anno 1210.

Secundum vero *lignum* eſt *Dominicæ Crucis*, in quo filius patri pro nobis immolatus veteris Adæ novus Adam debitum exſolvit.

Tertium eſt non modica portio *S. Joannis præcurſoris Domini.*

Quartum vero brachium *S. Jacobi* Apoſtoli, cujus memoria per univerſam venerabilis habetur Eccleſiam. Sunt etiam aliorum ſanctorum reliquiæ quorum nomina ſubſequuntur.

*Chriſtophori* Martyris.
*Georgii* Martyris.
*Theodori* Martyris.
Item pes *S. Cosmæ* Martyris.
Item de capite *Cypriani* Martyris.
Item *Panthaleonis* Martyris.
Item dens *S. Laurentii.*
Item *Demetrii* Martyris.
Item *Stephani* protomartyris.
Item *Vincentii*, *Adjuti*, *Mauritii* & ſociorum ejus,
*Criſantii* & *Dariæ* Martyrum.
Item *Gervaſii* & *Prothaſii* Martyrum.
*Primi* Martyris.
*Sergii* & *Bacchi* Martyrum.
*Proti* Martyris.
*Joannis* & *Pauli* Martyrum.

Item de loco *Nativitatis* Domini, de loco *Calvariæ*, de *Sepulchro* Domini, de *Lapide Revoluto*, de loco dominicæ *Aſcenſionis*, de lapide ubi *Joannes* ſtetit, quando Dominum baptizavit, de loco ubi Chriſtus *Lazarum* ſuſcitavit, de lapide ſuper quem Chriſtus in Templum eſt præſentatus, de lapide ſuper quo Jacob obdormivit, de lapide ubi Chriſtus jejunavit, de lapide ubi Chriſtus oravit, de tabula ſuper qua Chriſtus cœnavit, de loco ubi captus eſt, de loco ubi mater Domini migravit, de Sepulchro ejus, de Sepulchro S. Petri Apoſtoli, de reliquiis Sanctorum Apoſtolorum Andreæ & Philippi, de loco ubi Dominus Moyſi legem dedit, de Sanctis Patriarchis Abraam, Iſaac & Jacob. Item *S. Nicolai* Epiſcopi. Item *Adelehi* Epiſcopi. Item *Agricii* Epiſcopi. Item *Joannis Chryſoſtomi.* Item *Joannis eleemoſynarii*, de *lacte matris Domini.* Item *Margaretæ*, *Perpetuæ*, *Agathæ*, *Agnetis*, *Luciæ*, *Cæciliæ*, *Adelgundis* & *Eufemiæ*, virginum. Factum & actum eſt hoc anno Domini Milleſimo ducenteſimo quinto dominicæ Incarnationis. Regnante *Philippo* Romano, præſidente ſacroſanctæ Rom: Eccleſiæ *Innocentio* ſummo Pontifice: ſub Epiſcopis *Luthaldo Baſilienſi* & *Heinrico Argentinenſi.*

Specialis providentia erga Martinum.

25. Nemo igitur fidelis aliud vel credere debet vel etiam opinari, quam hoc actum eſſe divinæ gratiæ reſpectu, ut tot & tantæ tam celebres Reliquiæ per hominem ſeipſum in tanta humilitate conſervantem inter tot rerum impedimenta ad noſtram pervenirent Eccleſiam. In quarum adventu tota, ut credimus, *Theotonia* atque apud ſeipſam lætior, & apud homines famoſior, & apud Deum cœpit haberi felicior, nullus ergo, ut alia multa, ita hoc fortuito æſtimet eveniſſe. Quod utique nil aliud eſſet, niſi magnis *Dei* operibus debitum ſplendorem calumniando detrahere, ſi enim illius maxime civitatis, de qua hæc omnia tranſlata ſunt, tam incredibilem & ſubitam expugnationem & ordinem cauſarum præcedentium & tranſitum Martini Abbatis terra & mari periculoſum, & tamen protegente *Deo* de locis omnibus inoffenſum diligenter attendimus; hæc omnia profecto non eſſe caſus fortuitos, ſed muneris divini, luce clarius apparebit. Quapropter omnes, qui vel iſta vident, vel audiunt, opus *Dei*, quo authore facta ſunt, in omnibus venerari, & credere, & ab ipſo ſuæ fidei ac devotionis præmium præſtolari.

Munera data Philippo Imperatori.

26. De his autem ipſis cœleſtis gratiæ donis, quæ Dominus jam ſæpiſſime dominico famulo ſuo abbati *Martino* & per ipſum Eccleſiæ *Pariſienſi* contulerat, eadem Eccleſia ad honorem *Dei*, & totius Romani imperii, Domino *Philippo* Sereniſſimo Imperatori laudabilem valde contulit portionem. Tabulam videlicet quandam inæſtimabilis fere pretii, auro, & gemmis pretioſis operoſiſſime exornatam, & plurima ſanctarum reliquiarum genera, longe auro & gemmis pretioſiora ibi diligenter recondita continentem. Quam tabulam Græcorum Imperator in ſolemnibus feſtis velut quoddam certum pignus imperii geſtare conſueverat de collo ſuo catena aurea dependentem. Cui tabulæ præter aurum vel alias gemmas quam plurimas, Jaſpis unus miræ magni-



Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1210.

tudinis infixus est, passionem Domini sibi insculptam & *B. Virginis* & *Joannis Evangelistæ* imagines hinc inde assistentes. Est autem sapphirus ibi quidam admirandæ quantitatis, cui divina majestas, quæ nulla prorsus imagine proprie repræsentari valet, artificiose tamen ita fieri potuit, insculpta est. Quod utique munus invictissimus Rex *Philippus*, juvenis quidem ætate, sed in *Dei* timore, & omnium morum honestate maturus, tanta mentis benivolentia & gratiarum actione suscepit, ut ipsam etiam *Parisiensem* Ecclesiam cum omnibus possessionibus suis in suam susciperet protectionem, & alias omnes reliquias, quas Martinus attulerat ei perpetuo possidendas Imperiali privilegio confirmaret.

*Scripsit aueem hanc Historiam Magister Guntherus, quidam tunc Monachus, prius autem Scholasticus, vir admodum liberaliter eruditus. Qui etiam rebus ipsis, quas scribebat, vehementer applaudens id habebat intentionis ac fidei, ut ab illo, qui hæc per fideles suos operari dignatus fuerat, etiam ipse divinorum relator operum vitam acciperet sempiternam.*

DE-

Digitized by Google

# DESCRIPTIO TERRÆ SANCTÆ,

## AUCTORE

## BURCHARDO DE MONTE SION.

A Caniſio in publicum data,

*Ex Bibliotheca Monaſterii Canonicorum Regularium S. Magni ad pedem pontis Ratisbonenſis.*

Cum animadverſionibus

## JACOBI BASNAGII.



Digitized by Google

# LECTORI
# CANISIUS.

TOMO (a) *quarto Antiquæ Lectionis publicavimus Hodœporicon S. Wilibaldi, primi Antistitis Aichstadiani, ad sepulchrum Domini. Tomo quinto dedimus ejusdem argumenti Itinerarium Gulielmi de Baldensel, & expeditionem in Palæstinam Friderici Imperatoris. Accipe nunc in hoc sexto tomo duo alia similis materiae praeclara monumenta, quorum alterum Burchardi de Monte Sion; alterum Nobilis Bavari (*); vel hoc nomine Bavaricis typis evulgandum. Uterque quae vidit, in litteras misit; si alicubi rumori veteriqve persuasioni aliquid datum, dabis & tu, erudite Lector, veniam, memor illius:* Haud vitiis quisquam sine nascitur. Optimus ille est, qui minimis urgetur.

Editus est ad annum 1346. BASN.

(a) Hæc opera, quanquam prius edita in lectionibus antiquis Canisii, reponentur juxta seriem & ordinem sæculorum quibus authores vixerunt. BASN.

Digitized by Google

# JACOBI BASNAGII
## IN
# BROCARDI DESCRIPTIONEM
# TERRÆ SANCTÆ
# OBSERVATIO.

BOnaventura Brocardus vulgo dicitur is qui se ipsum Burchardum hic appellat, terramque sanctam descripsit. Argentorati natus est ad finem sæculi duodecimi. Fratrem habuit Lectorem Ordinis Prædicatorum Magdeburgi, cui hoc opus consecravit. Hunc enim Burchardum appellat *Patrem fratremque*; Patrem reverentiæ, fratrem consanguinitatis causa. Fuit ipse Monachus Ordinis Prædicatorum & sacerdos, quippe qui narrat se celebrasse *Missas de Passione in eo loco, ubi bonus Jesus se obtulerat in sacrificium Deo Patri.* Ajunt peregrinationem Terræ Sanctæ suscepisse anno 1280. nos vero multo citius, nec, ut videtur, levi conjectura. SÆC. XIII. ANNO 1230. Quis Brocardus:

Refert Burchardus Armenios Pontifici Romano obedientiam esse pollicitos *nuper, cum Rex eorum à Moguntino Archiepiscopo, Romanæ Sedis Legato, coronam accepit.* Rex ille Armeniorum fuit Leo Primus, qui expulsa nepte, quam frater ejus fidei crediderat, dignitatem Regiam sibi vindicavit. Legatum Othoni Imperatori, Cœlestinoque III. Pontifici mittens ab ipsis postulavit, ut illum in legium reciperent, quod concessum fuit, mandavitque Pontifex Romanus Cardinalem Ecclesiæ Romanæ, Sabinensem Episcopum, Archiepiscopumque Moguntinum, qui & coronam deferret. Asserit quidem Gregorius, Armeniorum *Catholicus*, hoc est Patriarcha, perditam fuisse apud eos coronam Regiam ab eo tempore, quo inter eos & Latinos conflatum fuerat schisma; quasi schisma illius jacturæ causa foret; sed revera Principes Armeniorum nec Reges erant, nec regium dia- Scripsit anno 1230.



Digitized by Google

Sæc. XIII. Anno 1230.

dema gestabant; Barones tantum fuere, qui Soldano vectigalia pendebant. Quidquid sit, coronatus est Rex primus a Præsule Moguntino sub Pontificatu Cœlestini, desinente sæculo duodecimo, cui pollicitus est Princeps ille, ut omnes pueri, duodecim annos nondum nati, latinâ imbuerentur doctrinâ. (a) Deinde castella quædam Armeniorum in dotem Ecclesiæ Romanæ contulit. Habentur adhuc epistolæ, quas idem Leo & Catholicus Innocentio III. Cœlestini successori, scripserunt, quibus uterque obedientiam Pontifici pollicentur, modò ab sede Romana tantum pendeant Armenii. Obiit Leo anno 1242. Quare cum indicaverit Burchardus tanquam *nuper acta:* nuper coronatum statuat Regem: nuper datam fidem ab Armeniis, quam postmodum violaverunt, referat; superest vel ineunte sæculo decimo tertio floruisse dicamus. Cum vero decennium transegerit in Judæa, nec nisi post reditum scripserit, annus 1230. aut saltem 1238. illi fuit assignandus.

Oudini sententia opposita.

Ista jam delibaveram, cum scripsit ad me Vir in Patrum scriptis versatissimus, qui in alteram plane discedit sententiam, Oudinus, cujus memoriæ debetur hæc dissertatio ad me transmissa. Hoc unum monebo, in editione Canisiana, nec in una, nec in altera, indicari annum 1283. cum rorem & pluviam a summo capite Montis Gelboë ad ejus radices cadentem vidisse narrat; deinde nostram firmant conjecturam Ordinis Dominicanorum scriptores, qui eum anno 1222. *à Generalibus Comitiis Lutetiæ Parisiorum habitis in Palæstinam transmissum testantur*, cætera Lectorum judicio subjicimus.

De editione Canisiana collata cum Amstelodamensi an. 1707.

Ancipites hæsimus, an editioni Canisii, quam hìc proferimus, præferri non deberet editio ejusdem operis facta Amstelodami, quippe quæ fuerit emendata à Dn. Clerico, Viro tot operibus Reipublicæ Litterariæ utilissimis commendatissimo, ideoque utramque simul contulimus. Sed occurrunt inter eas tot discrimina, ut diversa censeri possint opera. Ideoque Amstelodamensem laudantes, Canisianam hìc denuo juris publici fecimus, ut nihil Lectionibus Antiquis detrahatur & utraque fruatur Lector, & de iis quæ differunt, sententiam suam ferre possit.

Nimis addictus videtur superstitionibus fabulosis Auctor *Descriptionis* Canisianæ, quæ resecantur plurimæ in editione Amstelodamensi. Prior iter confecit, ut pote loca, quibus immoratus est, notare sit solitus: Posterior omnia fere, quæ viatori propria sunt, omittit, ita ut credere possim, priorem esse Descriptionis genuinum autorem, qui viatorem & Monachum superstitiosum sapit; alterum hunc descripsisse, omissis quæ displicebant, & additis plurimis rebus, quæ ipsi necessariæ ad illustrationem operis videbantur. Ideo geminæ descriptiones ab accuratis Lectoribus debent perlustrari.

Addita huic editioni.

Cum desit in editione veteri Canisiana caput de *Fertilitate Terræ Sanctæ*; Unde concludi facile potest, contra Sectarios, sacræ Scripturæ detrahentes, & qui Mosem & Josuam tanquam fabularum inventores traducant, ob sterilitatem rupium, montium, imò ipsius planitiei Terræ Sanctæ, nunc viatorum oculis & testimonio probatam; fuisse olim terram il-

(a) Galanus. c. 25.

Digitized by Google

illam fœcundiſſimam, quæ nunc, colonis deſtituta, vix aliquid, exceptis lacte & melle herbisque, fundit. Sæc. XIII.

Cum deſit etiam Ægypti deſcriptio, totoque cœlo differant bini ſcriptores circa incolarum Terræ Sanctæ ritus & religionem, hæc tria capita ad calcem Operis adjecimus, ut plenior evadat noſtra editio ex Amſtelodamenſi. Anno 1230.

Uſus eſt ſæpius hac deſcriptione Terræ Sanctæ qui eam ipſe adornavit Adrichomius, autumabatque illam integram ſervari Coloniæ Agrippinæ; Monendus tamen eſt Lector, Brocardum non ſatis accurate locorum diſcrimina indicaſſe, quippe qui nec Geometriam, nec Aſtronomiam delibaſſet. Errant quippe viatores ſæpius, ubi locorum ſpatia emetiuntur ex tempore, quod impendunt peregrinando, aut ex Ruſticorum fide greſſuque animalium pendent. Fabulas quas inſeruit auctor, non curamus, Uſus hujus deſcriptionis.

*Credat Judæus Apella,*

*non ego!*

Digitized by Google

# EPISTOLA OUDINI
# VIRO CELEBERRIMO
# JACOBO BASNAGIO
# CASIMIR. OUDIN. S.P.

SÆC. XIII. ANNO 1230. Epistola Oudini de ætate scriptisque Brocardi.

*Brocardus Argentinensis*, ex Ordine fratrum Prædicatorum, anno 1283. claruit, appellatus Brocardus vel Burcardus de Monte Sion, quod ibidem, in itinere suo ad Palæstinam lustrandam, prolixam fecerit moram, etsi patriâ Argentinensis esset, illic professus *Ordinem fratrum Prædicatorum*, *quem ab* anno 1283. ad 1320. vel circiter vixisse *asserunt*. Illum *Guilielmus Caveus* in Historia litteraria Scriptorum Ecclesiæ ad annum 1260. pag. 731. assignat, & Bonaventuram Brocardum vocat, Possevinum hac in opinione verbo tenus amplexus. *Opus illius ita inscribitur in editione factâ Magdeburgi anno* 1593. *in* 4°. *impensis Ambrosii Kirkneri*: *Reverendi & devotissimi Patris*, *in sacro Canone eruditissimi fratris Brocardi*, *Alemanni*, Ordinis Prædicatorum, Liber, qui *inscribitur*, *Descriptio Terræ Sanctæ*, eidemque adjacentium regionum, quem dedicavit atque obtulit alteri Brocardo *ejusdem sui Ordinis*, *Magdeburgensi* in Theologia Magistro & Lectori. Ambrosius autem de Altamura in *Bibliotheca* Dominicana anno 1238. illum affigit pag. 15. & in Appendice pag. 431, ubi, pro more & levitate suâ, Beatum facit. At tempus, quo præcisè vixerit aut floruerit, definire arduum, imò impossibile est, hoc unico certo, quod anno 1283. Palæstinam lustraverit. Brocardus hic Argentinensis dicitur fuisse propagator Ordinis fratrum Prædicatorum in Terrâ Sanctâ; illuc missus à Generalibus Ordinis Comitiis anno 1222. Lutetiæ Parisiorum celebratis. Ita quidem Antonius Senensis, Castillus, Bzovius, aliique rerum Dominicanarum scriptores tradunt, pro more suo, absque idoneis ad id probandum instrumentis vel testibus. Sed *tardius missum*, ex eo fit verisimile, quòd anno 1283. se Palæstinam lustrasse testatur, & in monte Gelboë pluviam & rorem expertum: quo tempore ex hac supputatione nonagenarius fuisset, etiamsi anno ætatis suæ trigesimo tantum illuc missus fuisset. Itaque constantissimum est, hanc peregrinationem fuisse anno 1283. susceptam à Brocardo, *ut ipse tradit*, *non autem anno* 1222. *ut alii* ariolantur. Insanit, pro more suo, Ambrosius de Altamura in *Bibliotheca Ordinis fratrum Prædicatorum*, *ad annum* 1238. *pag.* 7. *& in Appendice ad eundem annum pag.* 431, dum ait, receptum fuisse ad Ordinem a Beato Reginaldo anno 1218. moratum fuisse in Terra Sancta anno 1227. allegans in Appendice, Bzovium in Annalibus Ecclesiasticis ad annum 1222. num. 25. Vix unquam Orbis Christianus habebit [illegible]a impudentem calculatorem. *Profectus igitur ex motivo* devotionis, an divagationis, in Orientem, *lustratâ Palæstinâ*, reliquit posteris Descriptionem Terræ Sanctæ, quam habet Henricus Canisius Tom. VI. Antiquæ Lectionis pag. 295. ad 322. *Anno* 1604. *Ingolstadii* in 4°. Istud

Digitized by Google

ſtud opus antea impreſſum annis 1532, 1537. & 1555. operâ Joannis Grynæi, inter novi orbis ſcriptores, Baſileæ in folio, apud Joannem Hervagium. Itemque Wittembergæ anno 1554. in 8°. Illud opus olim multis in locis mutilum & caſtratum, tandem integrum ex Ms. Codice Bibliothecæ Alvenſlevianæ Reineccius anno 1593. Magdeburgi in 4°. edidit. Prodiit & poſtea Coloniæ anno 1624. in 8°. Cujus Hiſtoriæ Ms. Codex in Bibliotheca Paulina Lipſienſi, inter *Mſſ. Codices Hiſtoricos*, ut conſtat ex Catalogo impreſſo, pag. 314. Ejuſdem Brocardi opus, ſub titulo Legationis in Ægyptum, Ms. in Bibliotheca Baſilienſi, ut conſtat ex Catalogo Mſſ. Codicum *hujus Bibliothecæ*, *quem* annno 1661. miſit clariſſimus vir Joannes Buxtorfius ad *Theophilum Spizelium*, *in Arcanis Bibliothecarum retectis pag.* 18. Idem cum præcedente mihi opus videtur. Porrò Brocardi, Monachi Ordinis Prædicatorum, Deſcriptio Terræ Sanctæ inſerta etiam Collectaneo Simonis Grynæi *pag.* 314. *ut ſupra* diximus, iterum prodiit anno 1707. in folio apud Franciſcum Halma, ad calcem Operis de locis Hebraicis, Græce primùm ab Euſebio Cæſareenſi, deinde *Latine à Sancto Hieronymo* redditi, ex adjectione Joannis Clerici. SÆC. XIII. ANNO 1230.

Scripſit quoque Summam caſuum conſcientiæ, quæ cum aliis multis Mſſ. Codicibus Theologorum *veterum & concionatorum*, Cremonæ aſſervatur in Bibliotheca Fratrum Eremitarum Auguſtinianorum. Hæc Summa *Brocardi* Ms. pariter habetur in *Regia* Galliarum *Bibliotheca*, Codice 259. diſtincta in Libros quinque, quorum *Primus* eſt de diverſis vitiis, *Secundus* de homicidio, *Tertius* de Clericis & ordinationibus, & quales eſſe debeant, qui *ordinandi ſunt*, *Quartus* de pœnitentia, *Quintus* de matrimonio. Incipit per *Simoniam*, *quæ libri primi caput* I. *de Simonia*, Simonia dicitur hæreſis, non quod ipſe actus ſit hæreticus, ſcilicet, credere, licenter poſſe emi *Spiritualia vel quæ annexa &c.* Videtur mihi habere quandam affinitatem cum Summa Raymundi *de Pennâforti de pœnitentia & matrimonio*, illumque legiſſe & imitatus fuiſſe Brocardus. Eſt etiam eadem Summa *Brocardica de vitiis & virtutibus*, *Ms. in Bibliotheca* S. Victoris Pariſienſis, littera *SS.* 10. *folio* 110. *inſcripta: Summa de Brocardicis* vitiorum & virtutum. *Olim multum* dubitaveram, an Brocardus ſeu Burcardus Argentinenſis, (nam idem nomen eſt) hanc *Summam caſuum* ſcripſiſſet, cujus *non meminit Natalis Alexander*, Ordinis fratrum Prædicatorum, qui ejus Opera diligenter recenſet in Selectis Hiſtoriæ Eccleſiæ capitibus, ſæculo XIII. tomo XX. cap. 4. & 5. pag. 566. quam cognitam ſibi non *omiſiſſet*. Sed nutantem me Mſſ. illi Codices *Pariſienſes confirmarunt*, qui ſunt ejuſdem circiter temporis, quo Brocardus floruiſſe dicitur. Quantum ad Deſcriptionem Terræ Sanctæ, de qua *ſuprà egimus*, addit Natalis Alexander loco citato: „ Illud opus, ſed mu-
„ tilum, in lucem edidit Caniſius Tomo VI. *Antiquæ Lectionis*, *cujus Ms.*
„ exemplar integrum in Bibliotheca Crucigerorum Coloniæ extare ait
„ Voſſius Lib. 2. de Hiſtoricis Latinis cap. 60. quo exemplari uſum *ſe*
„ *profitetur in Hieroſolymæ ac ſuburbanorum* deſcriptione, Chriſtianus A-
„ drichomius. *Ejusdem fuiſſe Annales de geſtis Friderici in* Terra Sancta,
„ quos *apud Wolffgangum Lazium extitiſſe Simlerus* teſtatur in Epitome
„ Bibliothecæ Conradi Geſneri, conjicit Voſſius. De Sacrâ expeditione
„ adverſus Turcas obeundâ Commentarium miſit ad Philippum Regem

Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1230.

„ gem Christianissimum anno MCCCXXXII, laudatum à Zurita in rerum
„ *Aragonicarum* indicibus lib. 2. pag. 153. De hoc authore legendi sunt
„ Sixtus noster Senensis lib. 4. Bibliothecæ Sanctæ, & Malvenda in An-
„ nalibus Ordinis, ad annum MCCXXII. Hæc *Natalis Alexander, quæ mihi* valde dubia sunt. Cùm enim ex ipso Alexandro & ipso Brocardi scripto, Brocardus seu Burcardus anno 1283. se Palæstinam lustrasse testatur, & expertum rorem & pluviam in monte Gelboë, vix credere possum, eum vixisse usque ad annos *quinquaginta post tot itinera, ac pervenisse ad annum* 1332. quô dicitur obtulisse Philippo Francorum Regi Commentarium de Sacra expeditione contra Turcas. Quod si anno 1222. teste Malvenda Dominicano, in Palæstinam missus est: necessum est, *ut anno isto* 1332. haberet vitæ annos *circiter centum quinquaginta, essetque hic unus aliquis* ex familiâ Joannis de Temporibus. Denique quantum ad gesta Friderici I. Imperatoris in *terra sancta*, ea erant auctoris Friderico comitis & *contemporanei*, & consequenter excedebant ætatem hujus Brocardi Argentinensis, qui centum annis post hunc Fridericum primum vivebat: imò, ipso teste Natali Alexandro, centum is quinquaginta annis post hunc Fridericum primum adhuc *vivens scribebat. Fefellit Natalem Alexandrum manuscriptus Codex, quem habuit vel vidit, in quo simul erant Brocardi liber de Terrâ sanctâ & Anonymi Directorium Terræ sanctæ, per quendam* fratrem Ordinis Prædicatorum ad Philippum Francorum Regem, anno Domini 1332. ad passagium faciendum: qui malè utriusque Operis Brocardum scriptorem opinatus est, cùm illi tractatus scriptorum diversorum sint. Extat autem Codex similis Ms. inter Mss. Codices *Universitatis Oxonienſis, Codice* 2184. *in Mss. Codicibus Collegii S. Mariæ Magdalenæ Codice* 43. *num.* 1. *Directorium Terræ sanctæ per quendam fratrem Ordinis Prædicatorum*, ad Philippum Regem *Francorum, anno* Domini 1332. ad passagium faciendum. Num. 2. Brocardi liber de Terra sancta. Opus autem istud Directorii non pertinet ad Scriptorem Germanum, sed ad Gallum: non ad Brocardum, sed ad Petrum de Palude, ut ad annum 1330. inferius dicemus, qui anno 1330. plurimâ apud Philippum Valesium Francorum Regem gratiâ pollens, illum *quoquo modo* hortabatur, *ut in Palæstinam*, pro more Majorum, expeditionem sacram susciperet, ad Terræ Sanctæ, uti appellant, recuperationem. Hanc ob causam dictus Petrus Paludanus *à Papa*, Avenione anno 1329. *Patriarcha Hierosolymorum* titularis constitutus fuerat, & ob eandem Directorium istud opus composuit, ad Passagium faciendum. Ita frequenter Reges Galliarum à Monachis ad expeditiones transmarinas ejusmodi, sub pietatis prætextu suscipiendas, seducti deceptique sunt. Hæc contra Natalem Alexandrum, qui Opusculi istius scriptorem in Germania quæsivit, quem in *Conventu* suo Parisiensi, si rectè attendisset *Petrum Paludanum*, habebat ad manum. Meminit hujus Brocardi Antonius *Possevinus Tomo* I. *Apparatus Sacri*, ubi eum anno 1260. floruisse asserit. Gerardus Joannes *Vossius lib.* 2. *De Historicis Latinis* cap. 60. pag. 490. editionis ultimæ: Ambrosius de Altamura in Bibliotheca Dominicana ad annum 1238. pag. 15. & in Appendice ad eundem annum pag. 431. de eo multa refert.

BRO-

Digitized by Google

# BROCARDI

# DESCRIPTIO TERRÆ SANCTÆ.

SÆC. XIII. ANNO 1230.

Authoris epistola.

Dilectissimo in Christo Jesu Patri, fratri Burchardo, Lectori Ordinis Prædicatorum in Maydenburch, frater Burchardus de monte Sion cum omni devotione orationes in Domino Jesu Christo.

Quid vobis scribam, Pater charissime, non invenio, deficit stylus, languet ingenium, os enarrare non sufficit, quæ bona mihi dederit Dominus, qui in omnibus meum desiderium. Ecce loca omnia sancta terræ sanctæ, quam universæ Ecclesiæ nocte dieque sonare non sufficiunt, nec desinunt pedibus calcare, oculis videre, manibus attrectare mihi concessit ad libitum bonus ille Jesus, qui inhabitando & verbo doctrinæ illuminando, illuminatam suo sacratissimo sanguine consecravit. Certe delectabile est ad hanc terram aspirare, delectabilius est eam visitare, sed super omne mel & favum dulcius est in ea commorari, & oculis corporeis intueri, & mentis intuitu revolvere, quomodo in locis singulis in ea nostram salutem sit operatus.

Venerabantur Judæi quondam Sancta sanctorum, quia ibi esset Arca Testamenti, Cherubin, propitiatorium, urna aurea continens manna, & virga Aaron. Nonne venerabilius est sepulchrum Jesu, quod quoties quis ingreditur, toties syndone involutum mentis oculis Jesum, & paululum procumbens lapidem videt revolutum, & Angelum in eo sedentem & ostendentem sudarium? Quis ad hanc terram totis desideriis non anhelet? Quis Christianus non relictis omnibus, quæ habet, cum parentibus, concito gradu, posteriorum oblitus, in anteriora se extendat, ut veniat Bethleem, videns ibi puerum Jesum in præsepio vagientem, Mariam in diversorio sub rupe concava parientem, Angelos, præsentibus pastoribus, Deo gloriam, & pacem hominibus decantantes, & quod plurimum est mirandum, quomodo isti tres Reges majestate præclara ante præsepe corruant, non habens tectum desuper, ut hodie cernitur, nisi rupem de monte pendentem: Veniat posthæc in Jerusalem, ut videat Jesum in Templo prædicantem, turbas docentem, in monte Oliveti sedentem, in monte Sion cænantem, discipulorum pedes lavantem, corpus suum ipsis tradentem, in Gethsemani orantem, & sudore sanguineo fluentem, traditorem osculantem, captum, illusum, consputum, judicatum, crucem bajulantem, sub pondere crucis in porta civitatis, ut hodie cernitur, deficientem, Cyreneum succedentem, in Calvaria passionis pro nobis mysteria celebrantem? horum omnium locorum & singulorum adhuc ita plena est memoria, sicut illa die extitit, quando principaliter erat facta. Certè in hac urbe tot sunt loca Dominicæ passionis & factis honorabilis, quod nullo modo dies sufficit ad peragrandum.

Sunt præterea quæ devotionem excitent ampliorem. Quis enim enarrare sufficiat quot Monachi & Moniales, exceptis aliis Christianis de Armenia, Chaldæa, India, Nubia, Syria, Æthiophia, turmatim veniant, centeni, ducenteni, plus & minus, discurrentes per loca singula in Spiritu vehementi, osculantur terram, amplectuntur loca, in quibus dulcem Jesum vel stetisse, vel sedisse, vel aliud quid egisse audiverunt. Nunc tundunt pectus, nunc fletus, nunc gemitus emittentes, nunc spiritu consolationis & devotionis, quam foris ostendunt, & absque dubio intus habent, in lachrymas provocant plerumque etiam Saracenos, Eia Domine Deus, video, secundum veteres historias, Abraam, Chaldæum, Geboth, Campum Sennar & duram provinciam Babylonis relinquentem, domum patris egredientem, Charram dimittentem, ad terram anhelantem, inter Bethel & Hay, in Bersabee, in Geraris, in Ebron tabernacula figentem; video (*a*) Ezechielem deferentem flumina Babylonis, super quæ sedit in medio captivorum, & ut veniat in Sion, inter celum & terram capillo capitis sublevatum, & in Jerusalem transvolantem.

Quid dicam de Virgine gloriosa Maria? quæ postquam facta est ad eam Angelica promissio, licet jam sciret uterum suum tabernaculum esse Dei, non est contenta cam-



(*a*) Errat Historicus, quippe P. Ezechiel in Judæam non fuit è Chaldæa translatus. Quæ ipse propheta narrat, in visione, prout tunc temporis Deo solitus mos fuit, acta sunt. vide Ezech. cap. 8. BASNAGE.

Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1230.

peſtribus Galileæ, ſed ſtatim montana conſcendit, volens ſanctioribus appropinquare.

Quid de Patriarchis, Jacob & Joſeph fratribuſque ejus? qui quia vivi in terra eſſe non potuerunt, elegerunt in ea mortui ſepulturam.

Quid plura? tarditatem ingemiſco Chriſtianorum noſtri temporis, qui tot exempla habentes, tardi ſunt de manibus inimicorum eruere terram, quam conſecravit ſanguine ſuo Jeſus Chriſtus. Verum quia video vos devotionis affectu, ea ſaltem aliquantum per imaginationem deſiderare, quæ propter locorum diſtantiam non poteſtis corporaliter intueri, obediens veſtræ viſioni & petitioni acquieſcens, ut vobis terram iſtam & ſitum ejus deſcriberem, licet ſit difficile, tamen dilectionis veſtræ intuitu, aggredior quod mandaſtis, hoc omnino ſcientes, quod nihil in hac deſcriptione ponam, niſi quod præſentialiter in loco exiſtens vidi, vel ſtans in montibus aliquibus; ubi oportunum acceſſum habere non potui, à Saracenis & Surianis & aliis terræ habitatoribus diligentiſſimè interrogans, quod quærebam innotuit. Totam terram enim à Dan uſque Berſabeæ, vel pedibus perambulavi, vel oculis diligentiſſimè conſideravi, advertens autem ſtudiosè, quo modo poſſem hæc omnia deſcribere, ita ut à legentibus poſſet intelligi & imaginatione facile comprehendi: cogitavi centrum aliquod in ipſa terra collocare, & circa illud totam terram ordinare, & ad hoc elegi civitatem Acconenſem, licet non ſit verè in medio terræ, & ab ea protraxi lineam ad decem plagas mundi, & quamlibet quartam in tria, ut reſpondeant novem ventis.

## *De civitate Acconenſi.*

Accon. PRimo ergo deſcriptionis initium à civitate Acconenſi aggrediar. Unde ſcire debetis, quod hæc civitas nunquam fuit de terra ſancta, nec à filiis Iſraël poſſeſſa, licet tribui Aſer (*a*) in diſtributione terræ fuerit aſſignata. Eſt autem in Provincia Phœnicis ſita eadem civitas Acconenſis, quæ materna lingua dicitur Alkers, & eſt valde munita turribus & muris fortiſſimis, habens formam ut Clypeus, cujus duæ partes à mari ambiuntur, tertia campum reſpicit, qui eam circumdat, habens latitudinis duas leucas & plus, in aliquibus partibus fertilis, tam in agris quàm in paſcuis, & etiam in hortis & (*b*) lardivis, in quibus diverſi generis fructus reperiuntur, & eſt civitas multa militia munita & caſtris fortiſſimis, ſcilicet caſtro Regis Jeruſalem, Templariorum, Hoſpitaliorum, qui etiam, ſi Domino placeret, poſſent expugnare omnes Saracenos.

## *De puteo aquarum viventium.*

PRocedentibus de Accon contra directam viam Aquilonis, poſt ſex leucas & duo milliaria, cernitur ille mirabilis puteus aquarum viventium juxta viam pergentibus Tyrum, admirabili opere conſtructus. Quamvis autem ſingulariter dicatur, puteus tamen non eſt unus, ſed tres ejusdem ſtructuræ & diſpoſitionis, ſed non ejuſdem quantitatis. Unus autem qui principalis eſt, habet ferè quadraginta cubitus in longitudine & latitudine, alii duo viginti quinque, quadrati omnes, & murus fortiſſimus de lapidibus maximis & duriſſimis ad latitudinem unius haſtæ circundat, in quibus ita colligitur aqua & exaltatur, quod ad omnem partem aqua defluit ultra muros, & dividitur per (*a*) dracones & aquæ ductus per totam planiciem Tyri, & irrigantur de aqua iſta Jardini, horti & vineæ, viſceta & cannæ mellis, das iſt das Rohr / da der Zucker inn wächſt quæ in tanta quantitate creſcunt in partibus illis, quod dominus Tyri, ut dicitur, omni anno recipit inde in reditibus centum millia Biſantiorum aureorum: diſtant autem iſti fontes à mari magno, modico amplius quàm ad jactum arcus, & in iſto modico ſpatio impellunt quatuor rotas molendini valde magnas, & ſtatim in mare fluunt, nec poſſet de facili comprehendi, quantas commoditates præſtent incolis fontes illi.

(*a*) Trahones, *ut infra p.* 13. *ad Iraconitis.*

## *De civitate Tyrenſi.*

Tyrus. DE fontibus iſtis ad unam leucam modicam eſt civitas Tyrenſis, de Accon, ſicut dictum eſt, etiam contra Aquilonem ſita, de cujus præconio non ſcribo: Quia Ezechiel & Prophetæ alii de ea quam plurimum conſcripſerunt. Eſt autem valde capax & magno murorum ambitu in rupe duriſſima in corde maris ſita, & undique mari circundata, niſi ante contra Orientem, ubi Rex Nabuchodonoſor primò, & poſtea Alexander Magnus fecerunt contiguam terræ vix ad jactum lapidis, ubi tamen cincta eſt triplici muro fortiſſimo & ampliſſimo, & ad triginta quinque pedes ſpiſſo, qui etiam

(*a*) Accho, inquit Hieronymus, quæ nunc Ptolemais dicitur, ſortis Aſer, de qua priſtinos habitatores non quivit expellere. BASNAGE. (*b*) Lege Jardini, quid enim ſibi vellent lardivi hortis juncti? Scriverius not. Ms. in CANIS. BASN.

Digitized by Google

etiam muri sunt muniti duodecim turribus fortissimis, quibus in omnibus mundi partibus me non vidisse recolo firmiores. Quibus etiam turribus continuatur arx civitatis munitissima, habens quinque turres fortissimas, quas expugnare merito non deberet totus mundus. Multæ sunt in ea sanctorum reliquiæ. Origenes ibi sepultus est, & sunt ibi columnæ magnæ marmoreæ, & aliorum lapidum, quod est stupor videre. (a) SÆC. XIII. ANNO 1230.

### *De Loco prædicationis Jesu, ubi mulier extulit vocem dicens:* Beatus venter, &c.

ANte portam ejusdem civitatis Tyrensis ad plagam Australem, ad jactum duarum sagittarum, ostenditur locus prædicationis Jesu Christi, ubi mulier extulit vocem de turba dicens: *Beatus venter qui te portavit & ubera quæ suxisti.* (b) Et lapis in quo prædicans stetit Jesus: qui locus arena nunquam operitur, licet arena illa levis sit & volatilis, sicut apud nos nives motu venti in hyeme volare solent, & cumulos magnos facere. Est enim iste locus in medio arenarum, & semper viridis remanet & æstate & hyeme, quod est in terra sancta valde rarum. Est tamen locus modicus ibidem magis viridis & herbosus, ubi dicitur mulier stetisse, quæ extulit vocem de turba, dicens: *Beatus venter, &c.* Luc. 11.

### *De Civitate Sarepta.*

INde ad quatuor leucas est Sarepta Sidoniæ in littore maris, ante cujus portam ostenditur locus ubi Helias venit ad viduam Sareptam: deinde est etiam quædam Capella ædificata, ubi ejus filium suscitavit, (c) & ubi erat Cænaculum in quo quievit. Sarepta.

### *De Civitate Sidon.*

DE Sarepta ad duas leucas est Sidon quondam magna, cujus ruinæ adhuc ejus magnitudinem attestantur, quæ etiam vix crederentur si scriberentur. Est tamen de ipsis ruinis alia modica civitas ædificata, munita multum, si haberet defensores, & est fere tota in corde maris sita, habens hinc inde duo castra munita multum, unum in colle contra campum, aliud in rupe quadam in corde maris, quod ædificaverunt ibidem Teutonici peregrini, & modo omnia ista cum terra adjacente sub dominio sunt militiæ templi, terra fertilis & amœna, abundans omnibus bonis, & aëre suavissimo, & non vidi locum in terra mihi magis placentem. (d) Sidon.

### *De* Altilibano*

* *Antilibano.*

† ALtilibanus distat ab ista civitate per leucam & (e) dimidiam, & ibi habetur vinum delicatissimum, de quo dicit Propheta: *Memoriale tuum ut vinum Libani.* † *Antilibanus.* *Ose.* 14.

### *De loco & Capella, in quo dixit Dominus mulieri Chananeæ, & sanavit filiam ejus, &c.*

ANte (f) portam Sidonis ostenditur una Capella in qua & celebravi, in quo loco locutus est Dominus mulieri Chananeæ, & sanavit filiam, in via quæ ducit Cæsaream Philippi, & in Ituream.

### *De Civitate Berythus.*

ULtra Sidonem ad novem leucas est civitas valde nobilis & antiqua, dicta Berythus, ubi etiam dicitur Dominus prædicasse, ubi etiam Judæi ejus (g) imaginem illudentes, & eam crucifigentes de Pascha sancta, ut dicitur, sanguinem de ipsa in magna quantitate miraculose sudasse, quæ etiam in magna veneratione habetur per totum orbem. Berythus.

Hucusque contra partes Aquilonis processi, cætera loca usque in Laodiciam non vidi, sed ex relatione didici nobiles ibi esse civitates, quas Christiani incolunt, in littore maris sitas.



(a) Additur in editione Amstelodamensi: Est sedes Archiepiscopalis in hac urbe, *Tyro scilicet*, habens sub se ecclesias Sidoniensem, Acconensem, Paneensem & Berytensem. BASN. (b) Hæc desunt usque ad finem paragraphi in edit. Amstelodamensi, sed adjicitur: A Tyro tribus fere leucis aquilonem versus miscetur Eleutherus fluvius, mari magno ab Ithuræa sive Galilæa gentium prorumpens, de quo mentio in libro Machabæorum. BASN. (c) Hoc deest in Edit. Amstelodamensi, sed adjicitur: Habet hodie locus ille vix octo domos, at ruinæ adhuc cernuntur antiquæ suæ magnificentiæ indices. BASN. (d) Diversa plane est edit. Amstelodamensis, quanquam eadem quodammodo referat. BASN. (e) *Dimidiam* non habet edit. Amstelodamensis, sed alia quædam adjiciuntur. BASN. (f) Desunt illa in edit. Amstelodamensi usque ad finem paragraphi. BASN. (g) Hæc desunt in editione Amstelodamensi, quæ quædam plane diversa subjecit. BASN.

Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1230.

## De (a) Cybelech, & civitate Tripolis, &c.

ET primo post Berythum ad novem milliaria (b) Cybelech, quæ in Ezechiele ubi de Tyro agitur (c) *Byblium* appellatur: deinde ad novem milliaria Tripolis est, quæ est civitas nobilis & munitissima, sicut Tyrus, abundans tam in pomeriis & vineis, quàm in aliis commoditatibus & bonis omnibus mundi. (*a*)

(a) *Giblec.* Tripolis
(b) *Giblec. Ezechiel.* 27.
(c) *Gyblium.*

## De fonte hortorum, qui fluit impetu de Libano, ut in Cantico Salomonis, &c.

JUxta hanc Civitatem est fons hortorum fluens impetu de Libano, qui amœnitate sua commendat mirabiliter totam terram. Juxta hunc etiam in ipso fundo maris, de mediis aquis ejus, erumpit fons dulcis & bonus valde, de quo hauriunt aquam cives illi.

## De Civitate Laodicia.

Laodicea. LAodicia est nobilissima & maxima civitas, quæ communis est Christianis & Saracenis. De cujus ruinis & structuris mirabilia referuntur. Post hanc sequitur Cœlesyria, in qua est Antiochia, deinde Armenia minor, quæ etiam Cilicia sive Lycia, vel certe Lycaonia dicitur, in qua est metropolis Tarsus, civitas unde fuit Paulus. Hucusque contra lineam Aquilonis sufficiat processisse. Transeamus jam versus Orientem, & incipiamus de civitate, quasi de centro, quæ dicitur sic.

## De Civitate Jotapata. (b)

Jotapata. IN hac distinctione Orientali cum aliis quas omitto, est Jotapata civitas, quam Joseph munierat contra Romanos, & in ea obsessus & captus fuit, sicut ipse testatur. Et fuit munita valde, & monstrantur ejus ruinæ usque in præsentem diem. Ista distat à Tyro octo leucas contra Orientem sita.

(d) *Belenas.*

## De Civitate (d) Balenas

Dan. DEinde contra Damascum procedendo ad sex leucas occurrit (e) Balenas in pede Libani sita, quæ prius (*c*) Lesem vocabatur, & cum esset procul à Sidone ferè ad decem leucas, & cum nemine quidquam societatis haberet, sita in regione (f) Rohab, ceperunt eam filii Dan, & appellarunt eam Dan, nomine patris sui. Unde sepe dicitur: *Congregatus est populus omnis à Dan usque Bersabee*, postea Philippus Tetrarcha appellavit eam Cæsaream Philippi, in memoriam sui & honorem Tyberii Cæsaris, dicta est etiam Paneas, Græcè.

(e) *Belenas.*
(f) *Rohob.* 2. *Reg.* 17. *& alibi.*

## De duobus fontibus Jor & Dan.

DEhac, hinc inde in declivi latere montis Libani oriuntur duo fontes, Jor & Dan, qui post modicum confluentes efficiunt Jordanem, qui post longos circuitus mare Galileæ, medio tamen loco inter Galileæ mare & civitatem (g) Balenas Jordanis fluvius quandam vallem ingreditur & in stagnum colligitur, quod dicitur aqua (h) Maron. De hoc in Josue legitur. Hæc aqua tempore æstivo præ magna parte exsiccatur, & crescunt pro magna parte ibidem arbusta & herbæ multum condensæ, & tunc latitat ibi multitudo leonum & ursorum & aprorum, & sunt ibi venationes Regiæ.

(g) *Belenas.*
(h) *Merom. Josue* 11.

## De Civitate (i) Sedes.

(i) *Cedes.*

(k) *Cedes.* (k) SEdes Neptalim de qua fuit Barach, est civitas fugitivorum, nobilis & abundans omnibus bonis; in ista autem magnæ ruinæ ostenduntur & sepulchra gloriossima antiquorum.

## De Monte (l) Mensæ.

(l) *Christi.*

(m) *Christi.* DE Sephel ad duas leucas contra Orientem super mare Galileæ modico intervallo est mons (m) Mensa, in quo pavit Dominus quinque millia hominum, & fecit sermonem ad discipulos & descendens tetigit leprosum, (*d*)

De

(a) Addit edit. Amst. in laudem hujus urbis: quæ habet incredibilem numerum hominum, qui soli serico texendo vacant. BASN. (b) Hæc & quæ sequuntur differunt multum in edit. Amstel. c. III, & IV. usque ad *antiquorum*. BASN. (c) Hæc olim Paneas dicebatur, vel potius Lais. (d) Multo plura legas in edit. Amstel. c. IV. p. 173.

Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1230.

### *De regione quæ dicitur Traconitidis.*

Traconitis.

REgio quæ appellatur Traconitidis de eo eſt, quod terra illa omnino aquis fluvialibus careat, & indigenæ de aquis pluvialibus collectis in Vellzilibus & ciſternis per trahones aquas de loco ad locum oportunum ducant, ut ſe & pecora ſua alant.

### *Sequitur de quarta Orientali parte illius terræ.*

HUjus principium, ſicut omnium aliorum, incipit in Accon, procedit directe contra ortum Solis æquinoctialem juxta latus caſtri Sephet auſtrale, in pede montis qui vocatur (a) Menſa. In quo loco apparuit Dominus ſeptem diſcipulis piſcando poſt reſurrectionem. Procedendo igitur de Accon per primam diviſionem quartæ Orientalis partis ad quinque milliaria de Accon, occurrit caſale quoddam, quod dicitur (b) ſanctus Gregorius, ubi dicitur idem ſanctus natus eſſe.

(a) *Chriſti.*

(b) *Georgius. Georgii patria.*

### *De Neptalim & Bethſaida civitatibus, & caſtello Magdalo.*

Betſaida.

DE Naaſon ad duas leucas contra Orientem, & de Bethſaida ferè ad tres, Neptalim civitas Tobiæ, nunc eſt caſale valde modicum; de Neptalim ad duas leucas contra Orientem ſuper mare Galileæ, Bethſaida civitas Andreæ & Petri & Philippi Apoſtolorum. Inde ad duas leucas contra meridiem, Magdalum caſtellum ſuper mare Galileæ, à quo Maria Magdalena dicitur oriunda, cujus domum ibidem vidi & intravi.

Variat hic edit. Amſt. c. v. p. 174.

### *De (c) Naaſon.*

(c) *Nahaſſon.*

INde ad Auſtrum fere ad duas leucas (d) Naaſon, de quo legitur in Tobia, & inde valde modicum de Neptalim ad eandem plagam ad duas leucas, Dothaym oppidum valde amœnum ſub monte Bethuliæ, ubi Joſeph invenit fratres ſuos, & Heliſæus circumdatus eſt à Syriis, & duxit eos in medium captivitatis Samariæ.

(d) *Nahaſſon. Tobiæ. 1.*

### *De loco ubi ſtetit Jeſus in littore maris, quando dixit ſeptem diſcipulis piſcantibus:* Pueri! nunquid pulmentarium habetis?

DE Bethſaida ad unam leucam contra Orientem eſt locus, ubi ſtetit Jeſus in littore maris, quando dixit diſcipulis ſeptem: *Pueri! nunquid pulmentarium habetis?* cujus adhuc ibidem veſtigia in littore oſtenduntur, & inde non ad medietatem jactus lapidis eſt locus ubi viderunt prunas poſitas & piſcem ſuperpoſitum & panem: Et eſt in pede montis, in quo pavit quinque millia hominum, & ſanavit leproſum, & fecit ſermonem eis.

*Joan 21.*

### *De civitate Capharnaum & Corozaym nunc deſertis, & monte Seir, & Cedar civitate, &c.*

Capernaum.

DE loco iſto ad leucam & dimidiam contra Orientem eſt Capharnaum, civitas quondam glorioſa, ut ejus ruinæ adhuc oſtendunt, ſed nunc valde vilis, ita ut ferè impletum ſit verbum Jeſu Chriſti: *Et tu Capharnaum, ſi in cœlum aſcenderis, in infernum demergeris.* De Capharnaum ad duas leucas contra Orientem Jordanis fluvius intrat mare Galileæ, in cujus ulteriori littore videntur adhuc ruinæ Corozaym in littore maris Galileæ. In hoc loco incipit aſcenſus Seir montis, ſive Idumeæ, de Corozaym ad quatuor leucas contra Orientem in monte Seir eſt Cedar ſita, civitas munita, & quondam glorioſa valde, in alto monte ſita. (a)

*Math. 11.*

### *De Cana Galilææ.*

Cana.

IN ſecunda diviſione hujus quartæ partis Orientalis primo poſt Accon ad quatuor leucas occurrit Cana Galilææ, ubi Dominus aquas convertit in vinum, & oſtenditur hodie ibi locus ubi ſteterunt hydriæ, & triclinium ubi erant menſæ. Sunt tamen hæc loca, ſicut omnia Terræ ſanctæ ubi Dominus legitur operatus fuiſſe, ſub terra, & deſcenditur ab ea interdum per multos gradus, ut locus annuntiationis, nativitatis & iſta in Cana Galilææ, & cætera ferè omnia loca ſancta, cujus non puto aliam eſſe cauſam, niſi quod per frequentes deſtructiones ruinæ ſuperius ſunt complanatæ, & nihilominus Chriſtiani ſemper vera loca, in quibus hoc vel hoc accidit, ad ea inveſtiganda nituntur, in quantum poſſunt.



(a) Juxta montem Sanir infimo loco ſita. edit. Amſtel.

Digitized by Google

SÆC. XIII.

## *De monte Bethuliæ & Civitate Tiberias.*

ANNO 1230.

DEinde versus Tiberiadem super Dothaym est mons Bethuliæ, ubi Judith occidit Holofernem, locus munitus valde, sed penitus desertus, ubi locum castrorum Holofernis & vallem in qua se lavit Judith, & quam gyravit in Bethuliam redeundo, diligentissimè investigavi. Mansi enim in Dothaym una nocte. De Bethulia ad sex leucas super mare Galilææ Tiberias civitas, olim (a) Cenoroch dicta, est. (a) Unde & mare Galilææ aliquando mare (b) Cenoroch dicebatur, sed ab Herode Tetrarcha Tiberias est appellata: Est autem civitas magna valde, & sunt balnea ibi medicabilia in littore maris, & est ejus in circuitu terra fertilis supra omnem modum.

Tiberias.

(a) Cenereth.

(b) Cenereth.

## *De civitatibus (c) Sephorum, Nazareth & monte Tabor.*

(c) Sephoris.

(d) Sephoris.

DE Cana Galilææ ad duas leucas contra austrum est (d) Sephorum civitas, de qua narratur Joachim, pater beatæ Virginis Mariæ, oriundus fuisse. Inde ad duas leucas ferè contra austrum, sed aliquantulum declinando ad Orientem, Nazareth civitas est sita illa dilecta, ubi flos ille florum de radice Jesse pullulavit (b): distat autem ab Accon per septem leucas; de Nazareth ad tres leucas mons est Tabor, in quo transfiguratus est Dominus, ubi hodie ostenditur tabernaculorum locus in pede montis, ubi Melchisedech occurrit Abrahæ à cæde Regum revertenti. In hoc monte sunt ruinæ maximæ palatiorum & diversorum ædificiorum, in quibus latitant leones & multæ aliæ bestiæ, & sunt ibi Regales venationes in bestiis & avibus. In descensu ejusdem montis est una Capella, ubi dixit Dominus: *Nemini dixeritis visionem.*

Nazareth.

*Matth.* 17.

## *De torrente Cison & monte Hermon & Naym civitate.*

Naym.

IN descensu ejus Orientali est torrens Cison, ubi Barach pugnavit cum Sisara, ultra torrentem contra Austrum, sed aliquantulum contra Orientem, est mons Hermon modicus. Unde dicitur in Psalmo. In cujus latere super torrentem Cison est villa Endor, ubi ad instantiam Saulis Pythonissa suscitavit Samuelem, deinde à Nazareth ad quatuor leucas, de monte Tabor ad tres leucas est altus mons Hermon. In cujus latere Aquilonari est civitas Naym, ubi suscitavit Dominus filium viduæ extra portam. Iste mons ab isto loco extenditur contra Orientem versus mare Galilææ ferè ad quinque leucas, & terminatur non longè ab illo loco ubi Jordanis intrat mare Galilææ.

*Psal.* 41.

Diversa penitus est edit. Amstel. c. VII.

## *De monte Carmelo & monte Cain & Mageddo.*

Carmelus.

IN tertia divisione hujus quartæ partis Orientalis de Accon ad quatuor leucas contra Austrum est prima pars montis Carmeli, & locus ubi Helias occidit Sacerdotes Baal in torrente Cison, in pede montis ejusdem. Postea ad quatuor leucas bonas Cain mons, ubi Lamech occidit Cain. Postea Mageddo mons, ubi mortuus est Ochozias Rex Juda, ubi occisus est etiam Josias Rex Juda à Rege Ægypti. Huic loco adjacet campus magnus, qui Mageddo dicebatur, in Judith autem campus magnus Esdrelon. Est autem in rei veritate campus iste planities Galileæ, quæ cingitur ab Oriente mari Galilææ & Jordane, ab Austro monte Effraym & Samaria, ab Occidente partim monte Effraym, partim monte Carmelo, ab Aquilone montibus Phœniciæ, qui Phœniciam dividunt & Galilæam, & habet in longitudine quinque milliaria plenè Teutonica vel amplius, fertilis supra modum vini & frumenti, & omnium bonorum, quæ gignere solet humus, & aëre saluberrimo, si esset in manu Christianorum.

*Judith.* 1.

## *De Civitatibus Sunna & Bethsan & fonte Jezrahel, & civitate quondam Regali Jezrahel nomine.*

Hermon

Sunna.

IN latere montis Hermon est civitas Sunna, de qua fuit Sunnamitis, quæ suscepit Helisæum, cujus etiam filium suscitavit: ubi Philistini castra metati sunt, quando Saul venit in Gelboë, unde etiam fuit Sunnamitis illa, quæ calefecit David. Inter Jordanem & montem Gelboë est civitas antiqua Bethsan: In cujus muris Philistæi suspenderunt corpus Saul & filiorum ejus, estque locus delitiosus nimis. De Bethsan quatuor leucis in pede montis Gelboë fons est Jezraël, ad quem Philistini transtulerunt castra sua de Sunna civitate; De isto fonte ad dimidiam leucam est Jezraël, civitas quondam Regalis, nunc vix habet viginti domos; in pede Occidentali montis Gelboë sita, ubi adhuc vidi agrum Naboth Jezrahelitæ.

Vide edit. Amstel. c. VII. p. 176.

De

(a) Legitur in edit. Amstel. Cinereth. BASN. (b) Ubi Christus conceptus & educatus est, edit. Amstel. BASN.

Digitized by Google

SÆC. XIII.

### *De montibus Gelboë & Hermon monte, &c.*

ANNO 1230. Gilboa & Hermon.

MOns Gelboë & Hermon ita sunt dispositi, ut Hermon sit ab Aquilone, & Gelboë ab Austro, & in medio sit planities duarum leucarum lata, & quatuor leucarum longa, & protenditur longitudo ejus ab Oriente ad Occidentem, & latitudo ab Aquilone in Austrum. In ista planitie sæpe magni conflictus sunt habiti, ibi enim Gedeon superavit Madianitas. Item Saul superatus est à Philistæis, & alii etiam nostris temporibus. Tartari cum Saracenis ibidem habuerunt conflictum magnum. Ista planities est principium vallis quæ dicitur illustris, propter sui fertilitatem, & extenditur de fonte Jezrahel usque ad planiciem Iericho & finem Iordanis ad mare mortuum, Iezrahel civitas est in pede Occidentali sita montis Gelboë; Nec est verum quod dicitur de monte Gelboë, quod in eo nec ros nec pluvia descendat; Quia cum in die sancti Martini essem in valle Jezrahel sub monte, vidi pluviam maximam super montem, quæ etiam aquæ ad nos descenderunt de monte, verum est, quod sterilis est & aridus & petrosus, sicut penè omnes montes in Israël.

### *De Galilæa & Civitate Samaria, nunc Sebaste.*

GAlilæa ferè tota est campestris & plana; sed Samaria est omnino montuosa. Samaria civitas nunc Sebaste dicta, quondam caput regni Israël, nunc, peccatis exigentibus, nec unicam habet domum, nisi tantum duas Ecclesias, in summitate montis unam, ubi quondam fuit palatium Regis, in proximo (a) ubi quondam decollatus dicitur Joannes Baptista ab incolis Græcis, demonstrantes ibidem carcerem, in quo eum decollatum dicunt, quod tamen falsum reputo, quia Chronica & Josephus dicunt eum decollatum in castro Macherunte, quod est ultra Jordanem in terra Galaad, scil duarum tribuum & dimidiæ, & nihil omnino potestatis habuit Herodes in Samaria, sed erat Judæa & Samaria in procuratione Pilati. Sacra Ecclesia est etiam in honore sancti Joannis Baptistæ, in qua sepultus fuit inter Helisæum & Abdiam, & vidi sepulchrum ejus, sed non intravi, quia Saraceni fecerunt sibi inde Mameriam. Tales autem ruinas non vidi in terra sancta, cum tamen multas & magnas viderim, sicut in Samaria, nec est ita disposita civitas, ut videtur velle Magister in historia, super verbo isto: *Si suffecerit pulvis Samariæ pugillis omnis populi qui sequitur me.* Video enim velle, quod murus civitatis & superficies montis erat æqualis, & super civitas ædificata, quod non erat; imò murus civitatis erat fere in pede montis, firmus valde turribus, & interius mons paulatim surgens in altum & circumseptus ædificiis, quasi botrus uvæ granis consitus, & tendens in altum. Regia domus erat supra in monte pulchra nimis, ubi videntur adhuc columnæ innumerabiles, quæ sustentabant palatia & deambulatoria, & in circuitu montis infra sub regia domo & mansionibus militum, in loco ubi erat forum rerum venalium, adhuc ferè per totum circuitum circumdant columnæ marmoreæ montem stantes hinc inde, quæ continebant testudinem platearum. Breviter, nescio quid magni non posset dici de civitate ista, quæ ad tantam miseriam nunc devenit, ut nulla penitus sit in ea domus, sed sit tantum vinea & hortus olerum; sicut voluit facere Achab, Rex ejus, juxta palatium suum, quod habuit in Samaria, de vinea Naboth Jezrahelitæ, & justo Dei judicio sic factum est. Situs hujus urbis erat pulcher valde, inde enim erat prospectus usque ad mare Joppes & usque Antipatridem & Ramatham, per totum montem Effraym usque Cæsaream & Carmelum montem, & abundabat fontibus & hortis & omnibus bonis, quæ requirit mundus.

Samaria.

(a) *forte* vico.

Plurima desunt, in edit. Amst.

3. *Reg.* 20.

### *De civitatibus Therfa & montibus Bethel & Dan & Sichem, &c.*

DE Samaria ad tres leucas Thersa civitas in monte sita est, in qua erat Regnum prius quàm in Samaria, de Sebaste contra Austrum duabus leucis mons Bethel. Inde ad dimidiam leucam est mons Dan supra civitatem Sichem ad sinistram. In quibus duobus montibus Jerobeam, filius Naboth, posuit duos vitulos aureos. Inter montes istos sita est civitas Sichem, quæ Neapolis dicitur, omni amœnitate abundans, ut verè locus delitiarum dici possit; sed munita non est, nec ullo modo muniri potest, nec aliud restat nisi quod hostibus intrantibus ab Aquilone, cives ad Austrum fugiant, si sint pauciores hostibus.

### *De puteo Jacob & monte Garizym & Galgala & monte Quarentena & fonte Helisæi, & Jericho civitate, &c.*

NOn longe à porta ejus est puteus Jacob, ubi Dominus sedit sitiens super fontem. Super fontem illum ad dextram est Garizym, ubi est adhuc antiquum fanum Jovis, & est ibi hospitale, de quo dicitur secundo libro Machabæorum, quem etiam locum

Garizim.

Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1230.

cum dicitur mulier intimaſſe, quando dixit ad dominum: *Patres noſtri in monte hoc adoraverunt.* Ad ſiniſtram autem fontis Jacob oſtenditur hìc manſio Jacob & prædium quod dedit filio ſuo Joſeph. Galgala ubi caſtra metati ſunt & filii Iſraël, tranſito Jordane & monte Quarentena, ubi etiam circumciſi ſunt, & multa alia facta ſunt, pluribus nota. De Galgalis ad dimidiam leucam eſt mons Quarentena, ubi jejunavit Dominus quadraginta diebus & quadraginta noctibus, & tentatus eſt. Sub ipſo monte oritur & effluit fons Heliſæi, quem de ſterili fertilem, de amaro potabilem fecit. De Galgalis ad unam leucam eſt Jericho, civitas quondam nobilis, nunc ita vilis, ut nec veſtigium ſit, quod ibi civitas fuerit.

## *De Jordane & mari mortuo.*

Jordanes. (a) *Aenon.*

DE Jericho ſunt duæ leucæ ad Jordanem contra Orientem, ubi oſtenditur Capella in honore ſancti Joannis Baptiſtæ, ubi Chriſtus creditur baptiſatus fuiſſe. Putatur tamen à nobis melius Chriſtus baptiſatus fuiſſe juxta (a) Elorium & Salim, non longe à monte Gelboë, in Bethania, quæ eſt ſupra Jordanem. Tribus leucis de Jericho, & duabus de Capella ſancti Joannis, contra Auſtrum eſt mare mortuum. In cujus littore Orientali ſita eſt Segor in parte Arabiæ, ubi eſt ſtatua ſalis, in quam verſa fuit uxor Loth, ad quam videndam multum anhelabam; ſed dixerunt mihi Saraceni in Jericho, quod diſtabat per duas diætas, & erant loca per quæ tranſitus eſſet nimis periculoſus, propter leones & vermes & beſtias alias. Propterea Budwini Madianitæ excubabant in locis illis, agentes cuſtodias circa Camelos & Dromedarios & pecora ſua, qui ſunt homines omnino ſylveſtres, nunquam ſub tecto, ſed ſemper ſub dio degentes, qui nulli parcunt ſexui vel ætati, ſed ſunt latrones crudeliſſimi, & omne quod eis occurrit, occidunt & expoliant. Et dixit mihi Admiraldus de Jericho, quod viginti Saraceni armati non poſſent tranſire loca illa. Sæpe etiam, ut dicebatur, mare illud excreſcit, ita ut operiat totam illam ſtatuam, & ſæpe videtur uſque ad genua vel pectus, loco medio ſtans inter civitatem Segor & mare. Iſti retroduxerunt me quod non proceſſi. Mare illud habet in latitudine plene ſex leucas, ſemper fumans & tenebroſum de vaporibus, quaſi ſit caminus inferni. Multa alia dicuntur de ipſo, quæ melius ipſi noſcunt, & ideo pertranſeo, mitius enim dicitur & ſcribitur de ipſo quàm ſit in rei veritate. Scire enim debetis pro certo, quia quod oculis vidi & plures alii mecum, ſecurè poſſum dicere, de vapore hujus maris tota convallis, quæ dicebatur & verè dici poterat illuſtris, à fine Auſtrali ejuſdem maris, qui eſt in deſerto Pharan uſque ad terram Thaphuæ, ferè per decem diætas, ita eſt reddita inutilis, ut nec gramen proferat, nec germen aliud omnino per totam longitudinem, quod ferè ubique eſt quinque vel ſex leucarum, niſi tantum juxta Jericho, ubi palmæ & calamellæ (b) eriguntur de fonte Heliſæi. O tremendum judicium, qui ita perſequitur peccatum Sodomorum, quod etiam terra, ut ita dicam, pœnas luat incolarum ultra quatuor millia jam annorum. A dextris nihilominus & à ſiniſtris omnes montes ſteriles ſunt ad quinque vel ſex leucas. Præterea Jordanis ipſe ſuas aquas non admiſcet ipſi mari, ſed abſorbetur à terra ad unam leucam priuſquam illuc veniat. Mare tamen inundari dicitur de pluviis & nivibus montium circumjacentium, ut de terra Moab & Ammon & aliarum regionum. Creſcunt etiam juxta idem mare poma pulcherrima & magna, quæ intrinſecus plena ſunt de favillis.

Differunt illa penitus ab edit. Amſtel. 1719.

(b) Irrigantur.

## *De civitatibus Bethel & Luza & palma Debboræ, & Anathoth, & Adomyn caſale. Sequitur capitaliter.*

Bethel.

BEthel civitas eſt in tribu Benjamin, ubi Jacob vadens in Meſopotamiam dormivit ſupra nudam humum, & lapidem ſupponens capiti, vidit ſcalam cælum tangentem &c. Errant autem qui hoc factum Jeroſolymis dicunt, quia eo tempore, imò multo prius, Jeruſalem erat civitas glorioſa. Juxta hanc eſt Luza, quæ eſt in tribu Effraym. De Bethel ad unam leucam eſt palma Debboræ. Medio loco inter palmam Debboræ & Jeruſalem, Anathoth viculus Sacerdotum in tribu Benjamin, unde fuit Jeremias. De Jericho quatuor leucas contra Occidentem, in via quæ ducit Jeruſalem, ad ſiniſtram deſerti Quarentenæ, Adomyn caſale, ubi ille qui deſcendit ab Jeruſalem in Jericho, incidit in latrones, quod etiam ibidem moderno tempore multis contingit. Locus idem Rotenburch appellatur, propter multum ſanguinem ibi fuſum, eſt enim locus ille horribilis & periculoſus valde.

## *De Bethania (c) Behurnym & Silo & Bethoron.*

(c) Bahurim.

(d) Bahurim.

INde ad duas leucas contra Occidentem eſt (d) Behurnym, unde fuit Semeus qui maledixit David, in monte albo ſitum. Inde dimidia leuca uſque ad Jeruſalem. Sed Beth-

Digitized by Google

Bethphage est in medio sita, & transit via in latere australi montis Oliveti. De Jeru- SÆC.
salem quatuor leucas contra Aquilonem est Silo, ubi primitus fuit tabernaculum fœ- XIII.
deris multis diebus. Inde ad unam leucam Bethoron superius, ad dextram viam eun- ANNO
tibus juxta Jerusalem. 1230.

Bethphage.

*De civitate Jerusalem.*

JErusalem civitas Dei summi, domina mundi, de qua dicta sunt & dicuntur glorio- Jerusalem.
sa, sita est in terra montuosa, habens ubique in circuitu terram fertilem & bonam, præterquam in Orientem & Jordanem. Distat ab Accon civitate triginta (*a*) octo leucis, quæ & ipsa contra Aquilonem, de Sebaste sedecim leucis, de Sichem (*b*) tredecim leucis, de Nazareth (*c*) septendecim leucis, & hæ omnes contra Aquilonem; de Joppe (*d*) tredecim leucis, hæc est ferè Occidentalis, sed declinat ad Aquilonem; de Iericho septem leucis, hæc est Orientalis. De Bethlehem (*e*) tribus leucis; de Thecua quatuor leucis; de Hebron octo, hæ sunt Australes. Sed quia quæ in ea facta sunt, Christi sonant Ecclesiæ universæ, non credo nisi quilibet Christianus hæc recolat devotius, omni die suo agens gratias redemptori, qui in ea est nostram salutem misericorditer operatus. Est autem sita in declivi monte dupliciter, ab Austro videlicet & ab Occidente. Ab Austro quidem sita est in latere montis Sion, imo in ipso monte & super ipsum, & ita descendit ejus longitudo de vertice montis Sion se extendens contra Aquilonem; Ab Occidente habet montem (*f*) Sion, & dependet ab ipso ejus latitudo contra Orientem usque ad torrentem Cedron sive vallem Josaphat. Est autem Jerusalem civitas valde magna, & non est verum quod quidam dicunt, eam in loco alio ædificatam esse quàm fuerit tempore passionis, argumentantes quod Dominus fuerit extra portam passus, & nunc ipse locus sit intra mœnia civitatis, & ideo sit in alio loco. Isti errant, nec sciunt quid loquantur, civitas enim in latitudine am- Hæc desunt in ed. Amstel.
pliata est, sed nihilominus civitas antiqua adhuc cum toto monte Sion est ædificata, sed pauci admodum ejus magnitudinis sunt habitatores in tota civitate pro tanta ipsius capacitate, ubicunque enim sibi placuerit, eligit quilibet mansionem, eò quod domus plures vacant; videtur autem mihi, & in hoc consenserunt, qui mecum ibi fuerunt & utramque noverunt, quod Ierusalem amplior multo sit & longior, quàm antiqua civitas Magdeburgensis, quam includit murus circumiens de sancto Georgio usque ad novam civitatem exclusivè. Dispositionem ejus antiquam diligentissime investigavi.

*De monte Sion.*

ERat autem tunc mons Sion ab Austri parte civitatis capax valde & longus, qui Sion.
ab Oriente per circuitum Austri durat usque ad Occidentem, (*g*) ubi erat turris David, ubique erat rupes prærupta, hæc vocabatur Mello. Ipsa vero turris David erat in quodam colle ipsius rupis satis eminenti, & vorago ipsa, quæ venit ab Austro montis ejusdem usque ad Occidentem, descendit circa turrem ad partem ejus Aquilonarem, gyrans eam, & ita turris ipsa in rupe & in angulo quodam sita erat. Vorago autem, quæ ipsam circumdabat & cingebat, descendebat usque ad partem Australem montis Moria, ubi nunc est porta fontis sive aquarum, & ita erat mons Sion per istam voraginem à civitate separatus.

*Sequitur de civitate David.*

Hæc erat civitas David, vorago ista nunc repleta est, sicut eam deprehendit curiosus indagator. Ab ista voragine longè infra turrim David contra Orientem erat ædificatus alius murus civitatis, qui incipiebat à pede montis Sion in parte Aquilonis & procedebat contra Aquilonem, cingens civitatem ex parte illa, & protendebatur per portam Effraym & Benjamin, & portam sterquilinii, portam vallis, & cingebat aream Templi ab Occidente, & continuabatur cum muro montis Sion. Situs in civitate sic est dispositus sicut dictum est, quod ab Austro, hoc est, à monte Sion est elevatus, & per totum similiter latus Occidentis, & in parte Orientis omnino est demissus, ita ut sordes civitatis pluviæ tempore descendant per portam sterquilinii in torrentem Cedron, ubi erat hortus.

*Sequitur de monte Moria.*

MOns quoque Moria in quo est Templum, ædificium & palatium Regis, nunc de- Mons Moria.
missiora sunt, quàm ipsa porta sterquilinii. Sed non fuit sic ab antiquo, quia de-



(*a*) Triginta sex, edit. Amstel. (*b*) Octo, edit. Amstel. (*c*) viginti septem, edit. Amstel. (*d*) Octo edit. Amstel. (*e*) Duabus, edit. Amstel. (*f*) Gion, edit. Amstel. (*g*) Consule Ed. Amst.

Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1230. depositus fuit mons per Romanos, & missus in torrentem Cedron cum omnibus ruinis Templi & atriorum, quod adhuc palam est videre. Area templi quadrata est, & habet in longitudine & latitudine plenè jactum unius arcus. Iuxta aream Templi ad Aquilonem super murum civitatis adhuc cernuntur vestigia turris Ananeel sive Nebulosæ sive Ophel, & est adhærens portæ vallis.

*Sequitur de probatica piscina, & piscina interiori, & valle Iosaphat, & de sepulchro beatæ Virginis.*

INtrantibus portam vallis ad sinistram occurrit juxta viam probatica piscina, ad dextram verò contra eam, via intermedia, est piscina grandis valde, quæ dicebatur piscina interior, hanc fecit Ezechias hoc modo: obthuravit superiorem fontem aquarum Gion, quæ prius fluebant in piscinam superiorem, sicut & aquæ Siloë, & avertit eum subter ad Occidentem turris David, incidens ferro petram, sicut dicitur in scriptura, & introduxit aquas ejus per medium civitatis in piscinam ipsam, ut in obsidione haberet aquam populus ad bibendum, nec possent eos Assyrii impedire. Vallis Iosaphat licet adhuc sit valde profunda, multum tamen est impleta, quod palam est videre. (*a*) Sepulchrum enim beatæ Virginis glorioſæ, quod, ut creditur, tunc erat in superficie illius vallis, nunc est sub terra longe, in tantum, quod Ecclesia ipsa glorioſæ Virginis Mariæ cum sit valde alta & testudinata, cum ipso sepulchro penitus sit sub terra, & vallis desuper tota plena. In superficie tamen vallis est ædificium modicum quasi unius Capellæ, quod postquam quis intraverit, oportet per gradus in Ecclesiam descendere ad sepulchrum beatæ Virginis.

2. *Paral.* 32.

*Sequitur de Capella Gethsemani sic dicta.*

Gethsemane. JUxta hanc Capellam ferè ad viginti pedes est alia Capella, quæ vocatur Gethsemani, in latere montis Oliveti adhærens rupi, sub qua Apostoli erant somno gravati, & ostenduntur adhuc ibidem eorum sessiones in lapide, & locus captivitatis Iesu Christi, & impressio Calvariæ ejus superius in rupe & lineamenta verticis & capillorum, & in lapide alio impressio digitorum ejus, quam impressionem dicitur fecisse lapidem apprehendendo, cum caperetur à ministris: Et mirum valde, quod de ipso lapide nec pulvis, ut ita dicam, ullo malleo, nec alio instrumento depromi potest, tamen in eo ita plane apparet impressio dulcis Iesu digitorum, ac si butyreus fuisset lapis ille.

*De Agonia Iesu & sudore sanguineo ejus.*

INde ad jactum lapidis contra Austrum est locus ubi Iesus oravit, & sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrebat in terram, ubi etiam similis lapis est habens impressiones genuum & lacertorum manuum & digitorum, de quo similiter nihil potest depromi ullo instrumento vel ingenio. Inter hunc locum & Gethsemani ascendit via quæ de Ierusalem ducit in montem Oliveti & Bethaniam & ad Iordanem.

*Sequitur de sepulchro Iosaphat & fonte Siloë, & Natatoriis Siloë, & fonte Gion, & Aceldemach & torrente Cedron.*

DE isto loco ad magnum jactum lapidis est pyramus Iosaphat in pede montis Oliveti. In fundo vallis sepulchrum Iosaphat. Et contra eam in pede montis Sion est fons Siloë, de quo colliguntur aquæ in piscinam inferiorem, quæ natatoria Siloë appellatur, in pede montis Sion. Accedit tamen ad easdem etiam piscinas fons Gion inferior, ministrans eis aquas, situs in pede montis Sion contra agrum fullonis, ubi est ductus aquæ, de quo legitur Isaiæ, *ad extremum aquæ ductus piscinæ superioris.* Iuxta natatoria Siloë, contra Austrum, ad jactum lapidis, ultra vallem est Aceldemach, ubi est sepultura peregrinorum. Infra verò natatoria Siloë & Aceldemach est torrens Cedron, qui colligitur de superioribus partibus civitatis versus Aquilonem, juxta Rama & Anathot, & (*b*) longe de sepulchro Dominæ nostræ sanctæ Mariæ auditur ejus murmuratio sub terra descendens juxta natatoria Siloë sub monte offensionis in vallem Tophet sive Gehennon.

*Isaiæ.* 7.

*Se-*

(*a*) Deficiunt in edit. **Amstel.** sed alia habentur circa vallem Josaphat. BASN. (*b*) Non longe, edit. Amstel.

Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1230.

*Sequitur de lapide Zoëleth, & fonte Rogel, & Ecclesia sancti sepulchri, & spelunca sancti Sepulchri, & de loco Golgotha, & de loco ubi inventa est crux Christi.*

IN valle Thophet sive Gehennon est lapis Zoëleth & fons Rogel, ubi Adonias immolavit victimas volens regnare, & sunt ibi loca & Jardini amœnissimi propter aquas quæ illos irrigant. Multæ Ecclesiæ sunt in Ierusalem & tot devotionis loca, quod nullo modo in die sufficit homo ad peragrandum. Ecclesia sepulchri sancti rotunda est, sed Golgothana oblonga, & utraque tegitur uno tecto. Spelunca Sepulchri Domini habet octo pedes longitudinis & latitudinis: Similiter spelunca ante ostium Sepulchri tantundem, & in medio ejus stat lapis, qui fuerat ostio monumenti advolutus. Locus Golgotha sive Calvariæ distat ab isto loco per centum (*a*) triginta pedes: Locus ubi erat crux fixa, distat à superficie terræ triginta octo pedibus, hoc est, à pavimento Ecclesiæ. Locus ubi inventa erat crux, distat à Calvaria per decem pedes, & est inferior pavimento Ecclesiæ contra Orientem viginti pedibus. Golgotha.

*Iuxta quam partem crucis beata Virgo Maria steterit.*

BEata Virgo Maria non stetit sub cruce ad Aquilonem, ut quidam fabulantur, sed contra faciem filii ad Occidentem, aliquantulum tamen declinans ad Austrum. Monstratur enim usque in hodie locus, & à fidelibus veneratur, ubi cum aliis mulieribus ipsa stetit. Ego per totam noctem à nona diei hora usque in tertiam sequentis, adoravi in Golgotha, ita quod non recessi; & celebravi ibidem, ubi ille bonus Iesus seipsum obtulit in sacrificium Deo Patri, Missas de passione, & legi passionem secundum Ioannem, ubi fuit ipsa passio celebrata.

*Sequitur de situ Ierusalem & monte Silo, & Emaus, & Bethlehem & de turri Gregis.*

JErusalem sita est in montibus altissimis, ita quod in ea plane videtur Arabia, & terra Moab, & Ammon, montes Phogor, Nabo, Phasga, & tota terra usque ad Petram deserti. Cum insuper montana, quæ sunt circa campestria Iericho, sint alta supra modum, & paulatim ascendant usque ad montem Oliveti, diligentius considerabam omnes montes paulatim descendere usque in Iericho & Iordanem. Attamen mons Silo, qui distat à Ierusalem quatuor leucis, altior est civitate Ierusalem & locis & montibus omnibus terræ sanctæ. De Ierusalem ad tres leucas vel plus contra Occidentem est Emaus, ubi Dominus agnitus est in fractione panis. De Ierusalem usque in Ramatha, ubi natus fuit Samuel, quæ etiam Arimathia dicitur, unde fuit Ioseph nobilis Decurio, octodecim leucæ. De Ierusalem ad duas leucas contra Austrum Bethlehem sita est in sinistra parte viæ, quæ ducit Ebron, ad jactum arcus, prius tamen occurrit sepulchrum Rachelis ad dextram venientibus de Ierusalem in Bethlehem. Ad Orientem de Bethlehem ad jactum quinque vel sex arcuum est turris Gregis, ubi Angeli apparuerunt pastoribus. Bethlehem sita est in monte longo, licet arcto, ab Oriente extendens se in Occidentem, in cujus fine Orientali, sub rupe quadam, quæ erat in quodam diversorio, illuxit nobis Oriens Sol justitiæ, Christus Deus noster. Juxta rupem autem illam contra Occidentem ad quatuor vel quinque pedes dependet rupes alia capacior, sub qua erat præsepium jumentorum, in quo fuerat dulcis ille Jesus reclinatus. Non vidi ego, nec alium audivi, qui dixerit se vidisse in toto orbe terrarum Ecclesiam ita devotam *sicut Bethleemitanam. Sunt enim in ea columnæ nobilissimæ & pulchritudine & multitudine & magnitudine stupendæ. Præterea structura Ecclesiæ desuper columnas usque ad tectum, tota est facta opere musivo & nobilissimo & pulcherrimo. Totum pavimentum Ecclesiæ stratum est marmore diversorum colorum & generum, parietes ex omni parte tecti sunt tabulis marmoreis, quarum pretium in opinione non posset æstimari. Incredibilia dici possent & scribi de Ecclesia ista. Capella etiam in qua est præsepe, tota facta est opere musivo, & strata marmore. Saraceni in veneratione habent Ecclesiam illam præ cæteris Ecclesiis B. Virginis. Omnes tamen Ecclesias ejus multum venerantur. Vidi tamen in ista Ecclesia signum, quod mihi videtur, & merito, memoriæ ad laudem Virginis commendandum. Jerusalem. Hæc desunt in ed. Amstel. *decoratam.

*Nota Miraculum.*

SOldanus enim, nunc mortuus, videns ornatum hujus Ecclesiæ & tabulas parietum pretiosas, mandavit eas deponi & duci in Ægyptum, ut inde palatium suum in Babylo- Miraculum in Eccl. Bethleemitana.



(*a*) Centum & octo. edit. Amstel. BASN.

Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1230. bylonia decoraret. Mira res, artificibus cum inſtrumentis accedentibus, adhuc ipſo Soldano adſtante & videnté, de ſano & integro pariete, quam nec acus penetrare videbatur poſſe, ſerpens immanis exivit, primæ tabulæ marmoreæ quæ occurrit, morſum ſuum in medio dedit, per medium latitudinis per transverſum confracta eſt. Secundam adiit & tertiam, quartam, quintam, & ſic per ordinem ad altitudinem duodecim pedum à terra uſque ad octavam decimam tabulam, & tunc ſtupentibus omnibus qui aderant & ipſo Soldano territo, & animum quantocyus revocante, ſerpens omnino diſparuit. Remanſit igitur tabula in Eccleſia & remanet uſque hodie, ut prius tabulas ipſas vidi & numeravi decem & octo ſic diviſas. Veſtigia igitur tractus corporis ſerpentis in ſingulis tabulis apparent notabiliter quaſi combuſtio quædam facta igne. Et ſuper omne mirabile videtur quomodo ſerpens ille ſic procedere potuerit per transverſum in pariete, qui erat planiſſimus & politiſſimus ſicut vitrum.

*Sequitur de cella S. Hieronymi.*

VIdi etiam ibi cellam ſancti Hieronymi, lectum ejus & ſepulchrum, & clauſtrum Monachorum; locum interfectionis Innocentium; Eccleſiam beatæ Paulæ & Euſtochii; Item ciſternam, in quam ſtella, dux magorum, dicitur cecidiſſe.

* Supra Bethlehem videl.

*Sequitur de montibus iſtis omnibus, ſupra vide *.*

BEthlehem contra Orientem ad ſex leucas, ſunt montes Engaddi & loca tutiſſima: Latibula David, ſuper mare mortuum, ubi erant vineæ Balſami. Inde ad tres leucas contra Auſtrum (a) Achyle, ubi etiam latitavit David. De Engaddi ad tres leucas, de (b) Achyle ad leucas duas, Ceila, quam conſervavit David à Philiſtæis; De Ceila ad ſex contra Auſtrum Cyph, caſale, ubi habitabant proditores David: cui adjacet deſertum Moab, Maon, in qua habitabat Nabal Carmelus. Inter Ceila & Bethlehem medio loco Thecua, ubi Amos Propheta dormivit. Cui ad Occidentem adjacet deſertum Thecuæ. Poſtea ſequitur mons Seir & deſertum magnum, ubi morati ſunt filii Iſraël quadraginta annis. De Bethlehem contra Occidentem quatuor leucis Betchar, villa in loco eminenti ſita, juxta quam ſtans cum ſociis duodecim vidi ab Oriente Arabiam totam, & mare mortuum uſque ad montem, & omnia loca latibulorum David. Ab Occidente vero mare magnum uſque Joppe & Ramatha, omnes quinque civitates Philiſtinorum uſque ad ultimam Gazaram & Berſabee & (c) Blanchgegardam, quæ ſitæ ſunt contra deſertum Sur in via Ægypti. De Bethchar ad tres leucas contra Auſtrum, Ebron illa antiquiſſima, in qua primus homo eſt conditus & ſepultus cum conjuge ſua, & tres magni Patriarchæ cum conjugibus ſuis; apud ſepulchra eorum ego fui.

(a) *Hachila.*

(b) *Hachila.*

(c) *Vox ſine dubio corrupta.* CAN.

*Sequitur de agro Damaſceno; de ſpelunca Adæ & Evæ, & de monte Ebron: & de duplici ſpelunca; de fonte Abrahæ; de Terebintho & de domo Zachariæ; de (d) Eliſcolis, & rivo in quo Philippus baptiſavit Eunuchum.*

(d) *Nehel-eſcol.*

Ager Damaſcenus.

AGer Damaſcenus diſtat de ſpelunca duplici ad magnum jactum arcus, ubi formatus Adam in rei veritate de rubra terra, de qua & tuli mecum, & multi Chriſtianorum & Seraceni idem faciunt, & modica apparet foſſio in eodem loco. (a) Inde ſupra montem contra Occidentem ad jactum duarum ſagitarum ſpelunca in quadam rupe, in qua Adam & Eva interfecto Abel filio ſuo luxerunt centum annis. Inde ad jactum ſagitæ mons, in quo ſita fuit Ebron, nunc omnino dirutus & everſus. Circa ſpeluncam autem duplicem, quæ fuerat tempore Chriſtianorum ſedes Cathedralis, nunc ædificaverunt Saraceni caſtrum munitiſſimum, & illum locum plus venerantur quam aliquem locum ſub cælo. Inde redeundo Bethlehem ad dimidiam leucam fons eſt Abrahæ in convalle Mambræ, & Terebinthus ſub qua comedit Dominus, Abraam miniſtrante. Verum eſt, quod antiqua vetuſtate conſumpta eſt, ſed de radicibus ejus alia nata eſt, de cujus fructu & ligno tuli mecum: Et non eſt quercus ſicut quidam opinantur, folia habens modica ſicut lentiſcus, ſed fructum ſicut quercus. De Jeruſalem ad duas leucas domus Zachariæ, in qua beata virgo ſalutavit Eliſabeth. Inde ad quatuor leucas in via quæ ducit Ebron, (e) Eliſcolis, id eſt, vallis botri, unde tulerunt exploratores palmitem cum uva ſua. Ad dextram ejus deſcendit rivus, in quo Philippus Apoſtolus baptiſavit Eunuchum Æthiopem.

(e) *Nehel-eſcol.*

*Sequi-*

(a) Hic multæ fabulæ; quippe ibi nec fuit Paradiſus terreſtris, nec Adam ibi creatus; nec per centum annos in ſpelunca Abelem cæſum luxerunt. Cave igitur, ne iis fidem adhibeas. BASN.

Digitized by Google

SÆC. XIII.

## *Sequitur de portis Jeruſalem.*

ANNO 1230.

NOtandum quod iſtæ erant & ſunt hodie portæ Jeruſalem: Prima fuit porta David, & erat in latere montis Sion in angulo Occidentis & Aquilonis, ſic autem dicta fuit porta Piſcium, quia per eam fuit via de Joppe & Dioſpoli & mari; dicta etiam fuit porta Negotiatorum, quia per eam veniebant negotiatores de Ægypto, Æthiopia & Philiſtini, & maritima, merces diverſas adducentes, & de ea procedebat via in tres partes diviſa, una ſuper agrum fullonis, & una, quæ erat ſiniſtra, ducebat in Bethelem & Ebron, & reliquam terram Juda. Alia deſcendebat ad dextram per vallem Raphaym ſub caſtro Bethſura, quod eſt quinque ſtadiis ab Jeruſalem. Hæc porta fuit in antiquo muro & adhuc eſt, & conjungitur ei murus hodie partis illius civitatis, quæ appoſita fuit propter ſepulchrum Domini includendum. Secunda porta dicebatur porta Vetus, & erat ab iſta contra Aquilonem, in muro veteri manſerat à tempore Jebuſæorum; dicta fuit etiam porta Judiciaria, quia ibi judicia exercebantur, & quæ judicata fuiſſent per ſententiam ibi executioni mandabantur. Non longe extra hanc portam fuit Dominus crucifixus. Locus etiam, ubi ſedit Pilatus pro tribunali, erat juxta eam, hujus veſtigia adhuc ſunt manifeſta. In muro vero novo, qui ſepulchrum Domini includit, appellatur adhuc eodem nomine, & ducit in Silo, Bethoron, Lachis, Gabaon, Cariathiarim, & deinceps uſque Galilæam. Erat tertia porta Effraym à ſuperiori contra Aquilonem, per hanc erat via in montem Effraym & Samariam & Galilæam: in iſta porta concurrebat murus, qui à turri David uſque ad hanc portam erat factus, ad ſepulchrum Domini includendum cum muro veteri. Iſta nunc dicitur porta ſancti Stephani. Quarta porta erat Anguli, & erat à ſuperiori Orientalis, in angulo muri ſuper torrentem Cedron, unde legitur in libro Regum, quod Rex Iſraël interrupit murum Jeruſalem à porta Effraym uſque ad portam anguli quadringentos cubitus. Dicta eſt etiam porta Benjamin: Quia in Anathot & cæteras urbes tribus hujus ducebat. Quinta erat porta Sterquilinii à ſuperiori contra Auſtrum; per iſtam tempore pluviæ deſcendebant ſordes civitatis in torrentem Cedron, & ſic ultro per torrentem pellebantur: Per iſtam erat via in deſertum, quod eſt inter Jeruſalem & Jericho, quod nunc dicitur deſertum Quarentenæ. Sexta erat porta Vallis, quia ducebat & ducit hodie in vallem Joſaphat, & eſt à ſuperiori contra Auſtrum, & eſt ad jactum lapidis à ſepulchro Virginis glorioſæ: dicta eſt etiam porta Gregis, quia per eam inducebantur greges immolandi ad Templum, cui adjungebatur, & quaſi adhæret probatica piſcina, in qua hoſtiæ lavabantur: huic portæ adhæret turris Ananeel, quæ etiam Nebuloſa vel Aphel dicebatur: Unde illud: *Ædificabitur civitas Domino à turre Ananeel uſque ad portam anguli*, quæ eſt porta Benjamin; hanc turrem Herodes magnus inſtauravit & appellavit Antoniam ad honorem Antonii, hæc ducit ad montem Oliveti & Bethaniam & Jordanem. Septima eſt porta Aurea, hæc eſt auſtralis, hæc non ducebat in civitatem immediate, ſed in Templum per compendium de monte Oliveti per teſtudinem quandam factam ultra vallem Joſaphat, & inter hanc erat porta Templi ſpecioſa valde. Octava erat porta Aquarum, quia per eam importabantur aquæ de fonte Siloë & natatoriis Siloë: dicta fuit etiam porta Fontis, quia ſub ipſa in valle erat fons Siloë. Erat autem ſita in angulo civitatis ubi mons Sion & mons Moria conveniunt, in angulo duorum murorum, ſcil. montis Sion & muro, qui cingebat domum Regis; ducebat autem, ut dictum eſt, ad fontem & natatoria Siloë, ad vallem filiorum Ennon, & fontem Rogel, & ad hortum Regis & Aceldemach: nec credo quod plures portæ fuerint in Jeruſalem, quia ſecundum ſitum civitatis non erant neceſſariæ; ſed forte aliquæ ex iſtis poterant nomine alio appellari. Per totum circuitum montis Sion à porta aquarum, quæ eſt ab Aquilone reſpiciens Orientem, uſque ad portam David, quæ eſt eidem monti Sion ſimiliter Aquilonaris, reſpiciens Occidentem, nulla omnino porta erat, nec eſſe poterat, quia vorago, qua mons cingitur per circuitum, impedivit.

Portæ Jeruſalem.

4. *Reg.* 14.

*Jeremiæ* 31.

## *De terra Jeroſolymitana.*

TErra Jeroſolymitana in centro mundi poſita eſt, ex majori parte montuoſa; cui ab Oriente adjacet Arabia, à meridie Ægyptus, ab Occidente mare magnum, à Septentrione Syria & etiam mare Cyprium. Hæc antiquis temporibus fuit communis patria nationum, quæ ad loca cauſa colendi, illuc de quibuslibet partibus convenerunt, ſicut in Actibus Apoſtolorum legitur in miſſione Spiritus Sancti: *Parthi & Medi, &c.* Nunc autem iſtæ ſunt gentes, quæ in ea habent domicilia & oratoria. Chriſtianorum variæ ſunt gentes, & in varias ſectas diviſi: Quorum primi ſunt Franci, qui Latini verius appellantur, homines bellicoſi, armis exercitati, nudi capite, qui ſoli inter omnes nationes Latina lingua utuntur, Romanæ Eccleſiæ ſubſunt Catholici.

Fides incolarum.

*Act.* 2.



Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1230.

Item alii ſunt Græci, ab Eccleſia Romana diviſi, homines aſtuti, armis parum exercitati, pileos obliquos portantes, & errantes in fide, præcipue in eo quod dicunt Spiritum ſanctum non à Patre & Filio, ſed à Patre ſolo procedere, non ſolum fermentatum ſacrificant, ſed in multis aliis errant. Propriam habent litteram.

Alii ſunt (a) Suriani, armis inutiles ex majori parte, barbam ſicut Græci nutrientes, ſed ipſam aliquantulum caſtigantes. Inter Latinorum & Græcorum cultum medii, ubique tributarii, Græcis in fide & Sacramentis per omnia concordantes, litteram habent Saracenicam in temporalibus & ſpiritualibus.

Alii ſunt Armeni, armis aliquantulum exercitati, à Latinis & Græcis multum diſtantes: jejunantes tempore nativitatis ſuam Quadrageſimam, in die apparitionis Chriſti nativitatem celebrantes, & multa alia contra Eccleſiaſtica inſtituta facientes; hi propriam habent litteram. Inter Armenos & Græcos odium implacabile eſt. Armeni Eccleſiæ nuper obedire promiſerunt, dum Rex eorum à Moguntino Archiepiſcopo, Romanæ ſedis Legato, coronam accepit.

Alii ſunt Georgiani, ſolenni pompa ſanctum Georgium clementer colentes, armis plurimum exercitati, barbam & comam nutrientes, geſtantes unius cubiti pileos. Iſti tam Clerici quam laici coronas habent ad inſtar Clericorum, Clerici rotundas, laici verò quadratas, fermentatum ſacrificant, ferè in omnibus Græcos imitantur. Propriam habent litteram.

Alii ſunt Jacobini ſive Jacobitæ, à quodam Jacobo in Neſtorianam hæreſim depravati, peſſimè credentes, Chaldæam habent litteram.

Alii ſunt Neſtoriani in fide hæretici, dicentes beatam Mariam tantum hominis eſſe matrem, & in multis aliis errant, litteram habent Chaldæam.

Præterea ipſa terra Jeroſolymitana habet Patriarcham, qui eſt Pater fidei Chriſtianorum, & vicarius Jeſu Chriſti. Qui Patriarcha quatuor Patres Archiepiſcopos habet, unum in provincia Palæſtina, ſcilicet Cæſarienſem; alium autem in provincia Phœnicia, ſcilicet Tyrenſem; tertium in provincia Galilæa ſcil. Nazarenſem; quartum in provincia Moabitarum, ſcilicet Patracenſem, id eſt, Demondreal, conſtituit. Cæſarienſis Archiepiſcopus habet unum Suffraganeum, ſcilicet Sebaſtenum, ubi ſepultus fuit ſanctus Joannes Baptiſta, Heliſæus & Abdias Prophetæ. Tyrenſis Archiepiſcopus habet quatuor Suffraganeos, Acconenſem, Berithenſem, & illum de (a) Bellinas, quæ eſt Cæſarea Philippi. Nazarenſis Archiepiſcopus habet unum Suffraganeum Latinum, & habet Græcum in monte Sinai. Habet etiam illos Epiſcopos nullo mediante, Bethlemitanum & Idenſem, & illum de Ebron, ubi ſepultus eſt Adam & Eva, & tres Patriarchæ, Abraam, Iſaac & Jacob.

(a) *Belenas.*

## *De Eccleſia ſepulchri Domini.*

IN Eccleſia Dominici ſepulchri ſunt Canonici ſancti Auguſtini, qui habent Priorem, ſed ſoli Patriarchæ obedientiam promittunt. In templo Domini Abbas eſt & Canonici Regulares. Et eſt ſciendum, quod aliud eſt Templum Domini; aliud Templum militiæ. Iſti Clerici ſunt, iſti milites. In Eccleſia montis Sion eſt Abbas & Canonici Regulares. In Eccleſia montis Oliveti Abbas eſt & Monachi nigri. Iſti omnes mitrati ſunt, & tamen prædictis Epiſcopis & Patriarchæ aſſiſtunt & Monaſterio. Præterea iſtæ ſunt civitates quæ non habent Epiſcopos, ſed ſunt ſub Bethlehem, Joppe ſub Canonicis Dominici ſepulchri. Neapolis ſub Abbate Templi; (b) Cayphas ſub Cæſarienſi Epiſcopo.

(b *Civitas eſt maritima, ad radices montis Carmeli ſita.*

## *De fertilitate Terræ ſanctæ & variis ejus habitatoribus.*

HAbet Terra ſancta id in ſacris literis præconii, ut reliquas terras in bonitate & fœcunditate excellat atque longè poſt ſe relinquat, quippe quæ *melle & lacte exuberare* dicitur, Num. XIII. 27. per quæ intelliguntur omnia ea, quibus opus habet mortalis hæc vita. Eſt ſolum ipſum *frumenti* feraciſſimum, quippe quod in cultura ſua minimum laborem exigit, & multum reddit fructum. Nam id ſæpè oculis meis vidi, duobus tantum bobus aratrum inverti: nec agros ſtercore opus habere, quum ſuapte natura Terra ipſa pinguis ſit, & in pleriſque locis hoc externo minimè egeat condimento: *roſas*, *rutam*, *fœniculum*, *ſalviam* & alias herbas humus ipſa ſponte producit. *Lana* quoque *ſuccida* ibi creſcit in *fruticetis* quibusdam, quorum ſemina ſingulis annis in terram ſparguntur, & ex his conſurgit *caudex* quidam, in cujus *folliculis* lana illa colligitur. Creſcunt quoque ibi *cannæ molles*, ex quibus colligitur *ſacra-*

(a) Hos ut furto deditos, quod crimini non habent, repræſentat author Epitomes bellorum ſacrorum. Græco idiomate in ſacris utuntur. Latinorum, quos in æternum excommunicatos aſſerunt, excommunicationes rident; eorum ſacramentis nullam exhibent reverentiam; fermentato pane conficiunt ſacramentum; Sacerdotes non nubent, ſed uxoribus tamen ante ordinationem ductis utuntur. BASN.

Digitized by Google

*ſaccarum.* Habent hæ cannæ *medullam* quandam humidam in modum *ſambuci*, quæ in pelvim expreſſa atque in æneis caldariis decocta, optimum efficit ſaccarum. Id tamen ingenuè fateor, rarò illic inveniri *poma*, *pira*, *ceraſa*, *nuces*, & alios ſimiles fructus arboreos, ſed è Damaſco illuc deferuntur, qui tamen adeò ſolis ardore decocti ſunt, ut diu conſervari nequeant: At loco illorum habent *alios fructus*, qui etiam per *totum annum* in arboribus conſervantur, ut ſæpè videas unam arborem *ſimul flores & fructus maturos* geſtare, Ex his faciunt Incolæ varia *condimenta*, quibus pultes, carnes, piſces, & alios cibos ſapidiores reddunt. Habent *poma cetrina magna*, ex quibus optima conficiunt electuaria. Habent & alia optima poma & mirabilia, quæ *Poma Paradyſi* ab eis vocantur. Hæc creſcunt in modum *maximi botri*, quantitatem habent *mediocris cophini*, cujus grana ſunt ipſa poma, ita ut non rarò *centum poma*, & aliquando plura ſimul *conglobata* in modum uvarum reperias, quorum quodque *ovi* habet magnitudinem, obductum *folliculo ſpiſſo* crocei coloris, qui decorticatus dulcem & delicatum relinquit fructum. Hæc arbor ultra biennium non durat, ſed arefacta ex radicibus alios ſurrogat ſurculos. Folia ejus *adeo longa* ſunt, ut *ſtaturam hominis erecti* ferè excedant. Latitudo verò tanta eſt, ut duo folia *hominis corpus* commodè tegere poſſint. *Vineæ* multæ ſunt in Terra Sancta, & plures eſſent, ſi Saracenis vini uſus in univerſum non eſſet interdictus. Hi autem Terram illam hodiè pro majori parte ſubjectam tenent: & ubi vineas inveniunt, eradicant. *Optimum vinum*, quod in ea invenitur, creſcit *circa Bethleëm in valle Raphaim*, & in *Nehel-Eſcol*, unde exploratores portaverunt palmitem uvarum, ut in Numeris legimus, Num. XIII: 23. Circa *Sidonem* quoque & *Antaradum*, itemque *ſub Libano* monte *bonum* creſcit *vinum*, &, ut mihi retulerunt indigenæ, Antaradi colligunt uno anno ab eadem vite *triplex vinum*, hoc eſt, habent uno anno *tres vindemias*. Nam quum vitis tempore *Martii* conſuetos produxerit botros, id ligni, quod vacuum eſt à fructu, reſecatur, & tunc ex relicto palmite in *Aprili* alius & novus repullulat ſurculus, ſuos quoque ſecum ferens fœtus. Qui & ipſe truncatus, in *Majo* novum producit ramuſculum, ſerotinis oneratum uvis. Et hac arte fit, ut primi botri, in *Auguſto* ad maturitatem perducti, ſuam vindemiam requirant. Secundi verò, qui in *Aprili* floruerunt, in *Septembri* racemantur: & Tertii in *Octobri*. Hinc etiam eſt, ut in Terra Sancta botros *venales* invenias à die Joannis Baptiſtæ uſque in diem Divi Martini. Habentur quoque in ea Terra *ficus*, *malagranata*, *mel*, *oleum*, *pepones*, *cucumeres*, *meloues*, *citrulli*, *cucumeres Babylonici*, & alii multi fructus his ſimiles. *Frumentum* quoque ipſum eſt *delicatiſſimum*, ut non videatur mihi, quod unquam meliorem comederim panem, quam Hieroſolymis. *Porci ſylveſtres*, *capreoli*, *lepores*, *perdices* & *coturnices* abundant in Terra ſancta, ſicut & *leones* atque *urſi*. Sed & *cameli* ibi in maximo habentur numero.

SÆC. XIII. ANNO 1230.

*Poma Paradyſi.*

*Tres uno anno vindemiæ.*

## *Qui homines Terram ſanctam inhabitent.*

SUnt in Terra promiſſionis homines ex *omni natione*, quæ ſub cœlo eſt, & vivit quælibet gens juxta ritum ſuum. Et ut verum loquar, in noſtram magnam confuſionem, nulli in ea pejores & moribus corruptiores inveniuntur quàm *Chriſtiani*, cujus hanc eſſe rationem arbitror: Quando aliquis in Hiſpania, Gallia, Germania, Italia, aut aliis Chriſtianitatis nationibus malefactor deprehenſus fuerit, utpote homicida, latro, fur, inceſtuoſus, adulter, fornicator, proditor, & timet propterea à judice condignam ſibi irrogari pœnam, fugit & transfretat in Terram ſanctam, quaſi hôc contractum abolituras malum, & quum illuc venerit, non animum ſed locum mutavit, & evenit ſibi id, quod ſcriptum eſt, Jerem. XIII: 23. *Nunquid Æthiops poteſt mutare pellem ſuam?* Tales ſunt hodiè in Terra ſancta non pauci, qui ſpoliant peregrinos & conterraneos ſuos, ad ſe bona fiducia divertentes, & nihil mali de eis ſuſpicantes: Deteſtabilesque illi patres deteſtabiliores poſt ſe relinquunt filios, qui pollutis pedibus calcant loca ſancta, & ſua peſſima vita id efficiunt, ut ſancta Dei in magnum veniant contemptum. Sunt autem præter Chriſtianos in Terra promiſſionis & *aliæ variæ gentes*, præſertim *Saraceni*, *qui Mahometem* prædicant, & legem ejus obſervant, agnoſcentes etiam Chriſtum veluti magnum Prophetam, de Spiritu Sancto conceptum, & natum ex virgine Maria, ſed negant eum paſſum & mortuum, verùm quum illi placuit, ajunt, aſcendit in cœlum, ſedetque ad dextram Patris, ut Filius. Mahometem verò dicunt ſedere ad ſiniſtram Dei, & eum ut Dei nuntium ad ſe tantum miſſum. Sunt homines illi Mahometani immunditiæ addictiſſimi, ducuntque tot, quot paſcere poſſunt, uxores, præter id, quod Gomorrhaico fœdati vitio. Sunt tamen hoſpitales, & ſatis humani, id quod non ſemel tantum in meipſo ſum expertus. Pro modico miniſterio illis exhibito, copioſam reddunt mercedem. Sunt præterea in hac Terra *Syriani*, qui quidem *Chriſtiani* ſunt, verùm Latinis nullam ſervant fidem,

*Chriſtiani.*

*Saraceni.*

*Syriani.*

Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1230.

fidem, miserè & pauperrimè vivunt: avaritiæ studentes, nemini eleëmosynam largiuntur. Ditissimus inter eos non delicatius vivit, quàm pauperior. Inter Saracenos habitant, & ut plurimum officiis eorum mancipantur. In habitu à Saracenis ferè nihil differunt, nisi quòd per *cingulum laneum* ab eis aliquid discriminis habent. *Græci* similiter *Christiani* sunt, sed schismatici, & à Romanæ Ecclesiæ obedientia alieni: sunt & aliis multis implicati erroribus: Faxit Deus, ne & Latinis multæ irrepserint stultitiæ. Apud Græcos omnes ferè Prælati sunt *Monachi*, magnæque abstinentiæ, & habentur à plebeis hominibus in magna reverentia & honore. Sunt quoque in hac Terra *Armeni*, *Georgiani*, *Nestoriani*, *Nubeani*, *Jabeani*, *Chaldæi*, *Maronitæ*, *Æthiopes*, *Ægyptii*, & multæ aliæ gentes, quæ quidem omnes confitentur *Christum*, & habent suos Patriarchas. Quidam sunt *Hæretici*, & à suo hæresiarcha nomen sunt sortiti, ut sunt *Nestoriani*, *Jacobitæ* & similes. Sunt tamen multi in his sectis admodum simplices, nescientes quicquam de hæresibus, Christo devoti, carnem jejuniis macerantes, atque simplicissimis vestibus induti, ut etiam longè superent religiosos Romanæ Ecclesiæ. *Nubeani* & *Jabeani* dicunt se scire, majores suos fidem suscepisse, quem hodiè inviolabiliter servare contendunt, innitentes huic authoritati, Matth. III: 11. *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igne.* Nam quum baptizantur, cum calido ferro crucem inurunt facici & alteri corporis parti. Et hi devotiores inter Orientales habentur. Est & *gens Madianitarum*, qui nunc *Beduini* atque *Turoniani* dicuntur, qui magnam partem Terræ Sanctæ impleverunt: & hi tantum operam dant alendis pecoribus & camelis, quibus supra modum abundant. Certam mansionem non habent, sed ubi bona invenerint pascua, ibi cum tabernaculis suis tantisper subsistunt, donec, herbis depastis, alium locum pro gregibus quærere cogantur. Sunt homines pugnacissimi, & repleverunt ferè totam Syriam: potissimum occuparunt ripas Jordanis à Libano usque ad desertum Pharan, quum montes, qui ultra Jordanem sunt, optima suppeditent pabula ovibus, capris, & reliquis jumentis. Habent arietes & verveces tam crassos & pingues, ut una cauda pro tribus aut quatuor hominibus sufficiat ad esum. *Nestoriani* habitant circa Berut & Biblium, in planitie Libani contra Ituræam: *Maronitæ* verò occuparunt regionem, quæ est circa fontem hortorum, à Libano descendentem contra Tripolim, dicunturque habere quadraginta millia pugnatorum. Porrò circa castrum Arachas post Tripolim habitant *Saraceni*, qui *Vonni* dicuntur. His sociantur *Saraceni*, quos *Assissinos* vocant, habitantes in montanis usque ad castrum Antaradum, plurima habentes castra & oppida, atque fertilissimam occupantes terram. Hi de Persida dicuntur duxisse originem, & in tantum numero sunt aucti, ut & ipsi quadraginta millia armatorum asserantur posse producere. Voluerunt ante paucos annos sese Romanæ subjicere obedientiæ, sed per *Templarios* impediti à suo resilierunt proposito. Hos *Assissinos* nullus hactenus Sultanus potuit in ordinem redigere, sed ipsi sibi leges & jura condunt, utentes illis ut libet: suntque omnibus adjacentibus nationibus formidini ob suam feritatem. Et quum hic Orientales attigerim nationes, non inutile visum fuit de iis ampliorem facere mentionem: quandoquidem hodiè multi sunt, qui quum nihil sciant, scire omnia velint, asserentes nullos in his maximis regionibus usque ad Indiam inveniri Christianos, sed perfidum Mahometem omnia loca conspurcasse. Id quod verum non est, sed *ubique* Christus in mundo suos habet cultores, præterquam in *Arabia* & *Ægypto*, ubi *rari* inveniuntur Christiani, sed omnes ferè nomen dederunt Mahometi. Id quidem verum est, omnes Christianos transmarinos, puta *Armenos*, *Cappadoces*, *Græcos*, *Chaldæos*, *Medos*, *Parthos*, *Indos*, *Nubeanos*, *Iabeanos*, *Asianos*, *Georgianos*, & reliquos Orientales populos, non esse homines bello assuetos: sed quum à *Saracenis*, *Turcis*, aut *Tartaris* bello petuntur, illis tributarii fiunt, atque omne permittunt Dominium: exactores ferentes, modo pacem & concordiam, quantum ex se est, conservent: & hinc fit ut regiones illæ, quas Christiani inhabitant, Saracenorum esse putentur, atque perfidiæ illorum subjacere: quum tamen ibi ferè *omnes* sint *Christiani*, id quod ego expertus sum in *Cilicia* & *Armenia Minori*, quæ parent *Tartarorum* Principi, & tamen sunt *meri Christiani*, qui eas inhabitant regiones, ecclesias frequentantes, missas audientes, genua flectentes, atque devotè orantes, religiosis etiam personis magnum exhibentes honorem, id quod in meipso sum expertus, quum illic aliquantisper morarer. Præterea eos, quos nos damnatos judicamus esse hæreticos, ut sunt *Nestoriani*, *Iacobitæ*, *Maronitæ*, *Georgiani*, & similes, ego plerumque inveni *bonos* & *simplices* esse *homines*, sincerèque erga Deum & homines viventes: sunt magnæ abstinentiæ, & in quadragesima nec pisces, nec vitellum comedunt: Attenti audiunt verbum Dei: id quod ego vidi in vespera Ramispalmarum, quantis catervis ad concionem confluxerint. Habent præterea suos *Archiepiscopos*, *Episcopos*, *Abbates*, & alios Prælatos, præter *Nestorianos*, qui loco *Papæ* habent Prælatum, quem *Iacelichum* vocant, cui magna pars Orientis paret. *Armeni* verò & *Georgiani* habent Prælatos, quos *Catholicos* vocant, qui

*Græci*

*Nubeani Jabeani.*

*Beduini & Turoniani*

*Nestoriani Maronitæ.*

*Saraceni Assissini.*

*Christi cultus ubique.*

Digitized by Google

qui sub se habent *Archiepiscopos*, *Episcopos*, & alios Prælatos, qui optima conversa- SÆC.
tione plebi præcuntes, verbo pariter & exemplo illos docent: & quamvis munitissi- XIII.
ma inhabitent castra, atque magnis polleant divitiis, induuntur tamen vilibus & sordi- ANNO
dis vestibus, amplissimas habentibus manicas: exterior enim vestis est pellicea arictina, 1230.
grossa & rubea, & sub ea deferunt tunicam griseam atque detritam. Suprema verò vestis est scapulare nigrum, vile & asperum, quasi cilicium. Interfui etiam semel in die annuntiationis sacris eorum, & adverti eos eisdem ferè uti cærimoniis & precationibus quibus nos in Missa, nisi quod suo, & non Romano utuntur idiomate. Nota quoque, quod *Catholicus* ipse, & omnes alii Prælati sunt *Monachi*, nec quisquam *Catholicus.*
nisi *Monachi*, ad hæc ecclesiastica admittuntur officia. *Clerici* verò *seculares* & *sacerdotes* ferè nullam habent auctoritatem, nec aliud agunt, nisi quod divina celebrant officia. Ad omnes horas signum faciunt cum tabula lignea, non enim campanas habent: & tunc nocte surgunt ad matutinas preces, excitantque se mutuo, ut omnes conveniant: nec iterum dormitum eunt post illas absolutas preculas, sed sedent in ecclesia docentes populum usque ad auroram. Sacerdotes omnes sunt *uxorati*: nec aliquis *Matrimo-*
permittitur exsequi sacerdotis officium, nisi *legitimam* habeat *uxorem*. Sabbatho dun- *nium sa-*
taxat & die Dominico *Missas* celebrant: reliquis diebus per hebdomadam *amplexibus* *cerdotum.*
vacant. Mortua verò uxore sacerdos *continebit*, nec aliam poterit ducere uxorem. Et si fornicatus aut adulteratus fuerit, sine spe ulla *amittit* officium & ecclesiam. Quòd si uxor ejus adulterium perpetravit, sacerdos maritus ejus aut *continebit*, aut officium & ecclesiam *perdet*. Uxor verò adulterans *nasum perdet*, & vir, qui cum ea concubuerit, *castrabitur*, etiamsi legitimam habuerit uxorem. Id ego semel fieri oculis meis vidi. Mortuo verò sacerdote, uxor ejus relicta *continebit*: & si aliud præsumpserit inire matrimonium, *comburetur*: sin meretricari libuerit, *nil mali patietur*, & id sæpè apud illos evenire solet. Et hæc mihi videtur potissima causa esse, quod *tot* in illis terris inveniantur *meretrices*: nam uxores talium, continere nolentes, *meretrices* efficiuntur. *Fures*, committentes furta non admodum nociva, & alii malefactores, qui mortem non commeruerunt, *castrantur*, ne filios generent paternorum morum imitatores. Id scio, quum essem apud Regem Armeniæ, habuit Regina plures quàm sexaginta eunuchos. Rex cum omnibus principibus & nobilibus suis *libenter* audit verbum Dei: quibus etiam singulis diebus hora tertia illud à monachis quos *Vetrapethe* vocant, devotè ex sacris libris proponitur, utentibus expositione Joannis Chrysostomi, Gregorii Nazianzeni, atque Cyrilli, quem ipsi Kyrillum proferunt. Devoti & morigerati sunt in ecclesia, nec facilè ullum ibi videas dissolutum aut indisciplinatum. Quum Episcopus sacrum facit, habet astantes suos ministros, puta *Diaconum*, *Subdiaconum* & *Acolythum*, & cum magna gravitate cærimonias solitas celebrat.

## *Descriptio Ægypti.*

LUstrata itaque Armenia feceſſi in *Cappadociam*, & hinc perrexi ad *Seleuciam*, à qua trajeci in *Cyprum*, à Cypro navigio veni *Tyrum*, & rursum à Tyro solvens per *littus Palæstinæ* descendi usque ad *ostia Nili*. Ibi vidi *Pharmam*, civitatem muni- *Pharma.*
tam quidem & egregiè exstructam, sed hominibus vacuam, nam serpentibus cedere coacti sunt. Ab hoc loco viginti numerantur leucæ ad *Taphnim*: hæc est *Taphnes*, de qua in Psalmo: *Fecit prodigia sua in campo Taphneos*, Psalm. LXXVIII: 43. Hæc posita est in *terra Gessen*, de qua in Genesi multa scribuntur Gen. XLV, XLVI, XLVII, L: Fuit olim urbs insignis, sed nostro ævo destructa est. A Taphni usque ad *Memphim*, quam nunc *Damiatam* esse putant, quindecim sunt leucæ, distatque duabus à Mari leucis, in ruinis penitus jacens, nisi quod non longè à situ suo *villa* est exstructa propter naves in ea collocandas, atque merces colligendas. Abundat is locus æque ut Taphnis *frumento*, *fructibus*, & omnibus ferè bonis, quibus homo vesci potest. Derivatur à Nilo *rivus unus* versus *Taphnim*, & hinc versus *Pharmam* fluens, *primum* *Divisio*
versus *Terram Sanctam* constituens *portum*. *Alterum* verò *portum* efficit *alius Nili ri-* *Nili.*
*vus* priore major, tribus leucis à *Damiate Mare ingrediens*. *Tertius portus* est in *Alexandria*, ubi, scilicet, major pars Nili labitur *in Mare*, distatque à *Pharma*, ubi primus Nili rivus Mare intrat, *centum viginti milliaribus*: & hæc est *longitudo* Ægypti *juxta Mare*. Ab *Alexandria* verò usque in *Babyloniam* numerantur etiam *centum viginti milliaria*, ascendendo contra *Nili cursum*. Porrò à *Pharma* eundo per *Taphnim* & *Damiatam centum* computantur *milliaria* usque ad *Babyloniam*, sive *Cayrum*, etiam *adversus fluvium* navigando. A Babylonia verò usque ad *Syenem*, quæ *versus* *Syene.*
*Austrum* ultima est pars Ægypti, sunt millaria circiter *ducenta quadraginta*: & ibi incipit *Æthiopia*, quæ hodiè *Nubia* dicitur: & est tota Christiana, ubi Beatus Matthæus prædicasse dicitur. Hujus Æthiopiæ regem captivum vidi in Babylonia. Ascendens autem à Damiata per Nili fluvium veni in *Abdelam*, ac deinde in *Mausotam*,



Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1230. ubi Nilus ſcinditur in duo, volviturque rivus minor ad *fretum*, quod eſt *juxta Phatnam*, & ex illo intrat Mare. Rurſus *juxta villam Semmath* eſt alia Nili ſciſſio, labiturque is abſciſſus rivus juxta villam, quæ *Phatures* dicitur, in Mare: ſed non eſt navigabilis, ut alii jam memorati rivi ſunt. Item à *Seminath* aſcendendo, priuſquam venias ad *Phyton* & *Ramaſſan*, ſeparatur à Nilo *quartus rivus*, intrans Mare juxta villam, quæ *Stermon* appellatur: & ab ea Nili diviſione uſque ad villas Phyton & Ramaſſen ſunt quinque leucæ: ponuntur hæ villæ altrinſecus in ripa Nili. Hinc viginti numerantur milliaria ad locum, qui *Delta* nominatur, ubi ſcilicet Nilus, *in duos rivos* diviſus, totam ferè Ægyptum facit Inſulam, in modum Δ literæ triangulariter figuratam, procedítque *major aquarum vis* ad Alexandriam, & *minor* ad Damiatam. A Delta uſque *Heliopolim* tria numerantur milliaria, ubi & *alius rivus* à Nilo ſegregatur & defertur ad civitatem *Peluſii*, & inde fluens per deſertum verſus Terram Sanctam juxta civitatem *Jaris* intrat Mare: & hinc ferè duæ ſunt diætæ uſque ad *Ragazam*, vel *Gazaram* & *Berſabee*. Hic *rivus* vocatur propriè in Scriptura *rivus Ægypti*, Amos VIII: 8. terminaturque ad ipſam fors tribus Judæ. Quidam vocant eum *Rhinocolulram*, alii *Syron Ægypti:* & non eſt navigabilis. *Heliopolis* eſt villa opulenta, ſed non munita, ſicut nec alius quiſpiam locus per totam Ægyptum eſt munitus, præter Alexandriam & Babyloniam. Hinc ſeptem numerantur leucæ uſque ad *Babyloniam*; Hæc civitas eſt ſupra modum magna, in littore Nili ſita, tranſitque per medium ejus rivus aquarum, à Nilo excurrens, & rurſum in eum ruens. A Babylonia duabus leucis diſtant *pyramides* quædam *triangulares* & inſigniter magnæ. Et hinc duæ ſunt leucæ ad *Thebas*, unde fuit *Legio Thebæorum*. Huic quoque adjacet *deſertum Thebaidos*, in quo olim fuit magnus numerus Monachorum. Et nota, quod à Babylonia uſque Syenen per ducenta & triginta milliaria Nilus in *nullos* dividitur *rivos*, uno contentus, in quo fluit, alveo. Terra Ægypti ferè eſt inacceſſibilis: nam ab *Occidente* habet *Mare Magnum*, contra *Africam* eſt *deſertum Libyæ & Philenorum:* ab *Auſtro* eſt *deſertum Æthiopiæ*, & ab *Oriente deſertum Thebaidos* uſque ad *mare Rubrum*. Tranſitus illius deſerti eſt trium dierum; donec veniatur ad locum, qui *Beronice* vocatur, & eſt portus Ægypti in littore maris Rubri ad Indiam ducens. Porrò contra *Vulturnum* & *Septentrionem* habet Ægyptus *deſertum Magnum* uſque ad *Terram Sanctam*, in quo Filii Iſrael, ab Ægypto fugientes, quadraginta annis morati ſunt, Joſ. v: 6. Floruit ante tempora noſtra Ægyptus mirum in modum *Chriſtiana religione*, multa millia habens Monachorum, multa cœnobia, & plures eccleſias. Unde dixerunt mihi Saraceni, quod in *ſola Babylonia* & *Cayro*, (ſunt enim duæ urbes, ſed in unam conjunctæ) *plures* quàm *quadraginta* reperiantur *eccleſiæ*. Habet *villas* fermè *infinitas*, & *populum ſine numero*. Dominantur hodiè in ea Saraceni. Inter Heliopolim & Babyloniam oſtenduntur *loca*, in quibus beata Virgo manſit cum puero Jeſu & marito Joſeph, quum à facie Herodis fugiſſet è Judæa, Matth. II: 14, 15. Eſt etiam ibi *hortus balſami*, qui irrigatur à *fonte parvo*, uberrime tamen fluente, in quo ajunt beatam Virginem puerum Jeſum laviſſe, ob id habetur fons ille in veneratione, nedum à Chriſtianis, verùm & à Saracenis. Modum colligendi balſamum hunc mihi Saraceni oſtenderunt: Carpebant folium unum à ſtipite (adhærent enim folia ſtipiti) & contra radium ſolis illud diſcerpentes, guttam lucidiſſimam & ſupra modum odoriferam elicuerunt: & is eſt verus liquor balſami, qui in phialas vitreas colligitur, & ad diverſas mundi partes mittitur; tametſi rarò ſine mixtura ad regiones noſtras perveniat. Ajunt etiam, ſi folium illud contra radium ſolis non frangeretur, minimè ſuccum illum ſtillaret. Foderunt proinde Saraceni & *alium fontem*, quum fons prior non ſufficiat ad irrigationem totius horti, ex quo quatuor boves aquam trahunt, quæ ſufficere poſſit ad illius humectationem.

*Heliopolis.*

*Thebais.*

*Chriſtus olim in Ægypto cultus.*

PRÆ-

Digitized by Google

# PRÆFATIO
# JACOBI VITRIACI
## IN
# HISTORIAM
## ORIENTALEM ET OCCIDENTALEM. (a)

POstquam divinæ propitiationis munificentia exercitus Christiani longanimitatem & patientiam clementer respiciens, & ejusdem diuturnos miserata labores portas Ægyptiorum confregit, & Damiatam (b) famosam Ægypti civitatem subdidit nomini Christiano, *super flumina Babylonis* longo tempore *sedimus & flevimus, dum recordaremur Syon*, non valentes pauci contra multos ad ulteriora procedere, nec audentes relinquere civitatem. Multi autem ex nostris his diebus marcentes otio & languentes tædio, experimento didicerunt, quoniam vere dictum sit: *Desidia occidit pigrum, noluerunt enim manus ejus quidquam operari.* Et Propheta Hieremia: *Viderunt eam hostes & derisérunt sabbatha ejus.* Ego vero considerans quàm gravis sit jactura temporis amissi, secundum consilium Sapientis dicentis: *Servo malevolo tortura & compedes, mitte eum in operationem: Multas enim malitias docuit otiositas*; animum meum, tanquam servum malevolum & ad vana & inutilia pronum, cujus *cogitationes* frequenter *dissipatæ sunt*, *torquentes cor meum*, meditatione divinarum scripturarum studui coercere, & quasi compedibus assiduæ lectionis, ne incaute vagaretur, astringere. SÆC. XIII. ANNO 1230.

Cum igitur causâ recreationis, & aviditate audiendi aliqua nova & incognita mihi varios libros ex armariis Latinorum, Græcorum & Arabum revolverem, Regum Orientalium Historiæ, prælia & gesta casu in manus nostras devenerunt. Quorum auctores curiosi cum maximo studio & immenso labore prædictorum hominum laudes inanes inaniter attollendo, prælia, & triumphos, divitias, potestatem & gloriam præteritam scripto diligentius commendantes, memoriale posteris reliquerunt. Cœpi igitur non modicum admirari, dolere & contristari, & nostrorum negligentiam & inertiam arguendo accusare, eò quod *filii hujus sæculi prudentiores in generatione sua filiis lucis sint*, cum tanto studio & diligentia reproborum hominum pereuntia gesta describere procurarunt: Ex nostris autem diebus istis pauci, vel nulli inventi sunt, qui Regis æterni prælia, & triumphos glorioſos, & mirabilia gesta describere & scripto mandare studuissent, ad laudem & gloriam ejus, qui solus & gloriosus est in sæcula; cum tamen, sicut dicitur in Tobia: *Sacramentum Regis abscondere bonum est, opera autem Domini revelare & confiteri honorificum est.* Antiqui autem, & sancti Patres de talento sibi commisso timorem Domini semper ante oculos habentes, cum omni diligentia & circumspectione mira Domini nostri JESU CHRISTI opera, tam quæ in propria persona ipse operari dignatus est, quàm illa, quæ sanctorum suorum operatus est ministerio, ad ejus laudem & tam præsentium quam futurorum informationem scribere studuerunt. Sancti siquidem Evangelistæ propria CHRISTI opera, Lucas Actus Apostolorum, & alii viri religiosi Actus tam Martyrum quàm Confessorum, Hieronymus vitas Patrum Orientalium, Gregorius vitas Patrum Occidentalium, Eusebius (a) Alexandrinus historiam Ecclesiasticam, alii viri prudentes historiam tripartitam, & alia quæ in Ecclesia à principio acciderunt, variis voluminibus conscripserunt. Modernorum autem ignavia fragmenta de mensa Domini cum Apostolis negligens colligere, fere penitus obmutescit; cum tamen in diebus nostris mira, & omni laude & memoria digna operatus sit Dominus, sive in Hispania contra Mauros, seu in Provincia (a) *Cæsariensis.*



(a) Historiam illam ad annum 1230. retulimus, tunc enim non modo vixit *Jacobus de Vitriaco*; sed cum anno 1220. e Palestina reversus esset, vel in legationibus, vel dum Romæ otio frueretur, hanc Historiam debuit concinnare. Cum autem hanc præfationem ediderit Canisius omissa ea Historia, quæ jam in lucem prodierat anno 1587, quæque volumen magnum conficit & denuo sudavit sub prælo, hanc præfationem tantummodo lectorum oculis subjicimus. BASN. (b) Expugnata est Damiatta ann. 1218. ibique desinebat tertius liber *Jacobi de Vitriaco.* BASN.

Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1230.

contra hæreticos, in Græcia contra ſchiſmaticos, in Syria & in Ægypto contra Agarenos, in remotis partibus Orientis contra Perſas, Aſſyrios, & Chaldæos, & Turcos.

Tanta igitur & tam admiranda Regis noſtri prælia & glorioſos de inimicis triumphos ſub ſilentio abſcondere non debeo, ne forte ingratitudinis arguar. Malo igitur cum muliere paupercula duo vel tria minuta in gazophylacio ponere, Domini ejus laudem balbutiendo, quàm ab ejus præconiis obmuteſcendo ceſſare. Cum enim in conſtructione tabernaculi, quidam aurum, alii argentum, alii biſſum retortam, pilos caprarum, & pelles arietum obtulerint, unusquisque ſecundum propriam facultatem, confido in eo, qui magis penſat affectum quàm effectum; magis attendit ex quanto fiat, quàm quantum fiat; quod ſi non quantum volo, ſed quantum valeo in ejus offero ſacrificio, inſufficientiæ meæ veniam ſit daturus.

Pro tribus igitur minutis præſens opus tribus concluſi libellis: In primo libro hiſtoriam Hieroſolymitanam breviter perſtringendo, de his, quæ in partibus Orientis Dominus operatus eſt, differui, deſcribens diverſa inhabitantium genera, civitates etiam & alia loca, de quibus frequentius in divinis ſcripturis mentionem fieri reperio, ſicut mihi viſum fuit expedire ad majorem intelligentiam ſacræ ſcripturæ: diverſas etiam rerum proprietates & naturas ad majorem copiam prædicandi adjungendo.

In ſecundo libro modernam Occidentalium hiſtoriam ſub compendio pertranſiens, de his quæ Dominus in partibus Occidentis diebus iſtis noviſſimis operatus eſt, & præcipue de diverſis tam regularium quàm ſæcularium Ordinibus pertractavi de Ordine & religione cruce ſignatorum, utilitatem peregrinationis in fine plenius ediſſerens.

In (*a*) tertio libro ab Occidente in Orientem regrediens, de his quæ poſt generale Concilium Lateranenſe Dominus in populo ſuo & in exercitu Chriſtianorum uſque ad captionem Damiatæ operari dignatus eſt, ſicut propriis oculis vidi, tractare cœpi. Concedat mihi Dominus, quod in recuperatione Terræ Sanctæ & Sacracenorum converſione vel deſtructione & in recuperatione Orientalis Eccleſiæ libellum valeam conſummare. Quantum autem præſens tractatus exemplo proſit ſub Chriſti vexillo militantibus, quantum valeat ad fidei confirmationem & morum informationem, ad confutationem infidelium & confuſionem impiorum, & ad laudem & imitationem bonorum, diligens lector manifeſte poterit perpendere. *Hactenus Præfatio Vitriaci.*

CÆTERUM cap. 94. fol. 226. v. 8. in margine notantur hæc: *Hic nonnulla videntur deſiderari.* Et recte quidem hoc notatum eſt, quia hic lacuna erat, quæ explenda ex manuſcripto noſtro: *Paneadibus etiam civitatem noſtris violenter auferens ſuæ ſubegit ditioni, Rege Hieroſolymorum, Almarico, tunc abſente & circa partes Ægypti commorante. Ex tunc cœpit noſtrorum deterior fieri conditio. Reſiduam tamen terram noſtri defenderunt quo uſque regna Ægypti & Damaſci ſub diverſis Dominis permanſerunt. Poſtquam vero, peccatis exigentibus, prædicta duo regna viribus duplicatis ſub uno Domino &c.* CANIS.

(*a*) Habetur quidem liber tertius *Jacobi de Vitriaco* nomen præferens, ſed dubitatur à Voſſio, an genuinus ſit ille liber; cum in eo laudetur ipſe *Jacobus* & tribuatur *Patriarchæ Hieroſolymitano*. Sunt tamen qui credant ea non obſtare: revera enim *Jacobus* creatus fuerat *Patriarcha Hieroſolymitanus*, cum à Pontifice in Italiam revocatus eſt, ideoque hunc titulum dignitatis præferre potuit ille liber. BASN.

TRA-

Digitized by Google

# TRACTATUS
CONTRA
# GRÆCORUM
# ERRORES
EX
# MANUSCRIPTO
CODICE BIBLIOTHECÆ
BAVARICÆ,
IN
LUCEM PROLATUS.
STUDIO
PETRI STEVARTII LEODII,
*SS. Theologiæ Doctoris & Professoris, &c.*



Digitized by Google

# LECTORI STEVARTIUS.

*Reperimus Tractatum istum in Bibliotheca Bavarica absque speciali Auctoris nomine. Itaque neque nos de Auctore divinabimus. Codex Bavaricus perquam vitiosus erat. Quocirca ne mireris, si & liber iste inemendatus in manus tuas veniat. Satius est aliquid, quàm nihil. Forsan alius in exemplar correctius incidet; praestabitque, quæ à nobis præstari nequierunt. Interea his qualibuscunque fruere, & studium nostrum illustrandæ orthodoxæ antiquitatis favore tuo juva: Cum enim Novatores hujus temporis studiosè in lucem extrahant, quidquid olim Chartarum seu à Græcis, seu à Latinis adversus Cathedram Petri à malè sanis ingeniis conscriptum est; nihil laborantes de sermonis elegantia vel inelegantia; par non est, ut ea, quæ pro S. Petri successore Romano Pontifice, etiam rudi stylo exarata sunt, à blattis & tineis absumi sinamus, quisquiliisque hæreticis & schismaticis solidas refutationes, licet cultu styli carentes, non opponamus. Vale.*

Digitized by Google

# JACOBI BASNAGII IN TRACTATUM CONTRA GRÆCOS OBSERVATIO.

I. PAnthaleoni tribuitur hic Tractatus; id sensisse videntur novissimæ Bibliothecæ Patrum Editores in admonitione ad Lectorem T. XXVI. ubi de Joanne Calecâ agitur. Id sensit etiam Ciampinus. Quamquam alias dubius hæreat, utpote qui tractatum ut anonymum citaverit. Revera hæc leguntur ad finem Operis, autorem, ut primâ fronte videtur, indicantia: *ego Panthaleon cum essem ibi, Constantinopoli, ubi hoc actum est, hoc idcirco Memorabile feci.* SÆC. XIII. ANNO 1252. I. De Panthaleone. Ciampini de Azymo & ferm. c. 1. p. 14.

Fuit autem Panthaleon Diaconus & Carthophylax Ecclesiæ Constantinopolitanæ, & ex eo quod dicatur apud Gretserum, qui ipsius tractatum *in exaltationem Crucis* edidit, *Presbyter Monasterii Byzantinorum*, ex Diacono Presbyterum alicujus Monasterii factum conjicit Combefisius. Ipsi tribuit idem Combefisius Orationes in *transfigurationem Domini.* Quamquam ei sit aliqua suspicio, eas Orationes stylo discrepantes binos habere Parentes. Denique eidem Panthaleoni asseruit opusculum de *Miraculis Michaëlis*, quod legitur apud Surium. Indeque concludit, Panthaleonem vixisse diu post Theodoram, cum Miracula longo tempore post Imperatricis obitum patrata narraverit. Combefis. Auctar. Bibl. Pat. t. 1. p. 1775.

Quæ Combefisii conjectura satis indicat, ipsi fuisse incertam Panthaleonis ætatem, ideoque non ipsi vindicasse *Tractatum contra Græcos* cujus parens procul dubio an. 1252. vixisse debuit; Aliter tamen alii, ut superius observatum.

II. Nos hunc *Tractatum*, in quo multa occurrunt observatione digna, in tres partes distinguimus, quæ tot habeant Authores. II. Sententia nostra.

Prior pars, quæ quatuor dissertationes adversus Græcos continet, non modo edita est *Constantinopoli in ædibus Fratrum Prædicatorum an.* 1252. ut fert titulus; sed ab ipsis Fratribus Dominicanis fuit concinnata. Sic enim ipsi loquuntur: *Hæc scripta sunt anno* 1252. *in civitate Constantinopoli a Fratribus Prædicatoribus ad ædificationem & profectum animarum, ad laudem & gloriam Patris & filii & Spiritus sancti. Amen.*

Duo sunt notanda 1°. Hic desinere opus illud, quod tentaverant Fratres; illi quippe quatuor capitula adversus Græcos probaverant, deinde clau-

Digitized by Google

Sæc. XIII. Anno 1252.

clauſulam *Amen*, qua finis Operis indicatur, adjecerunt: Denique ut patebit inferius, quæ ſequuntur ex aliis Scriptis ſunt excerpta. 2°. Inde patet Panthaleonem non eſſe hujus Scripti authorem, utpote qui Diaconus aut aliquando Monaſterii Presbyter, non vero Monachus dicatur. At indubium eſt, illum Tractatum à Monachis confectum fuiſſe, & anonymum remanere debuiſſe, ut ſolent quæ juſſu & opera congregationis alicujus ſcripta ſunt: Ideo plurimos Authores præfert & ſemper plurali numero ſeſe indicant Authores: *In Proemio hujus opuſculi teſtati ſumus.*

Secunda pars non fuit Dominicanorum, ſed *Hugonis Ætheriani*, qui ſæculo præterito Græcos confutaverat. Miror hoc non vidiſſe viros eruditos, quippe 3°. ſic loquuntur Fratres Prædicatores: *Quod licet jam quatuor dictis articulis demonſtretur, tamen adhuc in his quæ ſubjecta ſunt oſtenditur, quæ ex dictis Magiſtri Hugonis Ætheriani nuper extracta huic operi duximus inſerenda; Dicunt enim & ſcribunt, &c.* Vides hìc finito opere, quædam excerpta ex *Hugonis Ætherii* ſcriptis adjici. Quid evidentius? Unum tamen addi poteſt, multa ibi dici, quæ Fratribus Prædicatoribus non conveniant. Aſſerit author, ſeſe velut ſingularem perſonam indicans, vidiſſe ſacerdotes ſacratis manibus *qui viri ſanguinum eſſent*, dum *ſequeretur Imperatorem per Cappadociam Perſarumque regiones.* Subjicit deinde ſe vidiſſe clericos fuſtigatos & verberatos, ſublato prius τιματίω, hoc eſt, *veſte clericali*, idque ipſi eveniſſe in *Nicæa Civitate.* An credas Fratrum gregem veſtigiis Imperatoris adhæſiſſe, dum Orientales peragraret Regiones! Deinde, quis Imperator ille? An *Balduinus* II. qui e parte Latinorum præerat? Sed hic adverſus Perſas bellum numquam geſſit. Verum quidem eſt, *Joannem Vatatzem*, quem *Ducam* appellant plurimi, Niceæ ſedem Imperialem habuiſſe. Sed veriſimile non fit, Prædicatores eo tempore in ejus aulam admiſſos itinera cum ipſo varia confeciſſe. Hæc non modo veriſimilia, ſed vera ſunt de *Ætherio*, qui, cum gratiâ ſummâ polleret apud *Manuelem Comnenum*, Latinis faventem & ſæpius adverſus Turcas Sarracenosque belligerantem, ipſum per varios caſus & diſcrimina rerum ſequebatur. Unum objici poteſt: Quæ leguntur in *Tractatu contra Græcos* non reperiri apud *AEtherium*; ſed inde nova oriri poteſt conjectura, plurima edidiſſe *AEtherium* opuſcula adverſus Græcos, ex quibus quæ hic proferuntur fuerint excerpta.

Tertia denique Pars hujus Scripti, ab aliis plane diverſa, continet tantum Hiſtoriolam portenti cujusdam, quod temporibus *Michaëlis Cerularii* debuit eveniſſe. Sed præterquam mera eſt fabula, non potuit habere Fratres Prædicatores authores, qui prius fuſe egerant de Schiſmate Michaelis, & ne verbum quidem de illo portento dixerant, quodque huic Operi ſine fibula fuit affixum. Illa brevis narratio poteſt eſſe Panthaleonis, cui male totum opus adſcribitur.

TRA-

Digitized by Google

# TRACTATUS
## CONTRA
# ERRORES
# GRÆCORUM,

*De Processione Spiritus sancti.*
*De animabus defunctorum.*
*De azymis & fermentato.*
*De obedientia Romanæ Ecclesiæ.*

EDITUS CONSTANTINOPOLI,
IN
ÆDIBUS FRATRUM PRÆDICATORUM,
Anno Domini 1552.

SÆC. XIII. ANNO 1252.

LIcet Græcorum Ecclesiam virtutum floribus & Philosophiæ studiis olim decoratam noverimus: nec non & sanctorum Patrum, Prophetarum, & Apostolorum veloci cursu calcans vestigia, quàm plures ex se vivos & ignitos lapides in ædificium supernæ Hierusalem dudum transmiserit (a) construendi: nunc tamen in fine temporum, quod sine gravi mœrore proferre non possumus, innumeris & diversis errorum obfuscata turbinibus, in eâdem caligine suarum opinionum, diversa à sancta Romana Ecclesia perseverat. Et quamvis infinita hæresum germina à trecentis octoginta annis, & circa, id est, à tempore Photii, vel Photini (a), primi hujus schismatis inventoris, in diversis suis partibus, propter defectum scientiæ, & invidiæ amaritudinem, manifestè pullulaverint: præcipuè tamen in quatuor articulis generaliter, seu communiter dignoscitur deviare à nobis. Quorum primus, qui ex ab ipsa divina Majestate inchoans, ore polluto affirmat contra opinionem; imò fidem catholicam, tertiam personam in Trinitate, id est, Spiritum sanctum *à Filio minimè procedere*, vel spirari, aut existentiam habere.

(a) *construendum fortè leg.*

Secundus autem, secundum Theologos, virtutem numero secundam, id est Spem Fidelium, virulento conamine interimere studens, asserit; *Defunctorum animas nec Paradisi gaudiis perfrui, nec infernorum suppliciis, vel igne Purgatorio*, citra diem Judicii, aut ante latam sententiam extremam, judiciis posse subjacere.

Tertius verò ipsam omnipotentis Dei potentiam creaturæ fermenti termino volens coarctare, voce blasphema prædicat, non nisi in fermentati panis materia perfici posse mysterium Sacramenti. His itaque Fidei, & Charitatis, Spei que virtutibus, à cordibus fidelium dicto studio & ordine deletis: ultimò in totius consummationem nequitiæ, quartum eam (*ad quam horum & similium errorum spectat correctio*) id est, sanctam Romanam Ecclesiam, aggreditur; nec ei obediendum communiter asserendo prædicat, moribus affirmat, & factis dicit.

Contra quos errores pestiferos quamvis multorum jam fidelium desudavit labor, & plurima scripta ad defensionem veræ fidei Catholicæ dimiserint perlegenda: quia tamen moderni Græci, novi pariter, & antiqui Schismatici, nec argumentis vel rationibus, nec sacræ Scripturæ testimoniis, nisi suorum scriptis Sanctorum, quibus plurimum innituntur tam apocryphis, quàm veris, nolunt superari: Fraternis quoque



(a) Male; Photius enim a Photino fuit plane diversus. BASN.

Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1252. precibus inclinatus, qualiter ex suis libris eorum convincatur pertinacia, virtute, quâ potero, ostendere laborabo.

Si quid ergò vobis, frater charissimè, in his gratum fuerit, ad fontem bonorum omnium Deum referentes, ei, cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur, orationum frequentia me sedulò commendate. Si qua verò, præter intentionem meam, minùs veritati consona forsan apparebunt, vestræ correctionis lima depuretis, ad lumen veritatis charitativè reducentes, meæ imperitiæ & brevitatis inopiæ veniam concedatis.

# Sequuntur Opiniones Græcorum.

## *Rationes Græcorum ad primum articulum: quod Spiritus sanctus non procedat à Filio.*

Græcorum rationes circa processionem Spiritus à Filio.

IGitur Græci primum articulum suis rationibus, & auctoritatum testimoniis defendere volentes, ita procedunt.

Primò: si Spiritus sanctus, inquiunt, procedit à Patre secundum Evangelium: aut procedit perfectè: sive, illa processio perfecta est, aut non: si perfecta, ut concedetis; quare necesse est, ut à Filio procedat Spiritus sanctus? Ergò superfluit secunda processio, quod est superfluum, aut inconveniens in Divinitate. Ergo, &c.

Item, cùm una sit causa & fons in Divinitate, scilicet Pater: tam Filius quàm Spiritus sanctus existunt à Patre, ille per generationem, iste per processionem. Sed si à Filio existit aut procedit Spiritus sanctus, etiam Filius erit causa Spiritus sancti, & ita duæ causæ: & per consequens, duo principia in Divinitate. Sed hoc est inconveniens. Igitur, &c.

*Joan. 15.* Tertiò: Item in Joanne dicit Veritas discipulis suis: *Omnia quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Ubi dicit Glossa: Omnia necessaria ad salutem scripta sunt in Evangelio. Sed illud non est scriptum in Evangelio: ergò non est de necessariis ad salutem. Ergò non tenemur credere. Sed quæ vera sunt tenemur credere, & venerari, maximè, quæ divinam essentiam videntur prædicare. Sed istud non tenemur credere. Ergò non est verum.

*Joan. ibid.* Quartò: cum veritas faceret mentionem de Processione Spiritus sancti ait, *qui à Patre procedit*, non dixit: & à Filio. Quod si veritas aliud intellexisset, aliud dixisset: Ego autem verbis ejus addere non audeo, nec præsumo.

Item: non solùm Christus hoc tacuit, sed nec aliquis Apostolorum tale aliquid dixit; nullus Sanctorum hoc prædicavit. Imò, quod plus est, in editione veræ fidei, sancta Concilia nihil super hoc definierunt; sed ponentes in Symbolo, quæ necessaria sunt ad salutem, omnem additionem, expositionem, declarationem sub anathematis vinculo concluserunt & rejecerunt.

Testimonia Patrum.

Item multi nostrorum Doctorum, quorum antiquissima scripta apud nos usque hodie perseverant, ut *Theodoritus*, & quidam alii, contrarium hujus opinionis vestræ scripserunt & mandaverunt. *Damascenus* quoque, cujus scriptis certè contradicere non potestis: volens ostendere, quod tam Filius quàm Spiritus sanctus existunt à Patre: & quod Spiritus sanctus non procedit à Filio, metaphoram vocis & intellectus adducens in medium, ait: *Primò est intellectus, deinde verbum exterius, scilicet vox: Spiritus autem vehiculum est verbi: Intellectus igitur format vocem, & in ipsa voce spirata ostenditur intellectus. Et intellectus Patri, & verbum Filio, Spiritus Spiritui sancto attribuitur. Sicut ergò videmus, quod ab intellectu procedit Spiritus & vox, & non Spiritus à voce: sic à Patre procedit Filius & Spiritus sanctus, & non Spiritus sanctus à Filio.*

*Epiphanius sanctus*, Episcopus Cypri, in libro de una Deitate, de Spiritu sancto sic testatur; *Spiritus sanctus Deus est, & Spiritus Christi est, non secundum aliquam compositionem, quemadmodum in nobis corpus & anima: scilicet in medio Patris & Filii.* Non ergò mediante Filio, ut vos deliratis, procedit Spiritus sanctus à Patre: cùm secundùm Patris hujus vocem, medius inter Patrem & Filium ordinetur Spiritus sanctus.

Item, quis vobis hoc revelavit? Unde habuistis? Quare etiam nobis hoc non fuit revelatum? Quare in Symbolo tale quiddam inseruistis, quod nusquam positum fuit à sanctis Patribus; Si verò quorundam verborum occasione divinæ Scripturæ, dicentium Spiritum Filii, vel quod Spiritus mittatur à Filio, hoc habuistis: sciatis, vos vel non intelligere scripturas, vel intellectas studiosè pervertere, aut certè per ignorantiam multùm à veritate & Sanctorum expositionibus deviare. Quare ad nos, qui fon-

Digitized by Google

fontes sumus, redeuntes, audire poteritis veritatem. Dicitur igitur Spiritus Filii, non quia procedit ab eo, sed quoniam ratione divinæ essentiæ, est ei consubstantialis. SÆC. XIII. ANNO 1252.

Item, dicitur *mitti*, vel *dari* à Filio Spiritus sanctus, quia ab ipso mittitur, ad sanctificandum creaturas. Sicut in Joanne ipse testatur dicens: *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos: Si autem abiero, mittam eum ad vos.* Joan. 16. Quòd verò alibi dicit ipse Filius: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet:* Intelligendum est, de meo Patre. Omnia enim, quæ Patris sunt, exceptis proprietatibus personalibus, communia sunt utrique; proprium dicimus esse Patri, ut ab ipso tantùm, & non ab alio procedat Spiritus sanctus.

*Responsio contra prima duo objecta.*

HIs aliisque quàm plurimis conaminibus, quæ causa brevitatis non sunt posita, (illa autem quæ magis usitata sunt, posita sunt) sanctam Romanam Ecclesiam errasse, & in canonem latæ sententiæ incidisse, mendaciter fatentes Græci, debitam obedientiam, & reverentiam devotam eidem Ecclesiæ justè se subtraxisse, hominibus simplicibus persuadere laborant. Nos verò Latini, his & aliis contumeliis loco suo dimissis, Latinorum Responsa.

Ad primum & secundum objectum unam dantes responsionem sic solvimus. Concedimus quod plenâ & perfectâ processione procedit à Filio: nec tamen sequitur, quod sint duæ processiones, & una earum superflua, quia in illa simplicissima divinitatis natura, nec numerus vicissitudinum, nec temporis varietas, nec localis positio, nec fluxus, nec incisio, nec (a) intercidium, aut spatium temporis cadere potest. Inde est, quod illa processio, qua Spiritus sanctus procedit a Patre & Filio, nec intervallo temporis, nec spatio loci, cùm non sit prius vel posterius, alias perficitur; sed simul & semel est à Patre & Filio: à Patre tamen procedens, mediante Filio, secundum testimonia inferius posita, procedit: id est, hoc habet Filius à Patre, ut ab ipso procedat & spiretur Spiritus sanctus, mittatur & detur. Unde & ad ipsum Patrem, de quo etiam habet Filius omne, quod suum est, referens, & ei totum attribuens, dicit apud Joannem: *Mea doctrina, non est mea, sed ejus qui misit me.* Joan. 7. Et iterum: *Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit:* Joan. 17. ac si diceret Filius: Patrem tantùm in processione Spiritus nomino: quia omne quod habeo, ratione Esse & principii, ab ipso Patre, qui est causa & principium in divinitate, me habere cognosco. Nam ut à Filio procedat Spiritus sanctus, hoc habet Filius a Patre: Pater verò non ab alio, sed à se tantùm. (a) *interstitium fortè leg.*

Istam itaque differentiam sacri Doctores, fidei oculo interioris hominis & sanè discernentes, in multis locis inveniuntur dixisse, quod Spiritus sanctus procedit à Patre *principaliter*. Alii dixerunt, quod *propriè* à Patre: alii quod à Patre per Filium, vel Filio *mediante*. (b) Et licet verum sit, quod Sancti asserunt, & contradici non possit: non tamen sequitur, quod Græcus intelligit: scilicet, quod idem Spiritus prius à Patre, postmodùm à Filio, vel quod magis à Patre, quàm à Filio procedat: aut quod sint duæ processiones, & una earum superflua; sed quia Pater gignendo ab æterno Filium, dedit ei totum esse suum; est enim verus Deus de Deo: Et quod idem Filius, æternaliter existens, à Patre, nascendo, accepit omne, quod habet, & ut Spiritus sit & procedat ab eo. Quam essentiam Spiritus à Filio sancti Doctores, maximè Græci, considerantes, Filium *causam* & *fontem* Spiritus sancti nominant, nec non & ipsum Spiritum imaginem Filii. Quemadmodum utique Filius imago est Patris, & talem numerum & ordinem Spiritus ad Filium assignant, qualem habet Filius ad Patrem: secundùm quod in sequentibus plenius apparebit. Varii modi processionis. (b) *procedat.*

Diximus ergò, quod procedit Spiritus sanctus pariter & æqualiter à Patre & Filio, tanquam donum amborum, & amor utriusque: sed procedit à Patre per Filium, vel mediante Filio, ut diximus: aut certè principaliter & propriè à Patre: Quia, ut ab eo procedat, Pater à nullo habuit: Filius verò non à se, sed à Patre accepit. A quo enim habet, ut sit, ab eodem etiam habet, ut Spiritus sanctus sit ab eo, & procedat, detur, & mittatur, ut ab eo Esse accipiat. Quæ cuncta vocabula sanè intelligentibus unum & idem, id est essentiam Spiritus à Filio, prædicant & manifestant. Quod tamen, sicut diximus, Græcus non confitetur.

*Assertio Catholicæ Veritatis. Et primum ex Græcorum Patrum Auctoritatibus.*

QUod Spiritus sanctus procedat à Patre per Filium, vel mediante Filio, ut dictum est: vel quod idem Filius dicatur Fons, & *causa* Spiritus sancti: & etiam quod idem Spiritus sanctus vocetur Imago Filii, & Esse accipiat ab eo; omissis argu- Authoritates Patrum.



Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1252.

mentationibus multis, quas nec recipiunt, nec planè intelligunt, Sanctorum ſuorum teſtimoniis inſiſtentes, ſic probamus.

Gregorius Nazianzenus in ſermone, qui incipit *Odibiles, &c.* Ita dicit: *Spiritus ex eſſentia Patris per Filium æternaliter miſſus ſanctificat omnem creaturam, &c.*

In Epiſtol. Dionyſii: *Credo in Spiritum ſanctum, Deum & vivificum, ex Patre per Filium procedentem.*

Baſilius in ſermone de Trinit. qui ſic incipit: *Cognitio Patris, &c. Antiquitùs Divinitatis non ignorabatur myſterium. Verbo enim Domini*, inquit Pſalmiſta, *cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris ejus, omnis virtus eorum; ſed nec alio Verbo, quàm Filio, nec alio ſpiritu, quàm Spiritu ſancto. Unus eſt enim Spiritus. Et ſicut ex ore Dei proveniens Filius, ſic Trinitatem verbo unit, & antiquitus, & nunc.*

Item in eodem, ante finem: *Via Dei cognitionis eſt ab uno ſpiritu per Filium unum ad unum Patrem. Naturalis bonitas, & quæ ſecundùm naturam ſanctificatio, & regalis dignitas ex Patre per unigenitum ad Spiritum pervenit.*

Item Athanaſius in editione Fidei, cujus eſt initium. *Credimus in unum unigenitum Deum, &c.* parum ante finem. *Spiritus autem ſanctus proceſſivum ens Patris, & ferentis Filii, per quem implevit omnia.*

Item in Epiſtola Athanaſius de Spiritu ſancto, ad Serapionem, cujus eſt initium: *Literæ tuæ devotionis, &c. Uno exiſtente Filio viventi unam oportet eſſe plenam, perfectam, & ſanctificativam vitam: quæ eſt operatio ejus, & donum, quod ex Patre dicitur procedere: quia ex verbo, quod ex Patre eſt, manifeſtè reſplendet, & mittitur & donatur.*

Gregorius Nyſſenus in Epiſtola ad Eulalium, quæ ſic incipit. *Vos quod juſtum, &c.* parum ante finem. *Immutabilem verè confitentes eum, qui ſecundùm cauſativum & cauſatum eſt, differentiam non negamus: in quo ſolum diſcerni alterum ab altero comprehendimus, hoc quoddam cauſativum credentes: hoc autem ex cauſativo & ejus, quod ex cauſativo eſt: alteram iterum differentiam intelligimus. Hoc enim proximè de primo: hoc autem per proximum de primo.*

Item: idem libro contra Eunomium quaſi in fine, ibi loquitur: *Sicut enim copulatur Patri Filius, & ex ipſo eſſe habens, non eſt poſterior ſecundùm exiſtentiam: ſic iterum & ab unigenito habetur Spiritus ſanctus, intellectu ſolo ſecundùm cauſæ rationem præſpeculata Spiritus hypoſtaſi.*

Item Athanaſius in ſermone contra Aërios, cujus initium eſt: *Qui malitioſè*, in fine loquens de aqua ſaliente in vitam æternam, ſic ait: Propter hoc David pſallens Deo
*Pſalm.* 35. ſic ait: *Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Sciebat enim*
*Hier.* 1. *apud Patrem eſſe Filium fontem Spiritus ſancti: ſicut per Prophetam Filius dicit: Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, &c.*

Item Cyrillus in ſermone ſeptimo, cujus initium eſt: *De humanatione unigeniti*; quaſi poſt duas partes ſermonis: *ſolvens enim à peccato eum, qui ſibi conſentit, proprio jungit de cætero ſpiritu, quem immittit ipſe: Ut ſicut ex Deo Patre eſt verbum: ita ex propria nobis natura refundit ſpiritum.*

Quod autem hîc *refundi* dicimus, in Græco dicitur ἀναπηγάζειν, & à fontis nomine ſecundum ἀνὰ præpoſitionem derivatur. Ex quo liquidè apparet, ſanctum Patrem intellexiſſe Filium eſſe fontem Spiritus ſancti.

Beatus Gregorius, cognomento Thaumathurgos, in ſuæ editione Fidei; quæ in vita ejus legitur, ſic ait: *Unus Spiritus ſanctus ex Deo eſſentiam habens, & per Filium lucens liquidè hominibus, imago Filii perfecta.*

Item Magnus Athanaſius, in ea, quæ ad Serapionem eſt de Spiritu ſancto, epiſtola; cujus eſt initium: *Literæ tuæ ſacræ, affectionis, &c.* ſic dicit: *Sicut in propria imagine eſt Filius in Spiritu: ſic & pater in Filio.* Et poſt modicum: *Imago Filii dicitur & eſt Spiritus ſanctus, dicente Paulo: quos præſcivit*, inquam, *& prædeſtinavit*
*Rom.* 8. *conformes fieri imaginis Filii Dei.* Item in eadem. *Manifeſtum enim erit, quod neque creatura Spiritus, neque Angelorum eſſentia: in eo, quod illi convertibiles ſunt: Sed imago Verbi & Patris propria eſt.* Item in ejusdem Epiſtolæ abbreviato ſermone: *Si autem bonus odor & forma Filii eſt, manifeſtum eſt, quod non erit ſpiritus creatura.*

Item Baſilius in quarto ſermone contra Eunomium, qui ſic incipit: *Si natura Deus, Filius, &c. Imago quædam Dei Chriſtus eſt: qui eſt, inquam, imago Dei inviſibilis: imago autem Filii Spiritus.*

Item in eodem libro cap. cujus titulus; quod ſicut Filius ad Patrem ſe habet, ſic Spiritus ad Filium; in ipſo initio capituli, ſic ait: *Propter hoc & Dei quoddam Verbum*
*Hebr.* 1. *Filius, Verbum autem Filii Spiritus: portans*, inquam, *omnia Verbo virtutis ſuæ.*

Item

Digitized by Google

Item beatus Cyrillus in libro dialogorum cum Hermia, de Spiritu sancto loquens, cujus est initium, *Labor beatorum fructus glorioſus, &c. Character verus & naturalis ad ſummum certitudinis, quæ ſecundum ſimilitudinem intelligitur, ipſe eſt Filius; ſimilitudo pura, & naturalis Filii Spiritus eſt: ſcribente audies beato Paulo: quia quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii Dei, quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit.* SÆC. XIII. ANNO 1252. *Eſt liber ſeptimus dialogorum cum Hermia.*

Athanaſius ad Serapionem in Epiſtola de Spiritu ſancto, ut ſupra annotatum eſt: *Et Filius, inquit, quæ audivi à Patre, hæc loquor in mundo. Spiritus autem à Filio accipiet, & annunciabit vobis.* *Ioan. 8.* *Ioan. 15.*

Item Baſilius ad Amphilochium cap. 5. *Scribens ad Epheſios Paulus ait: Veritatem autem facientes, &c. Ex plenitudine ejus nos omnes accepimus:* Et ipſe inquit Dominus; *quoniam de meo accipiet, & annunciabit vobis.* *Ibid.*

Item Gregorius Nyſſenus in ſermone contra Arium, & Sabellium, qui ſic incipit: Quid dico? *Dic mihi Spiritus ſanctus immortalis eſt, &c. Sanctus, principalis, juſtus, verus, profunda ſcrutans Dei, ex Patre procedens, ex Filio eſſe accipiens, &c.*

Item Epiphanius in libro qui *Ancyrotus* ſeu *Ancoratus* dicitur, ſic dicit; *Spiritus autem ſanctus, Spiritus Dei ens cum Patre & Filio, non eſt alius Deus à Deo; à Deo autem ens à Patre procedit, à Filio accipit, & in eodem Filius revelat Patrem. Nullus enim novit Patrem niſi Filius, à quo procedit, à quo accipit.*

Ecce patet ex præmiſſis, qualiter Spiritus Sanctus ſit ex Filio, ſive, quomodo procedit æqualiter ab utroque: quia nil aliud eſt Spiritum ſanctum à Patre eſſe, vel à Filio, quam procedere ab eis. Quia cùm non ſit alius modus, quo perſona ſit ab alia, niſi generationis, aut proceſſionis: neceſſe eſt, ut ſi eſt à Filio Spiritus ſanctus, quod negare Græcus non poteſt, quod ſit etiam ab eo per modum proceſſionis: niſi fortè novam velint fingere hæreſim, ut dicant, quod idem Spiritus ſanctus generetur à Filio; & ſint in divinitate duo Filii, & unus eorum nepos.

Oſtenſum eſt inſuper, quod Spiritus ſanctus, ut ſit à Filio, hoc habet Filius à Patre: propter quod à Patre per Filium, vel mediante Filio, vel certè principaliter & propriè dicitur Spiritus procedere, vel ſpirari à Patre. Terminatum eſt enim, quomodo idem Spiritus à Filio, qui eſt ejus cauſa & fons, propter modum eſſendi à Filio, catholicè dicitur eſſe ratio & forma Filii. Unde & verbum & imago Filii propter eandem rationem Spiritus nuncupatur. Quæ prudens lector ſi conſideret diligenter, multa quæ à Græcis objiciebantur, ſoluta inveniet; & licet breviter, tamen & catholicè, & verè terminata.

## *Solutio ad tertium objectum.*

AD tertium autem objectum, quod dicit: *Omnia quæcunque, audivi à Patre meo, nota* (a) *faciam*, Concedimus ſicut & ipſi gloſſant, omnia neceſſaria ad ſalutem. Hoc tamen neceſſariò addimus in gloſſa, quod, aut implicitè, aut explicitè nota facit eis omnia. Nam cùm verba ſint Veritatis, Veritas mentiri non poteſt. Dicit enim: *Multa alia habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*; quaſi dicat: Horum & aliorum verborum meorum intelligentiam relinquo magiſterio Spiritus ſancti, qui docebit vos, & *ſuggeret omnia, quæcunque dixero vobis.* Solutiones objectionum. *Ioan. 15.* (a) *feci vobis.* *Ioan. 16.*

Item, quamvis non inveniatur ſecundum vocem in Evangelio, quod Spiritus procedit à Filio, invenitur tamen ſecundum veritatem intellectus, in pluribus locis. Dicitur enim Spiritus veritatis, id eſt Filii: quia de ſe veritas increata loquebatur tunc, Chriſtus. Si ergò eſt Spiritus veritatis, aut quia Spiritus eſt à veritate, aut quia veritas eſt à Spiritu. Sed quod veritas ſit à Spiritu, error eſt: quia Filius à Patre ſolo eſt, & non à Spiritu: confiteri neceſſe eſt, quod ſit Spiritus veritatis, id eſt Filii, hoc eſt, à Filio. Si autem à Filio; aut generatione, aut proceſſione, ut ſupra. Quia verò (b) eſt bonæ expoſitionis, patebit in ſequentibus. (b) *id. fortè.*

## *Spiritum ſanctum eſſe Spiritum veritatis, hoc eſt Filii, ex Græcorum Patrum expoſitionibus comprobatur.*

BEatus Cyrillus, in recapitulatione de Spiritu ſancto, dimembrationibus ſexaginta ſex, demonſtratione ſic ait: *In Evangeliis quidem Salvator ſic ait de ſe: Ego ſum veritas. Beatus autem Joannes ex Patris eſſentia, & Filii Spiritum oſtendens, in Evangeliis quidem ait, ſpiritus veritatis, qui à Patre procedit.* *Ioan. 15.*

Idem Sanctus, in quarta epiſtola ad Neſtorium, cujus eſt initium, *Salvatore noſtro dicente, &c.* parum ante finem: *Etſi eſt in hypoſtaſi Spiritus ſanctus propria, & in-*



Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1252.

*telligitur secundum se, vel quod Spiritus est, & non Filius: tamen non est alienus ab ipso Filio. Spiritus enim veritatis nominatus est. Est autem Christus veritas, & profunditur ab ipso, quemadmodum utique & ex Patre.* Quid autem sit *profundere*, exponit idem Cyrillus in expositione Symboli Nicæni, tractans verbum illud, qui ex Patre procedit, dicens: *Transacto de Christo ipso sermone, cùm beati Patres sancti Spiritus memoriam facerent: credo*, dixerunt, *in eum, quemadmodum in Patrem, & Filium: consubstantialis* enim eis, & funditur Spiritus, procedit tanquam à fonte Deo, & Patre.

*Ioan. 14.*

Beatus quoque Basilius in libro de Spiritu sancto ad Amphilochium cap. 18. *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Unde solus glorificat Deum. Ille me clarificabit, inquam, quia de meo accipiet & annunciabit vobis, non sicut creatura, sed sicut Spiritus sapientiæ Christum, Dei virtutem & Dei sapientiam, in sua magnitudine revelans: & sicut Paracletus Spiritus characterizat ejus, quæ promisit per Spiritum, Paracleti bonitatem, & in sui dignitate majestatem demonstrat ejus. Unde & provenit*; quod idem est, quod procedit.

Idem sanctus Epiphanius in libro de Ancorato: *Pater veri Filii est Pater, lumen totus Filius, Patris Verbum, lumen ex lumine, non utique facta vel creata applicatione sola; & Spiritus sanctus, Spiritus veritatis, lumen tertium ex Patre & Filio.*

*Joan. 7.*

Item, alia auctoritas Evangelii, Spiritum ex Filio procedere compertè clamat. Dicit enim Filius: *qui credit in me, sicut dicit scriptura: Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit* (ait Evangelista) *de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Audisti Græce, quod Spiritus procedit ab eo, qui credit in eum? Nonne etiam fluit à Filio Spiritus? Imò. Quomodo à credentium mentibus fluere dicit Spiritum, nisi quia fluit ab eo, quem habet in se credens in eum, hoc est, à Filio? Quid est verò, Spiritum à Filio fluere, nisi procedere ab ipso? Quod autem flumina Spiritus sancti procedunt, monstratur manifestè in libro Jesu filii Sirach: *Ego*, inquit, *Sapientia effudi flumina.* Quid enim in hoc loco per Sapientiam, nisi Filium, & quid per flumina, nisi Spiritum sanctum intelligimus? Effudit ergò Sapientia flumina, quia Filius ex se emittit Spiritum, qui procedit ab ipso.

*Eccl. 24.*

*Joan. 5.*

Item dicit de eodem Filius in Evangelio: *Sicut Pater habet vitam in semetipso: sic dedit & Filio habere vitam in semetipso.* Quid aliud in hoc loco per vitam, nisi Spiritum sanctum intelligimus, quem Pater habet in se, & dedit Filio: ut ipse ita Spiritum habeat in se ipso, sicut habet Pater? Ergò Filius non solùm habet Spiritum, quem habet Pater: sed etiam ita habet Spiritum, sicut habet Pater. Videamus itaque, quomodo Pater habet Spiritum in semetipso. Pater autem sic habet Spiritum, ut semper sit in Patre, & semper procedat à Patre: & ita semper procedit à Patre, ut semper in Patre maneat, & ita semper in Patre manet, ut tamen semper à Patre procedat. Si Filius isto modo habet Spiritum in semetipso, verum est, quod ipse dicit: *Sicut Pater habet vitam in seipso; sic dedit & Filio habere vitam in semetipso.* Si autem isto modo non habet, quomodo erit verum, quod dicit: *Sicut Pater habet vitam in seipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso?* Sed falsum esse non potest, quod à veritate est dictum: Ergò verum est, quod veritas dixit.

*Ibid.*

Item, sicut Pater suscitat mortuos & vivificat, sic & Filius, quos vult vivificat. Vivificare Spiritus sancti est, &c. sicut veritas dicit: *Spiritus est qui vivificat, &c.* Quando ergò Pater mortuos vivificat, de Spiritu sancto, quem mittit in eos, vivificat. Spiritus sanctus enim est, qui mortuos vivificat, vitam dando mortuis operatione sua: & etiam vitam gratiæ mortuis in peccatis inspiratione sua. Si igitur Filius ita de Spiritu sancto vivificat, sicut Pater: sequitur quod sicut ad Patrem pertinet Spiritus, etiam illo modo pertinet ad Filium. Sed ad Patrem pertinet, ut ab ipso procedendo det vitam mundo, sicut alias scriptum est. Ita ergò & ad Filium.

Object. Græcor.

Sed dicet Græcus. *Non ita pertinet Spiritus ad Filium, sicut ad Patrem: quia Pater dedit Filio, ut possit mittere; sibi autem retinuit, ut procedat ab eo.* Absit ab animis Fidelium hoc deliramentum, ut Spiritus sanctus coæternus & consubstantialis Patri & Filio, aliter & aliter detur & sit: vel quod aliquid aliud temporaliter accepit, vel aliud æternaliter existat. Ista enim varietas non cadit in Deum, sed in creaturas. Nunquam etiam Filius ad mensuram accepit Spiritum, sicut & nos; & uti est

*Ibid.*

scriptum: Legimus enim, *non ad mensuram dat Deus Spiritum*, supple, Filio suo. Si verum est, quod Pater ita dedit Filio Spiritum, ut aliquam gratiam donationis in se Filius (a) retinuisset: tunc revera dedisset Filio Spiritum ad mensuram: ita ut nos possemus illam donationem mensurare dicentes: Hoc quidem dedit Pater Filio, hoc autem non dedit: sic dedit, & sic non dedit. Nonne Græcus mensurat Filio Spiritum, quando dicit: Filius sic habet Spiritum ut mittat, & donet illum: sed non sic habet, ut procedat ab ipso.

(a) Pater.

*Luc. 8.*

Item Filius de Spiritu sancto ait: *Novi de me virtutem exisse.* Et Evangelium similiter:

Digitized by Google

militer: *Virtus de illo exibat & sanabat omnes.* Quæ autem erat illa virtus, quæ sanabat omnes? De qua virtute iterum scriptum est: *Vos autem sedete in civitate Hierusalem, quousque induamini virtute ex alto.* Qui ergò negat Spiritum à Filio procedere, negat pariter verba sua ab ipso esse. Veruntamen Evangelista: *Mirabantur omnes in Verbis gratiæ, quæ procedebant ex ore ejus.* Luc. 6.

SÆC. XIII. ANNO 1252.

Quid plura? Ipsa namque Veritas, Salvator noster, volens omnem ambiguitatem Actor. 1. Luc. 4. istam de medio removere, post gloriam resurrectionis suæ jam immortalis factus & impassibilis, Spiritum sanctum ex se procedentem ostendit, cum inspirans discipulis ait: *Accipite Spiritum sanctum, &c.* Quam auctoritatem beatus Athanasius exponens in sermone de ea, quæ in carne, dispensatione Verbi Dei, & de Trinitate contra Arianos, cujus initium est, qui malitiosè, &c. sic dicit: *Propter hoc insufflat in faciem Apostolorum dicens: Accipite Spiritum sanctum; ut discamus, quod de plenitudine Divinitatis est, qua datur Spiritus sanctus discipulis.* Joan. 20. *In Christo enim* inquit, hoc est, *in carne ejus, habitat omnis plenitudo Divinitatis.* Joan. 2. *Sicut Joannes Baptista dicit: Nos autem omnes de plenitudine ejus accepimus, &c. Corporali etiam specie visus est Spiritus sanctus sicut columba descendens, & manens super eum. In nobis autem pignus, & primitiæ divinitatis habitat, in illo autem plenitudo divinitatis, ne quis putet, quod non habens Spiritum, ipsum tunc accepit. Ipse enim ipsum de sursum mittebat ut Deus, & ipse ipsum deorsum recipiebat ut homo. Ex ipso ergò in ipsum descendebat, ex Divinitate ejus in humanitatem.* Et hoc quidem Athanasius.

Beatus Cyrillus de eodem Spiritu, quod Spiritus sanctus sit ex Filio, & quod ipse Filius dederat tunc Spiritum sanctum Apostolis, cum insufflavit, & dixit; *Accipite Spiritum sanctum,* super Genesim sic testatur: *Sicut beatus Moyses ostendit hominem à Deo accepisse Spiraculum vitæ: hoc Christus innovans in nobis post resurrectionem à mortuis, insufflavit discipulis dicens: Accipite Spiritum sanctum: ut iterum reformati ad pristinam imaginem, conformes appareamus creatori per participationem Spiritus.*

Quando ergo Spiritus sanctus in nobis factus, conformes nos Dei ostendit; procedit autem à Patre & Filio, manifestum, quia de eadem essentia est essentialiter in ipsa, & ex ipsa procedens, velut ex humano ore excurrit insufflatio: etsi parvum, & non dignum sit exemplum. Omnia enim superabit Deus.

Item Anastasius Patriarcha Antiochenus, in sermone de recta veritate dogmatum, qui sic incipit: Dominus Deus meus fortitudo mea, &c. de Spiritu sancto sic testatur: *Etenim Dominus ipsum Spiritum ex se ostendens existere, insufflans ajebat: Accipite Spiritum sanctum.*

Ecce ut diximus, omnia quæ necessaria sunt ad salutem, aut explicitè, aut implicitè scripta sunt in Evangelio: quod ex dictis, & subsequutis sanctorum testimoniis probavimus, & in sequenti capitulo manifestius apparebit.

## *Ad quartum Solutio.*

AD quartum objectum, quo dicitur; *A Patre tantum dixit Filius procedere Spiritum, & non addidit à Filio;* dicimus: quod non est necesse, quod ubicunque subticetur una persona, excludatur ipsa, & non intelligatur; quod isto modo in multos errores præcipitaret nos ipsa Veritas, Filius Dei. Verbi gratia, in Evangelio scriptum legimus: *Non enim vos estis qui loquimini: sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Matth. 10. Item: *Ego & Pater unum sumus,* dixit Filius, & nullam mentionem Joan. 8. fecit de Spiritu sancto. Et iterum: *De die autem & hora illa nemo scit nisi Pater.* Item Paulus: *Misit Deus Spiritum Filii sui,* non dicit, suum. Et iterum: *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Galat. 4. Rom. 8. Item Filius in Evangelio: *Spiritus est, qui vivificat.* Joan. 6. Si igitur illa sola persona intelligitur in his auctoritatibus, de qua fit mentio, & non alia: ergò Spiritus, Patris tantum est Spiritus, & non Filii, quia de Filio non fit mentio, nisi de Patre. Item solus Spiritus loquitur, & non Pater, vel Filius. Item sic Pater novit quæ ventura novissimis diebus, & non sapientia ejus, id est, Filius, vel Spiritus sanctus?

Item: quis est iste Spiritus Filii, quem immittit Pater in corda credentium: numquid alius erit ab ipso, de quo scriptum est; *Spiritus veritatis, qui à Patre procedit?* Joan. 15. Item de persona Patris, Dominus in Evangelio loquens ait: *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Matth. 6. Et iterum: *Quicunque fecerit voluntatem patris mei qui in cœlis est.* Matth. 12. Nunquid & in his persona Filii non intelligitur; quare excluditur, cum dicitur, Spiritus veritatis, qui à Patre procedit? præsertim cum de se Veritate loquatur Filius, prout in præcedentibus demonstratum est. Nulla est ratio, nisi quia sic placuit Græcis adversari volentibus. Veruntamen firmiter credimus, & Catholicè tenemus, quod aliquando solius Patris nomen ponitur in lo-

Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1252.

locutione, & ipsius Filii nomen intelligitur: & aliquando nomen Filii in his non intelligitur, vel Spiritus sancti, & ipsis tantùm personis convenit, & non Patri. Sed tunc considerare oportet, si id quod de una persona dicitur, possit convenire aliis, servatis proprietatibus uniuscujusque personæ sine confusione. Unde dicimus quod quædam conveniunt soli Patri, quædam soli Filio, quædam soli Spiritui sancto. Quædam Patri & Filio, & Spiritui sancto, & quædam simul tribus personis. Patri tantum convenit hoc nomen *ingenitus*, *imprincipiatus* & *Genitor:* Filio, *Genitus*, & *Principiatus*; Spiritui sancto *procedens*; & hoc nomen Spiritus sanctus, appropriato vocabulo; Patri & Filio est commune, tam secundum Græcos sanctos, quàm secundum Latinos; *dare*, *mittere*, & *habere*, & *spirare:* sancto Spiritui verò & Filio commune est, quòd ambo existunt æternaliter à Patre: hic per processionem, ille autem per generationem. Omnia verò alia communiter conveniunt tribus personis. Ea ergo, quæ non auferunt proprietatem, nec confundunt distinctionem, non est necesse, si dicantur de una tantùm, quod alia propter hoc excludatur. Quia in talibus licet non nominetur, tamen semper subintelligitur, etsi non specificetur: ut in præmissis est ostensum.

## *Quod Spiritus sanctus procedit à Filio: secundum Apostolos, & Græcos.*

Spiritus procedit a Filio secundum Patres.

OStenso igitur quod Spiritus procedit à Filio secundum Evangelium, secundum quod sacri Doctores nobis exposuerunt: restat, & necesse est, ut qualiter secundum Apostolos & sanctos Græcos procedat, iterum demonstretur; ut in pluribus mendaciis adversarii veritatis deprehensi, eorum assertionibus nulla de cætero fides adhibeatur.

Cyrillus ita exponens istud verbum, quod in Actibus Apostolorum positum est: *Ministrantibus autem Domino, & jejunantibus, dixit Spiritus sanctus: Segregate mihi Barnabam & Saulum*; ita dicit: *Si igitur vocante ipsos in Apostolatu spiritu, à Jesu vocatos eos dicunt: ostenditur manifestè, quod non alienus est ab essentia Filii Spiritus sanctus, sed in ipso, & ex ipso, quasi operatio quædam naturalis omnia potens explere, quæcunque & vult.*

Et post pauca, verbis respondens hæreticorum, dicentium, Spiritum imperfectum esse, & nihil habentes ex se, sed ex participatione existentem, propter hoc, quod de ipso dicit Dominus: *Non enim loquetur à semetipso, &c.* sic ait: *Non enim imperfectum Spiritum ostendens hoc de ipso ait Salvator, sed ut magis certificet audientes, quod essentiæ existens ejus, non aliud quid loquitur, quàm quod ipse vult, & sensus existens ejus juxta B. Paulum dicentem de Spiritu: Nos sensum Christi habemus: ille prorsus rationabitur & ordinabit, quæ & ipse, cujus est sensus. Propter hoc nihil ex se ipso Spiritum locuturum affirmavit, quasi dicat: Ego sum iterum qui loquor, velut si & qui in homine est sensus, dicat de procedente ex se ipso ratione: Non loquetur à se ipso aliquid, sed quæcunque audiet loquetur.*

Et statim post aliqua verba interposita ait S. Cyrillus: *Talem quendam intellectum oportet accipere de Spiritu sancto. Cum enim existat Spiritus sanctus Christi, omnia quæ ipse loquitur discipulis, non inseparata quadam voluntate ab eo, in quo est, loquitur: sed tanquam ex essentia illius naturaliter procedens, & totam voluntatem ejus habens, sicut & operationem.* Quod autem hic transtulimus *Procedens*, in Græco dicitur προϊὸν, & ex dictis sanctorum, & vi grammaticę æquipollens dignoscitur, τῷ ἐκπορευόμενον participio. Cujus participii verbum legitur in Evangelio, ubi ex Patre dicit Spiritum procedere.

Idem sanctus exponens aliam auctoritatem B. Pauli, idem repetit dicens: *Mittit Paulus quibusdam dicens taliter: Notifico autem vobis, quod nemo loquens in spiritu Dei, dicit anathema Jesu: & nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in spiritu sancto. Manifestum est ergo, quod qui participat spiritum sanctum, novit esse Dominum Jesum: qui autem non participat, ignorat. Qualiter qui participat spiritum, novit esse Dominum Jesum: sicut qui de melle gustaverit, scit quod dulce est mel: sic & spiritus participes, Ergo ex essentia Filii Spiritus sanctus qualitas quædam, ut ita dicamus, Dominationis omnis Dei.*

*Dial. 7. de Trinit. in quo probatur divinitas Spiritus sancti sicut in 6. prioribus dialogis divinitas filii, Matth. 28.*

Cyrillus in serm. 2. ad Hermiam, Parum ante medium super id: *Ecce ego vobiscum sum, &c.* dicit sanctus: *Misit nobis Filius de cœlo paracletum, per quem, & in quem nobiscum, & in nobis moratur: non alienum sive extraneum nobis effundent, sed essentiæ suæ, & Patris personæ Spiritum.*

Item Anastasius Antiochenus Patriarcha in præfato sermone de recta veritate dogmatum sic ait: *De sana nostra Fide, & rectis Ecclesiæ documentis diligenti & subtili ratione corporis & proprietatis assumentis, tanquam exemplum distinctionum Divinarum personarum, statuimus per membrorum proportionem & proprietatem comparare. Etenim*

Digitized by Google

*nim Spiritus oris ejus, ſcilicet Dei, dicitur Spiritus ſanctus, ore exiſtente unigenito. Et Spiritus iterum ex ipſo procedens, & miſſus non ſolum à Patre, ſed etiam à Filio.* SÆC. XIII. ANNO 1252.

Epiphanius Cypri in memorato libro Ancorato dicit: De Proceſſione Spiritus à Filio talia teſtatur. *Spiritus enim Deus eſt, & ſpiritus Patris, & ſpiritus Chriſti, non ſecundum aliquam compoſitionem, quemadmodum in nobis corpus & anima: ſed in medio Patris & Filii, ex Patre & Filio.*

Idem Sanctus in libro de una Deitate: *Ait ergo Petrus his, qui circa Ananiam erant: Ut quid tentat vos Satanas mentiri Spiritui ſancto? Non eſtis mentiti hominibus, ſed Deo.* Ergo: *Deus ex Patre & Filio Spiritus, cui mentiti ſunt, qui de pretio fraudaverunt.*

Item in eodem opere: *Vita tota Deus, ergo vita ex vita Filius. Ego enim*, inquit, *ſum via, veritas & vita. Spiritus enim ſanctus ab ambobus Spiritus & vita. Nam Spiritus Deus eſt.*

Et iterum: *Nunquid dicimus duos eſſe Filios? Et quomodo unigenitus? Imò, tu quis es, qui reſpondeas Deo? Si Filium quidem vocat, id eſt, procedit ex ſe, Spiritum verò ſanctum ex ambobus?*

Quid ergo dicemus? Adhuc egemus teſtibus? Audivimus Græcorum blaſphemias dicentium: Spiritus ſanctus non procedit à Filio, quia perfecte procedit à Patre: quaſi etiam non perfectè mittatur & detur à Filio?

Item; non procedit, inquiunt, à Filio, quia duo eſſent cauſæ, & duo principia. Ergo cum Scripturæ ſacræ & Evangelium Filium principium ſcilicet de principio nominent, ut illud: *Ego principium, qui & loquor vobis.* Et Pſalmiſta: *Et tu in principio Domine terram fundaſti.* *Ioan. 8. Pſal. 103.*

Item, non procedunt quæ dicunt, quod Chriſtus hæc tacuit, Apoſtoli non dixerunt, Sancti etiam de hoc nil prædicaverunt. Sed ex præmiſſis auctoritatibus, mendaciis eorum jam patefactis, reſtat nunc oſtendere, qualiter & in his, quæ ſequuntur, ſuis rationibus mentiantur.

Nulla definitio circa proceſſionem Sp. a Filio.

Dicunt enim: *Sancti Patres in Conciliis ſuper hoc nil definierunt: Sed ponentes in ſymbolo, ea quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem, eos, qui aliud adderent excommunicaverunt: Sed vos addidiſtis: ergo eſtis excommunicati.*

*Reſponſio Latinorum.*

AD quod reſpondentes breviter ſic dicimus: Sancti hoc in Symbolo non poſuerunt, quia minimè dubitaverunt. Non enim proponebant in Symbolo, vel definiebant in Synodis, niſi ea, quæ in quæſtionem ab hæreticis vertebantur, & mundum vel univerſalem Eccleſiam in errorem ducebant. Unde nec Symbolum tunc temporis expoſuiſſent, niſi eos ad hæc hæreticorum pravitas compuliſſet. Unde in prima & ſancta univerſali Synodo, quæ ſub ſanctiſſimo Papa Sylveſtro, tempore Conſtantini Principis, à trecentis octodecim Patribus ſanctis in Provincia Bythiniæ, civitate Nicæa, contra impiiſſimum dogma Arii, dicentis Filium Dei factum & creatum, eſt celebrata; nil aliud definierunt de Spiritu ſancto, niſi quod in (b) ipſo credi debeat, & quod ſit Dominus, & vivificans. (b) *ipſum.*

In ſecunda vero Synodo, quæ ſub beato Papa Damaſo, tempore Theodoſii Principis, à centum quinquaginta Patribus in urbe Conſtantinopolitana contra Macedonium, præfatæ urbis Epiſcopum, dicentem Spiritum ſanctum minorem Patre & Filio, vel certe miniſtrum Trinitatis, celebrata eſt: definierunt prædicti Patres, Spiritum non factum, nec creatum: ſed potius creatorem, ab ipſo fonte in Divinitate, Patre, tanquam à primaria vena procedentem. Et hoc in ſecundo Symbolo, quod Conſtantinopolitanum dicitur, diligentius notaverunt. Quia verò non fuit quæſtio, ſive dubium: Utrum Spiritus à Filio procederet, vel non? ſancti Patres, ſicut & multa alia, quæ poſtmodum in aliis Conſiliis Catholicè definita ſunt, ſub ſilentio tranſierunt. Proceſſu verò temporis, increſcente quorundam malitia, in occidentibus partibus, dicentium Spiritum ſanctum non procedere à Filio, pro eo, quod in Symbolo non ponatur, aggregati in unum Epiſcopi illarum partium, de licentia & auctoritate Summi Pontificis, veritatem Fidei, quam tenemus in Symbolo declarantes, cantari etiam hoc in Eccleſia ab omnibus mandaverunt. Græci verò, & cæteri Orientales, vocati non ſunt, aut quia nimis diſtabant, aut quia non dubitabant etiam hoc adducere in quæſtionem.

Quod autem eis tunc licuerit, & liceat hodie nobis aliquid ſcribere, prædicare, & cantare, quod in Symbolo non eſt expreſſum, docemur ex quarto, quinto, ſexto, ſeptimo Conciliis: quorum quædam definiunt, quod non eſt expreſſum in Symbolo: ut de ſacris imaginibus, ſuper quibus ſeptima fuit Synodus, nihil in Symbolo contine- Objectiones ex ſilentio conciliorum.



Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1252.

tur. Sic nec de duabus voluntatibus & operationibus in Chriſto, ſymbolum manifeſtè determinat: de quibus ſexta Synodus definivit: ſic nec Theodorus Mopſueſtiæ, nec Theodoriti ſcripta, quæ contra B. Cyrillum compoſuit, condemnat Symbolum, quamvis ſecunda univerſali Synodo (a) condemnentur. Sic nec duas naturas inconfuſas, & impermixtas in Chriſto in unitate perſonæ, ſine omni converſione per Symbolum habemus expreſſum, cùm, ſic eſſe, definierit quarta univerſalis Synodus, Leonem Papam primum ſequuta: Epiſtolam quoque ejus quem prædiximus, Fidei orthodoxæ columnam uſque hodie Græcus appellat: & quod forſan aliquis miretur, ſancta, & univerſalis Synodus prohibet, ne alicui liceat proferre, vel ſcribere, vel componere alteram fidem ab ea, quæ definita eſt à ſanctis Patribus Nicææ congregatis, quamvis ſecunda Synodus ſymbolum ediderit, ut ſuprà oſtenſum eſt, in quo aliqua continentur, quæ in Nicæno Concilio non habentur: quod ex collatione utriuſque Synodi manifeſtum eſt lectori: Ipſam verò prohibitionem ad verbum ſic continet: Tertiæ Synodi cap. ult. *Iis igitur lectis definit ſancta Synodus, alteram fidem nemini licere proferre, vel ſcribere, vel componere, præter eam, quæ definita eſt à ſanctis Patribus Nicææ cum ſancto Spiritu, præſumentes alteram fidem proferre, vel offerre, converti nolentibus ad agnitionem veritatis ex Judaiſmo, vel hæreſi qualicunque*, hos, ſi quidem fuerint, *anathematizari.*

(a) *Fuit Synodus ſecunda Conſtantinopolitana.*

SEd dicet Græcus: Quid ultra quæritur? Ecce habemus propoſitum ex definitione.

*Reſponſio Latinorum.*

AD quod reſpondentes ſic dicimus: Prohibitio ſancti Concilii ſicut ſancta & vera eſſe oſtenditur, ita nil contra veritatem dinoſcitur continere. Dicit enim: Si quis aliam fidem à veritate prædicaverit, ſcripſerit, anathema ſit. Sed Latinus ſcribit & prædicat illud, quod Sanctorum ſanctoritatibus, & ſacræ Scripturæ teſtimoniis probat eſſe verum. Ergo non aliam, ſed eandem minus expreſſam olim in Symbolo, tam fidelibus quàm infidelibus prædicat fidem.

Quod autem vera ſit expoſitio, probatur per auctoritatem Apoſtoli, & per ipſos tractatores ſacræ Fidei, qui in dictis Conciliis perſonaliter intereſſe meruerunt. Dicit ergo Paulus quibusdam ſic: *Quicunque vobis aliud prædicaverit, præter id quod accepiſtis*, hoc eſt, ſi quis vobis aliud, id eſt, contrarium evangelizaverit, vel contrario modo docuerit, *anathema ſit.* Non dicit, ſi quis vobis addiderit. Nam ſi illud dixiſſet, ſibi ipſi præjudicaſſet, qui cupiebat venire, ut ſuppleret, quæ eorum Fidei deerant. Sed qui ſupplet, quod minus erat addit, non quod inerat tollit.

Qui prætergreditur Fidei regulam, non addit ad omnia; ſed recedit à via. *Aliud* ergo poſitum eſt pro oppoſito. Nam, quæ de Deo eſt, veritatem nullus hominum prohibere poteſt, quin poſſit cantari, legi, & prædicari in Eccleſiis: Unde idem Apoſtolus ait. *Nihil poſſumus adverſus veritatem.* Cum igitur Romana Eccleſia aliud, aut contrarium ſanctorum definitionibus non ſcribat, vel prædicet, ſed quod verum eſt, & cujus oppoſitum facit hæreſim: nec non & ejus veritas periculoſo ſilentio petentibus denegatur: patet quod ſi propter pietatis naufragium, quod imminebat, addidit veritatem fidei, in Symbolo non expreſſam, quod non eſt excommunicata.

Si verò propter declarationem Fidei talem, ut Græci aſſerunt, additionem factam in Symbolo, excommunicationis ſententiam Latini incurrerunt: confiteri neceſſe eſt, omnes qui in ſecundo, quarto, quinto, ſexto, ſeptimo Conciliis fuerunt, pro eo, quod præter ea, quæ in Symbolo Nicææ continebantur, aliqua, immo multa de fide definierunt, Anathematis gladio fuiſſe percuſſos. Sed quæ major dementia, & major cæcitas, quàm dicere, aut proferre, aut prorſus cogitare, quod tertium Concilium excommunicaverit præteritos, & futuros, qui aliquid plus, quamvis verum, definierunt in Eccleſia, quàm illud, quod definitum eſt à ſanctis Patribus in ſancta Nicæna Synodo conſtitutis.

Item, nunquid Nicænum, aut Conſtantinopolitanum Symbolum omnia continet, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem, ubi nullum de ſeptem Sacramentis Eccleſiæ, excepto baptiſmo, aliud expreſſum ibidem continetur? Cui ergo dubium videtur; quædam vera eſſe de Deo, quæ in libris non continentur? Et ut de his nunc taceamus, (a) qui non lecta expletis ſequuntur: Patrem & Spiritum, Filio incarnato, incarnatos non eſſe, aut paſſos, ubi in ſcriptura poteris invenire? quod tamen ita verum eſt, ut oppoſitum vel mente concipere, ſit abſurdum.

(a) *locus mendoſus.*

Item, quomodo tertium Concilium excommunicat primum & quartum, quintum, & ſextum, & ſeptimum? cùm in fine cujuslibet Concilii hanc eandem prohibitionem factam ab eis recipiat; ſcilicet: *Si quis alteram fidem, &c.* Si vero excommunicati, quomodo ſancti? ſi autem ſancti, non excommunicati. Quomodo tamen non excommunicati?

Digitized by Google

municati? nisi prohibitionis juxta sententiam, alteram fidem, id est, contrariam rectæ fidei præsumpserunt prædicare? Quod verò tam studiosè & solicitè in omni Concilio hoc ipsum prohibuerunt, contra hæreticos, non in præjudicium veritatis factum esse apertè probant quæ in sequentibus continentur. SÆC. XIII. ANNO 1252.

Dicit enim B. Cyrillus in Epistola ad Nestorium: *Non tibi sufficiet confiteri Symbolum Fidei solum editum pro tempore in spiritu, à magna Synodo pro tempore congregata Nicææ. Intellexisti enim non rectè: sed interpretatus es non rectè: sed perversè contra hæreticorum importunitates dictum est, plus vel minus aliam fidem affirmare, conscribere, componere, docere, vel sapere: quæ aliquid superinducere, vel subtrahere moliuntur sanæ mentis intellectui eorum, qui in Nicææ Symbolum conscripserunt.*

Item de eodem Athanasius; *nil amplius debere scribi de fide: sed contentos esse ea, quam in Nicæa sancti Patres conscripserunt fide, propter hæreticorum cautum est cavillationes:* non ut pietati præjudicium inferretur: alias omnes Sanctos, qui postea aliquid de fide dixerunt, & sex venerabiles Synodos in contemptum egisse ponemus.

Item Cyrillus in Epistola, cujus est initium, Legi commotorium: *Athanasius dixit, sanctam Synodum non feciisse memoriam dictionis Genitricis: Ego autem scripsi, quod & si non fecit Synodus memoriam, bene fecit. Neque enim erat motum aliquid hujuscemodi tunc temporis, propter quod non erat necessitas quæ non quærebantur ferre in medium.*

Item Basilius in Epistola quam scripsit Epiphanio, ita dixit: *Nihil possumus addere fidei nos, neque præter eam, quæ in Spiritum sanctum, glorificationem, quam in transcursu patres nostri hujus memoriam fecerunt, nondum de ipso tunc mota quæstione.*

Patet igitur ex præmissis, quod contra hæreticorum importunitates, quæ veritatem pervertere nituntur, facta fuit hæc pro his, non ut pietati præjudicium inferretur. Et quod ea, quæ in transcursu dicta sunt, declarare licet etiam cum additionibus, nec non & veritatem tacitam pro tempore in manifestum prodire, scribere, & cantare licet. Quod, cùm negare Græci non possunt, nisi forsan scripta sua & Patres suos sanctos velint condemnare; necesse habent nobiscum & ipsi fatendo dare, Romanum Pontificem propter additionem factam in Symbolo (quam veram esse nullus sanctorum dubitavit) non esse excommunicatum, vel hæreticum, sed pium Doctorem, & Catholicum & *fidelem dispensatorem* quem Dominus super familiam suam, id est, universalem Ecclesiam constituit, *ut det illis cibum in tempore opportuno.*

## *Opinio Græci.*

DIcunt igitur Græci iterum. *Multorum Doctorum nostrorum hactenus, quorum scripta apud nos usque hodie perseverant, ut Theodoritus & cæteri vestræ opinioni erroneæ contraria scripserunt.* Theodoreti Testimonium contra processionem.

## *Responsio Latinorum.*

QUibus responsum reddentes dicimus: Quod si omnes quos Doctores nominant, tales sunt, quales Theodoritus fuisse probatur: eos tanquam pestem fugimus, & tanquam hæreticos reprobamus. In (*a*) quinto namque Concilio, cùm dictus Theodoritus nisu temerario ausus erat se opponere B. Cyrillo, pro eo, (*b*) quod in pluribus scriptis suis Spiritum Sanctum ex Filio esse fateatur; excommunicationis sententiam in pleno Concilio sustinuisse meruit: donec ea, quæ contra prædictum patrem dixerat & scripserat, publice retractaret. Theodoritus Blasphemus.

Auctoritatem ergo hujus (*c*) Theodoriti tanquam blasphemam respuentes, ad illam Damasceni, quæ sic incipit: *primò est intellectus, deinde verbum exterius, Spiritus autem est Verbi vehiculum,* accedamus.

## *Item solutio ad verbum Damasceni.*

SCiendum est Græcis, quod est verbum exterius, & verbum interius: Verbum interius, sicut sancti Doctores dicunt, est intellectus, vel cogitatio. Verbum exterius, sermo est: Similiter est spiritus duplex: Interior Spiritus, & exterior. Interior Spiritus amor est: Exterior vero, aër. Jam ergo Doctores sicut S. Augustinus, & alii, exemplificantes de verbo incarnato & Spiritu increato, comparant Spiritum interiorem ad Verbum exterius, de quibus dicit S. Augustinus: *Prius est mens; dictum est Verbum, sive cogitatio, quia cogitatio in mente concepta, Verbum dicitur.* Consequen- Damasceni testimon. contra proceſſ.



(*a*) *Imò in tertio, hoc est, in Ephesino.* (*b*) *Non fuit hæc controversia inter Cyrillum & Theodoretum; sed utrum Christus una, an duæ personæ esset.* (*c*) *Resipuit Theodoretus, & à Concilio Chalcedonensi receptus est.* STEW.

Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1252.

sequenter sequitur, quod ex utroque spiretur affectus sive amor. Mens namque Patri attribuitur: Verbum Filio: Amor Spiritui sancto. Ex hoc ergo dicimus Spiritum ab utroque procedere, sicut amorem ex mente & verbo interiori, sive cogitatione.

Auctoritas Damasceni aliter ista accipit; & ideo in errorem multos induxit. Ad aliam verò auctoritatem Damasceni, quæ dicit: *Nos Spiritum sanctum ex Filio esse non dicimus*. Si enim tanquam authenticam per Concilia recipere vellemus (quamvis non sit) sicut Sanctorum, de quibus supra memoriam fecimus, sic exponemus: *Non dicimus*, id est, *non cantamus*. Quod quidem verum est. Illud enim: *Filioque procedit*; omnino in Ecclesiis subticetur ab eis. Si autem fiat vis in præpositione, *ex*, secundùm quòd importat aliquando universalem auctoritatem principii, aut principalem causam, potest sustineri. Nam quod Spiritus procedat à Filio, hoc habet à Patre; secundum quod in præcedentibus testificati sumus.

Ad aliam autem auctoritatem Epiphanii, quæ fatetur Spiritum medium inter Patrem & Filium; dicimus id intelligendum, quod *Spiritus est connexio, & amor utriusque*. Nam ipse Epiphanius, & omnes alii cum eo, Spiritum sanctum ex ambobus, sicut supra notatum est, & ordine mediante confitentur. Unde cum dixisset Epiphanius in auctoritate præallegata, *non secundum aliquam compositionem, quemadmodum in nobis anima & corpus: sed in medio Patris & Filii*, statim subjunxit, quod Græcus occultaverat: *Spiritum ex Patre & Filio.*

Sed & Basilius in sermone qui incipit: *non erat, ut videtur, &c.* vigesimo septimo capitulo, cujus est initium, *sed forte dicet quis, &c.* sic testatur: *Pater quidem sine Principio, & ingenitus, & semper intelligitur. Ex ipso autem secundum propinquum, sine interstitio, unigenitus Patri communis est. Per ipsum autem unigenitum etiam cum ipso antequam alia* (a) *majus, & subsistens per medium intertidit intellecto, statim & Spiritus sanctus copulatione comprehenditur.* Dicitur ergo medius, prout diximus, quia amor est utriusque. Ordinatur verò post Filium, quia ex ambobus procedit.

(a) *Locus valde corruptus.*

Unde in Anchorato Epiphanii: *Pater semper ingenitus, increatus, incomprehensibilis: Filius, genitus, & semper increatus, & incomprehensibilis: Spiritus sanctus, semper non genitus, non creatus, non confrater, non ex Patre frater, non proles Patris, non proles Filii; Sed ex eâdem essentia Patris & Filii Spiritus sanctus, Spiritus omnium Deus est.*

Ad illud, quod quærebatur: *Quis vobis revelavit hoc? Unde habuistis? Quare, & nobis non fuit revelatum? Quare in Symbolo tale quid intrusistis, &c.* quia in superioribus ostensum est, vel responsum est & solutum, ideò hic sub silentio prætermissum.

Ad auctoritates etiam Evangelii, quas pravè exponunt, dicentes: *Dicitur Spiritus Filii, quia mittitur ab eo ad sanctificandas creaturas: vel quia est consubstantialis ei:* sic respondemus.

Quærimus à Græcis: Aut Spiritus erat ab æterno Filii, aut si dicunt, non: contrà Gregorius Thaumaturgus in editione fidei suæ, quæ in sua vita legitur, Spiritus esse Filii ab æterno claro sermone denuncians ait: *neque defecerit unquam Filius Patri, nec Spiritus Filio: sed inconvertibilis & inalterabilis eadem Trinitas semper.*

Item Gregorius Theologus in sermone de Pentecoste, qui sic incipit, *de hac solemnitate breviter philosophemur*, circa medium sermonis, sic testatur de eodem Spiritu: *Erat semper Spiritus sanctus, & est, & erit, neque incepit, neque deficiet: sed semper Patri & Filio coordinatur & connumeratur. Neque decebat deficere Filium Patri unquam, & Spiritum Filio, &c.*

Item Epiphanius Episcopus Cypri de perfecta humanatione Dei Verbi: *Et quoniam animam & intellectum suscipit, & quanquam est homo.* Et de Trinitate post unum folium: *Pater erat semper, & Filius ex Patre erat semper, & Spiritus sanctus ex Patre & Filio erat semper. Et neque Filius creatus, neque Spiritus creatura, &c. Sed ab æterno, ut Sancti testantur, fuit Spiritus Filii, & à Filio.* Quomodo ergo dicit Græcus, quod dicitur Spiritus Filii, pro eo, quod mittatur ad sanctificandas creaturas, cum ab æterno non esset qui sanctificaretur? eò quòd creaturæ incipiunt sub tempore. Ergo non dicitur Filii, quia mittitur ad sanctificandas creaturas: sed quia æternaliter existat ab eo. Si autem existit ab eo æternaliter; aut generatione, aut processione, & inde, ut suprà.

Sed dicit Græcus iterum: *Spiritus sanctus Filii esse dicitur, quia ratione divinæ essentiæ ei est consubstantialis.*

Latinus: Absit ab auribus fidelium hoc deliramentum. Quia si ista ratione dicitur esse Spiritus Filii, scilicet quia est ei consubstantialis: eadem ratione Filius ipse, & Pater etiam dicerentur Spiritus sancti, vel à Spiritu sancto, quia similiter sunt ei consubstantiales.

Vi-

Digitized by Google

Videtis Græci, quorsum tendunt hîc congruæ expositiones vestræ? Nam prima, Macedonium; altera, Sabellium blasphemos imitantur. Primus enim Spiritum sanctum inter creaturas ordinat: Secundus in Trinitate ordinem confundit. Ubi ergo nunc est vestra gloriatio, quia impudenter vos de pulchritudine scientiæ jactatis? dicentes: *Si autem occasione quorundam verborum, & cætera* Ast rursus ad nos redeuntes audire poteritis veritatem. Est-ne ista veritas primæ veritatis, ut relictis sanctorum Patrum sententiis, sequamur Macedonium & Sabellium hæreticos jam condemnatos? Quid ergo est? Dicitur Filii Spiritus, secundum omnes sanè intelligentes, quia procedit ab eo: quod utique ita verum est, ut qui contrarium sentit vel prædicat, secundum quod patebit inferius, est in via perditionis. SÆC. XIII. ANNO 1252.

Quia igitur multo conamine nisi sunt Græci Romanum Pontificem, & totam occidentalem Ecclesiam ostendere in canonem latæ sententiæ incidisse: & quod justè, & sine culpa aliqua sint separati à nobis, & minimè potuerunt: restat nunc ostendere, qualiter ipsi in laqueum, quem ipsi paraverunt nobis, inciderunt: & utrum dicendi sint hæretici, vel tantùm excommunicati; vel quod magis dolendum, utrum utrumque simul.

### *Ostendit Græcos incidisse in Canonem ob errorem de Spiritu sancto.*

QUod in Canonem latæ sententiæ inciderunt sic probatur. Constat jam omnibus, quod ipsi dicunt Spiritum sanctum non procedere à Filio, nec esse omnino ex ipso: & quod nec datur ab eo, nec mittitur, nisi temporaliter ad sanctificandas creaturas: Et constat similiter, in cunctis scripturis authenticis & receptis Conciliis, hoc quod prædiximus, scilicet, quod Spiritus sanctus sit essentialiter à Filio, & procedit ab eo, manifestius contineri. Quæ scripta ita recepta & approbata sunt per Concilia generalia, ut qui eorum aliud contrarium sentit vel prædicat, ipso facto & jure sit excommunicatus. Græci Hæretici.

Definit enim (a) secundum Concilium sic: *Condemnamus & anathematizamus cum omnibus aliis hæreticis condemnatis & anathematizatis à Catholica & Apostolica Ecclesia, etiam Theodorum, qui fuit Episcopus Mopsuestiæ, & impias ejus conscriptiones, nec non & impia scripta à Theodorito adversus rectam fidem, & contra capitula Patris nostri beati Cyrilli, & tertiæ sanctæ Synodi Ephesinæ; & quidquid ad suggestionem Theodori, & Nestorii.* (b) (a) Constantinopolitanum.

Ecce audivimus; beati Cyrilli duodecim capitula, ubi maxime existentia sancti Spiritus à Filio tangitur, ita universaliter sunt recepta, ut qui eorum sentit contraria, vel prædicat, ipso jure sit excommunicatus cum aliis hæreticis & olim condemnatis. Dicit itaque Cyrillus, in nono capitulo prædictorum duodecim: *Si quis dicit, unum Dominum Jesum Christum glorificatum esse à Spiritu, tanquam alienâ virtute ab ipso data, utentem, & ab ipso recipientem, ut operari possit contra Spiritus immundos, & implere in homines divina signa; anathema esto.* Hunc autem anathematismum ipse idem sanctus Pater interpretans sic ait: *Homo factus unigenitus Dei Verbum permansit, & sicut Deus omnia existens quæcunque & Pater, præter solùm esse Pater, & proprium habens, quod ex Patre est, & essentialiter inhærens illi Spiritus sanctus, signa illa divinæ potentiæ operatus est.* Istam igitur expositionem recipit tertia Synodus, quinta confirmavit, & contradicentes excommunicavit: Ecclesia universalis tenet, & tenuit, & approbavit. Sed Græci nostri temporis contradicunt, nono capitulo expositionum ejusdem, & allegant pro se scripta Theodoriti hæretici, & per Concilium excommunicati; ergo, secundum vim propositæ definitionis hæretici sunt judicandi. Unde beatus Augustinus in libro de Fide ad Petrum cùm in octavo capitulo ejusdem, Spiritum sanctum ex Patre & Filio procedere firmasset testimoniis, in fine omnium capitulorum subjunxit, & ait Petro: *Hæc interim quadraginta capitula ad regulam veræ fidei firmissimè pertinentia, fideliter crede, fortiter tene, firmiter defende. Et si quem contraria his dogmatizare cognoveris, tanquam pestem fuge, & tanquam hæreticum abjice.* Ita enim ista quæ posuimus, fidei Catholicæ congruunt, ut si quis non solùm omnibus, sed etiam singulis voluerit contraire, in eo quod singulis horum contumaciter repugnat, & his contraria docere non dubitat, hæreticus, & Fidei Christianæ inimicus, atque ob hoc omnibus Catholicis anathematizandus appareat. (b) *desit aliquid.* Cap. 44.

Propter eandem insuper causam, hoc est, quia obstinato animo negant processionem Spiritus sancti à Filio, & plurimos etiam alios errores, in quibus sanctæ Romanæ Ecclesiæ adversantur; Anno ab incarnatione Domini millesimo quinquagesimo quarto, Excommunicationis sententia contra eos in Urbe Regia Constantinopolitana lata est. Et magnum ejusdem civitatis Ecclesiæ altare hanc ipsam continet sententiam impositam, scriptam à Sedis Apostolicæ Legatis, tempore Leonis Papæ IX. ut videndum exhibent quæ apud eam urbem sunt, tam Græca quàm Latina hujus rei monimenta.



Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1252.

Sed Innocentius Papa III. in editione, quam fecit Catholicæ Fidei temporibus noſtris, præſidens in generali Concilio Laterani celebrato, & dicens; *Patrem à nullo, Filium à Patre ſolo, Spiritum ſanctum ab utroque:* omnem excommunicavit & anathematizavit hæreſim, extollentem ſe adverſus eam, quam compoſuit, ſanctam orthodoxam & Catholicam fidem. Sed Græcus manifeſtè ſe erigit contra articulum de Spiritu ſancto. Ergo, &c.

Item; falſarii ſcripturarum authenticarum ſunt excommunicati per Concilia: Sed ipſi falſificant Scripturas, & utuntur falſis, & ſcienter. Ergo anathematis gladio percuſſi incedunt per viam damnationis.

Et beatus Athanaſius in Symbolo rectæ fidei, cum dixiſſet: *Pater à nullo eſt factus, nec creatus, nec genitus: Filius à Patre ſolo eſt, non factus, nec creatus, ſed genitus, Spiritus à Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens,* in fine libri ſubjunxit & ait: *Hæc eſt fides Catholica, quam niſi quiſque fideliter firmiterque crediderit, ſalvus eſſe non poterit.* Sed Græci non credunt, quæ in eo continentur; ſalvari ergo non poſſunt.

Nos autem ſanctorum Græcorum & Latinorum ſententias ſequuti, credimus & confitemur, cantamus, & ſcribimus, & docemus Patrem à ſe, non ab alio: Filium à Patre ſolo genitum: Spiritum ſanctum à Patre & Filio æqualiter procedentem, & pariter tres quidem diſcretas, diſtinctas, & perfectas hypoſtaſes: ſed unam eſſentiam, unam Deitatem, unam poteſtatem, unam cauſam: à quo omnia, & per quem, & in quo ſunt omnia: & ipſi eſt gloria, & honor, & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

Illos verò qui dicunt: Spiritus ſanctus procedit quidem à Patre, ſed non à Filio, vel aliter, & plus à Patre, quàm à Filio: aut prius à Patre, quàm à Filio, & ſimilia, ratione fidei adverſantia: & hoc aſſerendo credunt, prædicant, & ſcribunt, ſicut jam dudum definitum eſt à ſanctis Patribus, tanquam hæreticos à Catholica Eccleſia abjicimus, & vitamus, maledicimus, & reprobamus.

## *Diſtinctio de Animabus.*

Animæ nec patiuntur nec gaudent ante Judicium.

EXpedito in præcedentibus primo articulo, ſcilicet de Proceſſione Spiritus ſancti à Filio, in quo, ut ſingulis verſutis Græcorum objectionibus reſpondimus, & ipſos tanquam veritatis falſarios ex libris ſuis, quibus ſe jactant, & contra Romanam eritgunt Eccleſiam, non ſolùm erraſſe, verum etiam in canonem latæ ſententiæ incidiſſe probavimus: forſan plus neceſſariò præter propoſitum prolixi fuimus: reſtat nunc videre per eadem teſtimonia, ubi animæ talium, id eſt, infidelium & male credentium. exeuntes à corpore recipiantur. Opinio enim eorum eſt, ſicut diximus: quod neque in paradiſum bonæ, neque in infernum ante diem judicii vadunt animæ reproborum. Sequentes quendam hujus hæreſeos inventorem Archiepiſcopum quondam Cæſareæ Cappadociæ, Andream nomine, qui dicit, propria corpora præſtolari, ut cum eis, cum quibus bona vel mala commiſerint, retributiones ſimiliter factorum recipiant. Qui etiam ad confirmandam ſuam opinionem erroneam, auctoritatem Apoſtoli ad He-

*Hebr.* 11. bræos pro ſe introducit, qua dicitur: *Et hi omnes teſtimonio fidei probati, non recepe-runt repromiſſionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non ſine nobis conſummarentur.*

Cui Andreæ obviat beatus Joannes Chryſoſtomus in expoſitione ejuſdem Epiſtolæ, & talia teſtatur: *Perceperunt quidem juxta labores & merita, ſed non perceperunt juxta coronas debitas. Si unum corpus ſumus omnes, major efficitur iſti corpori delectatio ſive fruitio, quando communiter, & non particulariter coronantur. Etenim etiam juſti in hoc ſunt admirabiles, qui gaudent fraternis bonis tanquam in propriis. Itaque & hoc ipſum ſecundum voluntatem eorum eſt, ut ſimul cum propriis membris coronentur: nam ſimul glorificari magna eſt ei fruitio:* quaſi dicat ſanctus, juxta illud Apocalypſis,

*Apocal.* 6. *Datæ ſunt ſingulis ſtolæ albæ,* prætendentibus vindictam proprii ſanguinis, id eſt, deſiderantibus mutationem in melius corporum. Singulæ ſtolæ albæ, id eſt, prima ſtola, quæ eſt glorificatio animæ. *Et dictum eſt eis, ut quieſcant adhuc modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum veſtrorum:* hoc erit in fine mundi, quando reſumptis corporibus glorioſis, in utroque, & de utroque gaudebunt. Tunc quidem habebunt perfectum gaudium Sancti, qui quoniam habent modò adhuc oculum mentis ad corpus naturale, eorum gaudium imperfectum aliquo modo etiam à ſanctis noſtris doctoribus judicatur.

Beatus quoque Athanaſius in libro quæſtionum ſuarum, cum interrogatus fuiſſet, ubi eſſent nunc animæ defunctorum? reſpondit quærenti: *Extranea quidem, & metuenda quæſtio, & hominibus occultata. Non enim permiſit Dominus, quemlibet eorum ſolvi, qui ibi ſunt, & ad nos venire, ubi vel quomodo ſint præaſſumptæ animæ defunctorum.*

Verun-

Digitized by Google

Veruntamen ex divinis Scripturis docemur, quoniam quod peccatorum animæ in inferno sunt, subtus omnem terram & mare: sicut docet Psalmista: *In tenebrosis & umbra mortis, & lacu inferiori.* Et sicut scriptum in Job: *In terram tenebrosam & turbulentam, in terram tenebrarum æternarum, ubi non est claritas, nec videre vitam:* Justorum autem animæ post adventum Christi, sicut in Latrone didicimus, in paradiso sunt. Non enim propter animam solam latronis Christus Dominus paradisum aperuit, sed & propter reliquas sanctorum animas. SÆC. XIII. ANNO 1252.

De isto insuper Latrone Joannes Chrysostomus, exponens illud verbum Lucæ: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso*, ita loquitur: *Quidam dicunt nondum assequutum esse Latronem paradisi mansionem: sed propter promissionis firmitatem, & immutabilitatem dicunt Dominum dixisse: Hodie mecum eris in paradiso.* Alii autem, & ad vocabulum cogunt. Dicunt enim: Oportet nos distinctè & punctatim legere sic: *Amen dico tibi hodie: mecum eris in paradiso*; quasi in futurum tempus æstimant respicere promissionem. Impossibile est, inquiunt, ipsum nunc esse in paradiso, cum Apostolus dicat de sanctis in Epistola ad Hebræos: *Hi omnes non receperunt promissiones, ut non sine nobis consummarentur.* Et post pauca adjungit idem Sanctus; reprobatis istorum opinionibus dicens: *Et Latro quidem paradisum possidet, sive assequutus est. Non enim mentiri potest, qui dicit: Hodie mecum eris in paradiso.* Luc. 23. Hebr. 11.

Item in prædicto libro Quæstionum, cum iterum diceret quærens: *Nunquid non memores erunt animæ præassumptæ, sicut angeli memores sunt: Sanctorum quidem animæ prorsus memores sunt; Peccatorum verò animæ cùm sint in inferno, neque Dei, neque nostri memores sunt.* Et addidit David dicentem ad Dominum: *Quoniam non est in morte qui memor sit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi?* Et iterum: *Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in infernum.* Psal. 6. Psal. 113.

Idem Sanctus in prædicto libro, ad aliam quæstionem sibi factam: Quid scilicet ibi operentur nunc animæ præassumptæ: respondit: *Anima à corpore soluta, nec bonum, nec malum valet (a) operari. Nam visiones, quas vident quidam de his qui mortui sunt, dispensatione Dominus ostendit ad nostram utilitatem. Sicut enim lyra non habens pulsantem, ociosa jacet & absque opere: sic anima & corpus ab invicem separata nihil operari queunt. Sanctorum autem animæ à Spiritu sancto impulsæ sive tactæ cum angelis in terra viventium Dominum laudant, & exultant.*

(a) Meritoriè scilicet vel demeritoriè.

Ecce habemus ex his magnis duobus testibus Athanasio & Chrysostomo: quod sanctorum animæ, secundum fidem & spem Romanæ Ecclesiæ, regnant etiam nunc cum Christo: Animæ reproborum, factorum suorum dignam mercedem recipientes, cruciantur in inferno in secula seculorum.

Quod similiter ita fuit olim certum Ecclesiæ Græcorum: quod non solùm in libris, verùm etiam parietibus Ecclesiarum suarum, antiqui Patres manifestis indiciis imprimere curaverunt. In quibusdam enim picturis, angelos lucis deferentes sanctorum animas in cœlos conspicimus. In nonnullis verò Satanæ angelos ex corporibus morientium reproborum, cum quadam violentia extrahentes animas, & in tartara secum ferentes reperimus. Unde quomodo nunc ad tantam dementiam devenerunt, ut dicant, defunctos nec Paradisi perfrui gaudiis, nec cruciatus infernales pro varietate meritorum sustinere, nescimus, sed solùm mirari possumus. Præsertim cùm de hoc populi aures repleant in Ecclesiis, in officio suo frequentato. Dicunt enim de Martyribus sic: *Famosissimi martyres, vos terra non absorbuit, vel occultat, sed cœlum susscepit: & intus existentes ligno vitæ remunerati estis: apud Christum intercedite, ut detur nobis pax & magna misericordia.*

Item: *Vos, qui pro Verbo passi estis usque ad mortem, athletæ, animas quidem habetis in cœlis in manu Dei, & per universum orbem honoramini. Vestras reliquias sacerdotes & reges adorant, & omnes populi exultantes assueti clamant. Somnus preciosus est in conspectu Domini mors sanctorum ejus.*

Item in eodem officio talia cantantur: *Chorus sanctorum invenit fontem vitæ, januam paradisi. Inveniam & ego veniam per pœnitentiam, ovis errabunda ego sum. Revoca me Salvator & salva me.*

Item: *per vos, qui prædicantes Agnum Dei, occisi estis ut oves, & ad vitam quæ sine senio est, & sempiternam transpositi estis. Hunc enim Agnum attentius martyres petite, debitorum solutionem nobis donantes.*

Item in officio mortuorum talia pro defunctis orant: *Dona requiem Deus famulis tuis, & ordina eos in paradiso: ubi chori Sanctorum sunt Domine, & justi fulgent in gloria.* His ita se habentibus, quis eorum potest excusari de ignorantia?

De

Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1252:

*De quatuor receptaculis defunctorum.*

Animarum receptacula quatuor.

SEd & si plus aliquid scire cupiunt Græci de animabus defunctorum, legant & intelligant libros suos, & invenient quatuor receptacula defunctorum, scilicet cœlum Empyreum, quod & paradisus beatorum dicitur; Infernum, Limbum, & Purgatorium.

De primo & secundo dicta sufficiant.

De tertio respondebit Athanasius vice nostra. In prædicto siquidem libro Quæstionum suarum, movetur iterum à quærente quæstio talis: *Ubi quæso sunt, vel perveniunt pueri defuncti, vel in tormentis vel in regno?* Et ubi infidelium pueri? Ubi etiam tamen non baptizati, & defuncti? cum fidelibus vel infidelibus? Ad has itaque quæstiones breviter satisfaciens quærenti, respondit: *Domino nostro dicente: Sinite parvu-*
*Matth. 19.* *los venire ad me, talium est regnum cœlorum. Iterumque Apostolo dicente: Nunc autem filii vestri sancti sunt: manifeste constat, quod tanquam mundati & fideles, in regnum intrant Christianorum filii baptizati. Non baptizati autem, & etiam gentilium pueri,*
(a) *Actualis scilicet.* *neque in regnum intrant, neque iterum ad tormenta vadunt. Sunt enim expertes* (a) *peccati.* Cùm igitur Pater sanctus asserendo dicat, animas puerorum non baptizatorum nec paradisi perfrui gaudiis, neque iterum cruciatus inferni, cum sint sine actualibus peccatis, sustinere, reliquit in nostra intelligentia locum tertium, ubi animæ talium, Deo jubente, post hanc vitam recipiuntur, in quo scilicet nec boni præsentiam, nec mali sensibilem pœnam aliquam experiantur. Et licet huic loco Pater sanctus nomen non imposuerit: Sancti tamen Latini, ut Augustinus, Gregorius & cæteri, quippe qui eodem spiritu repleti fuerunt, determinantes de nomine loci, hunc locum *sinum Abrahæ*, sive lymbum nominaverunt, in quem ante adventum Christi sancti Patres descendebant. Nunc verò pueri, qui absque baptismo decedunt, sine pœna sensibili, ut dictum est, detinentur.

*Probatio, quod sit Purgatorium.*

Purgatorium probatur.

DE quarto loco, id est, Purgatorio, multa sanctorum Patrum testimonia reperimus. Et primo in Epistola ad Corinthios, ubi loquitur Apostolus: *Fundamen-*
1 Cor. 3. *tum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Si quis autem superædificat supra fundamentum hoc, aurum, argentum, preciosos lapides, lignum, fœnum, stipulam: uniuscujusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, qui in igne revelabitur; & uniuscujusque opus, quale sit, ignis probabit. Si cujus opus manserit: quod superædificavit mercedem accipiet: si opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit: sic tamen quasi per ignem.* Cum quidam, doctorum suorum inter eos attentius, ut dictum locum exponeret, adjecit: Ignem istum credimus, καθαρτήριον, id est mundificationem, in quo animæ defunctorum probantur tanquam aurum in fornace.

Sancta quoque Macrina, soror beati Basilii, cum esset liberalibus studiis imbuta & Spiritu sancto repleta, inter alia, quæ de sacris eruditionibus divinarum scripturarum exposuit, de igne Purgatorio talia testata est dicens: *Oportet animam ad similitudinem Dei factam, ad ipsum redire: non redit autem nisi purgata: purgatur verò per ignem, post hanc vitam paratum.*

Istud testimonium reperitur in tractatibus qui *Macrina* nominantur. Sed forsan dicent nobis: Nos testimonium mulierum non credimus. Esto! Audiant igitur Fratrem ejusdem Virginis magnum Doctorem Ecclesiæ beatum Gregorium Nyssenum, quæ, & qualia in sermone, qui in primo sabbato post pentecosten, in commemoratione defunctorum, legitur, de igne purgatorio referat testimonia. Dicit enim: *Si humanam naturam voluntariè juxta liberi arbitrii motum quidem indecenter præcipitantem se, violenter ac coactè ad suum beneplacitum transponeret, id est, ad se traheret Deus, vel induceret: ablatio esset hæc utique præhabitæ bonitatis & æquipollentis Dei dignitatis privatio. Æquale Dei est liberum arbitrium. Ut ergò & potestas maneret naturæ, & malum aboleretur, hoc invenit Dei sapientia consilium: dimittere scilicet hominem in his, in quibus voluit esse, ut gustatis malis, quæ operatus est, rursus redeat per desiderium voluntarium ad pristinam beatitudinem, omneque vitiosum & irrationabile quoddam pondus postponens, & removens à natura, sive præsenti vita per orationes & observantiam mandatorum expleatur: vel post hanc vitam penitus per purgatorii ignis conflationem purgetur.*

Item beatus Basilius: Introducens personam defuncti loquentem in officio mortuorum talia dicit: *Imago sum ineffabilis gloriæ tuæ. Et si stigmata vel punctiones porto delictorum, miserere tuæ plasmationis Domine, & purga per viscera misericordiæ tuæ:*

*tuæ: & desiderabilem pœnitentiam concede mihi, paradisi civem rursus faciens me.* SÆC. XIII. ANNO 1252.

Item Damascenus in sermone mortuorum, volens probare, quod eleemosynæ, & orationes, & alia beneficia Ecclesiæ prosint defunctis, introducit, verbi gratia, exemplum, quod in vitis patrum de quodam discipulo cujusdam Patris legitur, & dicit: *Cùm autem defunctus esset discipulus ejus, scire volens senex, quæ & qualia meruisset in vita sua juvenis ille, cœpit aures Domini orationum instantia pulsare. Cumque ista per aliqua horarum spacia fierent, vidit senex prædictum juvenem in fluvio igneo usque ad gulam demersum. Cùm verò orationi anxius incumberet, prospexit eundem usque ad cingulum. Ultimo autem orationis beneficio ex toto liberatum aspexit.*

Sed dicent forsan Græci: *Ignem istum credimus ignem infernalem: à quo etiam quidam virtute orationis liberantur: ut Trajanus Imperator, qui per beatum Gregorium, qui Dialogus dicitur, fuit sustentatus.* Sed contra beatus Basilius in officio mortuorum, de infructuosa pœnitentia existentium in inferno talia fatetur: *Quid turbaris importunè ô homo? una hora, & omnia prætereunt: non est in inferno pœnitentia; nec est ibi requies. Ibi vermis, qui non dormit, ibi terra obscura & tota nebulosa.*

Item beatus Athanasius, cùm quæreretur à quodam, quæ essent illa peccata, quæ per orationes, & alia beneficia & suffragia diluentur post mortem, respondit de his: Magnus Dionysius sic dicit: *Si quidem levia & subtilia existunt peccata defunctorum, percipiunt utilitatem de beneficiis, quæ pro eis fuerint: si verò gravia vel turpia fuerint peccata hominis, concluſit contra eum, vel adversus eum Deus. Veruntamen oportet nos curam gerere de propriis animabus, & non sperare post mortem per alias oblationes consequi veniam delictorum.* Hæc & his similia in Vitis patrum, & in Dialogo beati Gregorii, quem similiter recipiunt, de animabus defunctorum reperiuntur testimonia: quæ purgatorium locum post mortem esse sufficienter indicant, etsi Paulus tacuisset. Græci nostri temporis terrenarum rerum solicitudine, non tam pro se, quàm pro uxoribus suis & filiis occupati, tenent libros pulchros quidem & veros, nisi quos corruperunt, clausos, quin & sibi penitus ignotos; undè nobis veritatem, quam tenent, & ignorant, prædicantibus, quasi falsariis scripturarum, & nova inaudita dogmatizantibus contradicere non verentur.

Alii vero obducto supercilio grandia verba trutinantes, authoritatem Apostoli ad Corinthios repugnantem, pro se exponere conantur. Dicunt enim: *Fundamentum aliud nemo ponere potest præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus.* Fundamentum unum, sicut jam diximus, est ille lapis angularis Christus: super quem ædificati sunt Apostoli & Prophetæ, & qui pro tempore fuerunt Patres Spiritu Dei pleni. Aurum verò, & argentum, & lapides precioſi sunt Evangelica præcepta, & altitudo divinorum dogmatum, contra quæ portæ inferi non possunt prævalere. Conati sunt nihilominus super illud fundamentum immobile, malitioſi sectatores, hæresiarchæ, dico adulterantes & corrumpentes sermonem veritatis, ædificare: id est, omnem materiam pravæ doctrinæ superinducere, putantes, ut ita dicamus, in hoc se obsequium præstare Deo. Sed veniet secundus Domini adventus, sive apparitio: & inutilia quædam ædificationis opera cæterorum doctorum cum detrimento consumentur, sive comburentur; Ipsi autem sic salvi erunt, quasi per ignem, inextinguibilem scilicet. Salvabitur ergò talis, *sanabitur*, *servabitur* per ignem sicut adamas, qui numquam consumitur per ignem. Sic & ipsi hæretici & malitioſi sectatores salvabuntur, id est conservabuntur, non ad purgandum, sed cruciatus æternos sustinendos. Hæc est, inquiunt, expositio vera, & hic sensus auctorum.

Ad quod, licet superius satis determinatum sit, dupliciter respondemus. Primò, per virtutem verbi, quod dicitur, *salvabitur*. Istud namque verbum σώζω, quod Latine redditum, sonat, *salvo*, ita propriè significat salutem, id est, liberationem ab omni molestia: quòd numquam, & maximè in pœna conservationem. Et cum abundantissima & copioſissima existat lingua Græca, ita appropriatæ sunt verborum significationes suis terminis: quia numquam, aut rarissimè, præcipuè in sacra pagina ponitur unum pro reliquo. Unde aliter definierunt, *custodire*, aliter *conservare*, aliter *sanare*. Primum namque dicunt φυλάσσω: secundum, τηρῶ: tertium, σώζω; quod salutem, id est, liberationem ab omni incommodo: quod est electorum: quo verbo usus est Apostolus in præmissa auctoritate, definierunt. Sic σώζω, unde σωτηρία salus, & σωτὴρ, id est, *Salvator*. Unde iste expositor præmissæ auctoritatis Apostoli aut virtutem verborum ignoravit: aut, quod magis præsumendum est, sciens & prudens veritatem Fidei malitioſè abscondit.

Secundò respondemus: quod præpositio verbi hujus, *per*; sumitur aut causative, aut instrumentaliter. Quocunque istorum modorum sumatur, nusquam adamas salvatur secundum eos per ignem: quia non habet hoc ab igne, ut conservetur lapis ille illæsus: sed potius à natura taliter sibi à Deo insita, ut scilicet ab elemento ignis non possit corrumpi. Similiter & homo corruptibilis cùm sit, non habebit hoc ab ig-



Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1252.

ne, sive gratia ignis, ut in æternum sive vivens in igne crucietur : sed Deo jubente, supra naturam ad malum suum, tale quid post resurrectionem recipiet, ut sit in æternum vivens, sine fine per ignem, & in igne, non jam salvetur, id est, conservetur secundum Græcos: sed potius crucietur. Salvari ergò hominem dicimus, cùm à peccatorum venialium maculis, mediante illo igne temporali & purgatorio, liberabitur: Ut sic videlicet anima purgata, seu purificata propriis maculis, digna conspectui judicis quandoque præsentetur. Scriptum est enim: *Nihil coinquinatum intrabit in eam:* sed anima portat inquinamenta venialium, ut supra ostensum est, per illam antiphonam: *Imago sum ineffabilis*, & cætera. Ergò, non nisi purgata. Et sicut habemus de Divite & Lazaro, quod irrefragabiliter responsum accepit, quod non posset transire aliquis à loco tormentorum, igitur purgabitur alibi. Istum locum dicimus locum Purgatorii, ad quem transeunt animæ, quæ dum adhuc viverent, de suis excessibus plenariè non satisfecerunt. Habemus igitur ex præmissis quatuor receptacula defunctorum, id est Paradisum bonorum, Infernum damnatorum, Lymbum puerorum non baptisatorum, & Purgatorium pœnitentium.

## *Incipit tertia Distinctio. De Sacramento Altaris.*

De Eucharistia.

DIcto superius de Processione Spiritus sancti, quam Græci negant ; & de Paradiso, & Inferno, nec non & de Purgatorio : de quibus similiter malè sentiunt: nunc de Sacramento charitatis, id est Eucharistiæ consequenter videamus. Verùm quia quasdam frivolas rationes videntur prætendere in suam defensionem sui erroris : illa postponenda sunt, quæ sub prætextu pietatis errore hujusmodi nutriunt, ut non solum visis rationibus & auctoritatibus, reprobentur : verùm unde, & à quo habuerunt originem, declaremus, ut cum absque robore firmitatis, velut domus sine fundamento, apparuerint, ad modicum impulsum fidelium, omnis eorum structura nequitiæ, ruinæ exponatur.

Michaël Cerularius.

(a) *Cerularius.*

Anno itaque ab Incarnatione Domini millesimo quinquagesimo tertio, tempore Leonis Papæ noni, fuit quidam Patriarcha in urbe regia Constantinopoli, nomine Michaël (a) Circularios. Hic si quidem sequutus per omnia prædecessorem suum Photium Patriarcham, qui prius superbam cervicem suam contra summum Pontificem erigere attentavit, nisus est, quantum potuit, etsi non quantum licuit, Latinos, qui eadem urbe tunc temporis sub Imperatore Græco degebant, ad Græcorum ritus, & præcipuè ad sacrificandum in fermentato, tandem per censuram Ecclesiasticam invitare. Sed quia tantum nephas diu Romanam curiam latere non potuit ; missi sunt à Pontifice summo Legati ad prædictam civitatem, qui hujusmodi furentium impetum per auctoritatem Sedis Apostolicæ refrenantes, eum & sequaces ejus anathematis gladio percusserunt, ex tunc itaque Græci majoris invidiæ stimulis agitati, quam plures libros, seu tractatus in confusionem Romanæ Ecclesiæ ediderunt, & suis posteris legendos, tanquam authenticos, & fidei catholicæ firmitatem habentes, districtè mandaverunt: eos verò, qui in his contraria dogmatizare præsumerent, annuatim in Ecclesiis, voce præconis, quod usque hodie in eorum Ecclesiis conventualibus observatur, hæreticos denunciarent.

Hunc igitur Michaëlem Græci usque hodie sequentes, Latinos *Azymitas* voce publica asserere non verentur. Unde in tantam excæcationem & contemptum apud eos devenit mysterium Sacramenti, ut non solùm in mortis articulo ex eo sumere recusent: verùm etiam incendii supplicium potius eligant sentire, quàm simpliciter confiteri. Probat hoc Cyprius, qui nostris temporibus duodecim monachos Græcos, isto errore laborantes, novos diaboli martyres, per flammas ignis produxit : Dicebant enim prædicti monachi: *Sacramentum Latinorum lutum esse ; & non Sacramentum : & quod sacrificantes, vel sumentes ex eo, more gentilium, dæmoniis immolarent.* Rationes autem quas contra Latinos allegant, & quibus se tueri videntur, sunt istæ :

Eucharistia Latinorum est lutum.

### *Rationes Græcorum contra Latinos in Azymo consecrantes.*

Græcorum rationes pro fermento.

PRimò dicunt, quod Dominus noster, qui in sui memoriam hoc fieri mandavit, non in azymo, sed fermentato pane tradidit discipulis suis. Constat enim, quod secundum legem Moysi, quarta decima luna fiebat immolatio agni & esus azymorum, sicut scriptum est Levitici 13. quæ dies Pascha propriè vocabatur. Sed Dominus, juxta Evangelium Joannis, *ante diem festum Paschæ*, celebravit cœnam cum discipulis suis, & mysterium corporis & sanguinis sui tradidit. Si in tali die, qui erat tertia decima luna, celebravit pascha: tunc utebantur fermentato: Ergò de fermentato tradidit corpus suum.

Item: *non introierunt Prætorium, ut non contaminarentur, sed manducarent Pascha.*

Digitized by Google

*ſcha.* Sed tunc fuit luna quarta decima: ergò in præcedenti, fuit luna tertia decima, quando Dominus tradidit corpus ſuum: & inde ut prius. SÆC. XIII.

Item cum Evangeliſta de materia illius panis faceret mentionem, non dixit: Jeſus accepit azyma: ſed: accipiens Jeſus ἄρτον. Et ἄρτος ſupponit pro fermentato. Ergo, &c. ANNO 1252.

Item cum ſcriptum ſit, quod ſtando, & cum lactucis agreſtibus, & feſtinanter deberet comedi agnus paſchalis: nullum tale quid in Evangelio reperitur. Unde conſtat, quod illa cœna non fuit Paſcha Judæorum, ſed potius cœna & Paſcha Chriſtianorum, non cum azymis, ſed cum fermentato pane, quod ſignificat Chriſti perfectionem, fuit celebratum. Nam Chriſtus noſter Dominus duas naturas in unam perſonam ſibi univit, & ſicut divina eſt ſimpliciſſima, ita humana eſt compoſita ex anima & corpore, ſive carne. Sicut ergo in Chriſto fuit & eſt divinitas, anima, & corpus: ita in myſterio Sacramenti noſtri, quod ex perfecto pane, id eſt, fermentato perficitur, ſimiliter tria reperiuntur, ſcilicet forma, fermentum, & aqua. Veſtrum autem Sacramentum non ſolum non eſt verum Sacramentum, ſed nec Sacramentum quidem, quod tantùm diſcrepat à veritate. Hæ ſunt rationes, quas in eorum libris me inveniſſe recolo, & ab ore ipſorum audiviſſe in diſputatione.

### *Reſponſio ad rationes Græcorum.*

AD primum igitur objectum reſpondemus ſic: Quod fecit Dominus Paſcha tempore & modo debito, aut non. Si dicant, non: Contra Joannes Chryſoſtomus, Homilia octuageſima quarta ſuper Matthæum, ita dicit. *Non enim Chriſtus transgreditur paſchæ tempus, ſed Judæi, qui omnia præſumunt, Chriſtum conculcant & leges; quia diligenter fervebant furore, & ſæpe conantes interficere, non valuerunt: tunc accipientes ipſum ex inſperato, voluerunt etiam Paſcha dimittere, pro homicida ſua voluntate implenda. Propter quod congregati ſunt omnes, &c.* Latinorum reſponſiones.

Idem ſuper Joannem: *Non ergò, ut aliter opinantibus viſum eſt, Dominus Salvator, (qui & ipſe ait: Non veni ſolvere legem, ſed adimplere) paſcha ſuum anticipavit: ſed tempore, & modo debito cuncta conſummavit.* Fecit ergò Paſcha Dominus cum diſcipulis ſuis, ſicut Evangeliſta teſtatur, quando fecit cum azymis & agno immaculato, ut in lege ſcriptum eſt.

Item Theophylactus, Bulgariæ Epiſcopus, exponens illud quod legitur ad Corinthios. *Convenientibus vobis in unum, &c.* ita dicit: *Non poſſum non concedere, quando ipſe Dominus corpus ſuum ex pane, quem habebat, ſcilicet azymo, cum dies eſſent azymorum, tradidit diſcipulis ſuis: Si ſecundum Evangelia & ſanctorum Patrum ſententias celebravit Dominus tempore debito Paſcha; Unde tunc fermentatus apparuit contra legem? Sicut enim ſcriptum eſt in Exodo* 12. *Septem diebus fermentatum non apparebit in domibus veſtris. Quod ſi credimus verbis veritatis dicentis: non veni ſolvere legem, &c. Credendum eſt, & prædicandum, Dominum Jeſum nec unum Jota, nec unum apicem legis præteriiſſe; & ut totius transgreſſionis immunem, dixiſſe inſidiatoribus ſuis: Quis ex vobis arguet me de peccato? alioqui nec peccata multorum tuliſſet, nec pro transgreſſoribus oraſſet, ut non perirent, nec pro nobis paſſus, ſed pro ſua prævaricatione* juſtè punitus *fuiſſet, præſertim quod non ſolum transgreſſor Legis inventus eſſet, fermento tunc apud ſe reperto; ſed inſuper multos diſcipulos reos mortis effeciſſet, cibans eos fermentato, & in injuriam divinæ Legis; quod eſt impoſſibile.* 1. Cor. 11. Exod. 12. Joan. 8. Iſa. 53.

Unde quamvis Principes Sacerdotum falſum teſtimonium quæſiſſent adverſus eum, ut eum morti traderent, nullum tamen tale quid objecerunt, quale Græci nunc objiciunt. Quod ſi fuiſſet objectum, ſolùm ſufficiſſet ad perdendum eum. Nec Pilato dicente: Accipite eum vos, & ſecundum legem veſtram judicate eum, dixiſſent: Non licet nobis interficere quenquam: quia ipſi præcepto Legis interfeciſſent fermentati participem, & dixiſſent: Nos legem habemus, & ſecundum legem debet mori, quia fermentatum comedit in paſcha, aut certè apud eum apparuit.

Sed fortè dicit Græcus: Non in publico, ſed in occulto hoc egit. Abſit! Quia non ſolum de factis ſuis, ſed etiam de dictis ait ipſi ſummo Pontifici: *Ego palam locutus ſum mundo, & in abſcondito loquutus ſum nihil. Quid me interrogas? interroga eos qui audierunt.* Sed etiam nunquid Dominum domus, in qua Paſcha celebravit, latuit? aut certè ſi ipſe conſenſit, numquid & Judam complicem malignorum latere potuit? Qui juxta Pſalmiſtæ vocem, *Dux meus & notus meus* vocatur: præſertim cum fuerit diſpenſator, quem Dominus dilecto ſuo Joanni demonſtrans ait; *Ipſe eſt, cui intinctum panem porrexero; Et qui mecum intingit manum in paropſide, hic me tradet.* Quod ſi ita eſt: quæ res prohibuit infelicem Judam, de memorato fermentato ipſum prodere ſanguinem juſtum palam, quem omnibus modis quærebat prodere clam? aut quid neceſſe habuit dicere; *Peccavi tradens ſanguinem juſtum;* cum tradendo tranſ- Joan. 18. Pſal. 108. Joan. 13. Matth. 26. Ibid.



Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1252.

greſſorem legis, avertit à ſe & à populo furorem Domini, & gratiam promeruit. Sicut enim ſcriptum eſt in Deuteronomio. *Si Propheta quilibet, aut filius tuus, aut filia, ſeu uxor, & amicus, quem diligis ut animam tuam, voluere clam perſuadere tibi, ut avertaris à ceremoniis legis, non acquieſcas eis, nec audias: nec parcat ei oculus tuus, nec miſerearis, & occultes eum, & ſtatim prodito populo interficies, ut avertatur Dominus ab ira furoris ſui, & miſereatur tui, multiplicetque te, &c.*

Deut. 13. ſenſu.

Sed iterum dicunt Græci: Si creditur omnipotens, potuit utique ſubitò fermentatum undecunque exhibere, aut certè ipſum azymum benedicendo fermentare. Quod quam ſit frivolum, nemo eſt, qui non intelligat: quia quocunque modo apud eum in ipſa ſolemnitate fermentatum apparuiſſet, legis transgreſſor fieret, & planè dignus puniri, qui in ſanctæ legis contumeliam fermentatum tractaſſet. Sed & ſi quolibet modo tantum miraculum factum fuiſſet, aliquis Evangeliſtarum narraſſet; cum etiam quædam minima, nec narratione adeo digna, ut de contentione diſcipulorum, diligenter fuerint narrata. Omnia ergò tam obſtinato ſilentio reticuerunt neceſſarii Sacramenti initium, quod totius Eccleſiæ exiſtat fundamentum. Unde quamvis ſit omnipotens, iſtud facere non potuit, quia noluit. Quare noluit? quia transgredi legem noluit.

Matth. 5.

Unde? *Non veni ſolvere legem, ſed adimplere.* Quod autem omnipotentia ſua ligetur ratione neceſſaria, & utili, probatur per Evangeliſtam Matthæum, dicentem de Patria Chriſti;

Marc. 6.

*Non potuit ibi virtutes multas facere propter incredulitatem eorum.*

## *Reſponſio ad auctoritatem Joannis.*

AD ſecundum objectum de auctoritate Joannis: *Ipſi non introierunt, &c.* dicimus, quod Paſcha multipliciter accipiatur. Aliquando enim eſt dies immolationis: unde Levitici: *decimo quarto die menſis ad veſperam Paſcha Domini eſt:* & in Matthæo: *Scitis quia poſt biduum Paſcha fiet.* Aliquando agnus immolatus: ut, *Unde vis paremus tibi Paſcha.* Quandoque verò dies azymorum, ſicut habetur in Actibus Apoſtolorum de Petro: *Volens poſt producere eum populo: Erant enim dies azymorum.* Aliquando autem panes azymi; ſicut hic: *Non introierunt in Prætorium, ut non contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha*, id eſt, panes azymos. Unde, licet Dominus dixerit diſcipulis ſuis: *Scitis quia poſt biduum Paſcha fiet, &c.* Matthæus tamen ipſius diei, in cujus veſpera, qua Paſcha fiebat, mentionem faciens ait: *Primo die azymorum acceſſerunt diſcipuli, &c.* Cui concordans Marcus ait: *Erat autem Paſcha & azyma poſt biduum.* Et poſt pauca: *Prima die azymorum, quando Paſcha immolabant, &c.* Si igitur videretur non accipiendum Paſcha & Azyma, ut modo Paſcha, pro feſto azymorum, & modò feſtum azymorum intelligitur pro Paſcha: quomodo ſtabit: *Erat Paſcha & azyma poſt biduum?* Sed beatus Lucas omnem ſolvens hæreſis controverſiam ait: *Appropinquabat dies azymorum, qui dicitur Paſcha*; Et quia cum eo, qui propriè Paſcha dicebatur, ſubſequentes quoque dies azymorum abuſive nuncupantur Paſcha; quem diem vellet intelligi, in ſequentibus oſtendit dicens: *Venit autem dies azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha.* Quod planè in decima quarta luna fiebat ad veſperam, quando agnus occidebatur; quem etiam Paſcha dici, Evangeliſta ſic perhibuit, ut in ipſo Paſcha occidendum diceret.

Levit. 13. Matth. 28. Luc. 22. Actor. 12. Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.

Porrò, qualiter intelligi debeat, quod ait; *ut non contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha*; Paulò poſt ait: *Erat autem Paraſceve Paſchæ hora quaſi ſexta.* Paraſceve Paſchæ, præparatio Paſchæ interpretatur: quando jam præparabatur, & inſtabat celebritas diei magni Sabbati, qui celebrior cunctis diebus tunc habebatur paſchalibus apud Judæos; adeò ut obſervantia ejus gentilis hominis cohabitatione, veluti introitu prætorii, pollueretur. Igitur, *ne in cruce remanerent corpora in Sabbato, rogarunt Pilatum, ut tollerentur.* Paſcha igitur, in præmiſſa auctoritate, accipitur pro azymis: quo neceſſario conceſſo, ceſſat adverſariorum objectio.

Joan. 19.

## *Solutio ad tertiam.*

AD tertiam, quòd dicunt, quod ἄρτος ſupponitur pro fermentato, dicimus, quod multum diſcrepant à veritate: quia ἄρτος in ſacra ſcriptura non ſolùm pro azymo, verùm etiam pro quolibet pane ſumitur, prout in ſequentibus apparebit. Scriptum eſt in Luca: quòd cùm Dominus apparuiſſet in ſpecie peregrini, coactus fuit à duobus diſcipulis, ut diſcumberet, Et poſt: *accepit ἄρτον, & benedixit, &c.* quæ ſequuntur. Sed conſtat, quod hæc facta ſunt in die reſurrectionis, hoc eſt, in die azymorum, qui per ſeptem dies ſecundum legem durabant, in quibus non ſolùm non comedi, verùm nec in domibus, nec in finibus illis omnibus, panis fermentatus poterat inveniri. Conſtat ergo, quod ille panis, qui ſecundum Græcos ἄρτος dicitur, non fuit fermentatus, ſed azymus, ἄρτος ergo ſupponit pro azymo.

At-

Digitized by Google

Atque hoc ipsum habemus in Levitico, ubi Moses de Panibus propositionis fa- SÆC.
cit mentionem, qui azymi erant, secundum legem. Item, ubi ait: *Comedetis panes* XIII.
*azymos cum lactucis agrestibus*, habens in Græco, comedetis ἄρτον. Item in Sapien- ANNO
tia; ubi scriptura de pane cœlesti, id est, Manna, *paratum de cœlo, &c.* dicit Græ- 1252.
cus, ἄρτον. Item Psalmista, ubi nos dicimus, *panem Angelorum*, in Græco habetur ἄρτον ἀγγέλων. Item Salomon: *Suavis est panis mendacii.* Ecce manifestè constat, quod hoc nomen panis indifferenter accipitur, tam pro azymo, quàm pro fermentato; & tam de eo, quod replet ventrem, quam pro eo, quod satiat mentem, hoc est, desiderium hominis, sive in bono, sive in malo.

*Levit.* 21. *Exod.* 12. *Num.* 9. *Sap.* 16. *Psalm.* 77. *Prov.* 20.

Sed dicit iterum Græcus: Veritas debet correspondere umbræ; sed quarta decima luna ad vesperam immolabatur agnus typicus. Ergò in die paraseeve fuit luna quarta decima, quia quarta decima luna immolatus fuit agnus verus. Ergò & in quinta feria præcedenti fuit luna tertia decima, & tunc fecit Christus pascha suum. Ergò Christus comedit azyma —— Pascha.

*Locus mendosus.*

Dicimus quod veritas respondet umbræ, quia in Pascha typico erant duo; scilicet agni immolatio, & comestio. Agnus typicus immolabatur luna quarta decima; & immolatio veri agni inchoata est luna decima quarta, qua captus erat Dominus. Et immolatio respondet immolationi. Comestio autem comestioni totaliter respondet; quia agnus typicus comedebatur quarta decima luna, & Dominus dedit corpus suum discipulis suis.

Si autem objiciatur de mulieribus, quod paraverunt aromata, quod non feciſſent in die festo: dicendum est, quod opera misericordiæ non prohibebantur, sed tantùm opera servilia, sicut dixit Dominus de Magdalena; *Sinite illam, ut in diem sepulturæ meæ servet illud.* Item, circumcidere licebat in die Sabbato; quia hoc erat opus spirituale, non servile, sicut dicitur Matth. 12. Sabbatis sacerdotes in templo Sabbatum violant circumcidendo hominem, & sine crimine sunt.

*Joan.* 12.

Si verò opposuerint nobis de die Sabbati; *quia erat magna illa dies:* dicendum est; quia dies Sabbati magnus dicebatur, quia erat dies Sabbati, & insuper festum azymorum; non quia esset primus azymorum; quia omnes dies illi septem erant magni; primus tamen & ultimus majores erant. Hic autem dicebatur magnus esse, quia, sicut dictum est, duo concurrebant, scilicet sabbatum, & festum azymorum, id est, una dies de septem diebus. De hoc verò, quod Judæi clamaverunt: *Non in die festo*, ergò non erat festum, quando crucifixus erat Dominus: dicimus, quod licet clamaverunt, tamen fecerunt contra se, tanquam prævaricatores legis. Primo igitur die azymorum, qui erat dies festus, fecerunt Christum occidi.

*Joan.* 19.

## *Responsio ad aliud.*

AD id, quod sequitur, quoniam illa tria, quæ sunt in Christo, scilicet corpus, & anima, & divinitas; Si ista fabula, aliquo modo digna esset responsione, possumus dicere, quod præter illa tria, aliæ duæ proprietates possent in suo fermentato assignari. Est enim in farina fermentata sal, aqua, & ignis, sine quo nunquam panis ad essentiam suam potest pervenire. Et ita non ternarius, ut ipsi mentiuntur, sed quaternarius, & quinarius numerus in pane invenitur fermentato.

In nostro verò Sacramento, in quo nihil est superfluum, etiam secundum significationes suas, tria tantùm reperiuntur, scilicet farina, aqua, & ignis; mediante quo farina & aqua conjunguntur. Farina supponit pro carne; aqua, pro anima; ignis verò pro divinitate; quæ utraque assumpsit in unitatem personæ. Sed quid nobis de istis fabulis vetularum? Audiant Græci super hoc beatum Gregorium in Dialogis, quæ, & qualia Sacramento detrahentibus responderit Græco sermone, cùm in Græcia translegatione fungeretur. Dicit enim; *Solet planè moveri quæstio; quod in Ecclesia alii fermentatum offerunt; alii panes azymos. Esse namque Ecclesiam distinctam quatuor ordinibus, novimus, scilicet Romanorum, Alexandrinorum, Hierosolymitanorum, & Antiochenorum: Quæ Ecclesiæ generaliter nuncupantur, cùm unam teneant catholicam fidem, diversis tamen utuntur officiorum mysteriis. Unde fit, ut Romana Ecclesia offerat panes azymos; propter quod Deus sine ulla commixtione carnem suscepit. Scriptum est, Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Sic ergò pane azymo efficitur corpus Christi. Nam cæteræ supradictæ Ecclesiæ offerunt fermentatum, pro eo, quod verbum Patris indutum est carne, & est verus homo; ita quod fermentatum commisceatur farinæ, & efficiatur corpus Domini nostri Jesu Christi verum. Sed tam Romana Ecclesia, quam prædictæ pro ineffabili mysterio; tam fermentatum, quàm azymum, dum sumimus, unum corpus nostri Salvatoris efficitur.* Hæc sunt verba Gregorii, quæ in vita ipsius græco sermone reperiuntur.

*S. Greg. S. Thomas opusc. extremo, de error. Græcor. cor. Joan. 1. Gennad. scholar. pro Concil. Flor. c. 2. sect. 8.*



Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1252.

Sed Joannes Chryſoſtomus, cum hujusmodi litem vellet de medio removere, in quadam epiſtola ſua, quam Græcis, de Sacramento & aliis conſuetudinibus Latinorum dubitantibus, de Conſtantinopoli transmiſit, ita dicit: *Volentibus nobis aliquid dicere de ſacra communione, utrum ex azymo, vel fermentato in ſacra Dominica cœnâ facta fuerit: longioris temporis, & etiam perfectioris ſcriptoris indigemus ſpacio. Sed multis omiſſis, id quod utile & pacificum eſt, imo, ut ita dicam, quod magis eſt ſecundum diſpenſationem & neceſſarium, & quod magis continet veritatem, dicendum eſt; Panis antequam conſecretur, & conficiatur, ſive azymus, ſive fermentatus fuerit, indifferenter panis eſt & dicitur ſacris eloquiis, pro ut poſtmodum oſtendemus. Poſtquam conſecratus fuerit, neque azymus neque fermentatus dicitur, vel eſt; ſed corpus & caro Domini, eadem nec alia, quam quæ ab incorrupta Virgine à Verbo Dei aſſumpta, & in dextera collocata, à nobis orthodoxis & Catholicis myſticè ſumitur. Propter quod, & myſterium, hoc eſt, abſconditum nominatur. Et ideo nonnullis eſt incomprehenſibile hoc Sacramentum; Transmutatur autem divina virtute à Spiritu ſancto in corpus, & ſanguinem Jeſu Chriſti, ſecundùm quod ipſa ſacra ſecreta indicat, & etiam manifeſtat. Dicimus enim: te rogamus ſancte ſanctorum, ut beneplacito tuæ bonitatis veniat Spiritus ſanctus tuus ſuper nos, & ſuper omnia hæc tua dona ſive munera, & benedicat, & ſanctificet, & oſtendat quidem hunc panem ipſum precioſum corpus Domini & Dei Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti.*

Si igitur divina virtus, ſive Deus transmutat propoſita dona in corpus & ſanguinem Jeſu Chriſti, ſuperfluum eſt contendere, utrum ex azymis, ſive fermentis fuerit, ſive album, ſive rubeum forſitan vinum, & hujusmodi quasdam ſtultas curioſitates de metuendis & tremendis myſteriis perſcrutari.

Quia verò quidam eorum volunt oſtendere ex ſola Etymologia nominis, azymum non eſſe ἄρτον, id eſt, panem, eja, de hoc breviter diſputabimus. *Dicitur enim* ἄρτος *ab* ἄρθεως, *id eſt, perfectione: Azymus autem non eſt perfectus; quia caret fermento. Ergò non eſt* ἄρτος. *Dominus autem* ἄρτον *benedixit.* Talis eſt mirabilis eorum ſyllogiſmus. Nos vero ad ſyllogiſmi hujus machinamentum, cum nullius valoris ſit, infirmum, & debile, nullam faciamus reſponſionem; ne videamur, ad oſtenſionem ejus, quæ in nobis eſt rationalis ſcientiæ, multa loqui, & inutiliter. A ſanctis tamen Evangeliis ἄρτον vocatum eſſe azymum probabimus, ſive oſtendemus, & mendax iſtorum Etymologia apparebit. In Luca enim ſcriptum eſt: *Et factum eſt, diſcumbente eo cum eis.* Et poſt pauca: *Cognoverant eum in fractione* ἄρτου. Ecce, ibi azymum ἄρτον nominavit. Quod autem azymus fuerit ille, qui tunc in Emaus Cleophæ & concomitanti ſibi datus eſt, hinc eſt manifeſtum: Poſt immolationem agni ſeptem diebus comedebant Judæi azyma, quibus diebus fermentatus panis non inveniebatur apud eos. Infra autem ſeptem dies, benedixit Dominus panem iſtum, de quo memoriam fecimus, in Emaus, ſicut indicant eloquia ſacra. *Sed ſuper his omnibus tertia dies eſt, quo hæc facta ſunt,* infra autem ſeptem dies, erat dies illa. Ἄρτος ergò vocatur, ut oſtenſum eſt, azymus. Nam hoc nomen ἄρτος genus eſt fermentati & azymi; & de ambobus prædicatur, ſicut de ſpeciebus. Ex his ergo verbis, ut dictum eſt, Chryſoſtomi, & aliis pro iſta materia allegatis, ſatis manifeſtè colligitur, quod ſancti Patres antiqui, tam Græci, quàm Latini, tam de Sacramento altaris, quàm de aliis fidei articulis, ſicut Eccleſia Romana, Catholicè & ſanctè ſenſerunt. Moderni verò Græci, quia jugum obedientiæ ſacroſanctæ dictæ Romanæ Eccleſiæ à collo ſuo indebitè excutere voluerunt, multis eam involutam eſſe erroribus prædicare non verentur: Quia tamen ipſi ſuam rebellionem pertinacem quibuſdam ſuis rationibus palliare non verentur: quid eorum libri contra clament, ex multis pauca in medium proferemus.

Luc. ult.

## *Quarta diſtinctio. In qua oſtenditur quod Papa eſt caput Eccleſiæ.*

Papa eſt caput Eccleſiæ.

SCiendum verò, quod ad probandam obedientiam & debitam ſreverentiam Eccleſiæ Romanæ: oportet nos quærere primò, *à quo habuit Eccleſia iſtam poteſtatem? Secundò: Quando? Tertiò: an ſuper omnes univerſaliter, an particulariter.*

Quantum ad primum, diſtingue: Quia aut habuit à Deo, mediante Petro, aut à principibus ſecularibus; aut à Conciliis generalibus; aut ſimul ab iſtis tribus; aut à nullo iſtorum: ſed uſurpato ſibi honore utitur Eccleſia violenter & indignè. Et iſtam ultimam concedunt Græci. Et dicunt quod nullus Apoſtolorum fuit major altero: ſed omnes fuerunt æquales & fratres, juxta illud: *Omnes autem vos fratres eſtis;* & *Patrem nolite vocare vobis ſuper terram, quia unus Pater veſter cæleſtis eſt.*

Matth. 23. 10. Ibid.

Ad quod reſpondentes dicimus, quod Dominus hîc non removet officium prælationis, cùm Paulus Apoſtolus dicat: *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis:* ſed *libi-*

Heb. 13. 20.

*dinem*

*dinem dominandi.* Unde non dixit; nolite ſtatuere, ſed, nolite vocari: unde cum nos eligimus Paſtorem Eccleſiæ, non eligimus nobis Patrem, vel Matrem ſimpliciter, ſed potius Vicarium Patris noſtri veri & Magiſtri, qui in cœlis eſt, ſed, nec quem eligere volumus nos, ſed quem Deus dare, juxta ſanctiones & Canones Apoſtolorum ſuorum, conſtituit & ordinavit, juxta illud: *Nemo ſumit ſibi honorem, niſi vocatus à Deo, tanquam Aaron.* Unde gloſſa ſuper illum locum; *Patrem nolite vobis vocare ſuper terram,* ſic ait: *Quod Deo debetur, vobis non præſumatis; nec alios Rabbi vocetis, nec divinum honorem hominibus deferatis.* Item alia gloſſa: *Deus dicitur Pater & Magiſter;* nam indulgentia Pater, ut honor ætati deferatur, non auctor vitæ habeatur: Magiſter, ex conſortio veri Magiſtri tanquam ejus nuncius, & pro reverentia ejus, qui mittitur, honoratur.

SÆC. XIII. ANNO 1252. *Gloſſa in 23. cap. Matthæi.* *Eadem.*

Petrus autem habuit prærogativam dignitatis ſuper Apoſtolos, & plenitudinem poteſtatis ſuper omnes homines. Quod probatur ſic: In Evangelio Joannis, cùm Dominus ter requiſiſſet à Petro ſingulariter & ſpecialiter; an ipſum diligeret, audivit; *Paſce oves meas.* Super quem locum dixit Joannes Chryſoſtomus: *Quia igitur finis erat cœnæ, Petro præpoſituram orbis omnium committit, non alteri dat, ſed huic tantùm. Quare? quia omnium præcipuus & caput totius chori. Et ideo etiam, ut oſtendat ei, quod poteſt confidere, tanquam negativne obliterata; quia ei neque illam improperat, nec profert in medium: Sed, ſi diligis me, præeſto fratribus, & ferventem amorem, quem in me habere dicebas ita ut mori velles pro me, nunc oſtende. Interrogat autem eum ter, ſimul quantam curam habeat de ovibus ſibi commiſſis.* Et poſt aliqua dicit ei: *Sequere me. Commiſit quidem Petro prælationem omnium fidelium. Quia etſi Iacobus Hieroſolymitanam ſedem ſuſcepit, Petrus tamen totius Orbis: quaſi dicat: Sanctus vocatus eſt Iacobus in partibus Hieroſolymitanis; ſed Petrus in plenitudine poteſtatis. Unde in mandato, Tibi dabo claves, tibi, diſcretivè quaſi ab aliis, dabo claves.* Super quo Joannes Chryſoſtomus ita: *Sicut Pater dedit tibi revelationem confeſſionis veræ fidei: ſic ego dabo tibi claves cœleſtes. Divinorum ergò dignitates tradidit Petro, poteſtativè in terris exiſtens, & cœleſtibus intrans.*

*Joan. 21.* *S. Jo. Chryſoſt. in Joan.* *Joan. 21.* *Idem D. Joan. Chryſ. in Matth.*

Item Chryſoſtomus: *Et quidem alios prætermittens, huic, id eſt, Petro, de ovibus diſponit, cùm ſit princeps Apoſtolorum, & caput chori. Propter quod & Paulus aſcendit Hieroſolymam, tunc videre ipſum præ cæteris.* Hæc ſunt verba Chryſoſtomi.

*Idem.*

In quibusdam tamen codicibus reperiuntur, quæ videntur ſapere, quod non ſolùm Petro, ſed etiam Apoſtolis communiter eandem tradidit Dominus poteſtatem. Super quo voluimus admonitum eſſe lectorem, ut habeat, quod debeat Adverſariis reſpondere, ſi quæ inveniuntur in gloſſa Chryſoſtomi poſita, quæ dicunt plenitudinem poteſtatis non eſſe traditam tantùm Petro: ſed omnibus aliis, abſque dubitatione aliqua dicit, quicunque legerit, quod illa non ſunt verba Chryſoſtomi, ſed potius Theophylacti Archiepiſcopi Bulgarorum, qui miſſus eſt à Photio, tempore ſchiſmatis in Bulgariam, ut ipſos Bulgaros, tunc temporis Eccleſiæ Romanæ devotos & obedientes, ad Græcorum ritus & obedientiam revocaret. Quod & factum eſt. Iſte itaque Theophylactus, cùm omnia ferè ſcripta beati Joannis Chryſoſtomi ſuo ingenio abbreviaſſet, quidquid pro Latinorum Eccleſia facere videbatur, aut omninò tacuit, aut de ſuo ſuperaddendo verum intellectum corrupit. Inveniuntur tamen quædam originalia Chryſoſtomi adhuc illæſa in armariis monaſteriorum Græcorum.

Chryſoſtomus depravatus.

Item Græci in officio ſuo de Apoſtolis Petro & Paulo talia teſtantur, cuilibet laudem cantantes: *Petro, qui diviſi ſunt corpore, uniti ſunt ſpiritu. Divinorum prædicatorum præpoſitos: Petrum quidem tanquam Apoſtolorum principem: Paulum verò tanquam præ cæteris laborantem.*

*Locus corruptus.*

Item Dominus in Evangelio de Petro: *Tu vocaberis Cephas,* quod in latino reddi- tum ſonat *Caput*; ut ex ipſa impoſitione nominis *caput* Eccleſiæ eundem demonſtraret. Quod ſacri tractatores fidei conſiderantes, ubicunque de Petro mentionem aliquam fecerunt, κορυφαῖον τῶν ἀποστόλων, id eſt, caput vel verticem Apoſtolorum, vel apicem nominaverunt. Quam prærogativam nominis nunquam alibi legi. Quanquam Germanus Nicænus Archiepiſcopus, iſte ſcilicet, qui nuper defunctus eſt, in quibusdam ſuis literis, quas contra Latinorum fidem nuper transmiſit; etiam Apoſtolum Paulum κορυφαῖον τῶν ἀποστόλων nominavit. Quia autem quidam Græcorum Epiſcopus nunquam talem abuſionem ſe audiviſſe teſtatus eſt, unde & deriſit hominem. Sed eſto. Quid ad rem! Romanus namque Pontifex, non ſolùm Petri, ſed etiam Pauli meruit eſſe ſucceſſor. Petro ſucceſſit in poteſtate clavium, Paulo in diſcuſſione cauſarum. Nam ſicut Petrus autoritatem ligandi atque ſolvendi accepit à Domino: ita Paulus ſcientiæ plenitudinem. Et licet omnes Apoſtoli ligandi & ſolvendi claves à Domino ſuſceperint: nullus tamen plenitudinis poteſtatem ſibi aliquo tempore vindicavit. Sunt verò vocati in partem ſolicitudinis, ſicut Archiepiſcopi à Papa, Epiſcopi ab Archiepiſco-

*Matth. 16.* Æqualitas Petri & Pauli.

Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1252.

piſcopis, & ab Epiſcopis Sacerdotes. Unde factum eſt, ut ſucceſſores aliorum Apoſtolorum, non ſummi Pontifices, ſed Archipræſules, vel Archiepiſcopi nuncupentur. Romanus verò Pontifex, quia Petro, id eſt, Chriſti Vicario ſucceſſit, non immeritò ſummus Pontifex & Papa, hoc eſt, Pater Patrum, ſingulariter nuncupatur.

Aliorum etiam locorum Epiſcopi, in quibus ipſe perſonaliter præfuit, ut Antiochiæ, vel ad quam Vicarium ſuum miſit, ut Marcum Alexandriæ, & item Cæſareæ Palæſtinæ, ubi Concilium ordinavit, & ei vices ſuas commiſit; propter Petri reverentiam ſingulare privilegium & dignitates præ cæteris Eccleſiis meruerunt, ut dictarum Eccleſiarum Epiſcopi, non ſolum Epiſcopi vel Archiepiſcopi, ſed Patriarchæ, hoc eſt, Principes Patrum, vel Principales, appropriato vocabulo à cunctis nominarentur.

Si verò queritur, unde ergo Hieruſalem & Conſtantinopolis habent Patriarcham, reſpondemus: In primo generali Concilio, Patres ſancti, qui aderant, conſiderantes loci reverentiam, de Hieruſalem ſcilicet, quam redemptor omnium ſua præſentia & ſuo cruore piiſſimè dignatus eſt conſecrare: honorem hujusmodi, & Patriarchatus ejusmodi loci Epiſcopo diſpenſative conceſſerunt: Dixerunt enim: *Statuimus, ut Heliæ Epiſcopus propter reverentiam Domini, præeminentiam vel prærogativam honorem Patriarchatus habeat: ſalvo jure & reverentia Metropolis*, hoc eſt, Archiepiſcopi Palæſtinæ Cæſareæ. Quod ideo factum eſt, quia Cornelius, Centurio, ſicut diximus, à Petro Apoſtolo Epiſcopus ibidem ordinatus, vices ipſius Apoſtoli Apoſtolorum Principis in vita ſua gerebat. Diſtinctio ſexageſima quinta ita habet; quamvis antiquus & vetuſta traditio obtinuit, ut Heliæ, id eſt, Hieruſalem Epiſcopo honor deferatur, habeat conſequenter honorem; manente tamen Metropolitanæ civitatis propria dignitate.

Origo Patriarchatus Hieroſolimitani.

Conſtantinopolis *propriè ſedem non habet*; ſed Theodoſius Imperator in ſecundo Concilio coëgit centum quinquaginta Patres, clam ſummo Pontifice; ſine cujus conſenſu fieri non potuit, prout legentibus hunc libellum patebit; ut Conſtantinopolis ſedem ſublimarent, nomen ei Patriarchatus attribuentes, quod ante non habebat. Proceſſu verò temporis, creſcente Græcorum malitia, & potentia invaleſcente, Patres, qui convenerant in quarto Concilio, ſuaſu Principis Martiani, quædam privilegia Romanæ ſedis ſimilia, & hoc nomen οἰκουμενικὸς Patriarcha, quod ſonat, *orbicularis*, ſive *Univerſalis* Patriarcha, eidem Conſtantinopolitano Epiſcopo, contradicentibus Apoſtolicæ Sedis Legatis, contulerunt. Et, ut habeant primum locum poſt Papam: cum Alexandrinus Archiepiſcopus primitus eam dignitatem habuerit, in primo, & ſecundo, & tertio Concilio, propter reverentiam B. Marci, diſcipuli B. Petri. Veruntamen quia ea definiebantur in Conciliis ſine conſenſu Papæ, vel legatorum ipſius, robur firmitatis habere non poterant, dicti Patres IV. Concilii cuncta, quæ egerant, ad ipſum transmittentes, petunt humiliter eorundem confirmationem. Sed quia tale ambitionis nomen & poteſtas uſurpata indebitè, non ſine magna injuria aliorum Patriarcharum & maximè Papæ, ſibi arrogaverunt Græci: Ideo B. Leo Papa petitioni Concilii nullo modo aſſenſum præbere voluit, ſed ſcripſit eis ſic: *De negociis fidei Synodum congregari permiſimus, & ut ſanctorum Patrum Canones conſerventur, quæ in Nicæna Synodo inconcuſſis dogmatibus edita fuerunt. Quapropter, inquam, conſideratione veſtræ Sanctitatis innoteſco, quod Eccleſiarum, prout ab illis trecentis decem & octo Patribus divinitùs inſpiratis edita ſunt, volumus ut permaneant; ut nil inverecunda ambitio deſideret.* Inde Anatolio, prædictæ civitatis Epiſcopo, petenti confirmationem ſuæ dignitatis, & querenti de Legatis Sedis Apoſtolicæ, eo quod non conſenſerunt prædictæ ordinationi, ita dicit.

*S. Leo ad Concilium IV. Conſtantinopolitanum.*

*Sed temet ipſum accuſas, quod eis (Legatis) parere nolueris, dum illicita moliris; ſuperflue non concedenda appetens & inſalubriter contraria concupiſcens, quæ nullum unquam potuerunt noſtrum obtinere conſenſum. Abſit enim à conſcientia mea, ut tam prava cupiditas meis ſtudiis adjuvetur, &c.* Hæc autem ſcripta ſunt in geſtis quarti Concilii, de quo præfati ſumus.

*Idem S. Leo Anatolio.*

Sed Gregorius Diaconus Epiſcopum ejuſdem urbis Eleemoſynarium reprehendens, eo quòd tale nomen habere præſumpſerit, ita ſcribit in ſuo Regiſtro. *Papa inſuper Romanus cum oblatum eſſet ei à Conciliis nomen illud, nunquam voluit ſuſcipere.* Et poſt pauca: *Sufficiet*, inquit, *tibi, quod dignitatem Patriarcharum dedimus tibi, cùm non habeas ſedem.* Sedem vocat auctoritatem Petri videlicet: locum quem per ſe, vel per alium præſidendo auctoriſabilem & reverendum reddidit, ut meritò Sedes Apoſtolica nominetur. Hoc ſemper Conſtantinopolis curavit. Propter quod & inter Sedes Apoſtolicas non numeratur vel computatur.

Unde Leo Papa in IV. Concilio ad Martianum Imperatorem, de Anatalio, præfatæ urbis Epiſcopo, temerè uſurpante jus non ſibi conceſſum, ita ſcribit: *Sufficiat prædicto*, ſcilicet, Anatolio, *quod tuæ pietatis auxilio & ſtudio, ſeu ſolicitudine noſtro aſſenſu tantæ*

Digitized by Google

*tantæ civitatis Episcopatum obtinuit: nec indignum se faciat habere regalem civitatem: quam quidem Apostolicum locum, sive sedem facere non poterit. Sed nec aliquo modo speret, quod offendendo alios, possit ipse crescere. Nam prærogativæ honorum sanctarum Ecclesiarum Patrum Canonibus, & venerabilis Synodi Nicææ celebratæ decretis, constituta, nulla possunt temeritatis audacia moveri: nec etiam aliqua novitate mutari.* SÆC. XIII. ANNO 1252.

Unde B. Gregorius Dialogus dicit, cùm de sedibus generalibus faceret mentionem, sicut supra in tractatu de Sacramento Eucharistiæ ostensum est, Ecclesiam quatuor ordinibus distributam esse, id est, Romanorum, Hierosolymorum, Alexandrinorum, & Antiochenorum: qui generaliter, inquam, Ecclesia nominantur.

His se sic habentibus, multùm videtur oppositio quorundam Latinorum infirmari, quod dicunt, quòd Patriarchiæ dictæ sunt, quia in his locis Apostoli præsederunt: Sed eo, quòd Apostolus præsidet, id est Petrus, vel per se, vel suum vicarium, valeret quod dicitur: Si simpliciter intelligi volunt, quomodo stare possit non videmus: quoniam essent plures, quàm hæc. Nec omnia supra nominata loca Patriarchali honore ornarentur. Nullus enim Apostolorum sedit Constantinopoli, vel Alexandriæ, nisi Petri discipulus S. Marcus. Sedit enim Mediolani Barnabas, electus Apostolus gentium cum beato Paulo, & aliqui de Apostolis quibusdam regionibus specialiter præfuerunt. Sed si quorundam Apostolorum, & discipulorum Domini sessio faceret sedem: necessariò esset, sicut diximus, quòd essent plures, quàm quinque Patriarchæ in mundo. Sed quoniam hoc non videmus, sequitur, quod gratiâ Petri prædictarum civitatum sedes honorem hujusmodi præ cæteris Ecclesiis meruerunt. Suscepit Petrus in plenitudine potestatis, & eam posteris suis successivo jure dimisit, ut qui in ea sede, quàm, ut ita dicam, martyrio crucis consecravit pro Domino, isque secundum canonem fuerit electus, Christi Vicarius non immeritò cognoscatur. Quod ut nescientibus antiquas historias innotescat, quoquo modo de multis pauca in medium adducimus. Patriarcharum Origo.

Scribit enim Leo Papa congregatis sanctis Patribus in quarto Concilio sic: *Misit nobis Imperator, ut venerabili synodo nostram præsentiam præberemus: Quod quidem nec necessitas temporis, nec ulla consuetudo poterat permittere. Tamen in his fratribus Paschasino, & Lucentio Episcopis, Bonifacio, & Basilio Presbyteris, qui ab Apostolica sede directi sunt, me Synodo vestra fraternitas existimet præsidere: nec sejunctam à vobis præsentiam meam confidat, qui nunc in vicariis meis adsum, & jamdum fidei Catholicæ prædicatione non desum, &c.* Qui legati auctoritatem summi Pontificis functi, sic in Concilio locuti sunt. Vide Epist. 47. ad synodum Chalcedonensem.

*A Beatissimo & Apostolico Episcopo Romano, qui est caput omnium Ecclesiarum, mandata habemus, ut Dioscorus, Patriarcha Alexandriæ, in Concilio non sedeat. Quod si sedeat, expellatur;* Item: Legati dant contra Dioscorum sententiam, rogati à Concilio sic: *Rogamus sanctitatem vestram, qui locum obtinetis sanctissimi Archiepiscopi Leonis, ut sententias contra eum, & pœnas, quæ in canonibus continentur definiatis in ipsum. Omnis enim & tota universalis Synodus vestræ sententiæ non discordabit. Qui definientes dixerunt: Manifesta fiant omnibus ea quæ dixit Dioscorus.* Et post pauca sententiam dantes, deposuerunt eum. Cui sententiæ concordans Patriarcha Constantinopolitanus, & tota Synodus: *Ego*, ait, *ea, quæ Apostolicus thronus per omnia sentit, sentio, & consentio deponi, &c.*

Item Leo Papa dicto Patriarchæ sic scribit: *De Eutyche nondum cognovimus, quâ justitia à communione est separatus. Quapropter cognoscere volentes de causa; volumus tui facti rationem cognoscere, ut omnia suspendantur, usque ad nostram notitiam. Quoniam nos, qui volumus sacerdotum Domini justa esse judicia, non possumus non cognitis rebus, in præjudicium alicujus partis ferre sententiam, antequam ea quæ gesta sunt, cum veritate audiamus, &c.*

Idem Leo Papa his, qui in Concilio Ephesi celebrato erant, ita scribit; *Itaque ad perfectionem divinitùs statutorum Apostolicæ cathedræ petiit Imperator apponi confirmationem tanquam à B. Petro fuerit facta.*

Item; Principes qui intererant Concilio loco Imperatoris, de Papa ita loquuntur: *Quia igitur lecta est epistola Domini nostri sancti Patris Archiepiscopi Leonis, qui cathedram Apostolicam ornat: Expedit etiam, ut B. Cyrilli epistola, quæ contra Nestorium scripta, legatur.*

Item dicti Leonis Papæ epistolam de duabus naturis in Christo, plenam fidem continentem tota perfecta Synodus devotè susciciens & approbans, in Episcopis singulis, & per singulos dixit: *Fateor epistolam Archiepiscopi nostri Leonis Apostolicæ Sedis Patriarchæ, consonam esse editioni trecentorum decem & octo Patrum, qui in Nicæna: & centum quinquaginta, qui in Constantinopolitana: nec non in ejus, quæ in Epheso, sub B. Cyrillo fuit celebrata. Et eidem epistolæ consentio, & subscribo.*



Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1252.

Alii autem ex ipsis vocant eum *Episcopum omnium Ecclesiarum*. Nonnulli, *Papam*; plures *patrem suum:* alii *Patriarcham Oecumenicum*, id est, *Universalem*. Quidam verò *Dominum suum*, addentes plures, *Apostolorum sedi præsidentem*, & similia, quæ causa brevitatis hîc non ponimus. Et tamen si de singulis velint verificari, legant Concilia generalia, & maximè quartum Concilium, Græcorum chronica inspiciant, ubi dictorum omnium absque dubio reperient veritatem.

Item Patriarcha Constantinopolitanus ad eundem Papam Leonem Pontificem, illa scribit: *Sanctissimo & Beatissimo Patri, &c.* Narratis his, quæ in Concilio gesta fuerunt, dicit: *Oportet hæc omnia ad notitiam sanctitatis tuæ pervenire, necessariò mittens ea illuc per talem, & talem Episcopum, &c.* Et infrà: *Quæ per eos manifesta facimus, optamus ut per prosperam responsionem, quam vos decet, læti ad nos redeant, laudantes in omnibus charitatem & providentiam vestræ beatitudinis, quam erga sedem hujus regiæ urbis, paterna semper consuevistis solicitudine habere.* Et infrà: *Etenim sedes Constantinopolitana patrem habet Apostolicum thronum vestrum. Unde ea quæ in sancta Synodo consecutivè gesta sunt, confirmare dignemini: nec non definitioni, de qua dictum est, hujus Constantinopolitanæ sedis.*

Et fine totius dicti Concilii ex parte omnium scribunt; sic ad eundem narrantes, quæ in Concilio gesta sunt, & confirmationem eorundem postulantes. Dicunt ergo: *Beatissimo & Sanctissimo, &c.* Et post: *repletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione.* Et infrà: *Quam fidem tu veluti aureum flumen usque ad nos præcepto conditoris deductum custodisti, omnibus B. Petri interpres, vel exposita constitutus. Unde nos te tanquam auctorem boni ad utilitatem utentes, sortem veritatis filiis Ecclesiæ demonstramus.* Infrà: *Si enim ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine ejus*, id est, *Dei, ibi dixit se esse in medio, quantam putas circa ducentos viginti sacerdotes inhabitationem ostendere, & familiaritatem,* (a) quæ etiam patientiæ, *& labori, cognitioni, quæ in confessione ipsius præposuerunt; quibus tu utique ut caput membrorum præsidebas,*

(a) *Locus corruptus.*

Et infrà: *Dioscori Alexandriæ præsulis causas depositionis exponentes, inter multa intulerunt de vinea Domini, & custode ejus: Insuper inquiunt, Contra ipsum vineæ custodem, qui à salvatore deputatus est custos, insaniam suam ostendit, dicimus scilicet sanctitatem tuam, & incommunicabilem eum, qui corpus Ecclesiæ unire solicitus est, meditatus fuit facere.* Et infrà: *Ea igitur, quæ definimus ad remotionem totius confusionis, ad robur verò Ecclesiasticæ ordinationis propria & amicabilia, ad decorem consequa, stabilire digneris, sanctissime & beatissime Pater. Nam hi, qui locum tuum obtinent sanctissimi Episcopi Paschasius, & Lucentius, & hi, qui cum eis directi Presbyteri, Bonifacius, & Basilius, dictis definitionibus fortiter astiterunt, volentes prorsus, ut hoc bonum à vestra providentia incipiatur, &c.* Et in fine ejusdem sic loquitur; *ut autem sciatis, quod non ad gratiam, aut ad odium fecerimus alicujus, sed tanquam divino nutu gubernati & directi sumus, cuncta vobis gestarum rerum nota faciamus, ut à vobis, quæ gesta sunt, statuantur, roborentur, & concedantur.* Pariter quædam consimilia, &c.

Imperatores verò Petri auctoritatem, & successorum ejus non ignorantes, ad eundem Leonem ita scribunt; *Victores Valentinianus, & Marcianus, glorioси triumphatores, semper Augusti, sanctissimo Patri, & venerabili Archiepiscopi Leoni: Beatitudinem tuam syllabis nostræ serenitatis velocissimè valere optamus:* Inquirentes, *ut cura omnipotentis Dei, vestrarum precum interventu nobis concedatur, ita ut pia & pacifica sua magnificentia, omnia prospera & optata nostro imperio concedere dignetur. Micamur maximè, quod post Synodum Chalcedonensem, & literas venerabilium Episcoporum, qui ad tuam in Deo amicitiam missæ sunt, per quas omnia in ipsa facta, vobis nunciaverunt: nequaquam à tua sanctitate tales literæ missæ sunt, quæ videlicet in sanctissimis Ecclesiis lectæ ad omnium notitiam pervenirent, pro quorundam animabus, quæ Eutychetis pravam adhuc opinionem sectantur, ambiguitatem immisit: utrum videlicet tua beatitudo, ea, quæ in Synodo sancta edita sunt, confirmaverit. Et propter hæc vestra reverentia literas mittere dignetur; per quas omnibus Ecclesiis, & populis notum sit, universa, quæ in sancta Synodo gesta sunt, à tua beatitudine esse confirmata. Illud tamen, ut decebat Episcopum Apostolicæ sedis, tua sanctitas excellenter dixit, quod Ecclesiasticos Canones conservans, nihil ab antiqua consuetudine in ordinatione olim edita, & immobili, usque hodiè perseveranti, aliquid patiebatur diminui.* Et infrà: *Cum autem confirmaverit Catholicam fidem & veram orthodoxam, noveritis Chalcedonense Concilium, omnibus Episcopis consentientibus, fuisse sequutam. Propter hoc, quod & tua venerabilitas, propriàs, & speciales velocissimè mittat, per quas confirmare vos ipsam, quæ in Chalcedonensi celebrata est; Synodum manifestissimè ostendatis: ut nec illi, qui desiderant, ignominiosam possint habere aliquam suspicionem de judicio tuæ san-*

*ſanctitatis gloria, id eſt, quod tua ſanctitas de his, quæ acta ſunt, jubilat eſſe tenendum.* Hoc autem dicit, quia ſine confirmatione Papæ, vel legatorum ejus, infectum negocium habebatur. Iſta autem quæ diximus, colliguntur ex IV. Concilio. SÆC. XIII. ANNO 1252.

Sed ne aliquibus videatur, quod propter dictam definitionem, editam in memorato Concilio, quid videatur imminutum de poteſtate Papæ, de conſequentibus Conciliis, quæ multò poſt celebrata ſunt, aliqua proponamus. In ſexta enim Synodo, quæ ſub Papa Agathone, tempore Conſtantini Principis, & Heraclii, & Tiberii fratrum ſuorum, in urbe Conſtantinopoli, contra Monothelitas celebrata eſt, Patres qui convenerant, auctoritatem Principis Apoſtolorum non ignorantes, de ſucceſſione ipſius, in octava Seſſione ejus libri talia fatentur & ſcribunt. (a) Demetrius Epiſcopus (b) Phiſiadis civitatis ita dicit: *Relationibus miſſis ab Apoſtolica & principali ſede antiquioris Romæ, id eſt, Agathone, ad à Deo coronatum & mitiſſimum Dominum noſtrum magnum Victorem Imperatorem, tanquam à Spiritu ſancto editis, per os ſancti, & principis Apoſtolorum Petri, & per digitum B. benedicti, Papæ Agathonis ſcriptis, ego aſſentior, & ſic credo, & ſic ſentio, iſtas duas noſtras voluntates in Chriſto unitas perſonæ, &c.*

(a) Dominius. (b) Pruſiados. Concil. VI. Act. VIII. t. 6. p. 721.

Item, Theodorus Epiſcopus Beriſſenſis Armeniæ: *Ego audiens relationes miſſas ad Dominum noſtrum benigniſſimum, à Patre noſtro, Romano Papa Agathone, & auctoritatum quæ in ipſis feruntur, intentionem capiens; credo, ſicut credit ipſe Pater noſter Papa antiquioris Romæ.* In hunc modum omnes Epiſcopi conſurgentes dixerunt: *Nos omnes illa credimus, & illam fidem tenemus, & iſtam ſequimur, &c.* Et peractis ritè omnibus referentes Deo gratias, & Papæ, qui eos direxit ad bonum in laudem ipſius, totum Concilium iſta ſcripſit, *Sanctiſſimo & beatiſſimo, &c.* Et infrà: *Unde & nos omnes tibi, tanquam principali ſedi Eccleſiæ totius orbis, quod geſtum eſt, attribuimus, vel committimus ſupra firmam petram fidei ſtanti, literisque à veſtra beatitudine adpiiſſimum Imperatorem miſſis, in quibus vera confeſſio continetur, libenter conſenſimus, quæ tanquam à ſummo apice Apoſtolorum enunciata, agnoſcimus.*

Item Joannes, Epiſcopus Conſtantinopolitanus, Conſtantino Papæ ita ſcribit: *Sanctiſſimo, &c.* Et infrà: *Licet ſuæ divinitatis & potentiæ indicium ipſam magnitudinem creationis, quæ in viſibilibus eſt, poſuit Deus: præcipuè tamen in preciosiſſima ſenſibili creatura, hoc eſt, in noſtro plaſmate, illa, quæ ſuæ gloriæ & ſapientiæ ſunt, demonſtravit. Ex quo etiam admirandam eſſe Dei ſapientiam, Propheta exclamavit ipſe. Itaque noſtræ naturæ conditor diligenti operatione toti corpori caput præpoſuit, in quo perfectionem, ſive integritatem ſenſuum apponens, ſive attribuens, omnem inde reliquorum membrorum motum & perfectionem fieri & conſervari fecit, ita ut ſi horum aliquod offendi contigerit, aut alio modo affligi, non ſine proviſione eorum cura ſit poſita, ſed etiam in noviſſimis membris, ſive viribus naturalem compaſſionem oſtendit, per manuum ſubminiſtrationem & oculorum per viſionem ducatum: ſanatur, quod afflictum eſt, & dolet; non injuriatur, deſpicit, aut rejicit horum cooperationem vel officium, tanquam inutile. Ex his itaque, quæ circa veſtram præſentiam ſunt, habemus parabolicè loqui, & ſanctiſſimè. Nam cùm caput ſacerdotii, quod in Chriſto eſt, Canonicè vos eſſe reputamus, congruè quærimus per vos auxilium dolori, qui contingit, & triſtitiæ. Eccleſiaſtico ergo corpori, quod in nobis eſt, propter peſtilentem & morbidam plagam animarum à tyrannica poteſtate inflictam, conſolationem mittite. Prorſus enim ratione proprietatis capitis, nos inconſultè, vel non voluntariè infirmatos non deſpiciatis: neque identitatem à natura obliti, repellatis nos: Sed magis plagis noſtris condoleatis. Cùm enim patitur unum membrorum,* ſecundum Pauli vocem, *compatiuntur meritò omnia membra. Nunc igitur & recurſum, quoad ſanitatem ſit, ad reſtitutionem perfectam nobis concedite juſtiſſimè. Et maximè, quando infirmitas occaſionem non ſine cauſſa corporis ſui ſtabilimentum acceperit, ſed ab extrinſecus coacto, & improviſo impenſa, ſive caſum ſuum acceperit.*

1. Cor. 12. Locus obſcurus & mendoſus.

Poſtea mutat perſonam, quia loquitur Concilio, quod congregaverat Papa, propter eandem cauſam, de qua hîc agitur, ſcilicet propter Iconomachos, ſcilicet impugnatores imaginum. Inde ſubditur: *Propter quam cauſam nobis neceſſariò, fratres adeò honorabiles, præſentem literam manifeſtæ certitudinis miſimus vobis, & oſtendimus, quàm ſit importabile pondus plagæ, propter quod & uſque ad veſtram ſanctitatem, ſecundum quod exigit conſuetudo ſynodalis atteſtationis, ſeu proclamationis, devenire prohibeamur, tyrannicè detenti, &c.*

Quem in favorem Eccleſiæ ponendum *Decretum Conſtantini*, quod poſt receptam gratiam in urbe Romana B. Petro & Papæ ſucceſſoribus condidit, & tam Latinis quàm Græcis literis cunctis fidelibus in æterna memoria reliquit. Scribit enim ſic: Conſtantini donatio.



Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1252.

*Privilegium Conſtantini.* (a)

*NEceſſarium judicamus cum omnibus Satrapis noſtris, & toto conſultu, & principibus & populo, qui eſt ſub poteſtate Romanæ Eccleſiæ, ut ſicut S. Petrus ex perſona fidelis Dei eſt in terra: ſic Epiſcopi, & ſucceſſores Principis Apoſtolorum, poteſtatem in terra habeant magis, quàm imperium noſtrum gloriæ noſtræ. Et hoc conceſſum à nobis, & ab Imperio noſtro, & volumus nos ipſum Principem Apoſtolorum, & ſucceſſores ejus ex perſona ejus, primos ad Deum patres eſſe & defenſores. Et ſicut Imperialis poteſtas noſtra in terra veneratur & honoratur: ſic faciamus, ut veneretur & honoretur Romana Eccleſia, & magis quàm imperium noſtrum. Et æternam ſedem ſanctam cathedram B. Petri volumus glorificari, & exaltari: dantes ei poteſtatem, & gloriæ dignitatem, & diſcernentes ſancimus, ut habeat poteſtatem principalem, & ſit ipſa caput quatuor ſedium, ſcilicet ſedis Alexandriæ, Antiochiæ, Hieroſolymorum, & Conſtantinopolis. Et ſimiliter in omnibus Eccleſiis totius orbis Epiſcopus, qui eſt in ſancta Romana Eccleſia ſacerdos Mundi. Et quidquid eſt ad ſanctitatem, vel utilitatem Dei, & correctionem, & firmitatem fidei Chriſtianorum, ut ab ipſo judicetur. Juſtum eſt enim, ut ibi ſancta lex habeat caput & principium, ubi ſanctus Legislator, id eſt, Salvator noſter Jeſus Chriſtus B. Petro juſſit tenere cathedram, & etiam ubi paſſionem ſuſtinuit crucis, & beatæ mortis calicem bibit; factus imitator Magiſtri & Domini ſui; & ut ibidem Gentes inclinent capita ſua propter confeſſionem nominis Chriſti, ubi Doctor eorum B. Petrus, Paulus Apoſtolus propter Chriſtum extendens cervicem, coronam Martyrii ſuſcepit, & uſque in finem Mundi ibi requirant Doctorem, ubi Sanctorum reliquiæ requieſcunt.*

Et infrà: *Propter hoc utile æſtimamus, Imperium noſtrum & potentiam Imperii ad partes orientales transferri, & in regionem Byzantii, in loco utili civitatem condere, & imperium noſtrum ibidem collocare. Quoniam ubi eſt principium ſacerdotii, & caput Chriſtianæ Religionis à Rege cœlorum traditum, indignum eſt, ut ibi rex terrenus habeat poteſtatem.*

Hæc & his ſimilia quam plurima continentur in dicto privilegio Conſtantini, quod ad honorem, & reverentiam ſacro ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, illo tempore Græcis & Latinis, ut dictum eſt, literis promulgavit. Hoc tamen à ſemetipſo non habuit, ſed cùm eſſet tunc tempore Chriſtianiſſimus, ſanctorum trecentorum decem & octo Patrum Concilio intereſſe meruit vel ſtuduit; & eorum ſpiritu, quo & ipſi pleni, ſedem Apoſtolorum principis, prout in Evangelio à Domino didicerat, in honore dignam eſſe decrevit. Ibi enim prædicti ſancti Patres prærogativam dignitatem Eccleſiis per univerſum orbem diſpenſantes, Romanam Eccleſiam eſſe caput omnium Eccleſiarum in ſuis definierunt ſententiis; prout in præallegatis Conciliis neceſſariò comprobatur.

Sed & reliqui Imperatores orthodoxi thronum Petri omnibus aliis præferentes, tales de ipſa leges condiderunt. *Volumus, ut omnis regia Eccleſiaſtica conſuetudines Romanæ Eccleſiæ imitetur.* Et iterum: *Dictam ſedem omni honore dignam decrevimus, quia quidquid ad correctionem fidei ſpectat, ab illa ſede fuit ſemper receptum, correctum & emendatum.*

Quæ cuncta ſi diligens lector diſcutere volet, inveniet illa tria, quæ in principio iſtius partis fuerant quæſita, eſſe ſoluta. Videlicet quo tempore Romana Eccleſia habuit iſtam poteſtatem, vel à quo, & utrum ſuper omnes univerſaliter, vel particulariter ſuper aliquos. Quod iterum repetentes dicimus: Quod auctoritatem habuit Eccleſia à Chriſto, mediante Petro, cui cura omnium ſpiritualium ſpecialiter, ſingulariterque fuit commiſſa: (c) executionem tamen poteſtatis, vel auctoritatis habet Eccleſia à primo Concilio Nicææ celebrato: in quo unaquæque ſedes ſecundum quod plus, & minus, honorem ab Apoſtolis receperat, magis, & minus fuit privilegiata & exaltata: dignitatem verò, & potentiam temporalem recepit à fidelibus Imperatoribus, qui à tempore B. Sylveſtri, pro ea publicas leges promulgantes, ei pacem dederunt. Unde, & donis largiſſimè dotata, jus ſuum liberè ſuper omnes, & ubique extunc cæpit extendere. Unde & duos Patriarchas Photium, & (b) quendam alium in urbe Conſtantinopolitana depoſuiſſe dignoſcitur, & quoſdam alios excommunicaſſe. Imò in cuncta reverentia habita eſt ante ſchiſma ſedes Apoſtolica, quod legati miſſi ab ea Conſtantinopolim ſummo cum honore & laudibus reciperentur. Indè eſt, ut ipſe

(a) *Hoc ſano ſenſu accipi debet.* STRW.

(a) Hæc Conſtantini donatio, quæ fidem non meretur, & a Criticis omnibus reprobatur, demonſtrat quo uſque Latini Teſtimoniis ex antiquitate, ut ajunt, depromptis abutantur, ut eo fundamento nitatur autoritas Pontificia. BASN.
(b) Apthimura forſan, ab Agapeto depoſitum temporibus Juſtiniani, voluit indicare. BASN.

Digitized by Google

se Imperator de equo proprio resiliens, equum legatorum pedester traheret (a) usque ad Palatium, quod *Cardinalium* vocabatur: imitando scilicet Constantinum I. Christianorum Principem, qui B. Sylvestro talem reverentiam dignoscitur feciſſe, prout in præfato privilegio continetur manifestè. Ait enim: *Et tenentes frænum ejus, propter timorem & reverentiam B. Petri, stratoris officio usi sumus, per scripturam publicam cunctis innotescant.* Unde tanta cæcitas modernis Græcis, & mentis hebetudo, ut dicant, se non teneri ad obedientiam Ecclesiæ Romanæ? SÆC. XIII. ANNO 1252.

Item quæramus, & ipsi respondeant; Aut reliquit Petrum ut Vicarium sedis suæ, aut non: Si sic, habemus propositum, & cessat omnis quæstio, & sumus in pace. Si non: sed eadem ratione, quia Petrus non relinquitur, nec Andreas, nec Jacobus, nec aliquis alius Apostolus. Unde ergo in Ecclesia multitudo sedium, & dignitatum diversitas, & ligandi atque solvendi animas tanta potestas? Unde etiam Constantinopolitano Præsuli tanta vel talis potestas, unde dicat se primum post Papam, vel super alios Patriarchas? Sed dicunt, quòd à Conciliis. Sed Concilia sedem Petri, prout ostensum est, aliis præferunt. Unde B. Stephanus νεὸς, id est, novus Martyr (supple, his, qui vocabant eum ad quoddam falsum Concilium) respondit: *Quomodo vestra Synodus universalis vocabitur, in quo Romano non placuit Præsuli, sine quo impossibile est prorsus, res Ecclesiasticas canonizari.* Istud testimonium invenitur passione sua confirmare. Et alioqui infirmare ante Legatos non poterat Concilium, nec congregari similiter sine consensu Papæ. Ergo & Romanus Pontifex habet potestatem similiter principalem à Conciliis; & inde ut prius.

Si verò dixerint; Nos reputamus eum excommunicatum & hæreticum; quia addidit in Symbolo, *Filioque*: & ideo non obediemus ei. (a)

(a) *Dicit responsio.*

Item quæritur ab eis; in quo Concilio, aut in qua Synodo tantus pastor & pater Ecclesiæ fuit convictus de mendacio & hæresi, communi sententia condemnatus. Quæ cum ostendere non potuerint, quia nunquam factum est: dicimus, quod etiamsi verum esset, quod ei imponitur, tamen falsum est, sicut supra demonstravimus. antequam convincatur principaliter per Concilium, manet semper penes eum auctoritas; nec debet vitari, sed omnes tenentur ei obedire, quousque, sicut diximus, in sua præsentia cognoscatur causa. Hoc docent Concilia, ratio docet & suggerit, & canones compellunt. Unde in quarto Concilio Patriarcha Alexandrinus Dioscorus, & Eutyches Archimandrita; cùm per suam facinorosam hæresim forent deponendi, ante tamen latam sententiam & causam cognitam, manifestè loca sua tenuerunt in Concilio, & semper *venerabiles Patres, & sanctissimi* vocabantur.

Cùm igitur nec in hoc se possint excusare Græci, unde est, quod à matre Ecclesia tanto tempore recedentes, redire ad obedientiam tam obstinato animo recusant? Puto quod longiturnitas temporis hanc cæcitatem interioris hominis induxit eis. Transacti sunt enim trecenti octoginta anni & amplius, ut creditur, quod istud schisma & scandalum cœpit oriri. Sed nunquid tempus præjudicat in talibus? imò tantò magis rei schismatis, apud examen æterni judicis: quantò indultæ pœnitentiæ temporibus ingrati abutuntur; præsertim cùm semel, bis, ter, sicut in Græcis reperiuntur historiis, per legatos Romanæ Curiæ, & nuper per fratres nostri Ordinis, & fratres Minores tempore Gregorii IX. Papæ, à suo errore fuerint dulciter revocati: ut tandem, licet serò, ad sinum matris Ecclesiæ redeuntes, uno ore, quamvis diversis sonorum vocibus, benediceremus pariter redemptorem nostrum Jesum Christum, qui est benedictus in secula seculorum, Amen.

"NB. de "omni va- "let, vale- bitque pro- fana hæ- resi. STRW.

Constat ergo ex his, quæ dicta sunt, quòd Romanus Pontifex caput est omnium Ecclesiarum, sive universalis Ecclesiæ cum una sit, & non plures; successorque Petri, & Vicarius Dei in terris; Et ei tanquam ipsi Domino oportet fideles, in his quæ secundum Deum sunt, devotè & humiliter obedire. Eos verò, qui contumaciter impugnant, & ipsam sedem Ecclesiæ non asserunt esse caput: sicut jam à Pontificibus ejusdem sedis decretum est, anathematis gladio percussi, cum Dathan & Abiron schismatis incursuros dicimus dispendium damnationis æternæ.

## *De quatuor causis Schismatis.*

CAusas verò sive excusationes Schismatis credimus esse quatuor. Prima fuit divisio imperii. Licet enim Imperatores, qui regnabant Constantinopoli, post recessum Græcorum Schismatis causæ.



(a) Hæc nimis temere sunt excogitata in gratiam Latinorum; quippe Romani Pontifices Constantinopoli suos habuere Responsales sive Apocrisiarios. Sed illi non dicebantur legati, nec fuerunt Cardinales, nec id a temporibus Constantini, sed Justiniani potius institutum. Nocturno tempore Palatium fuit Cardinalium, quippe non in ædibus propriis; sed in Palatio Regio habitabant Apocrisiarii, ut patet ex epistola Phocæ ad Gregorium magnum. Nec ullum occurrit Palatium *Cardinalium* apud Constantinopolim. Nec denique unos fuit Imperatoribus tantos honores legatis deferendi. Argumentum vero, quod ex fictitia Constantini donatione promitur, infirmum est. BASN.

Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1252. ceſſum Conſtantini ab urbe Romana, pro eo, quod totum contulerant Eccleſiæ, ſicut ſupra diximus, nullum jus haberent in Italia, interdum tamen ubique regnaverunt. Sed cum infra Italiam uſque ad Romam Barbara gens irruiſſet, & ſummus Pontifex auxilium Imperatoris Leonis, qui erat Conſtantinopoli, requiſiſſet; & ille negligenter agendo, auxilium præſtare Eccleſiæ refutaſſet; compulſus eſt prædictus Papa magnum Carolum de Gallicis partibus evocare, & in Italia Imperatorem conſtituere, & Eccleſiæ defenſorem. Etenim erat ille Leo, ut legitur, valde voluptuoſus, & ideo in regimine Imperii ſui valdè remiſſus. Unde ſuo tempore Saraceni Syriam, Turci vero Cappadociam obtinuerunt; & ſic facta eſt diviſio Imperii Romani.

Secunda occaſio diviſionis fuit, quia non fuerunt vocati ad Concilium Ultramontanum, quando illa dictio, *Filioque*, fuit appoſita. Verum, quia ſuperius cauſam ſignavimus, hic ſubticemus.

*Eadem prorſus fuit Lutheri & Lutheranorum olim querela, quando defectionem ab Eccleſia moliebantur; iniqua prorſus, mendax, & calumnioſa utrobique.* STEW.

Tertia occaſio fuit, quam ipſi aliquando nobis in familiari colloquio aſſignaverunt, ſcilicet ſuperba nimis exactio Legatorum Papæ. Dicebant namque referentes, quod quando legati ſummi Pontificis ab ipſa ſede Apoſtolica annuatim Conſtantinopolim chriſma deferebant, niſi octoginta libras auri à clero, & Urbis populo, præter alia dona & munuſcula eiſdem impenderentur, non recedebant. Taceo agè, aiebant, de pompa, & ſuperbia, quam ipſi oſtendebant.

Quarta verò & potiſſima, quantum ad Clerum, fuit depoſitio Photii Patriarchæ, & excommunicatio ipſius, & aliorum Prælatorum, & quorundam Abbatum. Sed nunquid hæc ſufficiunt ad excuſationem tanti ſchiſmatis, & perditionem tot animarum? Minimè. Sed *occaſionem* pro facto *quærit, qui vult recedere ab amico.* Sed quid ſequitur in auctoritate? *Omni tempore*, inquit Salomon, *erit execrabilis*, id eſt, vitandus ab omnibus, deſpectus & vilis; quod præſens dies indicat in Eccleſiis Græcorum. Nam incarcerantur eorum Clerici & Monachi, ſicut cæteri ruſtici, & populares exactiones & pedagia fiunt ſuper eos, quemadmodum ſuper Laicos: Ut verùm ſit, quod per Prophetam ſcriptum eſt: *Sicut populus, ſic ſacerdos.* Tranſlata eſt quippe gloria ab eis ſacerdotalis, dignitas & Eccleſiaſtica libertas in contemptum redacta. Nam quæ vult ipſe, qui imperat inſtituere, inſtituit; & quem vult deponere, ſimiliter deponit. Et meritò. Ut qui ſubeſſe Eccleſiæ Romanæ & perſonis Eccleſiaſticis contempſerunt, ſubjaceant nunc Laicis principibus vel inviti. Recognoſcant diſtantiam ſervitutis, & dominorum orbis terrarum & convertantur, & clament ad Dominum, & ſummum Pontificem, & liberet eos.

*Prov.* 18.

*Iſai.* 24.

Hæc autem ſcripta ſunt anno Domini milleſimo, ducenteſimo, quinquageſimo ſecundo in civitate Conſtantinopolis, à fratribus prædicatoribus, ad ædificationem Eccleſiæ, & profectum animarum, ad laudem & gloriam Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen. (*a*)

## *Quædam admiſta prædictis.*

SIcut in procemio hujus opuſculi teſtati ſumus, Græcorum Eccleſia Doctorque olim ſua venuſtate quam plurimos ad æmulationem fidei provocabat, & morum, ita & nunc erroris caligine obfuſcatus, quod horrorem ſua fœditate aſpicientibus incutiat, ut jam non Eccleſia fidelium, ſed potius congregatio non immeritò Hæreſiarcharum poſſit appellari. Quod, licet jam quatuor dictis articulis demonſtretur; tamen adhuc in his, quæ ſubjecta ſunt oſtenditur. Quæ ex dictis *Magiſtri Hugonis Ætheriani* nuper extracta, huic operi duximus inſerenda. Dicunt enim, & ſcribunt de Latinis ſic:

### *Contra Romanum Pontificem.* (*b*)

ROmanus Pontifex, & omnes partium occidentalium Chriſtiani, Sacerdotes & Laici, præter Calabros, ante multa tempora extra Catholicam Eccleſiam pervagantur; Evangeliſtarum & Apoſtolicarum traditionum ignari, & à fide alieni. Nam (*a*) Theotonici à ritibus gentium parum diſcordant; in Deum impii; ſed Calabri, & cæteri orthodoxi, ſicut antiquitus, & Apoſtolicæ, & Eccleſiæ noſtræ alumni ejus moribus informati ſunt. Cæteri omnes exciderunt, impios à corpore Eccleſiæ non ſolùm mores alios & ignotos amplectentes, verùm ipſam Trinitatem ſanctam blaſphe-

(*a*) *Teutones notat.*

(*a*) Hic erat finis tractatus adverſus Græcos, quem compoſuerunt Fratres Dominicani. Quæ ſequuntur ſunt alterius auctoris, *Hugonis* nempe *Ætheriani*, qui ſcripſerat an. 1170. Id patet ex ipſo titulo: Quæ admiſta prædictis. vide obſ. præf. BASN. (*b*) *Notandum, in hoc ſequenti opuſculo plurima dici, ex auditione, & rumore vulgi ignobilis, & ignari. Item, ex odio & invidia contra S. Rom. ſedem. Novatoribus pleraque potius conveniunt.* STEW.

Digitized by Google

phemantes. Etenim sua concinnantes, & alienis adhærentes, neque divinis scrip- SÆC.
turis redarguentibus illorum errores: neque illis, qui eos miserunt, volunt morem XIII.
gerere. ANNO

Magis sanctos Patres nostros & Doctores sic sensisse, & inde se habere talem 1252.
traditionem mentiuntur. Nam in sancto Symbolo, quod à Patribus nostris, qui apud Nicæam convenerant, universali prima Synodo consequenter manifestè sic definitum est; *Et in Spiritum sanctum Dominum, & vivificantem, ex patre procedentem:* sed & in sancto Evangelio evidenter clamitante de Spiritu sancto, *qui à Patre procedit*; supra nominati viri addiderunt, *& ex Filio*; fallaciter, & ad suum periculum. Veruntamen, ut opinor, per angustiam suæ linguæ idem esse arbitrati sunt; Spiritus ex Patre processionem, & causam quæ per Filium sit, ad nos missionem; barbare, & inconvenienter intellexerunt.

Pro fermentato azyma offerunt, & calumniantur S. Petrum, & sanctos Patres Romanos Pontifices auctores extitisse talis traditionis,

Sacerdotes Principes cum Laicis ad bella proficiscuntur armati, & in acie bellant ante alios gradientes. Jejunant in Sabbatis; & si festa dies nativitatis sit, vel Epiphaniæ, non solvunt jejunium. Septimanam edulio casei dicatam non agnoscentes, carnes comedunt. Secunda die Jovis ova, caseum, & lac manducant, à quibus minimè, per totam quadragesimam suos pueros prohibent. *Historias sanctorum præter passionem Christi, in Ecclesiis suis non designant.* Et ipsam non pictura, sed opere plumario in similitudine sculptilium, & in terra *similium faciunt. In sancta templa ingredientes super pavimenta cadunt in faciem, & primo susurrant. Deinde crucem uno digito insurgentes oscülantur, & hanc orationem consummantes surgunt, & sacras imagines renuunt osculari. Sanctam Dei genitricem, matrem Domini nostri Jesu Christi, tantùm *sanctam Mariam* vocant. Secus altare Ecclesiarum quælibet accedit, cujuscunque sit sexus; ætatis, vel ordinis. Et in solennitate missarum mulieres sedere possunt, si velint, in sede Sacerdotum. Sic sciunt distinguere inter sacra, & prophana! comedunt suffocata, capta à bestiis, morticina, sanguinem, ursos, fibros, quos vocant castores, eritios, quæque his spurciora contra Apostolicum decretum: Sicut Lucas in Apostolorum historia refert his verbis: *Visum est enim Spiritui sancto, & nobis, nil ultra imponere vobis, quàm hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione.* Græcorum oppositiones Ritibus Latinorum circa Sanctos, &c. *fictilium. Actor. 15.

Sacerdotes & Episcopi sacerdotales stolas, id est, casulas non de lana, sed de sericis netura contexentes eis operiuntur, (a) diuturnas ipsas præparantes; cum hujusmodi stola, id est, casula vel planeta Christi habitum repræsentant, sive habitum, quem habuit, quando exitus fuit vestimentis, indutus est chlamyde coccinea, quæ de lana contexta erat, qua nos utimur quadragesimali tempore. In alienis vero diebus utimur albis, eo quod Christus agnus immolatus dicatur. Et ideo ex vestimentis ovium nobis casulas præparamus. In signum sanctæ Ecclesiæ desponsationis annulos portant, & chirothecas, in dextra quidem scribunt, *Domini dextra*, in sinistra vero, *agnus Dei.* Sacerdotes eorum solum in aqua baptizant, & salem in os mittentes baptizandi; baptizandos postquam spuunt in sinistra manu & dextra miscentes salivam, inungunt. Postquam ad ætatem pervenerint, peccatis obnoxios oleo perungunt in remissionem peccatorum; & bis baptizari videntur. Iidem sacerdotes quasdam purgationes faciunt jugiter, & asperssionem, quibus alligantur culparum Judaicis servientes ritibus: quinque digitis quomodo aliqui benedicunt, & cum pollice faciem signant, tanquam Monotheletæ. Cum igitur debeant disponi digiti in consignationibus, quod per eos duæ naturæ significentur, & tres personæ, prout Christus monstravit, quando in cœlum ascensurus discipulis manibus elevatus benedixit. A septuagesima usque ad Pascha non cantant *alleluia.* Affirmant non debere aliis linguis Dominum venerari, nisi istis tribus, scilicet, Hebræa, Græca, & Latina. Mortuos sepeliunt manibus eorum nequaquam constitutis in modum Crucis, sed deorsum missis circa inferiora instrumenta. (a) *Videtur locus mendosus.* *Actor. 1.*

Omnia cera oppilant. Sacerdotes ter quater in die celebrant super uno altari, ubicunque contigerit. Ut unus Sacerdos ter, vel quater celebrat in uno die, cum felix sit, qui unam dignè possit cantare. Tradunt filias suas nuptui accipientes consororis filiam filio suo, aut fratri, aut consanguineo. Si quis Monachus in Episcopum promoveatur, carnes manducet intrepidè. Et Monachi parva vexati ægritudine, carnibus vescuntur. Communiter autem omnes pinguedine porcina utuntur. Diversitas Rituum.

Venerabilem quidem Crucem in aliis diebus in Ecclesia vident & adorant; in sancta quadragesima velant sindonibus, cum qua & occultant *alleluia.* Et in sancto magno Sabbato de penetralibus educentes ipsam, tanquam de sepulchro resurgentem demonstrant populo; & de subito cum magno clamore cantant *alleluia*, & multotiens,

& per

Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1252.

& per multas horas vociferantur, quemadmodum Christus surrexit. Cùm missæ celebrantur, & mysteria conficiuntur plerique assistentium Laicorum, si placet eis, loquuntur & sedent. Participationem sanctæ communionis, non similiter ut nos Græci, perficiunt, sed dicunt, quod qui missam celebrat Sacerdos, osculatur volentem communicare. Promotiones Episcoporum & Laicorum non per omne tempus perficiunt antistites, sed tantùm in anno quater, & per observabilem diem. Nam cum anni quatuor tempora sunt, scilicet ver, æstas, autumnus, hyems; horum temporum initia, primo (a) cum mensi Martii scilicet, & Junii, Septembris, atque Decembris observant. In primis hebdomadibus Clericos, & Diaconos, Presbyteros, Episcopos, promovent: malè sentientes, & barbaricè, adventum Spiritus sancti non secundùm virtutem promoventis & promoti arbitrantes descendere; sed in diebus quibusdam putant hunc venire, ut insipientes. Non patiuntur sacerdotes habere uxorem, & Sacramentorum peragere mysteria. Duos fratres duabus sororibus carnaliter copulari permittunt. Radunt barbas presbyteri more suorum militum, præter Apostolicam institutionem. Sanctam Eucharistiam negligentissimè spectant. Nam ad ægros proficiscentes sine lumine ipsam deferunt & tribuunt. Et qui castra sequuntur, in marsupio ponunt, & portant in vestibus, in pileis. Clerici eorum, & Laici non sunt distincti; altare velato capite accedunt. Sanctis ac terribilibus locis nullam, aut modicam exhibent reverentiam. Ad tempus sonum repræsentando in nocte nativitatis Domini, matutinæ cantantur; vesicas explodi permittunt circa altare, ut habeant risus materiam. In diebus Passionis, cum ambulant extinctis luminibus in Ecclesiis, terræmotus faciunt, sedes, tabulas, parietes percutiunt malleolis, & lagenas confringunt; & cum deberent vigilare in orationibus, alii in stuporem mentis, alii in risum convertuntur, & alia quædam in ipsis tenebris fiunt, quæ nec fatu digna judicavi. Verùm hac de (b) grecogicè Laicorum lapsum excerpsi, ut si quando ad aures eorum devenerint, ad se reversi correctionibus vacent.

(a) *Locus mendosus. forte* eorum.

(b) *Monstrum verbi.*

## *Græcorum malæ consuetudines.*

Græcorum consuetudines malæ.

GRæcorum intolerabilis est redargutio, Vulcanum imitando, qui altero pede claudus dicitur. Matrem suam scilicet sedem Petri Apostoloaum principis, contra faciens contemnit, & abhonorat. Porrò stultam fecit Deus talium sapientiam. Nam vanitatis opinione pleni, poma, ut Tantalus, fugacia quæritant. At verò munda (c) vult esse manus, quæ alias debet tergere sordes. Quare collyrio primùm inungat oculos suos, absterSuri saltem deinceps lippitudinem aliquando; & aliorum vicia nequibunt discernere subtiliter. In scatebris quidem temeritatum, in præsumptionis aculeo, in jactantia amaritiam proferendo, & sentiendo, quod prius auditum non est, Spiritum sanctum scilicet ex solo Patre procedere, talparum formicarumque cuniculos malè fortes extruxerunt. Dividunt utique cum Ario divinam substantiam. Nam ex eorum disputatione, Patre minor necessariò filius reperitur. Confundunt, nascentis & procedentis differentiam, quæ in hoc tamen benè dignoscitur, quod filius ex uno solo, spiritus verò ex duobus provenit. Nam cum spiritus imago filii sit naturaliter, sicut Magnus Basilius, Theologus Gregorius, atque Damascenus tradunt, necesse est habere de ipso existentiam, & procedere. Propterea liber sub imperio Manuelis editus, quem de immortali causa præsignat titulus, cui Græci contradicere non possunt, scilicet spiritum ex duobus pariter procedere, inexpugnabilibus argumentis demonstrat. Ergo Græci *locuti sunt falsa, & erraverunt ab utero* matris suæ Ecclesiæ, quam Christus in Synodo, & Imperatores omnium Ecclesiarum principem constituerunt. Obliti sunt illud Salomonis: *Conserva fili mi Patris tui præcepta, & ne dimittas legem matris tuæ. Liga eam in corde tuo jugiter, & circumpone gutturi tuo, atque à stultitiis, quæ ad rem non pertinent, avertere.* Arefacti converSi sunt in arbores autumnales expositi, non solum scilicet in rebus, verùm etiam in plerisque fructibus veritatis, quod ex tractato capitulo, & reliquis quæ subscribuntur, patet.

(c) *Debet.*

*Psal.* 57.

*Prov.* 6.

*Jud. epist.*

De fermento.

Contra instructionem Christi Salvatoris nostri, fermentata offerunt, cum supercilio enim ignorant, quis dux fuerit illius traditionis: Christo in cœna benedicente azyma, quod trium Evangelistarum firmatur testimonio. Dicunt, & quod nequaquam relatu dignum esset, nisi quod ei omnes, tanquam magno propugnatori innituntur: afferentes fermentati panis vitam & animationem conferre. Sed omne corpus artificii, sicut ex se simile non producit, ita vita caret & animatione. Nimirum causam extrinsecus habet moventem, ut stannum, domus, arca, fermentatus panis, & similia. Quæ verò intrinsecus habent moventem causam: naturalia sunt, ut quæque animata. Non autem est in pane vis sanctificationis, sed in verbo. Unde non videtur fidei consentire hujusmodi eorum factum & assertio, —— quæ penuriam monstrare volentes,

ut

Digitized by Google

ut Armeni, qui nil aquei laticis fuæ immolationi apponunt, superflui inveniuntur. Nam simul frigidam, calidamque denuo, quasi benedictio impotens conficiendi fuerit, Dominico sanguini ad consummationem admiscent. SÆC. XIII. ANNO

Diebus paschalibus cum populus communicaturus (a) aridè præparant, insuper abundantiam conficiunt in Dominicum corpus; & post distributionem, reliquiarum acervos, quia durabile non est, sepeliunt. Communicandis panem intinctum præparant, & accedentibus offas porrigunt cum cochlearío: quod Christus nequaquam fecisse legitur. Diaconi eorum, qui ad aliquam promotionem incedunt, accipiunt uxores; ne honores perdant, quod contrarium est decimo canoni Nicenæ Synodi. Sacerdotes eorum in plerisque locis, viri sanguinum existunt, & inferunt (b) sacratis manibus; quod propriis oculis Imperatorem sequendo per Cappadociam, (a) Persarumque regiones, intuitus sum. Sacerdotibus debitum honorem subtrahentes, inter convivia sibi assistere faciunt. Pro facili occasione, pœnis & flagellis Sacerdotes & Clericos instar paganorum affligunt. Et ut habeant ridendi materiam, in capitibus eorum pileos pugnis conquassant: Cùm scriptum sit; *si quis manum in Clericum jecerit, aut sine causa, seu confingens occasionem, anathema esto.*

1252. (a) *avidè.*

(b) *videtur deesse vocula* mortem, *aut similis quapiam.*

Can. Apost.

In sorte Simonis Magi de jure ponendi sunt Græcorum Pontifices, qui nullis Ecclesias sine pecunia largiuntur. Quos verè tangit illud Apostolicum: *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Sacros ordines, qui gratis debent dari, nisi manus eorum ære graventur, non tribuunt: sepulturas in cœmeteriis non faciunt, nisi accepta pecunia, à quibuslibet, prorsus inficiant. Patriarchæ eorum, & Archiepiscopi, & Archimandritæ, secundum quod aliquando fuit in primitiva Ecclesia Hæreticorum, ad obtinendos honores, celsitudines, à Laicis promoventur. Quod prorsus hoc in tempore triceſimus Apostolorum canon inhibet fieri, qui est hujusmodi: *Si quis Episcopus per mundanos principes dignitatem obtinuerit, excommunicetur, & separetur, & omnes ejus consortes.* Sed etenim & tertius canon Synodi, quam Græci septimam vocant pronunciat omnem electionem à Principibus seculi factam; fore irritam. Unum solùm Sabbatum, quod nos sanctum vocamus, pro sepultura Domini Salvatoris jejunio commendaverunt: reliqua vero anni Sabbata, epulæ, balneæ, & ludicra, & quælibet penes illos celeberrima esse prætendunt. Sed errore (c) vatis jucunditate traducuntur, quomodo Apostolis sancitum esse sub anathemate mentiendo astruant, dicentibus: Maledictus, qui in Sabbato jejunaverit, præter unum. Nam si propter singularem Domini resurrectionem omnes dies Dominici cultu digno venerantur, & propter singularem mortem, sexta feria, nonne & propter singularem sepulturam, singulis Sabbatis, nisi solemnitas inhibeat, à qua & jejunium, & tristitia abducenda non sint, B. Sylvester asseruit?

Act. 8.

(c) *f. errore satis jucundo.*

Natura quidem hominis à principio in ruinam posita est, verùm Græcorum gula cum ea certet, quæ è corruptione inest malitia. Nam non solùm bis, sed quotiescunque opportunitas aliqua præbet, alimenta ori immittunt. Hinc est quod in quibusdam diebus Veneris, postposita omni verecundia, carnibus vescuntur; septem solis diebus in anno jejunant: quinque pro tota quadragesima: in principio suæ illorum septimanæ, Sabbato sancto, in vigilia Epiphaniæ Domini. Etenim per omnem magnam quadragesimam, cœna minimè abstinent, sed posito per singulos semel comedunt: nec secundum opinionem suam quadragesimam celebrant: cùm quadragesima jejunium quadraginta dierum significet. Ipsi verò majorem septimanam à numero quadragesimæ secludentes, sex hebdomadis quadragesimam claudunt. Tot enim sunt à prima eorum septimana usque ad Sabbatum, quod palmarum arborumque ramos præcedit, in quo universaliter ab illis cantatur; *quæ animæ utilis est: complenus quadragesimam:* à quibus sex septimanis, si sex dies Dominici cum totidem Sabbatis subtrahantur, triginta solum dies invenientur. De dominicis verò diebus supervacuum est differere: in quibus Christianis omnibus prohibetur jejunium. At igitur si Græci jejunant in diebus Dominicis (nam eisdem cibariis vescuntur in Sabbatis) anathematis rei sunt canonis, dicunturque anathema: sic qui in Sabbatis jejunaverit, præter unum. Cùm igitur die Sabbatorum jejuniis valefaciant, & omnia illa (d) de festivitate, etiam si major septimana reliquis numeretur; evidentissimè constat, eos non habere quadragesimam.

(d) *locus corruptus.*

Monachi extra claustrum pernoctantes, ut pecudes, singulis horis in plateis ipsi comedunt, de sinu, tanquam ex arca fructus, vel aliquid vescibile extrahentes, manducant. Declinant ut caupones, & calido lyæo comesta inferiora credunt.

Penes Monachos non est unum marsupium, sed obliti dicentem; *nisi quis renunciaverit omnibus, quæ possidet, &c.* singuli habent singula. Græci nequaquam venerantes præceptum Apostolicum illud: *Vir si comam nutriat, ignominia est illi,* Omnes cum maximo studio incrementis operam præstant. Hujus lapsus Clerici maximè rei sunt,

1 Cor. 11.

Luc. 14.



(a) Hæc non conveniunt Fratribus Prædicatoribus, sed Ætheriano, qui Manuelem, Græcorum Imperatorem, sequebatur, dum bella gereret in Ægypto, Asia &c. BASN.

Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1252. & etiam, quos nullo modo decet, Monachi nutriunt. Etenim in coronæ modum, ſicut regula præcipit, tonſuram capillorum non faciunt, ſed penè ut mulieres in fronte dividendo diſcriminant, ſervatis undique capillis, ut colli nuda, & aurium cartilagines protegant. Mulieres deſerto naturali cultu capillorum, comis mortuorum denſiſſimis ſubornantur, contra monitionem B. Petri Apoſtoli, dicentis; *Mulieribus non ſit extrinſecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus.* Mulieres (a) fuſco, & puniceo facies ſuas pingunt, & variis coloribus inſigniuntur.

1 Pet. 3.

(a) fuco.

(b) f. futili. Viri & mulieres Sacramentum conjugii pro (b) fatali reputant. Nam quotiens alter diſplicet, vel altera alteri, coram Prætore Urbano voluntatibus eorum expoſitis, inſtrumentis & cingulis præciſis, ſine contradictione viri uxores, & mulieres viros pro libitu accipiunt, contra mandatum, quod dicit: *Quod Deus conjunxit, homo ne ſeparet.* In domibus ſuis manſiunculas conſtruunt, in quibus ſanctorum imagines collocant, & eis omne obſequium exhibent lampadarum, cereorum, & incenſi: & ſynodales, quas Patres eorum conſtruxerunt, Eccleſias, in ſolitudinem ſinunt & in paupertatem redigi: & pœnè in cubilibus ſuis faciunt miſſarum ſolemnia celebrari, B. Sylveſtro hoc inhibente. C. *nullus preſbyter celebrare præſumat, niſi in ſacratis locis, in villis, in oppidis provinciarum.* Uxores ſacerdotum, chorum ingredientes, oblatos panes de altari tollunt, & obſequium Diaconi peragentes, cuncta quæ in cunctis ſuis neceſſaria ſunt officiis miſſarum, præparant. Miſſam circa horam tertiam, pene nullos auditores habens ſacerdos celebrat. Et quod nefas puto, uxori, vel puero filio aſſociatus: quos non habet ſocios, vel comites ſalutando dicit; *pax vobis.* Omnibus in quadrageſimali tempore Sabbatis, & dominicis diebus miſſas celebrant, & dominicum corpus conficiunt. Reliquis verò cùm major incumbit neceſſitas, miſſarum ſolemnitates prorſus abdicantes, præſanctificatis utuntur. In quadrageſima ſilentio commendant, *Deus Dominus, & illuxit nobis*; quod reliquis anni temporibus decantant. Sacerdotes eorum, more Judaico, promittunt barbas, quæ ſunt Dominico ſanguine, cùm ab illis bibitur, madentes. Suffocatorum nec abſtinent ſanguine; Nam turdos comedunt laqueis ſtrangulatos, & alias aves, & inteſtina ſanguine porcino implentes, pro deliciis veſcuntur, contra Apoſtolorum decreta. Sanguine humano porcos alunt, qui artem (c) minuendi exercent. Cùm ad mortuum ſepeliendum conveniunt, noti amici & cognati accedentes, ei oſculum præſtant ſinguli, tanquam licentiam accepturi, more paganorum, qui ad mortuos intendebant verba hæc: *Vade, cùm natura te vocaverit: ſequemur te.* Mixturam ſanguinis prohibitam à ſanctis Patribus, faciunt jugiter. Nam conſobrini conſobrinas uxores ducunt. In baptizando, præter Salvatoris præceptum Apoſtolorumque conſuetudinem, duo faciunt multùm ſuperſtitioſa. Unum quidem, quòd oleo per totum, baptiſandum perungit Sacerdos, ne aquæ tinctura illum pertingat; alterum verò, quòd aquam fieri mandant calidam infantulum perpurgaturam; quod neque Chriſtus, neque aliquis diſcipulorum feciſſe legitur: quare duo baptiſmata faciunt, cùm ſcriptum ſit: *Unus Dominus, unum baptiſma, una fides.*

(c) ſecandi venas.

Ephes. 5.

Aqua Benedicta. Fruſtra quidem arguunt Latinos Græci, aquæ cauſa, quæ per dies Dominicos in Eccleſiis ad ſanctificandum populum benedicuntur: cum ſi hæc culpa ſit, ipſi multipliciter rei ſint. Nam ſinguli papyris oleo lampadarum ardentium coram imaginibus ſanctorum intinctis, frontes ſuas perungunt, & aqua ſe aſpergunt, à reliquiis Sanctorum contacta; & in ſingulis Calendis diligentiſſimè aquam ſanctificant. Ad quam tollendam, de vicinia venientes atque aſportantes in domos ſuas, non ſolùm ipſi aſpergunt, ſed veriùs delibant. Apoſtoli Apoſtolorumque ſucceſſores prorſus etiam cum uxore coire, ne ſacerdotium polluerent, omiſerunt: Græci vero Sacerdotes, derelictis Sanctorum veſtigiis, *ut animales*, contrahentes matrimonium, *non percipiunt, ea quæ Dei ſunt.* Et quod abominabilius eſt, à concubitu mulieris ſurgentes, ſancta prophanant myſteria, quæ pollutos & recenter cum mulieribus coinquinatos nullo modo admittunt. Chriſtum minus poſſe, quam κύριον putant. Nam ex hoc probari poteſt; quòd *Chriſteeleiſon* nunquam concinunt: *Kyrieleiſon* frequentiſſimè cantant in officiis ſuis. Prælatio Sacerdotii apud eos tantùm inter Monachos eſſe videtur. Soli enim Monachi poteſtatem ſolvendi atque ligandi exercent, quæ Petro, Petrique ſucceſſoribus principaliter eſt tradita. Qua de cauſa ſtudium ſingulare pecuniæ ſacerdotes in monaſtico habitu conſtitutos complectitur, multaque inde facinora profluunt, ut evaneſcant in cogitationibus ſuis, & redargutionibus ſuis truces. Nam quod in magno Conſtantini palatio diligentiſſimè obſervatur, hoc Latinos facientes coarguunt. In Eccleſia utique dicti palatii, ubi ſanctæ conſtituunt reliquæ, ſanctæ Dei genitricis imago poſt altare ſita, quam quodam excellentiæ privilegio vocant *dominam domus*; ſtatim à capite jejunii in conclavi clauditur uſque ad magnum Sabbatum, panno illius portæ operiuntur, ſimiliter autem ſancti mantellis, ſanctique (d) Koramidii locos, quadrageſimæ tempore, uſque ad illud Sabbatum velaminibus tectos cuſtodiunt: ſanctæ Dei genitricis imaginem, ut filios parturiat, compellant, eaque mediante; ipſam Domini matrem, ut commater fiat, accerſunt, hoc modo: Imagini ſindonem connectunt, ut bap-

(d) Locus corruptus.

ti-

Digitized by Google

tizatum puerum de manu ſacerdotis, ipſa ut commater accipiat. Quam ſuperſtitionem à ſe fieri ſermone profitentur. Sed quid imago loquitur, aut fidem ſpondeat pro puero, aut teſtimonium reddat baptiſmi, niſi Deum contemnat, quis audeat aſſerere? Nullam ſuperſtitionis ſpeciem volentes omittere, & vivos fratres habentes odio, ſanctos per ſuas imagines inunitos ſibi fratres faciunt. Qui enim non diligit fratrem ſuum, quem videt, Deum, quem non intuetur, neque cognoſcit, quomodo diliget? Magis autem cum ficta & ſimulata eſt & inunita fraternitas hujuſmodi, ære conducunt Sacerdotem, cùm in Eccleſia cantatur miſſa; funduntur pro execrabili fraternitate preces non exaudiendæ. Animalis enim eſt hujuſmodi fraternitas, non ſpiritualis. Cerei ad minus accenduntur duo, & perungitur oleo fictus frater, & ſanctam amplectitur imaginem, quam auſus eſt dicere fratrem; qui homicida eſſe convincitur, cùm fratres ſuos viventes odio habeat. SÆC. XIII. ANNO 1252.

Contradicunt Chriſto patenter, & ſuper ſanctiſſimo illius corpore, verbis operibusque occurſant. Nam cùm ipſe in azymorum panis ſpecie carnem ſuam diſcipulis dederit; hi aſſerunt azymos panes in carnem non poſſe converti per benedictionem. Qua ex re, Sacramenti corporis Domini Latinos aiunt expertes. Sed ô Pelagiana incredulitas: ſi non credas Latinum Sacerdotem incruentam immolare hoſtiam, conficere corpus Chriſti, Hæreticus es. Nam multi per ipſam immolationem ſanctificantur, per quorum relinquias jugiter fiunt miracula. Rurſus ſi credis, Hæreticus. Nam deteſtaris quod Eccleſia Latinorum conficit corpus Dominicum; & potius vis in ſorte Judæ traditoris annumerari, quàm illius ſanctiſſimi corporis participare; ſed attendere debet Chriſtianus, quod ſicut vina diverſa verbum Dei in ſanguinem: ita panes azymos & fermentatos non adeò differentes permutat in carnem. Si fortè Latinus Sacerdos, quod vix permittitur in Eccleſiis eorum, dominica peragat, Græcus non niſi abluto altari ibidem celebrat. Ulterius, Latinus cum Græca muliere volens matrimonium contrahere, juramento compellitur deſerere communionem ſuam, confeſſionem ſuam, baptiſmum, jejunium Sabbatorum, & Chriſti carnis edulium. Omnis enim, qui in regia urbe de fratribus Græcorum uxorem ducit, ſcripto ſpondet juramento, quod deinde non manducabit in azymis carnem Domini: nec filios ſecundum ritum faciet baptizari, neque ſacerdoti Latino peccata confitebitur, neque in Sabbato jejunabit præter unum ſolum: neque non à Dominicâ quadrageſimæ uſque ad Paſcha veſcetur carnibus.

Græcorum ſacerdotes omnibus modis laborant oſtendere plus factis quàm dictis: quòd inviolata fides ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ irrita ſit. Nam quemcunque Latinum ſibi aſſociant per fidem, ſive latenter, ſive patenter baptizant. Unde Latinorum filios, mediantibus matribus, dicti ſacerdotes, patribus neſcientibus, rebaptizant, baptizatos jam ſecundum ritum latinorum. Quod omnibus dictis ſupra abominationibus, deteſtabilius eſt. Ex indice hoc mellitum lac inter cæteras Græcorum conſuetudines repertum expreſſi: ut cum eo ipſi pectora purgaverint, ter plurium animarum ſe reos recognoſcant.

## *De Conciliis Generalibus.*

COnſequenter poſt prædicta videndum eſt de Conciliis generalibus & particularibus, videlicet ubi, quando, & à quibus, & pro quibus cauſis fuerunt celebrata: & etiam qui ſint, qui dictis Conciliis fuerunt condemnati.

Sciendum, quod licet ſeptem vel octo dicantur Concilia apud ſapientes Græcorum, in libro, qui *Nomocanon* dicitur; invenimus tamen quinque tantùm ex ipſis, quæ generalia habentur Concilia, & non plura, & ideò contigiſſe credunt, quod non interceſſit in eis Pontificis Romani auctoritas; & Epiſcopi non fuerunt univerſaliter citati, vel certè quia non ediderunt canones, fidei doctrinam continentes, ſed tantummodo illa, quæ ad honeſtatem, & mores Eccleſiæ pertinebant. Verùm ſive generalia, ſive particularia, vel quocunque nomine cenſeantur, cuncta tamen, quæ in ipſis fideliter geſta ſunt, communiter ſunt recepta: & eorum auctoritas, tam in negociis fidei, quàm in aliis, parem obtinet firmitatem. Quinque Concilia œcumenica.

### *De prima ſancta & univerſali Synodo Nicæna: homouſion Filium Patri definit, verum Deum, & hominem creatorem omnium, non creaturam.* Concilium Nicænum.

PRima igitur ſancta, & univerſalis Synodus in provincia Bithyniæ, civitate Nicæa, tempore Conſtantini Magni Principis: quem Græci in Catalogo Sanctorum numerant, ſub beatiſſimo Papa Sylveſtro, ubi interfuit Oſius Epiſcopus Cordubæ, & Victor de Italia, Vicarii Domini Papæ, Metrophanes Archiepiſcopus Conſtantinopolita-



Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1252.

litanus, & Alexander Patriarcha Alexandrinus, Euſtathius Antiochenus, Macarius Hieroſolymitanus. Fuerunt autem cum iſtis, & alii Patres ſancti, numero trecenti & octo, & decem.

Convenerunt autem contra Arium vana ſapientem, qui fuit tunc temporis Preſbyter Eccleſiæ Alexandrinæ. Hic quidem Arius blaſphemavit Dominum noſtrum Jeſum, Deum verum, & verum hominem. Dicebat enim illum eſſe creaturam. Ideo impius, & conſubſtantialem Deo Patri nec unquam confiteri, nec conſiderare cum aliis Catholicis viris voluit: Cùm iſta confeſſio communis eſſet omnibus, & cunctis prædicata; ſcilicet quòd omnis filius ejuſdem naturæ ſit cum genitore, & ſubſtantiæ; &, qui filium inter creaturas computat, de neceſſitate etiam Patrem creaturam confitetur. Unde, hunc tanquam inimicum veritatis, ſimul cum illis, qui idem ſapiebant, anathematizantes, ab Eccleſia ejecerunt; hoc eſt, Euſebium Nicomediæ, Eunomium, & Macedonium. Hi enim quamvis in dictionibus ſuis differrent, tamen ut Arius à veritate exciderunt. Orthodoxam autem fidem confirmaverunt, conſubſtantialem Patri Filium confirmantes & prædicantes, creatoremque univerſitatis, & non creaturam: ſed verum Deum, & dominatorem. (a) Quod ipſi ſancti Patres, in inſpiratione ſancti Spiritus tunc temporis ediderunt.

(a) *In ſymbolo declararunt.*

## *De ſecunda Synodo, Conſtantinopolitana prima, quæ Spiritum ſanctum Patri, & Filio conſubſtantialem pronunciat.*

Conſtantinopolitanum.

SEcunda autem ſancta, & univerſalis Synodus fuit Conſtantinopolitana, tempore Magni Theodoſii Imperatoris, ſub Damaſo Papa. Ubi fuit Nectarius ejuſdem urbis Archiepiſcopus, & Timotheus Patriarcha Alexandriæ, Meletius Antiochiæ, qui & in ipſa Synodo vitæ finiit curſum, Cyrillus Hieroſolymorum, Gelaſius Cæſareæ Palæſtinæ, Gregorius Nyſſenus, Gregorius Theologus, ſive Nazianzenus, qui tunc temporis thronum obtinebat Conſtantinopoli: qui quidem, diſceſſione facta; voluntariè in ipſa Synodo renunciavit honori, ſecedens in locum, qui dicitur Nazianzum. Fuerunt autem cum iſtis & alii ſancti Patres numero centum quinquaginta.

Convenerunt autem contra impium Macedonium, qui Patriarchalem ſedem civitatis furtivè & tyrannicè rapuerat; & blaſphemavit in Spiritum ſanctum dicens, quòd non eſſet Deus. Quo juſtè depoſito, ordinatus fuit ſtatim Nectarius, de quo ſupra fecimus mentionem. Eapropter Macedonium ut inimicum pietatis, ibi cum ſuis complicibus anathematizantes condemnaverunt. Deum autem verum, ac univerſitatis Dominum ſanctiſſimum ſpiritum in ſymbolo ampliaverunt: & quod conſubſtantialis ſit Patri, & Filio, & ejuſdem divinitatis, prout in ſymbolo fidei continetur, quod ipſi latius & diffuſius gratia ejuſdem Spiritus ſancti prædicaverunt.

Inſuper contra Apollinarium Laodiceæ, & Sabellium Libyæ, blaſphemos, & qui cum his ſimilia ſentiunt, excommunicationis ſententiam protulerunt. Qui dicebant carnem Domini noſtri Jeſu Chriſti inanimatam, id eſt, ſine anima rationali, & intellectu humano: & in morte corporis commortuam divinitatem aſſerebant. Sancti verò prædicti Patres ipſam carnem animatam & intellectualem confirmaverunt, habentem animam noſtris animabus ſimilem, & rationalem.

Decretum pro ſede Conſtantinop. peſſimum.

In ſancta tamen Synodo dictus Imperator Theodoſius multum exceſſit; faciens quædam, contra primæ, & ſanctæ Synodi, ac reverendæ, inſtituta. Etenim coëgit ſupra nominatos centum quinquaginta Patres clam ſummo Pontifice, & vicario ejus, ut Conſtantinopolitanam ſedem ſublimarent nomine Patriarchæ, illa attribuentes, quod antè non habebat. Quæ res vehementis diſcordiæ & perturbationis ſentina & cauſa extitit, & uſque hodie perſeverat.

## *De tertia Synodo, Epheſina prima, Dei genetricem confitetur Mariam.*

Epheſinum.

TErtia ſancta & univerſalis Synodus celebrata fuit apud Epheſum temporibus Theodoſii Junioris ſub Cæleſtino Papa Romano. Ubi interfuit Cyrillus magnus Doctor, & Patriarcha Alexandriæ, & propugnator Eccleſiæ, Joannes Antiochiæ, Juvenalis Hieroſolymorum, & Memnon Epheſiorum. Præerat autem tunc temporis ſedi Conſtantinopolitanæ impius Neſtorius. Cum his itaque ſanctis Patribus fuerunt & alii ſancti quam plures, numero ducenti. Convenerunt autem contra ipſum Neſtorium Antropolatrienſem, id eſt hominis cultorem: Chriſtum ſeparantem, & dividentem. Dicebat ipſum hominem eſſe purum, & non Deum incarnatum. Duos filios in uno Chriſto Deo docens & duas perſonas. Unde nec ſanctam Mariam Virginem, quæ peperit ipſum Chriſtum Jeſum, Θεοτόκον, id eſt, Dei genitricem, ſed χριστοτόκον nominabat.

Hujus

Hujus rei gratia dicta Synodus perseverantem in dicta blasphemia deposuit, tanquam Judaicè, ἀνθρωπολάτρῳ, & propriè, & verè Dei genitricem, omnifariam sanctam Virginem Mariam demonstrarunt, & eum, qui ex ipsâ sine semine incarnatus est, Dominum nostrum JESUM CHRISTUM filium dei, & Deum verum prædicaverunt. SÆC. XIII. ANNO 1252.

Joannes verò, Antiochenus Patriarcha, contristatus, quod sine ipso depositus fuisset Nestorius, accipiens qui secum venerant, Episcopos, in quibus & erat Theodoritus, deposuit Cyrillum, quod nefas est dicere, qui etiam in ipso Ephesino Concilio locum summi Pontificis obtinebat, veluti præter canones Ecclesiæ dictam fecisset Synodum. Et ita fecit schisma inter eos. Postea verò cura & solicitudine ejusdem Imperatoris iterum uniti fuerunt consentientes in unum. Nestorius itaque impius missus est in exilium.

Secunda ergo Synodus, quæ eodem Theodosio Juniore in Epheso facta est, tanquam furtiva & reproba habetur. Et quoniam Dioscori prava sapientis, & Eutychetis fatuitates consensit tenere, & approbavit, à sancta Catholica & Apostolica Ecclesia meritò est repulsa prædicta Synodus.

### *De quarta Synodo Chalcedonensi: verum hominem, & verum Christum confitetur in duabus naturis, sine confusione, & divisione.* Chalcedonense.

QUartâ verò sancta & universalis Synodus celebrata fuit in Chalcedonensi urbe, tempore Martiani Imperatoris, sub sanctissimo Leone Papa, magna columna Ecclesiæ. In qua fuerunt Anatolius Archiepiscopus Constantinopolitanus, Maximus Antiochenus, Juvenalis Hierosolymorum, Alexandriæ verò fuit Dioscorus superbus, cum quibus & alii sancti Patres numero (a) DCC. L. (a) DCXXX

Convenerunt autem contra ipsum Dioscorum & Eutychen Archimandritam Monasterii, cognomento Studii, quod in ipsa regia urbe est. Hi enim Salvatoris & Dei nostri Jesu Christi incarnationem recusabant. Facientes prorsus ipsum phantasticè indutum carnem. Unde & in una natura ipsum existere dicebant, divinitati attribuentes quas sustinuit passiones. Propter hoc ergo, ipsis perseverantibus in hujusmodi errore, excommunicavit, & anathematizavit & omnes eis consentientes sancta Synodus.

Promulgavit ergo super hæc Sacramenta definitionem, quod ipse sit perfectus Deus, & perfectus homo in duabus naturis sine confusione, & divisione.

Epistolam quoque sanctissimi Leonis, quam misit Flaviano Episcopo Constantinopoleos, tanquam columnam orthodoxæ fidei, susceperunt, & usque hodie sic appellatur.

Scire etiam oportet, quòd hi, qui dicuntur Theodositæ à quodam Theodosio, & Jacobitæ à quodam Jacobo, & Severiani à quodam Severo, similia scilicet prædictis Dioscori & Eutychetis abominabilium hæreticorum, & execrandorum erroribus, tanquam ipsi execrati, seu execrandi, sentiunt, & sapiunt, & resistunt, cum aliis Hæreticis, seipsos alienantes à sancta Ecclesia Catholica.

Tempore ipsius Marciani (b) pervenit ad aures beati Leonis, de quo facta est mentio, quod Anatolius, Constantinopolitanæ sedis Antistes, invaderet paulatim alienas sedes suoque illas adderet Pontificio. Ideoque dictus Papa Anatolio, ut ab hujusmodi rapina cessaret, scripsit. Sed omnis ejus monitio cùm nihil proficeret, cessit in irritum. Ex quibus tunc non cessaverunt dictæ sedis Præsules fovere discordiam, & ob depositum cum Romana Ecclesia contendere. Unde & in quarto Concilio sine consensu Papæ & legatorum ejus, sicut alias, in tractatu de potestate Papæ dictum est, Canonem pro se ediderunt, de quo in fine hujus operis aliqua differemus. (b) *Imp.*

### *De quinta Synodo, Constantinopolitana secunda.*

QUinta sancta & universalis Synodus celebrata est Constantinopoli, temporibus Justiniani Imperatoris, sub Papa Vigilio Romano. Ubi interfuerunt Eutyches Archiepiscopus Constantinopolitanus, Apollinarius Patriarcha Alexandrinus, Domnus Antiochenæ, & Eutyches Hierosolymorum cum aliis centum septuaginta. Constantinopolitanum II.

Quæ sancta Synodus in primis approbavit & confirmavit Chalcedonensem Synodum sanctam, nec non & orthodoxa & salutaria ejus dogmata. Et quæ à diversis exortæ sunt hæreses anathematizavit, & excommunicavit eadem sancta Synodus Origenem, & omnia ejus impia scripta, Evagrium, & Didymum, & similes, & æqualia sapientes, & doctrinis gentilium (c) contemnentes. Etenim ipsi corpora, in (c) *Inhærentes vel insistentes.*



Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1252. quibus nunc sumus, dixerunt, tanquam sine intellectu & insipienter, non esse resurrectura, & quod paradisus sensibilis non est factus à Deo, nec est; & quod Adam non fuit formatus à Deo in carne; & quod pœna reproborum finem habeat; & quod dæmones reducentur in statum pristinum, quem habuerunt scilicet, antequam caderent. Non solùm autem hoc, sed & alias infinitas blasphemias colligentes scipsos immerserunt in profundum. Quæ tamen usque in publicum, vel in manifestationem non prædicaverunt, sed apud aliquos in occulto habebantur, nec potuerunt perfectè æstimari prædicta dogmata de sancta Synodo. Quia cùm dicti tres hæretici multò antiquiores fuissent prædicto quinto Concilio, multos in diversis partibus muudi attraxerunt sibi. Cumque multum populum cœpissent hujusmodi impia dogmata corrumpere, statim & quintum Concilium voluntate Dei fuit celebratum, ubi ipsos, & eorum blasphemias reprobans, eos & omnes similia sequentes anathematis gladio percussit.

(a) *Episcopum.* Insuper & Theodorum Mopsuestiæ (a) impii Nestorii discipulum cum suis execratis dogmatibus excommunicavit & ejecit ab Ecclesia. Cum quibus & Antiochum, & Petrum Zoam eliminavit: nec non & Theodoritum, qui contra propugnatorem pietatis & veritatis, beatum Cyrillum, multùm impiè & malè scripserunt, & etiam contra primam sanctam Synodum Ephesinam, & contra fidei nostræ documenta mentitus est, donans se infideli Nestorio & profano; ab Ecclesia tanquam Hæreticum ejecerunt, donec omnia revocaret; quæ omnia tanquam pestifera cum illa epistola, quæ Ibæ dicitur, quæ missa fuit in Persidem ad Marim, penitus extirpaverunt; non solum rectis doctrinis adversantia erant hujusmodi, sed cum omni impietate participabant. His itaque ritè peractis confirmaverunt, ut dictum, dogmata Ecclesiæ, & roboraverunt.

## *De sexta Synodo, Constantinopolitana tertia: damnat unam in Christo voluntatem & operationem.*

Constantinopolitanum III. SEXTA sancta & universalis Synodus facta etiam fuit Constantinopoli, Constantini Pogonati, Filii Justiniani, temporibus, sub Agathone Papa Romano. In qua fuit Gregorius Patriarcha Constantinopolitanus, Theophanes Antiochiæ, & Petrus Monachus Vicarius Alexandriæ, (vacabat enim sedes) cum aliis centum septuaginta.

Congregati autem fuerunt contra quosdam, qui novam hæresim confinxerunt in sancta Catholica & Apostolica Ecclesia. Dico autem contra Theodorum Episcopum de Pharan, Honorium Romanum, Cyrum Alexandriæ, Sergium, & Pyrrhum, Paulum & Petrum Episcopos Constantinopolitanos. Nec non contra eos, qui denuo hæresin ipsorum innovaverunt in ipsa sancta Synodo, Hæreticos; dico contra Macarium Præsulem Antiochiæ, qui depositus fuit, eo quod obviaret his, quæ ab ipsa Synodo Catholicè definiebantur, & Stephanum ipsius discipulum. Hi præscripti Hæretici ausi fuerunt temerariè dicere, unam voluntatem & unam operationem esse in Christo post incarnationem; conjunctionemque, quæ orthodoxæ fidei est, solvere volebant. Hujus gratia sancta universalis Synodus sexta prædictos Hæreticos tanquam impugnatores Dei, anathemate perculit, & omnia eorum dogmata, & omnes similia eis sapientes, & qui unquam sapuerunt, vel futuri sunt sapere, & non pœnitentes, cum his & Polychronium, puerilia sapientem senem, qui mortuos resurrecturos negabat, similiter excommunicaverunt.

Roboravit igitur sancta Synodus fidem Catholicam de duabus voluntatibus naturalibus & operationibus post unionem verbi ad humanam naturam, non in divisione autem personarum, quod absit, sed quia unitæ, quæ in Christo sunt naturæ, suam quælibet habuit voluntatem propriam & operationem. Alii enim, qui hujusmodi naturæ auferunt proprietates, aut destruunt operationes & voluntates, & naturas confundunt, quarum existunt proprietates. Nullum tamen canonem hæc Synodus edidit, prout etiam ipsi Græci mirantes testantur.

## *Secunda sexta Synodus reprobata, & Canones ejus.*

Concilium Trullanum. *Vide Baron. tom. 3. Eccl. histor. anno Christi 680.* HUjus Constantini (a) Filius Justinianus, Rhinotymetus nomine, post obitum patris sui, cùm suscepisset sceptri moderamina, in fraudem & injuriam Apostolicæ sedis Synodum congregavit in Trullo Palatii sui, & appellavit eam similiter sextam Synodum, quæ non sancta, sed execrabilis est dicenda: cùm clam Pontifice Romano ad condemnationem sanctæ Dei Latinorum Ecclesiæ, canones ediderunt centum numero cum duobus. Adversantur autem sanctæ Dei Romanæ Ecclesiæ, præcipuè tertius decimus, trigesimus, quadragesimus quintus, & quinquagesimus secundus canones: qui infra in objectionibus Græcorum subnotantur.

(a) *Pogonati.*

De-

SÆC. XIII. ANNO 1252.

## *De ſeptima Synodo, Nicæna ſecunda adverſus Iconomachos.*

SEptima quoque fuit Synodus Nicææ, ubi & prima omnium fuit celebrata, tempore Adriani Papæ Romani. Conſtantinus namque cum (a) Herena matre ſua cùm pariter à piiſſimis prædeceſſorum ſcitis deviaret, *Naſimutili* Juſtiniani pertinaciam ſequutus eſt. Veruntamen ad ſacrarum memoriam imaginum populum revocare geſtiens, Synodum congregari juſſit, quam ſeptimam, & univerſalem viſus eſt vocare, cùm nullum favorem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, (b) & Apoſtolicæ ſedis haberet, ſecundum quod quidam volunt. Attamen in libris Græcorum legitur contrarium in hunc modum.

Nicænum II.

(a) *Irena.*

(b) *Perpetui ſentiebant.*

STEW.

Septima ſancta & univerſalis Synodus convenit Nicææ, ubi & prima omnium fuit celebrata, tempore Conſtantini Principis; qui filius Herenæ reginæ ſub Adriano Papa Romano, in qua fuit Tharaſius Patriarcha Conſtantinopolitanus, Alexandriæ; Theodoritus Antiochiæ, & Heliæ Hieroſolymorum, cum quibus & alii ſancti Patres, in numero (c) ſexaginta ſex. Vicarii verò dicti Papæ fuerunt Petrus Presbyter, Cardinalis, Monachus, & Petrus Abbas Monaſterii ſanctæ Sabinæ, quod eſt in ipſa urbe Roma.

(c) 350.

Hi omnes congregati ſunt contra εἰκονομάχους, id eſt, contra *impugnatores imaginum*, figurarum Chriſti, crucis, & beatæ Mariæ Virginis, & aliorum Sanctorum, quas aſſerebant nullo modo eſſe colendas; ignorantes tales infelices Hæretici, quod honor, qui talibus impeditur, non propter ſe, ſed propter illum, quem imago repræſentat, exhibeatur. Et quod propter hujusmodi picturas, antiqua & ſtrenua facta Sanctorum infiguntur memoriæ ſimplicium, qui per ſcripturas eas capere non ſufficiunt, & ſucceſſivo ordine transmittantur in poſteros, ut eorum glorioſi triumphi oblivione non deleantur, ſed cum omni pietate venerentur: eorum imitentur facta per exemplum bonorum. Ideo barbaram & erroneam opinionem multorum ſacræ Scripturæ teſtimoniis confutantes ab Eccleſia eliminaverunt, perpetuo anathemate damnantes eos, qui de cætero ſuper hoc aliquid temerè attentarent. Hic eſt tenor ſeptimi Concilii, qui ſupradictis multum repugnare videtur.

Sed iſta contrarietas citius ſolvitur, ſi rei geſtæ tempus & ordo videantur. Revera dicti Monachi nuncii fuerunt ſedis Apoſtolicæ, non ut Synodum celebrarent; ſed ut dictum Imperatorem ex parte Papæ cum literi ſuis diligentius monerent, ut relicto errore ſacrarum imaginum, quo tunc tota Græcia infecta erat; ad antiquum, & priſtinum honorem Eccleſiarum picturæ reſtituerentur, ſicut & fecit. Accepta igitur occaſione dictus Imperator, ex litteris Papæ, congregavit ſeptimum Concilium in ipſa regia urbe primitùs, ſed facta diſſenſione, cùm non poſſent concordare, diſceſſerunt ab invicem, qui convenerunt.

Verùm detenti fuerunt in eadem urbe per annum integrum, & ſic poſtmodum juſſu dicti Imperatoris convenerunt: Cui Concilio præfuerunt dicti nuncii Papæ, & Tharaſius Patriarcha, quem ſanctum nominant, & alii Prælati ſupra nominati. Pace in Eccleſiis per iſtum modum reſtituta, retulit, ut mos erat, Tharaſius Patriarcha Conſtantinopolitanus totum proceſſum ſummo Pontifici, ut ſic tale Concilium ſua auctoritate confirmaretur. Nam colliguntur ſeptem Concilia in libro, qui Nomocanon appellatur. Quid tamen Papa reſponderit, non inveni.

## *De Synodis particularibus.*

DIcendum quoque, præter iſtas ſeptem univerſales Synodos, fuit & una alia, univerſalis quidem: ſed quia non agit de articulis fidei, non ponitur in numero generalium Synodorum ab antiquis Græcis, ſed inter alias quæ *Locales* nominantur. Moderni verò Græci ſchiſmatici cùm ſint, ab omni numero illam excluſerunt, & nomen ejus audire ſubticuerunt, eò quòd eorum Patriarcha Photius, Hæreſiarcha, fuit in ipſa dignitate Patriarchali, quam ſibi injuſtè uſurpaverat, nuper depoſitus. Et beatus Ignatius, qui ſtudio dicti Photii à dicta ſede injuſtè expulſus fuerat, honorificè reſtitutus. Teſtatur hoc Chronicon nomine Paphlagonis, in quo pœnè inaudita enarrantur de Photio execranda maleficia in damnationem ipſius. Fluxerunt autem à ſeptima univerſali Synodo uſque ad iſtam octavam, anni octoginta duo; ab eadem autem ſexta CCCLVII.

Concilium VIII. *Concilium hoc non eſt particulare, ſed univerſale.*

Particulares, ſive locales Synodi in Partibus Orientis fuerunt iſtæ.

Prima fuit celebrata in Antiochia Piſidiæ, tempore Aureliani Imperatoris, contra Paulum Samoſatenſem, qui primus auſus eſt blaſphemare Chriſtum Dominum noſtrum filium Dei, dicens purum eum fuiſſe hominem; ſed per gratiam fuiſſe inſignitum, & ſubli-

Synodi Particulares.

Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1252.

sublimatum. Quod audientes Prælati Ecclesiarum, confluxerunt undique complures ad dictam civitatem, obviantes errori novo, & primitùs exorto. Præfuit autem isti Synodo tunc temporis Hymenæus Hierosolymorum Episcopus, & beatus Gregorius Neocæsareæ Cappadociæ, qui agnominatur Thaumaturgus, id est, mirificus, & alii, qui Paulum communi sententia deponentes ab Ecclesia ejecerunt. Utrum verò ediderit canones, non habetur.

(a) *Ancyra.*

Post istam immediate fuit secunda in civitate, quæ dicitur (a) Anguria, in provincia Galatiæ, cui præfuit (b) Jutellius Antiochiæ Syriæ Præsul, & Agricolaus Cæsareæ Cappadociæ. Convenerunt prædicti Patres, & multi cum eis in dicto loco propter quosdam, qui tempore persequutionis in Ecclesia, propter nimia tormenta negaverunt Christum: scire volentes, utrum tales recipiendi essent ad fidem de cætero, & quomodo essent reconciliandi. Unde, inquisitione facta, definierunt multa super hoc, & fecerunt canones viginti quinque.

(b) *Vitalis.*

Fuit & tertia Synodus consequenter post illam; & in Neocæsarea Ponti: Quæ similiter canones edidit quatuordecim.

Hanc sequuta est prima generalium in civitate Nicæa; contra Arium, ut superius expressum est, cujus canones sunt viginti.

(c) *Constantii.*

Alii Synodus celebrata fuit postmodum in Antiochia Syriæ, tempore (c) Constantini Principis, Filii Constantini Magni, quæ viginti canones Ecclesiasticos promulgavit. Post istam fuit & alia Synodus in civitate, quæ dicitur Gangra, in regione Paphlagonum. Quæ viginti quinque Canones pro honestate Clericorum edidit, & ordinavit.

*Synodus ista est universalis, tamesi Nicæna Synodi appendix quædam censeri soleat.*

Alia fuit in civitate, quæ Sardis dicitur, propter Constantium Imperatorem, Filium Magni Constantini, qui declinavit in hæresin Arianorum. Huic (d) Frater suus, qui regnabat in Occidente, ad monitionem Papæ, misit literas comminatorias, scilicet, quod pugnaret contra eum, nisi à dicto errore desisteret. Tandem de utriusque voluntate extitit, ut Synodus congregaretur in partibus Orientis: & quidquid Patres super hoc definirent, eorum starent consilio, & sententiæ. Et cùm factum esset, definivit prædicta Synodus Sardica, Symbolum Nicænum sinmmè esse tenendum: addens viginti unum canones ad doctrinam fidei pertinentes.

(d) *Constans.*

Similiter in Laodicea metropoli, quædam alia fuit Synodus, quæ 59. canones promulgavit.

Post hanc verò congregata est secunda, & universalis Synodus, quæ Constantinopolitana dicitur, contra Macedonium, præfatæ urbis Episcopum, sicut supra fecimus mentionem; qui contra Spiritum sanctum impiè blasphemavit. Sed Canones non edidit nisi quinque.

Hanc sequuta est tertia generalis, in civitate Epheso celebrata, contra impium Cestorium, sicut habetur supra. Cujus canones fuerunt sex.

Post istam verò fuit tertia in urbe Constantinopolitana contra Eutychen, sed particularis: nullos tamen canones edidit, nec habentur.

Deinde sequuta est illa, quæ in Chalcedone urbe à sexcentis triginta Patribus sanctis celebrata fuit. Cujus canones sunt viginti quinque.

Fuit & alia Synodus Constantinopolitana, particularis tamen contra Severum. Anastasius siquidem Imperator, declinans in hæresin Eutychetis, multos, & magnos Prælatos ejecit de locis suis, suscitans per universum Imperium suum persequutionem universæ Ecclesiæ Christi. Unde cùm præstitisset favorem Severo Hæretico, ut fieret Patriarcha Ecclesiæ Antiochenæ sine irrita electione Flaviani, (e) quem Canones advocabant Martyrem; scandalis, & persequutionibus, & homicidiis implevit Ecclesiam Christi prædictus Severus: ita ut Anastasius ipse protector suus, & fautor, per literas ipsi comminaretur, quòd nisi desisteret à tali insania, eum ab honore Patriarchatus deponeret. Quo Anastasio defuncto, suscepit Justinus homo Catholicus sceptrum Imperii. Quod timens, & videns Severus, voluntariè cessit honori, latenter fugam iniens, & pergens Alexandriam ad suos complices. Cumque ibidem in prædictum errorem plurimos induxisset, Justinianus Imperator, qui prædicto Justino succesferat, rogatu Episcoporum orthodoxorum illius patriæ, congregari Synodum petiit in urbe Constantinopolitana. Eodem tempore Papa Agapetus, propter persecutionem, quæ totam Italiam occupaverat, cum multis Clericis, & Episcopis venit Constantinopolim. Hujus autem auctoritate dicta Synodus condemnavit impium Severum & omnes ejus similes. Nam Anthemium, præfatæ urbis Episcopum, complicem Severi, qui contra Jura Canonum dictæ civitatis ocupaverat sedem, beatus Papa Agapetus ab honore deposuit, & condemnavit.

(e) *locus mendosus.*

Post illam fuit illa quinta Synodus generalis, quæ fuit sub Justiniano Principe, contra Origenem, & Theodorum Mopsuestiæ, & reliquos Hæreticos, prout superius feci-

Digitized by Google

fecimus mentionem ; quæ habuit canones viginti duos.

Post istam fuit sexta, & septima quæ ultimo describuntur, inter quinque; & superius nominata fuit. (a) Celebratum est illud famosissimum Concilium. Plurimos canones edidit, scilicet centum triginta tres. SÆC. XIII. ANNO 1252.

Sed & Photius Patriarcha, qui erat hæresiarcha, duo successivè Concilia celebravit in urbe Constantinopoli. Primum in templo sanctorum Apostolorum : reliquum, cui præbuit, ut dicunt, Papa Joannes favorem, in Ecclesia sanctæ Sophiæ.

(a) *Locus mutilus. fortè Carthaginense, cujus apud Balsamonem extant canones 136.*

Ista igitur sunt Concilia quæ recipit Græcorum Ecclesia, & retinet: de quorum canonibus adversus Romanam Ecclesiam gloriatur, addens istis canones Apostolorum, quos à beato Clemente se accepisse testatur; quorum numerum in suis libris assignans, ponit eos esse octoginta quinque.

Furtiva insuper Synodus, quæ in Trullo Palatii fuit facta, fecit Canones ad libitum Imperatorum, ut dictum est supra, centum & duos.

Sed & Synodus Photii, cui præstitit favorem Joannes Papa, ut ipsi volunt, fecit canones septem & decem. Quorum ultimus videtur multum facere pro Latinis.

Sunt igitur in universo omnes canones nominati, computati canonibus Apostolorum, cum his, & qui in furtiva synodo de Trullo editi fuerunt, CCC. XXI. Habent insuper quasdam Epistolas sanctorum suorum, Basilii, Cyrilli, Athanasii, & aliorum, in quibus continentur canones plures, quos inter alios authenticos recipiunt, & pari veneratione imitantur.

Horum igitur auctoritate Græci suffulti, quam plurimos latratus contra Romanam Ecclesiam latrando emittunt: pro eò, quòd multa in eis, quæ contra Latinos, & pro Græcis prima facie agere videntur. Quorum tenorem diligenti investigatione considerantes, de Græco in Latinum pro legentium exercitatione tractabimus, huic operi superimmiscentes.

## *Oppositiones Græcorum.*

SIt ergo unus Canon Apostolorum. *Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus uxorem suam occasione honestatis, vel castitatis non ejiciat. Si autem ejecerit, excommunicetur. Perseverans autem, deponatur.* Sed vos, inquiunt, accedentes ad sacros ordines, votum emittere castitatis adigitis. Ergò compellitis vos uxores dimittere, si volunt assequi talem gradum. Ergò, &c. Canones Ecclesiæ favent Græcis.

Item vigesimus septimus Canon dicit; *Episcopum, Presbyterum, aut Diaconum verberantem fideles, qui peccant, aut infideles iniquè agentes; & per hoc timeri volunt, deponi præcipimus.* Nequaquam autem hoc docuit vos Dominus. *Sed cùm malediceretur, non remaledicebat.* Sed vos Latini manifestè disciplinatis eos, quos absolvitis, & quandoque usque ad effusionem sanguinis, Ergò juxta sanctiones Patrum estis deponendi.

Item sexagesimus tertius dicit. *Quod si Episcopus, aut Sacerdos, aut Diaconus, seu omninò de Catalogo Clericorum carnes comederit in sanguine animæ ipsius, aut captum à bestia, vel morticinium, deponatur. Hoc enim lex prohibet. Si vero laicus fuerit, excommunicetur.* Sed constat, dicunt, quod Latini indifferenter vescantur talibus. Igitur, &c.

Item sexagesimus quartus præcipit : *Neque quis jejunet Sabbati die, nisi sit vigilia Paschæ. Si quis Clericus inventus fuerit diem Dominicum jejunans aut Sabbatum, præter unum solum, deponatur. Si laicus est, excommunicetur.* Sed Latini ferè omni die Sabbati jejunant. Ergo, &c.

Item octogesimus clamat sic : *Episcopus vel Presbyter aut Diaconus militiæ vacans, & volens utrumque tenere, scilicet Mundanum principatum, & Sacerdotalem Diœcesin, deponatur.* Nam quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ Dei, Deo. Sed Prælati Latinorum, & etiam ipse Papa, assumit sibi talium dignitates, & vocantur quidam *Duces*, quidam *Comites*, quidam etiam *Marchiones*. Ergò, &c. *Joan. 5.*

Item Canon tertius Concilii in Neocæsarea celebrati injungit pœnitentiam bigamis. Et multo majorem his, qui in trigamia, & ultrà ceciderunt, & indicat beatus Basilius tale matrimonium fornicationem. Dicit enim Concilium: *De his, qui in pluribus nuptiis ceciderunt. Equidem tempus pœnitentiæ manifestum est, quod definitum est, sed conversatio eorum & fides abbreviat tempus.*

Item septimus Canon ait: *Presbyter in nuptiis bigami non comedat : quia cum veniam petat bigamus, quis erit ille Presbyter, cui propter comestionem quærat bigamus confiteri.*

Item in Canonibus beati Basilii de eodem habetur sic : *De trigamis, & pluribus nuptiis copulatis, eundem definimus Canonem, quem & de bigamis proportionaliter, an-*



Digitized by Google

Sæc. XIII. Anno 1252.

*num quidem ſuper bigamis; alii dixerunt duos. Quidam trigamos, & ultrà, tribus; & quatuor puniunt, quidam inſuper excommunicant eos.*

Item eodem dicto canone. *De Nuptiis pluries celebratis patres conticuerunt, tanquam incenſivum eſſent; quod & omnino alienum à genere humano: nobis autem evidens eſt, quod plus ſit quàm peccatum fornicationis.* Sed Latini celebrant tales nuptias ſine contradictione. Ergò faciunt contra inſtituta canonum, & ſanctorum Patrum. Sed qui talia agunt, excommunicandi ſunt. Ergò, &c.

Item canon Timothei Epiſcopi Alexandriæ dicit: *Quod mulieres menſtruatæ non debent accedere ad Eccleſiam, etiam pro baptiſmo recipiendo; ſed debent abſtinere ab ingreſſu Eccleſiæ, & differre baptiſmum, quouſque purificentur.*

Item Laodicenſis Concilii canon quadrageſimus quartus prohibet, ne mulieres partem illam aliquomodo Eccleſiæ, quam nos chorum dicimus, intrent. Item canon ejusdem Concilii ſeptimus prohibet, ne quis Presbyterorum, aut Epiſcopus offerat ſacrificium in aliqua domo, niſi ubi eſt Eccleſia. Quæ cuncta, qualiter in Eccleſia Latinorum ſerventur, & à viris, & à fœminis, omnis, qui oculos habet, videre poteſt.

Item tertius Canon ſecundi Concilii ita dicit: *Conſtantinopolitanum Epiſcopum habere prærogativam honoris poſt Romanum Epiſcopum*, ſupple, decrevimus: eò quòd ipſa ſit nova Roma. Cui convenit vigeſimus octavus canon Chalcedonenſis Concilii, qui ſic definit: *Ubique ſanctorum Patrum definitiones ſequentes, & Canonem, qui nuper lectus eſt, centum quinquaginta amantiſſimorum Epiſcoporum, (ſub, piæ memoriæ, Theodoſio Magno, qui fuit Imperator, in regali Conſtantinopoli urbe, nova Roma) cognoſcentes*, eundem & nos definimus, & ſtatuimus de prærogativis ſanctiſſimæ ejusdem Eccleſiæ Conſtantinopoleos, novæ Romæ. Etenim throno antiquioris Romæ, eo quod regnaret illa civitas, Patres congruè & decenter tradiderunt tunc primitivum honoris: & eodem reſpectu moti, centum quinquaginta Dei amantiſſimi Epiſcopi, æqualem prærogativam honoris attribuerunt etiam ſanctiſſimæ novæ Romæ: Et ut in Eccleſiaſticis rebus, ſicut ipſa, magnificetur, ſecunda poſt ipſam exiſtens.

Hoc idem definit ſexta Synodus. Sed etſi non eandem poteſtatem habet Patriarcha Conſtantinopolitanus, quàm habet Papa: conſtat quòd par eſt, & ſimilis in poteſtate. Sed par in parem non habet imperium. Unde ergò ei tanta præſumptio, ut dicat ſe principem ſuper omnem terram? & etiam, quòd dicta ſedes novæ Romæ ſubdita ſit ſibi? Hoc nihil eſt, niſi invadere ſedes alienas. Sed qui hoc agunt, anathema ſunt. Ergò, &c.

Item Canon quinquageſimus ſecundus ſeptimi Concilii, quod factum fuit in Trullo, prohibet celebrationem Miſſæ in quadrageſima; diebus Sabbatis & dominicis exceptis dicens: *In omnibus diebus Jejunii ſanctæ quadrageſimæ, præter Sabbatum, & dominicam, annunciationiſque diem, fiat de præſanctificatis ſacra miſſa:* ſed Latini omni die in quadrageſima celebrant, & ubique, etiam bis in die. Ergò faciunt contra inſtituta. Ergò ſunt excommunicati & anathematizati.

## *Reſponſio Latinorum ad auctoritates Canonum.*

Latinorum reſponſiones

His, ut dictum eſt, auctoritatibus Eccleſia Græcorum ſe muniens & erigens contra Latinos, non ceſſat iiſdem inſultare, rabiem prævaricationis & anathematis imponendo. Et licet noſtræ facultatis & ingenii non ſit, ad ſingula, prout competit, reſpondere: quædam tamen lectorem, Juris ignarum, cautiorem facere poſſunt, ſicut poſſumus compendioſius pro parte Latinorum, Deo auctore, obviabimus ſupradictis.

Græci depravatores Canonum.

Reſpondentibus igitur primis, generali modo loquendi, dicimus: Quòd omnis ſcriptura, quam Græcus pro ſe contra Latinum, præter textum Bibliæ, adducit, ſuſpecta eſt & eſſe debet cuilibet viro ſapienti, eo quod ab initio naſcentis Eccleſiæ, tantùm (a) exercuit perverſum dogma Hæreticorum in gente prædicta, quod eorum ſtudium & intentio fuit, ſemper dicta ſanctorum vera removendo, aut falſa inſerendo, corrumpere, deſtruere, & dilacerare. Probant hoc Concilia, & maximè unum; ubi ex parte Monotheletarum, libris corruptis in medium prolatis, imponebant beato Papæ Vigilio, quod quosdam anathematizaverat, qui non confitebantur duas naturas, & unam voluntatem & operationem fuiſſe in Chriſto. Imò ita fuit & eſt familiare Græcis & proprium, ſcripturas ſacras corrumpere; quod ad compeſcendam hujusmodi inſaniam, ſancti Patres ſub anathematis atteſtatione hoc in ſuis fieri prohibuerunt: Apoc. 22. Utentes verbis Apocalypſis cum tali additione: *Quicunque appoſuerit his, vel diminuerit: ſi clericus eſt, deponatur: ſi laicus, excommunicetur, &c.* ut ſupra fecimus mentionem. Et ut omnis via eisdem Hæreticis præcluderetur, ordinaverunt inſuper, ut communiter dicitur, ut libri, præcipuè ſanctorum Conciliorum, in chartis (b) bombacinis ſcriberentur; eò ſcilicet, quod raſuram non ſuſtineat (c) hujus pergameni.

(a) *Se exeruit.*

(b) *bombycinis.*

(c) *f. ſicut pergamena.*

Con-

Digitized by Google

Contrà Canones verò Apoſtolorum & aliorum, qui nobis objecti ſunt, multiplex erit reſponſio, & diverſimodè poſſunt adverſarii confutari. Conſtat enim, ſicut ipſi dicunt, Canones, quot Apoſtolis inſcribuntur, de Latino in Græcum à beato Papa Clemente fuiſſe tranſlatos. Cùm igitur omnis aqua fluens in fonte & origine naturalior & verior, quàm in rivulis, qui procedunt ab eo, inveniatur; ſupponendum & credendum eſt, quod Eccleſia Latina, à quibus tanquam à fonte rivuli proceſſerunt, dicti Canones veriores & puriores ſunt, quàm in Eccleſia Græcorum: præſertim cùm per ora plurium hæreticorum & ſchiſmaticorum, à trecentis octoginta annis, & citrà tranſierunt: quod multas alias ſoliti ſunt corrumpere ſcripturas. Sed cum in Eccleſia Romana plures ex eis, & maximè, qui modò Latinis objecti ſunt, minimè reperiantur, ſequitur, quod aut ſuperadditi ſunt ab eis: cùm ſit veriſſimum, quod de Latino in Græcum fuerunt aſſumpti. Sæc. XIII. Anno 1252.

Sed ſi verum eſt, quod ſint ficti ab Hæreticis & Schiſmaticis, & aliis Canonibus veris inſerti, meritò, & abſque quæſtione aliqua, ſunt repudiandi. Si verò ab aliquo, neſcimus quo, talem ſcripturam ſuſcepit & tenuit Eccleſia Græcorum: dicimus, quod in Græca auctoritate ignoratur ipſius veritas, & inter apocrypha & dubia ſunt computanda: Apocrypha autem Eccleſia neſcit; ubi maximè eorum ſilentio veritati penitus convincitur obviare. Quid ergo eſt? Nos ſanè primam partem hujus argumentationis eligentes, dicimus cum expoſitore Canonum, re, & nomine maximè inter Græcos, (a) quod Photius, vel Photinus Patriarcha, auctor ſchiſmatis, qui multa de corde ſuo finxit contra Latinos, dubios canones, & plures alios Apoſtolorum canonibus, & aliorum ſanctorum Patrum interſeruit, & in multis locis libens veritatem condemnavit.

(a) *Nomine, vel ſimile quid deſuit in m. ſ.*

Secundò ad idem dicimus, quòd beati Apoſtoli & ſancti Patres etiam complura definierunt & ordinaverunt in Eccleſia, pro variis cauſis & eventibus; locorum nimirum, & temporum, etiam perſonarum; quibus proculdubio cauſis de medio ſublatis, eorum ſimiliter effectus debuit, & debet rationabiliter, & ſine cauſa, removeri. Hinc eſt, quod interdum rigida, interdum remiſſa imperant. Quandoque etiam in his, quæ ſunt ſuis prædicationibus contraria, inveniuntur diſpenſaſſe. Probant hoc actus eorundem Apoſtolorum, ubi de conſenſu unanimi pauca quædam, ſed tamen gravia gentibus imponentes, ſcilicet *abſtinere ab Idolis immolatis, & ſanguine, ſuffocato, & fornicatione:* Quædam poſtmodum Paulus Doctor gentium, qui eòdem ſpiritu plenus erat, ut infra dicetur, ſalubriter revocavit. Idem etiam Apoſtolus, pro tempore, pro cauſſa etiam utili, circumcidit Timotheum, & poſtmodum dixit Galatis: *Si circumcidimini, Chriſtus vobis nihil prodeſt.* Hinc eſt quod Cephas quædam legalia coram Judæis tenuit, licet appareret reprehenſibilis propter infirmos. Et Paulus ſimiliter totondit ſibi caput in Cenchris, coruſcante jam Evangelio, & purificandus ſecundum legem adſcendit Hieroſolymam, ut tractaret cum quibuſdam, qui votum fecerant in templum Domini. Hinc eſt etiam, quòd Salvator noſter, & legum Dominus pro varietate temporum diverſa viſus eſt imperare Apoſtolis: cùm ſcilicet eos modò cum unica tunica, & ſine ſandalis, & abſque baculo: modò cum duabus, & calceatos mittit ad prædicandum.

Diſpenſationes Patrum. Actor. 15?

In definitionibus quoque Patrum, ſicut diximus, multa inveniuntur, quæ hoc idem probant ſimiliter, hoc eſt, quædam pro tempore, & ad tempus ſtatuta fuiſſe. Dicunt enim in quibuſdam ſuis definitionibus, prout Græcorum probant exemplaria, tali modo: Si quis carnes & caules in die Dominico non comederit, ſi Clericus eſt, deponatur; ſi Laicus eſt, excommunicetur. Et iterum: ſi quis Diem Dominicum jejunare inventus fuerit, vel Sabbatum, præter unum, anathema ſit. Hæc & iis ſimilia multa ſtatuerunt. Quod, ut ſæpe diximus, factum eſt, ut ex talibus ſtatutis errores, qui erant in Eccleſia, evellerent; non, ut legem perpetuam ex hoc hominibus perſuaderent. Cui enim dubium eſt, quod multi fidelium abſtinent à carnibus omni tempore? & tamen non peccant. Et quod plures alii tam in feſtis, quam in aliis pro ſalute corporis, quidam pro ſalute animæ? & tamen in tali opere nullo modo peccant. Quia intentio finem imponit operi, non opus intentioni: ſecundùm quòd iidem Patres ſancti in pleriſque ſuis tractatibus apertè expoſuerunt. Sed ne noſtrorum adverſariorum manus, ſic generaliter reſpondendo, effugiſſe videamur: redeamus ad ſingula, & videamus, utrum nos objecta, an Græcos, qui ea objiciunt, miſerabiliter damnent.

Dicit unus Canon, quem Apoſtolorum nominant, ſicut ſupra oſtenſum eſt, iſto modo; *Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus ſuam uxorem, &c.*

Conjugium Sacerdotum.

Dicimus, quòd in Eccleſia Dei occidentali nuſquam tale vidimus, nec permittimus fieri quale nobis Græci objiciunt; videlicet, ut aliquis matrimonio legitimè copulatus ſub prætextu alicujus religionis vel honeſtatis, ſuam dimittat uxorem, ipſa reclamante, aut renitente. Sed potius nos tales per cenſuram Eccleſiaſticam compellimus, ſi



Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1252. quam religionem ingreſſi ſunt, dimittere, & ſuæ ſponſæ legitimè copulari. Verùm ſi ſoluti ſunt, & ad ſacrum ordinem ſpontè & voluntariè confugere volunt, cùm mos antiquus in occidentali Eccleſia, ob religionem Fidei & ſacramenti reverentiam, obtinuerit, ut miniſtri immaculati altaris, & non umbræ & carnalibus ſacrificiis, ſed veritati & ſpiritui ſervirent: exiguntur revera votum caſtitatis emittere: quemadmodum hi, qui ſeipſos propter regnum cælorum caſtraverunt ingreſſu religionis, votum obedientiæ, caſtitatis & paupertatis profitentur; & quædam alia ſecundum regulæ inſtituta. Non ergò cogimus Clericos ad continentiæ ſortem deſcendere: ſed eis religiosè & piè prædicimus; quod, ſi talem ordinem & gradum adſcendere deſiderant, oportet eos jura ſui ordinis inviolabiliter obſervare. Congruum eſt quippe, & conſonum rationi, ut ſi ſacerdos legalis ingreſſurus tabernaculum, vel templum ad immolandam victimam, vel incenſum Domino, tempore vicis ſuæ, carnem ſuam fræno continentiæ moderabatur; quod ſacerdos Evangelicus, qui hoſtiam immaculatam, agnum ſcilicet verum, non obumbraticum quotidie offerre debet; quotidie & continuè caſtitatis & puritatis veſte induatur: ſi omnipotenti Deo ſacrificium acceptabile offerre concupiſcit. Non igitur nos illa inhibitio, ſed Græcorum Eccleſiam tangit, quæ in iſtam maledictionem ab initio corruit, & uſque hodie miſerabiliter in ea perſeverat. Ipſa namque eſt, quæ laicos & plebeios viros, uxoratos tamen, aſſumens in Epiſcopos, vel contrà, cogit eos, contradicentibus eorum uxoribus, caſtitatis votum emittere, vel monaſterium aliquod introire; ipſas ſponſas, continentiam profiteri. Iſtud probatione non indiget, quia penè tot teſtes ſunt, quot gentis illius conſuetudines non ignorant. Nonne hic caput Goliathi proprio enſe inciditur? nonne *Gladius eorum*, ſuper Latinos vibratus, *intrat in corda eorum*, & *arcus* indebite tenſus, in ſuis manibus fractus eſſe monſtratur?

Sed Canon Apoſtolorum eſt, qui dicit: *Si quis Epiſcopus*, &c. Quare non obſervatur ab eis? Cur nobis innocentibus ſuam damnationem, & turpitudinem tam obſtinato animo objiciunt? Cùm ergò reſpondere non poſſint, tranſeamus ad vigeſimum ſeptimum Canonem, qui dicit; Epiſcopum, ſive Preſbyterum, vel Diaconum verberantes fideles, &c.

Reſpondeo: In quolibet peccato manifeſto tria ad minus reperiuntur: ſcilicet, libido interior, opus exterius, & evidentia libidinis. Interiori offenditur Deus. (a) Difformatur quippe anima ad imaginem Dei facta, & Deus, qui tibi prohibuit, deſpicitur à creatura. Opere exteriori corrumpit homo ſeipſum & alium. Evidentia verò, vel enormitate, quæ eſt clamor cum voce, totam Eccleſiam offendit. Oportet ergò, ſi vult rectè pœnitere, ut contra iſtos tres morbos tria quædam objecta remedia penitus adhibeat, ſcilicet dolorem contritionis, contra libidinem mentis: laborem ſatisfactionis, per executionem operis: privatim tamen pro privatis, publicè, pro manifeſtis.

(a) *Deformatur.*

Item peccatorum quædam ſunt ex ignorantia; quædam ex infirmitate; quædam ex ſtudio & malitia perpetrata. Quando ergò aliquis de numero fidelium non privatim, ſed publicè, non ignoranter, ſed ſtudiosè & ſuperbè peccans, ſeparatus eſt ab Eccleſia, tam merito delicti, quàm ſententia Prælati, juſtum eſt, ut ſi vult reconciliari Eccleſiæ, à cujus integritate abſciſſus eſt peccando, quod condignam & congruam delicti ſatisfactionem offerat ad arbitrium ſacerdotis. Diſcernentes autem Sacerdotes Eccleſiæ, quorum eſt diſcernere inter fidelium lepram, & non lepram, judicaverunt, ut is, qui per contumaciam ab unitate fidelium ſeparatus eſt, & matrem ſuam, id eſt Eccleſiam, imò Deum in ipſa contriſtat contemnendo: proſtratus coram eo petat veniam, & in ſignum ſubjectionis & humilitatis corpus percutiendum & verberandum offerat, imitatus eum, qui dixit: *Corpus meum dedi percutientibus*, & *genas meas vellentibus.* Et iterum: *Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum*, &c. Et ut ex hoc oſtendat pœnitens, Eccleſiam Dei matrem & magiſtram eſſe vitæ & moribus parvulorum, *in quorum* nimirum *cordibus*, ſecundum Sapientiæ vocem, *ſtultitia colligata eſt*, & *virga diſciplinæ fugabit eam.* Eſto etiam, quòd verum ſit, quod Canon ille ſit Apoſtolorum ſanctorum: Latinos tamen non tangit, quia non dicitur ibidem: *Quod quicunque Epiſcopus voluerit*, &c. *quacunque ex cauſa.* ſed dicitur; *Epiſcopus*, &c. *Verberantes fideles*, & *propter hoc timeri volunt*, &c. Non enim hoc agit Eccleſia Romana in ſuis filiis, tanquam tyrannicam exercens poteſtatem, vel odio commota, ſed propter illas cauſas, quas prædiximus, & alias, quas propter brevitatem judicamus reticendas.

*Iſa.* 50. *Ibid.*

*Prov.* 28.

*Matth.* 6. Sed Eccleſia Græcorum, quæ trabem geſtat in oculo, quam non videt, ſed potius feſtucam modicam in oculo fratris ſui, hoc, quod nobis objicit, ſtudioſius implet, non dico in ſuis laicis, ad quos nimirum manus extendere non præſumit, ſed in ſuis Papatibus & Clericis, quos tanquam viles & ruſticos, pugnis faciunt verberari, ſublato tamen

tamen prius τιματίῳ, id est, veste Clericali, ad horam, prout propriis oculis aspeximus in civitate Nicæa. SÆC. XIII. ANNO 1252.

Nunc ergò, si ita est: imò quia ita est, stultam fecit Dominus Græcorum sapientiam. Hunc igitur Canonem tanquam inutilem relinquentes ad sexagesimum tertium, qui de sanguine & suffocato loquitur, sermonem convertamus.

Et licet generalis responsio suppositа sufficiat, tamen aliquid latius respondeamus. Fatemur sanè, verum decretum fuisse ab Apostolis in Actibus eorum, ut hi, qui conversi erant de gentibus, abstinerent. Quod quidem expediebat tempori illi & statui infirmorum, eò quòd synagoga conversorum Judæorum, cum honore & obsequio, sicut dicit beatus Augustinus, ducenda erat ad sepulturam. Processu verò temporis, roborata prædicatione Evangelii; & multitudine gentium ad fidem currente, per Paulum Doctorem gentium, & Apostolum specialem earum, imò per ipsum Dominum, qui per Apostolum loquebatur, hujusmodi sententia revocata est. Dicit enim ad Corinthios: *Omne quod in macello venit, comedite, nihil interrogantes, propter conscientiam.* Idem: *Omnia munda mundis.* Et alibi: *Scio & confido in Domino Jesu; quis es, qui judicas alienum servum?* Scilicet, qui salva pura conscientia comedit, quidquid à majoribus comedendum accepit. Idem: *Nemo vos judicet in cibo & potu.* Ac si dicat: Nemo vos velut Judæos discernat ab his, inter quos habitatis, in differentia ciborum, & in reliquis, quæ idem Apostolus adjecit. Ad idem facit quod Dominus in Evangelio dicit: *Non quod intrat in os, coinquinat hominem, &c.* Quod quidem primo pastori declarare volens Dominus in visione illa cælesti & admirabili; quia idem pastor Ecclesiæ Petrus linteum quatuor initiis de cœlo in terram submitti videbat. Post admirationem, quam habuit, dixit ei: Quod Deus permundavit, tu ne commune dixeris.

De suffocato *Actor.* 15. *1 Cor.* 10. *Rom.* 14. *Ibid.* *Coloss.* 2. *Matth.* 15. *Actor.* 10.

His auctoritatibus & multis rationibus Ecclesia Dei Romana suffulta loco & tempore talibus utitur absque offendiculo & conscientia peccati. Sed Ecclesia Græcorum, cui omnia in scandalum & offendiculum conscientiæ versa sunt, non absque macula criminis talibus abutitur. Quis Latinorum cum tanto studio & attentione utitur porcino sanguine, sicut populus Græcorum? Et ut oculis propriis vidimus, pro summis reputat deliciis: quotiens illo sanguine confecto, quod ut credimus (b) cipuncti vocant in suis epulis, velut canes impudentissimi, ingurgitari possunt? Item nunquid non utuntur suffocatis, & captis à bestia? quando venatitiis carnibus ut leporum, qui canum dentibus præfocantur: & aliorum animalium; nec non & avium, quæ laqueo captæ sunt, vel reti, & manibus aucupum eorum capita retorquerentur, & tam diligenter & curiosè vescuntur? Unde ergò eis tanta insania, ut hoc, quod ipsi tam summo studio peragunt, in se approbent; in aliis reprobent, derideant, & depravent? Obmutescant saltem nunc eorum dolosa labia, & impudentes frontes decidant tam confusæ.

(a) *Barbara lexis, fartorum.* blutwurst oder Rosenwurst.

Post hunc sequitur canon sexagesimus quartus, qui sic incipit: *Si quis Clericus inventus fuerit jejunans diem Dominicum, vel diem Sabbati præter unum, &c.*

Respondeo. Canon iste non est Apostolorum: sed quorundam, qui propter causam superius assignatam, talem sententiam promulgaverunt. Si enim esset canon Apostolicus, fuisset utique tempore Sylvestri Papæ. Constat autem, quod in diebus suis mota fuit quæstio à Græcis, quod videlicet non jejunaret Sabbatum, præter unum, allegantibus quibusdam de lege Moysi, sicut habetur in vita ipsius Papæ; sed cùm nullum assensum præbere voluisset, Sylvester Papa ait: *Si omnis Dominicus resurrectionis est colendus in gaudium Christianorum, & omnis Sabbati dies sepulturæ est deputandus ad exercitationem Judæorum. Omnes enim discipuli Domini fletum habuerunt Sabbato, sepultum suspicantes, & Judæis epulantibus lætitia inerat: Discipulis autem jejunantibus tristitia imperabat. Tristemur ergò cum tristantibus de sepultura Domini: si volumus cum iisdem de Domini resurrectione gaudere. Neque enim fas est, ut distinctiones ciborum, & ceremonias Judæorum, more Judaico, observemus.*

Hæc & his similia dicente beato Sylvestro, placuit quibusdam Orientalibus Conventibus illa traditio Apostolicæ sedis. Sed magis elegerunt Sabbatum celebrare cum Judæis. Cujus sententiæ concordans beatus Innocentius Papa ait: *Sabbato jejunandum esse, ratio evidentissima demonstrat. Nam si diem Dominicum ob reverentiam Domini non jejunamus, Sabbatum prætermittere non debemus: quod inter tristitiam, & lætitiam temporis illius videtur inclusum. Nam utique Apostolos constat biduo isto, & in mœrore fuisse, & propter metum Judæorum se occultasse. Quod utique non est dubium, & in tantum jejunasse biduo memorato, ut traditio Ecclesiæ habeat, isto biduo Sacramenta penitus non celebrare. Quæ forma per singulas hebdomadas est tenenda. (b) Hic loquimur secundum modum, qui tunc erat, propter quod commemoratio illius diei semper est celebranda. Quod si putant semel, atque uno Sabbato jejunandum: ergo & dies Dominica, & sexta feria, semel in pascha erit utique celebranda. Si autem Dominici diei, aut*

*Innocent. epist. 1. ad Decentium.*

(b) *Quæ utique forma per singulas tenenda est hebdomadas, propter id quod commemoratio illius, &c.*



Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1252. *aut ſextæ feriæ per ſingulas hebdomadas reparanda eſt imago, dementis eſt, bidui agere conſuetudinem, Sabbato prætermiſſo, cum non diſparem habeat cauſam, à ſexta feria, in qua Dominus paſſus eſt, quando & apud inferos fuit, ut die tertia reſurgens redderet lætitiam, poſt biduanam præcedentem triſtitiam. Non ergò nos negamus, ſextam feriam jejunandam; ſed dicimus, & Sabbato hoc agendum: quia ambo dies triſtitiam Apoſtolis, ac iis, qui Chriſtum ſequuti ſunt*, indixerunt, qui die Dominica exhilarati, non ſolum ipſum feſtivum eſſe voluerunt, ſed etiam per omnes hebdomadas frequentandum eſſe dixerunt.

Ut ergò ad primum verbum noſtrum revertamur, Canon iſte, quem Græci Apoſtolorum eſſe mentiuntur, ſi fuiſſet tunc temporis, ſuffeciſſet illis in adjutorium ſuæ petitionis, ſeu opinionis, hoc decretum Apoſtolicum, quod nimirum immutabile ſecundum eos permanet; maximè, ſi iſtud Dei Apoſtoli immutabiliter omnibus ſervandum mandaverunt. Quæ fuit ergò cauſſa, quæ eorum clauſit labia, ut non haberent recurſum in diebus illis ad certitudinem Apoſtolicæ ſanctionis? Nulla prorſus fuit. Quia nec editus erat, nec canon dici poterat, quia nec erat.

Sed octogeſimus, inquiunt, qui ſic incipit, *Epiſcopus, vel Presbyter, ſeu Diaconus militiæ vacans, &c.* rurſum clamat contra Latinos.

Reſpondeo, ſi vim Canonis inſpiciat Lector, ſuppoſito, etiam quod ſit Apoſtolorum, Latinis non obviat. Quia nec militiæ vacant Epiſcopi noſtri, eo modo, quo Canon accipit. Nec utrumque principatum unquam tenuit, vel tenet, ut ſimul Rex & Sacerdos ſit, vel vocetur niſi ſpiritualiter, ſicut dicit ſcriptura, *Feciſti nos Deo noſtro regnum & Sacerdotium.* Si verò ipſam exhortationem, quam fecit Eccleſia principi ſeculari, vel auctoritatem, quam dat, vel adjutorium, quod præſtat contra perſequutiones ipſius Eccleſiæ; & viros nefandos, militiam reputant; quis in hoc non offenditur? Nonne Eccleſia Græcorum dat coronam Imperatoribus geſtandam in ſignum pulchritudinis, & gladium in manu tenendum, ad vindictam ſanguinis exercendam? Nonne cum ipſis vadunt in exercitum, & pugnaturis exhibent Sacramenta ſua, & orant pro eis generaliter, & ſpecialiter in ſecreto Miſſæ? ſicut ſcriptum eſt: *Memento Domine piiſſimorum & fideliſſimorum Imperatorum, &c.* Et poſt pauca: *Robora eorum brachia, exalta eorum dextram, confirma eorum regnum, ſubjice eis omnes barbaras nationes, & eos qui bella volunt, &c.* Nec recuſamus utrumque gladium eſſe, materialem ſcilicet, & ſpiritualem. Sed unum concedit militi ad nutum ſacerdotis educendum; alterum verò retinuit ſibi. *Ecce*, inquiunt Apoſtoli in Euangelio; *gladii duo hic.* Et rurſus loquens de materiali Dominus ait; *Converte gladium tuum in vaginam.* Dicendo *tuum*; materialem gladium ſignificat, quo percuſſerat ſervum principis Sacerdotum. De ſpirituali verò nemini venit in dubium, cum idem Petro per cujusdam ſpecialitatis apicem, ligandi atque ſolvendi conceſſit poteſtatem. Uterque igitur gladius Eccleſiæ traditur. Sed ab ipſa Eccleſia unus exercendus; alius, ſicut ſupra diximus, pro Eccleſia manu ſecularis principis eximendus. In quo ergò peccat Eccleſia, ſi ſuo jure utitur à Domino ſibi conceſſo? Uterque igitur gladius, ut dictum eſt, ad Eccleſiam pertinet, & de utroque diſpoſuit, ſicut ſibi videtur, ad tuitionem fidelium, & Reipubl. conſervationem.

Apoc. 5.

Matth. 26.

Ibid.

Quam dignitatem ſeu poteſtatem Conſtantinus Primus Chriſtianorum Imperator providens in ſpiritu mox poſtquam ad fidem converſus eſt, contulit eo modo eidem Eccleſiæ liberè, quo ſuprà in quarta diſtinctione hujus operis plenius eſt expreſſum. Quamvis enim quidam Prælatorum, pro terris & regionibus, quas ad uſus Eccleſiæ retinent, vocentur Duces, Comites, ſeu Marchiones, & interdum procedunt in expeditionem: tamen manus ſuas ſemper mundas cuſtodiunt à ſanguine peccatorum. Non enim pugnant ipſi perſonaliter, ſed pugnaturis fidelibus contra iniquos aſſiſtentes, eos ſic, puta verbo & opere, reddere ſatagunt animæquiores. Et ita, quæ Cæſaris ſunt, Cæſari perſolvunt, & quæ ſunt Dei, Deo exhibent.

Ioan. 5.

De bigamis autem, & ultrà, nobis brevis incumbit reſponſio: Aut enim qui talia ſtatuerunt, de clericis, & non de laicis, intelligi voluerunt: aut, ſi de omnibus accipiendum eſt, de illis ſolis loquuntur, qui vivente prima contrahunt cum ſecunda, & tertia: aut certè, ut quidam eorum ſanè interpretati ſunt, non eſt hoc accipiendum de copula matrimoniali, ſed de benedictione nubentium, & ſolemnitate nuptiarum, quæ aliter ergà viduas, aliter erga virgines obſervatur. Cui etiam ſententiæ concordare videtur litera Canonis, qui dicit; *de nuptiis pluries celebratis patres conticuerint, &c.* Si autem, ut Græci autumant, ſimpliciter & nudè intelligenda ſunt verba canonis: verbi gratia, ut dicatur, non licere homini prima uxore mortua, contrahere cum ſecunda: Dicimus, quod cum ſit contra doctrinam Apoſtoli, & ſalutem infirmorum, nulla ratione debet exaudiri. Ait enim Apoſtolus ad Corinthios: *Mulier eſt alligata legi, quamdiu vir ſuus vivit. Si autem mortuus fuerit, cui vult nubat, tantùm in Domino.* Dominus quoque in Evangelio de muliere quæ cauſſa ſuſcitandæ prolis

1 Cor. 7.

Matth. 19.

Digitized by Google

prolis ſeptem viros fratres ſucceſſivè habuerat, non redarguit talem copulam totiens repetitam: ſed tantum erroneam opinionem eorum, qui futuras carnales nuptias in regno juſtorum ſperabant. Item Samaritanæ, quæ plures viros habuerat, juxta puteum loquens, de illo ſolo illam redarguit, quem ſuum non eſſe virum divinitùs intellexit. Ait enim: *Quinque viros habuiſti, & hunc, quem habes, non eſt tuus vir.* Copulari ergò pluribus vicibus ſucceſſivè non eſt prohibitum, ſed conceſſum; etiam ſtatus talium non eſt condemnandus, ſed tolerandus; cum nec ab aliquo homine poſſit prohiberi, id quod per ſpiritus gratiam pro ſalute infirmorum cernimus eſſe indultum. SÆC. XIII. ANNO 1252. Joan. 4.

Item quæritur à Græcis, poteſtne fieri diſpenſatio alicujus Concilii? Si dicunt, quod non, quis ergò Græcorum ſalvabitur, poſito, quod ſint in fide Catholica, ſeu orthodoxa verè obedientes. Nonne contra iſtum Canonem, & illos ſupra poſitos, quotidiè veniùnt? ſi dicunt, quod ſic; ſed, ſi Prælatus aliquis; multò magis ſummus Pontifex, qui poteſtatem plenitudinis obtinet à Chriſto, mediante Petro Apoſtolo. De qua require ſupra quarta diſtinctione.

Interea conſulimus Græcis aurum ſapientiæ ab Eccleſia Romana emere, quam deſpiciunt, ut locupletes fiant, & caliginoſis oculis collyrium apponant: ut in ſpeculo ſacri eloquii clarè inſpicientes, recognoſcant Romanam Eccleſiam, quæ omnium Eccleſiarum caput eſt, inſuper & Magiſtra: eo quòd nil in dictis Evangeliis & Epiſtolarum, & etiam Doctorum, contrarium invenit, quod interpretativè, vel diſpenſativè ſecundum ſtatuta ſanctorum Patrum, in unitate Spiritus non concordat.

Diſtinguentes itaque inter ea, quæ diſpenſationem recipiunt: & illa, quæ aliter ſe habent, dicimus; quòd ſunt præcepta primæ neceſſitatis; quæ aſſimilant animam Deo; ſicut præcepta Decalogi; & illa non recipiunt diſpenſationem. Item ſunt præcepta ſecundæ neceſſitatis, ut unus uni jungatur; & hæc quandoque fuerunt diſpenſata, ut patet in patre Abraham, & Jacob, David, & aliis ſanctis, qui pluribus conjuncti fuerunt. Sunt & præcepta tertiæ neceſſitatis, ut eſt votum voluntarium; & hoc quadruplex, continentiæ, religionis, abſtinentiæ, peregrinationis. Duo prima (a) non recipiunt diſpenſationem; alia duo recipiunt, cum æquipollenti. Sunt inſuper & quartæ neceſſitatis, ut inſtitutiones Prælatorum; & hæc recipiunt diſpenſationem, quotiens & quando eis pro cauſa utili & neceſſaria, videtur expedire. Diſpenſationes. (a) *Cur non, auctoritate ſummi Pontificis.* STEW.

Hiſce ſic habentibus, & ritè intellectis, patet ſolutio ad plurima, quæ nondum etiam fuerunt quæſita. De his autem, quæ ſequuntur; ut de mulieribus menſtruatis, & quæ ingrediuntur chorum, propter ſui ignobilitatem auditum præſtare nolumus: niſi tantùm de Patriarcha Conſtantinopolitano, qui ſuæ ſuperbiæ conſulens, plures fingi fecit canones talis ambitionis, ut ſuper omnes Prælatos videatur Prælatus. Vocat autem ſe οἰκουμενικὸν Patriarcham, id eſt, *orbicularem Patriarcham*: & licet in quarta diſtinctione hujus operis, ſatis de eo diſputatum ſit, tamen adhuc, in deteſtationem & ſugillationem hujus ſuperbi nominis, pauca repetemus.

(a) Canon iſte de ambitione dictæ Sedis editus fuit in ſecunda Synodo, clam ſummo Pontifice, ut Magiſter Hugo Etherianus refert. Interea vir utique ſapiens, & peritus in utraque lingua. Reſponſio ſupra eſt in ſecunda Synodo in fine. Et quia fieri non potuit, nec debuit, ipſo facto ſuſcitavit ſcandalum & diſcordiam inter Græcos & Latinos non modicam, uſque ad tempora Papæ Vigilii. Nullum tamen is favorem præbuit dicto Canoni, quod nos ſcimus, etiam dato, quòd poſſet in præjudicium prædeceſſorum ſuorum præbere aſſenſum. Interea poſt Epheſinam celebratur quarta Synodus in civitate Chalcedone; in qua quidem Anatolius Præſul regiæ urbis, ſatis egit pro principatu ſui ſacerdotii. Et factus eſt inde Canon. Verum quia Legati Leonis primi viriliter obſtiterunt, petiit totum Concilium pro ſe, & Imperator ſeorſum: nec non & dictus Anatolius à dicto Leone humiliter dicti Canonis confirmationem. Sed cùm omnes preces incaſſum caderent, remanſit dictus Canon infirmus, & inutilis de jure, etſi non de facto, prout ſupra in quarta diſtinctione, & in quarta Synodo continetur. Nam, ſicut ſupra dictus Anatolius ſuperbus alienas ſedes paulatim & occultè rapiens ſuo illas auſus eſt addere Pontificio; in Synodo quoque, quam ſextam nominant, quæ dicitur furtiva fuiſſe, ſimiliter dictum Canonem renovaverunt. Itaque uſque hodie Eccleſia Græcorum non conceſſa poſſidet, tenet, & utitur, ſicut patet. Quis enim in Pontificatu Romanæ ſedis potuit ſe expoliare poteſtate propria, & dare alteri? ut ſint in uno corpore duo capita, ſcilicet in Eccleſia Dei. Res utique monſtruoſa.

Item; ſi habuerunt in jure ex vi Conſtitutionis in ſecunda Synodo facta; quæ neceſſitas fuit repetere in quarta? &, ſi in quarta obtinuerunt ſuum propoſitum Græci, quare iterum in ſexta Synodo, quæ poſt multa tempora fuit, hoc idem repetierunt? Non

(a) Hæc addita ſunt a Fratribus Prædicatoribus, qui ſuperiora e Libris Etherianis excerpſerant.

Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1252.

Non fuit alia, nisi quia urgebat eos prava eorum conscientia, quia videre poterant; & per Concilia intelligere, quod nullus Canon vigorem & firmitatem obtinet aliquam, nisi favorem pariter & assensum summi Pontificis obtineat. De quo supra in quarta distinctione. Unde istum canonem, tanquam inutilem & furtivè intrusum respuentes, dicimus, sicut aliàs: omnes illos, qui asserunt Romanum Pontificem non esse caput universalis Ecclesiæ, per viam incedere damnationis vel perditionis, & esse de numero Core, Dathan, & Abiron Schismaticorum; qui in signum damnationis æternæ absorpti sunt à terra.

*Num. 16. Psal. 105. Eccl. 45.*

De celebratione autem Missæ in Quadragesima, & de quibusdam aliis, non respondemus, tum quia frivola sunt, tùm quia in furtiva synodo de Trullo similiter fabricata sunt. Si verò objiciunt nobis illud decretum sextæ Synodi; quod Papa Adrianus approbavit, *quia in eo statutum est*, &c. Et illud Innocentii; *Renovantes*, &c. Respondemus, quod illa propriam interpretationem, & Catholicam recipiunt, & non secundum pravum intellectum Græcorum. Alia verò discussioni Jurisperitorum & arbitrio relinquamus.

(a) Tempore, quo Victoriosissimus Imperator Constantinus, cognomento Monomachus, Imperii perspicaciter moderabantur dignitatibus, erat quidam Michaël Constantinopolitanæ sedis Patriarcha, actibus & intellectu stultissimus, qui prout verba ejus attestantur, hæresiarcha potius, quàm Patriarcha esse, omnibus innotuit. Hic læva suasione sui cordis exactus, sanctæ Romanæ sedis Eucharistiam nefanditer infamabat: tractans secum, quòd melius esset Græcorum sacrificium, quàm Latinorum; eò quod ipsi fermentatum, & Romana Ecclesia, ut ab Apostolis acceperat, azymum sacrificat. Interea dum præfatus Patriarcha, ut libelli sui apices asseverant, sacrificium Latinorum arguere conaretur, hoc sanctissimus Leo Papa IX. audiens, more solito ad nefandam alterationem exstirpandam, Dominum Stephanum Cancellarium religiosissimum virum, qui tertius post eum Papa Romanæ sedis extitit, & honestate sedis Pontificem, & cum illis Petrum Melphitanum Magistrum, & doctos cum suis apicibus transmisit. Qui Constantinopolitanam urbem ingressi, & imperiali honorificentia sublimati, ejusdem urbis Patriarcham (c) quater cum eo colloquium de nominato sacrificio habuerunt (b) —— per nuncium asciverunt. Quod ipse audiens, se ab eorum colloquio deviavit. Mox ipsi sanctæ Sophiæ Basilicam ingredientes, super altare paginulam posuerunt. Exeuntes autem ab Ecclesia sublatis pedum sandaliis, pavimentorum marmora percutientes, in mari pulverem projecerunt. Et hoc secundum Evangelii vocem egerunt dicentes: *Quamcunque civitatem introvieritis, & renuerint dogma vestrum, nihil exinde efferatis. Sed inde abeuntes pulverem pedum vestrorum excutite.* Præterea ipsis è civitate discedentibus stupendum valdè miraculum actum est: Liminare marmoreum ejusdem Ecclesiæ miræ magnitudinis dissolvitur: statimque talis est clades subsecuta, ut diebus paucis sexaginta Græcorum millia morerentur, nec ullus alienæ gentis: interim & per triduum inæstimabiles coruscationes, & tonitrua, & imbrium, & grandinum multitudines extiterunt.

(a) *adeuntes.*
(b) *in m. s. lacuna.*

*Matth. 10. Marc. 6. Luc. 7.*

Hæc verò gesta sunt anno ab Incarnatione Domini millesimo, quinquagesimo quinto, indictione octava. Quod ego Panthaleon, cum essem ibi Constantinopoli, ubi hoc actum est, hoc idcirco memorabile feci: quo legentibus pateat latinæ serenitatis institutio, & nemo audeat talia præsumere.

(c) Hæc sunt Panthaleonis meræ fabulæ. BASN.

CON-

# CONSTITUTIONES CONCILII VIENNENSIS,

ANNO 1267.

---

## JACOBI BASNAGII IN CONCILIUM VIENNENSE.

## OBSERVATIO.

*Tero in Annalibus* an. 1267. hoc Concilium & nomina Episcoporum hic indicata retulit. Canones novendecim ab ea Synodo fuerunt sanciti, quos distinximus appositis titulis, qui & plerumque deerant. Habet aliqua notanda illud Concilium, præsertim circa *Judæos* qui tunc temporis in Germania versabantur. Ediderat illud Concilium *Canisius* cum tribus Salisburgensibus Synodis, quas Lector suis quoque temporibus assignatas reperiet. SÆC. XIII. ANNO 1267.



Digitized by Google

# CONSTITUTIONES CONCILII VIENNENSIS,

## ANNO 1267.

SÆC. XIII. ANNO 1267.

FRater Gvvido, tituli ſancti Laurentii in Lucina Presbyter, Card. A. S. Legatus, Concilium celebravit in Vienna 6. Idus Maii. Cui interfuerunt Joannes Pragenſis, Petrus Patavienſis, Conradus Friſingenſis, Leo Ratisponenſis, Bruno Brixinenſis, Amalricus Lavendinus, Epiſcopi; & quamplures Abbates, Præpoſiti, Archidiaconi, & Decani, ubi ſubſcriptæ Conſtitutiones ſunt editæ, & ab eodem Concilio approbatæ.

Fr. Gvvido miſeratione divina, tituli ſancti Laurentii in Lucina preſbyter, Card. A. S. Legatus; ad perpetuam rei memoriam.

Poſtquam Deus formavit hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, & in ætate virili, cum ipſo etiam jus naturale produxit; juris enim naturalis origo & creaturæ rationalis cœpit exordia, quod quidem ad diſpendium omne mundi naſcentis & temporis motum ſufficeret, ſi non ſibi mortem, quam Deus non fecit, rationalis creatura propriis manibus & pedibus quæſiviſſet. Hæc juris inſtituta primævi protinus juſtitia poſitiva ſubſequenter ab eodem regulariter auctore procedens, ſub mortis interminatione morſum (a) primi noxialis prohibuit, contra prohibitionem concepta circa maledictionis ſententiam prodiit ab auctore, ut non tantum ultio ferretur in auctores ſcelerum, verum etiam in progeniem damnatorum. Ex hinc eſu hominum exigente, & duo (b) rerum introducto, quod primævi regula neſciebat, ex humanis neceſſitatibus quædam ſibi homines jura condiderunt. Traditæ ſunt à Domino per Moyſen juſtitiæ Leges, cujus ſingulis pænè ſyllabis Chriſtus includitur. Deinde Prophetæ ſubſequuntur, & Reges, qui Chriſti præconia evidentiori ſermone deſcribunt. Donec temporis plenitudine veniente, impleta veritate figurisque ceſſantibus, Rex noſter in æternum jura manſura diſpoſuit. Datæ ſunt enim claves perpetuæ Petro, à quo totius juris Eccleſiaſtici pulchritudo manavit, quæ ad ſingulas provincias, ob vindictam in nationibus, & increpationes in populis faciendas, nunc per Summorum Pontificum, nunc per Sedis Apoſtolicæ Legatorum Statuta, tanquam per quoſdam rivulos derivantur, ut hominum quotidie creſcente malitia & effrænata cupiditate, quæ nova litigia generare non ceſſant, ſub diſtrictione virium coarctatis, diſcant honeſtè vivere, Altiſſimum non lædere, jus ſuum unicuique tribuere. Hinc eſt, quod cum ſanctiſſimus Pater noſter Clemens Papa IV. ad Saltzburgenſem provinciam & civitatem, & diœceſim Pragenſem cum plenæ Legationis officio nos duxerit tranſmittendos, officii noſtri debitum libenter exequemur, evellendo, ſi quæ evellenda, plantando plantanda, recta gerendo & dirigendo ſalubriter indirecta.

(a) *Leg. pomi.*

(b) *Fort. dominio.*

C. I. De vita & honeſtate Clericorum.

Verum quantum expedit ad profectum & robur fidei Chriſtianæ, ut Sacramenta Eccleſiæ, in quibus tanquam in vaſis medicinalibus populus devotus & humilis antidotum gratiæ recipere conſuevit, in honore & reverentia ab omnibus habeantur, cùm ea plerunque contingat effici vilia propter vilem & abominabilem miniſtrorum Eccleſiæ converſationem, univerſis Eccleſiaſticis perſonis provinciæ Saliſburg. & civitati, & diœceſi Pragenſi præcipimus, ut in victu, geſtu & aliis operibus ac circumſtantiis Status ſui, ſic honeſtè ſe habeant, & decenter, ne propter ipſos nomen Eccleſiaſticum inter laicos blaſphemetur: eiſdem diſtrictius inhibentes, ne de patrimonio Crucifixi inimicos ſe faciant Crucis Chriſti, ſicut illi, quorum Deus venter eſt, qui terrena ſapiunt, non divina, in conviviis ſuis modeſtiam & mediocritatem obſervent, ſuperfluitatem indebitam reſecantes, ebrietatem, omnium vitiorum fomitem & nutricem, devitent.

*Clerus in victu, geſtu & aliis ſe habeat decenter.*

C. II. De modo viſitandi.

Prælati verò à gravaminibus abſtineant ſubditorum, & maximè cùm Eccleſias viſitant, moderentur expenſas; *exerceant evectionum nummum, prout in generali Concilio fuit diffinitum.

* *forte:* ne exerceant evectionem nimiam.

Præ-

Præsentis igitur Concilii approbatione præcipimus, ut Clerici continenter & castè vivere studeant, quatenus puro corde & mundo corpore Deo possint in officio Ecclesiastico ministrare. Si qui verò de cætero deprehensi fuerint detinere publicè concubinas, nisi infra mensem se ab eis & ab earum consortio separaverint, ita quod domibus ipsorum aut propriis aut aliis quibuscunque non cohabitent, nec ad illas accedant: ex tunc enim beneficio Ecclesiastico sint privati, ut per eos, ad quos beneficiorum prædictorum spectat collatio, personis idoneis conferantur. SÆC. XIII. ANNO 1267. C. III. De castitate cleri. *Clerici continenter & castè vivant.*

Item cùm in plerisque locis quorundam laicorum iniquitas invaluerit, quod in rebus Ecclesiæ furtum reputetur sagacitas, rapina probitas, & violentia fortitudo, Synodali judicio diffinimus, ut qui bona Ecclesiarum scienter detinent occupata, non infra instans festum B. Jo. Baptistæ eadem restituerint, & de damnis ac injuriis satisfecerint competenter, ex tunc introitum Ecclesiæ sibi noverint interdictum, nec ab Episcopis, aut aliis Ecclesiarum Prælatis ad communionem Dominici Corporis admittantur. Qui verò obstinata mente, dum vixerint, satisfacere non curaverint, nullus Clericus sæcularis vel regularis sepulturæ eorum interesse præsumat, adjicientes, ut singulis annis in Synodo, illi qui Clericos capiunt, verberant, vel occidunt aut aliàs in ipsos manus injiciunt violentas, excommunicati denuntientur, & nominatim illi, de quibus constitit manifestè. IV. De violentiis quæ inferuntur rebus Ecclesiasticis. *Clericorum verberatores & interfectores singulis annis in Synodo excommunicentur.*

Quicunque verò personam Ecclesiasticam enormiter violaverit, mutilaverit, vel occiderit aut captivaverit, non nisi per Sedem Apostolicam absolvatur: & illo facto, si quid tenebat ab Ecclesia illud perdat, & in utilitatem Ecclesiæ convertatur. Adjicientes quod in illa diœcesi, in qua aliquem Canonicum Cathedralis Ecclesiæ, vel in dignitate Ecclesiastica constitutum capi contigerit, vel captum detineri, usque ad liberationem ipsius & exhibitionem debitæ satisfactionis cessetur generaliter à divinis, similiter, & in illa parochia, in qua res violenter ablatas capi vel detineri contigerit, usque ad restaurationem congruam à divinis cessetur. C. V. De læsionibus Ecclesiasticarum Personarum. *Capto Prælato aut Canonico Cathedralis Ecclesiæ cessetur à Divinis.*

Item cum detentores plurium personatuum, seu beneficiorum cum cura, sine dispensatione, sint sacrorum Canonum transgressores, & fructus talium beneficiorum percipiendo furtum committere dinoscantur, præsenti decreto statuimus, ut omnes qui hujusmodi dignitatum, personatuum, seu beneficiorum cum cura, pluralitatem detinent, illi qui sunt de provincia Saltzb. super hoc secum dispensatum fuisse coram venerabili Patre, Dei gratia electo Saltzb. infra instans festum B. Jo. Baptistæ, doceant manifestè. Alioquin ex tunc ultimo beneficio recepto sint contenti, & alia quæ prius habuerint, per illos, ad quos dictorum beneficiorum collatio pertinet, personis idoneis conferantur. Si vero utrumque retinere contenderint, nos ipsos & primis & ultimis decrevimus ex tunc manere privatos. C. VI. *Pluralitas beneficiorum inhibetur.*

Item cum Levitis, seu Ecclesiasticis personis jure divino decimæ debeantur, dolentes referimus, quod quorundam laicorum cupiditas jus hujuscemodi, quod sibi Deus in signum generalis dominii retinuit, nititur abolere, & pro sua voluntate, de his quæ ad ipsos non pertinent, aliter ordinare, imò potius deordinare præsumunt, quasi à se divini servitii jugum velint excutere, quod in baptismate sunt professi. Hujus igitur approbatione Concilii districtè præcipimus, ut juxta laudabilem consuetudinem patriæ, decimæ tam antiquæ, quam etiam de novalibus majores & minutæ plenariè persolvantur: nec liceat alicui nobili vel ignobili cujuscunque dignitatis vel principatus existat, sibi decimas maximè de minutis & novalibus usurpare: alioquin si contra fecerit, ab ingressu Ecclesiæ usque ad satisfactionem condignam se noverit esse suspensum. C. VI. De decimis contra Laicos. *Decimæ debentur Clericis, non laicis.*

Item dolentes referimus, quod quidam salutis suæ immemores, & prodigi famæ suæ, tam Clerici, quam laici, per Salisburg. provinciam constituti, usuras & contractus usurarios exercere præsumunt, ad quorum cupiditatem refrænandam statuimus ut ipsi supra hoc in sacro Concilio prænoniti, à talibus abstineant, alioquin nos ipsos excommunicamus in scriptis, &c. in anno videlicet in cœna Domini, Assumpt. Beatæ Virg. & in Nativitate Domini, præcipimus per Plebanos & Majores suos in locis suis excommunicatos publicè denunciari. Clerici verò beneficiati, qui per tempus trium mensium sententiam excommunicationis sustinere præsumpserint animo indurato, per suos diœcesanos suis beneficiis spolientur, & personis idoneis per illos, ad quos dictorum beneficiorum spectat collatio, conferantur, salvis aliis pœnis contra usurarios editis, secundum canonicas Sanctiones. C. VIII. *Usurarii sive clerici sive laici excommunicentur.*

Item ordinamus atque statuimus, ut Clerici & Ecclesiasticæ personæ, tam sæculares quam regulares, Prælatorum suorum correctiones legitimas cum debita humilitate suscipiant, & si qui ex eis hac occasione contra sos correctores auxilium brachii sæcularis invocaverint, vel potentum preces armatas impetraverint, vel impetratis uti præsumpserint, à suis beneficiis deponantur. Ipsis quoque Prælatis districtius inhibemus, ne C. IX. De correctione, & contumacia clericorum.



Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1267.

(a) prius minoris ætatis videlicet 18. annorum dignitates, perſonatus, ſeu beneficia curam animarum habentia conferre præſumant, vel ad ipſa recipere præſentatos, niſi cum eis ſuper hoc à Sede Apoſtolica vel legatis ejusdem extiterit diſpenſatum.

C. X. De rapina bonorum defunctorum Clericorum.

Item ad aures noſtras per clamoſam inſinuationem multorum devenit, quod patroni Eccleſiarum tàm Clerici quàm laici, advocati & judices & præcones bona decedentium Clericorum occupant & uſurpant, volentes ſibi ab inteſtato ſuccedere, pro ſuæ voluntatis arbitrio, non judicio rationis. Quare providè duximus ſtatuendum, ut patroni Eccleſiarum, & alii ſupradicti à talibus de cætero abſtineant, & niſi abſtinere voluerint, quo uſque ſic ablata reſtituant, excommunicationis vinculo innodentur.

C. XI. De beneficiorum ſuſceptione.

Item diſtrictius inhibemus, ne aliquis Clericus Eccleſiam parochialem à laico patrono recipere beneficium audeat, niſi ab Epiſcopo vel Archidiacono fuerit inſtitutus, alioquin ab officio & beneficio ſe noverint eſſe ſuſpenſos: & laicus, qui auctoritate propria inſtituere præſumpſerit, ipſo facto à jure cadat patronatus. Adjicientes quod nullus patronus Clericus vel laicus dotem Eccleſiæ, in qua jus obtinet patronatus, alienare præſumat: quod ſi contra fecerit, ipſo facto cadat à jure patronatus, & res alienata ad jus & proprietatem Eccleſiæ revertatur.

C. XII. De perſonali reſidentiâ curatorum.

Item ordinamus & ſtatuimus, ut Prælati & curam animarum habentes in ſuis Eccleſiis corporaliter reſideant, & ad hoc à ſuis Epiſcopis per ſubtractionem fructuum compellantur, niſi cauſa legitima ſe potuerint excuſare.

C. XIII. De viſitatione nigrorum monachorum.

Item cum clamoſa inſinuatio noſtrum percuſſerit auditum & animum, quod Abbates monachi Ord. S. Benedicti in quam plurimis locis ab obſervatione S. Regulæ temerè recedentes vitam nimis diſſolutam ducere non verentur, in ſuarum animarum periculum & ſcandalum plurimorum. Volentes igitur, ut contra hujus corruptelam ſalubre remedium apponatur, univerſis Epiſc. Saltzburg. provinciæ ac Epiſcopo Pragenſi diſtrictè præcipimus, ut quilibet ipſorum intra dimidium annum, aſſumptis ſecum duobus Abbatib. Ciſtertien. Ord. omnia clauſtra nigrorum monachorum ſuæ diœceſis videlicet, corrigat & reformet tàm in capite quàm in membris; illis tamen exceptis, qui Rom. Eccleſiæ nullo medio ſubeſſe noſcuntur, quos per nos vel per alios à nobis ſpecialiter deputandos intendimus viſitare.

C. XIV. Ne Abbates conſecrent calices.

Prohibemus etiam Abbatibus, ne calices vel patenas ſeu ſacras veſtes benedicere vel conſecrare, aut alia Epiſcopalia officia exercere præſumant, niſi ſuper hoc à Sede Apoſtolica privilegium habuerint ſpeciale.

C. XV. De habitu Judæorum.

Item cum in tantum inſolentiæ Judæorum excreverint, ut per eos in quam pluribus Chriſtianis jam dicatur inſici puritas Catholicæ ſanctitatis, non tam nova cudentes quam Sum. Pont. ſtatuta vetera renovantes diſtrictè, præcipimus, ut Judæi, qui diſcerni debent in habitu Chriſtianis, cornutum pileum, quem (a) quidam in iſtis partibus conſueverunt deferre, & ſua (b) tenuitate deponere præſumpſerunt, (c) reſumantur, ut à Chriſtianis evidenter diſcerni valeant, ſicut olim in generali concilio extitit diffinitum. Quicunque autem Judæus ſine tali ſigno deprehenſus fuerit incedere, à Domino terræ pœna pecuniaria puniatur. Adjicientes ut Judæi Sacerdoti parochiali, infra cujus parochiæ terminos manſerint, pro eo quod loca in quibus Chriſtiani habitare deberent, occupant, juxta quantitatem damni, quod ei ex hoc inferunt, ad arbitrium diœceſani loci, omnes proventus, quos, Chriſtiani ſi ibidem manerent, Sacerdos perciperet, refundere compellantur. Decimas etiam prædiales cum omni integritate perſolvant.

(a) *Fort. quidam.*
(b) *Fort. temeritate.*
(c) *forte reſumant.*

C. XVI. De Mancipiis Judæorum.

Prohibemus inſuper, ne ſtubas & balnea ſeu tabernas Chriſtianorum frequentent, ſeu intrare præſumant, nec ſervos vel ancillas, aut nutrices, ſeu quæque Chriſtiana mancipia die, noctuve in domibus ſuis retinere præſumant, nec ad recipiendum telonium ſeu ad alia publica officia aliquatenus aſſumantur.

C. XVII. De coïtu Judæi cum Chriſtianâ.

Si quis verò Judæus cum aliqua Chriſtiana fornicationis vitium deprehenſus fuerit commiſiſſe, quoadusque X. marcas argenti ad minus pro emendatione ſolverit, diſtricto carceri mancipetur, & mulier Chriſtiana, quæ tam damnatum coïtum elegerit, per civitatem fuſtigata, de ipſa civitate ſine ſpe redeundi penitus expellatur.

C. XVIII. De conviviis eorundem.

Item omnibus Chriſtianis iſtius provinciæ & civitatis & diœceſis Pragen. ſub pœna excommunicationis diſtrictius inhibemus, ne Judæos vel Judæas ſecum ad convivandum recipiant, vel cum eis bibere vel manducare audeant, aut etiam cum ipſis in ſuis nuptiis vel neomeniis, vel ludis ſaltare vel tripudiare præſumant, nec Chriſtiani carnes venales, ſeu alia cibaria à Judæis emant, ne forte Judæi per hoc Chriſtianos, quos hoſtes reputant, fraudulenta machinatione venenent.

C. XIX. De Synagogis Judæorum.

Adjicientes ut ſi de cætero quocunque prætextu Judæi à Chriſtianis graves ſeu immoderatas uſuras extorſerint, Chriſtianorum eis (a) participationem ſubtrahatur, donec

(a) *Fort. participatio omnis.*

(a) Leg. pueris vel perſonis. BASN.

Digitized by Google

nec de immoderato gravamine satisfecerint competenter. Unde Christiani, si opus fuerit, per censuram Ecclesiasticam compellantur ab eorum commerciis abstinere. Principibus autem injungimus, ut propter hoc non sint Christianis infesti, sed potius à tanto gravamine Judæos studeant cohibere. Si verò Sacramentum altaris ante domos eorum deferri contigerit, ipsi Judæi audito sonitu prævio, intra domos suas se recipiant, & fenestras ac hostia sua claudant, hoc etiam in quolibet die Parasceves per Prælatos Ecclesiæ facere compellantur. Nec præsumant de fide Catholica cum simplicibus diputare, nec filios & uxores Judæorum ad fidem Christianam venientium invitos audeant detinere. Nec Christianos ad Judaismum alliciant, aut aliquo ausu temerario circumcidant, nec Christianos infirmos visitent, vel circa ipsos exerceant opera medicinæ. Synagogam novam non erigant, & si quas erexerint, eas removeant aut deponant. Vetustam, si opus fuerit, reficiant, non ampliorem, pretiosiorem, seu etiam altiorem. Carnes in Quadragesima quando Christiani à carnibus abstinent & jejunant, apertè vel publicè non deportent. Præcipimus autem Episcopis, ut ad hæc omnia observanda in singulis articulis Judæos per abstractionem communionis Christianorum compellant. Ipsos quoque Principes ac judices eorundem districtius admonemus, ne Judæis Statuta nostra servare nolentibus alicujus protectionis seu defensionis (a) fervorem impendant, sed si aliqua eis à Prælatis Ecclesiasticis injungantur, ea fideliter exequantur, alioquin introitum Ecclesiæ & communionem divinorum Officiorum sibi noverint interdictum. Volumus etiam & sub pœna excommunicationis præcipimus, ut Dominus electus Saltzburgiensis ejusque Suffraganei nec non & Episcopus Pragensis has constitutiones nostras sigillo nostro sigillatas habeant, easque singulis annis in synodis Episcopalibus & in provinciali Concilio faciant recitari, & diligentius observari, & ea quæ tangunt laicos, faciant per parochiales Ecclesias suarum diœcesium publicare. Acta Viennæ Anno Domini 1267. Mense Maio Pontificatus Domini Clementis Papæ IV. Anno tertio.

SÆC. XIII. ANNO 1274.

Lege ostia.

(a) L. favorem. BASN.



Digitized by Google

# CONSTITUTIONES SALISBURGENSIS CONCILII,

HABITI Anno 1274.

---

# CANISIUS AD LECTOREM.

SÆC. XIII. ANNO 1274.

ADmodum Reverendus & clariſſimus Dominus D. Georgius Lautherius, ad D. Virginis Monachii Præpoſitus, &c. pro ea, qua præditus eſt recondita eruditione, omnisque antiquitatis ſcientia, eruit è tenebris manuſcripti codicis hæc Concilia *Viennenſe* & *Salisburgienſia*, digna luce. Illi ergo, amice Lector, tu pariter mecum acceptum refer, & gratias habe, quod habes hæc; quæ ſcio, veneraberis, videbisque quaſi præſens, faciem aliquam Germanicæ Eccleſiæ illorum temporum. Nomen Archiepiſcopi Saltzburg. non exprimitur in *Salisburgienſi* Concilio, ſed literâ F. innuitur: Ego audacter Fridericum interpretor; qui, teſte Eberhardo Altaæenſi, obiit anno 1284. De tempore Concilii Saltzburgenſis, quod apographum noſtrum refert ad annum 1274: non contemnenda difficultas oboritur. Nam teſtibus Eberhardo Altahenſi & Sterone, celebratum eſt generale Concilium eodem anno 1274. apud Lugdunum; cujus ſtatuta ut ſerventur, præcipit hoc noſtrum Saltzburgenſe Concilium in initio. Neceſſe ergo eſt vel (a) codem anno Lugdunenſe & Saltzburgenſe Concilia celebrata, vel in numero mendam eſſe. Accedit quod Heinricus Stero editione Fr. hæc habeat: *Anno* 1181. *à Friderico Saltzburgenſi Archiepiſcopo apud Saltzburgam Concilium celebratur.* Quæ verba numerata omnia dat etiam noſter Eberhardus Altahenſis: in cujus editione retinuimus, propter ſequentia & antecedentia, numerum anni 1282. licet manuſcriptus Codex Eberhardi habuerit (ut notavimus ibi in margine) annum 1186. ſine dubio vitio-

(a) quod mihi probabile, ſi ſingulis annis tum celebrata Coucilia: qui mos è Canonibus probus & notus. CAN.

Digitized by Google

vitiosè: cùm Fridericus Saltzburg. Archiepiscopus obierit ann. 1284. An verò id ipsum nostrum sit Concilium Saltzburgense, cui adscriptus 1274. annus, omnino diserte; nescio: sed non puto. Bonum verè factum censui, Lectorem admoneri. Quare autem potius duo diversa hæc provincialia Concilia fuisse putem, unum anno 1274. alterum 1281. celebratum, movent me verba hujus nostri Concilii hæc: *alioqui nos in proximo provinciali Concilio ad reformationem prædicti Ordinis, quantum de jure possumus, procedemus.* Ubi vides in hoc Concilio promitti quasi proximum aliud. Et paulo post ibidem: *In proximo provinciali Concilio fidem nobis faciant privilegiorum.* Et iterum: *In ipso proximo provinciali Concilio, seu Episcopali Synodo, quem terminum ipsis peremptorium assignamus, legitimis documentis edoceant.* Imo singulis annis tum Synodus Provincialis cogebatur: quod colligo ex Viennensis Concilii his verbis: *Singulis annis in Synodo illi, qui Clericos capiunt*, &c. *excommunicati denuncientur.* Imo anno IV. Pipini Regis in Concilio apud Palatium Vernis statutum Can. 4. ut bis in anno Synodus celebraretur. SÆC. XIII. ANNO 1274.

---

# CONSTITUTIONES SALISBURGENSIS CONCILII, HABITI ANNO 1274.

AD honorem & gloriam sponsæ Christi, & fidei Christianæ. Nos Dei Gratia (a) F. sanctæ Salisburgensis Ecclesiæ Archiepiscopus (b) A. S. L. Leo, Petrus, Bruno, Wernhardus, & Joannes Ratisponensis, Patavienſis, Brixinensis, Secovensis, & Chimensis Ecclesiarum Episcopi, in provinciali hoc sancto Concilio congregati, de Consilio Ven. Prælatorum Saltzburgensis provinciæ, qui præsenti interfunt Concilio; absentium fratrum, tàm Episcoporum, quàm aliorum Prælatorum accedente consensu, diffiniendo præcipimus, ut Episcopi, Abbates, Archidiaconi, & alii Ecclesiarum Prælati, statuta sacri generalis Concilii celebrati proximè in Lugduno, in Ecclesiis & subditis suis clericis & laicis, secundum quod eadem statuta istis & illis conveniunt & quantum eos tangunt, sic solicitè & frequenter studeant publicare, ut ipsorum (c) pronunciantium, & subditorum memoriæ & observantiæ imprimatur. Sed & Constitutiones venerandæ memoriæ quondam domini Gvvidonis tituli S. Laurentii in Lucina presbyteri, Cardinalis in provincia Salisburg. Apostolicæ Sedis legati, quæ licet Ecclesiarum utilitatem contineant, & salutem suadeant animarum, in dissuetudinem transierunt, cum prædicti generalis Concilii ordinationibus & statutis, nec non & his, quæ pro utilitate locorum & temporum in hoc provinciali Concilio apponentur à nobis, ad notitiam subditorum taliter deducantur, ne quenquam totius provinciæ probabilis error ac ignorantia valeat excusare.

*Quæ erant ad oram apographi appono: Statuta sacri Concilii Lugdun. publicentur.* CAN. *Item constitutiones Domini Guidonis Cardinalis S. Laurentii in Lucina.* CAN. Hic laudatur Concilium Viennense an. 1267. BASN. *Item provinciale hujus Concilii.*

Cum Abbates Ordinis S. Benedicti Salisburgensis provinciæ capitula sua provincialia longis retro temporibus non curaverint celebrare, propter quod circa regulares observantias idem Ordo non mediocriter est collapsus, nos eisdem Abbatibus nostræ provinciæ firmiter & districtè præcipiendo mandamus, ut provinciale Capitulum suum in- Constit. I. *Abbates S. Benedicti celebrent Capitula provincialia.*

(a) *Fridericus.* (b) *Apostolicæ Sedis Legatus.* (c) *fort. provincialium.*

Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1274.

infra festum Resurrectionis venturum proximo celebrent, juxta formam à sacris Canonibus eis datam. In quo de moribus corrigendis, tàm in se ipsis, quàm in suis subditis tractent & ordinent diligenter. Alioquin nos in proximo provinciali Concilio ad reformationem prædicti Ordinis, quantum de jure possumus, procedemus.

Const. II. *Monachos fugitivos revocent. Carceres construant.*

Ex nunc tamen eisdem Abbatibus præcipimus & mandamus, ut monachos fugitivos in seculo divagantes revocari procurent. Et quod in singulis monasteriis carcer fiat, quo incorrigibiles seu aliàs delinquentes enormiter monachi, prout culpæ qualitas exigit, recludantur.

*Monachos ad strictiorem Ordinem transeuntes ab obedientia non absolvant.*

Sed nec licitum sit Abbatibus, cum nec unquam licuerit, monachos ad ordinem strictiorem transeuntes minimè absolvere ab obedientia, quæ monachorum ordinibus inseparabiliter est affixa.

Const. III. *De prava consuetudine Abbatum erga Monachos.*

Illam & pravam Abbatum consuetudinem reprobamus, qua Abbates pro excessibus levibus, & nonnunquam simulatis offensis passim & indifferenter de Monasteriis ad Monasteria monachos suos mittunt, cum delictum potius illic puniri & mori debeat, ubi committitur & patratur, cùm nec tales missi ad alia monasteria peccata sua lugeant, sed vagentur potius dissolutè. Quod si necessitas exigit, ut monachus ad monasterium aliud transmittatur, hoc Abbati non liceat, nisi causa missionis & tempus reditus per loci Episcopum ordinentur.

Const. IV. *De usurpationibus Abbatum.*

Sunt insuper quidam Abbates, qui indulgentiis & remissionibus faciendis in mitris, annulis, sedibus defferendis nec non in benedictione sacrarum vestium, & Ecclesiasticorum vasorum, & cæteris, quæ ordinem & officium Ecclesiæ requirunt, sibi Pontificum potestates usurpant; his districtè præcipiendo mandamus, ut de cætero talia non attentent, aut in proximo provinciali Concilio fidem nobis faciant privilegiorum, quibus sibi talem vendicant potestatem.

Const. V. *Eadem observentur à Canonicis regularibus.*

Hæc eadem in Canonicis regularibus, quantum diversitas religionum sustinet, volumus observari; salva dignitate & privilegio Saltzburgensis Capituli, cujus ordinationem nos Archiepiscopus nobis specialiter reservamus. Cæterum in aliis, quæ ad morum correctionem & observantias pertinent, regulares sibi in provinciali Capitulo sic provideant, ne nos ipsis in hoc deficientibus providere cogamur; maximè in moderandis eorum evectionibus & quibusdam vanitatibus, quæ ad pompam labentis seculi pertinent, refrenandis in ipsis.

Const. VI. *Revocantur concessiones datæ religiosis, de audiendis confessionibus & largiendis indulgentiis.*

Ad hæc cum prædecessores nostri bonæ memoriæ Pontifices diversarum religionum fratribus, in confessionibus audiendis, remissionibus & indulgentiis largiendis, & aliis pluribus faciendis, quæ ad Sacerdotale & Pontificale ministerium pertinent, potestatem suam duxerint committendam, quarum Religionum nonnullæ in proximo generali Concilio sint sublatæ, quorum & fratrum aliqui potestate sibi tradita sunt abusi; Nos auctoritate præsentis Concilii, omnium auctoritatem, potestatem, sive licentiam à nobis vel à nostris prædecessoribus cuicunque Religioni vel Ordini aut fratribus ordinum quorumcunque traditam, in præmissis, aut aliquo præmissorum, revocamus in totum.

Si quis autem ex vobis novam super his commissionem decrevit facere, in hoc, illud quod saluti animarum expedit, & alieno juri non detrahat, arbitretur.

Præterea cùm prædicti nostri antedecessores Clericorum Episcoporum remissiones & indulgentias in Diœcesibus suis datas diversis locis, ordinibus & personis ratas habere consueverint indistinctè, ac per hoc formam modosque correctionis debitæ, sicut experimento didicimus, in locis pluribus (b) enumerentur, præsentis (c) Synodi omnes & singulas ratihabitiones, tàm nostras, quàm prædecessorum nostrorum in hujusmodi indulgentiis manere volumus in suspenso, & ne quis eis utatur, sub anathemate prohibemus, donec Episcopus loci ordinarius plenè discutiat, quas & in quibus locis ratas habere conveniat, aut quas magis expediat revocari; & hoc maximè in personis quæstuariorum volumus observari, qui per hujusmodi indulgentias indiscretas ad contemptum clavium & errorem longè plures præcipitant, quàm erigant ad salutem. Hos & nullo modo recipi volumus, vel admitti, nisi cum diœces. Episcopi nuncio literatorio destinato.

(b) *fort. enervent.*
(c) *fort. Synodi auctoritate.*
*Quæstuarii nullo modo recipiantur.*

Constitut. VII. *Pluralitas beneficiorum inhibetur. Nisi adsint dispensationes eorum, qui de jure dispensare possunt.*

Cum in provincia Saltzb. diversi Clerici sæculares non ponentes terminum avaritiæ, nec salutem propriam prætendentes, onerare se pluribus beneficiis Ecclesiasticis non formident; Nos, qui aliorum indigentiis & saluti occurrere cupimus, & Ecclesiarum necessitatibus providere, auctoritate præsentis Concilii firmiter & districtè præcipimus, ut singuli plura beneficia possidentes, aut recepto ultimo sint contenti, aut in ipso proximo provinciali Concilio, seu Episcopali Synodo, quem terminum ipsis peremptorium assignamus, legitimis documentis edoceant, secum esse per eum, qui de jure hoc facere potuerit, dispensatum; alioquin nos tam formam Canonum, circa hoc traditam, quàm Statutum bonæ memoriæ Domini Gwidonis Cardinalis quondam in provincia nostra A. S. L. providere curabimus beneficiis & personis.

Cæte-

Digitized by Google

Cæterum cum per mercenarios temporales, quos Ecclesiarum rectores & plebani in Ecclesiis parochialibus instituunt & destituunt, nonnunquam interposito turpi pacto, animarum salus & Ecclesiarum utilitas damnabiliter negligantur; Nos omnes & singulos clericos in Saltzb. Provincia curam animarum habentes hujus auctoritate Concilii ad personalem in beneficiis residentiam revocamus, terminum eis peremptorium festum Purificat. Beatæ Mariæ Virginis venturum proximo assignantes, omnibus & singulis licentiis pro dissimulanda eorum absentia ipsis datis penitus revocatis; salva nobis auctoritate dandi licentiam iis, quibus visum fuerit expedire. Quod si præmissa contempserint aut neglexerint adimplere, & tunc ipsos à perceptione fructuum & administratione temporalium suspendimus, & volumus remanere suspensos; quod si temere se ingesserint, privati sint beneficiis ipso jure. Fructus autem per locorum Archidiaconos in utilitatem illius Ecclesiæ convertantur; salva Vicarii sufficienti & debita proportione.

SÆC. XIII. ANNO 1274.

C. VIII. *Clerici animarum curam habentes in parochiis resideant;*

Eisdem insuper Ecclesiarum Rectoribus præcipimus, ut ad ordinem, quem beneficii sui cura requirit, se faciant ordinari infra tempus à Canone institutum; alioquin quod de non residentibus est prædictum, circa fructus non percipiendos & privationem beneficii intelligi volumus in eisdem.

C. IX. *Rectores Ecclesiarum Ordines requisitos recipiant.*

In beneficiis vero, quibus licet per vicarios deservire, volumus sic servari, ut viri idonei, loci Episcopo præsententur, qui per se vel per alios ipsos in hujusmodi Vicariis perpetuet, & sufficientem suis necessitatibus de Ecclesiarum reditibus eis constituat portionem: alioquin singuli Episcopi per suas diœceses elapso trimestri tempore providere curabunt.

C. X. De præsentatione Vicariorum.

Edicto perpetuo prohibemus, ne Clerici comam nutriant, maximè Sacerdotes, qui taliter tondeantur, ut pateant eis aures. Cæteri inferioris ordinis Clerici in tonsura non multum discrepent ab eisdem, coronam & desuper congruentem habeant.

C. XI. *Clerici comam non nutriant.*

Vestes non deferant nisi clausas, quas omnimodo prohibemus à latere aperiri. Argentatis aut quocunque metallo (*a*) ordinatis cingulis, fibulis, nodulis, in manicis & capitiis non utantur; sed nec procedant in publicum (*b*) circumcincti veste suprema. In pileis suffurraturas non habeant, nisi fortè de nigro cenlato, vel panno, aut nigra pelle (*c*) aguna. Caudata pilea districtissimè prohibemus.

*Vestes clausas deferant.*

(*a*) Ornatis. BASN.

(*b*) *Fort. nisi circumcincti.*

(*c*) *Fort. agnina.*

Clericus non viator, in sacris ordinibus constitutus, aut Monachus, vel Canonicus regularis, si tabernam intraverit sine causa evidenti, rationabili & honesta, ibique bibens aut comedens, aut in vicino loco servienti tabernæ, vel aliàs publico aliquantulam moram traxerit, ab officio sit suspensus, donec unum diem in pane & aqua jejunet. Si ibidem luserit ad aleas vel taxillos, ab officio sit suspensus, donec duos dies in pane & aqua jejunet. Sed in his (*d*) tertio deprehensus consuetudinem non amittat, aut si suspensus ingesserit se divinis, per sententiam Episcopi privetur beneficio, si quod habet; si non habet, pro Episcopi arbitrio puniatur.

C. XII. *Clerici non viatores tabernas ne ingrediantur.*

(*d*) Adde si. BASN.

Sacerdos, qui excommunicatione aut officii suspensione ligatus animo indurato præsumpserit profanare divina, Episcopali carceri mancipetur, usque ad expiationem tanti criminis puniendus; & hoc idem in Clerico, seu Religioso, in furto vel alias in enormi crimine deprehenso, volumus observari.

C. XIII. *Clericus excommunicatus sacra profanans carceri mancipetur.*

Qui Clericum vel Monachum pro excessibus suis à Prælato suo rationabiliter captivatum præsumpserit facto carcere liberare, ipso facto sententia excommunicationis, quam ex nunc in ipsum proferimus, sit ligatus: & si possibile fuerit, qui non liberandum liberat, pœnam patiatur, & carcerem, & in locum subeat injustè liberati.

C XIV. *Clericum rationabiliter captum facto carcere liberans.*

Nullus deinceps Prælatus, nullus plebanus, nullus alius, cujuscunque ordinis vel religionis existat, masculum aut fœminam tonsurare, aut benedicere sibi vestes præsumat, nisi certam de approbatis profiteatur regulam, & se destinet certo loco: Eos vero vel eas, qui vel quæ contrarium fecerint, à locorum rectoribus vel plebanis per censuram Ecclesiasticam, monitione præmissa, compelli præcipimus; aut certæ Religioni se conferant, aut religionis vestem, quæ vagandi eis præstet materiam & opportunitatem accommodat delinquendi, abjiciant; ne irregularem vitam religiosa vestis obumbret. Hoc statutum tantum extendi volumus in futurum.

C. XV. *Prælati neminem tondeant aut benedicant, nisi approbatam profiteatur regulam.*

Sub vagorum scholarium nomine quidam per Saltzb. provinciam discurrentes Monasteriis & Ecclesiis se exhibent adeò onerosos, quod per eorum importunitatis audaciam, nonnunquam Clerici illud eis erogare coguntur, de quo fuit necessitatibus pauperum providendum: de negantibus sibi suffragia (per quæ occasionem nutriunt malæ vitæ) calumnias inferunt; conferentibus sibi quod postulant, vituperium existunt: reverentiæ Clericali utique multum detrahitur, dum blasphemia hujusmodi se personas Ecclesiasticas profitentur. Ut autem viri hujusmodi per subtractionem nostri & nobis subditorum suffragii resipiscere compellantur, auctoritate sacri Concilii prohibemus, ne quis Prælatorum, Plebanorum aut Vicariorum, seu quæcunque persona Ecclesiastica post spacium duorum mensium, infra quem terminum de ordinata

C. XVI. *Contra vagos scholares.* Fahrende Schuler.



Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1274.

sibi vita provideant, ipsis aliquid beneficii, vel juvaminis erogare præsumat. Qui contrarium fecerit, tamdiu ab ingressu Ecclesiæ sit suspensus, donec in subsidium terræ sanctæ usualis monetæ conferat unam libram. Hanc tamen constitutionem extendi nolumus ad pauperes advenas, & pro necessitatibus suis publicè mendicantes.

C. XVII. *Ludi quidam in Ecclesia prohibentur.*

Ad hæc quidam ludi noxii, quos vulgaris elocutio (*a*) Eptus puor. appellat, in quibusdam Ecclesiis exercentur adeo insolenter, quod nonnunquam enormes culpæ & damna gravia subsequuntur ex ipsis. Hos ludos in Ecclesiis, & à personis Ecclesiasticis de cætero fieri prohibemus; nisi fortè parvi XVI. annorum & infra fuerint, qui hujusmodi ludos exercent; quibus alii seniores ipsis nullatenus se misceant, aut interfint.

C. XVIII. *Sententias censuraram, quas unus ex nobis justè protulerit, cæteri quoque publicent.*

Sententias excommunicationis, suspensionis, aut interdicti, quas unus ex nobis justè protulerit, cæteri per civitates suas publicabunt, & à suis faciant subditis, usque ad satisfactionem condignam, inviolabiliter observari: sic ut ad puniendum scelera perversorum celeritate communi nobis invicem succurramus.

C. XIX. *Festa S. Ruberti, Virgilii & Augustini celebrentur.*

Patres nostros venerabiles & patronos venerabiliter honorandos B. S. Rupertum, Virgilium, & Augustinum, honoribus debitis, nostræ humilitatis obsequiis venerantes, dies festorum suorum celebres esse volumus; & sub pœna excommunicationis præcipimus in eisdem diebus ab omni servili opere abstineri.

C. XX. *Religiosus extra professionem suam Confessorem non eligat.*

Nulli Religioso liceat extra suam Professionem vel Ordinem sibi eligere confessorem, nisi de Prælati sui licentia speciali.

C. XXI. *Pœna Religiosorum qui legitime correcti invocant brachium seculare.*

Si adversus correctionem Superioris sui monachus aut Religiosus quicunque secularis personæ adjutorium aut potentiam duxerit invocandam, si hujusmodi invocatione usus fuerit, carcerali custodia tanto tempore concludatur, donec præsumptionem hujusmodi pro Superioris arbitrio pœna sufficiens recompenset. Et ut aliis talia præsumendi pœnæ duritia sit terrori, præsumptionem hujusmodi nullo unquam tempore in eadem Ecclesia seu Monasterio cujusquam dignitatis vel administrationis officium consequatur; aliàs etiam pro Superioris arbitrio legitime puniendus.

C. XXII. *Guidonis Cardinalis statutum observetur.*

Statutum venerandæ memoriæ Domini Gwidonis, quondam tituli S. Laurentii in Lucina presbyteri Card. quondam in nostra provincia A. S. Leg. quo salubriter est provisum, ut in diœcesi, in qua contingit Prælatum aliquem aut Canonicum cathedralis Ecclesiæ captivari, cessetur generaliter à Divinis, pro necessitate (*a*) corporis, ad nos Archiepiscopum & Episcopos extendentes, præsenti constituimus edicto, ut si (quod absit) Archiepiscopum vel Episcopum ex nobis captivari contingat, aut Ecclesias nostras vel alterius nostrum sic hostiliter & injuriosè invadi, ut de subversione status ipsius probabiliter timeatur, ex tunc per totam provinciam Saltzb. cessetur generaliter à Divinis; postquam de captivitate aut persecutione hujusmodi per provinciam innotuerit manifestè. Personis tamen illustribus decoratis Principum dignitate, pro ipsorum reverentia deferentes, præsens edictum ad eos & terras eorum extendi nolumus, nisi prius admoniti cessare contempserint ab offensis hujusmodi, nec emendare voluerint infra unius mensis spacium, quod fecerunt.

(*a*) *Fort. temporis.*

C. XXIII. *Contra recipientes Prælaturam aut Ecclesias de manu laicorum.*

Adversus præsumptionem damnabilem Clericorum, Prælaturas aut Parochiales Ecclesias temeritate propria occupantium, aut recipientium de manibus laicorum, antequam per diœcesanum loci, vel superiorem ejus, si ipse facere quod tenetur neglexerit; fuerit investitus; auctoritate (*b*) ]ɔ. ɔc. jure, si quod habet in beneficio eodem, sit ipso jure privatus; & nihilominus ipso facto sententiam excommunicationis incurrat: in qua si per annum perstiterit contumaciter animo indurato, ab omni Ecclesiastico beneficio removeatur, tanquam inhabilis & indignus, nunquam de cætero ad aliquod aliud beneficium admittendus. Hanc & Constitutionem incidere volumus, qui jam in præmissis delinquere præsumserunt.

(*b*) *Antonius Veleterus, monuit his notis hanc lectionem subesse:* prælentis Concilii. *Nihil opinor certius.*

C. XXIV. De Advocatis Ecclesiarum.

Præsentis auctoritate Concilii Ecclesiarum Advocatos, qui Ecclesias onerant, ultra consuetam & debitam servitutem, ac per hoc Ecclesiarum libertates violant & infringunt, publicè commonemus, ut ab indebitis vexationibus Ecclesiarum & bonis ipsarum abstineant, & juris debitis sint contenti; alioquin adversus eorum injuriam mediante justitia refrænandam, ad concessa nobis juris beneficia recurremus.

(*a*) Canisius legebat *Episcopatus Puerorum*, recte quidem! Sed quid erant illi ludi puerorum, è quibus oriebantur enormes culpæ & damna gravia in quibusdam Ecclesiis? Nisi sint illi ludi similes Athanasiano, qui dum puer esset, electus est Episcopus à pueris in arenâ maris secum ludentibus. Inde poterant oriri factiones, jurgia pugnæ. De his ludis agitur forsan in Chronico montis Sereni an. 1137. Accidit *ut in ludo, qui vocatur puerorum, cui ipse intererat, puer quidam conculcatus moreretur.* Aderant, ut patet, his ludis viri jam ætate graves, pueris immixti, inde certamina, inde mors aliquorum. Mirandum solummodo hæc tolerari, modò adolescentes tantum hæc agerent, idque in Ecclesiâ. BASN.

DE

Digitized by Google

DE

# VITA ET MIRACULIS S. ERMINOLDI,

*Nobilis Suevi, in Hirſaugienſi cœnobio monachi, Abbatis Lorſacenſis,*

ET POSTEA

## PRIMI ABBATIS

IN

PRUFENINGENSI

Monaſterio prope RATISPONAM, à Sancto OTTONE BAMBERGENSI Epiſcopo ædificato.

## LIBRI DUO.

JUSSU

## ULRICI, DECIMI SEXTI

ABBATIS PRUFENINGENSIS.

ANNO M.CCLXXXI.

*Conſcripti à*

## MONACHO PRUFENINGENSI.



Digitized by Google

# JACOBI BASNAGII
## DE
# VITA ET MIRACULIS SANCTI ERMINOLDI,
# OBSERVATIO.

SÆC. XIII. ANNO 1281.

AUthor hujus vitæ fuit Monachus Sancti Georgii in *Prufeningen*. Nomen ejus ignotum. Ita ut ne conjecturis quidem indulgere liceat. Res pauci momenti: Vixit ille Sæculo decimo tertio. De tempore, quo scripsit, nemini dubium esse potest, qui hæc verba legerit in Præfatione Libri primi: *Venerabilis Pater Ulricus, sextus decimus Abbas Priveningensis Ecclesiæ, qui Antecessoris virtutibus coëxultans, anno incarnationis Dominicæ* 1281. *primo anno sui regiminis, opus hoc Atlanticum nobis tanquam Pigmeis imposuit.* Monachus ex mandato Abbatis sui Ulrici, huic operi incubuit ann. 1281. Ediderat illam vitam *Surius*, sed mutato stilo multa in compendium redegerat:

Hic igitur ex m. s. Codice sincere describitur. Quamquam autem author totus sit in narrandis Miraculis, quæ ideo minorem merentur fidem, quod ea *auribus audiverat*; aliqua sunt tamen legenda. Narrat Scriptor, Erminoldi cadaver à miraculis patrandis per plurimos annos abstinuisse, deinde vero anno 1200. supremum Numen in cœlis propitium sibi cæterisque mortalibus ita reddidisse Erminoldum, ut denuo novis virtutibus fulgeret in terris. Fragrantissimus odor corpore jam diu sepulto emanans fuit sanctitatis indicium, deinde januis clausis aditum in Ecclesiam, eadem facilitate ac olim, ut ajunt, Christus aditum sibi fecit. Quæ forsan tanquam falsa, imo absurda credant alii. Sed illud potissimum notandum, ipsum viventem Erminoldum restitisse Imperatori *Henrico* V. Ita ut Monasterii ostia obserari præceperit, ne Imperatori vel ejus comitibus ulla introeundi via pateret; ideoque *Nathani* & *Eliæ* comparatur. Irarum causa fuit excommunicatio, quam Abbas *ore suo promulgaverat*, cum lis de *Investituris* agitaretur.

Inde patet *Erminoldum* vixisse sæculo duodecimo; transiit enim ad Superos anno 1121. Distinguendus igitur ab alio *Erminoldo*, qui vitam *Soli* descripsit, sæculo nono, ut superius observatum.

Est autem *Prufening* Monasterium celeberrimum prope *Ratisponam* Ordinis Benedictinorum, fundatorem habuit Pomeranorum Apostolum, Episcopum Bambergensem, *Othonem* nomine; Fuit autem primus Abbas Erminoldus, nobili prosapia apud Suevos ortus, Hirsaugiensis Monachus, dein Abbas, Anno 1109.

IN-

Digitized by Google

# INCIPIT PROLOGUS IN VITAM S. ERMINOLDI,

## *Primi Abbatis in Prufingen, Rhetorico ſtilo conſcriptam.*

NOviſſime diebus iſtis, in quibus (proh dolor) juxta Pſalmiſtæ querelam, defecit ſanctus, & diminutæ ſunt à filiis hominum veritates, bonorum antecedentium ſanctitatem & ſcripto recolere, & memoriæ tradere poſterum, tam rationis inſtinctu monemur, quam ipſa utilitate allicimur & profectu. Denique Sanctus Sanctorum à quo Sanctitas omnis tanquam à fonte primario, ſcaturigine multiformi permanat *in ſanctos*, in rivulorum limpida puritate dum noſcitur & laudatur ſui ſitim *in eis*, excitat ſalutarem, qui ab eo dulcedinem derivatam in ſuorum mirifica ſuavitate legendo præſentiunt & prægustant. Accedit ad hoc quod nos qui futuram inquirimus civitatem, manentem in hoc ſæculo non habentes, dum in hujus vitæ ac viæ procinctu eorum calles aſpicimus, qui tam adverſantis mundi ſiniſtram, quam blandientis dextram contemnendo, viam regiam incedentes ſervaverunt, ipſi quoque rectorum recta ſectando veſtigia, non abducimur ad intorta compita deviantium plurimorum, qui ſe ſequentes illaqueant & illaqueatos immergunt doloribus ſempiternis. Poſtremo illud quoque ſanctorum bona commemorando conſequimur & ſcribendo, quod illorum eo ipſo meremur auxiliis adjuvari, quo eorum virtutibus congaudemus & gloriæ. Dumque alios hæc legentes ad ſtudium boni bonorum accendimus & monemus exemplis, ipſorum nobis, quos provocavimus, interceſſio conſequitur, & à Domino, in quo laboramus, certa remuneratio comparatur. Iſta conſiderando ad Beatiſſimi ERMINOLDI (a) PRIVENINGENSIS Eccleſiæ *primi Abbatis* geſta magnifica deſcribenda, curſum ſtili dirigimus, qui gregis noſtri tanquam Aries quidam inſignis & prædux, & fideliſſimus Protopaſtor, ad caulas ſummi paſtoris æthereas nos præceſſit. Nec tam arduum opus aggredimur, in noſtris, quæ nullæ ſunt, viribus confidentes, ſed in eo, ſine quo nec incipi poteſt bonum aliquod, nec compleri. Animat nos præterea, & id tentandi præſtat audaciam ipſe inchoationis hujus inſtinctor præcipuus & injunctor, venerabilis ſcilicet Pater, Dominus *Vlricus*, ſextusdecimus Abbas Priveningenſis Eccleſiæ, qui anteceſſoris tanti virtutibus coëxultans, ac per hoc nequaquam carens ipſe virtutibus, anno incarnationis dominicæ M. CC. LXXXI. primo anno ſui regiminis, onus hoc *Atlanticum nobis tanquam pigmeis impoſuit*, uno eodemque præcepto ſuo ac juſſu, authoritatis ſuæ ſcutum opponens linguæ calumnianti, quæ nos præſumptionis forſan argueret, & inſufficientiæ noſtræ deſperationis obicem auferens, & auſum conferens ad injuncta. Scriptum autem ſcientes eſſe: Nunquid Deus indiget veſtro mendacio, ut pro illo laquamini dolos, optantes nos ad exprimenda vera ſufficere, nihil circa rem geſtam addere vel mutare conabimur, nihil de proprio confingemus, ſed ut fidelis ad nos uſque traduxit antiquitas * ſive veritate ſervata, ſtilum aliquanto tentabimus facere comptiorem, ne rei utilitas, tamquam Falerni nobilitas ac dulcedo, ob ruditatem incultioris eloquii, tanquam ob vaſculi cariem contemnatur. Sæpius etenim crater tornatilis & elegans, potum bonum & bibilem meliorat; deformis vero catinus infuſi & nectaris minuit ſuavitatem.

SÆC. XIII. ANNO 1281.

*Pſalm. 11.*

*Hebr. 13.*

(a) Lege Prufeningenſis.

*Job. 15.*

* forte ſententiæ, aut, ſua.

### *INCIPIT VITA.*

IGitur cum Apoſtolicæ prædicationis in omnes terram ſonus exiſſet, & in fines orbis terræ verba eorum, granorum more diſperſa, per campos mundi latiſſimos & patentes, in fructus proficerent copioſos, & ex omni natione quæ ſub cœlo eſt, cœli horrea

*Pſal. 18.*



Digitized by Google

Sæc. XIII. Anno 1281. horrea meſſe fidelium replerentur, *Alimaniæ* quoque deſerta in ubertatem verſa, virorum illuſtrium plures dignos agricolæ Chriſto manipulos protulerunt. Ex quibus *Auguſta* quidem rutilat *Vdalrico*, *Chunrado*, *Conſtantia* ſuffloreſcit: Alio *Vdalrico Hirſaugia* venuſtatur, gloriatur *Henrico* & *Chunegunda* ſua *Babenberch* & *Ottone*: *Altach* ac *Hyldenshaim Godehardo* illuſtratur. Alia quoque *Germaniæ* loca quam plurima plúribus aliis tantis & tot exultant, quod ut de his taceatur, quos vel hominis ſegnis ignavia, vel incuria ſucceſſorum, ſeu etiam diutini temporis intercurſus, memoriæ humanæ ſubtraxit, quos tamen indelebiliter continet vitæ liber, melius ac fœlicius ſemper in Dei præſentia, quam in noſtra memoria brevi ac momentanea conſtitutos. Si liceret, horum omnium vellemus mentionem facere nominatim, quorum nomina & virtutes, vivacis ſcripturæ tenacitas adhuc quaſi cujusdam indicis oſtenſione præſentat, numeroſitate ſola vocabulorum capaciſſimi certe codices conderentur. Hæc idcirco diximus ut in gaudio recordemur, quomodo terra noſtra per infidelitatem quondam ſterilis peperit plurimos vere ac veraciter Samueles: qui licet in ſuo quiſque loco diviſi, in uno tamen ſpiritu, prout vult, ſingulis dividente, ſoli Domino laudabiliter, ut quondam ille Samuel, ſervierunt, in ſanctitate & juſtitia coram illo. Inter quos Deus omnipotens ſimilem illum fecit in gloria ſanctorum, de quo ſcripturi ſumus, Beatiſſimum ſcilicet *Erminoldum*, *Pruvingenſem* primum Abbatem, ſpeculum ſui temporis & exemplar, & poſterorum lumen & jubar illuſtre. Et tu ergo Eccleſia *Pruvingenſis* nequaquam minima es in præcipuis Monaſteriis *Alemaniæ*, ex te enim exiit, non quidem carnis exortu, ſed ſpiritus tranſitu ex hoc mundo ad Patrem, venerabilis ille Dux, qui de vitæ ſæcularis Ægypto eductus, vita pariter & virtute Moyſaica, Pharaone, id. eſt, principe mundi relicto, ad terram veræ promiſſionis, ut alter Joſue, te præceſſit, Seon regem Amorreorum & Og regem Baſan & omnia regna Chanaan, per quæ multiformis informitas intelligitur vitiorum, ſtrenuo ante congreſſus triumphans. Ad cujus illuſtria tandem calamus ſe convertat, quem ſpiritus ſanctus & temperare & irrigare dignetur, qui ejus quem deſcripturus eſt, tanquam venerabilis templi ſui conſecrator pariter extitit & poſſeſſor.

Viri celebres in Germania.

*Philip. 4.*

1. *Cor.* 12. 1. *Reg.* 3. 1. *Theſſ.* 3. *Epheſ.* 4. *Luc.* 1. *Mich.* 5.

## *De origine S. Erminoldi.*

II. Erminoldi genus. BEatus igitur Erminoldus de gente Suevorum progenitoribus quidem exortus eſt modo ſæculari ſatis claris. Qui conceſſo ſibi pignore tali divinitus, Dei gratiæ non ingrati, filium ſuum in Hirſaugienſi cœnobio divinis curaverunt obſequiis mancipare. Annæ illius utique ſpiritu non carentes, ut ſicut alter Samuel à juventute ſua & uſque in ſenectam & ſenium coram domino miniſtrare conſueſceret in eodem. In quo videlicet ſtudio pietatis deſiderium eorum attulit eis Dominus, nec ſunt fraudati à deſiderio ſuo, dum quod omnimodis optaverunt completum ſibique conceſſum in filio lætabantur. Denique puer erat ingenuoſus, & ſortitus eſt animam bonam, & ingenii quidem capacitate ſcientiam præpollentem, ac animæ bonitate virtutes eximias apprehendit, bonitatem & diſciplinam & ſcientiam doctus à Spiritu, à quo profecto ductus eſt in deſertum vitæ clauſtralis. Ubi licet à Diabolo tentaretur, membrum tamen inſigne capiti Chriſto cohærens, & capitis armatura triumphans exivit vincens ut vinceret, & victor coronam perciperet repromiſſam. Beati igitur Regulam *Benedicti*, benedictus ipſe à Domino tanquam regni tramitem apprehendens, iter vitæ ſuæ ſecundum ſtatutum illius ita direxit, ut Abbas ex Monacho, magiſter fieri ex diſcipulo mereretur. Siquidem beati *Wilhelmi*, tunc *Hirſaugienſis* Abbatis, vitæ modum ac formam ita moribus ſuis impreſſit, ita perfectionis illius ſtuduit imitari veſtigia, ut jam qualis pater talis filius appareret, & magiſter in diſcipulo videretur, & nulla jam poſſet eſſe dubietas, ſuper hunc Heliſeum ſpiritum Heliæ & requieviſſe. Idem vero venerabilis *Wilhelmus*, apud Eccleſiam S. Martyris *Emmerani* in urbe *Ratispona* ſub ſancto *Ramuoldo*, ejusdem Monaſterii tunc Abbate, Prior extiterat, non fama fallaci ſolummodo, ſed veraci præconio meritorum longe lateque clareſcens, ad *Hirſaugienſem* eſt electus Eccleſiam, in qua eatus, ut dictum eſt, *Erminoldus* ſub eodem Spiritualis militiæ tyrocinia taliter exercebat, ut non longi temporis interfluxu, ſignifer ex athleta, ex ſatellite campiductor, & ex milite primicerius crearetur.

*Sap.* 8.

## *Quomodo S. Erminoldus prælatus eſt monaſterio Lorſacenſi in Abbatem.*

III. Fit Abbas. (a) huic tamen reſtitit ob inveſtituras. Basn. DEnique ſanctitatis illius tam ſonora vox in Rama audita eſt circumquaque, ut lucernam ſub modio ſeu vaſe ſubjectionis ulterius tegi non ſineret vel abſcondi, ſed ſuper candelabrum poni regiminis perſuaderet. Unde factum eſt, ut tam fratrum electione communi, quàm *Henrici* Imperatoris (a) ejuſdem nominis quinti, conſenſu atque favore, ad *Lorſacenſis* Eccleſiæ regimen vocaretur, quæ regalis eſt Abbatia, illis-

Digitized by Google

illisque diebus & in copia rerum temporalium abundabat, & in prærogativis plurimis dignitatum. Hic itaque fidelis servus & prudens super familiam Domini constitutus, subjectis tamen non tam præesse studuit, quàm prodesse, nihil subditis faciendum injungens, quod ipse, exempli causa, non primitus pertulisset. Etenim jugum ab adolescentia sua portaverat, & ipse majorum ferendo mandata, imponenda minoribus prædidicerat temperare; Pharisæorum Scribarumque nota prorsus immunis, qui alligant onera importabilia, & ea humeris hominum, juxta sententiam Salvatoris, imponunt, ipsi ea digito non moventes. Non sic iste, non sic, sed instar boni pastoris forma factus gregis ex animo, creditas sibi verbo pavit oviculas: Pavit exemplo sanctorum, pavit desiderio & subsidio temporali. Propter quod grex qui datus est sibi pecus inclitum suum, nec imminitus est numero, sed adauctus, nec defecerunt sub ejus cura subsidia temporalia subditis, sed creverunt. Etenim tum in diebus sui regiminis, & numero subditi sui & merito pariter augerentur, nec de multitudine subjectorum, nec de temporalium affluentia, nec de culmine dignitatis intumuit, sed magis in sanctitate atque profectu discipulorum quàm in excellentia prælaturæ vel magisterii lætabatur, quod perpendi faciliter poterit per subjecta.

SÆC. XIII. ANNO 1281. *Matth. 25. Thren. 3.* *Matth. 23.* *1. Pet. 5.*

### *Quod resignavit prælaturam.*

IV. Prælaturam resignat.

FRatrem namque carnalem vir Dei habebat, præter titulum sanguinis generosi, satis superque & in divitiis abundantem. Quodam verò die cum veniissent viri Imperatoris, ut assisterent coram illo, affuit inter eos & ille viri sancti germanus. Cui ridens Augustus, animo fortè jocandi, Causa, inquit, tuæ dilectionis fratrem tuum regali præfecimus Abbatiæ, facientes sibi nomen grande, juxta nomen magnorum qui celebrantur in terra, ut sedeat cum Principibus & solium gloriæ teneat inter illos. In quo igitur majestatis nostræ munificentiæ respondebis? Et ille; Vera, inquit, esse omnia recognosco, quæ proponit vestra serenitas, arbitrorque dignissimum, ut vestræ non ingratus inveniar pietati. Dictum duxit in actum, nec multo post decentibus satis Imperatorem muneribus honoravit, famulo Domini *Erminoldo* tàm dicta Imperatoris, quàm facta germani penitus ignorante. Cæterum mox ubi ad eum res gesta devenit, licet horum omnium nec conscius extitisset, *Lorsacensem* resignavit Abbatiam, protinus tàm curæ se subtrahens pastorali, quam vel notæ levissimæ Simoniacæ pravitatis. Advertendum est igitur quam execrabile duxisset hic sanctus per tale se vitium maculasse, ut & Prælaturam retinere detestaretur, pro qua nihil unquam datum, licet præbitum esset, adipiscenda, sed pro jam adepta & de post facto frater suus Imperatori grates per munera retulisset.

### *Quod rediit ad Ecclesiam Hirsaugiensem.*

V. Redit ad Hirsaugiensem Ecclesiam. *Gen. 8.* *Joan. 15.* *Gen. 32.* *Joan. 6.* *Gal. 4.*

RElicto igitur Regimine *Lorsacensi*, tanquam bonæ opinionis ac famæ diluvio ad arcam requiei suæ, id est, ad *Hirsaugiensem* Ecclesiam & ad suum Noe, Beatum videlicet *Wilhelmum*, tanquam emissa columba revertitur, non sine ramo tamen virentibus foliis venustato. Nam secuti sunt eum discipuli ejus, non minus quàm quadraginta, quos apud *Lorsacum* sub spacio unius anni quo inibi præfuit, Deo collegerat, ut quam fructuosus in vera vite palmes hic esset, ipsa ubertate geniminis monstraretur. Denique in baculo suo curæ videlicet pastoralis, solus transierat ad *Lorsacense* Cœnobium, & nunc cum turmis discipulorum revertebatur *Hirsaugiam*: quorum collectio tanquam ramusculus de hac sancta radice consurgens, paternæ virtutis gratia virescebat. Hi ergo ab eo separari non sustinentes, sicut oviculæ, dicentes non quidem verbis sed facto: *Verba vitæ æternæ habes, ad quem ibimus?* pastorem suum usque *Hirsaugiam* sequebantur. Ubi & tanquam Angelus *Domini* cum honore susceptus, benignissimè pertractatur, quippe cujus ibi sanctitatis præconia non latebant. Porro propter nos homines & propter nostram salutem, qui præsentem locum incolimus à Domino factum est istud, ut occasione quacunque oliva fructifera & vere vitis abundans illic evelleretur & transplantaretur in hac vinea *Domini* Sabaoth, quam dextra Domini per sanctum *Ottonem, Bambergensem* Episcopum, tunc fundaverat & compleverat, ut hæc novella recensque plantatio de mundi Ægypto translata, mitteret altius sub tam industrio vinitore radices, dum quod sanctus *Otto* plantaverat, hic rigaret, utriuslibet meritis & obtentu Domino dante desuper incrementum. Deo igitur nobis melius aliquid providente, quam humana solertia prævaleret, actum esse non ambigamus, quod columbinam hanc animam, & venalitatis, ut dictum est, Symoniacæ putre contagium sic horrentem, archa *Hirsaugiæ*, à prima missione recepit, ut occasione hac secundario mitteretur, unde non esset ulterius reversura. Ipso siquidem tempore Deo dignus antistes *Otto*, Episcopus Bambergensis, Monasterium, sicut dixi-

Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1281.

ximus, *Pruvienungenſe* fundaverat, cujus quidem poſſeſſionem ac fundum, intercedente coëmptione legitima, juſtiſque concambiis, noſtro dominio comparavit, cum antea juris alterius extitiſſet. Cæterum non humana voluntate allata eſt eadem fundandi voluntas, verum revelatione ſibi facta divinitus evidenti, cujus opportuna occaſione accepta hic modum ac ſeriem inſeremus.

## *De fundatione Eccleſiæ Prufinge.*

VI. Prufingenſis Eccleſiæ fundatio.

HEnricus etenim, quintus ejuſdem nominis, Imperator *Ratiſponæ* curiam ſolemnem indixerat regni principibus univerſis, & miſit ſcriptum ſuum hora curiæ memoratæ, convocatis dicere ut venirent. Itaque cum turba plurima conveniret, & de civitatibus properarent ad Curiam Auguſtalem, affuit & venerabilis *Otto Bambergenſis* Antiſtes, velut alter * dictus, fidelis in omnibus, egrediens & regrediens, & pergens ad imperium dicti regis. Verum Ratiſponæ non habens, ubi caput ſuum reclinare valeret ad commodum, quoniam Domino diſponente civitas ipſa repleta erat hominibus quaſi (*a*) bruco, domibus omnibus occupatis, memorabilis Pontifex turbulentiam turbæ tumultuoſæ devitans, urbe relicta ſibi ac ſuis elegit campi planiciem, quem nunc muri loci hujus includunt. Hic igitur inter duas arbores nucum, quæ tunc ornaverunt faciem campi ejuſdem, tentorium Sancti Præſulis figebatur. De quibus nimirum arboribus & longe antequam id quod nunc dicendum eſt eveniret, tinnitus & ſtrepitus campanarum, viſus eſt multociens ſonuiſſe, quem in vicinia demorantes non ſine ſtupore frequentius audierunt, qui ut re ipſa jam declaratur, futuram quandoque ibi cultus divini frequentiam utique portendebat. Quo in loco cum dies abſceſſerat, noctemque ſol reduxerat jam occumbens, recumbens ibi vir Dei ſomnum oculis ſuis dedit, dormitationem & palpebris tempori congruentem. Et ecce, qui locutus eſt in viſione ſanctis ſuis antiquitus, ut juvenes quoque noſtri viſiones videre per illum, & ſenes noſtri ſomnia ſomniare demonſtrarentur, novo Jacob, Patriarchæ ſuo, inſigni videlicet *Ottoni*, ut merito Iſrael nomen acciperet, ad imaginem & ſimilitudinem ſomnii priſci Jacob, conforme omnino ſomnium revelavit. Videt etenim à lecto ſuo porrectam ſcalam cœloſque ſummitate tangentem, in qua etiam Angeli aſcenſus ſuos atque deſcenſus, amicis vicibus alternabant. (*b*) Quo profecto dabatur intelligi, non defuturos in hoc loco quam plures, qui ad proximum ſublevandum cum Martha pia compaſſione deſcenderent, & aſcenderent cum Maria celſitudinem Domini contemplando. Vir itaque ſanctus evigilans, & prudenter intelligens quæ videre meruerat, nihil eorum obmiſit ſpiritualiter, in fundatione, conſummatione ac conſecratione complere cœnobii, quæ prior ille Jacob in viſionis ſuæ loco peregit, domum hic Dei veraciter & portam cœli quam plurimis conſtruendo.

* *forte:* Henricus.

## *Quod Sanctus Erminoldus factus eſt primus Abbas Prufinge.*

VII. Erminoldus fit Abbas Prufingenſis.

MOnaſterio igitur hic fundato & conſummato ſecundum Dei quam intellexerat voluntatem, virum vir ſanctus idoneum æſtuanti animo requirebat, qui Chriſti familiæ colligendæ, in domo quam ſibi conſtruxit, in tempore ſuo poſſet tritici dare menſuram, quique, ut rei eventus, viſioni congrueret, per ſcalam religionis hic aſcenſuros, quindecim graduum verbo & exemplo poſſet docere myſteria, quòque prævio aſcenſiones in corde ſuo diſponere diſcerent pedetentim in valle lachrymarum, loco quem poſuit ipſe fundator, donec dante benedictione ſummo legiſlatore, euntes de virtute ad virtutem, Deum Deorum in Sion videre perpetuo mererentur. Cum igitur quæreretur inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniretur, non eſt inventus ſimilis illi, de quo nunc agitur, Beato videlicet *Erminoldo*, quem Dominus lucernam Chriſto ſuo paraverat, ut ardens & lucens hujus cœnobii ruditatem noviciam & ob hoc cæcucientem adhuc intellectu & affectu torpentem, & ſanctitate converſationis accenderet & exempli, & eruditionis atque doctrinæ ſplendoribus illuſtraret. Hujus itaque famam beatus *Otto* comperiens, miſſis ad eum & Abbatem ſuum epiſtolis ab utrolibet impetravit, ut recens incultumque novale colendum aſſumeret, & jam præexercitus agricola, manum ad aratrum mitteret ſulcatricem, *Prufingenſis* cœnobii terram patrio viſitaret adventu & inebriaret ſacræ inſtitutionis irriguo, locupletaretque multiplici germine meritorum.

*Luc.* 12.

*Gen.* 28.

*Pſal.* 83.

*Quam*

(*a*) Locuſtarum ſpecies; ea voce uſus olim Hieronymus in Malach. c. 3. Fieri poteſt, ut agros irrigantibus pluviis ſit quidem fertilitas, verum aut *locuſta, aut bruchus, aut erugo deſtruant, & labores hominum* pereant. Nec obſtat quod de locuſta loquatur; nam illa voce ſtricte utitur, dum varia locuſtarum genera deſcribit. BASN. (*b*) Vix pati poterit lector Chriſtianus talia miracula, vetuſtiſſimis Patribus unice propria, neotericis vindicari. BASN.

Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1281.

### *Quam ſanctè vixerit in Abbatia.*

MIſſus igitur de *Hirſaugia* primus Abbas, ad nutum Domini noſtrum dictantis honorem, Eccleſiæ noſtræ præficitur, benedixitque nobis Dominus ad introitum ejus, in cujus utique nomine benedictus advenit, non ſine diſcipulorum atque confratrum honorabili comitatu. Denique in ſuſcepti regiminis culmen aſcendens, ſpeculatorem ſe domui Iſrael meminit conſtitutum, ita pro animabus commiſſorum ſibi pervigilans, tanquam redditurus pro eis Domino rationem, & juxta dictum beati Job, vere gallus habens intelligentiam ſubditos excitaturus ad bona, ſemetipſum ala exercitii ſpiritualis primitus excitavit; cavens utique reprobus inveniri vel ſomnolentus, dum vigilandum aliis prædicaret. Sane familiariſſimum ſemper habebat inſtare vigiliis, orationibus, & jejuniis inſudare, verbum domini prædicare, frequentius regnum Dei & juſtitiam ejus inquirere anhelanter, fugere gloriam temporalem, quærere ſempiternam. Proinde fide digniſſimi Seniores qui vitam ipſius agnoverant, conſtantiſſime teſtabantur nullam ſibi *ſeptiformis* ſpiritus gratiam defuiſſe, quod à conſiderantibus converſationem illius actusque magnificos faciliter poterat deprehendi. Nam quantum ſibi omnis gloria mundi viluerit, quantumque ſibi mundus fuerit crucifixus, & ipſe mundo, ſi nullo virtutum ejus indicio alio monſtraretur, eo ſolo diligentius advertenti pateſceret, quod ad mentis ejus conſtantiam declarandam, quam adverſus ſæculi tàm blandicias quàm terrores habebat, hoc loco duximus ſubſcribendum.

VIII. Coluit ſanctitatem. *Geneſ.* 30. *Ezech.* 3. *Job.* 38. *Galat.* 6.

### *Qualiter ſe oppoſuit Henrico Imperatori beatus Erminoldus.*

HEnricus aliquando Imperator cum propter exceſſus ſuos Papalis excommunicationis ſententiam incidiſſet, & tamen à religioſis ac magnis etiam Prælatis eccleſiæ, imperatoriæ dignitatis intuitu, honor ſibi ac ſolita reverentia deferretur, ob fundatoris noſtri præmemorati, quem non modicè diligebat, honorem pariter & amorem, cum ipſo fundatore grandem ſibi demonſtraturus affectum ad novellam ejus Eccleſiam viſitandam cum nobilium & magnorum pompa multiplici, ſicut mos eſt regius, adventabat. Jamque beatus *Erminoldus*, pater videlicet Monaſterii, tam propter Imperatoriæ celſitudinis claritatem, quam propter concomitantis cum eo & invitantis reverentiam fundatoris, cum compulſationibus campanarum, fratrumque proceſſione canora & reliquiarum ac vexillorum multiplici apparatu, longe inſuper extra ſepta cœnobii excepturus Cæſarem credebatur; ſed ſervus Dei talium ſe favori diſſimilem demonſtrabat. *Non enim cogitationes ſuæ cogitationes eorum, neque viæ ſuæ viæ illorum, qui conſuunt* pulvillos ſub omni cubito manus & precii parietem liniunt, adulando, & propter hoc in regum domibus mollibus veſtiuntur. Cæterum iſte non ut arundo, nec terroris, nec favoris vento quolibet agitata, ſed ut columna immobilis nec metu impellebatur, nec inclinabatur gratia qualicunque, ut ei vel occurſu ſolenni, vel blandicia ſalutationis applauderet, quem per ſententiam Apoſtolicam communione novit Eccleſiaſtica tunc privatum. Proinde cum adventum Imperatoris per prænuncios comperiſſet, omnia *Monaſterii oſtia obſerari præcepit*, ne vel Auguſto, ejusve Comitibus ulla introeundi via pateret, firmiter prohibens & diſtricte, ne quis egrederetur ad ſalutationem ſive exceptionis aliquam reverentiam exhibendam. Ipſe verò Imperatore adveniente ad eum ante clauſtri ſepta procedens, ne vel ex faſtu aliquo vel contemptu hoc agere crederetur, eo inſalutato, libenter, inquit, & officio ſalutandi, & exceptionis congrua reverentia, honorem tibi impenderem, Imperator, ſi te communione privatum Apoſtolicæ ſedis authoritate neſcirem. Et Imperator ratus, eum hæc non juſtitiæ Zelo, ſed ex cordis odio vel rancore proferre, tanquam offenſum pro eo, quod quondam ab ejus fratre munera recepiſſet, propter quæ *Lorſacenſem* reſignaverat Abbatiam, Nimis, ait, inconſulte ac præcipitanter honore vos tanto privaſtis. Cui ſuſpicioni Dei ſervus occurrens, columbina, ut erat ſimplicitate reſpondit: Novit *Deus* omnipotens corda ſcrutans & renes, non me hujus, ſi dici poſſet injuriæ memorem vel ultorem, ſed me feciſſe hæc & dixiſſe, juſtitiæ defendendæ intuitu & pro Papalis obſervatione mandati. At venerabilis *Otto* Epiſcopus medium ſe utrilibet interponens, Neminem, ait, devitare debemus & tenemur, de cujus nobis excommunicatione non conſtat. Quo contra vir Dei, fortitudinis quo plenus erat ſpiritu roboratus, nec gratiæ fundatoris, *nec Imperatoriæ deferens majeſtati*, quin veritatem liberè teſtaretur, Non poſſum, inquit, ſententiam ignorare, quam ore meo memini promulgatam. Talia perſtabat memorans fixusque manebat, à juſtitiæ ſuæ propoſito non recedens. Quid quæſo ja facto hoc ſanctus iſte minus feciſſe videtur, ab his qui magis obediendum

IX. Henrico repugnat. *Ezech.* 13. *Matth.* 11.



Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1281. Deo quam hominibus, principibus Sacerdotum in cauſa ſimili reſponderunt? Quid Apoſtolo Paulo, qui in caſu fermè eodem, ipſi ſe Cephæ reſtitiſſe in faciem gloriatur. Quid poſtremo *Ambroſio* præinſigni, qui Theodoſio inſigni Imperatori ſimiliter Eccleſiæ interdixit ingreſſum, donec pro commiſſis ſceleribus pœnitentiam ab eo ſuſciperet & compleret? Sed enim ſi ad antiquiora recurrimus, numquid eum comparare non poſſumus Samueli, nunquid non Nathan, nunquid non Heliſeo, Prophetiſque (a) quam plurimis? qui Regibus temporis ſui videlicet peccata ſua coram improperantes, vel ad pœnitentiam eos ſalutarem provocaverunt, vel divinam eis interminati ſunt terribiliter ultionem. Nimirum & Imperator in ſpiritu & virtute Heliæ iſta feciſſe beatum virum conſiderans, reverenter cum ſuis abſceſſit, non contemptæ majeſtatis, ut ſuorum aliqui voluiſſent, ultus injuriam, quod & in ſummo pontifice ipſum jam feciſſe viderant, ſed hominis Dei compertam deinceps ſemper amplius venerans ſanctitatem, quàm ſi caninæ adulationis cauda ſibi cum cæteris alluſiſſet, quod facilè per ſubſcripta poterit perpendi.

*Actor.* 5. *Galat.* 2.

(a) Diſſimilis plane cauſa.

### *Quod Imperator prohibuit milites ſuos, ne læderent fratres S. Erminoldi.*

X. Imperator tuetur fratres Erminoldi.

DEnique cum non multo poſt idem Princeps tranſitum faceret ante Cœnobium cum multitudine militari, fratres ad opera manuum, juxta morem, hortum fortè intraverunt, quem vilis tunc ſepes ambivit. Milites igitur qui præibant & qui ſequebantur Imperatorem, cum fratres in horto viderent, arbitrati principem memorem ſui contemptus, ſibique placere volentes, Ecce, inquiunt, *cucullati*, qui Dominum noſtrum temere deſpexerunt, nec imperialem ſibi dignati ſunt exhibere reverentiam, ipſum inſuper ſuis foribus præſumpſerunt excludere cum contemptu. Dent ergo pœnas opprobrii & proterviæ quas merentur, luant auſus enormes, non ferant impunè ſpreviſſe Cæſareum Diadema. Et milites quidem hæc dixerunt, & invaleſcebant voces eorum, odioque paſtoris dentes lupinos in ejus oviculas acuebant. Jamque jamque inſultum facturi in puſillum gregem Domini videbantur, ſed evenit aliter quam putabant. Nam exiit edictum à Cæſare non ſperatum, ne fratres videlicet illius omnino præſumerent moleſtare, vel verbo turbare vel facto. Sane non reliquit hominem nocere eis, & corripuit pro eis milites Imperator, contra quos incitaturus exercitum credebatur. Hic ſignificante Spiritu ſancto & demonſtrante, quod meritum beati *Erminoldi* abſentes & filios defenſaret, quomodo etſi corpore abſens, tamen ſpiritu præſens erat. Numquid igitur non Dominus magnificavit eum in timore inimicorum, & in verbis ſuis monſtra placavit, cujus abſentia etiam merita ipſe Princeps intelligens, propriæ deſpectionis oblitus, ea coram militibus attollebat. Nolite, ait, tangere Fratres iſtos, & in eis nolite ullatenus malignari; novi enim cujus Abbas eorum dignitatis ſit coram Deo, novi cujus ſit ſanctitatis, qui etſi mihi non detulit Zelo juſtitiæ, plurimum tamen ejus confido me ſanctis orationibus adjuvandum. Nimirum prudens Auguſtus prudenter adverterat, honorem Imperialem ſibi non tumoris alicujus faſtu à ſancto viro fuiſſe negatum, ſed magis in eo humilitatem obedientiæ mirabatur, qua maluit Apoſtolico ſubditus inveniri præcepto, quàm Cæſareum adulando venari favorem. Denique ut appareat, quoniam non ex typho ſuperbiæ, ſed ex zelo juſtitiæ Principem Romanorum Monaſterii ſeptis excluſit, nunc qua humilitate & benevolentia inferiores multò perſonas non ſolum exceperit, ſed inſuper invitavit, ſibi licet & ſuis adverſantes, duximus adnectendum, ut advertatur, quod altiſſimum mundi caput, quod honorandi etiam Monaſterii venit intuitu, non deſpexit ut vultuoſus aut contumax, qui Fratres mundo deſpectos, qui ſe ſuoſque inſuper moleſtare conſueverant, ad refectionis ſolatium invitavit ſubmiſſus & ſupplex, quod in his quæ ſubjicimus apparebit.

### *Quomodo Fratres S. Emmerammi pietate devicit.*

XI. Fratres Emmerami vincit.

ETenim Fratres ſancti Emmerammi nos aliquandiu in principio crebris inimicitiis & inſidiis fatigabant, impedimenta profectui noſtro quæ poterant obtendentes. Cumque de die in diem eorum contra nos odium ingraveſceret, ad hoc uſque devenit, ut per operarios ſuos ante portas clauſtri facto foſſato, exitus noſtros anguſtiores facere molirentur; & cum nullo eis in talibus obſiſtente, huic operi diligenter inſtarent, venerabilis *Erminoldus* ut labores eorum videret, egrediebatur foras, inſtante jam hora refectionis pacifice illos atque benigne ſalutans, & cum laſſos fatigatosque videret, tam interno mentis eorum labori, quam corporis externo ſudori compatiens, ad prandendum eos obnixius invitavit, inductoſque refecit hilariter & benigne, tantam illis impendens humani-

Digitized by Google

nitatem, ut magis ex charitatis ſaginarentur affectu, quàm in epulis quæ dabantur. Unde factum eſt ut dimiſſi ſecum mutuo loquerentur, tam Fratrum qui eos miſerant deteſtantes invidiam & rancorem, quam viri Dei ſuorumque benignitatem & manſuetudinem, admirantes. Quid, quæſo, qui hæc lecturi eſtis, quid vobis videtur de iſto? *cujus filius ſit?* Nonne illius, cujus unigenitus in ſubſtantia noſtræ mortalitatis apparuit, Fratresque quos dignatus eſt adoptare per gratiam, ſpiritu ejus adoptionis infuſo, *in quo clamarent, Abba Pater*, inſtruxit, dicens, Diligite inimicos veſtros & benefacite his qui vos odiunt. Et quidem ex hoc conſequenter adjungens, Ut ſitis, inquit, filii Patris veſtri cœleſtis, qui ſolem ſuum facit oriri ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos. Nec inefficax fuit opus hoc charitatis aut ſterile, ſed in ipſis quibus impendebatur, ſicut ſemen cadens in terram bonam, fructum peperit ſalutarem. Nam conſilio inito, regerentes in locum ſuum terram quam egeſſerant, abierunt, nihil incommodi nobis ulterius ingerentes. Sic igitur, ſic ſecundum Pauli doctrinam vir Dei vinci volens à malo, vicit in bono malum, inimicum cibans & potans, & per hoc ſuper caput ejus carbones congerens charitatis. Certe videmus hic virum Dei non imparem Heliſeo, qui Syros ad ſe capiendum hoſtiliter venientes Samariam introductos, amice, ne necarentur eripiens, cibo inſuper refectos ac potu, ipſos domino ſuo remiſit. Idem finis ſecutus eſt utrobique. Nam illi terram Iſrael ultro non addiderunt intrare, & iſti moleſtare deinceps nos ceſſarunt: niſi quod Syros ſtupor timorque cohibuit; iſtos vero devicit benignitas charitatis. Diximus qua conſtantia & virtute mundi ſprevit dignitates oblatas, qua illatas injurias patientia tulerit aut devicerit manſuetudine; ſupereſt, ut qua indigentibus proximis liberalitate collata ſibi à Deo communicaverit, quamque in his contra deficiendi timorem in domino confidentiam ſemper habuerit, oſtendamus.

SÆC. XIII. ANNO 1281.

*Rom.* 8. *Math.* 5.

*Rom.* 12. 4 *Reg.* 6.

### *De Miſericordia Beati Erminoldi erga pauperes.*

XII. Caritas ejus erga pauperes.

CUram quidem ſolicitam ac proviſionem receptionemque peregrinorum ac pauperum, inter virtutes cæteras, quibus claruit homo Dei, quaſi ſpiritus ſui ſponſam elegerat ſpecialem; propter quod & in exercitii ejus ſolebat amplexibus ſingulariter delectari, adeo quod egeni & pauperes ipſo jam uſu in neceſſitatibus ſuis cum omni ad eum ſecuritate, tanquam ad debitorem quendam accedere præſumebant, & quibus egebant, tanquam à quodam œconomo ſuo fiducialiter poſtulare. Noverat etenim, quod exemplo Apoſtoli, cum eſſet liber ex omnibus, omnium ſervum ſe fecerat indigorum. Deus igitur famulum ſuum tentare conſtituens, imo miſerationis inolitæ ſibi virtutem omnibus declarare, vocavit famem ſuper terram, omne firmamentum panis contrivit in tota *Bavaria*, ita ut plurimi propter inediam pauperes interirent. Ad Erminoldum igitur ex more concurritur, reſerantur cellaria, promptuaria patefiunt, diſtribuuntur pauperibus univerſa. Non enim prius pater ſanctus in erogando defecit, quoad deficeret unde jam poſſet aliquid erogare. Exhauſtis ſiquidem omnibus officinis, ipſe cœpit egere, qui ſuper egenum & pauperem intellexerat. Venerunt namque miniſtri qui dixerunt, omnia clauſtri granaria vacuata, nec jam frumenta ad unicum & prandium fratribus ſupereſſe. Quid ergo vir Dei nunc faciat anxiatus? Recurrat ad horrea? ſed vacabant: emat in foro? ſed precium emptionis in cœleſtes theſauros manus pauperum deportaverant. Ad Deum ergo convertitur, & tanquam factus in agonia prolixius orabat ad eum qui dat omnibus affluenter. Veri autem adoratoris, adorantis patrem in ſpiritu & veritate, oratio erat hujuſmodi: Domine per naturam, per gratiam vero Pater, ſalvifica me ex hac hora. Sed propterea veni in horam hanc tantæ neceſſitatis, ut fratrum meorum oculi omnium in te ſperent, & tu des illis eſcam illorum in tempore opportuno, quorum propter te victualia ſunt expenſa, tu itaque redde quod debes, debes ſiquidem dantibus; qui dixiſti: Date & dabitur vobis. Hujuſmodi quidem ad Dominum. Porro ad beatum *Georgium*, patronum Eccleſiæ ſecundum, ſimile erat huic quod orabat: Beatiſſime Martyr! ecce, præceptis ſalutaribus monitus, & divina inſtitutione formatus & juſſus diſperſi, dedi pauperibus quæ habebam, qui Deo tibique in hoc loco deſerviunt, nec habent jam quod manducent, & ſi dimiſero eos jejunos, & non fuerint ſaturati, & murmurabunt adverſum me, calices & veſtes & libros & alia ornamenta diſtrahere pro victu compellor, tu ergo ſubveni, tu ſuccurre, tibi enim revelavi cauſam meam atque neceſſitatem. Hujuſmodi famuli ſui clamores Dominus exaudivit, beati *Georgii*, quem mediatorem elegerat, interventu, nec eum diſtulit conſolari. Nam ſtatim in craſtino nobilis quidam & dives, cujus dominus cor tetigerat, ſupervenit, & honorans Dominum de ſua ſubſtantia, fratrum ſupplevit inopiam copioſè, ita ut novi cujusdam meritis Heliſei, priſtina fames in Prufingen tanquam in porta Samariæ pelleretur. Adhuc excellentiorem viam oſtendendæ ſanctitatis ipſius duximus demonſtrandam, quibuſ-

*Jacob.* 1. *Joan.* 4.

*Oratio ad S. Georgium.*

4 *Reg.* 7.



Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1281.

dam forsitan incredibilem, sed compertam crebra relatione fide dignissimi senioris, qui tanti miraculi testis & conscius fieri meruit & Symmista.

*Quod inventus est in Monasterio clausis januis.*

XIII. Ingreditur Ecclesiam Januis clausis.

De quadam cum ante januas staret Ecclesiæ Pater sanctus, & fores essent clausæ, custode Monasterii stante cum illo, cujusdam necessitatis eventu, Ecclesiam ipsam Dei servus intrare volebat. Cumque custos propero cursu circuiens, aperire Abbati Ecclesiam properaret, invenit eum, mirabile dictu, quem foris reliquerat, introrsus ante altare sanctæ *Crucis* intente orantem in ipso loco, ubi nunc ejus venerabile est sepulchrum, januis tamen Ecclesiæ non apertis. Cumque custos insolita novitate miraculi staret attonitus & stupefactus tantæ rei eventum apud se miraretur, surgens oratione completa vir Dei, custodi sub districtæ contestationis interminatione præcepit, ne ante ipsius exitum de hac vita, alicui hominum id quod viderat revelaret. Quid ergo dicemus ad hæc? nisi quod famulum hunc fidelem in Domino & Dominum in electo famulo suo, laudare, benedicere, & prædicare non desinamus, qui quod in se ipso post resurrectionem suam discipulis suis ostendit, ostendit in servo similiter, antequam & à corporis nexibus solveretur. Nihilominus ista legentes advertant, in quam solidæ humilitatis terra domum mentis suæ vir ille fundaverat, qui omnem flatum favoris humani, ventumque popularis auræ, tanta cautela & studio devitavit. Ecce jam præcursoris nostri, qui exultavit ut gigas ad currendam viam cœlestium mandatorum, passus industrios & veloces, pro tarditate nostra pigris calami gressibus subsequendo prorepsimus, quantumcunque in odore unguentorum ejus admodum delectati, & post eum lætanter currere gestientes; sed ecce ubi è vestigio Heliam nostrum cum Heliseo consequimur, tristes metas attingimus, jam Baal Pharisim quod sonat virorum divisio, è vicino nos terret, inter fratres dividens & Abbatem, inter pastorem & Agnos, inter discipulum & magistrum.

*De Transitu Beati Erminoldi.*

XIV. Obitus Erminoldi.

Restat verò transitum ejus de hoc mundo ad patrem; & ejus occasiones tristissimas exequamur, tristes, inquam, non sibi sed nobis, non sibi qui semper cupiebat dissolvi, & esse cum Christo, sed nobis, quibus in carne utiliter permansisset. Propter hoc spiritus hinc refugit, manus trepidat & terretur, calamus ipse percellitur & formidat. Sed velimus nolimus, eundum est, cincti & astricti necessitate narrandi, ducimur quo nollemus. Ergo quod supereſt inviti & prosequamur. ¡Quia igitur omnes qui volunt pie in Christo vivere, persecutionem, secundum Apostolum, patiuntur, sanctus pater iste, quia à via justitiæ flecti non potuit, nec potuit consequenter odia non incidere ministrorum. Non enim potest diem vespertilio non horrere, non potest nec fugere lucem talpa, non potest solis aspicere noctua claritatem. Denique cum sanctus hic pater commissi regiminis cura constrictus, sollicite super custodiam suam staret & vigilias noctis hujus sedulo super gregem suum satageret observare, ut nihilominus relinqueret incorrectum, quod contra monasticæ religionis fieret instituta, licet tanquam pater spiritualis, vere in spiritu lenitatis corriperet delinquentes, filii tamen Belial, qui cum Sathan inter Dei filios nunquam desunt, videntes & invidentes à suis se voluptatibus coërceri, nec sibi licere quæ licere volebant, crudelibus insectari cœperunt odiis se amantem. In tantumque tandem vesaniæ prorumpebant, quod & captabant, in animam justi sanguinem innocentem condemnantes, effundere decreverunt, & jam malitia ingravescente, cultris acutis armati, diem mutuo statuentes, loci oportunitate captata, stabant in insidiis, cum dæmonibus in occultis, ut interficerent innocentem in loco quem sibi condixerant, quia inibi erat more solito transiturus. At quidam ista scientium Dei famulum præmunivit, ne illo veniret, paratas sibi mortis insidias manifestans. Sed vir justus tanquam Leo confidens, absque terrore permansit, & tanquam equus gloriæ Domini, qui eo testante exultat audacter, in occursum pergit armatis, paratus cum Domino, imò pro Domino & in carcerem & in mortem ire; hæc dicenti sibi respondit, absit ut paratam impediam tergiversando coronam; vadam potius accepturus palmam quam Dominus exhibet triumphalem. Quid quæso aliud erat hoc famulo dicere, quam quod Dominus ipse Petro jam dixerat, calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum? Erat hoc dicere cum Psalmista: Calicem salutis accipiam & nomen Domini invocabo, gratias scilicet referens propinanti. Cæterum quia parum est dixisse, nisi facere consequatur, quod dixit & fecit, procedens ad locum ubi mortem fuerat excepturus, si Domino placuisset, ejus exemplo qui passurus turbæ processit obviam se quærenti. Verum sicut Dominum captivare volentes occurrente ipso conterriti abierunt retrorsum, & corruerunt in terram, donec se ipse capi permisit, sic servum Domini cupien-

*Timoth.* 3. *Job.* 1. *Prover.* 30. *Prover.* 21. *Joan.* 18. *Psal.* 115. *Matth.* 26.

Digitized by Google

pientes occidere, cum constantiam viri Dei viderent, irruit super eos formido & pavor in magnitudine brachii Domini, suum tunc pugilem protegentis. Illa igitur vice nemo in eum misit manum, quia nondum venerat hora ejus, quam ille cujus providentia in sui dispositione non fallitur, in subditorum bonorum adhuc solatium & salutem, & ad cumulatiora famuli sui merita, usque tempus quod voluit prorogabat. *Exod. 15.*

SÆC. XIII. ANNO 1281.

*Quomodo Beatus Erminoldus obitus sui tempus & horam prædixit.*

XV. Prædixit mortem suam.

ITaque cum teneret justus, ut ait *Job*, viam suam, nec justificationem suam, quam cœpit tenere, desereret: nam & semita vitæ suæ quasi lux splendens, juxta sapientis eloquium procedendo ad perfectum diem jam creverat, tantæ lucis aspectus filios tenebrarum offendit, gravisque eis erat & ad videndum, qui magis quàm lucem tenebras dilexerunt. Proinde cum tempus adesset, quo Dominus servum suum decreverat jam in pace dimittere, post pondus diei & æstus, mercedis æternæ denario præmiandum, jam filii pestilentes, ac tanto patre prorsus indigni, lupaliter, velut agni degeneres, in Pastoris interitum conspirabant. Igitur unus talium campiductor infelix, nomine quidem *Aaron*, Absolon autem omine patris persecutor, cum non ut Aaron Pontifex, sed cum esset carnifex agni illius, diabolico exagitatus instinctu, locum ad quem vir Dei venire necesse habebat, diligentius observabat, ligneum vectem utraque manu vibratum, viribus totis insurgens, capiti venientis illisit, tanto annisu percutiens sacrum caput, ut ad terram mox servus domini sterneretur. Eo igitur instrumento mortis & genere, quo frater domini est occisus, occiditur, ne gloriæ illius extraneus æstimetur aut exors, qui consors est passionis, quamvis hic, ut ille, non statim obierit, ut in hac potissimum die gloriosius suæ mortis domino sacrificium immolaret, quo *Magi* videlicet eidem tria munera mystica obtulerunt. Denique si advertas, eadem dona nostrum *Erminoldum* intelliges obtulisse; si per aurum, quod inter metalla malleo plus obedit, obedientiam; in myrrha, quæ carnem à corruptione conservat & vermibus, castitatem; in thure quod uritur & crematur ut fragret, caritatis ardorem memineris designari, non sua propria, sed communia requirentis. Igitur ut in illam diem tunc se sacrificaturus domino servaretur, ictu vectis accepto tabescens, viribus corporis cœpit repente destitui, jamque ante festum Epiphaniæ lecto decubuit & in ipsius sacratissimi festi vigilia, fatiscentibus artubus aliquamdiu jacuit nihil loquens. Et post pusillum ad se reversus, & elevatis oculis in discipulos qui astabant, hilari eos aspexit intuitu, sed affatu hilariori omnes qui aderant jocundavit. Etenim requisitus, ad thronum Dei testatus est se raptum fuisse cœlestem, & verba bona, & promissa se ibi consolatoria percepisse. Lætatus sum, inquit, in his quæ dicta sunt mihi, nunquam videlit defuturum divinum obsequium in hoc loco. Addit & sibi librum vitæ ostensum, fratrum nostrorum nomina, mortuorum præsentium & futurorum ascripta literis aureis continentem: & hoc, ait, vobis signum, ut certum esse noveritis id quod loquor, cras inter majoris Missæ solemnia, cantante choro: Gloria in excelsis Deo, egrediar ex hoc mundo. Erat autem vigilia, sicut diximus, Epiphaniæ. Cavete igitur, inquit, cum signum mei transitus audieritis, ne quis error aut negligentia hujus occasione in divino contingat officio, sed paucis egredientibus, à cæteris cum omni devotione sacra missarum solemnia more solito peragantur. Ut igitur testimonia sua credibilia fierent, & sciremus quia verum est testimonium ejus, sicut dixit, evenit. Nam in sancto Epiphaniarum die, hora qua dixerat, anima illa beata domum corpoream ac terrestrem, non manu factam in cœlis acceptura reliquit, introiens in potentias domini sub hymno videlicet Angelorum, ut ibi perenniter inter Angelos, ipsum Gloria in excelsis concinat & hymnisset. Transiit autem anno Domini M. C. XXI. septimo vero postquam de *Hirsaugia* mense Augusto vocatus est, & ad *Prufungensem* electus Ecclesiam, quarto vero postquam à venerabili *Udalrico* Episcopo, rogatu Reverendi *Hartwici*, Ratisponensis Episcopi, ordinatus est solemniter in Abbatem. Quis enim quæso non videat, ideo transitum ejus ad eum diem fuisse translatum, qua dominus, sacrificia Magorum accepit, & intercurrentibus annis aliquot, cœlos super se baptizatum voluit aperiri, & in cœna aquam convertit in vinum ad nuptias, ut liquido monstraretur, quod die eodem *Erminoldus* noster domum cœlestem introivit in holocaustis, & cœli qui regi patuerant, militi eo ipso die patere deberent, & quod molestiarum aquæ præsentium inter convivas æthereos, in vinum sibi essent æterni gaudii convertendæ. Quis eum præterea purpurata rosaria martyrum introisse non credat? cum & justitia suæ causa mortis extiterit, propter quam persecutionem passus est occisoris, & in morte servaverit patientiam, nihil durum interminans imprecansque lictori, & cum postremo tantæ conscientiæ fuerit in eo sanctitas, ut moriturum se præsciens & prophetans de divino curaverit magis officio quam de suis exequiis ordinare.



Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1281.

*Erminolde* ergo Abba Pater, memor esto congregationis tuæ quam possedisti ab initio isto suæ fundationis, & in qua felicem cursum præsentis stadii consummasti, æternæ gloriæ præmium apprehendens. Ideoque suppliciter exoramus ut gregem tuum, pastor bone, non deseras, sed apud beatos cives tuos continua protectione custodias tuas oves, quas primus opilio pascendas à Domino suscepisti, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Duo tamen miracula annectimus quæ post ejus obitum contigerunt. Unum quidem quod unum de nostris, alterum quod alterius cœnobii fratri cuidam evenit, ut non solum à suis hic Pater, sed & ab eis qui foris sunt, testimonium habeat sanctitatis, & primum quidem de nostro duximus ordiendum.

### *Visio cujusdam Fratris post obitum ejus.*

XVI. Visio Fratris.

ERat apud nos Monachus quidam provectæ quidem ætatis sed miræ sanctitatis & simplicitatis in vita sua. Hic cum vocandus à Domino lecto decumbens ad exitum propinquaret, à deputato sibi ministro, si adesset aliquis, inquisivit, erat autem Sabbathum, hora qua sonitu tabulæ ad prandendum Fratres more solito convocantur. Audiens ergo nullum esse præsentem, Ecce, inquit, video cœlos apertos, & beatum patrem nostrum, venerabilem *Erminoldum* videlicet, assistentem in maxima gloria coram Deo, quod ut verum esse non dubitetur, in testimonium veritatis, jam spiritum exhalabo. Quo dicto, morte intercedente & sermonem confirmante, quod dixerat, protinus comprobavit.

### *Alia visio cujusdam Fratris.*

XVII. Alia visio.

ACcedat & alius testis, qui de remotis partibus venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine meritorum venerabilis *Erminoldi*. Frater quidam ex nostris, quodam vindemiæ tempore missus in *Austriam*, claustrum quod (*a*) *Kotwik* dicitur, hospes intravit, hospite quodam alio de claustro dicto *Gârsten*, (*b*) casualiter cointrante. Igitur hora refectionis, cum veniretur ad mensam, hospes hospiti ad vescendum pariter est adjunctus. Et cœna facta cum fabularentur, & secum quærerent de diversis, ut fieri allolet, *Gârstensis* ille à fratre nostro diligentius inquisivit, si aliquando habuissemus Abbatem, cui nomen fuerit *Erminoldus*, & audito quod sic, & quod insuper apud nos fuerit primus Abbas; ille sic orsus est: Quamvis, inquit, nullam omnino notitiam vel vitæ vel nominis ejus prius habuerim, nuper tamen in veritate comperi, quia non est parvi aut mediocris, sed maximi meriti coram Deo. Nam ex fluxu sanguinis mire vexatus, nimia nuper infirmitate & ægritudine laboravi, adeo ut de vita etiam desperarem. Cumque sanctorum quam plurium pro evasione periculi postularem auxilia, ex nimia mihi debilitate somnus obrepsit. Et ecce rapi ad tribunal Christi me video, & pro culpis & negligentiis meis dura satis animadversione percelli, ubi dum animas plurimas, pro diversitate & exigentia meritorum, vel condemnari à judice video, vel salvari; oblatus est ei unus Ordinis sancti *Benedicti* frater, ut videbat, damnationisque in eum jam jamque debebat fieri sententia: sed retractata est, & remissa clementer, sancti nescio cujus magni, quem quidem videbam, sed non agnoscebam, obtentu, inter cætera pro damnando taliter allegantis: Licet, ait, Domine, frater hic vitam suam satis exegerit negligenter, irremuneratum tamen tua pietas non relinquat, quod nunquam locum suæ professionis deseruit, nec transgressus est finaliter obedientiæ suæ votum. Sancto ista fiducialiter prosequente, animam rei judex absolvi decrevit, orantis pro ea meritis complacatus. Quem cum optarem scire quis esset, ecce unus astantium judici ipsum venerabilem *Erminoldum Prufeningensem* Abbatem esse mihi protinus intimavit. Hisque peractis evigilo, mecumque retractans ea quæ videram, statim omnibus quidem omissis, illius potissimum invocare cœpi suffragia, cujus indubitatam expertus fueram sanctitatem. Quod cum per officium Missæ facere decrevissem, sed debilitas vocis obstaret, continuò mihi tantas vires sensi collatas, quod sacris indutus, Missam quæ de uno Confessore dici consuevit, à fine usque ad finem perfeci. Qua completa pristinæ sanitati sum integraliter restitutus. Hæc frater de *Austria* rediens, dum nobis sæpius retulisset, superveniens ille *Garstensis*, cui res ipsa contigerat, sepulchro viri Dei devotissime visitato, fratris nostri narrationem personaliter confirmavit, qui & ipse, in *Garsten* postmodum factus Abbas, solebat supervenientibus hunc eventum frequentius enarrare.

IN-

(*a*) Alias Cotwicum & Gotwig est potens celeberrimumque in Austria inferiori monasterium, quod Altmannus, Patavienſis Episcopus, qui diem obiit an. 1091. fundaverat, ibique sepultus est. BASN. (*b*) Monasterium in superiori Austria, ad ripam fluminis Anesli, honori Beatæ Virginis conditum. BASN.

Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1281.

# INCIPIT SECUNDA PARS.

## DE MIRACULIS EJUS.

IN his duobus, mandatis officio calami, quomodo in eis revelationes & visiones Domini continentur, religiosis viris non diu post felicem transitum sancti Patris ostensæ, ac per hoc quodam jure propinquitatis ad præcedentia pertinebant, scientes quia hora est jam nos terminare sermonem, huic libellulo finem dantes, jugo boves absolvimus lassatos. Porro unum est necessarium, ut videmus. Quomodo enim ipsius libelli distinctio bipartita est, prima quidem ejus particula peregrinationem Hebræi nostri apud Ægyptios hujus mundi seu Babylonios continente, secunda verò in exitu Israel de Ægypto præsentis sæculi, & ingressu terræ veræ promissionis explicita, consequenter succurrendum & consulendum eorum opinioni existimamus, imo dubitationi eorum & diffidentiæ potius occurrendum, quibus vitæ laudabilis claritas, quibus preciosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus ostensa non sufficit, sed nisi cum Thoma miracula tangant aut palpent, & nisi signa videant & prodigia, non credentes cum regulo judaisant. Ut itaque tales, habentes tantam nubem testium interpositam, ad credendum vel ipsius operibus invitentur, vel potius compellantur, ad virtutes & signa quibus mirificavit Dominus sanctum suum, etiam postquam de hac vita transivit, hodieque mirificat, transeamus, à fine libri prioris sequentis initium facientes, de ipsius tractaturi miraculis in libro secundo, de cujus in primo vita & transitu in principio erat verbum. Igitur cum jam Domino complaceret, ut tristitia nostra verteretur in gaudium, ut scientes eum cœlo vivere lætaremur, quem defunctum sæculo lugebamus, manifestavit se iterum Jesus ipsum Angelorum feciſſe consortem quem ablatum humano dolebamus esse consortio. Manifestavit autem sic.

I. Necessitas Miracula narrandi.

### *De suavitate & suavi odore sepulchri ejus.*

HOnesta quædam mater familias, *Christina* vocabulo, cum matre sua *Bertha* nomine, Deo valde devota, de civitate *Ratispona Prufeningen* Fratrem suum visitatura accessit. Cumque die jam inclinato vehiculo domum reverti pararent, mater quasi valefactura Sanctis, præ foribus monasterii, quia clausum erat, orare cœpit attentius, & subitò miri odoris perfusa est suavitate, quem cum tacite miraretur, Ecclesiam aperiri petiit, & obtinuit & intravit, sensitque fragrantiam illam de sancti viri spirare sepulchro. Divinæ igitur gratiæ non ingrata, regratians, votum vovit Deo Jacob, quod famuli sui sepulchrum *Erminoldi*, de cujus meritis certiorari meruerat, per circulum anni totius, nudis pedibus visitaret. Quod & implevit, nunquam hoc vel pro viæ profunditate vel madoribus pluviarum niviumvè rigoribus intermittens. Et hæc vidua erat & turba civitatis multa cum illa, ipsius exemplo, quoniam erat ex honestioribus civitatis, cœpit viri Dei memoriam frequentare & illius auxilium in quibuscunque necessitatibus efficaciter experiri. Hoc initium signorum fecit Jesus, coram discipulis servi sui fidelibus, & manifestavit gloriam suam & dignitatem quam jam accepit in cœlis, qui terrenæ dignitatis gloriam non quæsivit. Et congruè satis à suavi odore incipere debuit sua glorificatio, qui se ipsum Deo in odorem obtulit suavitatis, ut apte fracto alabastro sui sanctissimi corporis, meritorum ipsius & famæ dulcis effunderetur unguentum, ex cujus odore Ecclesiæ redundantius impleretur. Illud autem inter signa quam plurima, Dominus sancto suo quasi privilegium speciale concessit, quod pueri ægrotantes, ad ejus, ut fieri solet ponderati sepulchrum, vel continuò ejus meritis convalescunt, aut ab ægritudinis diuturnitate mortis compendio protinus absolvuntur.

II. Odor sepulchri.

De

Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1281.

*De Archiepiſcopo Moguntino, qui voti ſui compos effectus eſt.*

III. Cunradus mortem obiit.

HOc etiam cum piæ memoriæ dominus *Chunradus Moguntinus* Archiepiſcopus famæ præconio comperiſſet, cum diutina laboraret infirmitate, quam ex aëre inconſueto in terra ſancta contraxerat, nec quicquam ſibi conferret experientia medicorum, ad ſepulchrum viri cum *marca argenti ſe ponderans*, cum clamore valido & lachrymis, exauditus eſt pro ſuæ forma petitionis. Poſtulaverat etenim ut à diuturnitate languoris vel cita evaſione, vel beneficio ſaltem mortis abſolveretur. Qui mox antequam ſedem ſuam attingeret, morte intercedente obtinuit, quod petivit, beati meritis *Erminoldi*.

*De Cæco illuminato.*

IV. Cæcus illuminatus.

VIr quidam re pauper, & luminis orbitate pauperior, devotionis tamen & fidei copiis opulentus, Pruvingen viri Dei beneficia petiturus ingreditur, & à pluribus, qui de villa vicina venerant, & ante fores ſtabant Eccleſiæ, oſtenſo ſibi in Eccleſia ſancti ſepulchro, pueri ſe ducentis manu circa altare locatus eſt, ut petivit, egreſſoque ductore, greſſum baculo ſuo prætentans, ad ſepulchrum devotus acceſſit, & humi proſtratus poſtulavit in fide nihil hæſitans, ut lumen recipere mereretur. Moxque ſe ſentiens exauditum, viſu recepto egreſſus, ductori ſuo videre ſe dixit, & omnibus qui aſtabant, qui eum cæcum viderant introiſſe, ac ſibi ſepulchrum oſtenderant, requirenti. Hos ergo univerſos & teſtes ſuæ illuminationis habuit & præcones. Cumque illuminato congratulantium vox eminus audiretur, nam ipſi loquebantur ad invicem de his omnibus quæ acciderant, ille Deum ac famuli ſui merita collaudavit.

*De quodam converſo graviter punito.*

V. Contumelioſus punitur.

FRater quidam ex his quos (*a*) *Barbatos* dicimus, ſuperveniens maligno ſpiritu ſtimulatus, & Dei gloriam non ferens, illum qui Dei ac famuli ſui beneficia prædicabat, contumelioſis cœpit objurgationibus inſectari, eum deceptorem ac mendacem appellans, & hujuſmodi artificio venari eleemoſynas largiores. Quod ille libera voce refellens abiit & receſſit. At ille Barbatus inveteratuſque dierum malorum temerario auſu debacchans, facto flagello de virgis, tribus ictibus tumbam Patris ſancti proterve percutiens, ore ſacrilego, Quieſcas, inquit, tu *Erminolde*, & nos inquietare deſiſtas. Vix iſta finierat, ecce Deus, ultionum dominus, ultione condigna coercuit blaſphemantem. Nam facies ejus tanquam aqua ferventi perfuſa cœpit incredibiliter æſtuare. Qui feſtinus egrediens de Eccleſia, ad ſuum cubiculum properabat, ut lecto decumbens alleviationem aliquam expectaret. Erat autem magiſter opilionum. Quem unus de famulis ſuis è veſtigio ſequebatur, qui quidem blaſphemias ſuas audierat, divinæ tamen neſcius ultionis, blanda ipſum pro verbis ſuis admonitione corripuit, illo, ſecundum ſimilitudinem ſerpentis & ſurdæ aſpidis, nil penitus reſpondente, donec venerunt ad fontem juxta, ubi jumenta monaſterii adaquari ſolebant. De quo hauſta ſibi aqua per famulum, æſtuantem faciem ſpe refrigerii manibus infundebat, ſed vim virtutis ſuæ oblitus eſt aquæ liquor, vicemque contrarii peragens elementi, urebat acrius patientem. Itaque lecto decubuit, ac inter flagella Pharaonizans, licet à pluribus, ut reſipiſceret moneretur, ſecundum duriciam ſuam & impœnitens cor theſaurizavit ſibi vindictam inſuper ampliorem. Nam de die in diem cor ejus erga domini Confeſſorem in ſua duricia perſiſtebat. Et quoniam appoſuit adhuc peccare ei, & in iram concitavit excelſum, appoſuit ſuper eum Deus plagas horridiores. Nam percuſſus lepra terribili, ab hominibus eſt amotus. Et cum adhuc ſuaderetur ut pœniteret, declinavit cor ſuum in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes videlicet in peccatis. Nam reſpondit, Se adeo non peccaſſe quod mala talia meruiſſet. In hujuſmodi igitur blaſphemia perſeverans, cum prævaricator ad cor redire contemneret, factum eſt in una dierum, ut per miniſtrum appoſita ſibi menſa, & deſuper pane & potu, miniſter ad cibos pergeret offerendos, quibus allatis, quem miſerè vivum in obſtinatione reliquerat, miſerabilius in peccato ſuo mortuum reperit. Nam in arulam plenam carbonibus,

(*a*) Qui fuerint illi *Barbati* ſatis aperit titulus capitis. Fuerunt enim *Fratres converſi* ideò dicti, quia barbam nutriebant, & contra vero Monachi voto aſtricti eam tondere ſolebant. Rem diſcas ex *Chronico Laurishamenſi*:

Milienſes ſunt Monachi.

*Nunc quoque* BARBATI *qui ſint attentius audi,*
*Sunt ergo Laici Milienſibus aſſociati*
*Quos riſus populi dedit hoc agnomine fungi*
*Sunt quia prolixis Barbis ad pectora pexis*
*Deformes hirti, revera moribus Hirci*
*Barbis hircorum ſimiles.* BASN.

Digitized by Google

nibus, quam gratia calefaciendi sibi habuit ante positam, facie prona ceciderat, & exspiraverat præambustus. In quo patenter apparet, quod qui cæco fideli fuerat odor vitæ in vitam, isti blasphemo factus est odor mortis in mortem, in resurrectionem positus & ruinam, hinc inde, cum diversa utrisque intulit stipendia meritorum, illum fideli devotione illuminans, istum percutiens pro reatu. Et sicut tumulus viri Dei ter virgis cæsus est per protervum, sic triplici plaga percussus est inimicus, ardore videlicet faciei, dehinc lepræ contagio, novissimè verò morte pessima peccatorum. Cæterum descripto rigore justitiæ, ad solatia misericordiæ revertamur. SÆC. XIII. ANNO 1281.

*De debili curato & muliere correcta.*

VI. Mulier correcta.

RAdoldus nomine puer in Monasterio, tantum de auribus singulis noctibus sanguinavit, ut mane pulvinar ipsius alicujus animalis perfusum sanguine videretur. Qui cum esset ad tumbam viri Dei tertio ponderatus, illico restitutus est integræ sanitati. Inter hæc augebatur quotidie credentium in Domino multitudo, patrocinia famuli sui requirens. Inter quos mulier quædam Jeruta nomine ad sepulchrum *sancti nummo se ponderavit*, quem cum in arcellam oblationum mittere debuisset, denario clam retento ad altare illum voluit obtulisse, sed dolum illico vindicta consequebatur. Nam illi ita contracta est manus, ut nec eam extendere, nec nummum excutere prævaleret. Ad cor igitur reversa flagello, redit ad arcam denarium immissura, statimque misericordia & veritas obviaverunt sibi, nam manum quam dolus concluserat, veritas patefecit. Misso igitur nummo quo mitti debebat, gaudens mulier alium obtulit ad altare.

*Quod pro tempore cessavit à signis.*

VII. Miraculorum cessatio.

CUm itaque turba venerantium servum Dei, diatim accresceret, Monachus quidam *Wolframus* nomine, sepulchri custodiæ deputatus, super illud ædificare proposuit ædiculam cancelleratam, per quendam *Berchtoldum* nomine, carpentarium, qui homicidio perpetrato nondum Ecclesiæ reconciliari meruerat, dictum opus incipiens consummavit. Porro Dei famulus sacrilegum in Ecclesiam illius ingressum, & opera manuum cruentarum aspernans, solita beneficia requirentes per annos aliquot destitit exaudire. Quod cum Fratres solertius perpendissent, ipsam ædiculam prudenti consilio removerunt. Sed non statim finis, ut Dei ac sui famuli dedignatio placaretur.

*Quomodo iterum claruit signis & miraculis.*

VIII. Iterum claret miraculis.

IGitur quia non obliviscitur misereri, cui proprium est misereri semper & parcere, cum rogatur, aliquanto tempore jam decurso, anno M. CC. vicesimo quarto Dominicæ incarnationis, stetit Phinees, & placavit, B. *Erminoldus* videlicet, ut averteret iram ejus, quem opus offenderat homicidæ. Quidam ergo *Waltmannus* nomine civis Ratisponensis à quodam *Ruberto* qui fratrum vestibus præerat, sibi familiari, familiariter requisivit, cujus sepulchrum hoc esset, quod in medio Monasterii cerneretur. Et audito quod primi Abbatis esset istius loci, & quod idem fuisset vitæ sanctissimæ, quodque in carne adhuc & post mortem miraculis claruisset, & ab his destitisset ad horam, ex causa qua nesciret. Dictus *Waltmannus* illi *Ruberto*, scito, inquit, quod in brevi Dominus iterum ejus merita declarabit. Vidi enim in visione me cum multis intrasse hanc Basilicam ad orandum, & ecce à parte capitis tumuli, arbor, ut videbatur, aurea tantæ magnitudinis succrescebat, ut latitudo ramorum ipsius cunctam repleret Ecclesiam, & extra januam insuper se protendens. Quo profecto portendebatur, quia quod olim dixit Dominus Domino meo unigenito, suo Christo, passo in carne, hoc famulo suo similiter, etsi non sicut vox hujusmodi lapsa ad eum magnifica gloria, ipso tamen effectu esset in brevi dicturus: Et clarificavi & iterum clarificabo. Clarificavi videlicet degentem in carne vita insigni, transitu glorioso de mundo migrantem, virtutibus & miraculis jam defunctum, & iterum clarificabo in novissima tuba, inter omnes electos, interim vero sequentibus signis, quæ pro negligentia & reatu quorundam pro tempore cessaverunt. Quod & rerum eventus in proximo declaravit.

*De Puero cæco illuminato.*

IX. Cæcus illuminatus.

SIquidem paucis diebus elapsis, vespere Sabbathi, cum post officium vespertinum, processio ante altare sanctæ *Crucis* solito ageretur, quidam aderat inter multos, qui puerum cæcum in brachiis deportabat. Cui cum janua clauderetur egresso *Theodericus* quidam Monachus ei obvians, & videns puerum esse cæcum, redire consuluit



Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1281.

luit, & ſancti ſuffragia poſtulare. Populo itaque qui jam exierat redeunte cum puero, Deo ac famulo ejus pro illuminatione pueruli à cunctis obnixius ſupplicatur. Et continuò Deus omnium exauditor, cæcos oculos claro lumine reveſtivit, ſuum glorificans Confeſſorem. Rogatus ergo pueri gerulus, apud nos aliquamdiù demorari, ob tanti miraculi teſtimonium recuſavit, ſe quidem & puerum eſſe proteſtans patre & matre carentes, & de *Gallia Belgica* oriundos ex territorio *Treverenſi*, ſeque puerum compaſſione fraterna ad diverſos Sanctos ſpe circumtuliſſe ſalutis, cujus ſubventionem expertus nunc eſſet beati *Erminoldi* gloriæ reſervatam. Ideo, inquit, jam propter quempiam non tacebo, & propter aliquem non quieſcam, donec ad ſolum natale regreſſus, annunciem hujus ſancti præconia circumquaque.

### *De Paralytica curata.*

X. Paralytica curata.

ITem mulier quædam juvencula de civitate *Ratiſponenſi* à parentibus matrimonio copulata, ita poſt breve tempus eſt diſſoluta paralyſi, ut loquendi uſum prorſus amitteret, oculo altero privaretur, dentes haberet ad invicem ita compreſſos, ut hora refectionis cultello vix ſolverentur ad eſcam, manibus quoque contracta & pedibus, miſerabile ſui ſpectaculum præbebat. Quæ more ſolito, *ponderata* juxta ſepulchrum viri Dei per ſuos, mox tam integraliter eſt ſanata, ut quæ ab aliis deportari conſueverat, pedibus ſanis accederet ad altare, & manibus ante contractis ſacrificium offerret, & muto prius ore Miſſam à Sacerdote depoſceret celebrari, oculoque recepto lætiſſime remearit ad propria cum amicis.

### *De contracta curata.*

XI. Contracta curata.

SEd cum gratias etiam poſtmodum Domino redditura, ſepulchrum Sancti frequentius viſitaret, puella quædam allata eſt, cujus manus contracta erat omninò. Quam manum cum mulier ante dicta tumulo confeſſoris impoſuiſſet, aſtantibus fratribus & orantibus pro eadem puella, clamans, *Och*, integra ſanitate recepta, in momento in ictu oculi manum ante contractam extendens, ovum quod caſu in tumba jacebat, puerili more attraxit, jocunditatem & exultationem riſumque excutiens univerſis.

### *De quodam puero curato.*

XII. Puer curatus.

ALius quidam puer, carne fœda in inferiori palpebra ſuccreſcente, turpem faciem præferebat. Quam carnem cum medici & chirurgici dicerent reſecandam, amici majus periculum metuentes, conſilio ſaniori, Deo & ſervo ejus deferendum puerum ſpoponderunt, cumque mane iter arripere ſurrexiſſent, miſericordia prævenerat jam fideles, carnemque abſtractam penitus invenerunt; in patratæ rei ſignum, ſanguinea tantum macula remanente. Qui beneficio Domini non ingrati, votum devotè ſolventes ad tumbam ſancti puerum adduxerunt, narrantes laudes Domini & virtutes ejus fratribus univerſis.

### *De alio puero curato.*

XIII. Alius puer curatus.

PUer quidam cum continuo vomitu fatigatus eſſet, nil penitus alimoniæ retinebat. Qui ad tumbam ſancti ponderatus à ſuis, ſine mora plenam adeptus eſt ſanitatem.

### *Aliud Miraculum.*

XIV. Mulier inflata tumore ſanatur.

QUædam mulier horrendo ventris adeò fuit inflata tumore, ut ab aliis, & à ſe ipſa gravida crederetur, patiens crebras, ſicut ſolent, habentes in utero, punctiones; verum ſolito prægnantium tempore devoluto, cum ſe non eſſe gravidam comperiſſet, ad ſancti viri Dei ſepulchrum cum oblationibus & Dei laudibus ſe præſentans.

Videtur aliquid deeſſe.

### *Aliud Miraculum.*

XV. Tuſſi liberatur virgo.

QUædam *Agnes* in ſancti *Pauli Monaſterio Monialis* incredibili tuſſis incommodo fatigata, ad invocationem famuli Dei ſe ſenſit continuò liberatam. Quæ tempore alio morbo ſimili repetita, repetita oratione ad Dei ſervum ſecundo mox curata eſt per eundem.

De

Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1281.

### *De quodam juvene ſanato.*

XVI. Juvenis ſanatur.

JUvenis quidam dictus *Ulricus* de *Cevuren* dolore graviſſimo capitis moleſtatus, ad ſepulchrum Sancti devote ſe ponderans ſine mora eſt redditus ſanitati.

### *De Muliere paralytica curata.*

XVII. Paralytica curatur.

MUlier quædam paupercula graviſſima diſſoluta paralyſi per decem & octo hebdomadas, pro quantacunque corporis ſui neceſſitate, vel ſe movere de lecto vel ſurgere non valebat. Quæ de viri ſancti virtutibus concepta fiducia, quodam diluculo veſtibus ſuis induitur, in *Pruvlingen* aſſerens ſe ituram, quam cum fœminæ commanentes inſanire præ infirmitate putarent, deduci ab eis ad oſtium attente poſtulans impetravit. Hæc inter tenentium manus ſanctum obnixius obſecravit, ut ſi votum ejus ſibi placeret atque devotio, vires ad deambulandum ſibi apud Dominum obtineret. Nec mora, tanta celeritate, quas ductrices habuerat anteceſſit, ut primæ noviſſimæ & prima noviſſima in itinere viderentur, & vix eam aliæ conſequi prævalerent.

### *Item de quadam Muliere ſanata.*

XVIII. Mulier ſanatur.

ALia mulier dicta *Alheidis*, de villa vicina cœnobio, ſic eſt percuſſa paralyſi, ut ore retorto deformiter ad maxillam & uno oculo excæcato, horrendam faciem circumferret. Hæc in vigilia Epiphaniæ, quando in craſtino anniverſarius Sancti peragitur, ad ſepulchrum ejus accedens, ejus ſuffragia intentiſſime flagitavit. Itaque mane regreſſa oravit eundem ſermonem, & ſtatim ore ad ſtatum priſtinum reformato, & oculo reſtituto, ſimiliter plenam eſt adepta ſanitatem.

### *De quodam frenetico curato.*

XIX. Freneticus ſapit.

QUidam *Hartwicus* de *Chepen* ex nimio morbi fervore raptus in freneſim, de manibus ſe tenentium ſæpe proripiens, currenſque per ſylvam, more lymphantium ferebatur. Qui adductus ad tumbam ſervi Dei per amicos, ſancti *Erminoldi* obtentu, poſt modicum integræ reſtitutus eſt ſoſpitati.

### *Aliud Miraculum.*

XX. Infirmus ſanatur.

ALius quidam *Leutwinus* de villa eadem à gravi nimis infirmitate juxta idem ſepulchrum; Sancti meritis continuo eſt ſanatus.

### *De Muliere quadam contracta & ſanata.*

XXI. Mulier incedit.

MUlier quædam paupercula greſſu carens de loco ad locum ſcabellis ſe manualibus promovebat. Hæc ad ſepulchrum viri ſancti deveniens, ipſius auxilium invocavit, & protinus conſolidatæ ſunt baſes ejus & plantæ, ita ut baculi ſuſtentaculo ad ambulandum ſit contenta.

### *Aliud Miraculum.*

XXII. Oculis laborans videt.

COcus fratrum *Henricus* nomine, cognomine *Wirth* cum poſt febres acutas, tibiarum oculorumque dolore maximo laboraret, in die Natalis Domini ſummo diluculo, ad ſancti viri ſepulchrum devotius orans acceſſit & ſtatim ſanitate recepta per illum, ſuſcepit domini miſericordiam in medio templi ſui, ubi famulus domini requieſcit.

### *De infirmo quodam ſanato.*

XXIII. Infirmus ſanatur.

PErchtoldus quidam civis de *Ratiſpona*, cum de terra ſancta reverteretur, morbo cœpit graviſſimo cruciari. Porro in partes veniens *Alimaniæ*, auditis beati *Erminoldi* virtutibus per diverſos, pro ſanitate recipienda ipſum attentius invocavit, in ſuæ exauditionis indicium, antequam domum ſuam intraret, poſtulans ſe curari. Quod fideliter petiit efficaciter conſecutus, recepta imo prærepta potius integra ſoſpitate domum reverſus eſt, ut petivit.



Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1281.

*De quadam Muliere curata.*

XXIX. Mulier curata. EJusdem *Perchtoldi* filia filiam habebat *Agnetam*, cujus pudenda morbus horrendus, qui cancer dicitur occupavit. Anxia ergo mater pro filia, ipsam ad tumulum viri Dei perduxit, ejusque invocato suffragio pro filiæ sospitate, censum quinque nummorum se sibi promisit annis singulis oblaturam. Quo facto filia plene curata, materna devotio cito se gratulata est exauditam.

*De quodam puero curato.*

XXV. Puer curatus. ALtera quoque filia ejusdem *Perchtoldi*, filium parvum habebat difficultate urinandi graviter laborantem. Cumque medicorum alii esse stranguriam, alii vero calculum indicarent, eumque oportere incidere testarentur, amici ejus ponentes in Deo spem suam, Beati *Erminoldi* patrocinia requirentes, non sunt fraudati à desiderio suo. Nam puer adductus ad sancti viri sepulchrum illico integraliter est sanatus.

*De dolore oculorum curato.*

XXVI. Dolor oculorum curatus. ALius item civis *Ratisponenſis*, *Opertus* nomine, filiam quandam habebat *Rapotonis* uxorem, quæ oculorum dolore ferme cæcata, ducta ad viri Dei sepulchrum, cum decem nummos in censu eidem promitteret annuatim, insperatam oculorum recepit protinus claritatem.

*Item de oculorum dolore fugato.*

XXVII. Dolor fugatus. QUidam de ipsa etiam civitate *Henricus* qui *Vicedominus* appellabatur, simili dolore laborans, ductu amici sui cujusdam etiam *Henrici* vocabulo, ad sepulchrum Patris Sancti deveniens, simili devotionis affectu, effectu curationis simili est exauditus.

*De quodam debili curato.*

XXVIII. Debilis roboratur. FIlius ejusdem *Henrici*, filium quendam habebat, qui distortis pedibus difficili gradiebatur incessu, qui & ipse *Erminoldi* meritis est curatus.

*Item de debili curato.*

XXIX. Idem Miraculum. ALio autem tempore idem *Henricus* à Deo fluxu cœpit sanguinis infirmari, ut nullo medicamento quicquam proficere se sentiret. Ad nota ergo sibi jam secundò Patris sancti suffragia se revertens, iterum curari meruit per eundem dominum nostrum, famulo ejus fideli manu contacto, cujus fimbriam olim tangens hæmorroissa recipere meruit sanitatem. Hic jam tertio manifestavit se *Jesus* eidem *Henrico*, in sui gloriam Confessoris.

*De Dæmoniaca liberata.*

XXX. Dæmoniaca liberata. IN *Castro Napurch* mulier quædam *Leukardis*, cuidam juveni matrimonialiter copulata, cum quadam die vitreis annulis more luderet puellari, maritus offensus eò quod necessaria negligens vanis intenderet, maligni spiritus ei imprecans incautus invasionem, conjugi non conjugaliter maledixit. Statimque ut vel vanitas hujus, vel illius acerbitas nimia puniretur, Diabolus mulierem invadens acerrimè cruciabat, & verba per eam blasphema & turpia proclamavit, accedentium culpas eis improperans & peccata. Cumque sacerdotes super eam dicerent exorcismum, Vestra, inquit Dæmon, verba non curo, nec attendo blateramenta, repellendus *Erminoldo* servor, ille accepit rejiciendi me potestatem. Et mirati sunt universi qui aderant, & ipsi nil horum intellexerunt, eò quod nondum ad partes illas viri Dei præconia pervenissent. Et murmur multum erat de eo in populo, quem Dæmon diceret *Erminoldum*, & dicebant ad invicem: Quid est hoc quod dicit Dæmonium? nescimus quid loquatur. Cum itaque crederent se illudi, affuit de *Ratispona Rupertus* quidam, qui diceret se intelligere id quod Diabolus loquatur. Et incipiens interpretabatur illis qui aderant, verba quæ dixerat inimicus, beati *Erminoldi* vitam & sanctitatem, & miracula plurima manifestans. Ille est, ait Dæmon, ille est de quo loquor. Instructo ergo vehiculo mulier superposita in *Prufenigen* adducta est per amicos. Cumque deventum

Digitized by Google

ventum esset ad fores Ecclesiæ, illa reniti manibus cœpit & pedibus, sed vi deducentium & labore non modico, sepulchro est superposita viri Dei. Sæc. XIII.

Ubi cum fratres dicerent exorcismos, & preces effunderent pro vexata, vix illa ne effugeret tenebatur. Cum subito, Deo suum famulum honorante, mulier altius ingemiscens, Ach achque proclamans, quasi resoluta in somnum protinus conquievit. Cumque ablata sepulchro in terra super plumarium reclinata fuisset, & an haberet melius, quæreretur, optimè sibi esse ac se liberatam esse respondit, sed nil penitus virium habere. Igitur amici cum illa tota nocte ad sancti tumulum excubantes, mane viam arripiunt revertendi, & cum iter agerent, vocem hujusmodi Dæmonis audierunt, Etsi ad te accedere non præsumo, à te tamen longius non recedam. Sana tamen mulier est domum revecta. Non multum temporis intercessit, & ecce amici fœminæ liberatæ, Deo gratias non agentes, obliti sunt beneficiorum ejus & mirabilium ejus, quæ ostendit eis in illa. Ideoque quantæ culpæ ingratitudo sit apud Dominum, meminerunt protinus experiri. Denique cum Dei ac sui famuli beneficia magnificare inter suos & laudibus dignis attollere tenerentur, illi magis ea occultare ac tegere satagebant. Cum ecce subito in patris sui conspectu, Dæmon revertens in domum suam unde exivit, novissima hominis istius pejora prioribus faciens, per os ejus cœpit horribiliter exclamare: Quæ vos occultare nitimini, ego faciam omnibus manifesta. Hoc dicto acrius eam cœpit quam antea cruciare. Igitur amici ejus merita ultione confusi, vexatione dante, ut assolet, intellectum, ad cor redeunt sua ingratitudine pœnitentes. Itaque ad benefactoris sui refugientes auxilium, ut sui misereretur & patientis, negligentiæ ipsorum dignanter oblitus, humillimè postulabant. Apud sepulchrum igitur viri Dei denuo pernoctantes, Domino sui famuli merita declarante, mane sanam & incolumum receperunt. Sicque Dominum collaudantes, ut decuit, cum sana & læta lætantes ad propria sunt reversi. ANNO 1281.

*De Muliere monocula curata.*

MUlier quædam per octo annos oculo uno prorsus orbata, plena fide ad sepulchrum Confessoris accessit. Quæ cum tota devotione mentis oraret, coram omnibus qui ad Annunciationis Dominicæ festa convenerant, lumen ad revelationem insignium meritorum & gloriam Christi famuli declarandam læta recipit, turbam non modicam habens suæ testem illuminationis, & Dei & ejus famuli laudatricem. XXXI. Monocula curatur.

*De quodam puero debili curato.*

IN paraseeve quædam de *Ratispona* mulier puerum fere septennem adduxit ad memoriam viri sancti, distortos imò prorsus inversos pedes habentem, ac impotem ambulare. Pro quo dum mater tota die usque ad horam prandendi precibus institisset, integræ puer est restitutus sanitati, qui & in miraculi perpetrati memoriam de fratrum prandentium manibus sæpe postmodum panem & cibos accipiens, domum detulit matri suæ. XXXII. Debilis curatur.

*De puella parvula curata.*

ALia quædam mulier puellulam fermè quinquigenem similiter pedes habentem inversos, & nunquam valentem aliquid ambulare, ad sancti sepulchrum in vigilia Pentecostes apportavit. Et ecce inter compulsandum ad vesperas, plurima turba præsente, plantis ejus ac pedibus ad rectitudinem restitutis, usum gradiendi recepit, juxtaque sepulchrum, primo quidem pedetentim obambulabat, deinde vero diatim magis magisque proficiens integraliter est curata. XXXIII. Parvula puella curatur.

*De epileptica curata.*

HEroldus quidam civis de *Ratispona* filiam habuit, quæ morbo epilepsiæ adeo vexabatur, ut quotidie bis vel ter elideretur ad terram. Pro qua dum parentes, per dies triginta continuos, ad sepulchrum sancti viri eam ponderare voluissent, impleviss-sentque quod voverant, filia reddita est integræ sospitati, obviantibus sibi Dei misericordia & voventium & reddentium veritate. Qui & sancti beneficio respondentes, curatam eandem ob viri Dei sepulchrum, cum una candela per annos singulos obtulerunt. XXXIV. Epileptica curatur.

*De quadam Muliere multum debili curata.*

MUlier quædam *Albaidis* dicta de *Tuterwach*, omnium destituta membrorum officiis, viro Dei ad censum nummi unius annis singulis se devovit. Nec mora, quæ omnium membrorum usu caruerat, omnium membrorum gavisa est se usui restitutam. XXXV. Debilis curatur.



Digitized by Google

Sæc. XIII. Anno 1281.

*De quodam vulnerato ſanato.*

XXXVI. Vulneratus ſanatur.

DUo quidam Satellites ſimul erant ad prandendum, & capta præda quando dividunt ſpolia tales, cœperunt mutuo corrixari; uno accuſante quod minus ſexaginta denariis recepiſſet, alter propter domini ſui potentiam quem habebat, verba ſocii contemnente & irrogante inſuper illi contumelias & terrores; ille injuriæ acceptæ non immemor, exinde quærebat oportunitatem, ut eum traderet cùm ſibi fortuna, qui gravamen intulerat. Quadam itaque die læſus & læſor obviaverunt ſibi, & injuriatorem ſe agentem incautius injuriatus gladio petiit improviſo, vulneratumque graviſſime ad terram uſque proſtravit. Quo jacente, ſuper dolorem vulnerum ejus addidit ampliora, & plagis impoſitis abiit ſemivivo relicto. Delatus igitur ad hoſpitium lacero corpore, biennio lecto decubuit, ita quod nullatenus valebat aſſurgere de eodem. Uxor autem illius flebat quotidie & lugebat, eo quod unde conduceret medicum non habebat. Tabeſcente ſic illo, & illa mœrente, nocte quadam reverenda quædam matrona, flenti uxori non per ſomnum, ut aſſolet, ſed clariſſima viſione apparens, Quare mœrore conſumeris, ait, abſque profectu? Virum tuum Beato *Erminoldo* tranſmitte, & remittet eum incolumem. At illa: Quomodo eum ſibi tranſmittam, cum de lecto nequeat ſe movere? Reſpondit quæ apparuerat, Tantummodo voveat ſe iturum, & vires augebuntur. Hoc dicto diſparuit. Uxor vero narravit viro quæ viderat, qui facto voto, mane accepto baculo iter aggreſſus, licet cum difficultate ad tumbam Sancti devenit, ſeque ponderans domum regreditur, plenam, ut credimus, poſtmodum capiens ſanitatem.

*De dolore oculorum curato.*

XXXVII. Dolor oculorum curatur.

AUrifex quidam *Gotfridus* nomine, gente *Suevus*, vir miræ ſimplicitatis, in artis illius omni genere cunctis qui erant *Ratiſponæ* peritior, graviſſimam oculorum patiebatur infirmitatem, adeo ut unus oculus excæcaretur, inſuper verſus in cruentam carnem & nigram; non autem habens pretium medicos conducendi, cum vetularum ac mulierum experimenta quam plurima ſine profectu aliquo requiſiſſet, audivit mulierem peritiſſimam in hujuſmodi eſſe apud *Herbipolim*, ad quam dum pergere decreviſſet, ſed careret expenſis, conſultum eſt amicis, ut obmiſſis omnibus, ſuffragia beati requireret *Erminoldi*, quibus ille conſentiens, oculo argenteo fabricato, ad ſepulchrum ſancti eo ſe ponderavit. Mira res ſub ſpatio noctis unius, oculum ſanum ac purum perſpicacioremque recepit, quàm ante morbum ſe meminit habuiſſe.

*De Puella debili curata.*

XXXVIII. Debilis Puella ſanata.

HEnricus quidam civis de *Ratiſpona*, die quadam venit in *Pruvening*, Deo & ſancto ſuo ſupplicaturus. Qui audiens inter multos à ſacerdote qui celebravit, Dei famulum commendari, habere ſe filiam teſtabatur, quæ cum octo annis nunquam ad ambulandum terram ſuis pedibus tetigiſſet, ipſeque adductam eam tribus ponderaſſet vicibus, ad viri Dei ſepulchrum, adepta eſt integram ſanitatem, quæ firmis nunc greſſibus uſque in diem utitur hodiernum.

*De Muliere fraudulenta correcta.*

XXXIX. Fraudulenta mulier corrigitur.

MAter familias quædam de *Ratiſpona*, cum per ſe venire non poſſet, nummum ad offerendum accedendo abſque candelis, per mulierem manentem ſecum in domo, ad ſepulchrum viri Dei tranſmiſit. Quæ cum aliis mulieribus veniens, candelas quidem accendit, nummum obtulit ad ſepulchrum, ſed clanculo retrahens ipſum, & fraudulenter marſupio ſuo eum imponere cogitabat & reſervare. Sed mirum in modum duo digiti quibus illum abſtraxerat & tenebat, ita continuo ſibi ſunt coaſtricti, ut eos nec ab invicem ſolvere, nec nummum excutere prævaleret. Abiit ergo cum ſociabus triſtis & mœrens. Quæ cum veniſſet in campum, cauſam ab illa fletus inquirunt. Illa ſuum confeſſa reatum, manum protulit ſubtractricem, digitis adhuc tenaciter cohærentibus & tenentibus quod abſtulerant in occulto. Quem cum mulieres avellere niterentur, nihilque proficerent, ſaniori uſæ conſilio, cum rea regreſſæ manum cum furto ſuper tumulum poſuerunt, pro abſolutione furis, Deum ejuſque piiſſimum Confeſſorem ſuppliciter invocantes. Statimque digiti qui ad furandum auferendumque cohæſerant, ad reſtituendum laxati ſunt & ſoluti. Denario itaque miſſo in archam, mulieres cum gaudio Deum laudantes & familiam ejus, ad propria redierunt, accepit autem omnes timor & magnificabant Deum, qui hoc miraculum audierunt.

*De*

Digitized by Google

Sæc. XIII. Anno 1281.

### *De surda curata.*

XL. Surda audit.

ALtera quædam *Leukardis* tantam incurrerat surditatem, ut tinnitu aurium crebro nimium læderetur, quæ tumbam viri *Dei* tertio visitans, plenam adepta est sanitatem.

### *De dolore oculorum fugato.*

XLI. Dolor oculorum fugatur.

ALia quædam mulier tantum dolorem patiebatur in oculis, ut multo tempore clausis eisdem cæca esse crederetur, quæ cum ad auxilium viri Dei devota venisset, statim in ipso ingressu Ecclesiæ diu clausi sunt aperti. Apertionem autem eorum tanta est lachrymarum effusio subsecuta, ut vestes mulieris usque ad pectus adeo madidarentur, ut perfusæ fluvio viderentur. Accessit ad tumbam, Deo gratias agens ejusque magnifico Confessori, domum inde rediens, plena post modicum gratulata est sospitate.

Multa quidem & alia signa fecit Jesus, famulum suum honorans, quæ non scripta in libro hoc, quæ vel quorundam simplicium fratrum humilitas ultro suppressit, vel aliorum incuria oblivioni tradidit negligenter. Hæc autem quæ auribus nostris audivimus, patres nostri annuntiaverunt nobis, & seniores fide dignissimi, brevi calamo perstringentes, futura quorum Deus sibi notitiam reservavit adnectenda committimus diligentiæ posterorum. Nam fiduciam talem habemus in Domino quod nisi requirentibus famuli sui dilecti suffragia devotionis & fidei vasa defecerint, sui oleum non deficiet Helisei, ipso præstante qui est benedictus in sæcula sæculorum, Amen.

---

## *EPILOGUS SUPRA DICTORUM.*

CUm fidelium pia devotio amplius & perfectius circa nota quam incognita moveatur, ut universi qui præsentem sunt ingressuri Basilicam, Cœnobii hujus *Prufeningensis* originem ac profectum usque in hæc tempora non ignorent, pagellam hanc omnibus accessuris, vice speculi duximus adhibendam. Sciendum est igitur, quod anno post partum virginis gloriosæ M. C. IX. Beatissimus Pater sanctus *Otto Babenbergensis* Episcopus, divina revelatione præmonitus evidenter, ut in gestis ejusdem plenius continetur, locum hunc in Dei ac sancti Georgii Martyris victoriosissimum fundavit honorem, eoque in domibus, habitaculis, officinis claustro convenientibus, per ipsius studium & industriam laudabiliter consummato, ac communito liberaliter & abunde prædiis, sylvis, cæterisque possessionibus, quas necessitas cœnobialis vitæ requirit, fratres collegit & instituit in eodem, qui sub beati regula *Benedicti* Deo ibi perenniter militarent. Collecto ergo conventu beatum *Erminoldum*, cujus sepulchrum in medio Basilicæ cernitur, huic Ecclesiæ primum Domino disponente præfecit Abbatem, evocatum tam multiplicibus quàm supplicibus literis de *Hirsaugiensi* Cœnobio. In quo sub beati *Wilhelmi* regimine monasticæ vitæ jugum portaverat ab adolescentia sua. Unde jam pridem propter summam perfectionem vitæ laudabilis, cujus famæ præconium longè lateque percrebuerat, ad *Loracensem* Ecclesiam electus est Abbas, & ab *Henrico* V. nominis hujus Imperatore, regalibus solenniter investitus. Cui Ecclesiæ cum paulo plus quam anno gubernatione sanctissima præfuisset, ac sub tantillo spacio temporis, non minus quàm quadraginta Domino sanctæ religioni filios aggregasset, & ibidem, propter quendam conscientiæ levem scrupulum, culpam timens, ubi culpa omninò non erat, dignitatem Abbatiæ illius resignans, cum fratribus Deo collectis ad *Hirsaugiense* cœnobium remigravit, ubi cum suis jocundè receptus est & servatus, & aliquanto tempore demoratus ibidem, demum anno Domini M. C. XIIII. à venerabili fundatore nostro, huic loco, ut dictum est, gubernando præficitur primus Abbas, & rogatu venerabilis domini *Hartwici* tunc *Ratisponensis* Episcopi & consensu, per sanctæ memoriæ *Udalricum Pataviensem* Episcopum in Abbatem solenniter consecratur. Cumque in cura susceptæ regiminis, boni pastoris instar, verbo pariter & exemplo subjectos à malo retraheret, provocaret ad bona, nihilque negligeret faciendum, sed invigilaret divinis operibus incessanter, Diabolus sua damna & Dei lucra videns, & invidens quotidiè crescere per eundem, quosdam malitiæ suæ satellites, ad sancti patris animavit interitum & armavit. Ne igitur venerabilis Christi Confessor, qui regimine Patriarchas, Apostolos documentis & signis, virgines castitate concives habere meruerat, martyrum quoque palma careret, post multas injurias, contumelias, & terrores, ab uno ministro diaboli ligneo

per

Digitized by Google

Sæc. XIII. Anno 1281. per insidias vecte percussus, aliquandiù supervivens, tandem in Sancto Epiphaniarum die, sub Hymno videlicet Angelorum, ad Angelorum regem & regionem glorioso fine transivit, sicut in ipsius festi vigilia, prophetico quo plenus erat spiritu, ipse prædixerat, eo ipso nos quod pro signo sui dederat vaticinii certiorans, quod nunquam videlicet divinum cessare deberet obsequium in hoc loco, quod & ex tunc usque in hæc tempora, sicut patet, ejusdem patris, ut credimus, meritis & obtentu in suo statu permanet & vigore. Spiritu igitur migrante ad cœlos, corpusculum sancti patris in eo quod in præsentiarum cernitur sepulchro, devotè reconditum innumeris mox cœpit virtute *Christi* miraclis coruscare, cæcis viso restituto, quam pluribus contractis & claudis gressu, resolutione turgentibus & inflatis, Epilepticis, paralyticis, energumenis, Dæmoniacis, surdis, hæmorroicis, sospitate potita, blasphemis vero punitis, igne tabefico, lepra & morte postremo qui merebantur punitis, & correctis accedentibus vel agentibus aliquid circa ipsius tumulum fraudulenter, sicut libro miraculorum ipsius plenius manifestatur. Cæterum inter virtutes & signa quæ diximus, non debet hoc minimum reputari, quod cum aliquanto jam tempore memoria sancti Patris ab hominibus intermissa fuerit & neglecta, nunc tandem tam crebra visitatione accedentium jam continuò renovatur, ut hoc quod de justo per sapientem scriptum est: *Eccles. 39.* Non recedet memoria ejus, & nomen ejus requiretur à generatione in generationem, ipso facto & evidentia in eo sit impletum. Propter quod profecto speramus, quod Deus omnipotens in suo famulo glorificari, & in se glorificare disponens eundem, omnes qui per ipsum *Domini* beneficia postulaverunt, piè, fideliter & attente, misericorditer vel ad votum exauditurus sit, vel ad fructum. Cursim ista perstrinximus & summatim, quatenus omnes qui Dei ac famuli sui Patrocinia postulaturi advenerint, ipsius aliqualibet merita cognoscentes, exauditionis suæ fiduciam eo ipso concipiant ampliorem apud *Deum*, qui est benedictus in sæcula sæculorum, Amen.

THEO-

Digitized by Google

# THEODORICI TURINGI,

ORDINIS PRÆDICATORUM,

LIBRI OCTO

DE

# S. ELIZABETH,

ANDREÆ,

REGIS HUNGARORUM

FILIA,

LUDOVICI,

LANDGRAVII THURINGIÆ, PRINCIPIS HASSIÆ & SAXONIÆ, Comitis Palatini,

UXORE.

*Editi ex m. ſ. Codice Monaſterii Rebdorffenſis prope Aichſtadium, & ex m. ſ. membranis Monaſterii S. Magni ad pedem pontis* RATISPONENSIS.



Digitized by Google

# PRÆFATIO CANISII.

## Martyrologium Rom. 19. Novembr.

SÆC. XIII. ANNO 1289.

*IN oppido Marpurg in Germania depoſitio ſanctæ Elizabeth viduæ, Andreæ Regis Hungarorum filiæ, quæ pietatis operibus aſſiduè intenta, miraculis clara migravit ad Dominum.*

Ad quæ Baronius notat:

*Ejus vitam à Jacobo Montano conſcriptam recitat Sur. tom. 6. De eadem Antonin. in 3. part. tit. 19. cap. 11. Petri in Catalo. lib. 10. cap. 79. Crantz. hiſtor. Saxon. lib. 7. c. 48. noviſſimè Marcus Ulyſſipon. Minorita in Chron. Ordin. Min. lib. 9. c. 10. uſque ad 19. part. 1. Exſtant duplices literæ Apoſtolicæ Gregorii Papæ* IX *priores de inquiſitione miraculorum ejus ad Epiſcopum Hildeſemenſem, & Abbates Moguntinæ diœceſis ſcriptæ anno octavo ſuæ ſedis: poſteriores verò de ejuſdem canonizatione: exſtant in ejus rẽgiſtro; illæ ſub anno 8. num. 24. iſtæ ſub anno 91. quarum eſt exordium: Glorioſus in majeſtate ſua.* Hæc Baronius.

Trithemius in Chron. Hirſaugienſi anno 1231.

*Eodem anno (1231.) 3. Calendas Decembr. obiit S. Eliſabeth, filia Regis Hungariæ, uxor Ludovici Pii, Thuringiorum ac Haſſorum Landtgravii quinti, mulier multarum virtutum & ſanctiſſimæ converſationis, ſepulta in Marpurg, oppido Haſſiæ, quæ ſtatim infinitis miraculis clareſcere cœpit. Ejus geſta diffuſè conſcripta ſunt.* Hæc Trithemius, qui ibidem paulo poſt, nempe anno 1236. hæc ſubjungit:

*Anno Erneſti Abbatis V. qui fuit Dominicæ Nativitatis 1236. in die Calendarum Maji S. Eliſabeth in Marpurg, per Archiepiſ. Moguntinum, & Treverenſem, & Epiſcopum Hildenshemenſem Commiſſarios Apoſtolicos, de tumba ſubterranea levata eſt in præſentia Friderici Imp. & multorum Principum, Epiſcoporum, Abbatum, Comitum, Prælatorum, Nobilium, & ignobilium, quorum omnium numerus ad duodecies centena millia fuerat æſtimatus. Ibi facta ſunt coram omni populo infinita miracula, ad ſancti nominis ejus invocationem. Imperator primum lapidem de Sarcophago levavit, & productam ex theſauris ſuis coronam auream ſacro capiti S. Viduæ reverenter impoſuit. Corpus autem ejus ad tumbam auream reconditum eſt, quia per Gregorium Papam nonum canonizata eſt.*

In Epitome Bibl. Geſneri eſt mentio horum 8. librorum Theodorici.

Molanus in Addit. ad Uſuardi Martyrologium die 19. Novemb. hæc habet: In oppido Alemanniæ, nomine Marsburg, depoſitio S. Eliſabeth, Andreæ Regis Hungarorum filiæ. Hæc conſtruxit Xenodochium, ubi vidua pedes lavabat pauperum, manibus propriis abſtergens ſaniem abominabilium infirmorum. Hæc apud Molanum, qui ſubjungit hanc annotationem: De Eliſabeth Examinationem vitæ & miraculorum ejus ſcribunt ad ſanctiſſimum Papam Gregorium Sifridus Epiſcopus Moguntinus,

Re-

Digitized by Google

Remundus Abbas Eberbacenſis, & Magiſter Conradus. Extant & alia de proceſſu & ordine Canonizationis m. ſ. in viridi valle. Epitomen vitæ ſcripſit Theodoricus de Turingia, Ordinis Prædicatorum, ex libris Magiſtri Conradi, Concionatoris ſanctæ Eliſabeth, De ejuſdem vita excudit Cervicornus Jacobum Montanum Spirenſem Coloniæ anno 1521. Hæc Molanus. Sæc. XIII. Anno 1289.

---

# JACOBI BASNAGII
## IN
# THEODORICI THURINGI
## DE VITA
# SANCTE ELISABETHÆ
## LIBROS.
# OBSERVATIO.

BInos *Theodoricos* coætaneos diſtinguit *Voſſius*; quorum uterque Thuringiam habuit patriam: uterque inter Monachos Dominicanos recenſetur; alter vero vitam *Dominici* fundatoris ſcripſit: Hic autem, cui cognomentum de *Apoldia*, Libros de *Elizabetha*, quæ Ludovico IV. Thuringiæ Landgravio nupſerat, enarravit. *Leander Albertus*, qui plurimis Libris catalogum Virorum illuſtrium apud Dominicanos complexus eſt, unum eundemque fecit; Et revera vix credibile eſt, duos ejusdem nominis authores eodem tempore, in eodem loco, apud eosdem Dominicanos floruiſſe. Unicus igitur nobis videtur *Theodoricus Thuringus de Apoldia*, anno 1229 aut circiter natus. Decimum octavum ætatis annum cum ageret, Cœnobiticam vitam profeſſus eſt: Cum jam ſenecturem attigiſſet, ſexagenarius *Vitam Elizabethæ* concinnavit. Varia ad eam rem ſcripta undequaque collegerat ab Ancillis Elizabethæ relicta, Conradi de Martburg, de quo plura l. 3. c. 11. epiſtolam, conciones Monachorum aliquot, denique rumores per vulgus ſparſos. Facili methodo illud opuſculum perfecerat, quippe aliquando verba ipſa deſcribebat, ut ſpecimen videre poſſis in Hiſtoria Landgraviorum Thuringiæ. Nec ipſe diffitetur hanc viam tenuiſſe. Hiſtor. Lat. l. 2.

Erat Elizabetha eodem ſæculo, anno nempe 1207. nata, & anno 1231. defuncta, ſeptem poſt annis in Beatarum numerum relata, Anno ſcilicet 1236. Chriſto ipſo potentior, ſi verum eſſet quod Author retulit, eam ſedecim mortuos in vitam revocaſſe. Sed hæc eſt indoles Monachorum Legendas ſcribentium, ut veritati parum litent.



Digitized by Google

# INCIPIT PROLOGUS IN LIBRUM DE VITA BEATÆ ELIZABETH.

SÆC. XIII. ANNO 1289. *Codex m. ſ. Rebd. Marbuch.*

CUm de vita & moribus & morte miraculiſque beatæ *Elizabeth* perſcrutari cœpiſſem, oblata ſunt mihi quædam ſcripta de prædictis, videlicet *Libellus de dictis Quatuor Ancillarum* ejus confectus, Littera quoque Magiſtri *Cunradi de Martburg*, quam de vita & morte & miraculis ejus domino *Gregorio Papæ* nono ſcripſit. In quibus pura quidem & ſimplex fideique conſona veritas continetur; Veruntamen fateor, in his meo non eſt affectui ſatisfactum. Non enim in eis perſonæ, & perſonarum genus, nomina, dignitates, & officia exprimuntur; ſed nec provinciarum, locorum, temporumque varietates, & vocabula ad hiſtoriam pertinentium ſunt deſcripta. Quæ illi, licet nobis neceſſaria forent nunc, tunc ſibi quaſi notiſſima omiſerunt.

Quomodo ergò legenti ſatisfacient incompleta? ſed nec materiæ ad eandem rem pertinentis conjunctio ibi eſt, ſparſim cunctis poſitis, prout occurrerunt memoriæ referentis. Sub juramento enim narrantium conſcripta ſunt; ſicut dicta teſtium recipi conſueverunt.

Legi præterea ſermonem fratris *Ottonis* de Ordine *Prædicatorum*, doctiſſimi & devotiſſimi viri, qui ſic incipit: *Mulierem fortem.* Et cujuſdam alterius alium ſermonem, qui incipit: Ad decus & honorem. In quibus aliqua de geſtis reperi breviter introducta.

Reſpexi etiam Chronica ſcripta diverſorum, invenire cupiens, quod quærebam. Igitur cum non invenirem ubi requieſceret pes affectus mei, viſitavi Monachorum & Monialium monaſteria, ivi ad civitates, caſtraque, & oppida; interrogavi perſonas antiquiſſimas & veraces: direxi literas, hiſtoriæ hujus integritatem, & rei geſtæ veritatem in his omnibus inveſtigans.

Anno autem incarnationis Dominicæ milleſimo ducenteſimo octogeſimo nono, à tranſitu B. *Elizabeth* quinquageſimo nono, ad laudem eorundem ſcribere incipiens, pauciſſima de his, quæ ſcripta habui depoſui; ſed incompoſita & ſparſa compoſui; inordinata ordinavi; indiſtincta diſtinxi; & ornavi, prout potui, impolita. Multa interſerui, & appoſui; & ſicut congruere credidi, materiæ adaptavi, perſonarum dignitates, nomina & officia, locorum vocabula, & tempora exprimendo.

Quædam ſicut in ſcriptis *reperi*, *de verbo ad verbum poſui*; & nonnulla etiam *variavi*, & univerſa & diverſa in unum colligens hoc opuſculum compilavi.

Teſti-

Digitized by Google

Testificor coram Deo & electis Angelis ejus, me nihil in hoc libello posuisse, nisi quæ ex scriptis probatorum habere potui; & nisi ea, quæ à personis religiosis & multum veracibus intellexi. SÆC. XIII. ANNO 1289.

Quædam præclara audivi miracula, quæ propter dubios relatores scribere formidavi.

Dignissimum quoque duxi (quod & feci) aliqua de pietate *Illustrissimi Principis Ludewici Landgravii*, ejusdem beatæ *Elizabeth* mariti, qui omnis bonitatis ejus promotor & cooperator fidelissimus extitit, annotare. Quod hoc historiæ necessitas & prosecutio exposcebat.

Adhortantibus itaque quibusdam honestis & devotis personis, ego (c) *Dietricus Sacerdos Frater Ordinis Prædicatorum* (b) *Minimus*, cum quadraginta duos in Ordine compleviſſem annos præsens opusculum scripsi.

(a) *Codex m. f. ex S. Magno (quem per literam M. in posterum notamus) legit Theodericus.*

Pertractavi autem mente mea, solus omnia conscribens, emendandoque rescribens plurima sæpiùs, caligantibus oculis, manu mea.

Distinxi verò ipsum in octo libellos propter multam materiam, ne prolixitas tædium generaret; quæ tamen nondum plenè exarata est, juxta suæ exigentiam dignitatis.

(b) *M. minimus & indignus, natione Thuringus, cum plus quàm sexaginta ætatis, & quadraginta duos in Ordine compleviſſem annos, præsens opusculum scribere inchoavi.* CANIS.

Nam præter valdè pauca, quæ omnia ad ejus tumbam, aliàsque meritis ipsius facta sunt, innumera miracula prætermisi. De quibus sanè tàm prolixum opus, quàm prænotatum est, confici poterat, & conscribi.

Postremò fateor me indignum incultè & semiplenè hæc sublimia & grandia gratiæ opera protulisse; optans & sperans aliquem successurum, qui hæc legens & miserans, eruditiori stylo & elegantiori eloquentia corrigens emendabit.

## (c) TITULI.

(c) *M. Hic enumerantur libri.*

*Primus libellus continet statum virginitatis beatæ* Elizabeth *ante matrimonium.*

*Secundus sanctimoniam matrimonii, & quædam præclara gesta.*

*Tertius de virtutibus & magnificentia illustris Principis* Ludewici Landgravii, *mariti ejus.*

*Quartus de peregrinatione & morte ejusdem & de his, quæ beata Elizabeth post obitum ejus pertulit.*

*Quintus de reductione ossium ejus in* Thuringiam: *& quid post sepulturam relicta ejus egerit.*

*Sextus de transitu beatæ* Elizabeth *in Martburg, & mutatione secularis habitus.*

*Septimus de perfectione virtutum ipsius eximia, & operum humilitate maxima.*

*Octavus de morte ejusdem devotissima, & canonizatione solenniſſima, ac translatione glorioſissima, & miraculorum multitudine copioſissima; unde laus & gloria Summæ Trinitati sit, per omnia secula seculorum, Amen.*



Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1289.

# INCIPIT LIBER PRIMUS HUJUS OPERIS: VITÆ DIVÆ ELIZABETH.

(a) M. Incipit tractatus de vita B. Elizabeth.

## CAPUT I.

### *De Nobilitate Parentum ipsius, & de ortu ejus cœlitus ostenso.*

Elisabethæ ortus.

(b) M. Bavarie.

(c) Rebdorf in aliena via.

EO tempore quo *Philippus Suevorum Dux*, frater *Henrici* Imperatoris, & *Otto*, *Hainrici* quondam (b) *Bavariæ* & *Saxoniæ Ducis* filius, à Principibus contentiosè electi, quis eorum arcem *Romani* obtineret *Imperii*, periculosè & hostiliter disceptabant, erat in (c) *Alemannia* Princeps illustris valdè (a) *Hermannus*, *Thuringiæ Lantgravius*, vir utique strenuus & acer in hostes, *Otacari*, Regis *Bohemiæ* consobrinus, qui præfatos Imperatores, nunc istum nunc illum promovens ac provocans alternatim exacerbavit, & contra se in prælium concitavit.

In hujus palatio & familia fuerunt sex viri milites, nataliciis non infimi, ingenio excellentes, honestate morum virtuosi, cantilenarum confectores summi, sua certatim studia efferentes.

Habitabat tunc in partibus *Ungariæ*, in terra quæ *Septem Castra* vocatur, nobilis quidam & dives, trium millium marcarum annuum habens censum, vir Philosophus, litteris & studiis secularibus (d) à primævo ætatis imbutus, Nigromantiæ & Astronomiæ scientiis nihilominus eruditus. Hic magister (e) *Clyncsor* nomine ad dijudicandas prædictorum virorum cantiones in *Thuringiam* per voluntatem & beneplacitum Principum est adductus. Qui antequam ad *Lantgravium* introisset, nocte quadam in *Ysenach* sedens, in area hospitii sui astra magna diligentia intuitus est. Tunc rogatus ab his qui aderant, ut si qua secreta perspexisset, ediceret; Respondit: Noveritis, quod hac nocte nascitur *Regi Ungariæ* filia, quæ *Elizabeth* nuncupabitur, & erit sancta, tradeturque hujus Principis filio in uxorem, de cujus sanctitatis præconio exultabit & exaltabitur omnis terra.

(d) M. apprimè.

(e) Rebd. Cling. Zor.

Ecce! qui per *Balaam* (b) ariolum incarnationis suæ prænunciavit mysterium, ipse per hunc præelectæ famulæ suæ Elizabeth prædixit nomen & ortum.

Regnabat tunc in *Ungaria Andreas Rex*, divitiis clarus & potentia, cujus uxor *Gertrudis* nomine, nobilissimi *Ducis Carinthiæ* filia, ut præmonstratum fuerat à Domino, peperit filiam generis sui decus. Quæ in Christo regenerata *Elizabeth* nomen accepit. Anno Dominicæ incarnationis millesimo ducentesimo septimo.

An. 1207.

Nec multò pòst dicti Principis *Hermanni* primogenito *Ludewico*, optimæ indolis puero, electa illa, illa Elizabeth sancta, adhuc sugens ubera, Dei nutu desponsata est.

Anno igitur à nativitate *Elizabeth* quarto misit *Hermannus Lantgravius* solennes ac

(a) Fuit Frater Ludovici Tertii, Thuringiæ Landgravii, qui Comes Palatinus Saxoniæ ab Imperatore fuerat effectus, deinde post mortem fratris Thuringiam adeptus est. BASN. (b) Diffiteri nequeo, nativitatis Elizabeth cum Salvatoris nativitate comparationem ferri non posse. BASN.

Digitized by Google

ac nobiles utriusque sexus legatos in *Ungariam* pro regis filia in *Thuringiam* adducenda. Quorum principales erant *Comes* (a) *Menhardus* de (a) *Mulhurck*, & nobilis vir *Waltherus de Varila*, (b) dominaque (b) *Bertha* relicta *Egelolfi* de (c) Beindeliben. SÆC. XIII. ANNO 1289.

Erant procedentes cum comitatu & familia multa & apparatu copioso, prout tantæ nobilitatis excellentia requirebat. Qui à principibus & Prælatis atque magnatibus, quorum transiere terras & terminos, cum summa honorificentia sunt susceptí, tam in processu itineris, quam regressu. Venientes itaque ad castrum regis (d) quod *Presbuch* dicitur, jocundè & regaliter sunt recepti.

(a) *M. Meinhardus.*
(b) *M. Berchta.*
(c) *M. Bendeleiben.*
(d) *M. regis munitissimum quod Prespurdt. Intelligit Presburg.*

## CAPUT II.

### *De transductione sanctæ Elizabeth in Thuringiam, & apparatu cum ea adducto.*

ERat autem Rex (c) *Andreas* vir quietus & bonus. Regina verò mulier virtuosa & fortis, quæ fœmineæ cogitationi virilem animum inserens, regni tractabat negotia, filiæque transmittendæ procurabat necessaria. Datis autem nunciis muneribus regiis, præparatisque omnibus, cùm proficisci properarent, auro & argento & sericis involutam, incunabulo argenteo reclinatam, illis Paranymphis nobilibus præsentavit regina filiam suam dicens: Ejus Translatio in Thuringiam.

Domino vestro dicite ut animæquior sit & valens, & ego eum maximis divitiis, si dominus mihi vitam dederit, cumulabo.

Transmisit quoque cum filia vasa aurea & argentea multa & magna & varia, & diademata pretiosissima, & ornamenta, annulos & monilia, multipliciaque vestimentorum paria, & dolium argenteum pro balneo filiæ, lectualia, (e) culturæ coopertoria omnia de serico, purpuras & pannos sericos multos, cum alia supellectili innumerabili pretiosa.

(e) *culcitras.*

Addit insuper mille marcarum pecuniæ summam; nec non & alia: promittens ampliora, si vivere contigisset.

Non sunt allata, nec visa talia, & tam pulchra pretiosaque ac multa in Thuringia, qualia transmisit Regina cum filia sua. Gaudebat namque & gloriabatur de talis Principis nuptiis filiæ procuratis.

Regressi in *Thuringiam* magnifice susceptí sunt. Ipsa quoque regis filia sponso puero infantula apposita est, & quasi figura quædam futurarum peragitur nuptiarum. Enutrita autem est cum omni studio, ut oportuit & decebat.

Posthæc anno evectionis *Elizabeth* tertio, Regina mater ipsius à magnatibus & proceribus regni, in mortem ipsius malitiosè conspirantibus, crudeliter interfecta est. (f)

(f) Vide notam inferiorem (c.)

His ita prælibatis secundum ordinem de vita & moribus, miraculis & operibus, mortisque transitu beatissimæ Dei filiæ & famulæ *Elizabeth*, ad laudem ipsius quæ gesta cognovimus, scribendo posequemur in nomine Domini nostri *Jesu* Christi.

## CAPUT III.

### *De admirabili ejus infantia.*

MIrabilis in sanctis & sanctus in operibus suis Dominus Deus noster, electos suos inhabitans, operatur mirabilia in ipsis. Non enim ætatem in tempore, nec sexum Ejus infantia.

(a) De Nueburg, sic enim habet Historia Landgraviorum Thuringiæ apud Pistorium p. 959. BASN.

(b) De Wargila Hist. Landgr. Thur. ibid.

(c) Res aliter plane narratur, quippe referunt Rerum Hungaricarum Historici; *Andream*, qui nepotis *Ladislai* III. immaturo fato erepti Imperium iniverat *Ungaria*, mandato Pontificio sæpius sollicitatum, ut Crucigeris sese adiceret; paternis tandem per noctem Manibus ita coactum esse, ut parentem voti nexu obstrictum exsolveret. Illi, *autoritate Pontificia*, Summa Christianæ Reipublicæ fuit tradita, & cum cæteris crucigeris Constantinopolim appulit. *Andreas* peregre profecturus, commiserat *Banebanum*, ut Regno prospiceret, cujus uxor, mulier spectatæ pulchritudinis, prope *Gertrudem* noctes atque dies versabatur. Gertrudis frater, qui aliunde advenerat, amore correptus, ita brevi tempore, exarsit, ut Banebani uxorem deperiret. Illam Regina sæpius ad convivium invitat, cedit colloquentibus, & quamcunque sub alio prætextu potest impetrandæ Veneris occasionem impertitur. Tandem in abdito cubiculo, introducto fratre, pudicitiæ jacturam fecit. *Subricuit misella facinus*; sed inter teneros amplexus sponsi postmodum postulavit vindictam. Ille stricto, quem sub toga gerebat, gladio *Gertrudem* inopinantem aggreditur, ac lethali vulnere confodit. Ipsô cruentô, prodit in publicum facinus, audet probare & proficisci Constantinopolim ad Regem, cui cædem cædisque causam aperit. *Fiducia in me tua Banebane*, inquit Andreas, *fat de te bene sperare jubet, si res ita est, ut dicis, in Regnum mox redito, delegatum munus pro soliti fide gerito, quoniam hanc Sanctam expeditionem nullo capitali judicio interpellari fas est: Post reditum in Ungariam te judicabo.* Reverso an. 1219. ab infausta expeditione Andrea, qui *partem virgæ Aaron*, & unam ex *Hydriis*, in quibus aquam in vinum *mutavisse ferunt* Salvatorem nostrum, inde retulerat, uxorem juste cæsam judicavit. *Bonfinius Rerum Ungar. L. VII.* p. 279. Non desunt tamen, qui post Reginæ interitum gravissimas ab interfectore *liberisque pœnas exactas prodiderunt*, & jure quidem, à filiis, quas Gertrudis progenuerat. Talis describitur *Andreas* Elizabethæ parens. Alii narrant multo simplicius, & eam confirmat narrationem Theodoricus ipse, a Petro quodam, conjuratione facta cum Episcopis, cæsam fuisse *Gertrudem*, cum Andreas in Ruthenos meditaretur bellum, legitur enim epistola *Episcopi Granensis* an. 1213. ita scribentis. *Reginam occidere nolite timere bonum est si tamen omnes consentiunt ego non contradicto.* BASN.

Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1289.

sexum discernens in corpore, juxta decretum inscrutabilis sapientiæ suæ perficit in ipsis opera ineffabilis misericordiæ suæ.

Ipso igitur sine quo nihil est validum, nihil sanctum, opitulante, illustris & beata *Elizabeth* adhuc infantula, nondum doli capax, vel ratione utens, jam futuræ in se perfectionis imaginem præferens, frequenter ante altare provoluta, pavimento ore adhærebat, genuflexionesque multiplicans, complicatis manibus & erectis oculis, cœlestibus, prout poterat, intendebat.

Ludens etiam cum coævis puellis saliendo *Capellæ* appropiare solebat. Et cùm intrare non potuit, saltem limina & parietes contingendo osculis honorabat. Paribus in statura se recommensurans, prosternendo occasionem faciendi venias quærebat, velut postmodum recognovit. In ipsis qui pueritiæ congruunt ludis lucrandi spem ad Deum contulit. Pauperculis puellis de lucro dabat decimam, aliaque munuscula, easque per hæc ad dicendam orationem Dominicam & salutationem angelicam obligabat.

Agnoscatur in his operata divinitas. Nam cum humanæ naturæ infantia per varia plerunque, proh dolor, decurrat inquinamenta, cujus quæso hæc in tantillo corpusculo, nisi sancti spiritus gerebantur adminiculo? His aliisque sanctæ indolis insignita præludiis nonum ætatis annum attigit, in quo dominus *Hermannus*, pater sponsi sui, defunctus est.

## CAPUT IV.

### *De innocenti & sancta ejus pueritia.*

Ejus infantia.

*Elizabeth* autem sicut corpore, sic gratia crevit & virtute; in omnibus viis suis Deum cogitans, ipsumque præ oculis mentis habens, fideliter invocabat, dulciter nominabat; omnes in ipsum sensus suos & actus pariter dirigebat; cultum & ornatum corporis, & vanitatem sæculi declinabat. Quotidianum Deo orationes votivas offerebat sacrificium. Quibus quandoque non completis, dum dormitum ire cogeretur, ipsas jacens vigilanter implebat; memor Domini super stratum suum.

NB. *Morem eligendi Patronum Apostolum.*

Videns tunc quomodo Christiani quique venerationis cultu Apostolorum sibi patrocinia providerent, pietatis desiderio accensa, castitatis amatrix, *Joannem* Evangelistam virginitatis custodem optabat habere patronum.

Præmissa igitur oratione supplici, ad electionem cum aliis humili corde accessit. Et ecce nutu Dei juxta desiderii sui votum primo, secundo, ac tertio *Apostolus se obtulit ei concupitus*. Quem tota devotione amanter *amplectens*, omni pietatis studio coluit; adeò ut quidquid ab ea in hujus *Apostoli* nomine sive in injuriis relaxandis, seu in beneficiis conferendis peteretur, nunquam *negaret*; sed hilari liberalitate mox præstaret.

Sanctificabat simplex puella conversationis puritate diem sabbati, dominicis & festis diebus aliquid de ornatu corporis sibi subtrahens, sciens quod non in nitore vestium, sed in humilitate mentium divinitas honoratur. Ideoque his temporibus ante meridiem pro Dei reverentia nec Chirothecas induit, nec manicas consuendo stringere consuevit. Cottidiè etiam quiddam sibi detrahendo suam studuit frangere voluntatem. Unde in ludis puerilibus, cum successus prosperi ejus, ut assolet, animum delectarent, continens se, *Modò*, inquit, *in optimo successu, pro Deo demittam.*

In choreis quoque semel circuiens, Sufficit, ait, *mihi unus pro mundo circuitus*, reliquos pro *Jesu* Christi nomine intermittam.

## CAPUT V.

### *De incremento bonitatis ejus.*

Bonitas ejus.

*Crescebant* & nutriebantur simul *Agnes*, soror sponsi, puella speciosa, & *Elizabeth* virgo Deo devota, cultuque consimili ornabantur. Cumque decenter compositæ, & auro & gemmis coronatæ ex more, subsequente relicta *Hermanni* domina *Sophia* ad Ecclesiam processissent, & loca sua tenerent, mox *Elizabeth* coronam de capite suo deponens, & juxta se collocans, ad caput non reposuit nisi divinis officiis consummatis. Et dum super hoc socrus admirans loqueretur, eidem respondit: *Absit, ut in conspectu Dei, regisque mei Jesu Christi, quem spinis coronatum aspicio, ego res vilis & lutea, fastu elationis coronata appaream.*

Vulneraverat jam tunc charitas tenerum cor, gladiusque dominicæ passionis pertransierat ejus animam delicatam, cujus despectui tantopere conabatur se conformare.

Erant tunc in aula potentes quidam *Secretarii*, piis ejus actibus invidentes, qui amaris

Digitized by Google

amaris verborum injuriis eam afficiebant, & protervis insultationibus ejus teneritudinem perturbabant. Ipsaque socrus ejus, sponsique soror, fastus secularis affectæ honoribus, longe ab humilis *Elizabeth* moribus discrepabant. In quorum omnium medio, velut lilium inter spinas, innocens *Elizabeth*, florens & germinans pungebatur aculeis, sed humilitatis ac patientiæ fragrans suavitatis diffundebat odorem. SÆC. XIII. ANNO 1289.

In mansuetudine itaque improperia sustinens, inclinavit caput suum, nec ambulavit in magnis; sed cum pauperibus sermocinatio ejus, & cum ancillis semper & pedissequis conversatio ejus fuit.

Quis in hujus tenellæ ætatis corpusculo tantùm munus gratiæ & virtutum opera non obstupescat? qualis putas est futura adulta, quæ talis est in pueritia? Quis, ut æstimas, erit in sapore fructus, cujus odor sic fragrat vernans in flore? utique quæ misit radicem deorsum, faciet fructum sursum; afferet fructum multum, faciet multa opera bona, & majora horum faciet, & de fructu manuum suarum plantabit vineam, palmites meritorum, botrosque gratiarum cum vino suavitatis perpetuæ germinantem.

## CAPUT VI.

### *De his quæ in Adolescentia patienter sustinuit.*

TRansactis itaque tam innocenter quam humiliter pueritiæ annis, cùm jam adolescentiæ confinia cœpisset attingere, augebatur quidem intrinsecus per spiritum mentis devotio; sed & insurrexit extrinsecus per seculi malitiam valida tribulatio. Varia sustinet.

Nam cùm nubilis facta esset, & à cognatis, proximis, vasallis, & consiliariis sponsi sui, qui eam diligere, & ei potius obsequi tenebantur, manifestas persecutiones perpessa est; *Salvatoris* exemplo, adversus quem impii mala pro bonis, & odium pro dilectione posuerunt.

Machinabantur frustra, ut repudiata Regi patri suo remitteretur; eo quod minus, quàm decuerit dotis acceperit. Asserentes quod & dotem pinguiorem, & potiora adjutoria posset per filiam cujuspiam vicinioris Principis obtinere.

Ipsa etiam domina *Sophia* satagebat operose, ut in aliquo religioso *Cœnobio Monialium* collegio jungeretur.

Inter hæc Elizabeth exul à domo patria, & hujus mundi peregrina, contemptui se haberi perpendens, medullitus ingemiscens, confugit ad Dominum, tribulationemque suam ante ipsum pronuncians, bonitatis divinæ dispositioni per omnia se subjecit.

Ancillarum & pedissequarum ex more gaudebat consortio, & cooperabatur obsequio, in tantum ut socrus ei dedignans diceret: Non in Principum dominantium, sed in servarum famulantium numero fuisse debueras *Elizabeth* computata.

In his aliisque abundantium opprobriis & superborum despectionibus, erat cor *Elizabeth* fiduciam habens in Domino, qui & in se confidenti non defuit in auxilio opportuno. Occulta quippe inspiratione sua ad dilectionem exulis reginæ cor & affectum Principis sponsi tàm efficaciter inclinavit, ut in solitudine secreti & mutui amoris loqueretur ad cor ejus dulciter, dicens sibi verba bona, verba consolatoria. Qui nimirum ab initio solitus erat cùm alicunde rediret eam allatis xeniis honorare, & amplexibus delinire.

## CAPUT VII.

### *De dubio quod fuit de matrimonio beatæ Elizabethæ.*

PRopter diversas persuasiones, variaque malignorum consilia nonnulli de nuptiis *Elizabeth* dubitare cœperunt. Erant tamen in *Thuringia* quidam nobiles viri justi, prædictorum machinationibus rationabiliter obsistentes. Inter quos fuit *Waltherus* de * *Varila*, miles, vir bonus, qui à patre hujus Principis destinatus in *Ungariam*, beatam *Elizabeth* adduxerat in *Thuringiam*. Dubia circa matrimonium. * M. Varsila.

Hic vice quadam ad sponsum ejus iter agentem accedens in campo dixit secretè, Placeat tibi ut loquar ad te domine mi, indicesque mihi, quod fuero scisitatus; Cui benignus Princeps ait: Loquere confidenter; & ego quidquid tibi conveniens fuerit revelabo. Hic ergo, inquit miles, Obsecro mi, quid de filia *Regis* facere decreveris? Duces eam uxorem, an patri remittes? Tunc Princeps demonstrato magno, quem præ oculis habebat monte, dixit: Vere, si hic, quem vides mons, à radice usque ad summum aureus esset, hunc ego facilius omninò potius contemnerem, quàm *Elizabeth* conjugium refutarem. Sentiant alii & loquantur inaniter, quod judicant; *Elizabeth* ego diligo, ejusque matrimonio nihil præpono. Tunc miles, Peto, ait, mi domine;



Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1289. domine, ut mihi liceat eidem hoc nunciare. At ille dulciter, Dic ei, inquit, & pro ſigno, quod ſibi tranſmiſero præſentato. Proferenſque de burſa ſua dedit nobili illi, quod apud ſe habebat ſpeculum duplex æneis incluſum ſedibus; una parte ſimplex vitrum, & in parte altera imaginem præferens *Crucifixi*. Quod dum ſancta virgo ab illo nobili oblatum caute ſuſciperet, conceptum inde gaudium riſu jocundiſſimo propalavit.

## CAPUT VIII.

### *De nuptiis Ludewici Landgravii cum Elizabeth.*

Elizabethæ nuptiæ. POſt hæc cùm Domino complacuit *Elizabeth* contemptam ab impiis reſpicere, & afflictam conſolari; diſſipavit conſilia maiorum, reprobavit perſuaſiones magnatorum, & inſpiravit confortans præfatum Principem. Qui votum ſuum patefaciens, obſtruxit ora contradicentium, & iniqua loquentium. Nullusque deinceps auſus eſt nuptiis & matrimonio *Elizabeth* verbis vel conſiliis contraire.

Ipſa quippe erat quam dominus ejus præparavit conjugio. Contra cujus placitum non poterat humanæ malitiæ ſtultitia quidquam loqui, nec valuit hominis ſuperare aſtutia, quos Dei providentia conjunxit.

Intuere nunc felicem juvenem ſponſumque pudicum, qui in contrahendo matrimonio, in conſilio impiorum non ſtetit, & poſt aurum non abiit, nec in theſauris pecuniæ ſperavit; ſciens, quoniam pars bona mulier bona, quæ pro bonis factis propriè datur à domino viro bono. Perpende propenſius caſti adoleſcentis animum, qui ſponſæ ſuæ, non ad petulantiam alliciens, ſed potius ad gratiam afficiens, donum tranſmiſit, precioſſimam imaginem *Chriſti Crucifixi*.

(a) *M. anni* 1221. Anno ergo ab incarnatione Domini (a) milleſimo ducenteſimo vigeſimo primo (*a*) *Ludewicus Lantgravius Thuringiæ* inclitus dominam *Elizabeth* virginem caſtam regis *Vngariæ* filiam nobilem & eximiam duxit uxorem, conjunctuſque eſt Dei nutu vir fidelis cum muliere fideli, ſanctus cum ſancta, innocens cum innocente; & non tàm carnale, quàm ſpirituale connubium ſortiri, invicem ſe in charitate Domini, ſupra quàm credi valeat, dilexerunt.

# LIBER SECUNDUS.

## CAPUT I.

### *De ſanctimonia matrimonii ſanctæ Elizabeth.*

Sanctitas Matrimonii Elizabethæ. ERat inter eos honorabile connubium, & thorus immaculatus, non in ardore libidinis, ſed in conjugalis ſanctimoniæ caſtitate. Etenim macerabat adoleſcentula ſancta recenter nupta carnem ſuam multis vigiliis, noctibus ſingulis conſurgens ad orandum, marito quandoque domiente, vel etiam diſſimulante. Multoties autem cùm ipſa ſurgeret, annuente, ejus teneritudini compatiens petiit ab ea ne ſe indiſcrete affligeret. Ad quod cavendum manum ejus caſtiſſimus juvenis ſua tenuit manu, quouſque orabat, exhortans ipſam, & deprecans, ut ad quieſcendum componeret vigiliis laſſa membra.

Magna revera hujus juvenculæ devotio, quæ à carnalis mariti ſurgens per noctem lectulo, quæſivit Chriſtum, quem dilexit verum animæ ſuæ virum. Nec minor certè fides in viro, qui tali ac tantæ uxori non obſtitit, imò favit, fervoremque ejus nimium ſuavi prudentia temperavit. Hujus igitur pudici amoris mutuæque ſocietatis dulcedine affecti abeſſe ab invicem non patiebantur diutius vel longius.

Sequebatur ergo virum frequenter domina per vias aſperas, & non parvas locorum diſtantias, aurarumque intemperies graves, ſinceritatis potius, quàm carnalitatis affectu ducta, Non enim orandi, vigilandi, aut aliàs benefaciendi præſtabat obſtaculum devotiſſimæ conjugi caſta pudici mariti præſentia. Congaudebat enim vir pius ſanctis ejus moribus in Domino, & fidelis extitit exhortator.

Tanto autem fervore Dei famula ad vigilandum in orationibus æſtuabat, ut pediſſequis

(*a*) Hic Ludovicus natus erat an. 1200. ut fert Hiſtoria Landgraviorum Thuringiæ, *fuit mediocris ſtaturæ, decens valde proceritas & gratioſi vultus ſerenitas.* Sic enim deſcribitur BASN.

Digitized by Google

quis committeret, instruens eas, ut trahendo ejus pedicam, ipsam ad orationem, ne somnolentia torpesceret, excitarent. SÆC. XIII.

Accidit ergò per errorem, ut venerabilis *Ysentrudis* pedicam traheret viri dormientis, qui evigilans, conjugisque devotionem cognoscens, sustulit patienter. Itaque excitata surgens, cùm indefessis excubaret vigiliis, evenit frequentius, ut ante lectum viri super tapete orando prolixius, obdormiret. Super quo ab ancillis redarguta respondit: Licet semper orare non possim, tamen hanc carni meæ violentiam inferam, quod avellar interim de lecto. ANNO 1281.

Fugiebat oblectamenta carnalia, & ideò stratum molliorem, & viri contubernium secretissimum, quantum licuit, declinavit. Quem quamvis præcordialis amoris affectu diligeret, querulabatur tamen dolens, quod virginalis decorem floris non meruit conservare. Castigabat etiam plagis multis, & lacerabat diris verberibus carnem puella innocens & pudica.

In principio quidem diebus quadragesimæ, sextisque feriis aliis occultas solebat accipere disciplinas, lætam coram hominibus se ostentans. Post verò convalescens & proficiens in gratia, deserto dilecti thoro surgens, fecit se in secreto cubiculo per ancillarum manus graviter sæpissimè verberari, ad lectumque mariti reversa hilarem se exhibuit & jocundam.

Vere felices conjuges, in quorum consortio tanta munditia, in colloquio pudicitia reperta est. In quibus amor Christi concupiscentiam extinxit, devotio refrenavit petulantiam, fervor spiritus excussit somnolentiam, oratio tutavit conscientiam, charitas benefaciendi facultatem tribuit & lætitiam.

## CAPUT II.

### *Quomodo sedebat in mensa Principis.*

IN mensa quoque ejus assidere lateri contra morem aliarum sublimium fæminarum, solebat, communicationem matrimonii servans, licet ex hoc nonnulla incommoda sustineret. Quomodo sedebat ad mensam. Magister enim *Conradus*, cui de consensu mariti obedientiæ se voto constrinxerat, in mandatis ei dederat, ne de quibuslibet bonis nisi justè quæsitis vesceretur. Cui in hac abstinentia tres pedissequæ consentientes, petierunt à Principe super hoc sibi licentiam indulgeri.

Quibus benignè annuens dixit: Hoc & ego libens facerem, nisi aliorum detractiones & scandala formidarem. Adjuvante autem Domino statum meum cito aliter ordinabo.

Denique domina *Elizabeth* de bonis in dote sibi specialiter assignatis, se & suam familiam procurabat. Assidens verò mensæ Principis coram militibus & ministris panem aliosque cibos frangendo & hinc inde disponendo se comedere simulabat. Cumque propter hujusmodi abstinentiam multam sæpè penuriam pateretur; solis quinque tortulis melle conditis, solo plerumque pane contenta inter multiplices epulas & fercula sici & inedia laborabat. Plus de ancillarum penuria, quàm de propria turbabatur.

Scrutabatur proinde curiosius ab Officialibus & Procuratoribus curiæ, & inveniens pro tempore potum licitum, dixit ancillis: Hodie bibetis. Aliquando cibum licitum, & dixit; Modo comedetis. Cùm verò utrumque licitum scivit, exultans & plaudens manibus cum hilaritate dixit; Bene nobis hodie, comedemus & bibemus.

Ipse etiam pius & dulcis maritus devotionem uxoris cognoscens, dum quicquam scrupulosum sciret appositum, præmunivit eam, ne ejus ex hoc tenera conscientia turbaretur. De hujusmodi verò singulari & inconsueto modo vivendi, multas objurgationes à suis dominus & domina pertulerunt cum multa patientia. Et licet sic domina abstineret ab illicitis, tamen vim vel injuriam passis pro viribus satisfieri laborabat.

Attendat & miretur & imitetur omnis sexus & ætas, quomodo hæc Regis filia in mensa Principis inter tot epulas abstinens, delicias respuit, & in thalamo tàm amati conjugis carnales illecebras non quæsivit.

## CAPUT III.

### *Qualiter visitata à Deo amplius profecit.*

NAm præclaris virtutum exercitiis insignitam famulam suam *Elizabeth* ad sublimiora dum Deus omnipotens vellet provehere, accidit ut in quadam solennitate magna, preciosissimis vestibus, monilibus gemmisque multis ornata, & diademate aureo coronata de castro (a) *Warberch* descendens cum socru alioque multo comitatu, ecclesiam quandam subjacentis oppidi introiisset. Elevans autem oculos, quos semper Profecit in pietate. (a) M. Wartberg.



Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1289.

in introitu Eccleſiæ ad *Crucem* dirigere ſolebat, reſpexit imaginem *Crucifixi*, & conſiderans nudum & ſpinis coronatum, clavis confixum, compuncta in ſe rediens meditari cœpit, dicens intra ſe; En pendet Deus tuus nudus, & tu homo inutilis veſtibus precioſis operiris. Spinis capit ejus pungitur; & tuum caput auro redimitur. Hacque compaſſione affecta cecidit exanimis effecta. Quo viſo turbati aſtantes tollebant eam, & ad oſtium Eccleſiæ propter refrigerium portaverunt; & reclinantes eam, faciem ejus aqua benedicta, quæ aderat, conſperſerunt. Hac viſitatione divinitus inſpirata propoſuit omnem deinceps ornatum poſtponere, in quo non neceſſitatem agnoſceret aliquam. Quod & poſtmodum omni tempore vitæ ſuæ cuſtodivit.

## CAPUT IV.

### *De moderatione veſtium ſæcularium.*

Moderatio circa veſtes.

CORporis exinde proprii magis negligens devotiſſima fæmina, licet in domibus regalibus nata, educata, ſemperque fuerit converſata, omnem tamen ornatum ſeculi, propter amorem ſponſi ſui domini *Jeſu Chriſti*, quem in cruce conſpexerat, & in corde gerebat, parvipendendo, tanquam ſtercora contempſit. Coloratis peplis, fucatiſque velaminibus capitis, manicis valdè ſtrictis, crinalibus, ſericiſque zonis pro ornatu capillis implicitis, longis veſtibus, aliiſque ſuperfluitatibus vanis non utebatur. Sciens quod mentis ſordes attrahit appetitus talium.

Superfluitatem & precioſitatem veſtium omninò devitans, laneis, vel cilicio frequenter utebatur, etiam cum deſuper auratis veſtibus vel purpura tegeretur. Modeſto ſemper & Chriſtianæ religioni congruo proceſſit habitu, quantum principalis dignitas permittebat. Hoc ipſum etiam matronis ſecularibus ad ſe venientibus, verbis & exemplis prædicabat, precum ſuarum inſtantia ipſas obligans, ut ſaltem in uno aliquo vanitatem ſeculi declinarent. Et cùm ad majora non potuit, ſaltem in minimis eas ſuis precibus & monitis coercebat; dans & mittens eiſdem exemplaria, quibus ſalvis bonis moribus uti poſſent.

Sic fidelis Chriſti famula animarum zelatrix, & pietatis amatrix à multis vanitatibus multas, nonnullas verò ad votum etiam continentiæ prædicando perduxit. Hæc & his ſimilia adhuc exiſtens juvencula viro noviter copulata, charitate Chriſti urgente, ejuſque gratia cooperante mirabiliter actitabat contra juvenilis ſtultitiæ appetitum.

## CAPUT V.

### *Quomodo ſe in abſentia mariti habere ſolebat.*

De abſentia Mariti.

MUlier hæc ſancta placens per omnia viro ſuo, non quæ ſeculi, ſed quæ ſunt Domini jugiter cogitavit. Confidebat in ea cor viri ſui. Reddidit quippe ſibi bonum & non malum omnibus diebus vitæ ſuæ. Egrediebatur namque Principatuum ſuorum coactus negotiis, & per multa frequenter temporum ſpatia in longinquis regionibus morabatur. Cumque egredientem ſequi non potuit, ornatum veſtium ipſo abſente mox depoſuit, capitis velamen immutavit, habitum humilem aſſumpſit; tanquam vidua devotè & religioſè ſe geſſit. Mundo quippe placere renuit; in vigiliis, genuflexionibus, orationibus, & verberibus noctes deducens dilecti reditum expectabat. Cognoſcens autem quod rediret quem deſiderabat anima ejus, Princeps pius, ornare decenter & regaliter ſe conſuevit. Dicebat enim: Non pro carnis libidine & mentis elatione, ſed pure pro Chriſti charitate hæc corpori meo ornamenta adhibeo, quatenus diſplicentiæ peccatique occaſionem tollam, ut me ſolam in Domino affectu maritali diligat & licito. ſicque ab eo, qui ſacramentum ſanctificavit conjugii, æternæ vitæ conſortium pariter expectemus.

Hoc modo prudens & pia fæmina marito conjugalis conſortii inviolabilem conſervavit fidem, ut eo abſente ſemetipſam cuſtodiret irreprehenſibilem Deoque devotam, & præſenti gratioſam ſe offerret, amabilem, ac benignam.

Nec defuit ei bonum illud principale matrimonii, quo benedictionem in liberis conſecuta eſt. Dotavit enim Deus eam dote bona, fœcundans uterum ejus ſobole nobiliſſima, ut & ſterilitatis careret opprobrio, & liberorum frueretur ſolatio.

Peperit enim filium *Hermannum* (*a*) nomine, qui ſucceſſor patris *Lantgravius* fuit *Thuringiæ*. Filiam quoque quam duxit conjugem Dux *Brabantiæ*. Itemque aliam filiam, quæ in virginitate permanens in *Aldenburch* (*b*) cœnobio famulabatur, domina exiſtens magiſtra ſanctimonialium uſque hodiè.

Mater

(*a*) In Caſtro Crucemburg 5. Aprilis. BASN. (*b*) Cœnobium ordinis Benedict. in Sylva Cosfurt in honorem Sti. Petri in Flandria conditum. BASN.

Digitized by Google

Mater verò Christianissima impletis purgationis suæ diebus, relicto fastu, quo seculo deditæ uti solent, laneis se induit, assumensque in brachiis quem genuerat parvulum, nudis pedibus clanculo & occulte processit. Ibat siquidem per difficilem castri descensum via dura & saxosa ad Ecclesiam remotam, portans infantulum propriis ulnis exemplo virginis matris, super altare sistens eum Domino cum candela. Deinde ad castrum regressa, tunicam & pallium pauperi mulierculæ dare consuevit. SÆC. XIII. ANNO 1289.

## CAPUT VI.

### *Quomodo libertate sibi concessa à Principe utebatur.*

CErnens prudens & devotus Princeps, quod illustris fæmina omnem intentionem suam ad Deum dirigeret, votis ejus in charitate occurrens, eandem ad pietatis opera invitans, ad omnia, quæ opus Dei & honorem respiciunt, concessit liberam facultatem. Ipsa igitur ad sæcularia non abutens libertate concessa, ad salutaria totis viribus ferebatur, elemosynisque & misericordiis pauperum insistens, in justificationibus Domini exercebatur die ac nocte, & omnia charitatis opera in maxima hilaritate & vultus constantia exhibebat. Quomodo libertate utebatur.

Nam in habitu gloriæ suæ quendam mendicum infirmum, horrendum aspectu, capitis infirmitate laborantem secretè assumpsit, caputque ejus in sinu suo reclinans horridos capillos ipsius sanctis manibus suis totondit, & in occulto pomerii sui loco caput infirmi lavit, hominum vitare cupiens aspectum. à supervenientibus tamen correpta pedissequis ridebat. Nec more aliarum sublimium fæminarum delicata tractabat & sublimia vel subtilia; sed manum mittens ad fortia, fusum apprehendit regis filia; & cum pedissequis suis lanam filabat, telasque fieri procurans pro vestitu (a) religiosis viris fratribus minoribus tribuebat. (a) *M. sanctis viris.*

Pauperum vestes, insuper catechumenorum egenorum propriis manibus consuebat; faciens eos baptizari: de sacro fonte eos levavit, ut compaternitatis occasione liberius eis benefacere posset. Paupercularum parientium frequens fuit consolatrix & visitatrix, ut inspiciens miseros se ad misericordiam & compassionem provocaret, & quantumcunque distarent hospitia, & quantumlibet via esset lutosa vel aspera, eos visitabat. Intrans viles casulas, nec sordes abhorrens, attulit necessaria, consolans eos; recepturam se sperans mercedem ex viæ labore, ex mentis compassione, & doni largitione.

## CAPUT VII.

### *De desiderio sanctæ paupertatis quo ardebat.*

INter cætera gratiarum Dei, quibus hæc beata resplendebat, munera; quod amplius adhuc mirandum est, Evangelicæ desiderium paupertatis, spiritu sancto in ejus dulciter accensum præcordiis fortiter æstuabat. Cùm enim principatus dignitate & magnatorum obsequiis honorata polleret, divitiisque & circumfluentia temporalium redundaret exterius & intra semetipsam spiritu pauper mendicitatem præ his omnibus affectabat. Unde etiam ex desiderio cordis sui verba eructans cum ancillis suis frequenter de paupertate tractabat. Et quia affectus cordis sine effectu operis aliquali esse non poterit, coram ancillis in palatio vestibus jocunditatis se exuit, vilique pallio se induens, despecto panno caput suum operuit, & processit tanquam paupercula coram illis, sic incedens, tanquam præsago corde sui futuri status Prophetilla, dixit ad ipsas: Sic incedam, cùm pro Deo meo miserias sustinebo. Quod & factum est, ut sequentia declarabunt. Tunc verò cum prædicta frequentabat flore juventutis vernabat in corpore, & vigore virtutis in opere; sed mundanæ gloriæ flos decidens ejus aruit in corde. De desiderio paupertatis.

## CAPUT VIII.

### *De quodam miraculo cælitus ostenso.*

QUadam die quia non nisi ab intus gloriam quæsivit, Deus, humilium rex & amator, etiam extrinsecus mirabiliter venustavit. Nam cum tempore quodam à patre ejus Rege *Ungariæ* directi magnati plures ac nobiles ad *Landgravium* accessissent, nec ipsa cultum haberet suæ congruum dignitati, dixit ad eam Princeps: Doleo soror cultu condigno præsentibus his nobilibus te carere; & me tempus ut tibi in ornatu provideam non habere. Cui illa: Non magni pendas hoc, dilectissime frater mi, qui in vestitu proposui nunquam gloriari. Deinde cùm in conspectu illorum fuisset De miraculo quodam.



Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1289.

nobilium evocata, gloriam & magnum decorem impoſuit Dominus ſuper eam. Ecce enim apparuit ſignum magnum de cœlo, & viſa eſt mulier illa ſancta omnium oculis hyacinthini coloris veſtibus inſignita, quæ margaritis erant precioſiſſimis adornatæ. Super quo ſtupens & admirans maritus dum ab ea quæreret, pie ſubridens; Talia, inquit, *ſcit Dominus cùm voluerit operari.*

## CAPUT IX.

### *De liberalitate ſanctæ Elizabeth.*

Ejus liberalitas.

LIberalitatis virtus ſublimium decus & ſingulare perſonarum nobilium ornamentum: in hac regis filia quadam gratioſa prærogativa effulſit. Quam non tàm regalis originis ingenuitas, quàm votiva deſuper infuſæ gratiæ benignitas cordi ejus impreſſerat. Unde eam non pro tranſitoriæ laudis vanitate, ſed ex internæ miſerationis exhibuit charitate. *Job. 31.* Ab infantia quippe cum ea crevit miſeratio, & ab utero matris egreſſa cum ea ad omnem miſerorum aſpectum viſcera ejus movit. Unde tempore quodam in feſtivitate magna cum in (a) *Warbberch* ad Principem multitudo nobilium conveniſſet, & in cænaculo grandi congregati ad convivium filiæ regis conjugis Principis præſentiam expectarent, ipſam taliter contigit retardari: Procedentem enim ad palacium ſub gradu jacens mendicus, ut ſui miſereretur, importunis clamoribus invocavit. Tunc de gradu reſpiciens ad pauperem; Nec tempus, inquit, nec munus, quo tibi ſubveniam, jam habeo. At ille magis ac magis clamabat, ut aliquid acciperet. Tunc illa pretioſum, quod geſtabat mantellum, exuens tribuit clamanti. Quod ille mira celeritate complicans abſceſſit. Dapifer autem in conſpectu omnium nobilium aſtans Principi dixit; Judicet nunc dominus meus, ſi rationi ſit conſonum, quod conjunx ejus prædilecta domina noſtra hac vice protrahit ejus convivium, & tot nobilium impedit tripudium; Veſtivit enim jam nunc pauperem, pallium ſuum tradens ei. Tunc mitiſſimus Princeps, ſubridens dulciter cum cœtu nobilium conjugem advocaturus diſceſſit, Quam in conclavi inveniens, dixit ei, Veniesne ad prandendum nobiſcum dilecta? Cui illa, Parata ſum, inquit, ut vis, frater chariſſime. At ille, Ubi eſt, ait, pallium tuum? Et illa: Ecce in pertica eſt, inquit. Currens autem ancillula mantellum, quod pauperi tribuerat, in pertica reperit, cœlitus reportatum. Quo induta cœleſtis fœmina ad convivium proceſſit. Sic pater cœleſtis ſuum lilium Elizabeth veſtivit, quomodo nec Salomon in omni gloria ſua potuit operiri.

(a) *M. Wartberch.*

## CAPUT X.

### *Quam reverenter ſolebat Miſſarum ſolemniis intereſſe.*

Pietas circa Miſſam.

CIrca divina officia Eccleſiaſtica ſacramenta affectu piiſſimo & ritu Chriſtianiſſimo ferebatur. In omnibus igitur ſemetipſam Dei miniſtram exhibens, frequentabat Eccleſias devotiſſimè cum reverentia & timore; ancillaſque celeri greſſu ad Eccleſiam præveniens, genuflexiones faciebat occultè.

Conſuevit ab adoleſcentia ſua cum humilitate maxima ſemper *Miſſarum* ſacris myſteriis intereſſe. Oculis namque fidei excellentiam ineffabilem intuens *Sacramenti*, ad propriæ conditionis parvitatem reſpiciens, ornatum corporis exteriorem, capitis, pectoris, brachiorum, digitorum, cæterorumque membrorum infra *Miſſæ Officium* ſolvit & minuit, inclinavit, vel penitus removit.

Hora verò *Evangelicæ Lectionis*, & *Canonis*, & qua *Dominicum Corpus* & *Sanguis* à *Sacerdote* immolatur & ſumitur, hanc humiliationem præcipuè ſtuduit exhibere. Flagrabat enim erga *Sacramentum* hoc fervore omnium medullarum; ſtupore admirans grandi illam chariſſimam dignationem & dignantiſſimam charitatem

Igitur dum ſanctiſſima fœmina die quadam infra *Canonem* plicatis ſub chlamyde manibus intentius orans, fervido in Chriſtum moveretur affectu, lux eam cœlica circumfulſit. Aſtitit autem tunc Sacerdos quidam bonus ſanctæ converſationis, opinione & devotione laudabilis, cujus aperuit Deus oculos, & in hora *Conſecrationis Corporis Dominici* vidit faciem ejus claritate nimia divinitus illuſtratam, tanquam ſolem radios lucifluos emittentem; ut mirabilis circa mentem illuſtrationis, mira circa corpus illuſtratio teſtis eſſet.

Erat autem talis ac tanta cœleſtis illius lucis claritas circumfuſa, ut corporali luce obumbrata ipſam nequaquam poſſet præ ſplendore divino corporalibus oculis intueri. Stupuit nimis homo ille, glorificans Deum ſuum. Tandem hoc, quod viderat, ad laudem ejus, qui facit mirabilia, enarravit.

CA-

Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1289.

## CAPUT XI.

*Qualiter sacra tempora coluit, festivitates celebravit.*

OBservationes sacras ab Ecclesia institutas religiosè & sollicitè custodivit. Nempe quadragesimalis jejunii tempus, orationibus, abstinentia, eleemosynis insistendo peregit. Corpus nihilominus proprium multis verberibus castigando. Festivitates quoque quibus nostræ redemptionis beneficia recoluntur, quanta veneratione adoraverit, qua charitate amplexa fuerit, qua pietate susceperit, qua fide coluerit, quis digne enarrabit? Dies festos celebrat.

Audi quid fecerit. Etenim die qua domini celebratur *Cœna*, filia regis Regi, qui ea die surgens à cœna posuit vestimenta sua, se conformans; preciosas vestes postmeridiem exuit, popularisque religionis indumenta susceperit incedens humiliter, calceis cruri alligatis utens. Quis unquam de regis filia audivit talia? Solebat insuper ea die semper solenne mandatum Christi imitatrix exhibere pauperibus. Duodecim enim pauperum pedes lavit, singulis nummos duodecim, pannumque pro vestimento & panem similaginis tribuens.

Collegit præterea anno quodam ipsa die multos leprosos, eorum pedes manusque lavans, & in ipsis loca ulcerosa & horrenda deosculans, pedibus eorum humillime se prostravit. Deinceps ubicunque tales reperit assidens illis consolabatur eos, exhortans ad patientiam; nec plus eos, quàm sanos horruit, largiens eis eleemosynas abundanter.

Transacta sacra illa nocte in orationibus & ex memoria dominicæ passionis, pietatis & humilitatis affectione concepta, manè dixit ancillis suis: Hodie dies humiliationis est, nullam à vobis volo mihi reverentiam exhiberi. Humilianque semetipsam & in similitudinem pauperum facta, ordinavit more pauperum in gremio suo lini fasciculos plurimos parvulos, & plenum thure vasculum, de ceraque lumina parva multa nummorumque talenta non pauca. Sicque inter populares mixta ad singularum Ecclesiarum processit altaria nudis pedibus, & factis genuflexionibus ad singula fasciculum lini parvulum, & thus cum lumine modico obtulit. Et inclinans humiliter discessit.

Transiens verò in plateis nummos pauperibus largiter erogabat. Ibat sic & comprimebatur tanquam una de populo. Reprehensa autem de oblationis parvitate, eo quod Princeps & domina offerre deberet magna; sed ipsa simplicitatem honestati prætulit; quoniam non ex tenacitate, sed ex humilitate prodiit. Et in spiritu humilitatis sacrificium Deus suscepit.

In diebus *Rogationum* cùm quidam contra Sanctorum decreta facientes preciosis & delicatis vestibus decorantur; ipsa Princeps regis filia laneis induta, nudis pedibus processionem *Crucis* & *Sanctorum Reliquias* devotissime sequebatur.

Verbum quoque Dei auditura Christi discipula in prædicationum stationibus inter pauperrimas fœmina nobilissima se semper locarè consuevit; sciens quia semina in vallibus jactata in segetem plurimam ubertim pullulant & excrescunt.

---

# LIBER TERTIUS.

## CAPUT I.

### (a) *De claris actibus Landgravii Ludewici, conjugis sanctæ Elizabeth.*

(a) *M. De commendatione illustrissimi Ludewici Landgravii Turingorum.*

LIbrum oportet hîc annectere de *Ludewico* Principe glorioso *Thuringorum*, ut quemadmodum beatæ *Elizabeth* in hac vita dignus habitus est consortio, ita nunc expers & alienus non sit ab ipsius laudis præconio. Omnium namque beneficiorum ejus dulcis fautor, fidelis exhortator, & efficax extitit coadjutor. Sed virtutes ejus quis valet enarrare? quis virtutem animi? quis corporis ejus pulchritudinem explicet? Extulit eum mediocris staturæ decens valde proceritas, & gratiosi vultus serenitas, specioso forma præ filiis hominum imagine, ut aiunt, repræsentans. Nec erat, qui ejus aspectui amabili non hæreret. Erat pudicus sensibus, carne mundus. De Ludovico Landgravio.

Qui die quadam stans de fenestra spectabat de subter ducentes choream. Cui astans aliquis, demonstrata una de ducentibus choreas fœminis ait; Hujus amplexu si volueris, mi domine, frui te faciam. Tunc vehementer iratus Princeps, Obmutesce, inquit,

Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1289.

quit, & nunquam talia deinceps auribus meis inferas; ſi meam volueris gratiam & amicitiam retinere. Confuſus à pudico ille miſer impudicus, ſtupens tremuit, & obmutuit refutatus. Fuit inſuper eloquio dulcis, moribus ſuavis, animo conſtans, & virilis, exercitiis militaribus ſtrenuus, & agilis.

## CAPUT II.

### *Qualiter leonem perterruit.*

Leonem terret.

ERat quidam leo in curia Principis, & accidit die quadam, ut mane de ſtratu ſuo conſurgens linea tantùm inſuper injecta veſte, ſotularibuſque indutus, obvium haberet leonem contra ſe ſævientem. Cui elevato pugno comminatus eſt, viriliter increpando. Mox beſtia feritate depoſita, viri pedibus ſe proſtravit, motu caudæ ſuæ blandiens iraſcenti. Tandem faculis vix ſubjugata beſtia, magiſtrum beſtiæ Princeps graviter reprehendit. Hoc factum non tàm magnanimitati, quàm fidei æſtimo deputandum.

## CAPUT III.

### *De excellentia morum & ſtatus ejus.*

Mores ejus.

IN ore ejus non eſt inventum mendacium, fuitque ejus Eſt eſt; non, non. Et verba ejus fideliſſima & vera erant; quibus tanquam juramento firmatis ob omnibus credebatur. Ad omnes fæminas reverens extitit & verecundus; largus & benignus militibus, & familiaribus ſocialis & jocundus; Baronibus & nobilibus venerabilis; Principibus & magnatibus ſpectabilis; cunctiſque generaliter affabilis, tractabilis, & amabilis, & ut concludamus omnia, Deum timuit, dilexit, & coluit.

Quotidiè in ejus præſentia ſolenniter divina agebantur *Myſteria:* ubi devotus ſemper aſtitit, Deumque ſuum cum reverentia adoravit. In conſpectu ejus pulchritudo erat, & munditia; in actibus magnificentia; in omni ejus familia diſciplina: Nec audebat aliquis actum præſumere illicitum, vel verbum loqui impudicum. Quod ſi quiſquam præſumpſerat, durius vapulabat. Ob hoc tanquam à capite membrorum ſanitas, manabat omnium inferiorum bonitas. Fuerunt quippe tunc nobiles veraces, & pacifici milites fideles, ſuis ſtipendiis contenti, reliqui de populo humiles & quieti. Fecit enim Princeps judicium & juſtitiam, ideoque erat tunc pax & veritas, bonorum omnium abundantia, & ubique habitabant homines confidenter. Erat tunc ſublimis & famoſa *Thuringiæ* provincia, gens acceptabilis & devota, tanti Principis nomine inſignita, ſanctæque *Elizabeth* meritis nominata.

## CAPUT IV.

### *De Caſtitate hujus Principis.*

Caſtitas.

INter cætera virtutum inſignia, quibus floruit, caſtitas in eo præcipuè, & pudicitia reſplenduit. Nam cùm aliquando urgentibus negotiis terram longinquam cujuſdam Principis ſui conſanguinei proximi adiiſſet, cum reverentia & amicitia multa ſuſceptus eſt ſolenniter. Cumque poſt epulas & delicias copioſas ad quieſcendum perveniſſet, muliercula quædam lecto ejus ab impudicis injecta eſt. Quod præſciens vir caſtus nobili illi & dilecto militi ſuo *Walthero* de *Varila* ſecretè dixit: Amove cautè à ſtratu meo fæminam hanc; eique marcam argenti illico trade. Vere enim dico tibi, etiamſi in hoc facto adulterii crimen non abhorrerem, nollem tamen in hoc caſu meam *Elizabeth* contriſtare.

Ecce novus & admirandus *Joſeph*, qui propter fidem oblatum crimen adulterii recuſavit.

## CAPUT V.

### *Qualiter recuſavit Adulterium.*

Adulterium recuſat.

ERat in *Thuringia* miles divitiis locuples, uxorem habens pulchram, ſed ſterilem; cujus non ex ſe, *ſed ex viri defectu ſterilitas cauſabatur*. Dolens autem miles ad extraneos opes ſuas devolvi hæredes, blandè induxit conjugem, ut ſibi hæredem ex adulterio procuraret. Adiit ergò ſtultus *Principem* terræ cum timore multo, dicens ad eum: Mi domine, oro, ut benigne quod loquor, auſcultes, & diligenter occultes. Cui dum Princeps loquendi fiduciam præſtitiſſet; miſer ille pavens ac tremens

Digitized by Google

mens turpe mentis conceptum, pudicis auribus instillavit, beatum se dicens, & æstimans si de talis personæ altissimo sanguine possessionum suarum meruisset hæredem habere. Tunc utpote verecundus & pius infelicis hominis votum impium, & despexit cordetenus, & vocetenus approbavit, rubori supplicis condescendens. Statutoque veniendi die ab invicem discesserunt. Tunc prudens Princeps efficacem illius morbo medicinam, tanquam sibimet necessariam præcepit à medicis præparari. Credebant infirmatum Principem & medicinam præparant efficacem. Quam paratam assumens Princeps, ad locum properat assignatum. Suscipitur jocundè gratus hospes, reficitur delicatè. Considens autem illis electuarium protulit, & militi obtulit ad edendum. Cujus efficaciam miser illicò expertus in se, seorsum sumens Principem, dixit ei; Obsecro mi domine, ut quemadmodum huc venisti, digneris reverti; sentio enim in me potentiam, quam hactenus expertus nunquam fui. Cui *Lantgravius*; Non reputes ait, quod venerim, ut adulterium committerem, sed ad hoc potissimum, ut te ab hoc opprobrio eriperem, & uxorem tuam ab infamia liberarem. Venerat autem *Lantgravius* solus à venatoribus discedens. Fuit enim iste de ministerialibus, qui loca possident nemorosa. O vere optimum & piissimum virum, *qui se propter amicum reputari defectuosum voluit, & sua quodammodo infamia famam alterius studuit conservare!* (a) SÆC. XIII. ANNO 1289.

## CAPUT VI.

### *De Misericordia, quam beata Elizabeth tempore Caristiæ pauperibus exhibuit indefessa.*

ANno Domini millesimo ducentesimo vigesimo quinto, proficiscente in (*) *Apuliam* ad *Imperatorem Fridericum Ludewico Thuringiæ Landgravio*, ad *Curiam Cremonensem*, per totam *Alemanniam* suborta est Caristia gravis, & ferè duobus annis durans multos fame peremit. Tunc misericors *Elizabeth* miserorum compassione permota, omnem annonam de suis granariis collectam in pauperum eleemosynas erogavit. Quibusdam, id est, multis tantùm singulis diebus, quantum necessitati opus erat, tribuit, & quantumlibet dabat, accipienti per diem Dei munere satis erat. *Anno* 1225. Elizabethæ misericordia. (*) Lege Italiam.

Sub castro etiam *Wartperch* altissimo, ubi tunc etiam morabatur hospitale constituit, in quo infirmos & debiles plurimosque qui generalem eleemosynam expectare non poterant, collocavit. Quos non obstante montis altitudine, singulis diebus pluries visitabat, singulorum desiderio satisfaciens tàm in cibo, quàm in potu. Abominabiles magis inter eos & debiles quosdam pavit, quibusdam stravit, alios in humeros suos sustulit, multaque officia humanitatis impendit.

Et licet nullam corruptionem aëris ubicunque aliàs potuerit sustinere, infirmorum tamen etiam in æstivo tempore fœtores, quos ancillæ graviter & cum murmure vix tolerabant, ipsa sine omni horrore pertulit; hilariter manibus tractans eos, faciei ipsorum salivam, sputum, sordes oris & narium velo sui capitis detergebat. Præter hos in eadem domo puerulos pauperes nutrivit; tàm dulciter se eis exhibens, ut eam omnes matrem appellarent, domumque intrantem accurrendo circumdarent sibi filialiter assidendo. Inter quos scabiosos, infirmos, debiles, magis sordidos, & deformes specialiter dilexit; capita eorum manibus attrectans, & in sinu suo collocans.

## CAPUT VII.

### *De quibusdam miraculis, quæ ostendit Deus per eam.*

IPse autem pietatis amator Deus, in rebus vilibus opus suæ magnitudinis demonstravit. Cùm enim pauperum hæc nutricia parvulis suis infirmis vascula fictilia, anulos vitreos & quædam alia (a) puerorum jocalia oportuna xenia proprio pallio deferret, equo vecta de oppido supra castrum, omnia illa de rupe altissima prærupta ceciderunt. Quæ licet ad petram allisa, merito tamen deferentis, sana & integra omnia permanserunt; & ab ipsa sunt pueris pro solatio distributa. Miracula. (a) *M. quædam puerorum solatio oportuna xenia.*

Præter hoc, de universitate pauperum pauperiores & debiliores elegit, quibus ante castrum locatis reliquias mensæ suæ propria manu distribuit; sibi & ancillis multum subtrahens, ut pauperibus erogaret.

Cùm autem quadam die, post datam eleemosynam reliquias potus modicæ quantitatis, quæ in vase quodam remanserant, distribuens omnibus divisisset, fermè nihil imminutum videbatur; sed quantum prius fuerat, tantùm postmodum apparebat.

Non solùm in prædicto hospitali, omnibus charitatis beneficia petentibus largè exhi-



(a) Anilos nugæ, quæ posteritati cum laude transmittuntur. BASN.

Digitized by Google

Sæc. XIII. Anno 1289.

hibuit, sed & in omnibus finibus dominationis viri sui, omnes proventus de quatuor principatibus ejus, evacuans in alimoniam pauperum consumpsit liberaliter, & expendit pro his alendis.

Quidquid mundus pretiosum æstimat & magnum, postposuit; vendens sui corporis ornamenta, ut Christi reficeret membra. Pro his quidquid mundus respicit, elegit; dum ad mulgendum, ut misero lac desideranti satisfieret, se præbuit. Pro his quod mundus abominans refugit, suo gremio suscepit, dum horrendos infirmos sordidosque manibus tractans abluit.

In prænominato autem hospitali viginti octo pauperes infirmos eo modo locaverat, ut uno mortuo continuò alter ejus uteretur lecto. Pro ægroto etiam quodam debitorum sibi conscio reddidit debitum, & trepidantem conscientiam absolvit.

Sed & nongenti pauperes quotidiè in aspectu ejus per ministros de consolatione eleemosynarum reficiebantur.

Cumque sic usque ad messem pavislet multitudinem, cunctis laborare valentibus, camisias, calceos, falcesque dedit, ut deinceps de suis laboribus pascerentur. Laborare verò non valentibus, vestiunculas in foro emptas tradidit. Quæ omnia libenter propriis manibus distribuit. Valedicens autem recedentibus singulis dona obtulit. Et cùm pecunia deficeret, pauperculis fœminis pepla, & alia xenia serica dabat, dicens: Nolo quod his ad voluptatem, sed vendendo ad vestram utamini necessitatem, & pro viribus justis laboribus insistatis. Inter quas dum uni camisias, calceos & surcotum dedisset, exhilarata nimis, clamavit, nunquam simile gaudium fuisse in mundo, & præ nimio gaudio corruens in terram mortua putabatur. Quæ videns beata fœmina timuit, se mortis ejus causam extitisse.

Ad mortuorum pauperum sepulturam vestes propriis manibus fecit, ipsosque tractans & manibus tangens, eorum humiliter exequiis studuit interesse. Ipsa velum lineum albissimum & magnum in partes conscidit, & tantùm mortuis sepeliendis impendit. Divitum quoque mortuorum corpora novis linteis & camisis non sinebat involvi, sed veteribus, suadens meliora dari pauperibus.

## CAPUT VIII.

### *De reditu Landgravii ab Imperatore.*

Ludovici reditus ab Imperatore.

HÆc & alia multa præclara pietatis & misericordiæ opera, juvante viro, devota mente & indefesso corde peregit. Cujus consensu & exhortatione ad facienda bona quæque & eleemosynas ducebatur. Cum autem post multos menses ab *Imperatore Lantgravius* rediisset, exultavit tota terra, Principem suum cum inæstimabili gaudio suscipiens lætabunda. Gaudebat præcipuè mater & fratres, sed jocundabatur domina *Elizabeth* super omnes. De cujus nimia eleemosynarum effusione, dum dispensatores apud Principem causarentur & œconomi; Sinite, inquit piissimus, eam benefacere, & quæcunque vult pro Deo dare (a) *Warpergh* tantùm, & *Nevenburgh* meæ ditioni servate.

(a) *M. Wartberg tantum & Nuwenburg.*

In prædictis itaque suum dominus beneplacitum sacro testante eloquio declaravit, dicens: In tribus beneplacitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo & hominibus, concordia fratrum, amor proximorum, & vir & mulier benè consentientes sibi. Ambulavit siquidem gloriosus Princeps cum suis germanis fratribus, dulciter, æqualiter, & benignè: aliis omnibus, maximeque egenis & pauperibus piam & proficuam exhibens charitatem.

Quàm bonus verò & sincerus beati viri cum electa muliere consensus extiterit, hujus scripturæ testimonia lucidè manifestant.

## CAPUT IX.

### *De venerabili magistro* Conrado *de* Marburg.

De Conrado de Marburg.

ERant eo tempore inter Episcopos & Sacerdotes quidam viri justi & perfecti, quorum exemplis & documentis Deus omnipotens suam tunc Ecclesiam sustentabat. Inter quos magister *Conradus* de *Marburch* velut clarum sidus in *Alemannia* præfulsit. Fuit enim eruditus scientia, conversatione purus, & vita evangelica; affluens doctrina, zelator Catholicæ fidei, & expugnator validissimus hæreticæ pravitatis. Hic divitias & possessiones temporales & beneficia Ecclesiastica habere noluit; simplici, modesto, & humili clericali habitu contentus, gravis in moribus, & maturus, aspectu asterus, bonis Christianis gratus, & benignus; pravis autem & perfidis in judicando justus & districtus fuit.

Præ-

Digitized by Google

Prædicabat autem per totam *Teutoniam* auctoritate *Apoſtolica*, & ſequebatur eum Cleri & populi innumera multitudo. Metuebantque eum utpote virum ſanctum & juſtum omnes, alii amore, alii timore. Hunc dominus *Ludewicus Lantgravius* tanto honore coluit & extulit, ut eidem omnia beneficia, quorum jus *Patronatus* ad ipſum pertinebat, committeret conferenda. Conſenſit quoque quod domina *Elizabeth* uxor ſua ad manus dicti viri votum obedientiæ & continentiæ emitteret, lege & jure matrimonii ſibi ſalvo. Factum eſt hoc in civitate *Yſenacenſi*, in Cœnobio *Sanctimonialium* Beatæ *Catherinæ*. Cuſtodivit ergò mulier ſancta obedientiam ſtrictam & humilem, ſicut voverat, propter Deum. Sæc. XIII. Anno 1289.

Accidit ergò ut vocata à Magiſtro ad prædicationem per *Marchioniſſam Miſnenſem*, viri ſui ſororem, quæ ſupervenerat, tunc præpedita non veniret. Mandavit ergò ei ſervus Dei, quod propter hanc inobedientiam ejus deinceps gerere nollet curam. At illa feſtinans die ſequenti venit, recipique in gratiam poſtulavit. Quod dum renueret vir ſerius & ſeverus; ad pedes ejus humiliter ſe proſternens filia regis, veniam impetravit. Ancillas verò ejus durius verberibus caſtigavit. Itaque duobus annis vivente marito obedientiam exhibuit, poſt mortem verò ejus multò ampliorem.

---

# LIBER QUARTUS.

## CAPUT I.

### *Qualiter maritus ſanctæ Elizabeth ſignatur cruce in ſubſidium terræ ſanctæ.*

FActum eſt tandem anno milleſimo ducenteſimo vigeſimo ſeptimo generale *Paſſagium* ad *Terram Sanctam*, in quo etiam *Fridericus Romanus* (a) *Imperator* transfretavit. De mandato quippe *Pontificis* ſummi prædicabatur *Crux* in ſubſidium *Sanctæ Terræ*. Tunc multi *Archiepiſcopi*, & *Epiſcopi*, & *Principes*, aliique Chriſti fideles zelo fidei contra inimicos Chriſti accenſi, *Cruce* ipſius ſignati ſunt, contra gentiles fideliter pugnaturi. *Ludewicus* verò eximius Princeps *Thuringorum Lantgravius*, vir Chriſtianiſſimus, habito cum venerabili patre domino *Conrado*, *Hildenſemenſi Epiſcopo*, maturo conſilio, ab eodem *Cruce* ſignatus eſt in nomine *Jeſu* Chriſti, latereque uſque ad tempus oportunum cupiens, ſignum quod acceperat, veſtimento, ut moris eſt, mox non affixit, ne uxor, quæ eum tenerrimo diligebat affectu, hoc aſpiciens de futura ejus abſentia anxia turbaretur. Quod tandem dum ejus marſupium cingulo ſolito revolveret, reperiens; miro ſtupore reſoluta conſternata eſt. Cujus mœſticiam ſuaviſſimus Princeps divinis monitis & dictis dulcibus delinivit. *An.* 1227. Ludovicus ſignatur.

## CAPUT II.

### *Qualiter valedicens ſuis diſceſſit.*

DEinde diſpoſita terra, ſuiſque principatibus ordinatis, viſitavit monachorum & monialium cœnobia, benedictionem ab ipſis accipiens, & eorum ſe orationibus recommendans. Deinde (a) *Schmalchalden*, oppidum ſuæ ditionis, veniens, invenit præcordiales ſibi, quibus inſalutatis abire noluit, quos illic juſſerat congregari. (b) Quibus valefaciens cum mœrore, commiſit ſuis fratribus natos cum uxore; matremque deoſculatus filiali (b) more, vix eam alloquitur cordis præ dolore. Suis valedicit. (a) *M. Schmalkalden.* (b) *Amore.*

*Illis mota viſcera, corda tremuerunt,*
*Dum alter in alterius colla irruerunt,*
*Expetentes oſcula, quæ vix exceperunt*
*Propter multitudines, quæ eos compreſſerunt.*
*Mater tenens filium, uxorque maritum*
*In diverſa pertrahunt, & tenent invitum,*

(a) Verum non eſt, Imperator enim non transfretavit, ſed *remanſit in continenti*, ut ferunt Stéronis Annales. Ideoque poſtea ingens conflatum eſt inter Imperatorem & Pontificem diſſidium, eo quod votum peregrinationis non ſolviſſet. Fridericus Palæſtinam quidem petit, ſed poſtea. Basn. (b) Hic jam initium Carminis lugubris ſequentis inepti.



Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1289.

*Fratres cum militibus velut compeditum*
*Stringunt, nec discedere sinunt expeditum.*
*Erat in exercitu maximus tumultus,*
*Cum carorum cernerent alternari vultus.*
*Flebant omnes pariter senex & adultus,*
*Turbæ cum militibus, cultus & incultus.*
*Eia quis non plangeret cum videret flentes,*
*Tot honestos nobiles, tàm diversas gentes*
*Cum* Thuringis Saxones *illuc venientes,*
*Ut viderent socios suos abscedentes.*
*Amico luctamine cuncti certavere,*
*Quis eum diutius posset retinere.*
*Quidam collo brachiis, quidam inhæsere*
*Vestibus, nec poterat cuiquam respondere.*
*Tandem se de manibus eximens suorum,*
*Magnatorum socius & peregrinorum,*
*Admixtus tandem cœtui cruce signatorum*
*Non visurus amplius terram Thuringorum.*

Ascendens itaque super equum suum Princeps pacis cum multis *Baronibus*, *Nobilibus*, *Militibus* armigeris, aliisque Christi fidelibus plurimis, valedicentes terræ & populo remanenti, circa finem mensis *Junii* peregrè profecti sunt in nomine Domini, ipsum cordibus & vocibus collaudantes.

Erat ibi tunc mœstitudo maxima, luctus & planctus ingens; voces miserabiles, larga lachrymarum effusio cum rugitu anxio & clamore. Erat nihilominus devota illic mens, & vox grata benedicentium Deum. O permixtum turbulenta mœstitia pium tripudium! ubi fletus & planctus concentui jungitur, dum parentes à filiis, & viri ab uxoribus pro charitate fidei sejunguntur.

## CAPUT III.

### *Qualiter prosecuta est beata Elizabeth Conjugem aliquantulum.*

Eum aliquantulum sequitur Elizabetha.

SEquebatur non à longe, sed à prope, corde mœstissimo, mulier fidelissima, Principem dulcissimum, amantissimum conjugem, peregrè abeuntem extra terminos *Thuringiæ*, ipsum ulterius, proh dolor, non visura. Tunc oportunè reversuram vis amoris & separationis dolor retinuit, & ad iter unius diei progredi compulit importunè. Sed nec ista suffecit progressio; processit adhuc discessionis impatiens, diei alterius iter complens.

Quid sibi vult hoc? utique vinculum amoris & vis doloris intentionem multiplicant progressionis. Rupit tamen moras affectionis, fortis, ut mors, dilectio conditoris. Discedunt tandem ab invicem animante *Pincerna Rudolfo*. Quis putas, gemitus, quæ suspiria, qui singultus, quæ lachrymæ, quis motus, vel strepitus cordis, ubi tàm importuna & vehemens scissio, & tàm amara & violenta intercedit separatio! Secedunt tamen & discedunt ab invicem.

O intolerabilis & amarissima discessio, in qua abscondita est ab oculis omnium intuentium consolatio! O quantus luctus & planctus omnium, quanta præcipuè dominæ, & cum ea redeuntium lamenta puellarum!

Perrexit dominus exultans, ut gigas ad currendam viam; rediit domina plorans, ut vidua, & lachrymæ in maxillis ejus. Exuta verò vestibus jucunditatis, viduitatis assumpsit habitum; sola sedens domina gentium, Princeps Provinciarum, ad Deum totaliter se convertit; operibus bonis præcedentibus adjiciens meliora.

## CAPUT IV.

### *Ubi Lantgravius febricitare cœpit.*

Ludovicus febricitat.

POrrò benè dispositis omnibus, cum gaudio & jocunditate maxima profectus est *Ludewicus Thuringiæ Lantgravius*, *Princeps Hassiæ & Saxoniæ*, *Comes Palatinus*, de terra sua eligens exulare pro amore *Jesu* Christi, ut in cœlesti patria ab ipso recipi mereretur.

Cum tranquillitate igitur pacis transiens *Franconiam*, *Sueviam*, & *Bavariam*, & trans alpes *Italiam*, *Lombardiam*, *Tusciamque*, venit in *Siciliam*, ubi Imperator *Fridericus* ipsum cum inæstimabili gaudio susceptit in civitate, quæ *Troja* nuncupatur. Cum quo per totam viam progrediens, tandem *Brundusium* pervenerunt.

Inde

Digitized by Google

Inde post *Nativitatem* beatæ *Mariæ* semper virginis cum omni virtute militiæ, aliaque familia navigare cœperunt. Sed antequam navim ascenderent, in Insula sancti *Andreæ*, *Imperator* & *Lantgravius* mutuis colloquiis fruebantur. Ibi proh dolor! delicatissimus ille & serenissimus Princeps *Ludewicus* cœpit paulisper febribus inquietari. Singulares tamen galeolas ascendentes, seque Christo cum orationibus committentes, portum *Brundisii* reliquerunt. Ingressi autem civitatem, quæ (a) *Orcrant*, dicitur, ubi *Imperatricem* invenerunt, quam *Lantgravius* cum debita veneratione visitans, salutavit. Jamque corpus ejus acrius febribus vexabatur; ideoque ad navim reversus lecto decubuit.

Sæc. XIII. Anno 1289.

(a) *M. Orant.*

## CAPUT V.

### *De extremis ejusdem.*

Ejus extrema.

Videns igitur, quòd sibi mortis periculum immineret, vocato *Patriarcha Hierosolymitano*, ab ipso *Sacræ Unctionis Sacramentum* accepit, qui ut officium solenne hoc perageret, Episcopum de sancta *Cruce* cooperatorem assumpsit. Peracta unctione, sacrosancti *Corporis* Domini nostri *Jesu Christi* sibi viaticum tradiderunt. Quod cum fide Catholica & sincera devotione suscepit. Sicque vir Christianissimus pro Christi nomine exul & peregrinus, Christi *Cruce* signatus, à peregrinatione vitæ præsentis rediens ad patriam, obdormivit in Domino tertio Idus Septembris.

Quidam autem ex suis, qui navigio præcesserant, audita tàm tristi ejus mortis fama, turbati sunt vehementer, & ex dolore cordis intolerabili factus est ploratus & ululatus multus nimis; ut mare concussum tremere videretur à vocibus plangentium clamore miserabili & lugentium.

O heu, inquiunt, domine, heu inclite, quomodo à te in terra aliena exules derelicti sumus! Quomodo te amisimus, lumen oculorum nostrorum, ducem peregrinationis nostræ, spem reversionis nostræ! Væ nobis.

Renavigantes tamen corpus dilecti Principis decenter & firmiter involutum sepelierunt, solennes exequias celebrantes. Nihilominus tamen iter peregrinationis, quod acceperant, perfecerunt.

## CAPUT VI.

### *Qualiter beatæ Elizabeth annunciatur obitus mariti sui.*

Obitus ejus nuntiatur Elizabethæ.

Redeunt nuncii in *Thuringiam* legationem lugubrem de morte intempestiva piissimi & Illustrissimi Principis reportantes. Providebat autem providentia discretorum & piorum, ne hæc infausta & lamentabilis fama ad aures relictæ uxoris importuna narratione vel stolida cujusquam deferretur. Visumque est per matrem defuncti, dominam *Sophiam*, hoc magis oportunè posse fieri & debere. Quæ assumptis quibusdam nobilibus & discretis matronis, *Warperch* ad nurum veniens, reverenter ab ipsa & benignè suscepta est. Quæ cùm sedissent, dixit socrus ad nurum: forti animo esto filia mea dilecta, nec turberis super eo quod circa virum tuum, filium meum, divina dispositione gestum est. Quæ verba socrus de captivitate sui viri, nequaquam de morte intelligens, respondit cum fiducia, dicens: Si captivus detinetur frater meus, (sic enim consueverat eum nominare) Dei & amicorum nostrorum poterit liberari adjutorio. Cui socrus, Mortuus est, inquit. Tunc illa (b) connodatos digitos super genua mittens mœstissima ait: Mortuus est mihi mundus, & omne quod in mundo blanditur. Hôc dicto repentè surgens cum fletu celeri gressu longitudinem palatii cum impetu pertransit. Extra se namque posita mente usque quaque percurrisset, nisi paries obstitisset. Accedentes autem, quæ aderant, eam de pariete cui adhæserat, abstraxerunt. Fluebant oculi omnium, & madebant lachrymis super interitu viri tàm amabilis, & compassione relictæ uxoris tàm miserabilis. Elongatus est consolator, & recessit omnis consolatio. Aderat tamen qui pupillum suscipit & viduarum consolator internus spiritus sanctus, consolans cor viduæ, & mœrentem erigens, & lætificans gratiæ suavitate.

(b) *M. connodans.*

## CAPUT VII.

### *Qualiter ipsa de castro suo propellitur, atque paupertatem patienter sustinuit.*

Pellitur e castro.

Non multo post tempore quidam vasalli defuncti Principis, qui fratrem ipsius *Henricum* juvenem regere debuerant, Dei timoris, & justitiæ, propriæ honestatis, & disciplinæ obliti percussam à Deo persecuti sunt, & super dolorem vulneris ejus ad-



Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1289.

dentes, ipsam de castro & cunctis ejus possessionibus ejecerunt. Descendit ergò de sublimi filia regis, flens & tristis, per declivum montis cum suis ad subjacens castro oppidum. In cujusdam autem cauponis hospitio recepta cum suis mansit cum jucunditate multa spiritus illa nocte. Media verò nocte surgens ad matutinas *Fratrum Minorum* perrexit; rogans eos, ut hymnum decantarent, angelicum scilicet: *Te Deum Laudamus*; in tribulationibus suis glorians, & gratias agens Deo.

Cumque nullus auderet eam hospitio recipere, confugit ad Dominum cum pedisequis suis, ingressa ad Ecclesiam multum morabatur sedendo in ea. Et cùm allati essent de castro parvuli ejus in multa frigoris asperitate, nesciebat quò cum eis diverteret, vel ubi eorum capita reclinaret.

Necessitate ergò coacta domum sacerdotis introiit, se suosque miserè satis pascens, pignoribus obligatis. Erat in hoc oppido quidam ejus æmulus, habitationem habens in qua multæ structuræ & habitacula plurima erant. Quo cum jussa intrasset, in arcto loco compulsa est cum tota sua familia habitare. Cui hospes & hospita ejusque familia non charitatis beneficia, sed hostilitatis multa gravamina intulerunt.

Egrediens igitur inde parietibus, qui eam à pluvia & frigore tutaverant, valedixit, dicens: Hominibus libens benedicerem, si cur hoc facerem, causam haberem. Reversaque est ad prius sordens ergastulum, aliud in eo oppido non valens habere domicilium.

Heu inopinata & infausta rerum varietas! Heu fallax & inanis hujus mundi fœlicitas! Ecce quæ in palatiis habitare potuit, & aliis imperare; nunc hospitium cogitur mendicare, nec valet impetrare. O stupenda & inscrutabilis Dei dispensatio! Quæ solebat pauperum parvulos, ut mater nutrire, & tanquam nutrix reficere; nunc pressa inopia, parvulos uteri sui ad diversa loca & remota compulsa est à se propter alimoniam elongare. Sicque ibi in paupertate degens id ipsum modicum, quod habere poterat, ori suo subtrahens pauperibus erogabat.

## CAPUT VIII.

### *Qualiter ingrata vetula sanctam Elizabeth in lutum detrusit.*

Elizabetham vetula detrudit in lutum.

FUit tunc ibidem mulier quædam pauper, infirma, & vetula. Cujus paupertati per eleemosynam, ægritudini per medicinales species, senectuti solatiis succurrebat. Eratque arcta quædam via, ubi pro luti profunditate lapides fuerant transeuntibus collocati. Occurrit ibi benefactrici suæ, de qua præfati sumus, vetula, eique nolens cedere impegit ignobilis in nobilem, proterva in mansuetam, beneficii immemor in misericordem. Corruit ergò in luti profundum Dei famula omnino cum vestibus omnibus inquinata. Quod cum multa lenitate & patientia sufferens, elevata multum risit, lavitque cum gaudio vestes suas sordidas in flumine, animam verò patientem in agni sanguine.

Hæc omnia venerunt super eam; nec oblita est Dei, & inique non egit: sed quanto magis abundabant tribulationes, tanto abundabant consolationes, per multas divinas revelationes, quibus frequenter visitabatur horis diurnis & nocturnis in orationibus constituta.

## CAPUT IX.

### *De consolationibus & divinis revelationibus eidem factis.*

Consolationes Divinæ.

EO tempore in diebus Quadragesimæ vice quadam cùm Dei famula more solito *Missarum* celebrationibus interesset, devotionis fervore ignita, flexis genibus parieti inclinata, & supra semetipsam mente & spiritu elevata, contemplando diutissime defixos oculos habuit ad altare.

(a) Ysentrudis.

Perpendit hoc nobilis illa & devota fœmina (a) *Hysentrudis*, beatæ *Elizabeth* præ aliis specialissima. Quæ post oportunitate nacta, sollicitabat eam precibus multis de revelanda visione, quam viderat, dum offerretur *Hostia Salutaris*. Cui fœlix *Elizabeth* respondit: Ea quæ ego ibi Domino revelante cognovi, non expedit hominibus enarrari. Hoc tamen latere te nolo, quod anima mea suavissimo perfusa fuit gaudio, & admiranda Dei secreta interiori conspexi mentis oculo.

Cumque ad illud suum humile de Ecclesia rediisset hospitium, permodicum valdè sumpsit cibum. Post cibum debilis valdè erat erumpente sudore, in sinum dictæ *Hysentrudis*, exclusis cæteris tanquam ad quiescendum Dei famula se recepit, defixos oculos ad contrapositum habens locum, & facta hora, serenata facie, magnaque hilaritate circumfusa dulcis in ejus ore risus apparuit & jucundus. Facta autem diutino interval-

Digitized by Google

tervallo, clausit oculos, fluebantque tanquam rivi, ex ipsis lachrymæ infinitæ. Iterumque brevi interveniente morula apertis oculis lætus apparuit vultus ut prius; & in ore ejus ut prius risus: sicque, ut dictum est, fletum clausis oculis, & risum ipsis apertis alternando, in contemplatione usque ad horam *Completorii*, plus tamen jocunditati quàm mœstitudini immorans perduravit. SÆC. XIII. ANNO 1289.

Post hanc speculationem diutinam in hæc affectuosa verba prorupit, dicens: Utique domine tu vis esse mecum, & ego volo esse tecum; & nolo à te separari. Quæ verba audiens *Ysentrudis* venerabilis, in cujus sinu in hac revelatione recubuit, admirans vehementer, petivit instantissimè sibi hoc mysterium aperiri. Humilis autem *Elizabeth* latere malens, indicare renuit. Verum dilectæ dilectricis precibus respondit: Vidi, inquit, cœlum apertum, & Dominum meum *Jesum* dulcissimum inclinantem se ad me, & consolantem me de variis angustiis meis & tribulationibus, quæ circumdederunt me. Quem dum vidi, jocundabar & risi. Cùm verò vultum tanquam recessurus averteret, flevi. Qui misertus mei iterum vultum suum sereniſſimum ad me convertit, dicens: Si tu vis esse mecum; ego volo esse tecum, & nunquam volo à te separari. Cui ego respondi, dicens: Ita Domine, tu vis esse mecum, & ego volo esse tecum; & nunquam volo à te separari.

O fœlix & firma pactio, & fida desponsatio! O vere grata hujus mulieris humilitas, ad quam se inclinavit summa majestatis excellentia! O fervens charitas, cujus visioni se offert præsentia Deitatis! O sincera devotio, quam consolatur suavitatis influentia! O quam beata anxietas, cui cœlestis aperitur & patet immensitas! Hunc thesaurum repertum abscondere omninò studuit; ne ventus dispergeret vanitatis, quod gratia congregaverat sanctitatis.

---

# LIBER QUINTUS.

## CAPUT I.

### *Beata Elizabeth & sui provisione Episcopi Bambergensis veniunt in Bamberg & Botenstain.*

POst hæc nobilis religiosa fœmina *Abbatissa* de (*a*) *Kizingen*, beatæ *Elizabeth* secundum carnem matertera, miserta paupertatis ejus defectum nimium, ipsam allatam honorificè ad dominum (*a*) *Bambergensem Episcopum* evexit. Qui Dei famulæ avunculus, ipsam benignè & reverenter susceptam, cum omni honestate charitatevè pertractavit. Sciens autem venerabilis vir, quia ait Apostolus: Adolescentiores viduas volo nubere, & filios procreare, cogitabat eam alicujus matrimonio collocare. Quod & ipsam non latuit.

(*a*) *M. Babynbergensem. Et in margine ascriptum erat hoc nomen Eckenbertus.*

Cumque pedissequæ ejus, quæ cum ea continentiæ votum commiserant, Episcopi potentiam formidantes, cum ea super hoc querulando cum lachrymis loquerentur; consolans eas constanter corde pleno fiducia respondit: Inspector cordium & absconditorum cognitor Deus novit votum continentiæ, quod viro meo vivente emisi, de puro corde & simplici, & fide non ficta processisse. Ideoque de ipsius confidens misericordia, impossibile fore scio, quòd meam non conservet contra omne humanum consilium, vel violentiam, castitatem. Neque enim ego conditionatum, si amicis placeret & proximis, sed spontaneum, absolutum, ac liberum edidi votum, servandæ post mortem dilecti mei integerrimæ castitatis ad gloriam conditoris. Verum etsi contra libertatem matrimonii me invitam quispiam viro tradere præsumpserit, animo dissentiam, & sermonibus contradicam. Et si aliam id evadendi viam non reperirem, occultè nasum proprium meis truncarem manibus, ut sic me omnis abhorreret homo turpiter maculatam. Præfatus autem *Episcopus* præcepit, ut ad castrum, quod dicitur *Botenstain* cum decenti comitatu Dei famula cum suis deferretur pedissequis, ibi, quousque eam viro traderet, moraturam.

(*a*) Tempore Bonifacii ab *Adelheide*, Pipini filia, dicitur conditum illud cœnobium virginum Benedictini Ordinis. Fundatrix prima fuit Abbatissa, & deinde nobilissimæ semper Comitissæ &c. illud rexerunt, donec a sæculo aut circiter ad sæculares transiit. BASN.

CA-

Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1289.

## CAPUT II.

*Quomodo ossa defuncti ejus mariti transferuntur.*

Ludovici ossa transferuntur.

PErrexit igitur tristis & invita. Innotuerat siquidem ei *Episcopi* intentio circa eam. Tunc illa pavens & tremens periculum, confugit ad Dominum, & ipsius custodiæ castitatem suam lachrimosis orationibus commendabat. Audivit autem vocem ejus secundum misericordiam suam Deus, & convertit luctum ejus & tristitiam in consolationem, & lugubrem in lætitiam. Et ecce subitò venit nuntius *Episcopi* eam ipsam revocantis in *Bamberg*. Cùm enim mortuus esset in *Apulia Illustrissimus* ille *Ludewicus Thuringorum Princeps* & *Lantgravius*, curaverunt eum nobiles & viri honorati, qui cum eo profecti fuerant, & involventes corpus decentibus & fortibus pannis, honorificè tumulaverunt. Peractaque peregrinatione, effossum corpus decoctione diligenti excoriatum est. Quo facto apparuerunt ossa candida super nivem. Quæ scriniis mundissimis imposita & inclusa, & reverenter cooperta, & jumenti dorso imposita translata sunt.

Apposuerunt quoque *Crucem* argenteam gemmis ornatam, utpote Christianitatis cultores, & sui domini fidelissimi amatores. Per totam autem viam reditus sui quacunque se civitate vel oppido nocturno tempore receperunt, ossibus in Ecclesia collocatis, orationes & vigilias per totam noctem à devotis & fidelibus personis fieri procuraverunt. Manè autem *Missa* celebrata, & oblatione facta ab ipsis profecti sunt; similiter in aliis locis facientes.

Quæcunque verò civitas vel oppidum cathedralem, vel etiam conventualem habebat Ecclesiam, in ea purpuram, qua tunc pro reverentia loci ossa contexerant, pro animæ defuncti remedio, reliquerunt. O quales exequiæ! O fidelissimos & clarissimos viros, executores talium exequiarum! Quis unquam Imperatorum vel Principium, vel etiam sanctorum tales legitur habuisse exequias?

## CAPUT III.

*Qualiter in Bamberg susceptа sint ossa.*

Suscipiuntur in Bamberg.

CUmque (a) *Bamberg* appropinquassent, reliquiarum adventum *Bambergensi Episcopo* nunciaverunt. Tunc Pontifex filiam sororis suæ reginæ, Dei famulam *Elizabeth*, defuncti relictam, ut occurreret, & mariti quondam reliquias susciperet, advocavit. Ordinavit autem prudens pro honestate & consolatione Dei famulæ, ut omnes nobiles & digniores in occursu funeris ejus assisterent lateri, & eam ne deficeret, confortarent. Processit itaque Præsul gloriosus, cum Religiosorum & Cleri civitatis multitudine veneranda obviam tanto funeri orationes & cantus lugubres modulantes. Murmurat campanarum sonus, ruit confluens undique populus, Religiosorum ac Cleri turba hymnis canora cœlestibus usque in Ecclesiam cathedralem prosequitur. Salubris enim & sancta est exoratio pro defunctis.

(a) *M. Babynberg.*

2. *Mach.* 12.

## CAPUT IV.

*Quid ibidem circa ossa, sancta Elizabeth Deo locuta fuerit.*

Ossa adloquitur.

COllocatis itaque ibi reliquiis, ad aspectum venerabilis viduæ derelicta, reserata sunt scrinia, & ossa revelata. Quid tunc doloris & amoris in corde ejus fuerit, solus scire poterit is qui novit corda omnium filiorum hominum. Ego puto, quod renovatus est dolor; commota sunt viscera; contremuerunt ossa, cùm dilecti quondam corporis compages dissolutas, ossaque dissipata cerneret & dispacta. Tantoque absorpta mœrore, memor Dei, resumpto spiritu, dixit:

*Gratias tibi ago Domine, quòd ancillæ tuæ, ingens, quod habui desiderium, in aspectu ossium dilecti mei, adimplere; & afflictam & desolatam animam meam dignatus es misericorditer consolari. Ipsum tibi à semetipso, & à me in subsidium* Terræ *tuæ* Sanctæ *oblatum non invideo; licet eum dilexerim ex corde. Tu scis Deus, quod ejus desiderabilem præsentiam, mihi gratissimam, omnibus hujus mundi deliciis & gaudiis anteferrem; si ipsum mihi tua benignitas concessisset. Optaremque omni tempore vitæ meæ in egestate & mendicitate vivere, dummodo ejus frui contubernio de tuo beneplacito licuisset. Nunc verò ipsum, & me tuæ voluntatis dispositioni committo. Nec enim, etiamsi possem, eum ad vitam revocare minimo mei capitis capillo, præter tuum beneplacitum, vellem.*

His

Digitized by Google

His dictis, repressisque lachrymarum fluminibus conticuit. Egressaque Ecclesiam in quodam pratello consedit; petivitque ad se ingredi *Nobiles* de *Thuringia* peregrinos, qui reliquias *Principis* adduxerant, pretiosas cordi suo, & desiderabiles super aurum. Quibus ingressis, regalis illa fœmina reverenter & humiliter assurrexit, serenaque facie excipiens eos, & assidere sibi faciens locuta est eis benignè, injurias inter cætera, & molestias quas pertulerat, enarrando. SÆC. XIII. ANNO 1289.

## CAPUT V.

### *Qualiter de Babynberg regressi in Thuringiam venerint.*

POst hæc *Episcopus* cum eisdem *Nobilibus* de recuperanda ejus dote, & commoditate, & procuratione ejus condigna & honesta ordinanda diligenter & fideliter pertractavit. Qui omnia quæ juris & honestatis sunt, eidem, utpote dominæ suæ, se ordinaturos *Episcopo* promiserunt. Aliàs autem *Episcopus* ipsam eis nolebat committere deducendam. Igitur promissis acceptis, & exequiis debita veneratione & devotione celebratis, accepta ab *Episcopo benedictione*, & facta valedictione; hi in sua; & hi in *Thuringiam* cum domina relicta, & ossibus defuncti *Principis*, itinere prospero, quamvis lugubri redierunt. Thuringiam petit.

Nunciata sunt hæc in *Thuringia*; & commota est terra, & factus est planctus & luctus omnium magnus. Occurrerunt autem *Comites*, & *Nobiles*, milites, & de civitatibus, oppidis, & villis divites, & pauperes, utriusque sexus innumera multitudo. Venientibus ad clausstrum (a) *Reinhartsbrunne*, (a) processit obviam Monachorum religiosa, & clericorum non modica congregatio; & tanti funeris reliquias devotione congrua suscipientes cum orationibus solitis & lachrymosis modulationibus perduxerunt.

(a) *M. Reynhertburn, al. Reynhartisburn.*

## CAPUT VI.

### *Quomodo ossa conduntur in sepulchro patrum suorum.*

DEnique vigiliis, & orationibus, & eleemosynis, *Missarum* solenniis, & oblationibus, & omnibus ad decorem funeris, & salutem animæ pertinentibus, ritè, devotè, ac solenniter consummatis, nobiles illas ossium reliquias in sepulchro majorum suorum venerabiliter condiderunt. Aderant ibi domina *Sophia* mater, dominaque *Elizabeth* relicta, *Henricus* & *Conradus*, fratres ipsius *Principis*, eratque luctus & mœror, omniumque tristitiam novit, qui solus mœrorem considerat & dolorem. Ludovici ossa conduntur.

Mortuus est autem anno Domini millesimo (b) ducentesimo vicesimo septimo, tertio idus Septembris, in *Sicilia*, civitate, quæ dicitur *Ortrant*. Translatisque ossibus, ut prædictum est, sequenti anno sepultus est in cœnobio Monachorum Ordinis sancti *Benedicti*, quod vocatur (c) *Reinhartsprunnen*. Ubi requiescat in Dei pace, Amen.

## CAPUT VII.

### (d) *Invehitur frater defuncti, quod expulerit sanctam Elizabeth.*

POst peractam, ut dictum est, condignis exequiis tanti funeris sepulturam, & cunctis in sua remeantibus, viri illi honorabiles, & præcipui milites, qui cum felicis memoriæ defuncto *Principe* peregrinati terram egressi fuerant, ejusque ossa, venerabiliter reducta, cum debita honorificentia tumulaverant, relictam ipsius dominam *Elizabeth*, quam in sua fide susceperant, curantes; *Henricum* fratrem defuncti, sponsionis, *Bambergensi Episcopo* factæ, memores, adierunt. Henricus recipit Elizabetham.

Hæc sunt autem eorum nomina, celebri semper memoria retinenda. *Rudolphus Pincerna* de (b) *Varila*, *Leutolfus* de *Berlstetten*, *Hartwicus* de *Erba*, *Waltherus* de *Varila*: viri utique omni prudentia præditi, & honestate conspicui. (b) *M. Vargila, Lutolfus de Berlstete, Hartmundus de Erpha, Waltherus de Vargila.*

Quorum primus, *Rudolphus* videlicet *Pincerna*, *Principem* juvenculum, aliis astantibus, cæterisque, qui aderant advocatis, sic allocutus est:

*Audivimus & conturbatæ sunt mentes nostræ; & operuit confusio vultus nostros, pro eo, quod talis vitæ inhonestas & impietas est inventa. Eja mi domine, quid fecisti? Fratris tui relictam mœstissimam, filiam* Regis *nobilissimam, quam consolari, & honorificare oportuerat, sine causa de hospitio & possessionibus, tanquam turpem irreveren-*



(a) *Reinharzbron* Ordinis Benedict. in diœcesi Thuringiæ Moguntina, cui multa contulit Ludov. III. Comes Thuringiæ. Est nunc in sæculare prædium conversum, spectatque ad Ducem Saxoniæ Gothensem. BASN. (b) *M. ita legit: anno Domini* M. CC. XXXVII. *ubi tamen quidam notam primam numeri denarii induxit.* (c) *M. Reinhersburn.* (d) *M. qualiter Henricum fratrem defuncti cum B. Elizabeth adierint.*

Digitized by Google

Sæc. XIII. Anno 1289.

*ter ejeciſti; & inopem mendicare reliquiſti. Pupillos fratris, quos tua gubernare tutela debuit, à matre propter inopiam ſeparari & elongari oportuit. Ubi tunc fraternus affectus? quid ſexus fragilis, vidua deſolata, mulier afflicta & exul potuit? quid denique fœmina ſancta nocere voluit? Proh dolor! Deum irritaſti, perſonam tuam inhonoraſti,* Thuringiam *confudiſti, famam tuam minuiſti; & verò formido eſt, vindictam* Dei *terræ ſuperventuram, niſi ſatisfeceris placando fœminam tam beatam.*

Mirabantur qui aderant, quod tam audacter ad *Principem* vir conſtantiſſimus loquebatur. Sed verè meritò probata virtus corripit inſipientes. Obſtupuit juvenis dum hæc diceret, & reſolutus in lachrymas multum flevit, dicens:

*Doleo valdè, quod factum eſt. Ideoque ut in oculis ejus gratiam inveniam, omne quod deſiderat* Elizabeth, *ſoror mea, faciam; & hoc ſecundum veſtræ voluntatis arbitrium paratus ſum pro viribus adimplere.*

Reſpondit Pincerna: *Hoc eſt domine, omninò tuæ neceſſarium æquitati, ſi iram Dei evadere, & ea quæ læſa ſunt, cupieris reparare.*

## CAPUT VIII.

### *Qualiter ſancta Elizabeth pompam potentum deſpexit.*

Deſpicit pompam.

CUmque hæc ad illuſtrem fœminam per dictos viros relata fuiſſent, reſpondit: *Caſtra, civitates, & oppida, & terras quibus implicari & diſtrahi oportet, nolo. Verum pro his, quæ mihi jure debentur, reſpectu dotis, peto exhiberi de gratia fratris mei, quibus uti, habere, & expendere, ad votum liberè mihi liceat pro ſalute dilecti mei defuncti, & propria.*

Dum hæc venerabilis proferret fœmina, quæ ſurſum ſunt, quærebat, non quæ ſunt ſuper terram. Ferebatur mentis ejus intentio ad deſpectum caducorum, ad appetitum æternorum, ad eleemoſynas pauperum, ad miſerationem egenorum.

Cumque hæc pertractata fuiſſent, effectu mancipanda, vale facto cunctis, cum gratia & lachrymis, commiſſiquè Dei gratiæ, ad ſedes proprias ſunt reverſi.

At venerabilis *Elizabeth*, quamdiu cum ſororio dignata eſt commorari, reverenter eam habuit; faciens eam benignè & honorificè pertractari. Ipſa autem Deo plena cognoſcens hujuſmodi commoditates & faſtus Principum ac divitum, de incommodis & oppreſſionibus pauperum plerumque provenire, ſubduxit ſe, eligens magis affligi cum populo Dei, & inter populares computari, quàm regalibus deliciis intereſſe. Accidit ergò ut in paupertate, ſicut prius degeret, & inopia premeretur.

## CAPUT IX.

### *De contemptu, quem à nobilibus Thuringiæ ſuſtinuit.*

Contemnitur a Thuringis.

VIdentes autem nobiles & magnati, quòd mundum & mundi gloriam ſperneret & nollet; deſpexerunt eam; adeò, ut nec videre eam, nec alloqui dignarentur. Inſultabant autem & infamabant eam multipliciter; inſanam, & fatuam dicentes; eò quod ſeculi divitias abjiceret. Quorum blaſphemias contumeliasque tam læto animo, & vultu hilari ſufferebat in Domino, ita ut improperarent ei, quod oblita mortis mariti gauderet, cùm lugendum magis ei foret, ignorantes miſeri, eam habere gaudium, quod non datur impiis.

Gaudebat planè mortis non oblita temporalis mariti; ſed memor ſponſi vitæ æternæ Chriſti. Gaudebat in tribulationibus, ſciens, quod infliguntur diligentibus. Gaudebat, & gratias agebat; quia propter votum caſtitatis digna habita eſt, contumeliam pati ab amatoribus teterrimæ voluptatis. Nam ſi nubere voluiſſet, optima quæque hujus ſeculi, & potiores præſentis vitæ dignitates, divitias, & delicias inveniſſet. At ipſa divitiis *Ægyptiorum* præferens improperium *Chriſti*, & propoſito ſibi gaudio, prælegit *Crucem*, confuſione contempta.

Venerabantur tamen ipſam omnes pietatis cultores, recta ſapientes, in quorum erat oculis. Nam & dominus *Papa*, *Gregorius* nonus, *Apoſtolicis* eam ſcriptis conſolans, ſanctorum quoque exempla ei proponens, & vitam æternam pollicens, ipſam ad caſtitatis perſeverantiam & patientiæ conſtantiam benignè ac paternè hortabatur, perſonam ipſius & bona ſub protectione recipiens *Sedis Apoſtolicæ* ſpeciali. Qui etiam *Magiſtro Conrado*, ſacerdoti devoto, & viro coram Deo & hominibus comprobato, eam ſuis literis diligentius recommendans, eundem ſibi inſtituit defenſorem.



Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1289.

# LIBER SEXTUS.

## CAPUT I.

### *Quomodo ſancta Elizabeth anhelabat Deo ſervire in extrema paupertate.*

DEi autem famula ab omnibus ſe præſentibus & terrenis avertens, & ſoli Deo placere & adhærere cupiens, præfatum virum, qui auctoritatem ſuper eam *Apoſtolicam* acceperat, de ſui ſtatus ordinatione prudenter conſultavit. Vult pauper eſſe.

Trutinans autem in animo monaſticam perfectionem ſolitariamque recluſionem, nec non & aliorum ſtatuum meritum & remunerationem, præelegit omnibus in corde ſuo omnimodam paupertatem & publicam mendicitatem, qua victui neceſſaria pro nomine Domini peteret oſtiatim.

Quod aggrediendum, dum à Magiſtro *Conrado* conſenſum cum lachrymis & multa humilitate peteret; indignanter & cum ſeveritate vir prudens eam repulit; humilitati & imbecillitati providens muliebri.

Videns quod ſacerdos ſuæ petitionis intentioni non concederet, in fervore Evangelicis obtemperandi conſiliis, dixit ad eum: Hoc aggrediar, in quo mihi contradicere, & à quo me retrahere non poteris, pater, ſciens, quòd non monitis dominicis (a) contraire debeam.

(a) *M. contrairet.*

Cùm igitur dies *Paſſionis* (b) agerentur *Dominicæ* ante *Paſcha*, erat *Chriſti* diſcipula in quodam ſuo oppido, in quo viri religioſi *Fratres Minores*, quos etiam ibidem locaverat, habitabant. Die autem *Paraſceve* dum pro *Myſterio* & memoria *Salvatoris* pro nobis nudi nuda *Cruce* pendentis altaria nuda apparerent; *Magiſtro Conrado* & quibuſdam de prædictis fratribus præſentibus, in quadam *Capella* ponens ſuper nudum altare manus ſacras, voluntati propriæ, parentibus, liberis, & cognatis, omnibuſque hujuſmodi pompis renunciavit, imitatrix Chriſti; & omninò ſe exuit & nudavit, ut & nuda & nudum paupertatis & charitatis greſſibus ſequeretur. Et cum poſſeſſionibus etiam renunciare vellet, retraxit eam pius & prudens *Magiſter Conradus*; volens ut de his, quæ ratione dotis habere poterat, & mariti ſolverentur debita, & egenis eleemoſyna largiretur.

(b) *M. agoretur.*

## CAPUT II.

### *De tranſitu ejus in* (b) Marpurg.

(b) *M. Marsburg.*

HIs itaque geſtis, timens tumultum ſeculi & fallaciam; non multo poſt tempore *Thuringiam*, in qua gloriosè cum viro vixerat, declinans, in *Marpurg Magiſtrum* ſecuta eſt. Quo cùm perveniſſet, nec ibi propter quorundam æmulorum ſuorum perſecutionem, convenienter manere poſſet, ad quandam rurenſem villam ſe contulit. Et ne cuiquam eſſet oneri, quandam deſolatam curiam ingreſſa, dum commodiorem *ibi non inveniret locum*, ſub gradu cujuſdam caminatæ ſe recepit, frondibus ſe protegens & obumbrans. Cibos ibi, prout habere poterat, præparavit, gratias agens Deo: ſolis ardorem, ventorum turbinoſum inſultum fumique moleſtiam, ejus oculis graviſſimam, cum gaudio ſuſtinebat. Interim in oppido *Marpurg* conſtructa fuit ei de materia luti & lignorum domuncula & habitatio humilis, quam ingrediens ibidem cum ſuis in omni humilitate & patientia morabatur. Ejus tranſitus in Marpurg.

## CAPUT III.

### *Qualiter contemptum mundi à Domino impetravit.*

MAgiſter verò *Conradus*, qui eam commiſſione *Apoſtolica* erudiendam ſuſceperat, & regendam, de profectu ſalutis & ſanctitatis ejus ſollicitus, contemptum ei temporalium perſuaſit, & deſpectum omnium terrenorum. Quod Dei famula conſiderans ſe ſuis viribus non poſſe perficere, converſa ad Dominum, quod concupivit, precibus impetravit. Nam cùm orationem devotam fudiſſet ad Dominum, familiariter dilectis pediſſequis dixit: Contemptum mundi à Deo impetrat.

*Dominus audivit orationem meam. Et ecce omnes mundanæ poſſeſſiones & divitiæ, quas olim dilexi, ſunt à me tanquam ſtercora reputata. Ipſos etiam uteri mei dilectiſ-*



Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1289.

*simos parvulos, quos tenerrimo amplexu affectabam, jam velut alienos intueor, Deo teste. Ipsi eos obtuli, & commisi, ipse de eis ordinet, & impleat suæ beneplacitum voluntatis. In calumniis quoque hominum, & detractionibus malignorum, meique contemptu gratulor & delector. Nullam creaturam, sed solum omnium diligo creatorem.*

O sublimem animam! quæ nec rerum cupidine, nec prolis dulcedine, nec contumeliarum amaritudine potuit incurvari! O quàm pura oratio, & quàm sincera devotio, quæ tantam gratiæ copiam meruit obtinere! O singularis charitas, quæ tantæ virtutis magnitudinem opere prævaluit exercere!

## CAPUT IV.

### (a) *De institutione hospitalis in Marpurg.*

(a) M. instauratione.

Hospitalis institutio in Marpurg.

ET quia charitas, ubicunque mentem impleverit, operari magna consuevit, *Xenodochium* instaurare cœpit, ubi infirma Christi membra colligeret, in quibus ipsi *Christo Domino* subserviret. Et ut ad serviendum expeditam se & habilem redderet, secularium indumentorum pondus & fastum abjiciens, humiliavit. *Regis* filia corpus suum; utpote ancilla *Christi* servilem se ostendens personam. Suscepit itaque de manu *Magistri Conradi* habitum humilem & abjectum, cui obscuritas in colore & vilitas inerat in valore.

Induta est vestitu consimili cum ea armigera ejus *Guta* chariſſima, puella devotissima, & pedissequa fidelissima. Incumbebat Dei famula *Elizabeth* orationi assidue; exercebat opera charitatis & misericordiæ. Et quos paupertas, debilitas, vel infirmitas plus aliis oppressérat, quosque devotio plus commendabat, in suo hospitio colligens, ipsis in persona propria humillimè ministrabat.

Cernens autem *Magister Conradus*, quòd hujusmodi miserabiles & despectas personas mensæ suæ apponeret, reprehendit. Cui illa anteactam vitam recolligens, dixit: Necessario se contraria contrariis sic curare; asserens & à talibus se gratiam accipere singularem.

Intelligens igitur vir prudens discipulam *Christi* ad summæ perfectionis culmen velle conscendere; omne quod ab hoc proposito retardare eam putavit, amovere; & quod promovere credidit, studuit adhibere. Ideoque omnem familiam pristinam in qua delectari vel solatiari consueverat, paulatim ac sigillatim ab ipsa repulit: quos singulos cum dolore gemituque dimisit. Tandem venerabilem dominam (b) *Hysentrudim* ei prædilectam ab ea expulit: à qua se cum multo cordis gravamine & infinitis lachrymis separavit. Postremò *Gutam*, quæ cum ea ab infantia fuerat, quam specialissimè dilexit, ab ea expulit; quam cum multis fletibus ac suspiriis dereliquit. Proinde autem sacerdos sanctus Dei famulam omni humanæ societatis solatio destituit; ut & obedientiæ ejus innotescéret constantia, & adhærendi *Deo* soli præberetur copia.

(b) Ysentrudim.

## CAPUT V.

### *De ipsius victus & vestitus vilitate.*

Ejus victus.

REmansit autem paupercula *Elizabeth* sola Deo soli derelicta, in humilitate & paupertate multa degens: alimento & tegumento viliſſimo sustentata. Nam cibos cum ancillis præparabat insipidos & insulsos: utpote cui ad præparationem nec ars nec materia suppetebat. Leguminibus, vel communibus oleribus sæpè in simplici aqua decoctis contenta erat, propter nimiam egestatem. Et cum idem miserabilis cibus ejus neglectu adustionem saperet; pro hoc ancillarum correptionem cum gaudio sufferebat. Si quid verò quandoque delectabile habere poterat; hoc ori suo subtrahens, pauperibus in ejus hospitio manentibus ministrabat. Victum etiam manuum opere, velut quæstuaria, quærere consuevit. Linum quidem fusare nescíebat. Lanam verò de *Aldenburg* cœnobio *Sanctimonialium* sibi transmissam fusabat: Accipiensque minus, quàm debuit, inde se, ut poterat, sustentavit. Hæc de victu dicta sunt.

De vestimento quid dicemus? vestis ejus vilis & aspera fuit: pallium ejus coloris grisei, quod breve fuit: alterius coloris panno prolongatum fuit. Manicas & tunicæ rupturas alterius coloris panno habuit emendatas. Panniculos quoque viles & abjectos cujusque coloris & undecunque collectos assumens, propriis manibus, ut poterat, jacturam incendii laris coquinæ restaurabat; veteresque scissuras attriti amictus sui reficiens, acu imperita, pannis vilibus obstruebat.

CA-

Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1289.

## CAPUT VI.

### *De magna paupertate quam sustinuit.*

ACcidit eo tempore, ut *Rex* potens *Ungariæ*, pater hujus pauperculæ *Elizabeth*, solennem mitteret nuncium, *Comitem* videlicet (a) *Pamam* nomine, cum multo comitatu; ut revocaret ad terram suam *Elizabeth* filiam ipsius. Audierat Rex gloriosus & dives, quòd filia sua quasi mendica vivens, omni solatio esset destituta. At præfatus *Comes* in *Marpurg* oppidum cum suis veniens, invenit domini sui *Regis* filiam sedentem ad colum, & lanam nere. Et præ admiratione *Signo* se *Crucis* consignans, exclamavit, dicens: *Nunquid hactenus visum est, filiam* Regis *lanam fusare?* Ejus paupertas. (a) *M. Puniam. al. Pantam.*

Attentavit autem ille nobilis animum ejus flectere, ut ad patrem & ad regnum unde habebat originem, remearet. Verum illa paupertatem *Christi* regalibus patris divitiis & thesauris, exiliumque pro Domino natali præferens solo; induci non potuit, ut cum nunciis patris ad terram nativitatis rediret.

Tunc illi ad regionem suam reversi sunt, nostra verò quæstuaria ad colum suum residens apprehendit fusum; victum sibi manibus quæritando. Tantoque studio huic instabat operi, quod sæpius & debilis, & infirma, lectoque jacens lanam fusabat. Cumque ancilla colum de manibus ejus, ut sibi parceret, rapiebat; ne omninò esset otiosa, ad futuram filationem lanam trahendo & dissipando manibus ejus præparabat. Sicque cum his, quibus fusabat, egit fideliter, ut aliquando à *Magistro Conrado*, ut veniret (b) *Hysenach*, à *Marpurg* vocata, *Sanctimonialibus* de *Aldenburg* cum aliquanta lana pretium, quod acceptum ab eis nondum meruerat, remitteret, ne quid ultra debitum retineret. (b) *Ysenach.*

## CAPUT VII.

### *De affabili ejus convictu.*

POrrò quàm dulciter & humiliter cum domesticis suis ancillis & familia conversata sit, quis enarrabit? à pueritia enim usque ad finem vitæ suæ cum simplicibus & humilibus & cum pauperibus conversatio & confabulatio ejus fuit. Tandemque post mutatum habitum, ab ancillis suis, quæ etiam omninò pauperes & degeneres, dominam se noluit appellari: sed simplici suo nomine tantum, sicut coæquales vel inferiores consueverant vocitari. Cum quibus & cibos coquere solebat, simulque sumere: faciens eas in mensa ad latus suum sedere, & de sua scutella pariter manducare, quarum una (c) *Hyrinegardis* nomine, tantam humilitatis exhibitionem stupens, die quadam dixit ei; Tu domina in nobis tuum meritum cumulas, nostrumque periculum perpendere dissimulas, quæ intumescere possumus, quòd una tecum comedimus, & in tuo latere residemus. Ad hæc ancilla ancillarum *Christi*; Ecce, inquit, oportet te in sinu meo sedere, & fecit ipsam *Hyrinegardim* in suo gremio residere, sicque cum eis affabilis, & benigna victitabat: tractabilis & mansueta; sermonibus affluens dulcibus, & jocundis, & nihilominus utilitate fœcundis. Ejus affabilitas. (c) *M. Yrmengardis.*

Nequaquam enim sustinere poterat, quod quisquam, ea præsente, verba vanitatis, vel indignationis & iræ proferret. Verum si quando coram ipsa hujusmodi verbum insonuit, mox illud gratiosa auctoritate castigavit dicens: *Ubi nunc Dominus? de se etenim loquentibus consuevit Dominus suam præsentiam exhibere.* Matt. 18.

## CAPUT VIII.

### *De indefessis exercitiis operum pietatis.*

IBat quoque cum ancillis ad domus pauperum, faciens secum deferri panes, carnes, farinam, aliaque victui necessaria: quæ manu propria pauperibus largiens, diligenter lectos & vestes eorum respiciens visitabat; occulte annulos aureos, & pepla serica, aliaque xenia secularia vendendo distrahens, egentibus ministrabat. Et quidquid pauperes desiderabant, hæc illis studiosissimè providebat. Nempè ægro desideranti pisces, cupiens satisfacere, procuratorem suum invocans *Dominum Jesum Christum*, ad fontem prorsus sterilem, ut aquam hauriret, festinavit. Moxque ad hospitium reversa piscem sufficientem in vase reperit, & infirmum refecit. Opera pietatis.

Multa etiam miracula in vita sua per eam dignatus est omnipotens ostendere: quæ ipsa humilitatis cultrix studuit occultare. Mater quoque ejus jam dudum miserabiliter ab *Ungaris* interempta, in somnis ei apparens flexis genibus, dixit:



Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1289.

*Mi dilecta filia ora! pro doloribus meis, quos adhuc patior; quia negligenter vixi: potes enim.*

Evigilans *Elizabeth*, surgit cum fletu, oravit devote, & iterum obdormivit. Adest mater denuò, & gratias agens se asseruit liberatam: dicens orationem ejus cunctis eam invocantibus profuturam.

Inter cætera pietatis opera ministra *Christi Elizabeth*, puerum paralyticum, utroque parente orbatum, continuoque fluxu sanguinis laborantem, quandoque sex vicibus, vel pluries ad hujus ægritudinis requisita, brachiis sanctis noctibus deferens, suis manibus sordes abluebat.

Quo mortuo, virginem leprosam assumpsit. Cui in domo sua absconditæ omne charitatis impendit officium: ut non solùm ad cibandum, eique sternendum, & lavandum, verum etiam ad discalceandum eam se mulier sancta *Regis* filia humiliter exhiberet.

Qua per *Magistrum* amota, puerum pauperculum scabiosum, nec pilos in capite habentem, curandum assumens, ejus in lavando & medicando; nescio à quo didicerit, curam gessit.

Præterea *Elizabeth* ancillarum *Christi* humillima suis subserviens, ollas, scutellas lavabat, patellas cæteraque vasa coquinaria mundabat suis manibus & tractabat. Et ut hoc abjectum & servile opus liberius exercere potuisset, ancillulas eo tempore de domo emittebat. Quæ regressæ, ipsam id agere, vel egisse sæpius invenerunt.

Loquar nunc ad te confidenter, ô nobilis & sancta fœmina, Quid est *Elizabeth?* quid operaris regis filia? cur inquinaris per hæc vilia? quæ nutriebaris in croceis, cur amplexaris stercora? quare spernis palatia, & amas tuguria? responde obsecro mihi.

Noli mirari quæ facio opera: non ego operor illa, sed in me manens Dei gratia, quæ ego ago, non vilia, sed Dei mirabilia: nec sunt inquinamenta, sed morum medicamenta. Cave ne dicas stercora, quibus sanctificantur pectora. Contempsi mundi palacia: quæsivi enim regna cœlestia. Elegi vitam quam reputavi despectissimam: & si foret despectior, hanc præeligerem ut chariſſimam. Nam per viam arctissimam itur ad gloriam amplissimam.

---

# LIBER SEPTIMUS.

## CAPUT I.

### *Beata Elizabeth omnem dotèm suam in pecunias resolvit ad erogandum egenis.*

(a) *m. s. Codex Rebdorf. sereniſſimi ei.* Elizabetha dotem pauperibus erogat.

POst mortem (a) illustrissimi Principis, felicis recordationis, *Ludewici Thuringiæ Lantgravii*, relicta ipsius venerabilis *Elizabeth* aliquandiu, ut prædictum est, pauperem gessit vitam, & gravem cum hilaritate multa & patientia pertulit egestatem. Tandem *Magistro Conrado* mediante, quem dominus *Papa Gregorius* nonus eidem dederat defensorem, à domino *Henrico*, fratre mariti sui, quandam accepit Dei famula pensionem. Erat quippe idem *Heinricus* vir benignus, & *Magistro Conrado* satis subditus & devotus.

Acceptam verò fidelis dispensatrix & prudens non fodit in terram, nec in sudario abscondit pecuniam domini sui: sed ad mensam dedit eam, & tradidit ad usuram. Nempè hæc verissima Christi discipula *Evangelicis* edocta consiliis obedivit, & omnia quæ habuit, vendidit, pro rebus suæ dotis immobilibus res petens & acceptans mobiles; mobilem per mortem se cognoscens; de mobilibus sibi satagens æterna & immobilia promovere. Juxta evangelicum verò dictum datura pauperibus jussit edicto de circumferentia oppidi *Marburg* ad duodecim milliaria multitudinem pauperum convocari. Et ut indifferens sit, nullique præcludatur hæc largitatis gratia, certus locus & dies cunctis venire volentibus designatur.

CA-

Digitized by Google

Sæc. XIII. Anno 1289.

## CAPUT II.

### *De larga eleemosyna ipsius.*

Larga ipsius eleemosyna.

COnvenit igitur loco & die præfixo pauperum debilium, cœcorum, & aliorum egentium infinita utriusque sexus undique multitudo. Aderant viri & famuli robusti, qui tumultum compescerent, & turbam per loca disponerent ordinatè. Et ut vulgi ignobilis audacia, & indigentium comprimeretur aviditas stolida, lex statuta est, positaque pœna, quod si quis de loco surgeret, vel aliis præjudicium faciens eleemosynam iterato accipere præsumeret, capillorum detruncationem confusibiliter sustineret. Erant insuper personæ fideles & idoneæ in dispensatione hujus ministerii constitutæ. Præterea aderat multitudo non minima, quæ videre venerat, quod fiebat. Horum omnium stabat medio *Regina* glorioſa, & inclyta, vultu placido, corde jocundo: miserans in hilaritate, tribuens in simplicitate. Ibat succincta inter miseros consolatrix miserorum. Gaudebat in exercitu pauperum filia Principis. Gratulabatur in advenis & pupillis hospita liberalis: tribuens & distribuens, prout destinavit in corde suo; non ex tristitia, aut ex necessitate; sciens quod hilarem datorem diligit Deus.

Distributis itaque inter tot millia pauperum tot thesauris, marcis videlicet quingentis una die, redierunt ad loca sua, Dominum in famula sua *Elizabeth* collaudantes.

Remanserunt autem nocte illa infirmiores & debiliores quique in angulis, & in sepibus hospitalis. Quos videns pauperum miseratrix collegit; præcipiens ignem in longum parari coram eis, panesque distribui, quorundam pedes lavari & ungi, singulisque sex *Colonienſes* nummos dari, majoribus & pusillis. Tunc repletum est gaudio cor eorum, & lingua exultatione, cæperuntque cantare. Quod audiens hujus autrix lætitiæ, gaudebat cum gaudentibus.

Dic obsecro, quis unquam Imperatorum, Regum vel Principum, aut etiam sanctorum, tàm copiosam uno die locoque in tot millia pauperum effudit eleemosynam. Verè non est in hac prærogativa gratiæ inventus illi similis: ideòque non immeritò eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia sanctorum.

## CAPUT III.

### *De conversione cujusdam puellæ.*

Conversio puellæ.

ILlo quoque die, quo tàm larga quingentarum marcarum fuit eleemosyna distributa, contigit ut puella quædam capillis ornatissima, tanquam statutæ legis prævaricatrix dominæ *Elizabeth* judicio offerretur. Quæ visa capillorum ejus pulchritudine, jussit eos continuò circumcidi. Quo facto cœpit adolescentula alta voce ejulare. Aderant quidam dicentes, eam innocenter punitam. Venerat non eleemosynam acceptura; sed sororem suam infirmam visitatura. Quibus domina *Elizabeth*, Bene, inquit, pro ea factum est: his capillis choreas de cætero non frequentabit. Quæ cum vocata fuisset, & ad ejus venisset præsentiam, quæsivit, si quando melioris vitæ propositum habuisset. Puella respondit: Dudum, inquit, Domino in habitu religionis famulatum exhibuissem, si non me tantùm cæsariei meæ claritas pulcherrima delectasset. Ecce quomodo gravabat eam cæsaries! Verè cum *Absolone* pulcherrimorum capillorum suspendio interisset, nisi eam Dominus per famulam suam *Elizabeth* totondisset. Quo audito, dixit *Elizabeth*, castitatis amatrix: Plus igitur gaudeo de tuorum præcisione capillorum quàm de filii mei gavisura forem in Romanum imperium provectione. O verbum gratiæ, sermo regalis, de fonte prodiens sinceriſſimæ charitatis. Assumpsit ergo eam piissima domina, mutato seculari habitu in hospitali perpetuò servituram.

## CAPUT IV.

### *Quomodo Magister Conradus exercuerit sanctam Elizabeth in fractione propriæ voluntatis.*

Voluntatem propriam frangit.

HIs ita gestis, residuum pecuniæ, quam pro dote sua, Dei famula acceptaverat, in usus consimiles charitatis & misericordiæ studuit erogare. Dilatatum erat cor ejus, & manus aperta inopi, & palmæ extentæ ad pauperes. Unde consuevit non parce & pauca, sed liberaliter & multa miseris & egentibus elargiri. Quod *Magister Conradus* comperiens, ipsam non sufficere formidans, nimiam ei effusionem & prodigiam interdixit; eo quod nihil prorsus retineret, quin pauperibus largissimè erogaret.

Ad-

Digitized by Google

Sæc. XIII. Anno 1289.

Adjunxerat autem ei quasdem fæminas austeras, per quas multas oppressiones & coërcitiones sustinuit in patientia propter *Christum*. Quæ etiam rigidè se habentes ad ipsam, & observantes facta ejus, ad Magistrum eam frequentius detulerunt, de obedientia non servata; eo quod egenis aliquid daret, vel dari ab aliis flagitaret.

Accusata verò sic ab illis multa sæpius verbera à *Magistro* pertulit, ita ut alapas in faciem ei daret: quas tamen ex desiderio optaverat in memoriam alaparum Domini sustinere.

In rebus arduis & difficilibus obedientiam voluntariam & promptissimam custodivit. Nam ad loca quantumcunque distantia à Magistro vocata, sine mora citius veniebat. Amantissimis suis & intimis, dominæ *Ysentrudi* & sorori *Gutæ*, ad eam quandoque venientibus, nec pro victu saltem quidquam dare, nec audebat sine licentia salutare.

In misericordiis autem pauperum obedientiam paratissimam exhibebat. Prohibita namque ne plus, quàm unum nummum uni daret pauperi, sigillatim tribuit, quod simul largiri non licuit. Nummorum igitur largitio interdicitur, panis verò conceditur. Verum sicut in nummis; sic obedivit in panibus erogandis. Jubetur tandem ne panes integros tribuat, sed panis particulas tantum tradat. In omnibus his exercebatur obedientia, & provocabatur misericordia. Quando prohibebatur eleemosynas dare, leprosos & alios infirmos sordidos balneis lavabat. Ipsa languens erat miserationis affectu in dolore compassionis intrinsecus cruciata.

## CAPUT V.

### *De zelo sanctæ Elizabeth erga animas infirmorum.*

Ejus zelus.

AT vir justus videns, quod fervore spiritus semetipsam non curaret, cunctaque terrena tanquam stercora reputaret; timens teneritudinem nobilitatis ejus posse morborum contagio infici, vel corrumpi; à talium eam familiaritate arcebat: à tactu etiam & deosculatione ulcerum prohibebat. Nempè circa horridos, & fœtidos, & omnibus abominatos miseros inaudita à seculis & stupenda ferebatur sancti spiritus vehementia: & incredibili & miranda commanendi, contrectandi, procurandique studiosissima diligentia. Prodigalitatem ei etiam & immoderatam eleemosynarum largitatem, quæ necessitatibus nil retinere curavit, prohibuit servus Dei.

Nec pati se dignum judicavit, quòd talis persona ori proprio detrahens, deficeret aliis largiendo. Actum hunc inspiratio divina mentem docuerat, quem sic per servum suum temperandum decreverat.

Instabat tamen ministrans in hospitali & cooperans. Balneatis sternebat, in lectos deponebat & tegebat, dicens ad ancillas: Quàm benè nobis est, quod dominum nostrum sic balneis lavamus & tegimus! Cui una ex eis, Tibi, inquit, dominæ benè est cum istis; nescio si aliis ita benè est.

O res miranda & digna memoriæ commendanda! Nulla scriptura loquitur sanctorum quenquam tanta sedulitate, tantaque familiaritate sordidissimorum infirmorum immundicias obsequiosis manibus contrectasse, tamque indefesso corde omnibus misericordiæ operibus usque ad mortem insudasse. Meritò proindè apud misericordiarum patrem specialis gloriæ prærogativa prælucet, cujus miserationes super omnia opera ejus. Quia non solùm corporalibus commodis, sed in spiritualibus exhortationibus studiosè curavit cunctis prodesse fidelibus;

Admonebat piè homines, ne parvulos negligerent baptizare: Infirmos, ut *Sacramenta Ecclesiæ* requirerent & perciperent, verbis & factis efficacissimè inducebat. Nam quandam pauperculam, ut confiteretur admonens, non profecit. Jacebat enim misera illa somnolenta & pigra. Quàm benigna animarum zelatrix virgis verberavit, & à somno negligentiæ verberibus excitatam ad *Confessionem* induxit. His & aliis pietatis exercitiis jugiter intenta majestati divinæ grata extitit & placuit, mundi amatoribus displicuit, apud quosdam etiam pios reprehensibilis apparuit; nunc autem inter sanctos tanquam sol resplendet.

## CAPUT VI.

### *Qualiter quidam ingrati sanctæ Elizabeth non valuerunt progredi.*

Ingrati non prævalent.

CUidam pauperculæ vicinæ partui nutrix pauperum *Elizabeth*, hospitium & in eo jussit omne commodum provideri. Infanti cum baptizaretur nomen suum *Elizabeth* imponi voluit. Qualibet die matrem visitans, benedicebat, pascens eam piè & dulciter integro ferè mense. Tandem cùm à benefactrice sua accepisset pallium & calceos, quos de sanctis pedibus exuit, & pepla, lardum, & farinam, & duodecim num-

Digitized by Google

mos *Colonienſium*, & puerum manicis, quas de pellicio famulæ ſuæ tolli juſſerat, involutum, ſero valefaciens dominæ beneficæ, receſſit manè cum marito, puero derelicto. Ante matutinas verò dixit miſeratrix *Elizabeth* ancillæ ſuæ, Defer quas habeo ſpecies pauperculæ illi, quibus utens confortetur. Quæ veniens invenit puerum ſine matre. Quod audiens piiſſima: pergens, inquit, cito affer puerum, ne negligatur. Quem allatum commiſit uxori cujuſdam militis procurandum, accerſitoque judice civitatis, præcepit, ut per diverſas vias mater pueri quæreretur. Qua non inventa, dixit ad dominam *Elizabeth* ancilla. Ora ad Deum, ut oſtendat matrem pueri, timebat *Magiſtri Conradi* iracundiam vehementer. Et dixit domina: Non ſcio petere, niſi quod voluntas Domini fiat. Et ecce poſt modicum vir regreſſus proſtratus veniam petivit. Mulierque adducta de ingratitudine & offenſa gratiam imploravit. Uterque verò manifeſtè profeſſi ſunt, quod progredi non valentes, tanquam coacti redierunt. Ablatum autem eſt à muliere ingrata, quod datum ei fuerat. SÆC. XIII. ANNO 1289.

Sanè pallium collatum eſt devotæ virgini, quæ mox in caſtitate ſe vovit Domino ſervituram. Calcei verò dati ſunt cuidam viduæ, compaſſa tamen miſericors *Elizabeth*, mulieri calceos alios dari juſſit. Quæ recepto puero diſceſſit.

Vide nunc evidenter, quomodo triumphat gratia de natura, & ſuper eam prævalet excellenter. Nonne conſideras, quod hæc repleta gratia alienos parvulos in Deo complectitur, & ſuorum natos viſcerum à ſe abdicans obliviſcitur? Nempe parvulum uteri ſui infantulum, annum & ſex menſes habentem, ne nimio eum amplecteretur affectu, à ſe omninò elongari fecit, occaſione ejus timens à ſpiritualium exercitio præpediri.

## CAPUT VII.

### *De admiranda virtute orationis ſanctæ Elizabeth.*

POſtquam de his, quæ in proximorum & miſerorum neceſſitatibus ſublevandis, tanquam ſollicita & laborioſa *Martha*, miſericors & benigna perfecit *Elizabeth*, nunc ad conſiderationem ſpiritualium gratiarum & divinorum chariſmatum, quibus eam *Deus* decoravit, animum & ſtylum pariter convertamus, quid ejus meritis præſtet *Spiritus Sanctus*. Quia otium pacatæ contemplationis præcedit laborem juſtæ actionis. Orationis virtus.

Noſtra, de qua loqui intendimus, ſpeculatrix, humillimis ſtudebat operibus, & piiſſimis inſudabat laboribus; à quibus dum vacabat, frequentiſſimis & puriſſimis orationibus intendebat. Tanta verò orationum ejus virtus, ut non ſolùm ſpiritualiter, verum etiam corporaliter ſentiretur.

Venit ad eam aliquando matrona nobilis (a) *Gertrudis* de *Leinbach*, viſitandi gratia, & cum ea adoleſcens quidam *Bertholdus* nomine, ſeculariter indutus. Quem ſeculi contemplatrix *Elizabeth* ad ſe vocans, dixit illi: Videris nimis indiſcretè te habere: & quare non ſervis Creatori tuo? Reſpondit juvenis: O domina mea ſupplico vobis, ut oretis pro me, ut Dominus det mihi gratiam ſuam ſerviendi ei. At illa, Velles ne, ait, quod ego orarem pro te? Et ille, Vellem utique. Et ipſa inquit: Oportet ut te ad gratiam Dei habilites ſimiliter orando; & ego pro te libenter orabo. Moxque provolutis genibus in loco competenti monaſterii in *Werde*, ubi tunc erat, cœpit orare pro juvene. Ipſeque juvenis à longè orationi inſtabat. Et cum uterque aliquandiu oraſſent, cœpit juvenis alta voce clamare, dicens: O domina, ceſſate ab oratione. At illa inſtabat ferventius. Poſtmodum juvenis altius vociferari cœpit, dicens: O domina, ceſſate ab oratione; quia jam deficio. Nimio namque calore accenſus juvenis ſudabat, & fumabat, & brachia, totumque corpus huc & illuc, tanquam demens, jactabat. Tunc domina ipſius ſervientis, & duæ beatæ *Elizabeth* ancillæ accurrentes, tenuerunt eum, & invenerunt eum totum incaluiſſe, veſteſque nimio ſudore madidas. Sæpius autem iterans clamorem, tandem dixit: In nomine Domini oro, ut ceſſetis ab oratione, quia jam igne conſumor. Et quæ tenebant eum, vix calorem manibus poterant tolerare. Mox autem, ut ceſſavit oratio, refrigeratus eſt. (a) *M. Gertrudis de Leymbach.*

Accidit itaque hoc mirum anno ante mortem *Dei* famulæ: & juvenis ad ordinem *Fratrum Minorum* ſe tranſtulit, ſic attractus. Contigit hoc frequentius & aliis, pro quibus ipſa Dominum exorabat. Diſcite quo charitatis ardore fervebat, quæ calore ſuo fluxum ſecularis concupiſcentiæ ſiccat, & ad amorem æternitatis inflammat.

## CAPUT VIII.

### *De veneratione devotiſſima myſteriorum reliquiarumque.*

DIvinis myſteriis & miniſteriis cum omni reverentia aderat, intenta corpore & mente. Sanctorum quoque geſta & feſta religioſa colens pietate reverebatur; & ſacras eorum *Reliquias* condigno & dulci amplectens amore, conſuevit Chriſtiano more Ejus veneratio erga Myſteria.



Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1289.

candelis ardentibus, & thure accenſo devotè & venerabiliter honorare. Nummos, quos ad altare pro Dei & ſanctorum reverentia more catholico deferebat, ſuarum labore manuum acquirebat. Deum mente gerens cùm ad quoſdam religioſos paupertatem profeſſos veniſſet, videns in Eccleſia eorum ſculpturas ſumptuosè deauratas, circiter viginti quatuor aſſiſtentibus ſibi dixit; Sumptus hos fructuoſius veſtro victui adhibuiſſetis & amictui: cùm harum veritatem imaginum oporteret nos in corde ſcriptas potiſſimè retinere. Cùm autem quidam coram ea de quadam pulchra imagine faceret mentionem, reſpondit; Ego iconam talem opus non habeo: veritatem enim ejus in pectore meo porto.

## CAPUT IX.

### *De contemplationis gratia, in qua diu permanſit.*

Ejus contemplationes.

FRequenter cùm à pietatis opere vacabat, orationi vel contemplationi potius Dei famula cùm ſolitaria erat, oculis, manibus, cordeque ad Deum ſuſpenſis devotiſſimè intendebat. Lachrymas fundens largiſſimè, nunquam tamen ut à flentibus aſſolet, faciem deformabat. Fluebant tanquam de fonte, vultu ejus ſereniſſimo & jocundiſſimo exiſtente. Erat namque gaudens & jocundiſſima etiam in tribulatione; adeò quod nunquam viſa ſit moleſtiam pati; refulgebat in ea converſatio amabilis, actio humilis, habitus contemptibilis, affectio ſancta, cogitatio ſincera, mundum cor, conſcientia bona, intellectus purus & ſimplex, fides non ficta, ſpes invicta, charitas perfecta, vita immaculata, contemplatio continuata.

Non diſcredas nec mireris in his, quæ audis; luce enim clarius cuncta patent. Rapiebatur enim in exceſſum & extaſin mentis; ſed non erat in ejus raptu rara hora, & brevis mora, verum multa frequentia & perſiſtentia diuturna; ſiquidem per horas aliquot perduravit. In illo itaque divino lumine conſolata & informata intellexit & didicit, unde tanta perfectio emanavit. Inde enim humanæ infirmitati influit, quo in hac mortali vita prudenter, fortiter, temperanter, juſteque vivatur. Ibique angelicas viſitationes, viſiones, & allocutiones, multaſque revelationes tàm diebus, quàm noctibus habere meruit, quæ tamen omni ſtudio occultavit.

Ipſum quoque Dominum *Jeſum* facie ad faciem, multitudine ſanctorum comitatum vidit, ſe benigniſſimè alloquendo conſolantem, & apparendo confortantem. Quam ob rem cùm à ſecreto contemplationis veniret, cernebatur facies ejus ſplendore mirabili refulgere; & quaſi ſolis radii ex ejus oculis procedebant. Splendida quippe fiebat facies ejus, dum reſpiceret in eam Dominus. Videnteſque, qui digni erant, claritatem ipſius, mirabantur valdè. Cumque, ſicut dictum eſt, per horas aliquot rapiebatur in ſpiritu, poſtmodum diutiſſimè permanſit, quod nullo cibo corporali, ve modiciſſimo paſcebatur. Reficiebatur namque intus inviſibili mentis cibo.

Multa quidem & alia de hac fœmina dici poterant, & debuerant; ſed in omnibus faſtidii mater, prolixitas, eſt cavenda. Nempè natalium ejus generoſitatem, converſationis humilitatem, vitæ ſanctitatem, mundi contemptum, patientiam adverſitatum, largitatem eleemoſynarum, mirabilium operum & virtutum effectum vix aliquis ſufficiet enarrare. Hæc autem breviter paucis verbis perſtricta ſunt, ad utilitatem Eccleſiæ, ut laudetur in ea *Jeſus Chriſtus* ſponſus ejus, qui eſt benedictus in ſecula.

---

# LIBER OCTAVUS.

## CAPUT I.

### *Quomodo ſancta Elizabeth mortem ſuam prædixit.*

Elizabetha mortem ſuam prædixit.

CUm beata *Elizabeth* de ærumnis & laboribus hujus mundi ad æternitatis gloriam tranſitura eſſet, apparens ei in viſu Dominus, vocavit eam, dulciter loquens ei: Veni dilecta mea in præparata tibi tabernacula ab æterno. Jam verò tunc ægrotavit vir *Dei Magiſter Conradus*, de oppido *Marburg Sacerdos*, & gravi infirmitatis moleſtia torquebatur. Et introivit ad eum viſitandum infirmorum conſolatrix, *Dei* famula, *Elizabeth*. Factum eſt autem dum fabularentur invicem, interrogavit eam ſacerdos infirmus, dicens: Quomodo, mi domina & filia, poſt mortem meam ſtatum tuum proponis ordinare? Tunc *Dei* famula de morte ſacerdotis

Digitized by Google

tis nil reſpondens, ſui ipſius obitum eidem indubitanter prædixit, quem *Spiritu Sancto* præcognoverat revelante. Et ecce die quarta poſt hæc verba ægritudinem *Dei famula* incidit, in qua ex hac luce ſubtracta mortem perdidit, & vitam æternam adiit. SÆC. XIII. ANNO 1289.

## CAPUT II.

### *De ægritudine beatæ Elizabeth.*

CUmque per dies duodecim & amplius in ægritudine Dei famula laboraret, aſſidens ejus lecto decumbentis die quadam una ex ancillis ejus æquivoca, audivit quaſi intra guttur ejus vocem dulciſſimam. Poſt puſillum convertens ſe ad ancillam (jacuerat enim ad parietem verſus) dixit: Ubi es dilecta mea? reſpondit ancilla: Adſum, & adjecit, O domina, quàm dulciter cantaſti! Quæſivit ergò ab ancilla, ſi quid audiſſet. Et dixit, Etiam. At illa, Dico tibi, quod inter me & parietem avicula quædam mihi jocundiſſimè cantavit. Cujus dulcedine excitata, oportebat & me cantare. Tertia verò die, ejus obitum præcedente, juſſit à ſe omnes ſeculares excludi perſonas, nec etiam nobiles, qui ad eam frequenter viſitandi gratia venerant, ad ſe voluit intromitti. Requiſita verò, cur advenientes excluderet, circumſedentibus ſuum ſtatum dixit: Volo de extremo diſtricti judicii examine, & de meo omnipotente judice meditari. Poſthæc dominica ante Octavam *Martini* proxima poſt cantatas matutinas confeſſionem ejus præfatus audivit ſacerdos: Verum mundum cor & pura conſcientia nil recoluit, quod non per veram conpunctionem ſæpius fuerit expurgatum. O fœlicem conſcientiam, quæ non ad extremam vitæ horam ſuam differre voluit pœnitentiam. Ægrotat.

## CAPUT III.

### *De ſignis eximiæ devotionis ejuſdem.*

COmpleta confeſſione, quæſivit ſacerdos, quid de ſua ſubſtantia & ſupellectili decreviſſet faciendum. Reſpondit: Omnia quæ jam dudum videbar poſſidere, erant pauperum. Rogavitque ipſum magiſtrum, ut omnia illis diſtribueret; præter vilem tunicam, in qua voluit ſepeliri. Teſtamentum non ſtatuit: hæredem propter Chriſtum habere noluit. Ejus devotio.

Sed nec de pompa funeris & exequiarum ſolenniis cogitavit, teſtamentum pacis, hæreditatem immarceſſibilem, immortalitatis ſtolam, ſocietatem angelicam, & cœleſtem quærens habitationem. His & ſimilibus cum magiſtro pertractatis, circa horam primam allata ſunt ei veneranda corporis & ſanguinis Domini noſtri *Jeſu* Chriſti ſacramenta, quæ plena fide & devotione tota deſideraverat.

Qua ſinceritatis affectione, qua mentis puritate, quanto cordis deſiderio, & ſpirituali gaudio hoc ſuave & internum acceperit epulum, nullum æſtimare poſſe arbitror, præter ipſum, quem in hoc ipſo conviatorem, & viaticum, ducemque, quo pergebat itineris aſſumere digna fuit. Attamen quæ apparuerunt extrinſecus viſibiliter hominibus pietatis judicia interioris gratiæ extiterunt certiſſima argumenta. Et tunc quippe per totam diem uſque in horam veſpertinam devotiſſima permanſit; utpote menſæ cœleſtis particeps effecta, & ſanguine vitæ, qui Chriſtus eſt, meraciſſimo *deebriata*. Erat illo die in ore ejus frequens verbum veritatis, & aperiens os ſuum ſapientiæ, loquebatur de optimis, quæ in prædicatione audierat; eructans de corde ſuo verba bona; & lex clementiæ audiebatur in lingua ejus. Loquebatur autem ex abundantia cordis ſui, quomodo beatas illas ſorores, *Mariam* dico & *Martham*, in ſuſcitatione fratris ſui *Lazari* Dominus *Jeſus* conſolari dignatus eſt. Et tractans quemadmodum illis lachrymantibus collachrymatus flevit ſuper mortuum, memoriam abundantiæ ſuavitatis domini eructavit affectu & effectu.

Quædam religioſæ perſonæ, quæ affuerant, audientes hæc verba, per gratiam in ejus labiis diffuſam, devotione accenſæ, lachrymis reſolutæ fleverunt. Quibus ſancta Dei ad mortem jam tendens, domini ad mortem euntis verba oris ejus dulcia memoravit, dicens: Filiæ Hieruſalem, nolite flere ſuper me, ſed flete ſuper vos. Hoc dicto obticuit. Mira res. Tunc voces ſuaviſſimæ ſine omni motu labiorum in ejus gutture audiebantur. Cumque circumſedentes ab ea quærerent, quid hoc eſſet; requiſivit ab eis, dicens: Nunquid audiſtis aliquos mecum decantantes?

Hic nulli fidelium dubitare conceditur, quando ſupercœleſtium agminum ejus exitum præſtolantium ſuavem ac mulcebrem, cui concinuerit tàm dulciter, audierit armoniam, cantans cum ipſis gloriam Domini. Deinde à crepuſculo jacuit, quaſi exultans & jubilans, eximiæque devotionis ſigna præferens & oſtendens uſque ad galli can-



Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1289. cantum. Imminente autem gallicinio, tanquam jam ſecura in Domino, aſſidentibus ſibi dixit; Quid faceremus, ſi ſe nobis inimicus humani generis diabolus oſtenderet? Quo dicto poſt paululum alta & libera voce, quaſi dæmonem repellens exclamavit, dicens; Fuge, fuge.

## CAPUT IV.

### *De extrema expiratione ſanctæ Elizabeth.*

Expirat. AUdito autem primo galli cantu *Elizabeth* dixit; Ecce inſtat hora, in qua virgo peperit Dominum; & intulit ad præſentes. Modo loquamur de Deo & puero *Jeſu*; quia inſtat media nox, quando natus eſt *Jeſus*, & in præſepio reclinatus quievit, novamque ſtellam ſua omnipotentia creavit, quam nunquam aliquis prius vidit. Hujuſmodi loquens, jocundiſſima fuit, tanquam non infirmaretur. Ait namque: Licet debilis ſim, nullius tamen infirmitatis moleſtiam ſentio, vel dolorem. Hæc dicens, omnes ſibi aſſidentes Deo devotiſſimè commendavit. Itaque per totam diem illam & noctem, ut prædictum eſt, ſacratiſſimis mentis affectionibus in Deum, elevata, diviniſſimis quoque eloquiis & colloquiis ſpiritu inflammata, tandem jubilando requievit, & quaſi ſuaviter obdormiens inclinato capite expiravit. Sicque à dolore mortis extranea, occurrentibus & comitantibus angelis & ſanctorum choris, ad regna evolavit ſiderea. Tunc quæ aderant ejus famulæ aliæque devotiſſimæ fœminæ corpus ſacrum cum reverentia componentes, tunica, ſicut deſideraverat, induerunt. Quod à Religioſis & à Clero ac populo in capellam cum canticis & orationibus, & cum multis lachrymis deportatum eſt.

## CAPUT V.

### *De exequiis circa ſacrum corpus exhibitis.*

Ejus exequiæ. COmperta autem ejus morte, *Monachi Ciſtertienſes*, aliique Religioſi, & Clerici, divites inſuper & pauperes ad tàm ſacras exequias ex omni parte cum devotione venerunt. Plurimi verò fidei virtute ſublimes, ejus pilos capitis, alii digitorum ungues, alii pannorum particulas præcidebant, & pro ſanctuario reſervabant. Magnus erat dolor & fletus pauperum, devotus luctus omnium, maxima præcipuè lamenta infirmorum, tanquam ſi mater omnium extitiſſet.

Exigente autem devotione populi, uſque in diem quartum ſacrum corpus ſuper terram in medio multitudinis & pſallentium eſt relictum. Erat namque non horror, ſed honor; non abominabile, ſed amabile, cernere mortuum corpus iſtud, quod nullum omninò præter pallorem ſolum mortis judicium præferebat. Inerat carni quædam, tanquam viveret, teneritudo; & in partem hinc & inde ad libitum contrectantium leniter flectebatur. Et quoniam hoc ſacroſanctum corpuſculum non fuit, nec eſt, nec erit fœdum vitiorum ſtabulum, ſed fuit, & eſt, & erit divinorum apotheca chariſmatum, virtutumque ac gratiarum alabaſtrum, idcircò non de ipſo deteſtanda pravitas fœtoris, quæ præſentes inficeret, verum mirifica ſuaviſſimi odoris jocunditas prodiit: quæ mentes reficeret, ſenſum delectaret. Quis tanti aromatici corporis præſentiam non affectaret? quem hujus mundiſſimæ carnis aſpectus non delectaret?

## CAPUT VI.

### *De venerabili & lachrymoſa ſanctæ Elizabeth ſepultura.*

Sepultura. QUarta tandem die poſt celebrata devotiſſimè ac ſolenniſſimè *Miſſarum* Officia puriſſimum illud balſamum ſuo vaſculo conceptum ſepulturæ tradiderunt, gemmam precioſiſſimam ſub deſpectibili lapide reponentes. Iterum fiebat multarum effuſio uberrima lachrymarum. Factus eſt ploratus & ululatus. Infundebatur pectoribus compunctio: accendebatur piis devotionis oratio. Eratque omnibus in communi vox laudis & gratiarum actio. Acta ſunt hæc apud oppidum *Haſſiæ Marburg* in *Capella Xenodochii Pauperum*: quod ipſa nobilis *Regis* filia, *Chriſtique* famula eximia, *Sancta Elizabeth* ſuis ſumptibus conſtruxerat.

Interfuerunt Abbates multi, virique religioſi, ac populi multitudo, quos ibidem Cleri providentia & voluntas diſpoſuerat congregandos cum omni pietate Chriſtiana, *Ann.* 1231. ac celebri reverentia, tàm glorioſi funeris exequias conſummantes, Anno incarnationis dominicæ milleſimo ducenteſimo triceſimo primo, menſe Novembri, quarto die obitus ejus terra condita eſt, migrante anima ad requiem opulentam. Ad quam ipſius ſuffra-

Digitized by Google

suffragiis nos perducat Dei filius, Dominus noster Jesus Christus, qui est benedictus in secula, Amen. SÆC. XIII.

Die post hanc sepulturam proxima, accessit quidam Ordinis Cystercienſis Monachus ad tumulum, invocans in beata *Elizabeth* plena fide Dominum Jesum Christum. Qui à plaga cordis, ac mentis morbo, quo per quadraginta annos & amplius turbulentus languerat, per mœrentium consolatricem liberatus est, hoc juramento confirmavit. ANNO 1289.

*Hæc usque ad caput 7. non sunt in codice m. s. Robdorffensi. In m. s. hic titulus erat: De quodam magno Prælato.*

Accessit alter vir nobilis clari sanguinis ac sublimis Prælationis, qui horrendis vitiis intricatus, lubrico carnis miserabiliter & detestabiliter laborabat. Hic fœdissimorum criminum, quibus urgebatur, horrore confusus, ad confessionis præsidium frequentius veniebat. Verum post confessionis tutissimum portum, rursus tempestate tentationis exorta, in altitudinem relabens turpitudinis, ruina desperabili mergebatur. Is pollutus, & immundus, & obscœnis peccatorum sordibus, tanquam sus in volutabro volutatus, ad tumbam amatricis munditiæ sanctæ *Elizabeth* cum multa devotione accedens, lacrymarum fluvios cum intima cordis fundens contritione, orationi non perfunctoriè, sed diutissimè cum fervore valido assistebat. Nec destitit, donec appropinquaret deprecatio ejus in conspectu altissimi, & introiret clamor ejus in aures ejus. Sanè precibus dilectæ suæ *Elizabeth* suscepit Dominus orationem tribulati pauperis, sensitque sibi quandam spiritualis consolationis superinfundi gratiam, per quam deinceps impulsibus obsisteret vitiorum. Quod postmodum venerabili viro Magistro Conrado de Martburg in confessione cum magna attestatione asseruit: quod ex tunc stimulus carnalis lubricitatis sic in ipso extinctus fuit, quod postmodum non apprehendit eum, ut prius, tentatio vehemens; sed nulla, vel tàm levis, cui facillimè resistebat.

Aliis itidem spiritu superbiæ inflatis, aut iracundiæ, vel invidiæ stimulis agitatis, seu parcitatis aut avaritiæ vinculo frenatis, & quibuscunque vitiorum spiritualium motibus occupatis, beata *Elizabeth* vitiorum extirpatrix, devotè invocata, expurgatis vitiorum immunditiis, meritis suis per Dei gratiam effectum impetravit virtutis. Hæc sunt glorioſissima miracula. Quibus non tantùm ægritudines morborum, sed morbi sanantur morum: quibus non moritura corpora, sed in æternum victura curatur anima. Quæ tanquam digniora & valentiora, quia spiritualia, interiorem hominem sanctificantia, non immeritò locum obtinent principalem.

Sunt nimirum & alia, quæ non fidelibus, sed infidelibus in signum data sunt exterioris hominis curationi concessa, quibus coruscat nostra cœlestis medica *Elizabeth* beatissima incessanter. Nam ad ejus tumbam, ipsius suffragantibus meritis, cœcis lumen, surdis auditus redditur, claudus graditur, mutus loquitur, captivi compedes & carceres evadunt; paralytici, epileptici, phrenetici curantur; dæmoniaci liberantur; mortui resurgunt, leprosi mundantur; & catervatim veniens populus in variis miseriis optatum consequuntur præsidium. Quorum explicitam narrationem oportuniori tempori reservamus: hoc addentes, quod ibi, quod quisque cum debita humilitate petit, accipit; quod cum fidei alacritate quærit, invenit, cum instantia devotionis pulsanti janua gratiæ aperitur, Domino Jesu Christo præstante, qui est super omnia Deus benedictus in secula seculorum, Amen.

## CAPUT VII.

### *De miraculis ad sedem Apostolicam transmissis.*

Miracula ad Sedem Apostolicam transmissa.

CUm ad declaranda famulæ suæ *Elizabeth* merita, in loco ubi corpus ejus quiescit, Deus omnipotens virtutum multiplicaret insignia, constructa sunt in ipsa capella ad laudem ejus à fidelibus duo altaria. Quæ dum venerabilis dominus (a) *Seufridus* Moguntinus Archiepiscopus, sicut evidenter in revelatione acceperat, ad preces devoti viri Magistri *Conradi*, prædicatoris verbi Dei, in die sancti Laurentii dedicaret. Præfatus prædicator populo qui ex omni parte confluxerat infinitus, injunxit, ut qui aliquam curationis gratiam meritis Dei famulæ *Elizabeth* percepissent, sequenti die manè Archiepiscopo se præsentarent, quod circa ipsos actum foret per Dei gratiam, per testes fideliter probaturi. Convenit igitur non modica multitudo. Archiepiscopus autem Moguntinus evidentia conscribi fecit, suoque ac aliorum Prælatorum sigillis roborari ad sedem Apostolicam transferenda.

(a) *M. Sifridus. al. Syfridus.*

## CAPUT VIII.

### *De examinatione miraculorum.*

Miracula examinata.

IGitur pater sanctissimus *Gregorius* Papa nonus de transmissis à venerabili *Seufrido* Moguntino Archiepiscopo beatissimæ *Elizabeth* miraculis facta examinatione diligenti,



Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1289.

genti, maturo nihilominus ac prudenti fretus consilio, & super omnia sancti Spiritus ordinante providentia, disponente clementia, præmonenteque gratia; decrevit beatam *Elizabeth* sanctorum in terris ascribendam catalogo, quæ in vitæ conscripta libro cum ipsis exultat in æternæ beatitudinis regno.

Lectis ergò coram omnibus, quæ de sanctitate vitæ & miraculorum gloria beatæ *Elizabeth* fuerant recitanda; accensa multitudinis devotio in ejus canonizationem unanimiter & ardentissimè declamavit.

## CAPUT IX.

### *De solenni canonizatione sanctæ Elizabeth.*

Elizabethæ Canonizatio.

TUnc præsentibus venerabilibus viris, *Hierosolymitano* videlicet & *Antiocheno Patriarchis*, & multis reverendis Patribus, Archiepiscopis & Episcopis, aliisque quàm plurimis Prælatis cum Cleri religiosorumque ac populi innumerabili multitudine, facta processione festiva, in die magno festivitatis *Pentecostes*, septimo Calendas Junii canonizavit illam felicem & benedictam *Elizabeth*: dans illi nomen grande, juxta nomen magnorum, qui sunt in cœlis, & sanctis nomen ejus connumerans, & connominans, ipsam inter sanctos invocavit; ac in Sanctorum catalogo annotari præcepit: indicensque constituit per scripturam, demandans, ut dies sacræ migrationis ejus annua devotione inter sanctorum festivitates ab universali Ecclesia venerabiliter recolatur. O felicem & religiosissimam feminam, quam cum tot sanctis Patribus ac sapientibus viris Apostolicæ auctoritatis celsitudo eo honoris fastigio, quo majorem militantis Ecclesiæ dignitas non habet, rectissimè & reverentissimè sublimavit. Et ecce inter sanctos sors illius est, & inter filios altissimi computata.

Peractum est hoc *Canonizationis Officium Perusii* in *Conventu Fratrum Ordinis Prædicatorum*, *Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Ducentesimo Tricesimo Quinto*, *Sexto Kalendas Junii*. Constitutum est autem ibidem *Altare* in honorem ipsius, quod idem summus Pontifex *Gregorius* devotione pia honorans, dotavit triginta dierum indulgentiam advenientibus quotidiè, & adorantibus misericorditer relaxando. Fratres quoque illius conventus festum diem beatæ *Elizabeth* valdè solenniter recolunt, & devotè officium tam nocturnum quàm diurnum, sub melodia officii patris sui sancti *Dominici* celebriter peragentes.

R. 1235. *Kalend. Junii.*

## CAPUT X.

### *De translatione beatæ Elizabeth.*

Translatio.

ADjecit adhuc humilium exaltator altissimus magnificare ancillam suam *Elizabeth* humilem, & corpus ejus sacrum in infirmitate sepultum, miraculorum prodigiis crebris celebriter frequentatum, amplioribus suæ dignationis beneficiis visitans, contemptibili ulterius loco recondi noluit; sed pro laude sua de pulvere pauperem, & egenum voluit de stercore suscitari.

Post tàm solemnem itaque, quæ per beatissimum *Papam Gregorium* nonum gesta est canonizationem, inspiravit cordibus fidelium *Spiritus Sanctus*, ut ossa cum *Christo* regnantis de sepulchro elevata humili, ad locum transferrent digniorem, tantæque magis congruum sanctitati. Igitur die statuto ad indictam sacrosancti corporis translationem, convenit *Episcoporum*, *Principum*, *Nobilium*, *Prælatorum*, *Religiosorum*, *Clericorum*, & utriusque sexus populorum innumerabilis multitudo. Tunc effossa terra, & tumulo patefacto, non secundum morem sepulchrorum fœtor putredinis, & abominatio corruptionis processit; sed odor pietatis & mundiciei redolevit, ædificans & lætificans assistentes. Accedentes verò viri religiosi & devoti huic ministerio deputati, ossa sacrosancta de terra cum multa devotione & reverentia sustulerunt, ea in arca plumbea collocantes, quæ clausa *Episcoporum Sigillis* est fideliter consignata.

## CAPUT XI.

### *De desiderio populi.*

Populi desideria.

EXpectabant autem & affectabant cum pio desiderio ambientes, qui aderant, cupientes videre, amplecti, & osculari ossa illa sacra, *Sancti Spiritus* organa, de quibus tot manabant sanctitatum charismata.

O terra sancta, tanto consecrata deposito, tanti custos & conscia sacramenti! Hujus

Digitized by Google

jus enim temporis felix ætas, cui se talis thesaurus aperuit, tantum munus gratiæ se ostendit. Verè thesaurus inæstimabilis, in quo pauper, quod juvet, inveniat; dives habet, quod delectat. Ibi peccator veniam, ibi ægrotus, si postulet medicinam invenit. O sanctissimi gleba corpusculi, tanti ponderis apud Dominum, apud homines tantæ virtutis, ut cœcis visum, surdis auditum, claudis gressum, vitam mortuis, omnibus præstet gratiam sanitatum! Paveat hæreticæ vesania pravitatis, & Judaicæ cœcitatis perfidia contabescat. Hanc insanam *Elizabethæ* monstravit fides; illam ostendunt miracula fore cœcam. Taceat animalis sapientia hujus mundi, quam hæc fœmina stultè sapiens, & sapienter stulta confudit. Cujus loculum sepulturæ angeli frequenter visitant, requirunt populi, magnates inspiciunt, & *Romanum Imperium* se inclinavit ad videndum. Quis enim in hujus tàm suavi fragrantiæ odore non currat? Unguenta virtutum ubique distillant, redolent aromata gratiarum: & *Elizabeth* corpore pullulante fidei revirescit amœnitas, ac Ecclesiæ reflorentis calore spirante redundat odoribus hortus ejus. Quem in fœmina tàm sanctæ novitatis pulchritudo non trahat? Quem non alliciat tàm novæ speciei sanctitatis?

SÆC. XIII. ANNO 1289.

## CAPUT XII.

### *De sublimibus personis, quæ aderant, & oblationibus.*

ADerat proinde glorioſissimus quidem tunc *Fridericus Imperator*, suis *Principibus* stipatus & militibus: ad honorem ejus *Coronam* offerens *Auream* in titulum *Regiæ* dignitatis. *Henricus* quoque *Lantgravius*, illustris *Thuringorum Princeps*, unà cum fratre suo *Conrado*, & matre domina *Sophia*, aliisque utriusque sexus nobilibus lectulum sepulchri *Elizabeth* miraculis floridum ambiebant, reverenter oblationibus condignis & orationibus honorantes. Præterea præclarus vir dominus *Seifridus Moguntinus* diœcesanus *Archiepiscopus* cum suis suffraganeis, & venerabiles Patres *Colonienſis* & *Trevirenſis Archipræſules* cum aliis multis *Episcopis* hujus sacræ *Translationis* celeberrimum gaudium venerabiliter peregerunt. Oblationes.

Ex diversis itaque nationibus, populis & linguis talis ac tanta ibi fuit multitudo collecta, qualis in *Alemaniæ* partibus uno in loco vix unquam potuit, vel in futurum poterit congregari. Oblationum verò tàm abundans & affluens copia erat, quæ non facilè valuit æstimari.

## CAPUT XIII.

### *Considerațio operationis divinæ circa hoc negotium.*

INtueri libet misericordiæ divinæ majestatis admirandum in hoc opere ordinem & amandum. Ecce hæc, quæ mundi gloriam respuit, & in hac vita magnatorum consortia recusavit, dignitate *Pontificalis Officii*, & *Imperialis Majestatis* obsequiis magnificè honoratur. Et quæ in hoc tempore novissimum locum eligens, sedebat in terra, dormivit in pulvere; nunc *Regiis & Principum* manibus in sublime sustollitur. Et ad locum, quo priorem militans Ecclesia non habet, summo cum honore transfertur. Omne enim temporalis gloriæ fastigium transvolat, similem factam esse in gloria Sanctorum. Vultum namque ejus deprecantur omnes divites plebis, & Reges munera offerunt, & Principes dona adducunt, adorant magnates, eique serviunt omnes gentes. Nec immeritò, vendidit namque omnia, quæ habuit, & dedit egenis; facta est paupercula, omnemque substantiam suam pro nihilo computans, hanc sibi æternitatis margaritam impreciabilem comparavit. Divina operatur Deus per Elizabetham.

## CAPUT XIV.

### *De sacro oleo quod de ossibus sanctæ Elizabeth emanavit.*

SUper hæc omnia magna & præclara, quibus eam in Ecclesia plebis, & apud proximos suos exaltavit: adjecit divina liberalitas magnificare inter electos de plebe Sanctam suam raro ac miraculo glorioso. Oleum emanat ex ossibus.

Aperto quippe die sequenti sarcofago, in quo *Sanctissimi Corporis* ossa reposita, *Sigillis Pontificum* fuerant consignata, invenerunt ipsum sarcofagum cœlestis roris benedictione copiosè perfusum. Illa siquidem emanatio omnipotentis *Dei* fuit dextra. *Dominus Jesus Christus* salutaris *Olei* liquorem producens de sacrosanctis ossibus jussit emanare. Eratque sacra illius liquoris non modica distillatio, sed abundans; eructans memoriam abundantissimæ suavitatis. Processit itaque de ipso odor mirificus tanquam de

Digitized by Google

Sæc. XIII. Anno 1289.

de fracto unguenti precioſi alabaſtro. Hæc nempè oſſa exercitiorum ſpiritualium attritione multipliciter diſſipata, & mortificatione fracta ſunt. Unctionum *Sancti Spiritus* extiterant organa; & ſunt facta nunc odoriferum alabaſtrum. Hoc itaque ſalutiferum profluvium & odoriferum ſtillicidium, poſtmodum fidelibus inſpicientibus liquidè patuit oculata fide probatum. Ex illis etenim ſacratis oſſibus guttæ liquoris ſancti, tanquam roris ſuper gramen vel herbam deſcendentis, ſtant, & diſtillant; illiſque deſcendentibus vel abſterſis aliæ paulatim renaſcúntur ſubtiliſſimæ, tanquam ſudor de poris corporis evaporans.

O verè condignum & congruum & orationi omninò conſonum miraculum! Specioſa nempè & pullulans oliva *Elizabeth*, generoſa virtutum odore, florida unctionis, paciſque germine fœcunda, luminis nihilominus & medicaminis refectioniſque ubertate prædita, in domo Dei, quod eſt Eccleſia, ſuaviſſimos fructus protulit & ſalubres; Uncta quippe *Spiritu Sancto*, & virtute, in manſuetudine perficiens opera ſua; unitatem ſpiritus in vinculo pacis ſollicita cuſtodivit. Per exemplarem quoque vitæ ſanctimoniam ægris mentibus, & per gratiam curationum languidis corporibus exhibuit Medicinam. Multa pauperum millia de ſuis panibus ſatiavit, totamque Eccleſiam ſignis & prodigiis perluſtravit. Meritò igitur hujus dulciflui liquoris, olei olivæ odoriferæ decoratur miraculo, cujus ſanctitatis tàm luculenta puritas excellenter irradiat, lenit ſuaviter, abundanter ſatiat, fragrat redolens opulenter.

Multa quidem & alia innumera comperta & probata ſunt miracula, de quibus nullam ſpecialem modo facimus mentionem; ſed tangendo quædam breviter generaliter duximus annotanda.

---

## *EPILOGUS BREVIS MIRACULORUM.*

Epilogus.

POrrò ſicut electa Dei famula *Elizabeth* beatiſſima mirandis virtutum ſignis in vita clarueraṭ, ſic & à die tranſitus ſui beati uſque in præſens per diverſas mundi partes præclaris miraculorum prodigiis, divina eam potentia glorificante, coruſcat. Nam, cœcis, mutis, ſurdis, & claudis, hydropicis, dæmoniacis, & leproſis, naufragis, & captivis, ipſius meritis remedia conferuntur: omnibus quoque morbis, neceſſitatibus, & periculis ſubvenitur. Sed & multis mortuis, puta ſedecim, per ipſam mirificè ſuſcitatis, innoteſcit fidelibus mirificans Sanctam ſuam magnificentia virtutum Altiſſimi. Cui eſt honor & gloria per infinita ſecula, Amen.

ACTA

Digitized by Google

# ACTA
# S. ALBANI
## MARTYRIS,
## INCERTO AUCTORE.

SED ESSE VIDETUR AUCTOR

## SIGEARDUS
MONASTERII S. ALBANI MONACHUS.

*Ex membranis m. ſ. Monaſterii Rebdorfenſis prope Eichſtadium edita.*

---

ITEM

## ALIA ACTA
EJUSDEM
## S. ALBANI
INCERTO AUCTORE,

*Ex membranis m. ſ. Monaſterii Windbergenſis in Bavaria edita.*



Digitized by Google

# CANISIUS
# AD LECTOREM.

## Martyrologium. Rom. 21. Junii.

SÆC. XIII. ANNO 1297.

MOguntiæ sancti Albani Martyris, qui ob Christi fidem, post longos labores & dura certamina, factus est dignus corona vitæ. Hæc Martyrolog. ubi notat Baronius: De eodem die Beda agit pluribus, quem & secuti sunt nonnulli. Hujus res gestas metricè scripsit. (a) Rupertus monasterii S. Albani, ut testatur Trithem. in Chron. Hirsaug. idemque in Epistola ad Albertum Episcopum Moguntinum refert acta ejus scriptis mandata à (b) Sigeardo, monacho ejusdem Monasterii. De tempore Martyrii hujus magna inter scriptores varietas reperitur; siquidem Beda, & alii eum secuti, passim referant temporibus Diocletiani. Contra vero alii, ut Petr. in catal. lib. 10. cap. 97. & Gales. dum agunt de Theonesto, ejus Martyrii socio, die 30 Octobr. temporibus Damasi, ab Arianis necatum affirmant. Profitetur idipsum Molan. in addit. ad Usuard. edit. 2. hac die. Diversè ab his omnibus Sigebert. in chron. dum Albani & sociorum Martyrium refert contigisse anno Domini 425. Habemus in vet. cod. manuscript. vitam S. Albani, cujus est exordium: Erat olim in partibus Aquilonis &c. Sed quæ videatur apocrypha, nullamque sibi verisimilem saltem vendicet auctoritatem. Hæc Baronius. Cum igitur de S. Albano tanta sit diversitas, cumque multi docti avidè desiderent Acta ejus, nosque ea nacti simus, & quidem non una tantum, sed duplicia, noluimus publico negare. Hoc tamen monemus. Videntur quædam in illis inesse, in quibus autoris fides vacillet. Quod de S. Urso, Augustæ Vindelicorum Martyrio affecto, dicitur, nobilissimus Marcus Velserus lib. 8. Rerum Augustanarum anno 425. confutat, cum non de Augusta Vindelicorum, sed de Augusta Prætoria Salassorum intelligi debeat. Sed nos eo consilio publicamus, ut habeant docti, ubi industriam exerceant, & verum à falso secernant, aliter enim nolo ego hic meam sententiam interponere. Quæ hactenus lucem non viderunt, ea in lucem depromimus, ut eorum collatione tandem historica veritas de S. Albano pateat & illustretur. Quis sit auctor horum Actorum non constat. Sed si conjecturæ locus est, videtur esse Sigeardus, monachus Monasterii S. Albani, qui anno 1297. scripsit Acta S. Albani, teste Trithemio. Hæc conjectura probabilis fit ex capite penultimo & ultimo horum Actorum: præsertim cùm ibi tam expresè meminerit Monasterii S. Albani. Firmant conjecturam hæc capitis 37. ultima verba bene perpensa: Unde hodieque fratribus ministratur dieta. Habet eadem Acta m. s. Marcus Velserus. Porro cum in m. s. membranis Windbergensibus sint alia Acta breviora ejusdem S. Albani, incerto autore, volui & illa dare.

(a) Circa annum 892.

(b) Anno 1297.

JA-

Digitized by Google

# JACOBI BASNAGII
## DE
# FALSITATE ACTORUM
# B. ALBANI
## OBSERVATIO.

Sæc. XIII. Anno 1297.

Falsitas Actorum S. Albani

AN *Sigeardus*, vel alius quispiam, sit horum Actorum Scriptor, scire parum interest. Asserit *Trithemius*, hunc Monachum S. Albani an. 1297 Acta S. Albani contexuisse, & verisimile sit, eadem esse, quæ jam edita à *Canisio*, hic denuo proferuntur. Hoc unum constat, quàm levis sit Actorum fides; quippe Homo imperitissimus tempora non distinxit. Et ut fictitium Martyrem laudaret, multa concinnavit, quæ nequaquam possunt conciliari. Lectori fucum faciendi nobis mens non est, ideò è multis aliqua annotare velim.

Sunt qui *Theonestum*, *Ursum* atque *Albanum*, illi devinctissimum, inter *Theodosii Junioris* milites recensent; hocque nomine Theonestum sibi vendicat Ecclesia Vercellensis: Alii vero ab Arianis hos Martyres cæsos, temporibus Arcadii, apud Moguntiam referunt: Quæ cum sibi non constent, geminos aliqui Theonestos, Ursos, Albanosque fingunt, dum alii unicum fuisse tuentur. Priorem sententiam propugnat *Ferrerius* in Vita *Eusebii Vercellensis*, qui primum *Theonestum* cum Urso & Albano sub *Maximiano* passos narrat; secundum verò Africæ Episcopum asserit. Illum Theonestum à *Damaso* Pontifice Romano Altinensi Ecclesiæ præfectum fuisse volunt. Errore non levi, obierat enim Damasus sæculo jam præterito, ejusque vices impleverant octo vel novem ab eo Pontifices. Quidquid dicant alii parum interest, modo sibi ipse constet author Actorum quod nunc expendere juvat.

I. Theonestum Albani fecit Præceptorem apud Philippos in Macedonia Episcopum, qui, dum in orthodoxos sæviret *Hunnericus* in Africa, fugâ sibi consuluit cum Albano, & unà Romam petierunt. At quomodo potuit esse Theonestus Philipporum Episcopus, si à Damaso, dum fugeret, ordinatus est, ut Altinensem regeret Ecclesiam? Deinde, quomodo persecutionem ab Hunnerico Vandalorum Rege pati potuit, dum apud Macedonas degeret, ibique Sedem Episcopalem teneret? Quid *Hunnerico* cum Macedoniæ Episcopis, aut Macedoniæ Episcopo cum Afrorum Martyribus? Verum equidem est, *Valamerem*, qui Gothorum imperium susceperat, Macedoniam Thessaliamque depopulatum fuisse, Italiæque partem his temporibus occupasse, ut fert vetus Chronicon, a Ruinarto editum. Sed inde nulla orthodoxis incubuit persecutio: Ubique cædes & strages à Barbaris inflictæ Macedones ad extrema redegerunt; at nulli Martyres. Deinde Vandalorum Rex *Hunnericus* has provincias sibi non subjecerat; falsum ergo, quod asserit scriptor Actorum; quod tamen ut totius fabulæ fundamentum sibi sumpsit

II. *Theonestus* & *Albanus* fugâ elapsi *Romam* appulerunt; inde *Mediolanum* petentes, ibi *Ambrosium* convenerunt. Cum eo de rebus sacris collo-



Digitized by Google

Sæc. XIII. Anno 1297. quentes, Arianos ibi deliteſcere, olim à *Juſtina Auguſta* propugnatos, ipſis compertum fuit. Inde natæ ſunt adverſus Arianos diſputationes, quæ in Theoneſti & Albani Ambroſiique gloriam ceſſerunt. Quis talia ferat? Imperii ſumpſit habenas apud Africam *Hunnericus* an. 477. Anno 484. collatio inter Arianos & Orthodoxos habita *Carthagine*, jubente *Hunnerico*. At jam ab initio ſæculi, vel forſan anno 400. octoginta quatuor aut circiter annis ante perſecutionem Hunnerici, è ſæculo ad ſuperos migraverat *Ambroſius*. Quî igitur fieri potuit, ut Albanus, quemadmodum ferunt Acta, illum adiret & cum ipſo, tam longe antea defuncto, de rebus fidei ſermones haberet? Hæc evidenter demonſtrant, non modò ignotum Sigeardo Albanum, ſed ipſum Sigeardum, qui tam turpiter errat, fuiſſe in rebus Eccleſiaſticis imperitiſſimum, & quæque ſeſe offerebant, abſque ulla veri cura, chartis commiſiſſe, dummodo Albanum poſteris commendare videretur.

Tertio, monuit *Theodoſium Juniorem Ambroſius* de adventu *Theoneſti*, *Albani*, ſociorumque: At *Theodoſius Junior* nondum regnare cœperat cùm è vivis exceſſit *Ambroſius*. Et longe antea diem ſupremum clauſerat ille, cum *Hunnericus* apud Afros veritati bellum indiceret.

Quartò, memorat hic Scriptor, *Sigiſmundum*, Allobrogum Regem, *Theoneſtum* & Socios direxiſſe ad *Paulinum Trevirenſem*, qui tunc in ea urbe multa patiebatur ab Arianis. Non video, quâ ratione *Paulinus*, Trevirorum Antiſtes, hic irrepſerit, niſi quia fuerit vir celeberrimus. Obierat ille etiam ante *Ambroſium* an. 359. non Treveris, ſed in Phrygia, in qua exulabat, ſub *Conſtantio* Imperatore. Quis autem dixerit, *Paulinum* ſub *Conſtantio* exulantem, imò defunctum, fuiſſe *Treveris* ſæculo poſt, dum Hunnericus ſæviret in Chriſtianos? Mitto *Sigiſmundum*, Regem Allobrogum, hominem fictitium, qui *Albanum* & Socios *Paulino* Deoque debuit commendare.

Quintò, quid memorem *Urſum*, quem hic Scriptor aſſerit Martyrio coronatum apud *Auguſtam Vindelicorum* in *Rhætia*? Cum tamen contendat ipſe *Velſerus*, qui commentum ſuboluerat, *Urſum* illum, ſi quis unquam fuit, paſſum apud *Auguſtam*, quæ ad Prætoriam *Salaſſorum* pertineret: Mitto *Tabraham* & *Tabratham*, quos *Moguntiaci* ſibi velut ſanctos Martyres olim vindicabant. Hos ex Africa natos ſuſpicabatur *Serarius*, ob Punica nomina, quos alii aliquanto ſimplicius *Tabram* & *Tabratam* appellant. *Actorum Brevierum*, quæ hic etiam ſubjiciuntur, author, eos cum Theoneſto *Altini ſuper pontem Marmoreum, qui eſt ſuper Rhenum fluvium Silea* paſſos aſſerit, ita ut *Tabra* in capite pontis de collatus ſit, *Theoneſtus* in medio, *Tabrata* ex altera parte pontis. Adjiciunt ambo fabularum conſarcinatores, *Albanum* & *Theoneſtum* capite truncatos, caput tamen manibus propriis geſtaſſe ad eum uſque locum, quo ſepulchro fuerunt mandati; Quæ omnia cachinnos potius, quàm animadverſiones noſtras merentur.

Unum addam, in Actis Brevioribus *Honorium*, Imperatorem Orthodoxum, hic penitus immutari. Efficitur enim Arianus, Hæreticorum fautor, Orthodoxorum Carnifex, qui *Theoneſtum* cæterosque Socios fugavit. Nec dicas, amanuenſem *Honorii* nomen repoſuiſſe *Hunnerici* loco, non enim ſemel inculcatur nomen Honorii. Cumque tot imperitiæ argumenta ſubjiciat hic author, non mirum, ſi in Imperatoris nomine peccaverit, qui tempora, loca, perſonas ſæpius perturbat.

IN-

Digitized by Google

# INCIPIUNT CAPITULA
## IN PASSIONEM
# S. ALBANI
## MARTYRIS.

1. QVod Dominus à mortuis resurgens, & in cœlum ascendens, Apostolos ad prædicandum mittit. SÆC. XIII.
2. Quod ex prædicatione Apostolorum crevit sancta Ecclesia, usque ad Martyrium roborata. ANNO 1297.
3. Quod sanctus Albanus fidei & constantiæ meritò inter martyres coronatus est.
4. Quod sub beato Theonesto sacris literis eruditus est.
5. Quomodo Deus Theonestum & Albanum sociavit, dans cor unum & animam unam.
6. Quod sanctus Albanus vitam magistri imitatus in perfectione vitæ Domino placuit.
7. Quod sanctus Theonestus beatum Albanum ad sacerdotium promovit.
8. Quod temporibus Archadii & Honorii Ariana hæresis Ecclesiam impugnabat.
9. Quod his diebus per Catholicos sacerdotes Carthagine Concilia celebratum est, & Ariana hæresis damnata.
10. Quod post hæc Honoricus Wandalorum Rex aliud congregavit concilium, & sanctos patres exiliis destinavit.
11. Quod eodem tempore S. Theonestus à sede sua depulsus est.
12. Quod Romanam sedem adire disposuit.
13. Quod quatuor discipulos comites elegit Albanum & Ursum, Thabraham & Thabratham.
14. Quod sanctus Theonestus cum discipulis Romam venit, & sancto Papæ Leoni causam suæ peregrinationis indicavit.
15. Quod aliquamdiu apud eum commoratus, ad prædicandum missus est.
16. Quod cum discipulis Romam egressus, Mediolanum ad S. Ambrosium venit & alter alteri enarrat, quod pro Christo pertulerunt.
17. Quod Ambrosius cum Theoneste Arianos Mediolani devicit.
18. Quod Ambrosius Theodosio juniori adventum S. Theonesti indicavit.
19. Quod S. Theonestus à Mediolano discedens Augustam venit, & contra Arianos ibi conflixit.
20. Quod discipulus ejus Ursus ibidem martyrium passus est.
21. Quod S. Theonestus inde discedens ad sanctum Sigismundum Regem Allogobrum venit, & ad sanctum Paulinum Trevirensem ab eo directus est.
22. Quod S. Paulinus beatum Theonestum fraternè recepit & benignè consolatus est.
23. Quod beatus Theonestus à Treveris discedens Mogontiam venit.
24. Digressio ab historia, & descriptio quis primo condiderit Mogontiam.
25. Quomodo in persecutione Hunnorum Mogontia destructa est.
26. Quomodo postea à Catholicis principibus mutato loco juxta Renum fundata est.
27. Quomodo primatum totius Galliæ & Germaniæ à Romana sede per S. Bonifacium accepit.
28. Quod S. Theonestus Mogontiam Ariana hæresi profanatam invenit.
29. Quod fidem Catholicam ibidem contra hæreticos defendit.
30. Quod beatus Albanus jussu magistri contra Arianos disputare cœpit.
31. Quod S. Albanus captus ab Arianis tormentis affectus est.
32. Quod Ariani S. Albanum post varia tormenta capitali sententiæ addixerunt.
33. Quod S. Albanus flexis genibus cervicem spiculatori præbuit, & sic martyrium complevit.
34. Quod S. Albanus abscissum caput in manibus tollens detulit ad eum locum, ubi modo quiescit, & quod exequias ejus cœlestis militia prosecuta est.
35. Quod sepulchrum ejus miraculis cœpit celebrari.
36. Quod Richolfus Archiepiscopus Ecclesiam sancto Albano fabricavit, & Thesauris ac prædiis eam ditavit.
37. Quod propter loci sanctitatem principes regni ibi se poposcerant sepeliri.
38. Laus Mogontiæ, & exhortatio ad celebrandum natalem martyris.

Expliciunt capitula.



Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1297.

# PASSIO SANCTI ALBANI MARTYRIS.

1. Apostoli à Christo missi. *Psal.* 17. 10.

POstquam æterni Patris unigenitus, & verbum Dei ad reparationem nostram inclinavit cœlos, & descendit, & seipsum nostræ redemptionis sacrificium offerens in ligno pependit, morteque sua destructo eo, qui habebat mortis imperium, resurgens, ad confessum paternæ majestatis gloria & honore coronatus ascendit, primitiæ electionis, beati Apostoli, baptizati spiritu sancto & igni, mundum idololatriæ spinis horrendum, vomere prædicationis aggressi sunt, ac divini verbi semen super rationalem terram usquequaque sparserunt. Ex qua felicissima satione, fœcundante Spiritu sancto, fidelium seges animarum emersit, & divina propagante gratia mundi terminos exuberanter implevit.

2. Ex prædicatione Apostolorum crevit Ecclesia. *Ephes.* 4. 5. *Psal.* 44. 10. *Cant.* 6.

Hæc est glorioſa virgo Mater Ecclesia, quam ex omni gente & natione in unitate religionis colligit unus Dominus, una fides, unum baptisma. Hæc in vestitu deaurato assistens à dextris Regis fulget circundata varietate decoris. Rutilat enim rosis martyrii purpurata, virginitatis liliis candidata, splendidissimo vivorum lapidum stemmate coronata. Hæc est illa quæ ascendit, sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata. Denique ex his castris, evangelicæ prædicationis clangente tuba, processerunt signiferi Christianæ militiæ, victorioſi martyres, qui laudabili constantia, felici patientia, remunerabili perseverantia usque ad sanguinem restiterunt adversus diabolum, ejusque antichristos repugnantes. Quorum fortitudo, quia in finem usque agonizans perstitit, coronam victoriæ cum gloria promeruit. Non enim coronabitur, nisi qui legitime certaverit. 2. *Tim.* 2. 5.

3. Albanus inter Martyres. *M. S. triumphalis Phil.* 1. 21.

Inter hos constans Christi Athleta & martyr *Albanus*, fidei fortitudine armatus, martyrii triumphali palma est glorificatus. Huic itaque vivere Christus erat, & mori lucrum. Quia mens in omnibus *Deo* dicata quidquid in consummandæ virtutis exercitio patiebatur, non erat ei poena, sed gloria.

4. Sub Theonesto educatus est. *Theonestus apud Philippos Episcopus.*

Hic denique primo currentis ætatis tyrocinio, sub beato *Theonesto* sacris literis eruditus, discussa mundi nube, in lucem scientiæ spiritualis emersit; & tanto fovente viro, in nido fidei plumescens, geminas charitatis alas, quibus in dilectione Dei & proximi cœlum peteret, enutrivit Si quidem ipse beatus præsul *Theonestus* apud *Philippos*, *Macedoniæ* urbem, in Cathedra Pontificali præsidebat; in qua Patribus ab Apostolo *Paulo* ordinatis, fidei veritate, & morum gravitate successerat. Qui cùm fœcundissimam spiritualium filiorum sobolem Christo Domino educaret, & in cunabulis fidei lacte simplicitatis usque ad solidum cibum vitæ perfectioris enutriret, memorabilis *Albanus* inter scolares hujus disciplinæ alas, virtutum profectibus eminebat; & ea quæ retro sunt, obliviscens, ad ea verò quæ ante sunt, seipsum extendens, ad bravium supernæ vocationis devota mente currebat. *Philip.* 3.

5. Theonestus & Albanus socii. *Psal.* 67. 36.

Verè mirabilis Deus in sanctis suis, qui electos suos *Theonestum* & *Albanum* sociavit in unitatem fidei & charitatis, & quibus mentis oculos divinæ lucis splendor illuminarat, eos arctam viam mandatorum Dei dilatato corde currentes ad vitam, quæ Christus est, eadem fides spesque ducebat. Erat enim illis cor unum, & anima una, par in fide veritas, & in opere sinceritas; eadem in adversis constantia, & in tribulatione patientia, similis obedientia in labore, perseverantia in agone.

6. Albanus Theonestum imitatur. *Psal.* 83. 6. *infrunitos.*

Venerabilis itaque *Albanus* beati magistri vitam imitatus, ornamentis morum claruit, & bonis actibus Domino complacuit. Mortificans enim seipsum vitiis, ibat de virtute in virtutem; ascensiones in corde suo disponens in valle lacrimarum; quibus per angustam viam ad vitam gradiens pertingeret ad videndum Deum deorum in Syon. Capax namque cor ejus, & sacratum Deo templum corporis ejus infronitos carnis impetus mentis legibus edomabat, & prurientes mundi illecebras robusto sanctimoniæ & castitatis tenore calcabat. Spernebat ambitionem sæculi: quia nihil pernitiosius, cùm acquirendi immoderatus ardor incanduit; & misericordiam omnibus impendebat, quam Dominus in Evangelio etiam sacrificiis prætulit. Exhibebat autem se cunctis tam amabilem, quàm imitabilem. Dulcissimus in lenitate sermonis, mitissimus in mansue- *Mat.* 9. 23.

tudine

Digitized by Google

tudine converſationis. Tantum enim cœleſtis gratiæ favor eum perfuderat, ut à ſuis diverſoribus, imò ab omnibus diligi ac timeri mereretur. Quia vultu & habitu adeò modeſtus erat, ut nec triſtis ei ineſſet ſeveritas, nec remiſſa hilaritas; nec habitum ejus aut ſuperbia inflarat, aut penuria ſordidarat. Nec ei ad ſuperfluum erat profuſa liberalitas, nec ad jactantiam oſtentaliter affectata frugalitas. In vigiliis pernoctans, corde & ore cœlo inſertus, aut orando cum Domino loquebatur, aut ſacris lectionibus vacans Dominum ſibi loqui meditabatur. Hauriebat etiam ex ipſis ſacris eloquiis exempla ſanctorum Patrum, & ſi quem divino laudatum teſtimonio didiciſſet, ſubtili inveſtigabat mente, quibus meritis Deo placuiſſet; ut dum ejus veſtigia imitaretur, ſimile teſtimonium à Deo mereretur. Accedebat ſane ad cumulum perfectionis ejus ſanctiſſimum viri Dei contubernium, qui eum quotidiè verbis & exemplis ad vitam informabat; & quo illi eundum eſſet, verbo monſtrabat, & ipſe benè operando procedebat. Ipſe verò nolens ſe à tanto patre fieri degenerem, ſed potius probari, in ſe ſtudens traducere tantæ virtutis æmulationem, monita ſalutis ſitibunda cordis aure bibebat, & præcedentem magiſtrum ad montem virtutum pede poſt pedem ſequebatur, utpote quem toto affectu diligebat, non ut amicum æqualem, ſed ut animæ parentem. SÆC. XIII. ANNO 1297.

Videns ergò ſanctus Pontifex tantum viri in Chriſto profectum, & quotidianis incrementis ad meliora profectum, deliberat eum officio promovere divino, & jugum Chriſti imponere ſacerdotali miniſterio, ut qui ſe quotidianum Deo offerebat ſacrificium, carnem crucifigendo cum vitiis & concupiſcentiis, ipſe etiam per *Miſſarum Solennia* ad ſalutem totius Eccleſiæ celebraret myſteria ſalutifera paſſionis. *Albanus* verò oneri ſancti honoris imparem ſe eſſe pronuntians, & titulum tanti nominis humiliter declinans, tandem ne obedientiam humilitatis comitem deſereret, reſiſtendi pertinaciam depoſuit, & in ſacerdotii ordinem conſecrari promeruit. Ita dextera Domini exaltatus, & per ſancti præſulis manus impoſitionem, *Spiritus Sancti Chriſmate* ditatus in ſacerdotii dignitate Chriſto Domino conſecratus eſt miniſtrare. Hoc etiam exigebat temporis articulus, ut ad ſacerdotium accederet vir tum perfectus in cæteris, tum perfluus in verbo prædicationis, cum Eccleſiam Ariana pulſabat impietas, adconfutandam perfidorum calumniam, ſacerdotalis eum roboraret authoritas. 7. Fit ſacerdos.

Eodem tempore *Arcadius* cum *Honorio* fratre imperii ſummam æqua ſorte gerebat, qui *Theodoſio* patri hæreditario jure in ſceptro ſucceſſerant. Garriebat interea contra fidem Eccleſiæ *Arianæ* impietatis inſania, quoniam velut lætiferam mortificandis animabus toxicam per os *Arii* antiquus hoſtis evomuit, & per vaſa iniquitatis venenum perfidiæ male condendo transfudit. Concepit enim dolorem, & peperit iniquitatem. Quam cum *Catholica Nicæni Concilii* fides, *Conſtantino* Auguſto, per trecentos decem & octo Patres juſtè damnaſſet, & Chriſtum Dominum homouſion cum *Patre*, *Spiritum* quoque *Sanctum* cum *Patre* & *Filio* unius eſſentiæ & majeſtatis credendum adorandumque firmaſſet, *Arius* cum ſuis complicibus exilio deſtinati ſunt, & ſcandalorum jurgia in Eccleſia interim conquieverunt. Poſt hæc diabolus iterum fremens ſopitas furoris flammas in pejus accendit, & per *Conſtantium* Conſtantini filium rediviva bella commovit. Qua tempeſtate multi teſtes Chriſti exilio relegati, multi ſunt martyrio coronati. Ad hoc perfidiæ incendium reſtinguendum plures probatiſſimi Patres per longa tempora validiſſimè decertaverunt, & ad hoc mortiferum dogma damnandum multa Patrum Concilia celebrata ſunt, tamen ad exercitationem fidelium, ſicut *Philiſthæum* ad probationem Iſrael, funditus illud Deus extirpare noluit; ſed velut tritura, & abjectio paleæ ad tritici pertinet purgationem, ita hoc ſemper pullulare permiſit ad fidelium probationem. *Oportet*, inquit Apoſtolos, *hæreſes eſſe, ut probati manifeſti fiant*. Hoc itaque peſtiferi dogmatis venenum à prædicto iniquitatis fonte *Ario* uſque ad prædictorum Principum *Arcadii*, inquam, & *Honorii* tempora ſcatens, etiam tum vaſa mortis, in quibus transfunderetur, invenit; & *Macedoniam Africamque*, imò totam pæne Eccleſiam graviter concuſſit. 8. Ariani florent. 1. Cor. 11.

His ſanè diebus plurimis magnificis notarum frontium viris, & mirificis publicorum nominum ſacerdotibus, licet preſſuris decocta mater florebat Eccleſia, qui cœleſtem ejus fabricam, velut columnæ ſolidiſſimæ ſuſtentando portarent, & contra hæreticæ impietatis jacula ferro fidei & gladio ſpiritus defenſando protegerent. Horum communi decreto ad confutandas hæreſes *Carthagini*, quæ eſt metropolis *Africæ*, ſanctum celebratur *Concilium* ducentorum decem & ſeptem Patrum, cui præſedit ſanctæ recordationis *Aurelius* ejuſdem urbis Epiſcopus, & magnus ille *Auguſtinus Hipponenſis*, & contubernalis ejus *Alypius Tagaſtenſis*, multique propterea tàm ipſius Africæ, quàm & vicinarum regionum & urbium ſacerdotes, & conſtantiſſimi Chriſtianæ fidei confeſſores, ubi renovata eſt Apoſtolica *Nicæni* Concilii fides, & cum ſuis auctoribus omnes hæreſes damnatæ ſunt. 9. Concilium Carthaginenſe. *Concilium Carthaginenſe celebratum eſt anno* 407.

Poſt hæc impiiſſimus *Hunericus Wandalorum Rex* poſt *Gezericum* patrem & *Triſ-* 10. Hunnerici perſecutio.

*mun-*

Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1297.

*mundum* fratrem, *Africanum* occupat regnum; & ſicut ſceptri, ſic & ſceleris hæres, totam terræ illius gentem ad *Arianæ* perfidiæ ſectam cogebat; non conſentientes verò tormentis ac diverſis mortibus impellebat, cujus perſecutione quot martyrum millia ad Dominum tranſierint, nullius vel ingenii ſubtilitas comprehendere vel ſcribentis agilitas literis valet intexere; ſed teſtis eſt Eccleſia, quæ ad cœlos miſit, & Chriſti dextera, quæ perenni eos gloria coronavit. Idem autem perditionis filius poſt authenticum illud & catholicum, quod prædiximus, Concilium, iterum *Carthagine* pſeudoſynodum ex diverſis regionibus præcepit congregari, in qua cum Catholici quotquot aderant Patres, contra *Arianæ* partis defenſores inſtantiſſimè confligerent; nec tantum poteſtate regia urgente, ſancti Pontifices alii à ſuis ſedibus deturbantur, nonnulli in exilium deportantur, plurimi exquiſitis pœnarum generibus afficiuntur. Non ſolum autem illius provinciæ, vel urbis fideles hujus perſecutionis tempeſtas à crudeliſſimo *Hunerico* tyranni excitata corripuit, ſed etiam vicinarum regionum & urbium ſacerdotes, cum creditis ſibi ovibus, eadem dira lues invaſit.

11. Theoneſtus exulat.

Contigit autem hac tempeſtate etiam beatiſſimum *Theoneſtum* cum Eccleſia ſibi credita eadem perſecutione urgeri, & à *Philippis*, præſulatus ſui ſede, perſecutore infeſtante depelli. Hic longa virtutum exercitatione jam dudum ad patientiam animum ſolidarat, nec ad futuram gloriam paſſiones hujus temporis condignas eſſe dicebat. *Rom.* 8. 18. Quapropter firmato animo decrevit potius perſecutori alicubi deliteſcens ad tempus ce- *Joan.* 7. 59. dere, quàm hæreticæ communioni conſentire; attendens illud evangelicum: Jeſus autem abſcondit ſe, & exivit de templo. Poterat denique & *Paulo* Apoſtolo, & beatiſſimo *Theoneſto* jam tunc martyrii palma præparari, quando ille per feneſtram in ſporta eſt demiſſus, & iſte ſede ſua depulſus; niſi in hoc divina providentia humanæ ſalu- *Act.* 9. ti conſuleret; ut hic per feneſtram demiſſus, totum, ut ita dicam, mundum fidei ſacramentis imbueret; iſte verò pontificali ſolio depulſus multa ſanctorum loca circueundo, ad fidei conſtantiam & martyrii palmam multos roboraret. Si enim tunc perſecutoris gladius *Theoneſtum* cum ſuis cooperatoribus coronatos ad ſuperna miſiſſet, quis poſtea tot hæreticos docuiſſet fidei veritatem? & quis tot ſchiſmaticis propoſuiſſet Chriſtianæ pacis unitatem? quis confortaret tot fideles in tribulatione ad patientiam? quis tot martyres ſpe futurorum animaret ad coronam? ſi tunc *Albanus* cum *Theoneſto* ſuo Magiſtro victimatus occubuiſſet, quis te, *Moguntia* hodie roſeo ſanguine purpuraret? quis te ſuo martyrio coronaret? *Macedonia* quidem, vel *Africa* ſuis Martyribus gloriaretur: tua verò dignitas tanto patrocinio privaretur. His ergo ſanctiſſimis viris dilata ſunt meritorum præmia, non ſublata; promota eſt palma martyrii, non immutata pompa triumphi. Sed ad multorum ſalutem per ſummos erat illis agones tranſeundum, & ſic perenni felicitate trabeatos ad ſumma veniendum.

12. Albanus Romam petit.

Sanctus igitur Pontifex *Theoneſtus*, aſſumpto *Albano*, aliiſque diſcipulis, *Romanam* adire diſpoſuit ſedem, ut inde Apoſtolicam acciperet conſolationem. Elegit potius pro Domino in exteris finibus peregrinari, quàm intra ſinum patriæ perfidis committi. Non illum rei familiaris diſpendium temporale depreſſit, aut propoſito malè miſerantium civium ſuadela deflexit. Non illum affecit penuria, aut fregit injuria; non dolor mentem exuſſit, aut corporis pœna concuſſit. Hæret in ſuis ſedibus fundata virtus, & devotio ſancta altis fixa radicibus, per arma juſtitiæ à dexteris & à ſiniſtris, *2. Cor. 6. Joan. 14.* inter adverſa & proſpera regiam graditur viam, per quam ipſe rex, qui via, veritas & vita eſt, æternam eum perducat ad vitam.

13. Theoneſti diſcipuli quatuor.

Porrò in numero IV. Evangeliſtarum credens unum ſibi ſufficere Chriſtum, ex Chriſtiana diſcipulorum ſchola, & ex omni ſpiritualium filiorum copia, IV. ſibi elegit, videlicet *Albanum* & *Urſum*, *Thabraham*, & *Thabratham*, quos peregrinationis comites, agonis teſtes, coronæ participes ſecum fore decrevit. Proſequebatur interim diſcedentem patrem filiorum devotio ſancta, pias fundens lacrimas, & miſerabiles in cœlum ſpargens querelas; clamans, oves paſtore deſtitutas, luporum dentibus exponi, nec eſſe qui eas debeat ab eorum infeſtatione tueri. Clerus, quotquot Hæreticis non conſenſerant, Clerus, inquam, perditam deflet religionem, populus ingemit Chriſtianam opprimi veritatem. Quos pater ſanctiſſimus benignè conſolatus eſt: Vos, inquit, ei reſigno, qui mihi commiſit, ille vos tueatur, qui proprio ſanguine redemit. His & hujuſmodi mœrentium corda demulcens, & elevatis manibus cœleſti eos benedictione perfundens, in propria redire commonuit. Ipſe verò cum diſcipulis, ut diſpoſuerat, ire perrexit.

14. Leoni I. præſentem ſe ſiſtit.

Cumque mœnia *Romanæ* arcis attingeret, & Sanctorum cœmiteria viſitans, agonem ſuum eorum patrociniis commendaret, Apoſtolico tandem ſe repræſentat antiſtiti; *Magno* videlicet *Leoni*; exponens qualiter pro fidei defenſione propria depulſus ſede cogatur peregrinari. Ille vero juxta Apoſtolicam manſuetudinem, totius pietatis viſceribus affluens, blandis eum fovet alloquiis; revocans ad memoriam, qualiter Dominus Jeſus per totam Evangelii ſeriem diſcipulos ad paſſiones animabat, & quam remu-

Digitized by Google

remunerationis mercedem passionibus destinabat. Beati, inquit, eritis, cum vos oderint homines, & persecuti fuerint. Et: Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, & reliqua hujusmodi. Hortatur quoque Domini sustinere misericordiam. Et universi, inquit, qui sustinent te, non confundentur. Et: si quid patimini propter justitiam, beati. His & hujusmodi paternis consolationibus viri Dei animus ad patientiam roboratur, & ad perseverandi constantiam pia longanimitate solidatur. Sæc. XIII. Anno 1297. *Luc. 6. Psal. 24.*

15. Mediolanum tenedit.

Cumque apud eundem Apostolici sedis præsulem aliquandiu versaretur, & quotidiè de sacris scriptis cum eo conferens, de salute animæ, de cœlesti vita fabularetur, intellexit idem Deiloquus *Leo* hominem Dei admodum in divinis eruditum, & contra omnes hæreses gladio verbi Dei munitum: unde & secum, Christo inspirante, deliberat, quod vir tam necessarius Ecclesiæ Dei aliquorsum debeat ad prædicandum destinari. Visum est identidem viro Dei *Theonesto*, sicut idem Dominus volebat, alia Sanctorum loca visitare, eorumque suffragia sibi in adversis conciliare, ut sicubi prædicandi copia fieret in vinea Domini, vel plantando, vel putando usque ad Evangelicum æternæ remunerationis denarium laboraret. Quod bonæ intentionis propositum cum *Romano* referret præsuli, ille videns ex sententia cedere, quod prius animo deliberabat, gratias egit Domino Jesu Christi, qui constantissimum sui nominis defensorem usque ad hunc confortabat agonem. Tandem ergo post sanctæ exhortationis colloquia, & multifaria divinæ religionis mandata, data prædicandi autoritate, cum Apostolica benedictione hunc sanctæ societatis comitatum in viam pacis solvit abire. Reverendus autem *Theonestus* cum participibus suis à *Romana* urbe digressus, sicut jam pridem animo deliberarat, Sanctorum loca circumquaque visitabat, nec ullum præterit servorum Dei, cujus notitiam & societatem posset adipisci. Post longos itaque difficillimi itineris labores *Appennini* montis arreptans confraga, & rapidissimi *Padi* transmittens fluenta, urbem *Mediolanum* devenit, ubi *Ambrosium*, in rebus Dei orbi terræ notissimum, Theologiæ vacantem invenit. A quo benignissimè acceptus, & quàm religiosè, tam honestè detentus & habitus, exponit ei causam peregrinationis suæ, & seriem laboris; Indicans qualiter *Hunerici* crudelissimi bestialem expertus sit furorem, & quam gravissimam ejusdem belluæ, & Arianorum, quos defendebat, tulerit persecutionem.

16. Collatio cum Ambrosio.

*Ambrosius* autem è contra denarrat ei, qualiter *Mediolani* contra bestias pugnaverit, & quomodo *Justina Augusta*, Arianæ impietatis alumna, quæ ab hæreticis venena male hauserat, pejus contra Ecclesiam evomuerit, & qualiter Ecclesiarum statum turbando Sacerdotibus depulsiones & exilia intentaverit; usque adeo *Jezabel* spiritu armata omni oppugnationis genere eum fatigans, ut filius ejus *Valentinianus* invidia, quam in *Ambrosium* mater ejus conflaverat, accensus, armatorum manum ad Ecclesiam mitteret; oppugnari sancta, frangi januas, sacerdotem extrahi, & in exilium protinus agi juberet. Addit quoque in tali discrimine magnam virtutem altissimi sibi suisque affuisse, quæ ei per visum revelaverat, quo loco laterent corpora Sanctorum Martyrum *Gervasii* & *Prothasii*, in thesauro divini secreti, usque ad tempus oportunum recondita. Quæ cum effossa digno cum honore ad Ecclesiam deferrentur, inter multimoda sanitatum dona etiam quidam cæcus, urbique notissimus, tactu feretri lumen recepit, & exultantibus in laudem Christi civibus lætitiæ incrementum dedit. Inde feralis illius belluæ animus, etsi juxta fidei regulam hæreticum in se non correxit errorem, tamen compescuit ad tempus tyrannicum à persequendo furorem.

17. Ariani devicti.

Cum tam pios se pro Christo labores pertulisse alter alteri denarraret, & ad perseverantiæ tenorem salutaribus monitis in invicem roborarent, indicat *Ambrosius Theonesto* adhuc in eadem civitate quasdam *Arrianæ* contagionis superesse reliquias, ad quas funditus extirpandas dicit oportere eos unanimiter accingi, & urbem, imò & totam Ecclesiam hac diabolica peste purgari. Unde uterque scuto fidei & gladio verbi armatus, adversus easdem bestias dimicaturi procedunt, resistentibus viriliter insistunt, errorem veritate prosternunt, fidem astruendo, perfidiam destruunt; tandemque favente Christo his confutatis & expugnatis, victoria potiuntur.

18. Ambrosius Theodosium II. adit.

Dum hæc ita geruntur, divinus *Ambrosius* augustæ memoriæ Principem adiens *Theodosium Juniorem*, denuntiat ei veri *Dei* adventum, indicans, quos quantosve labores pro Christo pertulerit, & quanta contra *Arianæ* perfidiæ belluas certamina gesserit, referens, quomodo prius summæ religionis & reverentiæ Præsul, nunc verò Christianæ devotionis & patientiæ exul, præferat in terris pro Christo peregrinari, quàm ob hæreticam communionem in cœlis à Christo separari. Addit quoque ad cumulum gloriæ, non ei ista sufficere, nisi etiam *transalpinam Galliam* appetat, ibique contra Arianas bestias, quas ibi audierat esse, confligat. Unde & omnino esse credibile, eum ad martyrii palmam properare. Augustus vero audita sancti viri fide sociorumque ejus non minori constantiæ fortitudine, religiosa illos excepit honorificentia, & im-



Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO periali ejus utitur munificentia. Et ſicut erat totus Chriſtianæ religioni deditus, tanquam regiæ oblitus majeſtatis, obſequium eis exhibebat magnæ humilitatis; eorum ſe commendans orationibus, eorumque apud dominum ſubniti petens interceſſionibus.

1297. Sopitis tandem inibi Hæreticorum colloquiis, cum vir *Dei Theoneſtus* diſcipulorum

19. Theoneſtus contra Arianos diſputat. hortatu ad alia tranſire loca deſideraret, *Theodoſius* Auguſtus cum divino *Ambroſio*, tam hortatoriis, quàm conſolatoriis ſermonibus recedentes deducunt, eoſque Domino Chriſto commendantes, in pace dimittunt. Illi autem proreptantes nivoſa alpium confraga, & vadoſa vallium concava, ad (a) *Auguſtam primæ Retiæ* devenerunt urbem, ubi jam Ariana plantatio malam extenderat radicem. Cœperunt ergo civibus illis fidei veritatem exponere, & æqualitatem, imò unitatem *Sanctæ Trinitatis* Evangelicis ſermonibus aſtruere. Adeſt iterum diabolus cum Antichriſtis ſuis, argumentis mendacibus oblatrans ſermonibus veritatis: Impia namque pugnacitate contradicebant Hæretici his, quæ à Sanctis dicebantur, unanimiter blaſphemantes, & veritatis lucem mendacii tenebris obfuſcare nitentes. Sancti autem Chriſto freti adjutore fortiter reſiſtunt, & eorum mendacia fidei veritate proſternunt.

20. Urſus Martyr ſ Auguſtæ. Cumque diu talis altercatio fieret, nec ullo modo mala terra divini verbi ſemen ad fructificandum admitteret, indigenæ loci, calice iræ Dei miſere deebriati, teſtes Chriſti invadunt, contumeliis conviciiſque injuriosè afficiunt. Arreptum vero *urſum* trahunt, cædunt, plagis verberibuſque affligunt, ad ultimum truncato capite interimunt. Ita Chriſti fortiſſimus Athleta, ſicut ovis ad occiſionem ductus, victimatus, & ſicut agnus coram tondente ſe obmuteſcens, trucidatur, & in conſpectu ejus, pro quo paſſus eſt, martyrii gloria coronatur. Porrò Angelicus vir *Theoneſtus* videns populum perfidiæ tenebris obcæcatum, & in diaboli laqueis, quibus captus erat, perſiſtere obduratum,

*Luc. 9.* Apoſtolico more, etiam pulverem pedum, in teſtimonium ſuper eos, excutiens: Mundus, inquit, ſum à ſanguine veſtro, Sanguis veſter ſuper caput veſtrum. His dictis,

*Math. 7.* juxta præceptum Domini, nolens ultra Sanctum canibus dare, & margaritas ante porcos ponere; incorrigibilem populi deflens errorem, à perfida urbe diſceſſit, juxta

*Math. 10.* vocem Domini, dicentis: Si vos perſecuti fuerint in civitate una, fugite in aliam. Ibat autem cum reliquis ſociis ſuis gaudens de corona fratris ſui & diſcipuli, ſed humaniter mœrens ex deſtitutione familiaris & ſocii. Quia etſi illius glorificatio pium deferebat gaudium, humanitatis tamen reſpectus compaſſionis extorquebat affectum.

21. Theoneſtus Sigiſmundum adit. Paucis ſanè evolutis diebus & ſalebroſis multo cum labore tranſmiſſis alpibus, perveniunt ad *Chriſtianiſſimum Sigismundum Regem Allogobrum*, qui inter regiæ majeſtatis inſignia crucem ſuam bajulans, Domini ſequebatur veſtigia; non in tantum ambiens temporali florere imperio, quàm æternaliter regnare cum Domino, illius imitatus exemplum, qui cùm eſſet Rex potentiſſimus, ſervus tamen Domini humillimus ajebat: Egens ſum in laboribus à juventute mea, & ſervus tuus ſum ego; da mihi intellectum. Dignus tamen per omnia hic erat vir, qui melioris fidei populo regni faſtigio præeſſet, non cujus rebellione & inſidiis circumventus occumberet. Idem autem nobilis magnificentiæ Rex Sanctorum laboribus mente compatiens, & Chriſtianæ pietatis eis obſequia exhibens, additis ad viaticum ſumptibus, fidæque legationis, propter infeſtantes Arianos, adhibitis comitibus commendans eos Regi cœlorum, ad *Trevirenſem* dirigit Paulinum.

22. Paulinum Trevirenſem adit. Qui videlicet *Paulinus* eo tempore apud *Treviros* Epiſcopali functus dignitate currum Dei aurigabat, & adverſus Arianæ immanitatis beſtias armatura Dei accinctus viriliter dimicabat, opponens eis ſcutum fidei, & gladium Spiritus, quod eſt verbum Dei. Hic ſervorum Dei Epiſcopali humanitate ſuſcipiens adventum, & fraterna viſitatione lætabundus ſpirituale ducens gaudium debita eos veneratione amplectitur, fovet, conſolatur, eorumque peregrinandi cauſam diligentiſſimè percunctatur. Quænam, inquit, cauſſa, vos dilectiſſimi, tali tempeſtate huc adduxit, quæve rerum vertigo ad has perſecutionis procellas, quas patimur, appulit? Uſque adeo enim Arianæ hæreſeos apud nos graſſatur inſania, ut hinc inde noſtra graviter concutiatur Eccleſia, quin etiam fratres noſtri *Valerianus* & *Maximilianus*, quia nefandis Principum edictis, hæreticis communicando, non paruerunt, pro Chriſto victimati, & proprii ſanguinis unda perfuſi occubuerunt. Væ autem homini, per quem hoc ſcandalum

(a) *Ad iſtud ævum, inquit M. Velſerus, rerum Auguſt. Vind. lib. 8. anno 425. Theoneſtum ſocioſque martyres Sigebertus refert, cum aliam alios temporis rationem inire ſciens ſim. Ex quibus Urſum, Mediolano Mogontiacum proficiſcentem, Auguſta ab Arianis occiſum, utut quædam in reliqua hiſtoria vacillent, ſatis convenit. Sed vereor noſtrorum aliquos nominis errore ductos de Vindelicorum urbe perperam interpretari, qua ad Prætoriam Salaſſorum pertineant. Pro Prætoria enim argumenta non obſcura ſunt aliquot. Conſulta tabula Eccleſiæ Burania, quæ ſub Torcellenſi Epiſcopo propè Venetias eſt, ex hos Sanctos, quod pleraque eorum corpora ibi condita, ſolemni cultu veneratur, planè habent*, civitatem Auguſtam, quæ ſita eſt ad radicem montis, qui dicitur Jovis. *Deinde locuples auctor Antoninus, in itinerario iter Mediolano Magontiacum deſcribens, Auguſtam Prætoriam quinta manſionis loco poſuit; tum antiquiſſimum ad eum Monaſterium titulo S. Urſi ſupereſſe audio. Nobis contra, neque itineris ratio ſuffragatur, neque ullam noſtra Eccleſia Urſi memoriam retinet. Quocirca (quod hucuſque cavere cura fuit) ornamento peregrine abſtinemus. Hæc M. Velſerus.*

Digitized by Google

lum in Ecclesiam venit, væ Antichristo illi, per cujus nefandissimum os diabolus hoc blasphemiæ venenum per totum orbem diffudit. Timeo autem, charissimi, quod si vos defendentes veritatem eadem corripuerit persecutionis tempestas, quia in tali discrimine res de vita agitur, graviter unanimitas vestra periclitabitur. Ad hæc *Theonestus*, expositâ suæ suorumque peregrinationis causa: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Dominus nobis adjutor est, non timebimus quid faciat nobis homo: ipsa enim veritas, pro cujus nomine peregrinamur, docet nos non timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Quis verò nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia, an persecutio, an gladius? Si enim compatimur, & conregnabimus. Vobis, inquit *Paulinus*, charissimi, in hac veritatis confessione unanimiter assentior, vobis in hujus propositi tenore congratulor. Christus autem Dominus, qui hanc confessionis suæ vobis indidit sapientiam, potens est, & superaddere patientiam, ipsius gratia vobis præstare dignetur perseverantiæ fortitudinem, quoad usque felici consummatione vestrum coronet agonem.

SÆC. XIII. ANNO 1297. *Rom.* 8. 31. *Matth.* 10. 28. *Rom.* 2. 9.

23. Et Moguntiam petit.

Aliquantum ergo temporis elabitur, cum *Theonestus* videns *Paulinum* validissimum Ecclesiæ murum, & solidissimam fidei columnam adversus Arianorum impetus sufficienter posse persistere, & ad resistendum, Christo autore, sufficere, ratus id quod res, Deo inspirante, monebat, sese aliis ejusdem patriæ locis necessarium, à *Paulino* deliberat recedendum. Data vero & accepta benedictione, conscensaque navi per *Mosellæ* fluminis declivia ad *Renum* usque delabitur, deinde, Christo sibi nauclero, per ipsius *Reni* pelagus prospero celeumate (*a*) *Mogontiam* usque pervehitur. Hujus nimirum *Regiæ urbis* mentionem, quantum & suscepti operis decursus, & rerum inibi gestarum historicus injecit stilus, non ab re videtur, si de primis ejus conditoribus, deque situ & amœnitate loci, quove modo rerum, quas dicere conamur, series ibidem processerit, succinctus sermo summatim attigerit.

24. Moguntiæ conditor.

Hæc igitur augustæ nobilitatis civitas primo *Julium*, qui tripartitam *Galliam*, ac partem *Germaniæ* decennio armis subegit, deinde *Drusum Augusti* privignum, aliosque *Romanorum* Principes habuit conditores & possessores; qui videlicet *Romani* terra marique victores hoc speciale privilegium suæ asscribebant potentiæ, ut quancunque gentem vel regionem armis subigerent, statim eo loci municipia, urbes, arcesque fundarent, deductisque colonis ad tutamentum regni, in *Romanas* leges & cerimonias, inque linguam *Latialem* indigenas cogerent. Testantur hoc urbes arcesque per littora *Reni*, perque totam *Galliam* ab ipso *Julio*, vel ipsius autoritate fundatæ; *Mogontia* videlicet, *Tuicium*, *Agrippina*, *Juliacum*, *Octavia*, quæ & *Tungris*; *Nemetum*, quæ & *Spira*, aliæque perplures, quas propter operis compendium, & quia nota referimus, enumerare longum est. De *Druso* autem testatur *Drusilatium*, in eo qui speciosus dicitur, monte situm, cui ex eo nomen inditum esse volunt, quod sit *Drusi* latibulum. Habet enim opinio eum ibi esse sepultum. Homines quoque regionis à *Druso Drusingi* antiquitus vocabantur. Unde & adhuc quædam moderno tempore propriô nomine (*a*) *Drusing* nuncupantur. Consentiunt huic assertioni etiam fastorum tituli, quæ principum nominibus & gestis in perpetem memoriam insculpti lapidibus per totam inveniuntur urbem confracti & disjecti. Hoc etiam astruunt adhuc superstites theatri ruinæ quod *Romano* more ad ludos *Circenses* & theatrica spectacula constructum est,

(*a*) *Drusitig.*

25. Moguntia ab Hunnis deleta.

Ea autem persecutione, quæ per *Attilam*, *Hunnorum Regem*, cœlesti judicio *Christianis* illata esse describitur, contigit eandem urbem, ut adhuc res probat, funditus eversam concidisse, & in ultionem hæreticæ pravitatis divino permissu ignibus conflagrasse. Conqueritur hoc *Jeronymus* in Epist. ad *Ageruciam*, excisam deflens nobilissimam urbem *Mogonciacam*, urbemque *Wangionum*, *Nemetum* etiam, & *Argentoratum* cum aliis pluribus Ecclesiis & urbibus *Galliarum*.

26. Moguntiæ situs mutatus.

Postea verò quando misericordiam Dei cœli distillaverunt, & divina miserante gratia, Catholicis Principibus reddita pace *Christi* Ecclesiæ conquieverunt, mutato loco super littus *Reni*, à quo prius ducentis plus minus passibus disparabatur, est restituta, & *Francorum* Regibus, maximeque à *Dagoperto* in pristinam, imò multo ampliorem dignitatem ejus revocata, caput effecta regni *Orientalium Francorum*, ac *Metropolis Galliæ Germaniæque* cunctarum urbium *Cisalpinarum*. *Gallicanis* enim Ecclesiis Ariana impietate profanatis, cum divinæ animadversionis flagellum per prædictum *Attilam*, *Hunnorum Regem*, usque ad internecionem desæviisset, & easdem Ecclesias urbesque ad *Aurelianam* arcem abusque *Reno* funditus evertisset; reddita, ut præmisimus, pace, Sanctorum precibus, cum iterum de ordine Ecclesiarum redintegrando ageretur, *Apostolicæ Sedis* autoritas à quibusdam locis & Archiepiscopatus apicem & pallii reverentiam; à quibusdam verò primatus dignitatem censuit transferendam, à



(*a*) De Moguntia hic autor habet non contemnenda. Scriverius not. m. s. in Canis.

Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1297. nonnullis autem cathedras judicavit esse mutandas, quarum nomina propter sublatrantem invidiam hic inferere fas non est. Aliæ enim earum funditus erant eversæ, & divino postulante judicio, in solitudinem redactæ. Aliæ verò etsi divinam senserant animadversionem, adhuc tamen hæreticum perfectè non correxerant errorem. Quapropter *Romanæ Sedis* induxit Censura illis in locis cathedras institui, ubi & Catholicæ fidei integra esset veritas, & Ecclesiasticæ religionis tranquilla securitas.

27. Metropolina fit. Quia vero ab urbe *Mogonciaca* eo tempore primus veri solis radius per magnum illum *Bonifacium Galliæ Germaniæque* illuxit, & perfidiæ tenebras luce veridicæ prædicationis exclusit, cunctorum assensu adjudicavit Apostolicus Pontifex *Gregorius*, deinde *Zacharias* magnum *Bonifacium*, & sedem illi creditam primatus dignitate & *Pallii* honore perpetualiter insigniri, & per totam *Galliam Germaniam*que in omnibus conciliis & Ecclesiasticis conventibus Apostolica vice fungi. Unde ut in gestis *Francorum* legitur, annuente prædicto *Zacharia*, apud *Suessiones*, *Francigenarum* urbem, *Pipinum*, *Magni Caroli* patrem, unxit in regem. Dein locis & urbibus, ubi competebat, videlicet in *Wirzeburg* & *Hustad* Episcopos eligens & consecrans, cathedras Episcopales instituit. In aliquibus verò præsules culpa exigente damnatos Apostolica vice, & primatus potestate deposuit. Quam videlicet primatus dignitatem prædicti *Romanæ Sedis* Præsules *Gregorius* & *Zacharias* eidem memorabili *Bonifacio* & *Mogontinæ* sedi Apostolica authoritate consecrarunt; datisque privilegiis, & scriptis testamentis perpetuo firmarunt. Hæc itaque nobilissima urbs opiniatissimi illius *Reni* fluentis alluitur, omnium bonorum & honorum copia perfruitur, ex omni gente & natione confluentibus hospitalis & portuosa, tam per pontificalem primatum divino apice, quam per regni fastigium mundiali culmine glorioſa, situ jocunda, glebis fœcunda, salubris aëre, delectabilis facie, omnique prorsus coronata dignitate.

28. Theonestus Moguntiam Arianam reperit. Igitur vir Dei *Theonestus* cum *Albano* suo, aliisque discipulis hanc regiam urbem ingressus, invenit eam variis erroribus obnoxiam, & hæreticæ pravitatis sordibus profanatam. Ipsa enim sicut ex diversis partibus pro variis negotiis ad se confluentibus cujuslibet linguæ vel sectæ excipiebat homines, ita multorum sectabatur errores, & cui erat potestas omnibus dominari, non spernebat omnium erroribus ancillari. Hac de re etiam sacerdotem suum, sanctissimum sanè virum *Aureum*, quia errores ejus increpando redarguebat, pontificali solio & mœnibus tunc temporis deturbavit, quem postea *Hunorum* gladius cum sorore, eademque sacra virgine *Justina* victimatum *Christo* Domino ad cœlos misit.

29. Fidem tuetur. Videntes autem sancti viri urbem proprio pastore destitutam occasionem prædicandi ex eventu nacti, cœperunt indigenis verbum veritatis evangelizare, unitatem sanctæ *Trinitatis* contra Arianos tàm propheticis, quàm evangelicis sermonibus astruere, scilicet, *Filium Patri* esse consubstantialem & coæternum; *Spiritum* verò sanctum cum Patre & Filio idem esse & unum, quia unus est Deus vivus & verus, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Ariani verò huic verissimæ assertioni obnixè reclamantes unanimiter obsistunt, & hæresiarchæ sui veneno delibuti, sanæ doctrinæ sermonibus nullatenus acquiescunt.

30. Albanus Arianos aggreditur. Videns autem beatus *Albanus* virum Dei *Theonestum* eorum argutiis & insultationibus vehementer urgeri; etiam prope esse, ut illata sibi violentia debeat vinculatus teneri, ut erat promptus, linguaque expeditus, partes magistri defendens, se medium interponit, & quid in hac, de qua agebatur, quæstione veritas habeat, apertè & diligenter exponit; ostendens gradus & distinctiones seu minorationes, quas *Arius* in sanctam *Trinitatem* blasphemo ore confinxerat, penitus nihil esse, sed Patrem & Filium & Spiritum sanctum coessentialem & coæternum, imò unum Deum ante omnia & per omnia sæcula sine fine regnare.

31. Ab iis afficitur tormentis. Videntes ergò hæreticæ pravitatis Alumni se *Albani* sermonibus in plebis audientia confundi, & inexpugnabilium luce rationum publicè confutari, in ultionem suæ confusionis seditionem excitant in populo: Clamantes, indignum facinus, advenas homines ignotos & idiotas eorum fidem & religionem impugnare; oportere disciplinam, ne quis de cetero talia præsumat, eorum sanciri sanguine; fore dignum, ut aut eorum assertionibus palmam dantes se vinci patiantur, aut vindicibus flammis vivi tradantur, novisque exquisitis pœnis in exemplum omnium rebellium puniantur. Hinc vulgari more stupentes, confusoque fremitu & populari tumultu super eos irruentes, *Albanum*, qui eis vehementius cæteris insistebat, de medio fratrum abripiunt, trahunt, impingunt, cedunt, sine discretione super eum insaniunt, sine miseratione plagis verberibusque afficiunt. At ille, qui jam quotidiano usu didicerat labores & pericula pro Christo pati, quàm patienter, tàm constanter omnia perferebat, & in omnibus gratias illi, pro quo hæc patiebatur, agebat. Nec minus tamen Arianæ bestiæ in insontem tormentis grassantur, & ut in eorum concedat sententiam, omni pœnarum genere debacchantur. Pauci verò qui sanioris aderant

Digitized by Google

rant sententiæ, *Christiana* pietate ducti, quantum fas erat, prohibebant talia fieri; volentes ei carnali quadam miseratione suggerere, ut sibi parceret, & aut eis consentiendo, aut veritatem reticendo tempori cederet. Ad hæc *Albanus*, ut columna immobilis, in sancto firmiter hærens proposito, negat se ad hoc posse cogi, nec contra *Catholicam* veritatem aut tormentis concuti, aut blandimentis posse deduci. SÆC. XIII. ANNO 1297.

32. Capitis pœna ipsi indicta.

*Ariani* verò ut persentiunt inflexibilis constantiæ hominem irrevocabiliter in proposito perseverare, injuriis opprobriisque exsaturatum extra civitatem ejiciunt, & post varia tormentorum genera capitali sententiæ addicunt. Erat videre mirabile, imò miserabile spectaculum, hominem innocentem sine causa damnari, verum Christi testem perfidia præjudicante mactari. Ipse verò, juxta Apostolum, stigmata *Jesu* in corpore suo portans, ac semet in agonia positum in Spiritu sancto confortans, tota ad cœlum mente suspensus, mundum animo negligebat; ideoque & ipsa tormenta jam carne fatiscente deficiens, quasi non sentiebat, cupiens dissolvi, & esse cum Christo. Confluit autem ad spectaculum istud tota undique visendum civitas, mobile vulgus in varias se scindit sententias: alii sacrilegum, alii clamant catholicum: Hi dicunt sanctum virum debere demitti; illi impium turpissima morte damnari. Expectabatur jam jamque carnifex, qui devota hujus sanctæ victimæ colla feriret, ac cervicem jugo Christi assuetam stricto mucrone præcideret. *Gal.* 6. 17. *Philip.* 1.

33. Mortem subit.

Tandem *Albanus* genibus flexis, ore in terram cernuus, corde in cœlum erectus, nudam spiculatori præbet cervicem, pro tali patientia æternam recepturus mercedem. Ita verus Christi athleta & fortissimus fidei agonotheta in stadio positus, & verissimus Christi testis inventus, bonum certamen certavit, cursum consummavit, fidem servavit, de reliquo recepturus depositum, hoc est, coronam justitiæ ab eo cui depositum. Igitur devota cervix crudeli gladio trucidatur, sacrum gutturis organum, quod jugiter nomen aut laudem Christi personabat, impio ense præciditur; sanctissimum vivæ hostiæ caput cruento mucrone rotatur. Sic sanctissima beati *Albani* anima carnis ergastulo feliciter absoluta, sacri sanguinis imbre purpurata, gloria martyrii coronata, angelico stipata comitatu, ascendit ad regem suum; ut quem semper desideravit, semper videat, & cum eo regnans in æternum gaudeat. Dominus autem Jesus sedens ad dexteram majestatis paternæ, & de excelso sancto suo prospiciens testem suum, contra rebelles fidei agonizantem in terris, tali delectabatur sacrificio, tali gloriabatur holocausto, addens certanti virtutem constantiæ, præbens bellanti effectum victoriæ, assumens triumphantem cum palma martyrii ad coronam gloriæ. 2 *Tim.* 4.

34. Abscissum Caput manibus tollit.

Nec solum Dominus sanctum suum cœlesti mercede remunerat, verum etiam ad laudem sui nominis, salutemque mortalium miraculis coruscat. Denique ut sanctissimum ejus caput impio mucrone rotatum à cervice revulsum est, ipsa adhuc lingua in laude Christi palpitante, adhibitis tollens manibus, firmo incessu ad locum usque perrexit, ubi nunc placida & felici compositus pace quiescit. Ecce autem adest in hujus glorificati hominis exequias angelica cælestis militiæ dignitas, divinis prosequens laudibus non loculum funeris, sed triumphum martyris, propriis gressibus ad tumulum properantis, eique cœlestes celebrant exequias ad laudem redemptoris. Verè glorioſissimus inter martyres martyr iste divinus, cujus funus non fertur loculo, non eget bajulo, sed nobili, & inusitato exequiarum genere, caput in manibus portans, pedibus petiit locum sepulchri, ipsa statione sua designans, ubi debeat sepeliri. Nunc ergò licet Dominus æternæ beatitudinis gremio confoveret, pia tamen sanctissimi corporis gleba, debito negligentius, & æquo incultius tunc temporis humata est, id enim habebat articulus temporis; *Catholicos* nimium infestantibus *Hæreticis*.

35. Ejus miracula.

Post eam verò persecutionem, quam in ultionem hujus sceleris & hæreticæ pravitatis sub *Attila Hunorum* Rege cœlesti judicio factam supra retulimus, cùm Ecclesiis Christi reddita esset pax, sanctorum precibus divinæ animadversionis iram propitiantibus, sancti *Albani* tumba cœpit miraculis celebrari, & multo populorum conventu frequentari, quia videbant qualiter Dominus sanctum suum mirificaret, & quomodo magnificentiam suam in eo exaltaret. Videbant enim ejus inibi florere orationes, coruscare virtutes, ejusque meritis multa petentibus præstari beneficia, infirmantibus sanitatum dona, omnisque qui ad eum de quacunque tribulatione clamaturus ingrediebatur, protinus impetrata consolatione lætus regrediebatur. Videbant illic illuminari cœcos, in solidos gressus erigi claudos, omniumque membrorum dolores in pristinam sanitatem revocari. Inde Christiana religione ducti, prout temporis erat copia, super sacrum cinerem parvæ molis Ecclesiam fabricant, altare dedicant, ejus se patrocinio commendantes, sanctique corporis loculum præ omnibus venerantes.

36. Ecclesia ipsi dicatur.

Aliquanto autem processu temporis evoluto, cùm jam civitas ad integrum esset revocata, & Christiana religio tàm catholicè quàm canonicè ad plenum redintegrata, venerabilis *Rudolphus*, à præsulatu magni *Bonifacii* tertius sanctæ *Mogontinæ* sedis Archiepiscopus, sicut videbat locum *S. Albani* martyris miraculis coruscare,



Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1297.

ita hunc fabricis aliisque divinis cultibus aggressus est honorare; fundans primò basilicam tanto nomini debitam, cujus fabricæ modum & structuram quia promptum est oculis cernere, non est opus chartis intexere, estque superfluum, ut literis, vel lectione depingatur, cujus facie vel specie omnis ingrediens delectatur. Super sacrum verò cinerem mausoleum erexit, quod auro, ac gemmis, argento quoque, ubi competebat, vestiens, diligenter undique contexit. Addidit præterea in cultum sanctuarium, & in ministerium altaris vasa aurea & argentea sacris ministeriis idonea, sacras quoque vestes divinis officiis, prout tempus dictat, competentes. Construxit etiam omnes regularis vitæ officinas, quas voluit servorum Dei inibi degentium ad perpetes martyris excubias esse receptacula; ut ejus suffragantibus meritis, ipsi eum recipiant in æterna tabernacula. Obtulit præterea sancto martyri ad sumptus Dei famulantium prædia, villasque & ecclesiarum decimas, quas sacro altari rata adstipulatione firmavit, scriptisque testamentis perpetua stabilitate legavit.

37. Ibi sepeliri volunt Principes.

Idem autem venerabilis locus in tanta celebritate cœpit haberi, ut non tantum ejusdem regiæ urbis Pontifices, verum etiam regni primores, cùm defungerentur, non alibi se poscerent sepeliri. Siquidem in argumentum fidei intra & circa Ecclesiam quoquo versum extant mausolæa, singulorum nomen & obitus diem titulis designantia. Sed & potentissimus ille *Karolus Magnus* & orthodoxus Imperator, cum *Fastrada* conjunx ejus apud *Frankinvurt* diem obiisset, tàm nobile funus ad monasterium *S. Albani* præcepit deferri, & in Aquilonari vestibulo ante altare Apostolorum terræ fecit mandari. Argumento est titulus monumenti ejus in ejusdem vestibuli pariete intra fornicem descriptus, pro cujus animæ remedio quædam sancto martyri contulit prædia, unde hodieque fratribus ministratur dieta.

*Ex hoc & sequenti cap. conjectura, duci posset auctorem horum Actorum esse Sigeardum Monachum Monasterii S. Albani, qui anno 1297. scripsit Acta S. Albani, teste Trithemio.*

Jam nunc sufficiat de innumeris cum compendio pauca libasse, si enim narrando singula percurram, paritura est prolixitas fastidii notam. Vere felix tali patrono *Mogontia*, quæ tanti martyris sanguine purpuratur, quæ tàm pretiosi cineris theca consecratur, quæ victoriosi hujus agonistæ triumpho coronatur, in cujus veneratione Regina assurgit *Gallia*; nobilis applaudit *Germania*; imo tota congaudet ecclesia. Quia ergo de perpetua hujus pretiosissimi martyris non dubitamus gloria, quam in cœlesti angelorum meruit curia, nos, qui ejus indigemus intercessione, cœlestem ejus natalem, quia continuatim nequivimus, vel annuatim celebremus, ut ejus fulti meritis ad eam pertingamus gloriam, quam ipse in conspectu regis sui, pro quo passus est, possidet non annuam, sed continuam. Glorioissimus ergò martyr *Albanus* pelliciam tunicam mortalitatis pro defensione veritatis exuens, & mortalis materiæ tributum in Christi confessione persolvens, passus est. XI. Kal. Julii, sub juniore *Theodosio Augusto*, æternaliter regnante Domino nostro *Jesu Christo*, in dextera paternæ majestatis, qui cum eodem Patre ingenito & Spiritu Sancto, ipse primogenitus & unigenitus, unus vivus & verus Deus vivit & gloriatur per immortalia sæculorum sæcula. Amen.

CANIS.

38. Moguntiæ lacis.

PASSIO

Digitized by Google

# PASSIO SANCTORUM, ALBANI ET SOCIORUM EJUS.

*Ex m. ſ. Windbergenſi.*

TEmporibus piiſſimi regis *Honorii*, *Perſarum* atque *Medorum*, *Wandalorum* gentis, dum orta foret maxima altercatio inter *Chriſtianos* *Arianoſque*; ex fide *S. Trinitatis*, ſæviſſima in *Chriſtianos* perſecutio orta eſt. Ubi dum *Carthagine Synodus* congregaretur tàm *Fidelium* quàm *Arianorum*, à præfato *Honorio* ſexcenti ſeptuaginta Epiſcopi ibidem convenerunt. Inter quos vir valdè egregius *Theoneſtus* à *Philippis* expulſus, & propria ſede privatus, pro certamine fidei & individuæ ſanctæ *Trinitatis*, peregrinationis cauſa *Romam* venit, unà cum diſcipulis ſuis *Albano* & *Urſo* venerabilibus viris & *Tabra* & *Tabratha*. Sed cùm jam aliquandiu ad limina Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* moraretur, unà cum licentia beatiſſimi Papæ, qui tunc temporis beati *Petri* Principis Apoſtolorum vicarius eſſe claruerat, *Tuſciam Liguriamque* peragrans, *Italiamque* ultra progrediens civitatem *Mediolanenſium* adiit, quæ tunc temporis Metropolis erat, ubi ſanctiſſimum *Ambroſium* inveniens, ab illo benignè ſuſceptus multa contra *Arianos* ambo concionati ſunt. Sed ipſi, auxiliante Domino, armati fide ſanctæ *Trinitatis*, ſecundum veritatem, in omnibus victores extiterunt. Sed dum hæc ita ſe haberent, vir beatiſſimus *Ambroſius Theodoſium* Imperatorem Chriſtianiſſimum adiit, nuntians illi adventum beati *Theoneſti*, immenſoſque labores illius atque certamina, quæ pro fide Catholicæ religionis atque individuæ *Trinitatis* habuit, dicens illi adhuc iſta non ſufficere, niſi etiam ſeipſum pro *Chriſti* amore ultro ad Martyrium vellet proferre. Qua de re *Gallias* ipſum velle appetere, ubi ille benignè ſuſceptus eſt, altiſſimo polorum Regi commendans, ut viam ejus dirigere in pace dignaretur. Et abſceſſit inde. At dum per anguſta vallium atque per dirupta montium alpes *Appenninas* transgredi niteretur, venit ad *Auguſtam* civitatem *Reciæ*. Ubi etiam à perfidis multa perpeſſus collegam ſuum *Urſum* ibi reliquit. Qui tentus ab infidelibus in eodem loco Martyrio coronatus eſt. Ibi uſque hodie multa per illum Dominus mirabilia operatur. Sed reverendus vir *Theoneſtus* præfatas alpes transgrediens, uſque *Sigiſmundum* regem pervenit. Sed ipſe dum eſſet vere Catholicus, cauſam ſui itineris dinoſcens, optimè eo uſus, per ſuos legatos miſit eum ad beatum *Paulinum*, *Treverinorum* Epiſcopum: qui tunc temporis verus miles atque propugnator extitit Catholicæ & Apoſtolicæ fidei, & *Arianorum* ſævitiam expulit, illoſque magnificè devicit, atque ad eos ait: Ut quod ad nos veniſtis fratres cariſſimi & deſideratiſſimi? quia *Maximianus* & *Valerianus* nuper pro fide *Chriſti* obierunt, & ab impiis martyrio ſunt coronati. Nunquid & vos ad Martyrii coronam properare velitis? cui illi aiunt: Quis contra nos, ſi Deus pro nobis? non enim timemus, quid faciat nobis homo. An ipſe Dominus in Evangelio commemorat, dicens: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere. Sed potius eum timete, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam. At ille, Bonum, inquit, propoſitum habetis. Deus autem dignetur vobis ſubminiſtrare perſeverantiam cum victoria Martyrii.

SÆC. XIII. ANNO 1297.

Et cùm aliquandiu apud illum morarentur, vale dicens eis, dimiſit eos in pace. Indeque viam arripientes, venerunt civitatem *Moguntiam*, quæ ſita eſt ſupra *Renum* fluvium, quæ & Metropolis eſt citerioris *Galliæ*, ubi etiam cùm fluxus *Arianorum* atque *Gotthorum* adveniret, ipſique fidei veritatem exponerent, ut ſanctæ *Trinitatis* gloriam agnoſcerent, eorumque inſaniam in publico confunderent, arreptum *Albanum* educentes foras civitatem, ictu ferientis caput ejus abſciſſum eſt. Atque ipſe caput ejus arripiens, propriis manibus deportavit, ubi nunc propitiante Domino corpus ejus ſimul cum capite requieſcit, ubi ab illo tempore uſque nunc plurima & innumerabilia, miſerante Domino, per illius interceſſionem fiunt miracula.

At dum beatiſſimus *Theoneſtus* naviculam vellet aſcendere, ultraque progredi cum diſcipulis ſuis *Tabra* & *Tabrata*, turbæ *Gothorum* & *Arianorum* circundantes eum, in-

ci-

Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1297.

cidentes naviculam ejus foraverunt illam, & ipsum mittentes in eam, discipulosque ejus, voluerunt eos in profundum fluminis immergi. Hinc beatus *Theonestus* læto animo & hilari vultu cum navicula sua pervenit usque ad littus illæsus. Et cum vestimenta sua detergeret, secumque cogitaret, quid illum agere oporteret; iterum turba infidelium illum circundedit, & tenentes eum, duxerunt iterum ad oram fluminis, & miserunt illum in suam navim, quam antea perfoderant; & duxerunt eum in medium supradicti fluminis, cum præfatis viris, & demiserunt illum, ut in mediis fluctibus perimerent.

Sed dum beatus *Theonestus* chlamydem suam misit in ipsum foramen, oculos suos elevans ad cœlum, dixit: Domine Deus meus, qui fecisti cœlum, & fundasti terram, & inebriasti eam, & dedisti escas omni carni, & clausisti aquas abyssi vehementis; qui mare creasti, & terminum ei posuisti, & dixisti: Usque huc venies, & non procedas amplius, te deprecor, fili Dei vivi, ut confirmes hanc naviculam meam, in qua hunc ab infidelibus videor periclitari, qui in Chana Galilææ de aqua vinum fecisti, qui cœco nato oculos aperuisti, qui surdos audire fecisti, qui mulierem à fluxu seminis liberasti, qui mortuos suscitasti, & super aquas maris ambulasti; exaudi me Domine, & miserere mei, & da mihi portionem salutis æternæ, ut cognoscant omnes gentes, quia tu es Deus benedictus unà cum Patre tuo, & Spiritu sancto, trinus & unus per omnia sæcula sæculorum Amen.

Tunc facta est vox ad eum de cœlo dicens: *Theoneste* noli timere, quia exaudita est oratio tua, & restaurata est navicula tua, sicut prius. Quia in omnibus *Michael* auxiliabitur tibi; & ipse ductor tuus erit. Perge ergò quacunque via te deduxerit, quia Dominus tibi miserebitur. At ille ad littus perveniens, insidias infidelium devitans, per medias Gallias remeans, ad mare usque pervenit; ubi verbum Dei prædicans atque disseminans, multa per illum Dominus magnifica operari dignatus est. Iterumque navim ascendens, *Siciliamque* veniens innumerabiles populorum turbas per suam doctrinam Domino acquisivit, atque *Venetiam* veniens, & verbum veritatis annuntians, usque in *Altinum* venit. Cumque ibi prædicare cœpisset, tunc turba plurima infidelium circumdederunt eum, cum præfatis alumnis suis, egredientesque civitatem, iterum turba populorum eos persecuta usque ad pontem marmoreum, qui est super *Renum* fluvium Silea, ibidemque martyrio coronati, ita ut *Tabra* in capite pontis decollatus sit, & *Theonestus* in medio ponte, & *Tabrata* ex alia parte pontis, ita duntaxat, ut omnes pariter decollati sint. Et beatus *Theonestus* caput suum propriis manibus detulit usque ad locum, ubi corpus ejus postea à religiosis viris unà cum capite humatum est. Ubi & corpora discipulorum ejus *Tabra* & *Tabrata* simul cum eo requieverunt in pace. Ad quorum tumulum per intercessionem ipsorum, multa & innumerabilia omnipotens Deus operatur miracula; præstante Domino nostro *Jesu Christo*, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat Deus per omnia immortalia sæcula sæculorum, Amen. Acta sunt autem hæc sub die decima Kalendarum Novembrium in Altino civitate, sub Theodosio Imperatore Augusto.

ANNA-

Digitized by Google

# ANNALES
# HEINRICI STERONIS,

## MONACHI ALTAHÆ INFERIORIS, IBIQUE CAPELLANI,

AB ANNO M. C. LII.

QUI EST PRIMUS

## FRIDERICI I. IMP.

Usque ad RUDOLPHUM HABSPURGIUM, ad annum videlicet 1273.

*Ex Codice Manuscripto Augustani Monasterii SS. Afræ & Udalrici editi.*

MULTIS PARTIBUS AUCTIORES.



Digitized by Google

# AD LECTOREM
## CANISIUS.

SÆC. XIII. ANNO 1300.

(a) à Marquardo Frchero. *Scriverius.*

*ET hunc codicem m. ſ. ex Auguſtano Monaſterio SS. Afræ & Udalrici communicavit mecum M. Velſerus, vir nobilitatis & reconditæ eruditionis laude celeberrimus. Editi quidem ſunt hi Annales Francofurti.* (a) *Sed noſter m. ſ. codex habuit multis partibus copioſores & auctiores, eoque nomine Germanicarum rerum Studioſis exoptatiſſimos. Qui conferre has duas editiones voluerit, deprehendet in Francofurtenſi quædam eſſe, quæ in noſtro m. ſ. abſunt, eaque fere ſunt de rebus Auguſtani Monaſterii, quæ à Monacho Auguſtano addita manifeſtum eſt: quale eſt illud initio:* In capitulo noſtro ſepultus eſt Auguſtæ, &c. *quæ non à Sterone Altahenſi monacho, ſed ab Auguſtano dici potuerunt. Propter hæc editio Francof. hos Annales dat nomine* Chronicæ Auguſtenſis, inſertis, *ut ait*, rebus Bavaricis & inter alia cœnobii Altahæ inferioris per Heinricum, ut veriſimile eſt, Steronem. *In qua editione ſubſequenti parti horum Annalium, ab anno videlicet* 1266. *expreſſe nomen auctoris Heinrici Steronis adſcriptum eſt. In noſtro vero m. ſ. hæc non ſeparata pars eſt, ſed ejuſdem manus. Unde & nomen Steronis, quod in noſtro m. ſ. nullum erat, appoſui. Varias lectiones, quæ in Francof. editione, in oram aliquas conjeci.*

Poſtea *Caniſius* in hos *Steronis* & ſubſequentes *Eberhardi* Annales ſequentem adjecit annotationem:

*UNum hoc moneo, ut conſtet de bona fide. Ea, quæ ab anno* 1152. *Steronis nomine dedimus, m. ſ. ſine ullo intervallo & ſine auctoris nomine conjuncta ſunt iis, quæ ab anno primo Rud. Habſpurgii ſe collegiſſe teſtatur Eberhardus. Unde ſuſpicio eſt, omnia Eberhardi eſſe; præſertim cùm Urſtiſius teſtetur, Eberhardum Annales ſuos ab anno* 1152. *inchoaſſe. Neque obſtat, omnia fere ad verbum (niſi, quod noſter codex in multis ſit auctior) convenire cum Sterone uſque ad Habſpurgium. Nam etiam ab Habſpurgio, quæ Eberhardus ſua eſſe teſtatur, ea conveniunt ad verbum in quamplurimis cum Sterone, qui etiam ab Habſpurgio pergit annales pertexere. Notum enim eſt quàm ſæpe auctores illius ævi alios tranſcribendo ſuos fecerint. Hìc tamen præter conjecturam nil ſtatuo. Et donec m. ſ. litem decidat, ea, quæ certo ſunt Eberhardi, illi diſerte tribuimus: antecedentia verò, quæ nullum nomen præferunt, & cum Sterone ferè conveniunt, ea Steronis nomine damus.*

JACO-

Digitized by Google

# JACOBI BASNAGII
## IN
# STERONIS ET EBERHARDI ANNALES.
## ANIMADVERSIONES.

I. PAuca hic circa binos autores, quorum unus compilavit alterum, sumus observaturi, prior est *Stero*, Monachus & Capellanus *Altahæ inferioris*. *Altaichum superius* fuit cœnobium Ordinis Benedictini, conditum, ut aiunt, ab *Utilone*, Bavariæ Duce, ad ripam Danubii: *Altaichum inferius* eundem habuit fundatorem, in inferiore Bavaria & Danubio adsitum. Hæc cœnobia Ordinis Benedictini nomen habuisse ferunt à binis quercubus vetustissimis. Ibi frequentissima plebs congregabatur, & victimas Idolis immolabat; Sed avulsis arboribus substitutæ sunt ædes sacræ, quas *Taxilo* & *Carolus Magnus* ditaverunt. In posteriori, quod fuit celeberrimum, cœnobiticam vitam agebat *Stero*. SÆC. XIII. ANNO 1300. & SÆC. XIV. ANNO 1305. Bucelius.

II. Steronis Annales imperfectos primus edidit *Freherus*, ut pote qui apud illum incipiant ab anno 1166. Nostri vero ab anno 1152. ideoque editio Freheri fuit mutila; sed è contra *Canisiana* ab initio perfectior, imperfecta remanet ad finem; quippe desinit ad ann. 1272. cum viginti octo annos ulterius sit progressus *Stero*. Ut huic lacunæ medicam admoveremus manum, quæ deerant apud *Canisium*, ex *Frehero* adjecimus ad annum 1300 usque. Integrum igitur *Steronis* opus hic habent lectores, nec deest initium, ut apud *Freherum*; nec finis, ut apud *Canisium*. Quanquam, si mentem licet aperire, vix credam ea, quæ leguntur apud Freherum, esse Steronis; quippe differunt stylus & methodus scribendi. Multa, quæ Historiam horum temporum elucidant, continent *Annales Steronis*; sed cum obscura sit ea temporium series, plura annotavimus, quæ lucem afferre possunt Scriptis brevitate intricatissimis.

III. Dubitavit *Canisius*, an ex *Eberhardo*, quem *Steroni* adjunximus; *Stero*, vel ex *Sterone Eberhardus Cumeras ditaverit*. Nos ancipites & dubii esse non possumus. Id fatemur, *Steronis Annales* de verbo ad verbum descriptos legi apud *Eberhardum*; sed Stero scripsit prior; ideoque priori plagii dica debet indici; Quanquam autem *Steronem* videatur compilasse, multa tamen discrepant in eorum scriptis, & plurima reperiuntur apud compilatorem, quæ desunt in Steronis Annalibus; ideò alterius scriptum priori subjecimus.



Digitized by Google

Sæc. XIII. Anno 1300.

# ANNALES
# HEINRICI STERONIS ALTAHENSIS,
## EX M. S. CODICE AUGUSTANO.

ANno Dominicæ Incarnationis M. C. LII. Fridericus primus, Friderici Suevorum Ducis filius, fratris scilicet Cunradi Regis, natus ex clarissima progenie Carolorum, post Cunradum (*a*) tertium, patruum suum, apud Franckenfurt, communi voto & consultu omnium principum, ad imperium est electus, nonagesimus quartus ab Octaviano Augusto. Hic in principio regni sui omnium Theutonicorum favorem habens, per districta judicia pacem optimam fecit in omnibus partibus regni sui. Italiam rebellem fortitudine sua premit. Cremonam, Mediolanum, Bononiam, Placentiam, Brixiam, Terdonam, Veronam, Spoletum, & alias civitates sua potentia sic devicit, ut Mediolanum, Cremonam, & quasdam alias urbes Italiæ omnino destrueret; Civibus eorum quibusdam occisis, quibusdam in exilium relegatis. Nam septem vicibus de Almannia duxit exercitum contra ipsos. Ab Adriano Papa Imperator consecratur. Sed postea inter eum & ordinatorem suum, Adrianum quartum, ac successorem ejus, Alexandrum tertium, gravissima oritur (*b*) dissensio, ita ut Octavianus (qui & Victor)

(*a*) *Conradus* III. Sueviæ Dux electus Imperator an 1138. Quamquam *Baronius* rejiciat in annum sequentem. Sic enim *Otto Frisingensis*, qui rem accurate nosse debuit, & ex eo *Albericus Triumfontium*, in Chronico nuper edito. Basn.

(*b*) Triplex fuit causa dissidii inter Imperatorem & Pontificem, quod schisma conflavit, prima, ambitio Pontificia, secunda, dignitas Imperatoria, denique Regalia & sedes Ravennatensis *Guidoni* denegata. Priorem sic refert Anonymus ex Codice Vaticano:

Prior causa dissidii. Codex Vatic.

*Post multa hinc & inde inter Pontificis & Imperatoris Legatos tractata, præstitumque juramentum de conservandis omnibus debitis Pontifici Juribus*, Hadrianus IV. *è munitissimo civitatis Castellanæ Præsidio, in quod se, timore Friderici, receperat, ad Regem apud Suinum descendit; cum autem Rex ei stratoris officium de more non præstitisset, Cardinales perterriti ad civitatem Castellanam confugerunt; Pontifex verò in præparata sibi sede considens, cum Rex ad ejus vestigia procidisset, & deosculatis pedibus ad pacis osculum accedere voluisset; Pontifex illud ei denegavit, ob non impensum sibi consuetum ab Orthodoxis Imperatoribus, pro Apostolorum* Petri & Pauli *reverentia, reddi Romanis Pontificibus stratoris obsequium. Respondente Rege, se ad hoc non teneri, sequenti die investigata diligenter antiqua consuetudine & veteribus monumentis, judicio principum qui aderant, decretum est, totiusque Regalis curiæ consensu firmatum, Regem debere stregnam seu suppedaricum tenere, dum Papa conscenderet aut descenderet equum, & stratoris officium exhibere, idque* Fridericus *in conspectu universi exercitus alacriter præstitit, & postea ad pacis osculum admissus est.* Hæc Anonymus. Quis talia crederet, ni ex Codice Vaticano hausta forent? Mirari debemus, an ambitionem Pontificis, qui vult Imperatorem habere stratorem? an supinitatem Imperatoris, qui deosculatus Pontificis pedes, *in honorem Petri & Pauli* stratoris exhibet officia alacriter? an denique nimiam hominum credulitatem, qui diligenter investigata antiqua consuetudine & veteribus monumentis, hæc confirmant; quippe talia non possunt ex veterum monumentis erui. Sed hic nostra res non agitur.

Secunda origo dissidii. an. 1155.

Romam venit Imperator, & clam coronatur à *Pontifice, nesciis, ut ajunt, Romanis, qui se intra urbem insidiose continebant*, ut referunt autores plurimi, refragantibus aliis, & ipso Imperatore, qui hæc habet de die coronationis suæ *ad Ottonem: Missa*, inquit, *celebrata, ad altare Sanctorum Petri & Pauli, in honore S. V. Mariæ, quia Sabbathum erat, benedictionem corona Imperii Romani largiter super caput nostrum effudit.*

Quidquid sit; Ortô an. 1156. inter *Willelmum Siciliæ* regem & Pontificem *Adrianum*, ob denegatos priori titulos, bellô, & obsesso Pontifice, apud Beneventum pax confecta est, inscio *Friderico*, qui graviter offensus inhibuit: ne ullus Episcopus &c. ullam a Pontifice Romano beneficiorum collationem expeteret, aut illa de causa curiam Romanam adiret. Excandescens Pontifex Legatos misit cum litteris, in quibus hæc verba præsertim continebantur, quæ controversiam excitarunt: *Debes, glorioſissime fili, ante oculos mentis reducere quàm jocunde alio anno mater tua S. E. R. te susceperit, quantam tibi dignitatis plenitudinem contulerit & honoris, & qualiter Imperialis insigne corona libentissime conferens* &c.

Commotus Imperator, quasi teneret Imperatoriam dignitatem à Pontifice Romano, & multo vehementius commoti Proceres Germanici manus in Legatos injecissent, nisi Fridericus silentium imposuisset. Dimissi Legati Romam venerunt, plerique Cardinales eorum imperitiam accusabant, alii verò favebant Pontifici, præsulibus Germanis, quibus à Pontifice rescriptum fuerat, Imperatoris partes tuentibus. *Hadrianus* litem componere voluit: Rescripsit, scilicet, Imperatori, se dolere, quod prava interpretatione ejus verba non fuissent approbata, & priori sententiæ benignum volens aperire sensum, voces controversas *beneficii & conferre coronam*, sic interpretatus est:

*Beneficium* non intelligimus more vulgari pro *feudo*, (quemadmodum stylus Romanus cæterorumque gentium tunc temporis ferebat,) sed pro *bono facto*.

*Conferre coronam* non intelligimus *dare pleno jure*; sed simpliciter *imponere*. Ex ipsorum Pontificum interpretatione, quam aliquando postulat necessitas, conjiciant Historici & Critici, quid eorum verba valere debent, ubi principes ipsis suffragantur!

Tertia dissidii causa fuit *Regalia*, quam Imperator ab Episcopis & Abbatibus Longobardiæ voluit exigere; & ob denegatam *Guidoni* à Pontifice Sedem Ravennatensem, ad quam illum promovere studebat Imperator. Inde controversiæ maximæ. Missæ tum à Pontifice, tum ab Imperatore Epistolæ, amaro prorsus animo scriptæ: Missaque Legatio ad Fridericum *cum quibusdam capitulis, de Juribus & Regalibus B. Petri tam in urbe Roma quàm in reliquis Terris & dominiis ad eum pertinentibus.* Sed Kalendis Septembris obiit *Hadrianus quartus.* Quænam erant Regalia Petri, hominum pauperrimi, vestigia Christi sequentis, tum Romæ, tum aliis in locis? quærat alter, qui falsa Traditione niti noluerit. Basn.

Digitized by Google

ctor) & post hunc Gwido (qui & Paschalis) contra prædictum Adrianum ex parte Cæsaris Romani Pontifices constituerentur. Invaluit autem in tantum ista dissensio, ut quasi per XX. annos plures Archiepiscopi & Episcopi, faventes & obedientes Domino Adriano, ab Imperatore propriis sedibus pellerentur, indignioribus substitutis. Plures etiam Principes Laici detrimentum honoris sui & rerum in hoc schismate pertulerunt. Heinrico etiam Duci Saxoniæ, filio illius Heinrici Ducis Bavariæ à Cunrado antecessore suo ejecti è Bavaria, consilio & rogatu Principum, Ducatum paternum restituit Noricorum; & Heinricum patruum suum, Marchionem Austriæ, tunc Ducem Bavariæ, ab eodem Ducatu removit. Et quia ejusdem Marchionis magna nobilitas & multa exigebat honestas, ut nomen Ducis non perderet, & Duces Bavariæ minus deinceps contra Imperium superbire valerent, Imperator de voluntate & consensu Principum in Curia Ratisponæ habita An. Dom. M. C. LVI. Marchionatum Austriæ à jurisdictione Ducis Bavariæ eximendo, & quosdam ei Comitatus de Bavaria adjungendo convertit in Ducatum. Judiciariam potestatem Principi Austriæ, ab Anaso usque ad sylvam prope Pataviam, quæ dicitur Rotensal, protendendo. Nam hucusque quatuor Marchiones Austriæ & Styriæ, Istriæ, Cambensis, qui dicebatur de Vohburg, evocati ad celebrationem Curiæ Ducis Bavariæ veniebant, sicuti hodie Episcopi & Comites ipsius terræ facere tenentur. Sic igitur ille Heinricus factus est primus Dux Austriæ. Post hæc cum cuncta sibi subjugavit Imp. Friderici potentia, Heinricus, Dux Bavariæ & Saxoniæ, qui jam quasi per viginti quatuor annos districtus & optimus judex suos rexerat principatus, visus est Imperatori non fidelis fuisse, nec contra Lombardos bonus adjutor: per sententiam Principum ab Imperatore proscribitur, & ab honoribus suis deponitur, eique Otto, Comes Palatinus Bavariæ de Schira, per Imperatorem substituitur in Ducatu Noricorum.

SÆC. XIII. ANNO 1300.

Austria fit Ducatus.

*F. Rosental. al. Rotensela.*

An. D. M. C. LXXX. Post multas itaque victorias & prælia, pace in regno Teutonicorum per sua tempora florente, contra inimicos Crucis movet exercitum in subsidium terræ sanctæ, & cum eo vadit Teutonicorum & aliarum gentium multitudo maxima, ubi cum in Græcia in quodam parvo rivulo se lavaret, circa solstitium æstivale, in eodem, occulto Dei judicio, est submersus, & exercitus sui, & peregrinorum magna pars ex intemperie aëris interiit, anno Dom. M. C. XC. cui successit Heinricus filius suus, nominis illius VI.

M. C. LIII. Eclipsis Solis accidit.

*Eugenius Tertius Papa obiit. Anastasius II. succedit & eodem anno obiit.*

*Altahensis Abbatia subjicitur Ecclesiæ Babenbergensi.*

M. C. LIV. *Adrianus IV. Papa sedit.*

M. C. LV. Hartwicus, Saltzburgensis Canonicus, fit Episcopus Ratisponensis.

Fridericus Rex in Italia aliquot urbes diruit, & Romam veniens Imperator consecratur.

Otto Palatinus Comes obiit.

M. C. LVI. Fridericus Imperator Româ rediens Curiam Ratisponensem habuit, & restituto Ducatu Bavariæ Heinrico Duci Saxoniæ, Marchionatum Austriæ in Ducatum mutavit. Ex quo facto multum est diminutus honor & potentia Ducum Bavariæ, sicut patet in privilegio Imperii hic transcripto:

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Fridericus, divina favente clementia, Romanorum Imperator Augustus. Quanquam rerum commutatio ex ipsa corporali institutione possit firma consistere, vel ea, quæ legaliter geruntur, nulla valent refragatione convelli; Ne qua tamen possit esse gestæ rei dubietas, nostra debet Imperialis authoritas præcavere.

*Extat plenius in Austria Cuspiniani.*

Noverit igitur omnium Christi Imperiique nostri fidelium præsens ætas, & successura posteritas, qualiter nos, ejus cooperante gratia, à quo cælitus in terra pax est missa hominibus, in Curia generali Ratisponensi, in nativitate sanctæ *Mariæ* Virginis celebrata, in præsentia multorum religiosorum & Catholicorum Principum, litem & controversiam, quæ inter dilectissimum patruum nostrum, Heinricum Ducem Bavariæ, & carissimum nepotem nostrum, Heinricum Ducem Saxoniæ, diu agitata fuit de Ducatu (*) Bavariæ hoc modo terminavimus, quod Dux Austriæ nobis resignavit Ducatum Bavariæ, quem statim in beneficium concessimus Duci Saxoniæ. Dux autem Bavariæ resignavit nobis Marchiam Austriæ, cum omni jure suo, & cum omnibus beneficiis suis, quæ quondam Marchio Luipoldus habebat à Ducatu Bavariæ. Ne autem in hoc facto minui videatur honor & gloria dilectissimi patrui nostri, de consilio & judicio Principum, Wadizlao illustri Duce Boëmiæ sententiam promulgante, & omnibus Principibus approbantibus, Marchiam Austriæ in Ducatum commutavimus; & eundem Ducatum cum omni jure præfato patruo nostro Heinrico & prænobilissimæ uxori suæ Theodoræ in beneficium concessimus, perpetuo jure sanctientes, ut ipsi & li-

(*) *F. Austria.*



Digitized by Google

SÆC. XIII. liberi eorum post eos, indifferenter filii & filiæ, eundem Ducatum Austriæ hæreditario jure à Regno teneant & possideant.

ANNO 1300. Si autem prædictus Dux Austriæ patruus noster, & uxor ejus absque liberis decesserint, libertatem habeant eundem Ducatum affectandi cuicunque voluerint. Statuimus quoque, ut nulla magna vel parva persona in ejusdem Ducatus regione, sine Ducis consensu vel permissione, aliquam Justitiam præsumat exercere. Dux verò Austriæ de Ducatu suo aliud servitium non debet Imperio, nisi quod ad Curias, quas Imperator præfixerit in Bavaria, evocatus veniat. Nullam quoque expeditionem debeat, nisi fortè quam Imperator in Regna vel provincias Austriæ vicinas ordinaverit. Cæterum ut hæc nostra Imperialis constitutio omnino rata & inconvulsa permaneat, præsentem inde paginam conscribi, & sigilli nostri impressione insigniri jussimus, adhibitis testibus idoneis, quorum nomina sunt hæc: (a) Pilgrinus Aquileiensis Patriarcha, Eberhardus Archiepiscopus Saltzburgensis, Otto Episcopus Frisingensis, (b) Cunradus Episcopus Patavienſis, Herewicus Episcopus Ratisponensis, Eberhardus Bambergensis Episcopus, Hartmanus Brixinensis Episcopus & Tridentinus Episcopus, Dominus Welfo, Dux Cunradus frater Imperatoris; Fridericus filius Regis Cunradi, Hermanus Dux Karinthiæ, Marchio Engelbertus de (c) Istria, Marchio Albertus de Badem, Diepoldus, Heinricus Palatinus Comes de Rheno, Otto Comes Palatinus, & frater ejus Fridericus & alii quam plures.

(a) F. Pilgrinus.

(b) Cunradus Episcopus Pambergensis, Hartmannus Brixiensis Episcopus, Hartmannus Ratisponensis & Tridentinus Episcopus, Dominus Welfo.

(c) F. Austria.

Signum Domini Friderici Romani Imperatoris invictissimi Ego (d) Reinoldus Cancellarius, vice Arnoldi Moguntinensis Episcopi & Archi Cancellarii recognovi, Regnante Domino Friderico Romanorum Imperatore in Christo. Datum Ratisponæ XV. Kal. Octobris Indictione IV. (e) Anno Dominicæ Incarnationis M. C. L VI. fæliciter, Amen.

(d) F. Reinaldus.

(e) F. Anno D. M.C. LVI. Anno regni ejus quinto, Imperii secundo. Feliciter, Amen. Wilhelmus Apulus.

Anno regni ejus V. Imperii II. Winhelmus Apulus cum Manuele Græco pugnans vicit, cæsa sunt ibi (ut aiunt) XL. millia Græcorum.

Imperator Poloniam adit, & fit inter eum & Apostolicum dissensio.

Imperator Mediolanum obsedit, & ad deditionem coëgit.

Eodem anno Waditzlaus Dux Bohemiæ, mutato ab Imperatore dignitatis nomine, in Regem Boëmorum præficitur.

## M. C. LVII.

Heinricus Comes de (f) Wolfratzhusen obiit.

(f) Wolfarts hausen.

Heinricus primus Dux Austriæ in Metem Monachos instituit, & clericos qui ibi erant, locavit in Munster.

## M. C. LVIII.

Imperator Fridericus Mediolanum obsedit, & ad deditionem cives ejus coëgit. Otto Frisingensis Episcopus obiit, (g) Et Albertus eligitur.

(g) F. obiit. Adalbertus eligitur.

## M. C. LIX.

Adrianus Papa obiit. Octavianus Cardinalis à parte Cæsaris constitutus Victor dicitur: sed Rulandus, qui & Alexander, ab Ecclesia (a) eligitur.

## M. C. LX.

(b) Imperator (h) Cremam destruit. Arnoldus Episcopus Moguntinensis in Ecclesia sancti Jacobi occiditur.

(h) Fort. Cremonam.

M.

(a) De hac electione, an juridica fuerit, dubium esse potest quippe. 1. Stabant à partibus Octaviani infinita ferè; multitudo tum Senatorum tum plebejorum, ita ut Alexander cum Cardinalibus per dies novem in munimento Ecclesiæ remanere, propter metum plebis, coacti fuerint; deinde verò in arctiorem custodiam triduo inclusi sunt, nec in urbe potuit ordinari Pontifex, nec cessavit odium, quod in se conflaverat; quippe qui in Galliam fugere debuerit, ut illud declinaret. Invito igitur Populo & Senatu creatus est. 2. Quantum commoti, imo perturbati sunt animi binorum Pontificum, dum alter alteri mantum è collo violenter abstulit, deinde à satellitibus ei eripitur. Sicne Pontificiam sedem adire fas est? Denique ab utraque parte fuerunt concilia, quæ electionem firmaverunt, ita ut de eo qui fuerit legitimus Pontifex, merito dubitari possit. Unum observabimus, qui nullam movere volumus controversiam: Quod habet Anonymus ex codice Vaticano: *Alexander consecratus est in summum Pontificem, & secundum solitum morem regno insignitus, Mitrâ Turbinatâ, scilicet, cum corona.* Quamvis scribat Anonymus morem invaluisse apud Romanos Pontifices, nullum tamen occurrit coronationis exemplum ante *Nicolaum primum*, de quo legitur apud *Anastasium: In Basilicam Petri deductus, præsente Cæsare consecratus, densis tandem Optimatum populique agminibus, cum Hymnis & Canticis spiritualibus iterum Lateranum perductus* CORONATUR. * Hic igitur prima Pontificum Coronatio tanquam Regum apparet; sed hic tria post sæcula mutatus usus, & non modo coronatur Pontifex, sed cum corona *Mitram Turbinatam* accipit. † Latuit Glossatorem cæteris superiorem, quid sit *Mitra Turbinata*, cujus hic usus primum apparet. Sed *Allemannus* ex parietibus Lateranensibus conjecit illam *Turbinatam Mitram* fuisse Tiaram cum uno coronamento; cui secundum adjecit *Bonifacius* VIII. ambitionis Imperatoriæ æstro percitus & denique tertium addidit *Urbanus Quintus*, unde Tiaræ Turbinalæ cum tribus coronamentis invaluit usus. BASN.

* An. 858.

† An. 1159.

(b) An. 1160. *Cremam* destruit. Ad marg. *Cremonam Canis.* malè. *Crema* enim & *Cremona* distant aliquot miliaribus. Et sic Abbas Reicherspergensis *Hermannus* in Chronico suo ad ann. 1160. *Crema capta, destructa & cremata est, quo facto Imperator Papiam venit.* BASN.

Digitized by Google

M. C. LXI. SÆC. XIII. ANNO 1300.

Heinricus Dux Karinthiæ periit in Jonio mari: Hermannus frater ejus Ducatum gerit. Pilgrinus (a) Patriarcha obiit: Udalricus ordinatur.

M. C. LXII.

Imperator Mediolanum deſtruit.

M. C. LXIII.

*Imperator jam quarto Italiam adit.* Imperator * Moguntinenſes muros & turres deſtruxit. * Mediolanenſes.

M. C. LXIV.

(b) Octavianus Schiſmaticus obiit. Gwido, qui & Paſchalis, per Cæſarem ſubſtituitur.

Trium Magorum corpora tranſlata ſunt ad Coloniam.

Eberhardus Saltzburgenſis Archiepiſcopus obiit: Cunradus Patavienſis Epiſcopus, patruus Imperatoris, ſuccedit; ab Alexandro Papa pallio honoratur. (a) Hartmannus Brixinenſis & Hertwicus Ratiſponenſis Epiſcopi obierunt. (a) F. Hermannus B. & Hartwicus.

Otacker Marchio Styriæ, Gebhardus de Burck, Sifridus de Leubenowe, (b) Lutoldus de Plaigen, Comites obierunt. Ex tunc Duces Bavariæ caſtrum in Burchuſen poſſederunt. (b) F. Leutoldus.

Chunrado Patavienſi Epiſcopo ſuccedit Rubertus.

M. C. LXV.

Imperator in Curia Wirtzburg Principes regni Gwidoni ſchiſmatico jurare compulit. Chriſtianus Maguntinus Chunrado ſupponitur. Eodem anno Imperator curiam in (c) Laufen habuit. Rubertus *Patavienſis* Epiſcopus obiit: cui (d) Albero ſuccedit. (c) F. Laufen. (d) F. Allo.

M. C. LXVI.

Facta eſt tranſlatio ſancti Caroli Imperatoris, feria IV. poſt Nativitatem Domini. Ordinatio clericorum in Saltzburch ab Archiepiſcopo Chunrado.

M. C. LXVII.

Imperator Italiam quinto adiit.

M. C. LXVIII.

Chunradus Archiepiſcopus Saltzburgenſis obiit: Albertus filius Regis Bohemiæ ſuccedit; ab Alexandro Papa (e) tertio honoratur. Heinricus Ratiſponenſis Epiſcopus obiit. Paſchalis ſchiſmaticus, qui & Gwido, obiit. (e) F. quarto.

M. C. LXIX.

Imperator ad Saltzburkhofen curiam celebrans, Saltzburgenſem Epiſcopatum in deditionem accepit. Albero Epiſcopus Patavienſis ab Eccleſia abigitur, cui Heinricus ſuccedit.

M. C. LXX.

Imperator Saltzburgam XIV. Kal. Martii venit, & ibidem cum prælatis colloquium habuit. Rex Hieruſalem de Saracenis triumphat. Eberhardus Babenbergenſis *Epiſcopus* obiit, cui Hermannus ſuccedit.

M. C. LXXI.

Thomas Cantuariæ patitur. Vacca vitulum in montanis peperit, duo capita, octo pedes, duas caudas habentem.

M. C. LXXII.

Imperator Curiam Saltzburgenſem habuit, volens Alberto Archiepiſcopo alium ſupponere, ſed tunc dilatum eſt.

Heinricus Dux Bavariæ Hieruſalem profectus, reverſus eſt. Heinricus Patavienſis Epiſcopus ſponte ceſſit, ne in ſchiſmate contra Eccleſiam obediat Friderico Imperatori, cui ſuccedit Theobaldus.

M. C. LXXIII.

Imperator Regem Bohemiæ depoſuit, & Patruelem ejus illi ſuperpoſuit, nomine Zobozlaum.

M. C. LXXIV.

Imperator in Curia Ratiſponenſi Heinricum Præpoſitum Berchtersgaden. (f) A. Archiepiſcopo ſuperpoſuit. Et ipſe in Lambardiam ſexto pergens, Alexandriam obſedit. (f) Alberto.

M. C.

(a) *Pilgrinus* Patriarcha fuit Aquilejenſis, de quo conſule *Noriſium*, de Republica litteraria, ſi quis unquam fuit, meritiſſimum. BASN.

(b) Hunc ſub nomine *Victoris* Pontificem dilaceravit poſt mortem *Petrus Bleſenſis*, ut pote qui ſchiſmatis auctor toto tempore vitæ ſuæ congregaverit opes, ut quietem Eccleſiæ perturbaret; *ſuis igitur largitionibus ita infuſcaverat* SAPIENTES HUJUS SÆCULI, *quod magnatum ſibi conciliaverat favorem.* Sed evidentiſſima contradictione ſecum & nobiſcum pugnat *Petrus Bleſenſis*, qui *ſapientes ſæculi* nobis *infuſcatos* protrudit. Sunt alii, qui quindecim diebus antequam moreretur, phreneſi laboraſſe affirmant. Tertii, qui Pontificis honori litare volunt, eum pœnitentem laudant, qui ſacerdotem *Catholicum* vocaverit, ſed qui prohibitus à ſchiſmaticis, ad eum intrare non potuerit. BASN.

Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1300.

M. C. LXXV.

Duces Auſtriæ, & Karinthiæ, nec non Marchio Styriæ, prædas & incendia invicem exagitant: inter quæ Eccleſia ſancti Viti cum trecentis hominibus arſit.

M. C. LXXVI.

Bohemi Auſtriam invadunt. Soldanus de Iconia cum Rege Græciæ pugnans vicit, cæſis ei centum millibus, ut aiunt, & ſancta Cruce ſublata.

M. C. LXXVII.

Heinricus Dux Auſtriæ, poſt multa virtutum ac probitatum inſignia, obiit. Luipoldus Dux, filius ejus, ſuccedit.

M. C. LXXIX.

(a) Alexander Papa Synodum Romæ trecentorum Epiſcoporum habuit. Heinricus Dux Bavariæ & Saxonum ab Imperatore proſcribitur. Ulricus Abbas Altahenſis obiit, cui ſuccedit Dietmarus Abbas.

M. C. LXXX.

Styrenſis Marchio Otacker, mutato antiquitatis nomine, Dux appellari gloriatur. Heinricus Dux Bavariæ ab Imperatore ejicitur. Otto Comes Palatinus de Schyrenei ſubſtituitur. Manuel Græcorum Rex obiit: Andronicus ſuccedit. Monaſterium Altahenſe igne crematur.

M. C. LXXXI.

(a) F. male: Otto. Alexander Tertius Papa obiit: Lucius ſuccedit. Vitalis, Virgilius, Hertwicus, Eberhardus Epiſcopi ſignis claruerunt. Hermannus Dux Karinthiæ obiit. (a) Otacker Dux Styriæ obiit.

M. C. LXXXII.

Udalricus Aquileienſis Patriarcha obiit: Gotfridus ſuccedit. Luipoldus Dux Auſtriæ Hieruſalem proficiſcitur & revertitur.

M. C. LXXXIII.

Terræ motus accidit ſecundo Kalendas Maii. Chriſtianus Moguntinus obiit. Cunradus Moguntinus, Albertus Saltzburgenſis Epiſcopi reſtituuntur. Otto Dux Bavariæ obiit: Ludwicus filius ejus ſuccedit.

M. C. LXXXIV.

(b) F. filius. (b) Filii Imperatoris Heinricus Rex, Cunradus Dux Sueviæ, Ottoque Moguntiæ gladiis accinguntur. Imperator ſeptimo Italiam adiit. Cum Lucio Papa familiare colloquium habuit. Beatrix Imperatrix obiit. Albertus Friſingenſis Epiſcopus obiit: pro quo Otto ſuccedit.

M. C. LXXXV.

Andronicus Tyrannus Græciæ occiditur. Lucius Papa III. obiit. Urbanus ſuccedit. *Chuno Ratiſponenſis Epiſcopus obiit*: *Cunradus ſuccedit*. Theodora Ducisſa Auſtriæ obiit.

M. C. LXXXVI.

(c) Conradus. (c) Heinricus Rex, filius Imperatoris, duxit filiam Rogerii, olim Regis Apuliæ. Cremam Imperator reſtaurat.

M. C. LXXXVII.

Apoſtolicus & Imperator pacificantur. Saladinus Babylonicus terram Hieruſalem intravit: Tiberiadem, Cæſaream, Nazareth, Accaron, pleraſque alias civitates invaſit: Principes & populum in prælio cepit & occidit, ut aiunt, fere ad triginta millia, circa Idus Julii.

In menſe Septembri Eclipſis ſolis accidit. Idibus Octobris Urbanus Papa Tertius

(d) m. ſ. male: IV. obiit: Gregorius, qui & Albertus, ſuccedit. Poſt hunc Clemens Papa (d) III.

Eodem anno, in prima Dominica quadrageſimæ, Fridericus Imperator Ratiſponam intravit, & ibi cum XVII. Epiſcopis & cum omnibus Principibus Bavariorum permaximam Curiam celebravit, ac ibidem totam quadrageſimam & Paſcha peregit. Cunradus Epiſcopus Ratiſponæ eligitur.

Ottacker Dux Styriæ lepræ morbo prægravatur. Ducatum Styriæ, munitiones, prædia, & omnes miniſteriales cognato ſuo Duci Luipoldo Auſtriæ reliquit.

M. C. LXXXIX.

Imperator à terra & mari movit expeditionem adverſus Saladinum, quem Rex Græ-

(a) Tempus hujus Concilii aſſignatur, anno 1179. à *Sterone*, adverſus plurimos, hunc annum impugnantes. Et revera litteræ convocatoriæ datæ ſunt ad Epiſcopos Tuſciæ menſe Septembri an. 1178. At hi, quanquam vicini, non potuerunt adeſſe Concilio, niſi poſt aliquot menſes. Deinde erat Pontifex *Tuſculani* XI. Cal. Octobris 1178. Unde XIX. Cal. Januarii petiit *Anagniam*; non potuit igitur convocari Concilium ante annum quem aſſignat Annaliſta noſter. Damnaverat Imperatorem Pontifex in priori Concilio Lateranenſi an. 1167. habito, &, ut loquitur *Joh. Sarisberienſis*, abſtulerat ei regiam dignitatem & inhibuit *auctoritate Dei, ne vires ullas a modo in bellicis congreſſionibus habeat, aut de Chriſtiano aliquo victoriam conſequatur aut alicubi quiete & pace gaudeat, donec fructus pœnitentiæ condignos operetur.* Quæ fuit tunc temporis autoritas Pontificia, ſi victoriæ bellique ſors, quotidiana pax & tranquillitas pereant, ubicunque Papa voluerit tantis interdicere Beneficiis Imperatores ipſos? BASN.

Digitized by Google

Græciæ (a) Yſachar primo miſſis legatis Nürnberch, juravit ſe honorificè ſuſceptu- SÆC.
rum, & ſecurum ei tranſitum præbiturum. Sed poſtea eo Græciam intrante, men- XIII.
titus eſt per omnia quæ promiſerat. Quem Imperator ad ſacramentum faciendum de- ANNO
nuo de pace & concordia & ſecuro tranſitu compulit, acceptis ab ipſo electis obſidibus. 1300.

M. C. XC.

(a) Iſacius Angelus.

Imperator & Rex Græciæ octavo Calendas Martii pacificantur. Exercitus ex magna parte interiit. Wilhelmus Rex Apuliæ obiit. Tanchardus Tyrannus regnum invadit. Heinricus Rex expeditionem in Apuliam movit.

Fridericus Imperator in partibus tranſmarinis in parvo fluviolo eſt ſubmerſus quarto Idus Junii. Theodebaldus Patavienſis Epiſcopus obiit, cui Wolfkerus ſuccedit.

M. C. XCI.

Heinricus VI. filius Friderici ſupradicti regnare cœpit nonageſimus quintus ab Auguſto. Hic anno ætatis ſuæ viceſimo primo, adhuc vivente patre, cum regina Conſtantia, filia Rogerii Siciliæ, glorioſas nuptias Mediolani apud ſanctum Ambroſium celebravit, & à Cæleſtino Papa, ſucceſſore Clementis, unctionem accepit Imperii, ſecunda feria Paſchæ, (b) anno M. C. XCI.

(b) F. hîc aliter variat numeros annorum.

Ipſe autem Cæleſtinus Papa, præceſſore ſuo Clemente in Sabbato ſancto viam univerſæ carnis ingreſſo, in die ſancto Reſurrectionis Domini electus & conſecratus fuit. Iſte Heinricus audacia & largitate, juſtitia & veritate, literatura & ſapientia, & aliis virtutibus pollens Imperium ſuum brevi tempore bene rexit, Regnum Siciliæ ſibi ſubjugavit, & multa alia bona ac memoria digna in Imperio fecit, ac demum in Apulia, inſidiis uxoris ſuæ, ut dicitur, veneno periit, cujus uxoris fere totam miris cruciatibus interfecerat parentelam.

Eodem anno Fridericus Dux Sueviæ cum aliis Principibus & Epiſcopis in expeditione obiit. Rex Galliæ & Rex Angliæ expeditionem per mare movent. Eclipſis ſolis accidit. VIII. Calendas Julii circa mediam diem, & totus aër factus eſt purpureus.

M. C. XCII.

Controverſia facta eſt inter Regem Galliæ & Regem Angliæ. Rex Galliæ revertitur.

M. C. XCIII.

Cunradus Marchio, qui Rex Hieruſalem fuerat creatus, ut fertur, de conſultu Regis Angliæ, à duobus inſidiantibus occiditur, apud Sydonem.

F. Marchio Montis ferrati.

Reichardus Rex Angliæ, pace cum Saladino compoſita, ab Hieruſalem revertitur, & ſuorum deſtitutus comitatu pedes apud Wiennam civitatem à Duce Auſtriæ Leupoldo captus Heinrico Imperatori traditur.

Bavari inter ſe diſſidentes omnem regionem incendio devaſtant. Ubi Albertus Comes de Bogen Ludwicum Ducem fugavit, auxilio Bohemorum.

M. C. XCIV.

Ottacher Dux Bohemiæ ab Heinrico Imperatore Ducatu ſuo privatur.

M. C. XCV.

Leupoldus Dux Auſtriæ & Styriæ lapſus de equo, fracto crure, obiit (c) quinto Cal. Januarii: Cui Fridericus filius ejus ſuccedit in Auſtria & Leupoldus in Styria.

(c) F. obiit Calen. Jan.

Mortuo autem in tranſmarinis partibus Friderico, Leupoldus poſſedit utrumque Ducatum, homo pacificus & virtuoſus, cujus tempore monaſteria, Clerus & populus in ſuis provinciis pace maxima gaudebant, ut meritò *Pacificus* & *Pater Cleri* vocaretur.

Eodem anno Heinricus deliberationem Hieruſalem & ſancti ſepulchri omnimodis intendens, duas Curias, Geilnhuſen unam, Wurmaciæ alteram celebravit, in quibus ipſo Imperatore multum inſtigante, infinitus Epiſcoporum & aliorum principum exercitus ſibi crucem affixit, & contra Saracenorum gentem iter arripiunt. Heinricus Imperator ſecundam movens in Apuliam expeditionem, terreſtri & navali fortiſſimo apparatu totam Apuliam & Siciliam cum palatio Panormitano & theſauris Regum antiquorum infinitis obtinuit, & Margaritam piratam cepit, & alios quam plures, qui contra *eum* conſpiraverant, diverſis ſuppliciis interemit. Filium Tanchardi & uxorem ejus captivavit. Heinricus Dux aliquando Bavariæ & Saxoniæ in (d) Brumſpith obiit. Eodem anno cum Maſſimut in Hiſpaniis malè pugnatum à Chriſtianis, multi eorum interierunt.

(d) F. Brunſchwich.

M. CXC. VI.

Imperatrix peperit filium, qui vocatus eſt Fridericus. Quod ut primum per Albertum Comitem de Bogen, tunc in Apulia exiſtentem, Heinrico Imperatori innotuit, gratiam ſuam, qua tunc carebat, recipere meruit. Sed & Ottackero, qui & Primitzlaus, gratiam Cæſaris & Ducatum priſtinum impetravit. Deſtitutus enim in Curia Wormaciæ celebrata fuerat, pro eo quod contra Ludwicum Ducem in auxilium Alberti Comitis Bavariam intraverat.

Otto II. Bambergenſis Epiſcopus obiit: cui (e) Tyemo ſucceſſit.

(e) F. Tymo.



Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1300.

## M. C. XCVII.

Christianorum exercitus sub quodam *Gottfrido Duce de Brabant mare transivit, & civitates duas, videlicet* Syndonem & Baruch, & alia quam plura castra, quæ possederant Saraceni, occupaverunt.

Heinricus Imperator adhuc in Apulia positus mortuus est. Quo mortuo, Philippus Dux Sueviæ, frater prædicti Imperatoris, & Otto filius Heinrici, aliquando Ducis Bavariæ Saxoniæque pro Regno contenderunt, Philippo postmodum prævalente. Iste Philippus nonagesimus sextus ab Augusto, Regni Romani jura strenuè gubernavit, faciens judicium & justitiam omnibus, qui ad eum auxilii gratia confugerunt: & hæc uberius fecisset, si non fuisset prædicti Ottonis & suorum fautorum obstaculis præpeditus. Hic cùm adhuc in regni solio sublimatus non fuisset, promiserat ducere matrimonialiter filiam Ottonis Palatini Comitis de (a) Wicelspach, quam postmodum repudiavit. Unde idem Comes commotus accessit in Bamberch ad Cameram ipsius Regis, tanquam ei solus pacificè locuturus, & gladio quem occultè gestabat, ipsum Regem subitò interfecit.

(a) *F. Witeleinspach. Hæc aliter Helmoldi continuator. lib. 7. c. 14.*

## M. C. XCVIII.

Adalbertus Archiepiscopus Saltzburgensis, circa fluvium qui dicitur Lamer, à (a) ministerialibus capitur, & in castro Wuren per dies XIV. captus tenetur, propter quam enormitatem facti, divina in Saltzburgensi Ecclesia, aliisque Episcopatibus vicinis interdicta sunt. *Liberasti nos ex affligentibus, cantatum est ei dimisso.*

Albertus Comes de Bogen obiit, relinquens tres filios, Luipoldum, Bertoldum & Albertum.

## M. C. XCIX.

(b) Celestinus III. Papa obiit. Innocentius III. Papa sedit. Episcopus Wolfkerus Pataviensis cum duobus Comitibus de Ortenburch, Rapotone, & Heinrico, qui Ecclesiam Patavicnsem vastaverant, contendens, mirabiliter castellis eorum vastatis, contrivit eos, multis ibi pereuntibus. Idem Episcopus cœpit ædificare castrum in (b) Obernburg.

(b) *F. Ortenberch.*

Corpus Domini in civitate Augusta versum est in cruentam carnem.

## M. CC.

Adalbertus Episcopus VI. Idus Aprilis obiit: cui Eberhardus Brixinensis Episcopus succedit. Conradus Mogontinus Archiepiscopus obiit.

## M. CC. I.

Terræ motus multis terrarum locis factus est magnus, ita ut multas urbes & Ecclesias destrueret, & mortes hominum fierent, cœpit autem idem terræ motus IV. nonas Maii.

## M. CC. II.

Cunigundis virgo & Regina, uxor Imperatoris Heinrici Pii, Babenburgum sepulta, multis fulgens miraculis, ab Innocentio Papa canonizata est; multis convenientibus Episcopis & Archiepiscopis: inter quos etiam adfuit Dominus Saltzburgensis Archiepiscopus Eberhardus, ab eis est translata.

Dietmarus Abbas Altahensis cedit propter senium, cui succedit Poppo Abbas. Tymo Babenbergensis Episcopus obiit. Cunradus eligitur, & eodem anno obiit, & Ekkenbertus succedit.

## M. CC. III.

Discordia facta est inter Ducem Bavariæ Ludwicum & Episcopum Ratisponensem Cunradum, cui confœderatus Dominus Eberhardus Archiepiscopus Saltzburgensis in manu valida venit ei in auxilium, nullo resistente, & diruta sunt castra aliquanta ex utraque parte, factaque sunt incendia plurima per universam Bavariam, villarum deprædationes & Ecclesiarum, ita ut nec ab altaribus abstinerent, & reliquias sanctorum inde auferrent, aliaque quàm plurima nefanda & inaudita perpetrarent.

Leopoldus Dux Austriæ & Styriæ, Theodoram filiam Regis Græcorum duxit uxorem.

## M. CC. IV.

Ludwicus Dux Bavariæ, & Dominus Eberhardus Saltzburgensis Episcopus, & Cunradus Ratisponensis Episcopus in concordiam redierunt. Cunradus Ratisponensis Episcopus obiit IX. Calendas Maii. Cui Cunradus Frisingensis præpositus succedit. Pilgrinus Aquileiensis Patriarcha obiit, cui Wolfkerus Patavicnsis Episcopus succedit, pro quo Poppo præpositus Aquileiensis constituitur.

Berch-

(a) Anno 1198. A Ministerialibus capitur. Illi sunt Officiales primores principum, qui jus dicunt, tributa feudumque exigunt. BASN.

(b) Obiit *Cœlestinus* senio & morbo confectus. Ajunt alii, diem suum obiisse anno 1198. die 8. Januarii cum regnasset per annos sex, & dies aliquot, ab anno scilicet 1191. quo electus fuerat, & eodem die successit *Innocentius* III. BASN.

Digitized by Google

Berchtoldus Dux Moraviæ obiit. Ludwicus Dux Bavariæ caſtrum & oppidum in Lantzhuet conſtruere cœpit. SÆC. XIII. ANNO 1300.

M. CCV. & MCCVI.

Poppo Epiſcopus Patavienſis obiit. Mangoldus Abbas de Tegerinſee ſuccedit. Otacker Dux Bohemiæ, conſilio Ludwici Ducis, reliquit Ottonem, & adhæſit Philippo, qui conſenſu principum impoſuit ei diadema, faciens eum & ſucceſſores ſuos Reges. Tradiditque filiam ſuam Wenzelao filio ſuo. Ex hinc Reges Bohemorum.

M. CC. VI.

Ordo fratrum minorum inchoatur à ſancto Franciſco.

M. CC. VII.

Philippus Rex cum Papa reconciliatur, & Babenberg ab Ottone Palatino Comite de (a) Widenſpach per conſpirationem occiditur. (a) *F. Widenſpach.*

M. CC. VIII.

Otto, filius Ducis Heinrici de Brunſchwich, in Regem eligitur, & ab Innocentio Papa conſecratur. Otto Palatinus Comes occiditur pro homicidio commiſſo in Philippum.

M. CC. X.

Otto à Domino Papa excommunicatur.

M. CC. XI.

Otto intravit Apuliam: ibidem Fridericum Regem Siciliæ expugnare voluit; & totam Apuliam ſibi ſubjugavit. Otto Rex à multis Epiſcopis Alamanniæ excommunicatus à Papa denunciatur.

M. CC. XII.

In feſto ſancti Nicolai Fridericus Rex Siciliæ intravit regnum Patris ſui, electus Franckenfurt.

Chriſtiani de Saracenis in Hiſpania ferè centum millia occiderunt, & captivarunt miraculosè. Mangoldus Patavienſis Epiſcopus, & Rapoto Palatinus ſimul diſcordantes, Clauſtra, Monaſteria, Eccleſias una cum omni provincia incendio devaſtant.

(b) Altanus de Helingeſperg moritur, ſed caſtrum ibidem ab (c) ipſo ædificatum moriens reſignavit Eccleſiæ Altahenſi, quod monachi deſtruere volentes prohibiti ſunt à Comitibus de Bogen. (b) *F. Altmannus de Helinſberg.* (c) *F. Epiſcopo ad.*

M. CC. XIII.

Fridericus Rex conſecratus apud Moguntiam in Purificatione B. Mariæ virginis Curiam Ratiſponæ celebravit. Aliam etiam Curiam in paſſione Domini apud Conſtantiam celebravit. Tertiam Merſpurch celebravit.

Regina Gertruda Ungarorum, mater ſanctæ Elizabeth, ſponſo expeditionem contra Ruthenos movente, à Comite quodam Petro trucidatur, qui & ipſe ſubſequenti nocte in ultionem ſceleris cum aliis jugulatur. Cui Epiſcopus de Gran miſit in epiſtola amphibologica: *Reginam occidere nolite timere, bonum eſt: Si omnes conſentiunt, ego non contradico.*

Caſtrum in Helingſperg, data Comitibus de Bogen pecunia, à Domino Poppone Abbate & monachis ſuis deſtruitur.

M. CC. XV.

Manigoldus Patavienſis Epiſcopus obiit: Ulricus Eccleſiæ Canonicus ſuccedit.

Univerſalis ſynodus (d) celebrata eſt Romæ, in qua fuerunt CCCCXII. Epiſcopi. Inter quos extiterunt Conſtantinopolitanus, Hieroſolymitanus Patriarchæ: Primates autem & Metropolitani LXXI. Abbates & Priores ultra D. CCC. præſidente Innocentio Papa III. In ipſa ſynodo Kymenſis Epiſcopatus inſtituitur. Ad quam ſedem Rugerus primus Epiſcopus ordinatur. (d) Scilicet Lateranenſis IV. BASN. *Chiemſee.*

M. CC XVI.

(a) Innocentius Papa III. ab urbe egreſſus verbum crucis in Tuſcia prædicavit, & apud Peruſium civitatem, in diviſione Apoſtolorum obiit, ibique ſepultus eſt. Honorius Papa III. ſubſtituitur.

Ordo prædicatorum initium ſumit.

M. CC. XVII.

Rex Ungariæ Andreas & Luipoldus Dux Auſtriæ, Dux Moraviæ, Otto Epiſcopus Babenburgenſis, Ekkebertus, & nobiles & Comites cum manu valida transfretaverunt ad ſuccurſum terræ ſanctæ.



(a) Plurimæ referuntur viſiones & apparitiones mortuo Pontifice, quibus patet, eum ad diem judicii uſque atrociſſimis fuiſſe damnatum pœnis, quæ æternæ forent, niſi *B. Virgo*, cui aram conſecraverat, in ejus gratiam apud filium oraſſet. Vide Compilat. Chronol. apud Piſtorium t. I. & *Thomam Cantipratenſem* in vita Luitgardis, apud Surium. BASN.

Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1300.

M. CC. XVIII.

Wolfkerus Patriarcha Aquilejenſis obiit: Cui Bertoldus Archiepiſcopus ſuccedit Golocenſis.

Chriſtiani in tranſmarinis partibus Cæſaream & turrim Stratonis reædificant, & poſt multas deprædationes ad munitionem montis Thabor accedentes viriliter duabus vicibus impugnaverunt, quam munitionem poſtea ipſi Saraceni timore Chriſtianorum deſtructam reliquerunt. Deinde adunato exercitu Chriſtianorum, civitatem Damiatam obſidione cingunt, & turrim munitiſſimam, in medio fluminis ſitam, & catenam fluminis 55. pedes habentem, viriliter occupaverunt. Ubi tantum milites electi 40. cum aliis, fracto inſtrumento, in flumen præcipitati ſunt.

Exercitus Romanorum cum Italicis militibus in auxilium veniunt Chriſtianis. Ludwicus Dux oppidum Strubing conſtruere cœpit.

M. CC. XIX.

Otto aliquando Imperator à ſententia excommunicationis abſolutus obiit. Regalia quoque Heinrico Palatino Rheni aſſignanda, Regi Friderico reliquit, quæ ad inſtantiam ejuſdem Regis Friderici eodem anno, ſub quadam forma conpoſitionis, ipſi aſſignata ſunt.

(a) F. Setnowenſis. (a) Secovienſis Epiſcopatus à Domino Eberhardo Saltzburgenſi Archiepiſcopo de licentia Domini Honorii Papæ creatur: & Karolus Friſacenſis præpoſitus eidem ſedi præficitur.

Fridericus Rex Curiam Nurinbergenſem cum multis Principibus celebravit. Concilium Provinciale à Domino Eberhardo Archiepiſcopo Saltburgenſi celebratur: Cui interfuerunt Patavienſis, Friſingenſis, Gurzenſis, (b) Kymenſis, Secovenſis Epiſcopi. Ludwicus Dux Bavariæ cepit munitionem civitatis (c) Hallis in monte, qui dicitur Grinte: quæ ab Archiepiſcopo Eberhardo, ſub quadam forma compoſitionis deſtructa eſt; & ob hanc cauſam prænominatus Epiſcopus homines & reditus per omnia, quos in Halle & circa habebant, apud Altahen comparavit.

(b) F. Chiemenſis, Stenowenſis.

(c) Al. Halſi.

Damiata civitas, ignorante exercitu, ſine damno Chriſtianorum in crepuſculo noctis, interfectis innumerabilibus paganis, divina potentia capta eſt, & à Chriſtianis potenter poſſeſſa. His diebus Ulricus Patavienſis Epiſcopus cœpit conſtruere caſtrum in monte ſancti Georgii Pataviæ.

M. CC. XX.

Otto Friſingenſis Epiſcopus obiit: cui ſuccedit Geroldus ejuſdem Eccleſiæ Canonicus.

Thomas Cantuarienſis Epiſcopus & martyr ab Honorio Papa, miſſis Cardinalibus, translatus eſt.

(a) Fridericus Romanorum Rex eſt electus, ab Honorio Papa ad Imperatorem Romæ ſolemniter conſecratur, Duce Bavariæ Ludwico aliiſque principus & aliis viris nobilibus præſentibus.

M. CC. XXI.

(d) F. Ethiope. Damiata civitas, quæ Portus (d) Æthiopiæ dicitur, multo labore & ſanguine ac ſudore Chriſtianorum acquiſita, heu heu! exigentibus peccatis hominum, divina permiſſione ſeductis in quandam inſulam Chriſtianis, aquis & exercitu Saracenorum circumvallatis, quibuſdam ſubmerſis, aliiſque occiſis, tandem ſub quadam forma compoſitionis, & multa ſtrage hominum ab utraque parte facta, coactis Chriſtianis, Saracenis per manus Chriſtianorum reddita eſt; Ubi aderant Ludwicus Dux Bavariæ, Ulricus Patavienſis Epiſcopus, qui eodem anno transfretaverant, & alii quàm plurer nobiles & ignobiles, quorum non erat numerus, qui fugam arripienter vix evaſerunt. Ulricus Patavienſis ab expeditione rediens tranſmarina in via obiit; cui Gebhardus Comes de Plain, ejuſdem Eccleſiæ Canonicus, ſuccedit.

M. CC. XXIII.

(e) F. Setnowenſi. Corpora ſanctorum Viti & Modeſti, ab Archiepiſcopo Eberhardo & Carolo (e) Secovienſi Epiſcopo in Eccleſia ſancti Andreæ apud Lavent inventa, & in altari recondita plurimis cœperunt coruſcare miraculis, & eorum reliquiæ ad Eccleſiam Saltzburgenſem, præſentibus Patavienſe & Kymenſe Epiſcopis, cum frequentia & tripudio populi, ab Archiepiſcopo ſunt translatæ.

M. CC. XXIV.

Bertholdus Brixinenſis Epiſcopus obiit, cui ſuccedit Heinricus Aquilejenſis Archidiaconus.

Oppidum in Landau conſtruitur à Ludovico Duce Bavariæ.

M. CC. XXV.

Chunradus Cardinalis, Portuenſis Epiſcopus, Romanæ ſedis Legatus, per ſe & per plures cooperatores verbum Crucis per totam Alemaniam prædicavit, & quam plures Cruce ſignati ſunt. Im-

(a) *Mediolanum* petierat Imperator, coronam ferream recepturus, ſed eâ denegatâ, Romam iratus intravit, ibique non ab *Hugolino*, Oſtienſe Epiſcopo & Cardinale, ut aiunt, ſed de *Manibus noſtris ſuſcepit Imperii diadema*, ut aſſerit Pontifex ipſe. BASN.

Digitized by Google

Imperator cum filia Joannis Regis Hieroſolymitani nuptias in Apulia celebravit, ex qua genuit Chunradum, poſtea Regem. Et Heinricus filius ejus Rex declaratus duxit filiam Luipoldi Ducis Auſtriæ Margaretam: Cum qua, præſentibus Principibus Regni, nuptias apud (a) Numburch ſolemniter celebravit: Ubi propter frequentiam populi, circiter XL. perſonæ, inter quas quidam Prælati, Monachi, clerici erant, cum aliis oppreſſi occubuerunt.

SÆC. XIII. ANNO 1300.

(a) P. Nurnberg.

Engelbertus Colonienſis Epiſcopus, vir magnæ providentiæ, & tutor Regis, à Comite Friderico de Altenach, ſororio ſuo, occiditur; manu mutilatus, & (b) triginta quatuor vulneribus, ut dicitur, foſſus.

(b) f. triginta tribus.

His diebus Luipoldus Dux Auſtriæ, conſenſu Ludwici Ducis Bavariæ, conſtruxit caſtrum in Scherding. M. CC. XXVI.

Sanctus Franciſcus obiit.

Imperator condixerat ſolemnem Curiam apud Cremonam, ad quam vocaverat filium ſuum & principes Alamanniæ, qui propter rebellionem Lombardorum non permittebantur intrare: Unde infecto negocio Imperator in indignatione in Apuliam ſe recepit.

Item inter Luiplodum, Ducem Auſtriæ, & Heinricum filium ſuum majorem Gwerra eſt orta ſuper hæreditate, quæ tandem mediantibus majoribus terræ ad concordiam revocata eſt.

Fridericus, junior filius Ducis, duxit ſororem Reginæ Ungariæ.

Archiepiſcopus inſtituit ſedem Cathedralem apud ſanctum Andream in Lavent; cui præfecit Ulricum in Hus.

Gwerra gravis inter Rapotonem Comitem Palatinum Bavariæ, & Comitem de Bogen orta eſt, in qua quam plures Eccleſiæ ſunt deſtructæ & ſpoliatæ, & prædia monaſterii in inferiori Altach incendio ſunt deſtructa: & Rapoto Comes Palatinus Bavariæ civitatem (c) in Lithenwerde, quam Comes Albertus de Bogen prope Lithenwerde monaſterium Altahenſe erexerat, incendio penitus devaſtavit.

(c) F. Linthenwerde, quam C. A. de B. prope monaſterium A. e.

Chunradus Ratiſponenſis Epiſcopus obiit, cui Sifridus ſuccedit, ſubſtitutus à Domino Gregorio Papa nono. M. CC. XXVII.

Honorius Papa III. obiit, cui ſuccedit Dominus (d) Hugelinus, Hoſtienſis Epiſcopus, qui & Gregorius IX.

(d) F. Hugelinus.

Magna copia cruce ſignatorum ad exhortationem & mandatum Domini Papæ iter peregrinationis arripuerunt: ſed circa maritima magna pars ipſorum mortua eſt: inter quos Auguſtenſis, & Ludwicus, maritus ſanctæ Eliſabeth, Lantgravius de Tyringen cum aliis nobilibus obierunt. Reliqua pars credens Dominum Imperatorem transfretaturum, mare tranſivit; Imperatore vero remanente in continenti, ferè omnis illa peregrinatio rediit. Dominus Papa Imperatorem, pro eo quod votum peregrinationis non ſolverat, excommunicatum ſolemniter denunciavit; Ex horum itaque facto graviſſimum ſchiſma oritur inter Regnum & Sacerdotium, ita ut ferè tota Chriſtianitas per plures annos novis & inſolitis preſſuris plurimum turbaretur. Nam electiones Epiſcoporum, Perſonatuum, & aliarum magnarum dignitatum, tunc à ſede Apoſtolica & legatis ejus taliter ſunt ſuſpenſæ, ut contra voluntatem eligentium is vel ille præficeretur in qualibet dignitate, qui vel cujus amici tunc videbantur ſede Apoſtolicæ plus favere. Principum etiam ac Comitum & miniſterialium tantam multitudinem ſibi attraxit Eccleſia, ut ſi ei perſeveranter & fideliter adhæſiſſent, poterat pro ſuæ voluntatis arbitrio triumphaſſe.

Quamdiu autem duraverit, & quomodo ſæviens mors tam Pontificum quàm Regum inter ſe diſſidentium ſæpe interruperit gwerram iſtam, patebit in ſequentibus. Fortitudinem tamen ejuſdem ſchiſmatis multa paria literarum oſtendunt ex utraque parte hinc inde tranſmiſſarum, quarum quaſdam hîc placuit annotari.

Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Hieruſalem & Siciliæ Rex, dilecto Principi ſuo N. gratiam ſuam & bonam voluntatem.

Vide Pet. de Vineis lib. 1. c. 36.

Æmula Regum & Principum orbis terræ, ac conſortum impatiens, dudum in ſuperbiam ſecularem liberaliter adducta Romana ſedes per illius, qui Princeps eſſe dicitur ſacerdotum, in ſuum adverſus nos præconceptum odium, ad univerſale ſcandalum ſic exarſit, adeo averſo Eccleſiaſticæ religionis ordine, præter mandata legis, quorum lator & pater eſſe debuerat, quæ pervertit, dum ſe hoſtilibus rebus immiſcens dubios bellorum eventus, cædes hominum, obſidiones urbium & univerſaliter undique procurat pericula populorum. Sponſam Chriſti, Eccleſiam, matrem noſtram, cujus auctoritate libitum pro licito ſequitur, è ſanctuario Dei ſuarum vindictas inimicitiarum exercens, reddit, proh dolor, mundo notabilem: ut ſub tam inconſtanti & volubili rerum actore, qui præſidet, & nomine Eccleſiæ diverſa variat & confingit, experientia facti ſingulos edocente, non immerito ab Eccleſia, pro ejus præſide ac experto patre mendacii, meticuloſa ſuſpicio cordibus hominum inferatur. Quapropter devotionem tuam contingentia non patimur ignorare. Nuper enim per quoſdam



Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1300.

de majoribus fratribus ſuis & religioſos alios viros, aſpirantes ad quietum Eccleſiæ ſtatum, & piis zelantes deſideriis bonum pacis, adhibita eſt cura propenſior inveniendi modum & habendi tractatum, per quem inter nos, Pontificem & Phariſæum iſtum, contra noſtri honorem nominis prava conſilia colligentem, ad certum tempus treugarum compoſitio fieret, infra quod per te, quem habemus in omni dilectione præcipuum, & alios Principes orbis terræ, ad integræ pacis reformationem opportunitas commodior haberetur. Cumque nos eiſdem viris inventoribus hujus viæ, præter ſpem & creditum, pro Eccleſiæ reverentia condeſcendere dignaremur, G. dictus Papa petebat Lombardos, rebelles noſtros & noſtri bannitos Imperii, treugis ipſis debere muniri. Quibus excluſis, treugas ipſas non poterat acceptare, ut evidentiorem daret omnibus intellectum, quod negocium rebellium Lombardorum fovit & fovet in noſtrum odium manifeſtum, illud gerens & reputans velut ſuum, quanquam hactenus aliàs palliaret, quod non in favorem ipſorum, ſed ob tranſgreſſiones noſtras alias, quas fingebat contra nos, ad excommunicationis ſententias proceſſiſſet. Quod intolerabile viſum eſt nobis, ut rebellibus noſtris, diutino gwerrarum diſcrimine fatigatis, & in majori parte depreſſis, treugas concedere deberemus, ad quorum perſecutionem & vindictam accincti, vexilla victricia & præpotentia caſtra noſtra triumphabiliter duximus educenda. Et licet nobis in confinio caſtra metatis Campaniæ, ſuggereretur inſtanter ad ingreſſum illius provinciæ, data plena fiducia de obtentu, ſuper quo doloris gladius ad injuriatoris noſtri animam pertranſiret, nos ad præſens ob honorem Dei & reverentiam beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, quibus utpote quod ſacrum diadema de (a) arà beati Petri ſuſcipimus, eſſe volumus non ingrati, ab ingreſſu & receptione ipſius terræ deſtitimus; expectantes interim, ſi noſtrum injuriatorem omiſſa aliàs vexatio revocet ab offenſis. Præterea non patimur te latere, qualiter homo iſte, dictus Papa, in obſidione Ferrariæ civitatis Imperii & Salingwertæ fidelis noſtri, Bononienſibus, Venetis, & aliis convicinis noſtris rebellib. convocatis, Legatum ſuum cum Mediolanenſibus fecerit convenire Ducem ibidem exercitus & Rectorem. Qui adeo cum ſuis complicibus eundem Saligwerram & Ferrariam in exhæredationem Imperii coartavit; qui à ſuis proditus, receptis tamen promiſſionibus & pactis de indemnitate ſuæ perſonæ ac rerum ſuarum, & de ſalubri mora ſua in eadem civitate, nec non per eundem Legatum Ducem Venetiarum, poteſtates, Rectores, Capitaneos exercitus, & generaliter per totum exercitum juramento firmatis nomine Eccleſiæ juramentum impendit, ac ſe & prædictam civitatem aſſignavit ſpecialiter Eccleſiæ poſſidendam, commiſſa ſuæ fidei Legati Eccleſiæ, quod præſtita & jurata ſibi ſecuritas plenaria ſervaretur, ſed poſt deditionem civitatis & ſuam, legatus idem (tanquam ſi ex legationis officio fungeretur celebrare perjuria, quemadmodum præſtitit juramenta) cum prædictis omnibus dejeravit, demolitis domibus & bonis ejuſdem Salingwerræ ipſum ſimul deduxere fide mentita Venetias captivatum. Ecce qualis invenitur in Legato fides, qualis à patre legati mentiendi procedit authoritas, ut fidem reputent, fidei vinculum non ſervare: O quam peſtiferum ab Eccleſiæ rectoribus emanat exemplum, quàm evidens omiſſa veritate deceptio, ut Regibus & Principibus orbis, quibus propter impatientiam poteſtatis invident, ſit præcipue præcavendum, ne de facili ſe præbeant in manibus eorundem, qui ſemper intercipere conantur incautos, & pium reputant, innocentiam condemnare. Nos autem, qui univerſos & ſingulos jam cum ex vicinitate, tum ab experto intus & in cute jam cognovimus, taliter vos per indaginem rerum ab eorum fallaciis cautos volumus obſervari, ut vobis intendamus potiſſimum præcavere; ſperantes in eo, qui Regna & Reges conſtituit, quod juſtè injuriam propulſantes, violentiam nobis illatam noſtrarum virium conamine propellemus, & in gladio juſtitiæ, quem auctore Domino bajulamus, ſacerdotum gladios, quibus abjecta ſtola lumbos ſuos inhoneſtè præcingunt, juſtius retundemus. Dignum inſuper diximus ad tuam notitiam deferendum, quod ipſe Papa, ſicut eſt ſuis motibus præceps, & inconſtans in omnibus viis ſuis, ſtrenuis viris de Francia, Cruce ſignatis, & per voti executionem ad iter accinctis, prohibuit ſub cenſura Eccleſiaſtica, ne tranſeant in præſenti, non attendens neceſſitatem exercitus in ultramarinis partibus commorantis, quibus in emergentis caſus articulo, nedum de cruce ſignatis, ſed de noviter conſignandis deberet in auxilium venire. Unde ab operibus ejus, quæ ſuo teſtimonium profitentur auctori, poteſtis agnoſcere, quod duplicitas viarum ſuarum ſcandalum generet, & totius univerſitatis incommoda ſubminiſtret. Datum in caſtris in obſidione Eſculi XVIII. Julii XIII. indictione.

(a) *Al ar-*

FRIDERICUS Dei gratia Romanorum Imperator, &c. Dum ad depopulationem Bononiæ noſtrum verteremus propoſitum & affectum, Prælatorum turbam cum Præneſtino Epiſcopo, Magiſtro Ottone de (b) Turengo, ſancti Nicolai in carcere Tullianenſi Diaconi Cardinalis, noſtris adverſaturam proceſſibus, ex diverſis provinciis congregatam contigit ſuo infortunio Januam perveniſſe, ubi conveniente cum eis Grego-

*Vide Pet. de Vin. l. c. 19.*

(b) *Al. Zurch.*

rio

Digitized by Google

rio de Roma addito legato legatis, ut insimul ligarentur, & conspiratione cum Ja- Sæc.
nuensibus rebellibus nostris facta, galearum copiam armari fecerunt, cum quibus ad XIII.
Papam Rom. pro majori parte conjuraverant advenire. Ad quorum impedien- Anno
dum transitum & accessum, nostrarum diu ante prævisum convenire fecimus 1300.
apud Pisas victoriosum (c) stolium galearum; quod eorum præcognita motione in (c) Classem intellige.
locis & portubus, quæ latenter vel alto mari præterire non poterant, velut obvia
& necessario navigabilia transituris, eis transeuntibus potenter occurrit, & ag-
gressis galeis nostris galeas ipsorum, præpotens Dominus, qui ex alto videt & dijudi-
cat æquitatem, vias eorum & excogitatam malitiam meditatus in viribus & potentia
nostra, quam fugere terra vel mari non poterant, Domino favente, Legatos simul tra-
didit, & Prælatos; & tribus galeis ipsorum inversis, ac omnibus qui vehebantur in
eis sine spe recuperationis amissis, viginti & duæ galeæ non sine magna cæde navi-
gantium cum personis & rebus victæ sunt à galeis nostris, & triumphabiliter captæ: in
quibus prædicti tres Legati cum Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & multis
Prælatis aliis & nunciis, & Prælatorum procuratoribus, ultra centum ambassatoribus
civitatum rebellium Lombardiæ, qui ad præfixum ire concilium properabant, quatuor
millibus Januensium exceptis specialibus & electis personis de Janua, qui galeis præerant,
& comitatui Prælatorum producendis & reducendis eis de Janua, sicut inter eos fuerat
infortunatè conventum, ad manus nostras pervenere ligati: Ut de Prænestino illo,
qui summum contra nos ubique odium incitabat, divinum non defuisse judicium ar-
bitremur; quod sub latentis lupi specie in ovina pelle & agni chlamyde Deum inclu-
sum gerere non confidat, & sciat Deum nobiscum esse sicut cum Diis eorum, quod
non solum per sacerdotium, sed per regnum & sacerdotium mundi machinam sta-
tuit gubernandam. Nos igitur suum nobis cælitus Domino referante consilium, & in
plana tot aspera convertente, sudores bellicos & æstivos pulveres non vitantes;
nostrum fælix iter & intentionem omnimodam & conatus ad ea dirigimus, quæ no-
bis & cæteris regnantibus exaltationis & gloriæ afferant incrementum, ut te præ-
dictorum nostrorum successuum participem fieri gaudeamus, quem in omni successuræ
fælicitatis eventu cupimus habere consortem. Datum (b) Favent. xviii. Maii. xiv. In- (b) fort. Faventiæ.
dictione.

Gregorius servus servorum Dei, dilectis filiis Magistris Alberto Archidiacono Patavienſi & Philippo de Asisio, Nuncio nostro in Alemannia commoranti, salutem & Apostolicam benedictionem. Quia Fridericus dictus Imperator de multis & gravibus excessibus suis à nobis diligenter & frequenter admonitus non solum satisfacere non curavit, sed corde nequiter indurato jugiter etiam deteriora committit, nos de fratrum nostrorum consilio in eum & in omnes illos qui in hujusmodi excessibus, vel aliàs contra Romanam Ecclesiam sibi præstiterunt consilium, auxilium, & favorem, excommunicationis & anathematis sententiam duximus promulgandam; omnes qui ei fidelitatis juramento tenentur, decernendo ab observatione juramenti hujusmodi absolutos: & firmiter prohibendo, ne sibi fidelitatem observent, juxta canonicas sanctiones. Ad hæc civitates, castra, villas & alia loca, ad quæ ipse pervenerit, quam diu ibi fuerit, Ecclesiastico supposuimus interdicto, ita quod publicè vel secreto nullum ibi officium divinum celebretur; indulgentia vel privilegio quolibet non obstante; Omnesque qui eidem præsumpserint celebrare, vel potius profanare divina, pœnæ depositionis decrevimus perpetuæ subjacere. Universis Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis per Alamaniam constitutis nostris damus literis in præceptis, ut prædictam excommunicationis & anathematis sententiam pulsatis campanis, accensis candelis, nec non alia quæ continentur in ipsis, in singulis civitatibus, castris, ac villis & locis suarum diœcesium absque dilatione aliqua publicari solemniter ac etiam nunciari singuli faciant eorundem. Et nihilominus omnes tam clericos quam laicos, qui ei adversus fidem Catholicam & libertatem Ecclesiasticam ac sponsam Christi, sacrosanctam Ecclesiam machinanti cum armis vel sine armis auxilium præstiterunt, vel favorem, excommunicationis vinculo innodari. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si dicti Archiepiscopi præceptum nostrum neglexerint adimplere, vos eos ad id per excommunicationis sententiam, apellatione remota, cogatis; constitutione de duabus dietis in generali Concilio edita non obstante. Quod si non ambo his exequendis potueritis interesse, alter vestrum ea nihilominus exequatur. Datum Lateran. IX. Cal. Decembris, Pontificatus nostri anno XIII. &c.

Gregorius Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Magistris Alberto Archidiacono & Philippo de Asisio, Nuncio nostro in Alamannia commoranti, salutem & Apostolicam benedictionem. Rationalis spiritus exulanti extra suos terminos naturæ compatitur, & à naturali potentia frequenter rationis excidium deploratur. Sed cum hæc duo deformationis vulnera sentiunt, de illatis sibi passionibus ad invicem conqueruntur, non quod rationi vel naturæ possit inesse deformitas, à qua creator creatu-

ram

Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1300.

ram ſuam in creando facit penitus alienam, ſed quod actiones proprias toties intentio prava deformat, quod jam corruptelæ vicium videatur naturæ privilegiis inſignitum. Unde turbatur ratio, merito natura conqueritur, niſi jus ab injuria provocet, ab injuſtitia vox innocentis appellet, ad tribunal recurratur ſupremi judicis, ubi affectus noxii juſtitiæ limitibus coercentur. Quare Apoſtolica ſedes juſtitiæ languenti ſuccurrere, ſævientis iniquitatis occurſibus obviare, unius cultores attollere, & actores tenetur alterius rigore Eccleſiaſticæ reprimere diſciplinæ. Hinc eſt quod dolentes audimus, quod quidam Friderico dicto Imperatori, qui, ſicut Herodes, Chriſtianam religionem, & in pectore fidelium Jeſum Chriſtum conatur extinguere, & fidem Catholicam ac Eccleſiaſticam libertatem totis molitur viribus conculcare, contra Deum & Romanam Eccleſiam, conſilium & auxilium ac favorem impendunt. Dolentes referimus, quod prava mente Imperio, cujus jura & honores ac principum conſervari volumus & optamus illæſa, perniciosè incubat & incumbit: Decorem ipſius Imperii & honorem Principum, Imperii lege contempta & Principum privilegio cancellato, quoſdam de ipſorum Majoribus, quod actibus ſuis illicitis conſentire renuunt, incarcerando, proſcribendo & proditoriæ necis gladio feriendo, ac paganorum qui Aſiſini vocantur, quod inauditum eſt de quolibet Principe Chriſtiano, gladiis exponendo deturpat. Nonnullos Epiſcopos præcones Chriſti, Rectores fidei, Paſtores ovium, medicos languentium animarum, ſpoliatos bonis Eccleſiaſticis & mundanis, de regno quod eſt beati Petri patrimonium Epiſcopale, aliiſque terris Imperio Romano ſubjectis, proſcriptione damnabili exulare compellit: ſacroſanctas Eccleſias ſacrilega temeritate prophanans; religioſos (quorum unum de ordine Fratrum Minorum abſque juris ordine & debita cauſæ cognitione horribili crudelitate combuſſit) pupillos, orphanos, pauperes & viduas tegmine vili nudatos, quaſi ſublatis deſuper carnibus exoſſavit. Excommunicationis quoque ac anathematis latam contra ſe à nobis ſententiam, contemptis Eccleſiæ clavibus, vilipendit; ſolemniter publicè ſibi faciens celebrari, vel potius prophanari divina. Nec non laqueo damnatæ hæreſis ſe ſuſpendens, eandem ſententiam prædicat non ſervandam. Verum cum ex hoc, ſubſidio conſilii & favore fidelium populorum dictus Fridericus reddiderit ſe indignum, venerabiles fratres noſtros Archiepiſcopos, Epiſcopos, ac dilectos filios Abbates, Priores, Præpoſitos, & alios Eccleſiarum Prælatos, nec non nobiles viros, Duces, Marchiones, Comites, Barones & univerſos alios Chriſti fideles per Alamanniam conſtitutos rogandos duximus attentius & monendos ſub debito fidei Chriſtianæ, quo tenentur Domino Jeſu Chriſto, diſtrictè præcipiendo monentes, ut præfato Friderico conſilium, vel juvamen operæ, vel operam aliquatenus non impendant.

Quocirca diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eos qui contra præſcriptum mandatum noſtrum venire præſumpſerint, per excommunicationis ſententiam, ſublato appellationis obſtaculo, à præſumptione hujuſmodi compeſcatis, Conſtitutiones de duabus dictis in generali concilio edita non obſtante. Quod ſi non ambo his exequendis potueritis intereſſe, alter veſtrum ea nihilominus exequatur. Datum Lateran. VIII. Calendas Octobris, Pontificatus noſtri anno tertiodecimo.

## M. CC. XXVIII.

(a) F. Accaron.

Imperator defuncta Imperatrice in puerperio, transfretavit, & per Cyprum uſque (a) Ancona venit, ubi in magna gloria fuit ſuſceptus, & poſt paucos dies legatos Soldani pacificè eum excipientes recepit.

(b) Lavatanienſis. (c) F. Merania Dux H. de A. (d) F. Sigifridus. (e) F. Senenſis.

Otto filius Ducis Ludwici Bavariæ apud Straubing, præſente Rege Heinrico, & multis aliis Principibus, in feſto Pentecoſtes gladio accingitur. Ubi Ulricus primus (b) Laventinenſis Epiſcopus, ab Archipiſcopo in Epiſcopum conſecratur. Iſti autem Principes interfuerunt: Heinricus Rex, filius Friderici Imperatoris, Ludwicus Bavariæ, Luipoldus Auſtriæ, Bernhardus Karinthiæ, Otto (c) Moraviæ, Duces, Heinricus de Andechs. Epiſcopi, Eberhardus Saltzburgenſis, Hermannus Wirtzburgenſis, Ekkibertus Babenbergenſis, Gebhardus Patavienſis, (d) Sifridus Ratiſponenſis, Siboto Auguſtenſis, Heinricus Ayſtetenſis, Rudgerus Kymenſis, Karo (e) Secouenſis, Albertus Laventinus.

## M. CC. XXIX.

Imperator in tranſmarinis partibus poſitus, civitatem ſanctam Hieruſalem & majorem partem terræ ſanctæ à Soldano Babylonico recepit, & treugis inter ipſos firmatis Imperator revertitur in Apuliam, & fines regni Apuliæ ab exercitu Domini Papæ occupatos recepit. Exercitus Domini Papæ, qui in tres partes diviſus erat, Teutonicis cruce ſignatis Paſſagium impedivit. Longobardi & Tuſci cum Domino Papa contra Imperatorem, conſpirant. Agnes Duciſſa Bavariæ Idibus April. peperit filium, qui vocatus eſt Ludwicus.

Poppo Altahenſis Abbas obiit. Bertoldus Burenſis Abbas eligitur, poſt quem Cunradus eligitur.

M.

Digitized by Google

M. CG. XXX. SÆC. XIII. ANNO 1300.

Tiberis alveum ſuum egreſſus vicina loca occupavit, & in urbe Roma uſque ad gradus ſancti Petri aſcendit. Unde Romani compulſi Papam ad urbem revocaverunt. (a) Dominus Papa & Dominus Imperator, mediantibus Principibus Alamanniæ, videlicet (a) Patriarcha Aquileienſi Bertoldo, Archiepiſcopo Saltzburgenſi Eberhardo, Epiſcopo Ratiſponenſi Sifrido, Auſtriæ Luipoldo; Moraviæ Ottone, Karinthiæ Bernhardo, Ducibus, & quibuſdam aliis ad concordiam redierunt, & Dominus Imperator ab excommunicatione abſolvitur, & poſt abſolutionem in hoſpitio & menſa à Domino Papa excipitur. Luipoldus Dux Auſtriæ apud ſanctum Germanum obiit, cujus corpus in monte Caſſino in monaſterio ſancti Benedicti à Cardinalibus ſepelitur, & oſſa ejus elata in die S. Andreæ, apud monaſterium Lierneveldæ, quod idem Dux magnifico opere, ut hodie claret, conſtruxerat, ab Archiepiſcopo ſepeliuntur, & eodem die dictum monaſterium ab eodem conſecratur. Rex Bohemiæ Auſtriam manu valida intrans magnam partem terræ vaſtavit. Epiſcopus Ratiſponenſis Cancellarius Imperialis aulæ efficitur. Sifridus Moguntinenſis Archiepiſcopus obiit. Carolus primus Secovienſis Epiſcopus obiit. Caſtrum in (b) Flinſpach ab Alberto Comite de Bogen erigitur.

(a) Alii in annum ſequentem Pontificis reditum rejiciunt. BASN.

(b) F. Flinſperg.

M. CC. XXXI.

Geroldus Epiſcopus Friſingenſis ceſſit, cui ſuccedit Chunradus Canonicus ejuſdem Eccleſiæ. Rapoto Palatinus Bavariæ obiit: Ludwicus Dux Bavariæ, præſente familia ſua, à quodam ignoto pagano cultro percuſſus obiit: Et hoc apud Chelheim inſidiis Domini Friderici Imperatoris XVI. Calendas octobris. Præpoſitus Saltzburgenſis, Abbas ſancti Petri, & Abbas (c) Admuntenſis de licentia Domini Papæ ab Archiepiſcopo in die ſancto Paſchæ mitris pontificalibus ſunt inſigniti, & privilegiati. Monaſterium monialium Ciſtertienſis ordinis à Ludmilla Duciſſa in Lantzhuet conſtruitur.

(c) F. ad Murten.

M. CC. XXXII.

Imperator Natalem Domini apud Ravennam celebravit, & per Venetias tranſiens uſque ad Aquileiam & forum Julii proceſſit; ubi Rex filius ſuus & quidam alii Principes, ſcilicet Fridericus Dux Auſtriæ, qui jam apud Wiennam gladio militari accinctus erat, cum quibus de pace Alemaniæ verbotenus ordinans in Apuliam ſe recepit. Gebhardus Patavienſis Epiſcopus, propter infamiam occiſionis Eberhardi canonici Patavienſis, & aliorum criminalium ſibi objectorum Epiſcopatum reſignavit. Sanctus Antonius de ordine minorum fratrum apud Paduam ſignis coruſcans à Domino Papa canonizatur, cum nondum annus integer poſt obitum ſuum eſſet elapſus. (b) Ekkebertus Epiſcopus Babenbergenſis cum Duce Karinthiæ bellum movens, plures ejus munitiones deſtruxit, & terram pro magna parte vaſtavit. Dominus Archiepiſcopus ex licentia Domini Papæ Præpoſito Saltzburgenſi uſum virgæ paſtoralis & annuli & chirothecarum indulſit. Cunrado electo Altahenſi amoto, Dietmarus fit Abbas.

M. CC. XXXII.

Sanctus Virgilius à Domino Papa Gregorio nono (d) canonizatus eſt IV. Idus Junii. Rudgerus primus Kymenſis Epiſcopus, auctorite Domini Papæ Patavienſi Eccleſiæ præficitur. Elizabeth filia Regis Ungariæ, vidua Landgravii poſt obitum ſuum multis miraculorum ſignis claruit. Epiſcopus Ekkebertus Babenbergenſis à miniſteriali Ducis Karinthiæ per totam quadrageſimam in captivitate tenetur. Otto Dux Bavariæ curiam celebrandam Ratiſponenſem indixit, quam propter indignationem Regis Heinrici & aliorum quorundam Principum ſibi non faventium, apud Lantshuet celebravit. Sed poſtmodum Rex cum multis principibus & magno exercitu Bavariam intravit, Ducem deſtructurus. Sed mediante Archiepiſcopo Saltzburgenſi in gratiam eum recepit, & filium ejus puerulum in obſidem Regi dedit, & tandem Curiam ſolemnem Ratiſponæ Dux celebravit, cui Archiepiſcopus Saltzburgenſis, & omnes Epiſcopi Bavariæ interfuerunt. Dux Bavariæ cum magno exercitu fines Ducis Auſtriæ devaſtavit, & (e) clauſtrum in Lambach exuſſit. Dux Auſtriæ magnum exercitum contra Regem Bohemiæ primo collegit, & Moraviam intravit, & ſecundo alium exercitum adverſus Regem Ungariæ collegit, ſed poſtea plures miniſteriales ſuorum tam in Marchia quàm in Auſtria adverſus eum conſpirant.

(d) F. Octavo.

(e) F. caſtrum in Lainbach.

M. CC. XXXIV. Dux Bavariæ ſuper monaſterium Vormbach repente irruens, multos proſcriptos, qui ſe in eodem monaſterio, ejectis monachis, receperant, comprehendit; quorum quoſdam ſuſpendi, alios capite plecti juſſit circiter quadraginta.

(a) *F. Patriarcha Aquileinſi, Berchtoldo Saltzburgenſi Archiepiſcopo, Eberhardo Ratiſponenſi Epiſcopo, Sifrido Epiſcopo Auguſtenſi, Sibot Auſtriæ, Lupoldo Meraniæ, Ottone & Bernhardo Karinthiæ Ducibus.*

*Sed vitioſam eſſe diſtinctionem & lectionem F. patet ex ſequentibus, ubi Luipoldus Dux Auſtriæ, & Bertoldus Aquileienſis Patriarcha dicitur, &c.* CAN.

(b) Effluxerat tantum menſis, cùm de ejus Canonizatione actum eſt. Miſſisque commiſſariis & proceſſu facto, vix effluxerant menſes ſeptem cum canonizatus eſt. BASN.



Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1300.

M. CC. XXXV.

Agnes Duciſſa Bavariæ XIII. Cal. Decembris peperit filium, qui vocatus eſt Heinricus. Albertus Comes de Bogen transfretavit, & apud Venetias captivatur.

M. CC. XXXVI.

*Fridericus Dux Auſtriæ.* Fridericus Dux Auſtriæ & Styriæ ab Imperatore proſcribitur apud Auguſtam. Iſte Fridericus, cum eſſet ſeverus homo, in judicio diſtrictus & crudelis, magnanimus in præliis, in theſauris congregandis cupidus, terrorem ſuum ſic fudit ſuper indigenas & vicinos, ut non ſolum non diligeretur, ſed ab omnibus timeretur. Ibat enim potenter cum exercitu in Moraviam contra Wencezlaum Regem Bohemorum. Denique etiam Ungariam intrabat, fines utriuſque Regni ferro & igne devaſtans: Satagebat etiam nobiles & meliores terræ ſuæ opprimere & ignobiles exaltare. Agnetem uxorem ſuam filiam Ottonis Ducis (a) Moraviæ, tanquam cognatam, repudiavit, quam poſtea Ulricus Dux Karinthiæ accepit uxorem. Edicta Friderici Imperatoris, inimicitias Principum contempſit, donec ab ipſo Friderico per ſententias Principum in Curia Auguſtæ celebrata proſcribitur, & Principatuum ſuorum honore privatur.

(a) *al. Meraniæ.*

M. CC. XXXVII.

Sequenti igitur anno Fridericus Imperator contra Fridericum Ducem in Auſtriam vadit, à civibus Wienenſibus, & quibuſdam miniſterialibus invitatus; & hyemavit ibidem, habens ſecum Principes Imperii, videlicet Wencezlaum Regem Bohemorum, Bertholdum Patriarcham Aquilegienſem, Sifridum Moguntinum, Eberhardum Saltzburgenſem, Theodoricum Treverenſem Archiepiſcopos. Ekbertum Babenbergenſem, Sifridum Ratiſponenſem, Rudgerum Patavienſem Epiſcopos. Ottonem Bavariæ, (b) Bernhardum Karinthiæ Duces. Heinricum Lantgravium Turingiæ, & alios quam plures Comites & nobiles. Tunc dictus Fridericus Dux, terrore Imperialis fortitudinis non concuſſus, cum paucis qui ſibi adhæſerant, in oppido, quod dicitur Nova civitas, ſe recepit, exinde pro ſua defenſione, quæ poterat, exercendo. Imperator itaque cernens, quod Fridericus Dux parvipenderet illata, nec curaret gratiam Imperii quærere, receſſit ab Auſtria, relinquens ibi Capitaneos, Ekbertum Babenbergenſem Epiſcopum, & de Henneberch, & de Eberſtein, & de Nurnberch Comites, celebrando feſtum Reſurrectionis Dominicæ Ratiſponæ. Ekbertus autem Epiſcopus Babenbergenſis erat avunculus Belæ Regis Ungariæ, & frater Bertoldi Patriarchæ Aquilejenſis, vir magnanimus & bellicoſus; & ob hoc prædictus Imperator ſibi tuendam terram Auſtralem ſpecialiter commendavit. Defuncto autem eodem anno Epiſcopo memorato, & Imperatore ſe ad Apuliam transferente, prædictus Dux Fridericus, animoſior effectus, Albertum Comitem de Bogen in auxilium ſuum vocat, cum ipſo Comite egreſſus muros Novæcivitatis, in campo qui dicitur Stainveld, pugnam iniit cum Wienenſibus & capitaneis eorum, reportans victoriam glorioſam. Capti namque ſunt in eodem bello Rudgerus Patavienſis, & Chunradus Friſingenſis Epiſcopi, & multi ex nobilibus, quos ad tuitionem terræ prædictus reliquerat Imperator. Actum Anno Domini M. CC. XXXVIII.

(b) F. *male: Burchardum, nam paulo ante Bernardus dicitur.*

CANIS. *Nouveſtat.*

Dux itaque Fridericus his ſucceſſibus proſperatus, recedente à partibus iſtis Cæſaris milite, in brevi tempore totam hæreditatis ſuæ terram rehabuit, regens eam deinceps ita ſtrenuè, quod in ipſa quoque juſtitia, & ut multis videbatur, ſæpe tyrannidem exercebat. Audacia itaque cordis ſibi innata ipſum quieſcere non ſinebat, donec octavo poſt hæc anno bellum Regi Ungarorum indixit, in cujus terram cum intraret exercitum valdiſſimum ducens, congreſſione cum Ungaris facta & Cumanis, adverſa pars vincitur & fugatur. In qua victoria, dubium, utrum ab amicis vel inimicis circa oculum cuſpide vulneratus occubuit, (c) VI. Februarii in feſto ſancti Viti Anno Domini M. CC. XLVI. Occiſo itaque Friderico potentiſſimo & inquieto Duce Auſtriæ & Styriæ, quanta mala ferè per ſex annos utraque Provincia ſit perpeſſa, nullus valet ſcribere vel narrare. Nam quilibet nobilium, imo magis ignobilium, nec Deum, nec homines reveritus, quæcunque volebat faciebat; homines ad munitiones vel cavernas terræ fugere non valentes captivando, vulnerando, occidendo, ac excogitatis & hactenus inauditis tormentis miſerabiliter cruciando. Bela etiam Rex Ungariæ orbatas hæredibus terras ſibi attrahere cupiens, multa millia hominum per paganos homines, videlicet Cumanos, in captivitatem adduxit, multa occidit, ac utriuſque terræ Marchia ferè inhabitabilis facta. Tunc Hermannus Marchio de Baden natus ex Irmgarde, ſorore Dominæ Agnetis Duciſſæ Bavariæ, auxilio Ottonis Ducis Auſtriæ antedicti, & Ducatus Auſtriæ & Styriæ ratione talis conjugii uſurpavit. Qui genuit filium nomine Fridericum, & filiam nomine Agnetem, quæ Ulrico Duci Karinthiæ poſtea copulatur. Et cùm dictus Hermannus Dux eſſet impotens, tantam malitiam hominum, quæ jam nimis invaluerat, morte etiam præpeditus, compeſcere non valebat. Moritur enim (d) quarto nonas Octobris.

(c) F. *ſexta feria.*

*Herman. Marchio Bad.*

(d) *Octobris.*

M.

Digitized by Google

M. CC. XL. SÆC.

Dominus Otto etiam Dux Bavariæ mittens Ludwicum filium ſuum cum exercitu ad terram illàm, ſibi civitates Lintz & Anaſum cum magna parte illius provinciæ ſubjugavit. Poſtea miſericordia *Dei* de cœlo proſpiciente fatigatis & depauperatis jam nimium optimatibus, terræ Dominus Primizel, qui & Otacher, filius Venezlai Regis Bohemiæ, conſilio patris & vocatione magnatum civitatum Auſtriæ & Styriæ, utrumque Ducatum ſibi attraxit, Dominam Margaretam relictam Heinrici quondam Regis Bohemorum, ſororem ſcilicet ſupradicti Friderici Ducis, accipiens in uxorem, ad cujus ſubjectionem ſtatim tota Auſtria & Styria cum ſuperioribus & inferioribus civitatibus eſt converſa. Attamen quod Bela Rex Ungariæ (a) Bohemiæ civitates jam cum magna parte Ducatus Styriæ occupaverat, non deſiit lædere terram, donec conventione inter Reges facta, quædam pars Ducatus Styriæ ſibi cum diſtinctis terminis aſſignatur, Domino Ottachero in pace partem reliquam cum terra Auſtria retinente. Extunc gratia divina donante, ac probitate dicti Domini faciente, pax ibidem optima renovatur, rura deſerta coluntur, ſecurum ubique acquirunt tranſitum mercatores. Sancta Eliſabeth miraculis clarens apud Marchburch de tumulo transfertur, præſente Friderico Imperatore, qui etiam tunc temporis Heinricum Regem Alamanniæ, filium ſuum, pro eo, quòd contra ipſum cum Lombardis conſpiraverat, captivavit, & exilio relegavit, ubi & vitam in brevi finivit, & duo filii ejus F. & H. ſimiliter in Apulia obierunt. Ekkebertus Babenbergenſis Epiſcopus obiit.

(a) *F. Bethoniam civitatem.*

(a) Fridericus Imperator à Domino Gregorio Papa nono, in Eccleſia Lateranenſi, in die Palmarum & ſubſequenter in Cœna Domini & in Paſcha ex multis cauſis ſolemniter excommunicatur, approbantibus Cardinalibus univerſis.

M. CC XLI. Hoc anno Regnum Ungariæ, quod CCC. & L. annis duravit, à Tartarorum gente deſtruitur. (b) Gregorius Papa IX. obiit. Cæleſtinus Papa ſedit dies XVIII. Eclipſis ſolis facta eſt in media die in Octava Michaëlis, & ſtellæ viſæ ſunt.

*Cæleſtinus IV.*

M. CC. XLII.

Albertus ultimus Comes de Bogen obiit XVIII. Calend. Februarii. Dietmarus Abbas ſuccedit. Heincus de Camtania nomine Imperatoris eligitur in Epiſcopum Babenbergenſium.

*Kempten.*

M. CC. XLIII.

(b) Symmbaldus Diaconus Cardinalis in Papam eligitur, & vocatus eſt Innocentius Papa IV. VII. Calendas Julii. Jam enim, propter ſchiſma inter Regnum & Sacerdotium, Sedes Apoſtolica vacaverat menſibus ferè XXII.

(b) *F. Symmibaldus. Innocentius IV.*

M. CC. XLIV.

Heinricus, filius Ottonis Ducis Bavariæ, duxit uxorem Dominam Eliſabeth, filiam Belæ Regis Ungariæ. Aquæductus fit ad monaſterium Altahenſe.

M. CC. XLV.

Univerſalis ſynodus celebratur apud Lugdunum, ubi Dominus Innocentius Papa contra Fridericum Imperatorem depoſitionis ſententiam promulgavit. In ea ſynodo fuerunt tres Patriarchæ & Epiſcopi plurimi.

*c. ad Apoſtolica. De ſent. & rejud. in 6.*

M. CC. XLVI.

Eberhardus Saltzburgenſis Archiepiſcopus obiit. Sifridus Ratiſponenſis Epiſcopus obiit: Cui Albertus per Legatum ſedis Apoſtolicæ ſubrogatur. Fridericus Dux Auſtriæ occiſus eſt. Heinricus Lantgravius Turingiæ à quibuſdam principibus eligitur in Regem & eodem anno obiit. Chunradus, filius Friderici Imperatoris, duxit uxorem Dominam Eliſabeth, filiam Ottonis Ducis Bavariæ.

*Heinricus antirex.*

M. CC. XLVII.

Wilhelmus Comes Holandiæ in Regem eligitur. Hujus Wilhelmi Regis tempore civitates apud Rhenum cum Principibus optimam pacem ineunt, eligentes ſibi capitaneos, deſtruentes caſtra nociva, & injuſta telonia removentes, quæ poſt obitum ipſius Regis, qui vixit quaſi novem annis, omnia redierunt in priſtinum malum ſtatum. Fuerunt autem ſubſcripti Principes, & ſubſcriptæ civitates, quæ ſanctæ pacis fœdera juraverunt: Gerhardus Archiepiſcopus Moguntinenſis, Chunradus Archiepiſco-

*Wilhelm. antirex.*

(a) Has excommunicationis rationes proferebat Pontifex: Fridericum ſeditionem excitaſſe ut eum urbe expelleret, Eccleſiæ Romanæ jura conculcaſſe quam plurima, Legatum adverſus Albigenſes miſſum impediviſſe, ne officio illi demandato fungeretur, quæ poſtmodum Patavii refutavit Imperator, *Petri de Vineis* calamo uſus. Tamen à *Concilio Lugdunenſi* damnatus fuit. BASN.

(b) Decem erant tantum Cardinales, quorum quinque elegerunt Cardinalem *Sabinenſem*, *Gaufridum* dictum. Tres vero *Romanum*, ſive Epiſcopum Portuenſem. *Sed ceſſerunt ambo & elegerunt unum, ſed non de ſuo collegio. Romanisque requirentibus, quod eſſet nomen illius, exprimere noluerunt.* Sic *Albertus Stadenſis*, Scriptor coætaneus; Hunc alii *Gumfridum* alii *Gaufridum* appellant, illumque fuiſſe eundem, qui *Cæleſtini* IV. nomen aſſumpſit, ſuſpicantur Critici. Imperatorem delinire conatus eſt, conditionibus pacificis ei per Nuncios propoſitis, ſed nondum reſcripſerat Fridericus, cùm *Cæleſtinus* è vivis exceſſit, *qui morte præventus*, inquit *Nicolaus de Curbio*, qui vitam *Innocentii* IV. Scriptis mandavit, *Pallium non ſuſcepit, munus Conſecrationis non habuit, neque Bullam, & intra* XVII. *dierum ſpatium obdormiens in domino diem clauſit extremum.* BASN.

Vita Innoc. IV. apud Bal. Miſcell. T. VII. 356.



Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1300.

piſcopus Colonienſis, Arnoldus Treverenſis Epiſcopus, Richardus Wormacenſis Epiſcopus, Heinricus Argentinenſis Epiſcopus, Bertoldus Baſilienſis Epiſcopus, Jacobus Mettenſis Epiſcopus, Abbas Fuldenſis, Ludwicus Palatinus Rheni Dux Bavariæ, (a) Comes Silveſter, Dietherus Comes de Chazenellenbogen, Fridericus Comes de Lüningen, Bertholdus Comes de Zigenhagen, Encho Comes Sylveſter, Gotfridus frater ſuus, Dominus Poppo Comes de (b) Turingia, Ulricus Comes de Ferreto, Comes de (c) Verirnburch, Domina Sophia Lantgravia Turingiæ, Domina Udulhildis comitiſſa de Liningen, Dominus de (d) Tirenperch, Ulricus de Minzenberch, (e) Gerlacus de Limpurch, Philippus de (f) Herchenvels, Philippus de (g) Volchenſtain, Dominus de Schtralenberch, Pincerna de (h) Erlach. Wernherdus Dapifer de Alzeja, Heinricus de Erenberch, Rumpoldus de (i) Stamach.

(a) F. Conradus Comes Sylveſter, Richerus C. de C.
(b) Tubingen.
(c) F. Wurnberg Virnberg.
(d) F. Trinperch.
(e) F. Geralatus.
(f) F. Herchenveld.
(g) F. Valchenſtain.
(h) F. Erpach, Wernherus de dapifer de Alzaya.
(i) F. Stainach.

Nomina Civitatum confœderatarum ad pacem generalem Mogontium, Colonia, Wormatia, Spira, Argentina, Baſilea, (k) Tirhigen, Fridburch, Briſacum, Columbaria, Slezeſtat, Hagenhowia, (l) Wezenburch, Nimſtat, Wimpfa, Haedelberch, Lauterburch, Oppenhaim. Frankhfurt, Friderberch, Wechflaria, Galenhauſen, Marchburch, Agilſuelt, Voltda, Mulenhuſen, Archaffenburch, Seliſtat, Pingia, Dipach, (m) Wacheratum, Weſalia, Popardia, Andernacum, Bunna, Nuſſia, Aquis ſedes regalis, in Weſtvalia Munſter, & aliæ civitates pluſquam ſexaginta, cum civitate (n) Bernenſi, Gumperch, Hirſuelden.

(k) Thirigenſis, Friburg.
(l) F. Weiſenburch, Nuinſtat, Wimpina, Haydelberg, Lauternbuch, O. F. F. Wetslaria, Gaulenhauſen, Marburch, Aglifveld, Veldta, Mulenhauſen.
(m) F. Watheratum Bachuræch.
(n) F. Bermenſi, Grumperch.

Rugerus Patavienſis Epiſcopus multas cremetas Eccleſias conſecravit, in menſe Auguſto.

Ludwicus filius Ottonis Ducis Bavariæ Chunradum Comitem de Wazzerburch cum exercitu invaſit, & eum de Comitatu ejecit, omnibus munitionibus ſuis captis.

Philippus filius Bernhardi Ducis Karinthiæ eligitur in Archiepiſcopum Saltzburgenſem, cui à Domino Papa Burchardus Comes de Cygenheim ſupponitur, & conſecratus ac pallio (o) Epiſcopali decoratus moritur.

(o) F. Archiepiſcopali.

## M. CC. XLVIII.

Tertio Idus Februarii in nocte factus eſt terræ motus. (p) Ludwicus Rex Franciæ transfretavit.

(p) S. Ludovicus.

## M. CC. XLIX.

Ludwicus Rex Franciæ Damiatam civitatem Sarracenorum fortiſſimam in Octava ſanctæ Trinitatis miraculosè cepit.

Rapoto Comes Palatinus obiit.

## M. CC. L.

Ludwicus Rex Franciæ à Sarracenis captus, Damiatam & alias munitiones, quas priori anno ceperat, reddere cogitur, Ruberto fratre ſuo (q) cum XX. millibus Chriſtianorum occiſo. In quo bello etiam occubuit paganorum innumerabilis multitudo. Rugerus Patavienſis Epiſcopus propter hoc, quod in ſchiſmate inter Regnum & Sacerdotium favere videbatur parti adverſæ, ab Innocentio Papa IV. ab officii & beneficii deponitur dignitate, & Dominus Bertoldus, frater Alberti Ratiſponenſis Epiſcopi, ſubſtituitur; cui ſtatim Capitulum & civitas Patavienſis cum miniſterialibus obedire cœperunt unanimiter & ſubeſſe; prædicto Rugero Epiſcopo, contra voluntatem Chunradi Regis & Ottonis Ducis Bavariæ, penitus refutato. Hermannus Marchio de Baden, qui ſibi uſurpaverat Ducatum Auſtriæ, moritur IV. nonas Octobris.

(q) F. plus quàm cum XX. M.

Fridericus Imperator in Apulia moritur menſe Decembri.

His diebus quidam frater Bertoldus de ordine Minorum fratrum de domo Ratiſponenſi, tantam gratiam habuit prædicandi, ut ſæpe ad eum audiendum plus quam ſexaginta milia hominum convenirent.

## M. CC. LI.

Conradus IV. Rex.

Chunradus Rex, Natali Domini Ratiſponæ fuit, ubi, quia jam poſſeſſiones Epiſcopi & Miniſterialium Ratiſponenſium incendiis vaſtaverat, dum proxima nocte poſt feſtum Innocentium in monaſterio ſancti Emmerani dormiret, Chunradus de Hohenuels, & alii Miniſteriales Ratiſponenſes, quaſi media nocte, in cameram ſuam irrumpunt; & cùm per explorationis dicta, non plures quàm Regem cum quatuor ſociis ſuis in ea dormire putabant, duobus occiſis & tribus captis, credebant ſe occidiſſe ipſum Regem; ſed noctu ſextus fortuito caſu ſupervenerat, & loco ipſius Regis interfectus eſt. Rex autem latitans ſub ſcamno valde miraculosè imminens periculum mortis evaſit. Propter quod factum, quia Ulricus Abbas ejuſdem facti ſuſpectus etiam habebatur, dictum monaſterium Rex & Dux in prædiis & ædificiis multiformiter offenderunt. Venerant autem Miniſteriales cum Epiſcopo ſuo, qui Epiſcopus foras muros civitatis cum multis armatis eventum rei ſolicitus expectabat.

Chamb.

Subſequenter circa feſtum Epiphaniæ Rex Bohemiæ filium ſuum in Bavariam cum exercitu deſtinavit, qui in Marchia Chambenſi multas villas rapinis & incendiis vaſtavit. Interea mors Imperatoris propalatur, & Chunradus Rex ad partes Rheni feſtinat.

Digitized by Google

nat. Dominus Papa in cœna Domini Wilhelmum Comitem Holandiæ jam dudum à quibusdam Principibus in Romanum Regem electum, multis Episcopis præsentibus apud Lugdunum confirmat, & statim se transfert ad Italiam de Lugduno, ubi jam ferè VIII. annis continuè fecerat mansionem. Castrum in (a) Geispach à Ludwico Duce nocte per insidias pro parte captum & pro parte obsessum destruitur, & fossata ejus mirabiliter fortia complanantur. Et ex hoc Bavaria in ea æstate pro magna parte incendiis flagrat, Bohemis partem Alberti Ratisponensis Episcopi adjuvantibus contra Duces. Chunradus tamen Rex in festo Apostolorum Petri & Pauli cum Ottone Duce Chambe venit, quos Rex Bohemorum videre contempsit. Otto Dux castrum & oppidum in (b) Digoluing construere cœpit. Eodem anno Chunradus Rex in Autumno intrat Apuliam, & ibidem ferè totum Regnum paternum potenter possedit, Domino Innocentio Papa tunc Perusii commorante, nec prohibere valente. Wilhelmus Rex Romanorum de Comitissa Flandriæ gloriosè triumphat.

SÆC. XIII. ANNO 1300.

(a) F. Teispach.

(b) F. Dingelfingen.

## M. CC. LII.

Domina Elizabeth, filia Ottonis Ducis Bavariæ, genuit Chunrado Regi filium in die Annunciationis sanctæ Mariæ; & vocatus est Chunradus.

## M. CC. LIII.

Otto Dux Bavariæ novam monetam in Lantzhuet fabricari jussit circa initium messis, mandans ipsos (c) denarios & non alios recipi in toto suo districtu: & exercitum versus Austriam movens, in ipsa expeditione filii sui Ludwicus & Heinricus infra octavam Thebeorum apud Oeting militaribus gladiis sunt accincti. Volens itaque cum Heinrico filio suo occurrere Belæ Regi Ungariæ, qui tunc, sicut priori anno, cum valido exercitu Cumanorum & Ungarorum Austriam & Moraviam intraverat, à munitionibus & militibus superioris Austriæ præpeditur. Nam priori anno Dominus Premizzel, qui & Ottacher, filius Venezlai Regis Bohemorum, Austriam & Styriam sibi attraxerat, ducta in uxorem Domina Margareta, relicta à Heinrico quondam Rege Romanorum, quæ fuit filia nobilissimi quondam Ducis Austriæ & Styriæ Luipoldi. Auxilio itaque Meinhardi Comitis Goriciæ & Ezilini nobilis de Taruisio, Heinricus filius Ottonis per vallem Tridentinam vadit in Ungariam ad socerum Belam Regem. Otto ergo Dux in principio sui regiminis severus Judex, & Princeps mansuetus, postea propter favorem, quem impendere videbatur Friderico quondam Imperatori & Chunrado filio ejus, ab Innocentio Papa quarto & Episcopis jam diu & sæpe excommunicatus, persequi cœpit clerum; & mala malis addens, in vigilia sancti Andreæ Apostoli, cum in sero cum uxore & familiaribus suis valde jocundus fuisset, præsentem vitam subitanea morte finivit. Eodem tempore, mense scilicet Novembri, famosus ille prædicator, frater Bertoldus, in Lantzhuet prædicationis officium exercebat, & morabatur in castro cum Duce prædicto, cupiens eum inducere ad obedientiam Ecclesiæ, & suum erga Ecclesias & clerum animum mitigare. Tunc supervenit quidam pauper rusticellus, asserens se in nocte præterita festi Michaëlis raptum & ductum ad tribunal judicii cujusdam, ubi audivisset, quod ad querimoniam Sanctorum sententia mortalis data esset in Ottonem Ducem & cæteros Principes, pacis turbatores & Ecclesiarum ac pauperum vastatores: asserebat etiam, quod sub pœna mortis à Sanctis ex parte Dei sibi esset injunctum, ut hæc Duci & aliis Principibus nunciare deberet; quod si non admitteretur, deberet aliis propalare. Is igitur homulus, cum non fuisset admissus ad præsentiam Ducis, prædicto fratri Bertoldo & aliis quibusdam talia propalavit. Sed & sexto die ante obitum Ducis idem homo venit ad monasterium Altahense, & dixit hæc Abbati & Alberto Abbati de Metem ex parte illius judicii, quod cum non admitterent talia manifestare, dicti Abbates, cum Heinrico Abbate de Eberspech, deberent intimare Duci prænotato, quod nisi citius destrueret monetam novam, & resipisceret à vexatione pauperum & Ecclesiarum, mortis esset in brevi sententiam subiturus. Cujus visionis efficaciam sæpe dictus Dux, Innocentius Papa, Chunradus Rex, & alii Principes per mortem insperatam tunc, proh dolor, sunt experti. Wenzeslaus etiam Rex Bohemorum moritur in mense Septembri.

(c) F. Vitioso: demum. Otto Dux Bavariæ. Moneta.

Ottone Duce defuncto, Dominus Ludwicus, Heinrico fratre suo in Ungaria existente, cum Alberto Episcopo Ratisponensi concordiam facit & divina, jam per multos annos suspensa, in illa diœcesi relaxantur.

## Millesimo. CC. LIV.

Bertoldus Episcopus Patavienſis obiit; cui per electionem canonicam & concordem succedit Otto de Lonstorf, ejusdem Ecclesiæ Canonicus & Archidiaconus. Ludwicus Dux, adhuc absente fratre, concordiam facit cum Philippo Saltzburgensi. Chunradus Rex priori anno Neapoli expugnata, & muros ejus in terram prostravit; homo pacificus & severus judex in vigilia Ascensionis diem clausit extremum, de cujus obitu Teutonici, Apuli, & Lombardi, præter illos qui erant de parte Eccle-



Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1300.

ſiæ, dolore nimio ſunt turbati. Heinricus Dux Bavariæ, auxilio Domini Philippi Saltzburgenſis electi, de Ungaria revertitur, & ambo Duces ad conſilium Domini Heinrici Babenbergenſis Epiſcopi ſuum regunt concorditer principatum. Eodem anno ſterilitas frugum magna fuit, & maximè circa Danubium, ut nec ſemina poſſint haberi. Sed & in nocte ſancti Marci Evangeliſtæ per maximum frigus vineæ & fructus arborum perierunt, ita ut valde modicum vini naſceretur, & illud nimis acerbum. Chunrado Rege mortuo, Innocentius Papa fines Regni Siciliæ eſt aggreſſus, & uſque Neapolim obtinuit, in qua civitate dum obtenta terræ illius parte & ſpe obtinendi totum Siciliæ regnum lætus moraretur, Dominus, qui diſſipat conſilia principum & reprobat conſilia populorum, ipſum Papam per mortis vocationem tali lætitia & ſpe privat. Moritur itaque ſeptimo die intrante menſe Decembri, & ibidem ſepelitur (*a*): cui ſtatim in ea civitate à Cardinalibus tunc præſentibus Dominus Reinaldus Oſtienſis Epiſcopus ſubrogatur & vocatus eſt Alexander quartus. Iſte Papa bonus & manſuetus ac timens DEUM, non tantum curans de negotiis Principum & Regnorum, multa revocat & caſſat, quæ in gravamen multorum ſuus conſtituerat anteceſſor. Manifredus etiam, filius Friderici quondam Imperatoris, principatum tenens in Apulia, potenter terram ipſam defendit nomine Chunradi parvuli fratruelis ſui, qui adhuc cum domina Eliſabeth matre ſua in Bavaria morabatur.

*Alexander IV.*

Bela Rex Ungariæ, qui jam plus quam per biennium Auſtriam, Styriam & Moraviam vaſtaverat, multis millibus hominum interfectis, concordiam facit cum Otakkero Duce, recipiens Ducatum Styriæ, ſuæque poteſtati ſubjiciens terram ipſam. Ipſe autem Otakker in tribus ſuis principatibus, videl. Bohemia, Moravia & Auſtria, tanquam Princeps omni probitate præclarus, inopinatam & optimam pacem facit, vadens in hyeme ſubſequenti in Pruſſiam cruce ſignatus, & magnam partem ipſius terræ cultui ſubdidit Chriſtiano.

## M. CC. LV.

*Bavarie diviſio.*

Ludwicus & Heinricus Duces Bavariæ circa Paſcha ſuos inter ſe dividunt Principatus, & Heinrico ceſſit nomen Ducis cum majori parte Bavariæ, videlicet Ratiſpona, Chambia, Chelheim, Ærding cum Lantshuet, Oeting, Purchauſen, & Halle, & quidquid eſt inter loca prædicta & terras Auſtriæ & Bohemiæ. Ludwico autem ceſſit ſuperior pars Bavariæ cum (*a*) palatio Rheni & nomen Purchgravii Ratiſponenſis; unde & caſtrum in Regenſtauf, in (*b*) Lengveld, Chalmunz, & alia, quæ ad eundem pertinent Comitatum, ſibi in ſortem ceſſerunt. Heinricus itaque Dux cum Alberto Epiſcopo Ratiſponenſi plenè concordans, monetam Lantshutenſem, quam pater ſuus fabricari juſſerat, caſſavit, & innovatam monetam Ratiſponenſium denariorum dari, ſicut prius, per ſuum diſtrictum permiſit & præcepit. Concordiam etiam facit cum Domino Ottone Patavienſi Epiſcopo, ac interdictum divinorum, jam plus quam per triennium obſervatum, in diſtrictu ſuo ejuſdem relaxatur diœceſis. Interea Wilhelmo Rege Rom. cum Comitiſſa Flandriæ & Freſonibus bellica agente negocia, Civitates Rheni, quaſi deſtitutæ Regia defenſione, vinculo ſocietatis fortiſſimè ad invicem conjunguntur, Capitaneum eligunt, telonia ejuſdem fluminis, quæ à pluribus fuerant aggravata, removent, vicinos Principes & Comites ſuæ ſocietati adhærere compellunt, undique in finibus ſuis pacem ordinantes optimam & hactenus inauditam. Quo ſuperveniens Dominus Ludwicus novus Palatinus Comes Rheni fœdus laudabile ſocietatis iniit cum civitatibus ſupradictis. Iſta autem pax, more Lombardicarum civitatum inchoata, propter malitiam reſiſtentium non diu duravit.

(*a*) F. *Palatino.*
(*b*) F. *Legenuelde.*

## M. CC. LVI.

Ludwicus Dux, Comes Palatinus Rheni, Dominam Mariam uxorem ſuam, ſororem *Heinrici Ducis Brabantiæ*, ſuſpectam habens de adulterio, tunc in Suevico Werde morantem, xv. Kalendas Februarii præcepit decollari. Ipſo menſe Bernhardus Dux Karinthiæ obiit, cui Ulricus filius ejus ſuccedit. Wilhelmus Rex eodem menſe in Freſia cum exercitu exiens à Freſonibus eſt occiſus. Qui cum ad quandam civitatem ejuſdem Provinciæ veniſſet, fertur ibidem inveniſſe ſepulchrum opere mirifico conſtructum, & dum à civibus quæreret, cujus eſſet hoc ſepulchrum opere tàm ſumptuoſo decoratum, dicebant, quod nondum quiſquam ibi ſepultus eſſet, ſed antiqui patres eorum conſtruxerint illud, per fatum cognoſcentes, quod in eodem loco deberet Romanorum Regum aliquis tumulari. Devicta itaque & ſubjugata tota Freſia, cum jam victor ipſam terram exiret, à quibuſdam fugitivis, ſecus viam in harundineto latitantibus, cuſpidibus occiditur, & in prædicto tumulo ab indigenis ſepelitur; Anno regni ſui nono.

M.

* *Miſcell. l. VII.*

(*a*) In laudes *Innocentii* IV. excurrit *Nicolaus de Corbio*, qui ejus Confeſſor extiterat. Quin imò poſt mortem, multa tribuit miracula. Vitam ejus qui legere voluerit, reperiet apud *Baluc.* * Sed præterquam ambitione nimia laboravit, vides hic diverſum de eo ferre Judicium *Steronem.* BASN.

Digitized by Google

M. CC. LVII. SÆC. XIII. ANNO 1300.

Principes Regni pro eligendo Rege jam diu habitis diversis conventibus, tandem diffinitivum electionis diem in Octava Epiphaniæ statuerunt in Franckefurt celebrandum. Ubi dum quidam convenissent, Moguntinus & Colonienſis Archiepiscopus, & Ludwicus, Comes Palatinus Rheni, & frater suus Dominus Heinricus Dux Bavariæ, in Richardum fratrem Regis Angliæ convenerunt. Et electus ab ipsis subsequenter in die Ascensionis Domini apud Aquisgranum in Regem ungitur, & potenter in Regni solio collocatur. Dominus autem Treverensis Episcopus cum aliis quibusdam Principibus consentire nolens electioni prædictæ, in media quadragesima, fretus literis & auctoritate Regis Bohemiæ, Ducis Saxoniæ, Marchionum de Brandenburg, & multorum Principum, elegit Dominum Alphonsum Regem Hispaniæ, qui electioni de se factæ consensit, persuasus à Regibus & Principibus & amicis. Philippus Saltzburgensis electus jam per decem annos, nolens Ordinem Presbyterii ac Episcopalem suscipere consecrationem, à Domino Alexandro Papa deponitur, & Ulricus Secowensis Episcopus ei in Archipiscopum ejusdem Ecclesiæ subrogatur. De cujus electi abjectione multa hinc & inde literarum paria evolarunt, quarum hic quædam propter illos, quos talia legere delectat, placuit annotari.

Venerabili Patri, DEI gratia Patavienſi Episcopo frater Heinricus, eadem gratia Chymensis Episcopus salutem & sinceram in Domino charitatem.

Licet olim Dominus Papa, volens pedetentim Dominum Philippum, quondam electum Ecclesiæ Saltzburgensis, qui perperam & contra constitutionem ipsius in eadem administrationem tenebat, ab ipsius Ecclesiæ regimine removere; sicut claruit ex post facto; nobis in mandatis dederat, ut ab ipso & detentoribus castrorum & munitionum Ecclesiæ Saltzburgensis, eadem castra & munitiones requirere deberemus, & nobis assignari faceremus, alioquin tam ipsum Philippum quàm detentores castrorum & munitionum Ecclesiastico percelleremus mucrone; nosque licet circa omnia prædicta mandatum Domini nostri Papæ & fuissemus diligenter & fideliter executi; Tamen idem Philippus perire magis eligens quàm parere, nec castra nec munitiones nobis assignare curavit. Unde nos ipsum & prædictos detentores excommunicavimus, & loca Ecclesiastico suppositimus interdicto: sicut per nostras literas, quas vobis & aliis Prælatis super hoc negocio transmisimus, & per famam publicam, quæ rem gestam super tecta prædicat, credimus esse notum. Verùm cùm prædictus Dominus Papa ipsum Philippum à prædicta Ecclesia removerit per diffinitivam sententiam, & eidem de pastore legitimo, videlicet Domino Ulrico, quondam Episcopo Sewensi, duxerit providendum, volens eidem assignari castra & munitiones tanquam vero Prælato, nobis super eodem negocio denuò suas literas misit, hanc seriem continentes: Alexandri IV. Epistolæ.

Alexander Episcopus, servus servorum *Dei*, venerabili fratri Chymensi Episcopo, salutem & Apostolicam benedictionem. In contemptum veniens Philippus, quondam Saltzburgensis Ecclesiæ electus, nimis videtur à se timorem Domini & hominum reverentiam abjecisse, dum adhuc munitiones & castra & quædam alia bona ipsius Ecclesiæ, in sua detinet potestate, quasi non sufficerit, dictam tenuisse, Ecclesiam in suam & multorum perniciem, tanto tempore viduatam. Errata igitur dicti Philippi corrigi misericorditer cupientes, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsum ex parte nostra moneas attentius, & inducas, ut prædicta omnia venerabili fratri nostro Saltzburgensi Archiepiscopo, vel alii ejus nomine, sine qualibet difficultate resignet; alioquin cùm ferro abscindenda sint vulnera, quæ fomentorum non sentiunt medicinam, tàm eum quàm alios, qui eadem nomine ipsius detinent; ad id per censuram Ecclesiasticam, appellatione remota, compellas, contra quos si necesse fuerit, omnium Suffraganeorum, Ministerialium & Vasallorum ejusdem Ecclesiæ auxilium invoces, ut super his tibi & ipsi Archiepiscopo fuerint requisiti; Suffraganeos ipsos ad hæc auctoritate nostra, Ministeriales verò & Vasallos eosdem per privationem feudorum quæ tenent ab ipsa Ecclesia, monitione præmissa, ratione prævia, coartando. Datum Viterbii 11. Nonas Decembris, Pontificatus nostri Anno 111.

Nos igitur auctoritate hujus mandati prædictum Philippum per nostras literas monuimus, & per alios moneri fecimus, ut infra XV. dierum spacium castra & munitiones prædictæ Ecclesiæ, sublato cujuslibet difficultatis obstaculo, prædicto Domino Ulrico Saltzburgensi Archiepiscopo, vel ejus devotis, quorum sibi nomina in nostris literis expressimus, suo nomine restituat & assignet; alioquin ipsum & detentores prædictorum castrorum & munitionum iterum exnunc excommunicamus, & loca ipsa Ecclesiastico supponimus interdicto. Vestram igitur prudentiam hortamur in Domino, ut districtè, salva tamen reverentia, commissa nobis auctoritate præcipimus, quatenus tenorem hujus literæ & mandati Papalis, nostram etiam monitionem & sententias, quas contra memoratum Philippum & detentores prædictorum castrorum & munitionum, & in sua malitia gloriantes, sicut hactenus mandatis nostris, imò Domini

Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1300.

mini Papæ non obedierunt, ferimus, in Eccleſia noſtra & aliis Eccleſiis noſtræ diœceſis per nos & alios ſingulis diebus Dominicis & aliis feſtivis publicè denunciantes ut faciatis ſolemniter publicari. Cæterum proinde penſans ſummus Pontifex vos & alios Suffraganeos Eccleſiæ Saltzburgenſis, qui vocati ſunt in partem ſolicitudinis, eſſe nobilia membra corporis tantæ metropolis, quod utique corpus per nexus ſalutaris obedientiæ, & juncturas venuſtæ concordiæ ſubminiſtratum creſcit in augmentum roboris Eccleſiaſtici ad deſtruendum omnem principatum & poteſtatem, quæ ſe nititur extollere contra id, quod Romana Eccleſia dicitur ac tollitur, & in quo libertas Eccleſiaſtica ſolidatur, ex affectu cordis ſatagit & intendit, ut vos, in quorum potentatibus conſiſtit dexteræ ſuæ ſalus, parati in hoc tempore opponatis vos murum pro Domino Saltzburgenſis Eccleſiæ, ad deprimendam domini Philippi malitiam, qui non armis juſtitiæ, ſed facibus iniquæ potentiæ, & telis præſumptuoſæ violentiæ armatus, ad depreſſionem ipſius & internecionem, tanquam hoſtilis prædo, inſurgere nititur ex adverſo: ſicut per literas ipſius Domini Papæ, quas ad nos ſuper ipſius negocio tranſmittit, & earum executionem nobis committit, limpidè patet vobis. Rogamus igitur, & qua fungimur auctoritate, veſtram monemus devotionem, quatenus dolentes vicem matris noſtræ Saltzburgenſis Eccleſiæ, dudum per memoratum Philippum tribulatæ miſerabiliter & oppreſſæ opem detis & operam cum affectu, ut ipſa de ſua tyrannica oppreſſione veſtro adjutorio liberetur, parati contra ipſum in fortitudine brachii ſecularis Domino noſtro venerabili Archiepiſcopo Saltzburgenſi, cum vos ſuper hoc requiſierit, vel nos Domini Papæ vice, facere juvamen, ne prævaleant filii alieni, errantes ab utero & à juſtitiæ ſemitis claudicantes, lacerare dente vipereo materna viſcera; & cultus juſtitiæ habeant in opprobrium, ſi fidei pugiles, æquitatis zelatores, Eccleſiarum ſanctarum Præſules, animarum Pontifices, quorum eſt ingreſſus per portas juſtitiæ, iniquis potentiis, nefariis inſolentiis, pertinacibus violentiis, Eccleſiarum libertates & jura calcantibus non reſiſtunt. Vos igitur obſecramus in Domino ad perſecutionem hujus negocii taliter accingite, ut non perſonam, ſed juſtitiam amplecti videamini, & apud Dominum Papam & totam Curiam, quæ ſuum reputat hoc negocium, & ipſum venerabilem Archiepiſcopum veſter zelus commendabilis habeatur. Datum Venetiis anno Domini M. CC. LVIII. Nonis Maii.

(a) *al. Primiſlaus.*

Eodem anno Otakker, qui & (a) Primizel, Rex Bohemiæ, Dux Auſtriæ, juvenilis ætatis audacia perſuaſus, ſine provida deliberatione conſilii, quæ bellicis rebus agendis ſummè neceſſaria eſt, per Patavienſem civitatem in terram Bavariæ hoſtiliter eſt ingreſſus, jactans ſe, tanquam divitiis & potentia præditum, velle & poſſe contra omnium hominum voluntatem, ad ignominiam Domini Heinrici Ducis & terræ ſuæ, ante muros civitatis vel caſtri in Lantshuet potenter militiæ opera exercere. Nam tunc ibi prædictus Dominus Heinricus Dux Bavariæ, cum Domina Elizabeth uxore ſua, virtutibus & ſanguine nobiliſſima morabatur. Sed cum per pagum qui dicitur Chunzing & per vallem Vilſæ fluminis, incendiis vaſtando plurimas villas & Eccleſias, uſque juxta caſtrum in (b) Fanhoven perveniſſet, ecce memoratus Dominus Heinricus Dux, licet vix quinque diebus ante introitum prædicti Regis in Bavaria talium inimicitiarum literas recepiſſet, celeri volatu nunciorum & literarum circumquaque diſcurrentium, ſuis convocatis hominibus & amicis, tanquam animoſus princeps, & qui de ſua juſtitia & de *Dei* miſericordia confidebat, cum exercitu valido pedeſtrium & equeſtrium, ad campos contra ſuos audacter egreditur inimicos. Jam etiam ſupervenerat cum paucis Dominus Ludwicus Dux frater ſuus de partibus Rheni, velociter evocatus, in cujus abſentia præfatus Rex ſperabat ſe ſui propoſiti deſiderium adipiſci. Rex itaque ſæpe fatus cernens animoſitatem Ducum & Bavaricæ gentis, timuit congredi cum illis, & in feſto ſancti Bartholomæi Apoſtoli, quod tunc occurrerat in ſexta feria, treugis per illam diem petitis & impetratis, in nocte ac ſubſequenti ſabbato fugit cum ſuis omnibus verſus Müldorff, ubi dum vexilla victricia nobilium Ducum dorſa fugientium ſequerentur, pons ibi per Oenum fluvium trajectus, ſtrepitum tot hominum & equorum, certatim & impetuosè tranſire volentium ferre non valens, ſub hoſtibus ruit, & ſic plurimi ſunt ſubmerſi. Videbantur ibi electi milites in equis & armis natantes, quorum aliqui tranſierunt, aliqui adverſæ partis littori viciniores, dum applicare nituntur, volentes ſe potius captivitati dare quàm morti, per lanceas & ſagittas littus tangere prohibentur. Sed & hi qui remanſerant circa flumen, receperunt ſe in ſuburbio, ſub terra quadam, fugere non valentes; qui omnes cum armis & equis optimis per indignationem ſubitam Domini Ludwici Ducis incendio ſunt cremati. Tunc itaque in aqua & igne quaſi quadringenti homines perierunt, reliqui ferè omnes, præter Regem, qui cum nobilioribus jam tranſierat, in prædicto oppido ſunt incluſi. Inter obſeſſos autem hi fuerunt nobiles de Bohemia, Wocho de Roſenberch, Zimlo de Luechtenburch, Wichardus de Tyrnach, Schatzla de Fridlam, Wilhalmus de Gordebratt, Ibis de Schechnum, Beneis de Valchenſtein, Burchardus

(b) F. *Fraunhoven. Vehdbrief.*

de

Digitized by Google

de Clinberch, Ulricus Pincerna de Ellenbogen, Genezo Burchgravius de Gratzinil frater Wochonis, Haur cognatus Wochonis, Dlohomil de (a) Nabetzden, Styborius dictus Caput, Ulricus de Rosental: De Austria vero Albertus & Heinricus de Chunring, Ulricus de Lobenstein, Ulricus de Capella, Ludwicus & Albertus (b) de Zelking, Sighardus dictus Piber; qui cum aliis omnibus nono die obsidionis eorum, per clementiam Ducum prædictorum, sub quadam forma compositionis, cum equis & rebus quas tunc habebant, ad propria sunt remissi. Heinricus Babenbergensis Episcopus obiit. XIV. Kalendas Octobris, cui succedit Bertoldus Comes de Leiningen, ejusdem Ecclesiæ Canonicus.

Sæc. XIII. Anno 1300.

(a) F. de Nabzen, Styborius.
(b) Zelkingarii.

(c) M. CC. LVIII. (c) F. 1259.

Chunradus Frisingensis Episcopus obiit xv. Kalendas Februarii, cui succedit Chunradus Wildgravius ejusdem Ecclesiæ Canonicus. Domina Elizabeth Ducissa Bavariæ peperit filiam in secunda vespera sancti Gregorii, quæ vocata est Elizabeth. Gebhardus Comes de Hirtzberg, quia priori anno bonus adjutor fuerat Ducum Bavariæ contra Bohemos, Dominam Sophiam ipsorum Ducum sororem, egregiæ formæ fæminam ducere meruit in uxorem. Eclipsis Lunæ facta est. xv. Kalendas Junii. D. Ludwicus construxit castrum in Geiersperch contra Ratisponenses, quod postea destrui permisit magnæ pecuniæ interventu. Albertus Ratisponensis Episcopus pro quibusdam criminibus apud Sedem Apostolicam accusatus, cùm se defendere non posset, cessit; eique frater Albertus de ordine Prædicatorum subrogatur. Meinardus Comes Goriciæ duxit in uxorem Dominam Elizabeth, sororem Ludwici & Heinrici Ducum Bavariæ, relictam scilicet Chunradi Regis, in octava sancti Michaëlis apud Monacum nuptiis celebratis, Domina Agnete matre prædictorum tunc apud filiam suam Sophiam Comitissam de Hirtzperch manente, quæ priori feria quarta peperit filium nomine Gerhardum.

M. CC. LX.

Dominus Ludwicus Palatinus Rheni Dux Bavariæ duxit Dominam Annam, filiam Chunradi Ducis Poloniæ, in uxorem. Eodem anno ab Alexandro Papa subscripta epistola est transmissa.

Alexander Episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiscopo Salzburgensi ejusque Suffraganeis, nec non & dilectis filiis Abbatibus, aliisque Ecclesiarum Prælatis, ordinariam in subditos obtinentibus potestatem, per Saltzburgensem Provinciam constitutis, tam exemptis quam non exemptis, salutem & Apostolicam benedictionem. Si verè quod dicitur, pastores ovium *Christi* sumus, non impavidè ferre possumus terribiliter intonantia nostris sensibus contra pastoralis curæ negligentiam sacrarum oracula scripturarum, quæ determinata Dominici gregis in præsidentium desidiam retorquentes, minaciter inclamant, pereuntium sanguinem de Præpositorum manibus exigendum. Quis nostrum non contremiscat & paveat, dicente ad pastoris gregis sui Domino per Prophetam: Dispersistis gregem meum, ejecistis & non visitastis eos, ecce ego visitabo super vos vestrorum malitiam studiorum? Pavet utique ad hos increpationis interminationisque divinæ sermones idem ipse Propheta, dum dicit: A facie Domini & à facie sanctorum verborum ejus conturbatum est cor meum, in medio mei contremuerunt omnia ossa mea. O formidolosa speculatorum, quos populo dispensatio divina præposuit, & periculosa conditio, si perfunctoriè res agatur, si eo modo in solicitudine commissa non militent, quo summus præcipit imperator, si sibi & universo gregi, cui eos Deus custodes & Episcopos constituit, non attendant. His præcipuè horrendum erit illud humanorum operum finale judicium, omnibus in commune tremendum, in quo etsi unusquisque de proprii corporis actionibus districto sit subjiciendus examini, ut recipiat prout gessit, nobis tamen, quibus Papalis cura commissa est, non sufficiet propria innocentia sine cumulo justitiæ subditorum, quando negligentis ministri pigritiam per consequens austerus injunctæ servitutis exactor delicta plebis impinget reatui Prælatorum. Si enim qui de unico talento sibi credito satis fœnoris non reportabit augmentum, tanquam inutilis servus & piger justæ damnationis periculum sustinebit; quàm durum, putatis, judicium fiet illi, qui commissum sibi pluralem numerum viventium talentorum non solum integrum neglexerit reddere creditori, verumetiam in illa districtione probabitur damnum Domino suo in bonis, quæ ab ipso multiplicanda susceperat, intulisse. Propterea fratres & filii, qui fasces Pontificalis officii & Ecclesiastici ministerii subeundo, defixistis pro animabus creditis apud extraneum manus vestras, festinate, quæsumus, liberari ab illo, qui supremus est actor & judex, nullum nobis de allegationis nitore præsidium relicturus. Discurrite, nec cessetis, ne fiant animæ vestræ pro illis, quos in custodiam sub tanto vadimonio suscepistis. Excitet vos summi Pastoris amor, qui nos pascendis rationalibus ovibus dedicavit. Exterreat corda vestra & corporis somnum depellat ab oculis metus periculi, eis procul dubio, qui supra greges suos vigiles non observant

Alexandri IV epistola adversus sacerdotes concubinarios.



Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1300.

excubias, imminentis. Sed ecce lethalis incuriæ ſopor paſtoralis vitæ vigilantiam, quod gementes dicimus, oppreſſiſſe videtur in plurimis, prout teſtatur nimia de pleriſque regionibus clamans Chriſtiani populi corruptela, quæ cùm deberet ex ſacerdotalis antidoti curari medelis, invaleſcit, proh dolor, ex malorum contagione, quod procedit à clero, ita ut alicubi verum ſit quod ex Prophetica querela teſtatur: Factus eſt, inquiens, ſicut populus ſic ſacerdos. Malitiam namque dierum labentium, quæ cum tempore corrupit & mores, dante quàm plurimis ex impunitate audacia ſemper in deteriora proclivem infrenis licentiæ libertatem, nonnulli clerici præcipiti lubricæ voluptatis arbitrio laxas committentes habenas, poſt carnis ſuæ concupiſcentias abierunt, & relegata pæne penitus à converſatione vitæ ſuæ clericalis mundicie, honeſtate, tenent etiam in conſpectu populi concubinas, cum quibus impudicæ frontis irreverentiam induentes, fœdas manus & fætidas, quas ſordidis libidinoſæ coinquinationis fœtibus immiſerunt, non erubeſcunt in ſuum periculum & ruinam populi ſacris miniſteriis immiſcere, à quibus, ob publici concubinatus inſaniam, quæ nulla tergiverſatione ſceleris, vel ſecundum ſcita Canonum tàm quoad ſe quàm ad alios ſunt ſuſpenſi, & ne quis talium Miſſam audire præſumat, arctius in eorum contemptum Canonicæ auctoritatis conſtitutio interdicit. Per tales maximè nomen Domini blaſphematur in terris; per tales derogatur Sacramentis fidei orthodoxæ, cum vaſa Domini pollutis eorum manibus prophanantur: Per tales ergo perdit religionem Catholica devotio reverentiæ Chriſtianæ: Per tales decipitur populus in divinis, & Eccleſiaſtica ſubſtantia diſſipatur. Hinc detrahitur verbo Dei, dum immundis labiis talium nunciatur: Hinc hæretici muſſitant & inſultant: Hinc Tyranni ſæviunt: Hinc perfidi perſequuntur: Hinc graſſantur audacius in Chriſti patrimonio ſacrilegi exactores, à quibus, proh pudor, ob hujuſmodi carnes putridas, quas diſciplinalis mucro non reſecat, ſicut decet, ſincerum catholicæ matris corpus in oſtentum ducitur & contemptum. Profectò patres, qui hujuſmodi filios ſub diſſimulationis conniventia fovent impunè, etiamſi cum Heli ſacerdote ſunt boni, forſitan, in ſeipſis, merito pro conſimilis negligentiæ malo, repentina patriæ interitus ruina dejiceret de ſella retrorſum. Eccleſiæ quoque Principes, qui zelo Phynees ardenter non feruntur in tales, ſine cauſa videntur portare gladium poteſtatis, quem ad vindictam malorum, laudem vero bonorum deſuper acceperunt. Nos igitur cupientes tantum malum de medio Eccleſiæ, tantumque ſcandalum ab oculis fidelium removere, univerſitatem veſtram rogamus, monemus & hortamur, auctoritate vobis per Apoſtolica ſcripta in virtute injungentes, ac vos ſingulos ſub obteſtatione tam judicii ſingularis, quo quiſque citatur ad Dominum de corpore mortis hujus, quam judicii generalis, in quo univerſi ſtabimus ante tribunal æterni judicis, obſecrantes, quatenus in vobiſmet ipſis curetis oſtendere, quam piè ad Dominum, quam ſanctè ad ſeipſos, quam juſtè ad proximos oporteat cæteros in Dei Eccleſia converſari. Totius namque familiæ ſtatus & ordo vacillat, ſi quod requiratur in membris, in eorum capite non habetur, & in ejus ore adverſus peccantes neceſſe eſt redargutionis objurgatio conticeſcat, qui admittere cognoſcitur arguenda. Qua enim fronte fieri quis poterit morbi curator, dum languore conſimili detinetur; aut ſectator virtutum, dum ſectator oſtenditur vitiorum? Ad inquirendos autem ac puniendos ſubditorum veſtrorum exceſſus, & maxime incontinentiæ fœditates in clericis, præſertim concubinariis manifeſtis, qui odorem fœtere faciunt domus Dei, tanto ferventius aſſurgatis, quanto damnabilius præteriretis eorum contagia incorrecta. Verum ut adverſus concubinarios hujuſmodii officii noſtri debitum tam auctoritate noſtra quam veſtra liberius exequi valeatis, nos predeceſſorum noſtrorum attendentes veſtigia & plenius exprimentes, ſuper hoc proceſſus veſtros per appellationis objectum volumus aliquatenus impediri. Si vero hujuſmodi concubinarii quorum culpas contigerit canonica diſtrictione feriri, ſuper appellatione aut abſolutione vel reſtitutione ſua literas Apoſtolicas reportarint, illas niſi forſitan in eis appellationis aut excommunicationis ſeu amotionis ſuæ hujuſmodi cauſam expreſſerint manifeſtè, decernimus nullius eſſe momenti, ſed eis vel proceſſibus per eas habitis nequaquam obſtantibus, cenſura veſtræ animadverſionis in tales inviolabilem obtineat firmitatem. Preces autem, monita, mandata, & præcepta noſtra ſuper his taliter implere curetis, quæ converſationis honeſtas in clero, & devotionis antiquæ ſynceritatis in populo per ſolicitudinis veſtræ diligentiam reformentur. Cumque Princeps paſtorum advenerit, ab uno quoque noſtrum fructum injuncti negocii quæſiturus, coram ipſo appareatis intrepidi & dignam ſibi poſſitis villicationis veſtræ reddere rationem. Volumus autem atque precipimus, ut tu, frater Archiepiſcope, Suffraganeis tuis & aliis Prælatis tuæ Provinciæ has literas ſine moræ diſpendio facias præſentari, ut ſuper præmiſſis præceptum noſtrum exacta diligentia exequantur. Datum Idus Febr. Pontific. noſtri anno V.

Ottakerus Rex Bohemiæ, Dux Auſtriæ, dolens quod aliquando coactus eſſet à Bela Rege Ungariæ relinquere ſibi Ducatum Styriæ, congregato valido exercitu caſtra metatus

Digitized by Google

tatus est circa fluvium (a) Marcha, ubi cum Stephanus junior, Rex Ungariæ, ex altera parte fluminis sibi occurreret, cum exercitu suo transitum ei fluminis impedivit. Tandem post plures dies Otaker Rex Bohemiæ, pro commodo equorum & hominum volens ad superiores partes fluminis se transferre, Stephanus Rex putans ipsum velle fugere, insecutus est eum, & congressione facta, apud villam quæ (b) Chressinprunnen dicitur, victi sunt Ungari; Ubi Stephano Rege vulnerato, de parte sua plurimi sunt submersi. Ex parte etiam Otakeri Regis multi ferro & sub armis calore nimio perierunt; factum est enim hoc bellum Feria secunda in die sanctæ Margaretæ virginis, æstu maximo existente. Eidem etiam Otakero Regi Bohemiæ (c) prius, videlicet in festo sanctorum Joannis & Pauli tristem obtulerat se fortuna. Nam cum decem vel plura millia hostium insultum facerent in Austriam circa castrum quod (d) Steutz dictum, duo fratres sanguine nobilissimi, juvenes electi, Otto videlicet Comes de Hardekke, & Chunradus Comes de Plain, ac cum (e) ipsis Chrafto de Sleunz, Chadoldus dictus Orphanus, quasi cum quadringentis viris, eis incautè occurrerunt, quibus ferè omnibus occisis, pauciſſimi evaserunt. In morte quoque prædictorum Comitum ipso die periit successio illius nobilissimæ progeniei de Plain; quia sine hæredibus decesserunt. Otakerus itaque Rex obtenta tali victoria progressus cum exercitu Ungariam, abinde post paucos dies sub quadam forma compositionis recedit, Ducatu Styriæ cum civitate Bittonia, quam adhuc Ungari tenebant, *sibi* plenariè restituto.

Sæc. XIII. Anno 1300.

(a) F. Mussthin.
(b) al. Kressenbrunn.
(c) F. post.
(d) F. Stentz.
(e) F. Episcopis Chrafto de Schleinitz, Conradus dictus Orphanus quasi cum trecentis.

His etiam diebus surrexerunt quidam pœnitentes, qui flagellatores dicebantur, qui primo pauci numero à Perusio, civitate Tusciæ, processum habuisse feruntur, quorum sectam non solum tota Italia, sed & regiones plurimæ sunt secutæ, ita quod eam imprimis sibi multi nobiles & mercatores, postea rustici & (f) privati assumpserunt. Erat enim modus ipsius pœnitentiæ ad patiendum durus, horribilis & miserabilis ad vivendum; Nam ab umbilico sursum corpora denudantes, quandam vestem, partem corporis inferiorem usque ad talos tegentem, habebant, & ne quis eorum agnosceretur, cooperto capite & facie incedebant. Procedebant etiam bini, terni, tanquam clerici, vexillo prævio vel cruce, flagellis semetipsos bis in die per XXXIII. dies, & deinde in memoriam temporis humanitatis Domini nostri *Jesu Christi* super terram apparentis, tamdiu cruciantes, quousque ad quasdam cantilenas, quas de passione ac morte Domini dictaverant, duobus vel tribus præcinentibus circa Ecclesiam vel in Ecclesia compleverunt, nunc in terram corruentes, nunc ad cœlum nuda brachia erigentes, non obstante luto vel nive, frigore vel calore. Miserabiles itaque gestus ipsorum & dira verbera multos ad lacrimas & ad suscipiendam eandem pœnitentiam provocabant. Sed quia origo ejusdem pœnitentiæ nec à sede Romana, nec ab aliqua persona auctorabili fulciebatur, à quibusdam Episcopis & Domino Heinrico Duce Bavariæ cœpit haberi contemptui, unde tepescere in brevi cœpit, sicut res immoderatè concepta.

Pœnitentes.

(f) al. parvi.

## M. CC. LXI.

Domina Elysabeth Ducissa Bavariæ peperit filium in proxima nocte, post festum sanctæ Scholasticæ virginis, quem Dominus Heinricus Dux nominari fecit Ottonem. Eodem anno Dominus Alexander Papa direxit literas Regibus, & Ducibus, Archiepiscopis, & Episcopis, ac universis Principibus Christianis, hortando ipsos, ut contra horrendam rabiem Tartarorum consiliis & armis se præmunire deberent. Nam iidem Tartari, devictis jam & deletis omnibus Regibus & regnis Saracenorum in partibus transmarinis, Antiochiæ, Akaron ac aliis Christianorum Provinciis terrorem tam validum incusserunt, ut ad dictos Papam & Reges supplices & frequentes legationes dirigerent pro succursu. Unde cum super hoc negocio consilium in Octava Apostolorum Petri & Pauli habendum in Viterbio condixisset, ipse Papa, VIII. Kalendas Junii diem clausit extremum, cui successit Jacobus Patriarcha Jerosolymitanus, & dictus est Urbanus IV. (a) Otaker Rex duxit Kunigundam filiam Regis Russiæ, neptem Belæ Regis Ungariæ ex filia Domina Margareta uxore sine judicio Ecclesiæ repudiata, & unà cum ipsa insequenti festo Natalis Domini regali diademate coronatur à Bernhero Archiepiscopo Moguntino. Frater Albertus Ratisponensis Episcopus, fugiens tam magnam curam animarum, Domino Urbano Papæ offert voluntariam cessionem, cui succedit Dominus Leo ejusdem Ecclesiæ Canonicus.

## M. CC. LXII.

Domina Elizabeth Ducissa Bavariæ peperit filium in vigilia sancti Matthiæ, qui dictus est Heinricus.

(a) Fuere tantum octo Cardinales, Viterbii, ubi Pontifex obierat, commorantes. Ex iis unus, natione Hungarus, in patriam remeaverat. Cæteri ambitione abrepti de successore convenire non potuerunt. Accessit ibi forte fortuna Episcopus Tuicensis è Gallia, qui etiam Hierosolymorum Patriarcha dicebatur, Ecclesiæ suæ res acturus, & post breve tempus eligitur extra collegium, fuitque *de petitore concessor, de subdito dominus, de filio Pater*, ut loquitur Anonymus apud Rainaldum ad an. 1261. Obiit an. 1264. BASN.



Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1300.

(a) M. CC. LXIV.

In Octava ſanctæ Agnetis ventus tam validus eſt exortus, ut non ſolum ædificia plurima ſubverteret, ſed etiam proſternendo multas arbores magnum damnum faceret in nemoribus & in ſylvis.

(a) V. 1263. Eodem anno in menſe Julio & Auguſto apparuit ſtella quædam, quæ à ſe miræ altitudinis & longitudinis radios emittebat: Hanc ſtellam dicebant eſſe Cometam.

Eodem anno in Autumno Dominus Premizl Rex Bohemiæ, qui & Otaker, copulavit filiam ſororis ſuæ, videlicet filiam Ottonis Marchionis de Brandeburch, Belæ juniori Regi Ungariæ.

Urbanus Papa moritur in menſe Octobris, & apud Peruſium ſepelitur.

M. CC. LXV.

Dominus Guido, quondam miles uxoratus, habens duas filias per uxorem; poſtèa factus Epiſcopus Podienſis, ac poſtmodum Archiepiſcopus Narbonenſis, & ſubſequenter Sabinenſis Epiſcopus Cardinalis, III. Nonas Februarii eligitur in Romanum Pontificem, & dictus eſt Clemens Papa quartus: qui per incrementa virtutum, quæ in ipſo primitus floruerunt, provectus eſt ad tanti nominis dignitatem. Otto Patavienſis Epiſcopus obiit quarto Idus Aprilis, vir piiſſimus & pater cleri, qui non bellator, ſed diligens pacem, Eccleſiam ſibi commiſſam honoribus & divitiis plurimum ampliavit; In cujus locum primo poſtulatus Dominus Welopizlaus, poſtea Saltzburgenſis electus, Dominus Petrus à Domino Papa ſubſtituitur.

Et quam bene ac mirabili modo utrique Eccleſiæ, videlicet Saltzburgenſi & Patavienſi à ſede Apoſtolica ſit proviſum, in ſubſcriptarum patet ſerie literarum.

(b) In catalogo Epiſcoporum Saltzburgenſium apellatur Wodezlaus. Bas. Clementis IV. epiſtola de Vodeſlao.

Clemens, Epiſcopus ſervus ſervorum *Dei*, dilecto filio Welodizlao (b) electo Saltzburgenſi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Romana Eccleſia, cui divina inſcrutabilis altitudo diſpoſitione incommutabili præcipuum contulit ſuper cæteras Magiſtratum, pium ad cunctas alias in hujus orbis latitudine conſtitutas Eccleſias materna proviſione habens reſpectum, laudabili ſtuduit hactenus obſervantia cuſtodire, ut de illis potiſſimam curam gerens eis, opportunitatis tempore occurrente, congrua ſubventionis non differret conſilia tam libenter quam liberaliter exhibere. Nos etiam, qui licet inſufficientibus meritis in ſublimi culminis Apoſtolici ſpecula ſumus, diſponente Domino, conſtituti, prædeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum in hoc veſtigiis inhærendo prædictas Eccleſias tam proximas quam longè poſitas paternæ conſiderationis oculis intuentes, injunctum erga ipſas ſolicitudinis noſtræ miniſterium, circumſtantiis univerſis ac variis perſonarum, rerum, locorum & temporum, emergentibus neceſſitatum articulis diligenter inſpectis, quantum nobis ex alto permiſſum fuerit, ita vigilanter intendimus exercere, ut nihil prorſus in ſpiritualibus vel temporalibus deſit ibi, quod per diligentiæ noſtræ ſtudium poſſit aut debeat procurari. Et quamvis miniſterii hujuſmodi debitum circa ſingulas Eccleſias exſolvere cupiamus, erga illas tamen, quæ viduitatis deplorant incommoda, ut videlicet ipſis de paſtoribus juxta cor noſtrum idoneis cœli providentia utiliter conſulatur, curis continuis, eoque anxiis attingimur inſultibus, quod ſucceſſivis eo inſtantius propulſamur, quo ipſæ dum vacant, periculis ſubjacentes majoribus, potiori noſcuntur Apoſtolico ſuffragio indigere. Sanè venerabilis frater noſter Ulricus, quondam Saltzburgenſis Archiepiſcopus, rectæ conſiderationis meditatione advertens, quod ipſe qui jam vergens in ſenium, multa proprii corporis debilitate gravari dicitur in commiſſo ſibi plebis gubernaculo, variis de cauſis ſe fructuosè gerere, ſicut erat expediens, non valebat, ac proprium & ſubditorum periculum reformidans, zelo charitatis, quo erga Eccleſiam ſuam vigebat, inductus, ne occaſione ſuæ impotentiæ gregem ſuum inimicus inſidiator invaderet, vel Eccleſiæ Saltzburgenſi utilitatibus per diſpenſatoris invalitudinem forſitan deperiret, ipſius Eccleſiæ regimine elegit ſponte cedere; per literas & nuncium ſpecialiter ſupplici à nobis depoſcens inſtantia, ut ceſſionem ipſius, quam ſic offerebat ſpontaneus, de benignitate Apoſtolica recipere dignaremur. Nos autem tam ipſius Archiepiſcopi quieti & commoditatibus providere, quam ejuſdem Eccleſiæ occurrere periculis opportuna diligentia intendentes, ceſſionem ipſius duximus admittendam. Per hujuſmodi vero ceſſionem in manibus noſtris factam, eadem Saltzburgenſis Eccleſia paſtore vacante, ordinationem illius nobis ſpecialiter reſervantes, inhibuimus expreſsè capitulo Saltzburgenſi, ne ad electionem ſeu poſtulationem aut nominationem aliquam procederent de Archiepiſcopo illa vice: ac decrevimus nihilominus irritum & inane, ſi quid contra inhibitionem hujuſmodi contingeret attentari. Et demum de ſalubri proviſione ipſius Saltzburgenſis Eccleſiæ ſolicitè cogitantes, poſt exactæ deliberationis examen, decens ac neceſſarium nihilominus & expediens fore vidimus, ut eadem Eccleſia titulo nobilitatis inſignis, quæ currentium dierum faciente malitia multis eſt diſcriminibus expoſita, variis conquaſſata moleſtiis, graviterque in temporalibus diminuta, & enormiter in ſpiritualibus deformata,

Digitized by Google

mata, nobilis decore ſponſi, ac utilis ornaretur, cujus potentia & providentia circumſpecta, damna reſarciantur, ipſius regantur directa, & indirecta in debitam rectitudinis ſemitam dirigantur, Eccleſiaſtica defenſetur libertas, cleri ſtatus reddatur tranquillior, & commodis ſalutis & gaudii plebs lætetur. Unde nos laudabiles actus tuos, quibus de virtute in virtutem proficiens in oculis hominum à tuæ juventutis primitiis te gratum reddere ſtuduiſti, delectabiliter in animo revolventes, ac de redolentis tuæ famæ ſuavitate, quæ publico prædicatur teſtimonio, quod claram ſereniſſimorum tuorum nobilitatem natalium, ſtudiis ac operibus nobilitare ſatagis virtuoſis, odorem acceptabilem ſentientes, in te generoſum ac benedictionis filium direximus oculos mentis noſtræ. In quo te ipſi Saltzburgenſi præficiendo Eccleſiæ noſter non indignè ſpiritus requievit, ſpem grandem ac fiduciam obtinentes, quod cum ſis multorum principum conſanguinitate & affinitate ſubnixus, litera ſufficienti dotatus, gratus moribus, converſatione placidus, vitæ honeſtate conſpicuus, aliiſque virtutibus multipliciter inſignitus, in ſpiritualibus nihilominus providentiam ac in temporalibus diſcretionem obtinens, Eccleſia eadem per tuam potentiam & circumſpectionem fructuoſam ab inſtantibus periculis efficaciter eruetur, à futuris præſervabitur ſalubriter; & non ſolum in ſuis bonis juribus, immunitatibus, & libertatibus magnificè defenſabitur, verum etiam optatæ fælicitatis & proſperitatis augmentum ſpiritualiter & temporaliter ad pacem & bonum ſtatum ſubditorum ſibi cleri & populi divina favente clementia conſequetur. His itaque digna meditatione penſatis, Eccleſiæ prælibatæ, cujus in hac parte profectum potiſſimè attendimus, ſpeciali volentes diligentia providere, de fratrum noſtrorum conſilio & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine in nomine Domini, non obſtante defectu, quem in ordinibus pateris, & ætate, te tunc Præpoſitum Wiſegradenſis Eccleſiæ, capellanum noſtrum, prælibatæ Saltzburgenſi Eccleſiæ in Archiepiſcopum præfecimus & paſtorem, curam & adminiſtrationem illius tam circa ſpiritalia quam temporalia tibi totaliter committentes. Quapropter diſcretionem tuam rogamus, monemus attentius, & hortamur per Apoſtolica ſcripta, tibi in virtute obedientiæ diſtrictè præcipiendo mandantes, quatenus tibi onus à Domino impoſitum reverenter ſuſcipiens ad commiſſam tibi Eccleſiam cum plena noſtræ gratia benedictionis accedas, & illius commiſſum tibi regimen ſic prudenter & utiliter exequaris, quod ipſa tuo ſalubri miniſterio gubernetur fæliciter ac proſperè dirigatur, tuque velut paſtor ſolicitus gregis Dominici tuæ cuſtodiæ deputati vigilem curam gerere comproberis, ex quibus clara tui fama nominis extendatur latius, & erga perſonam tuam benevolentia noſtræ ſyncéritatis dignè de bono in melius augeatur. Datum Peruſii IV. Idus Novembris. Pontificatus noſtri anno primo.

Sæc. XIII. Anno 1300.

Clementis Epiſtola de Petro Patavienſi Epiſcopo.

Clemens Epiſcopus, ſervus ſervorum *Dei*, dilecto filio Petro, electo Patavienſi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

In ſupremæ ſpeculationis vortice, cui nos, licet indignos, Apoſtolicæ dignitatis gradus prætulit, conſtituti, de variis immenſisque negociis jugiter emergentibus ſolicitudinis Apoſtolicæ ſtudio dirigendis continua reddimur attentione ſoliciti, ne diligentiæ noſtræ miniſterium videatur deeſſe, ubi paſtorale tenemur injunctum nobis officium exercere. Inter quæ de ſtatu proſpero ac ſalubri Eccleſiarum omnium ubilibet poſitarum, curæ noſtræ ſpecialiter, ſuperna diſponente clementia, commiſſarum, aſſiduè cogitamus & profundis vigiliis excitamur, ut aliquid penitus non deſit inibi, quod ad ipſarum utilitatem per nos valeat procurari. Specialiter autem ad illas, quas viduitatis incommodo deplorare conſpicimus, noſtrum animum convertentes in hoc præcipuè noſtra ſedulitas officioſa verſatur, ut eædem de perſonis ſecundum cor noſtrum idoneis celeriter ordinentur, ad quod eo inſtantius vigilamus, quo ad id ex ſuſceptæ adminiſtrationis cura ſpecialius obligamur, & quo Eccleſias ipſas per vacationem illarum diutinam majoribus ſpiritualiter & temporaliter exponi diſcriminibus intuemur. Sane Patavienſis Eccleſia paſtoris ſolatio deſtituta, dilecti filii Capellani ejuſdem Eccleſiæ pro futuri electione Pontificis, ut eſt moris, die ad eligendum præfixa convenientes in unum, Spiritus ſancti gratia invocata, dilectum filium Welodizlaum, nunc Saltzburgenſem electum, tunc Capellanum noſtrum, & Eccleſiæ Wiſegradenſis Præpoſitum, in eorum Epiſcopum unanimiter & concorditer poſtularunt, & poſtulationem hujuſmodi præſentantes, illam admitti cum inſtantia poſtularunt. Nos quidem poſtulatæ perſonæ, de cujus probitate multa laude digna relata nobis fuerant, nec non & de illius meritis certam volentes notitiam obtinere, eundem electum ad noſtram duximus præſentiam evocandum, qui velut obedientiæ filius ſe noſtro conſpectui præſentavit. Licet autem poſtmodum inſpecta electi ejuſdem laudabilium copia meritorum, de quibus tam per communis famæ præconium & multorum fide dignorum laudabile teſtimonium, quàm etiam per experientiam facti nobis evidenter conſtitit, poſtulationem prædictam velut de perſona ſufficienti & idonea canonice celebratam deliberaſſemus admittere; Interim tamen venerabili fratre noſtro Ulrico, quondam



Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1300. Saltzburgenſi Epiſcopo, pro eo quod ipſe in commiſſo ſibi plebis gubernaculo variis de cauſis ſe utiliter gerere, ſicut erat expediens, non valebat, ceſſionem ſuam Archiepiſcopalis regiminis nobis per ſpeciales literas & nuncium offerente, illamque à nobis admitti cum inſtantia poſtulante, nos tam ipſius Archiepiſcopi quieti & commoditatibus providere, quàm Saltzburgenſis Eccleſiæ occurrere periculis, opportuna diligentia intendentes, ceſſionem ipſius duximus admittendam. Recepta hujuſmodi ceſſione, nos attendentes, quod nobilis Eccleſia ipſa, quæ currentium dierum faciente malitia multis periculis eſt expoſita, virtuoſi ac potentis indigebat cura Rectoris, ipſum electum eidem Saltzburgenſi Eccleſiæ in Archiepiſcopum præfecimus & paſtorem. Demum vero ne præfata Patavienſis Eccleſia, quæ præpoſiti paſtoris carebat ſolatio, prolixioris vacationis detrimenta ſentiret, ſtudiosè vacavimus ad exquirendum virum talem, qui ad ipſius Eccleſiæ regimen idoneus haberetur, unde nos ad perſonam tuam, quam noſtræ benevolentiæ plenitudinem aſſecutam odor famæ nobis reddit acceptam, cum ſufficiens tibi literarum ſcientia ſuffragetur, & habearis vir vitæ laudabilis & converſationis honeſtæ, morum honeſtate decorus, diſcretionis maturitate conſpicuus, clarus meritis & aliàs in ſpiritualibus & temporalibus circumſpectus, noſtræ conſiderationis dirigentes intuitum ac ſperantes, quod virtutibus deſurſum tibi traditis inſignitus, ipſam Patavienſem Eccleſiam fœliciter dante Domino gubernabis, ipſaque utilis gubernationis munita præſidio ſalubriter præſervabitur à noxiis, & optatis proſperitatis affluet incrementis; in nomine Domini te tunc Eccleſiæ \ ratizlavenſi Canonicum ipſi Patavienſi Eccleſiæ, de fratrum noſtrorum conſilio & Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, præfecimus in Epiſcopum & paſtorem. Ideoque diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta in virtute obedientiæ firmiter præcipiendo mandamus, quatenus impoſitum tibi onus à Domino ſuſcipiens reverenter ad commiſſam tibi Eccleſiam cum gratia noſtræ benedictionis accedas, illius amplificandis honoribus, & profectibus procurandis de te ſic reddendo ſolicitum, ut laudabilis famæ tuæ titulus apud remotos & proximos clareat per effectum, & in delectationem nobis veniat, te ſemper & condigna gratia proſequi & tuis deſideriis favorem benevolum impertiri. Datum Peruſii VIII. Kalendas Decembris. Pontificatus noſtri anno primo.

(a) *Ex his verbis & ex ordine continuo, quo noſter m. ſ. hæc conjungit, patet eundem autorem præcedentium & ſequentium eſſe; & quidem Steronem, quem F. hic diſerte apponit & ſejungit quæ noſter m. ſ. conjungit.*

Cometam priori anno viſam multa incommoda ſubſequuntur. In diverſis namque regionibus inter Reges & Principes cædes hominum multæ fiunt. Mortalitas quoque hominum & pecorum non mediocriter eſt ſecuta, ut patebit plenius in (a) ſequentibus.

## (a) M. CC. LXVI.

Tertio nonas Martii facta eſt congreſſio in Apulia inter Karolum fratrem Regis Franciæ, & Manfredum Regem Siciliæ; & Manfredus devictus occubuit. Eodem anno bellum magnum factum eſt in pago Wirtzburgenſi VI. Idus Auguſti, inter Hermannum Comitem de Hennberg & Wirtzburgenſes, ubi iidem cives victores cum ſuis fautoribus extiterunt. Tunc etiam Otakerus Rex Bohemiæ inimicitias, jam dudum contra Ludwicum & Heinricum Duces Bavariæ conceptas, totis viribus in arma convertit, adſciſcens ſibi Saltzburgenſem, Patavienſem, Ratiſponenſem civitates cum munitionibus earundem, ex quibus tunc facta ſunt in Bavaria multa incendia, occiſiones hominum & rapinæ. Ipſe quoque in menſe Auguſto cum multis millibus armatorum verſus Champ Bavariam intravit, deſtruens (b) Regenſtaph & Nitnau, & alia caſtra, in quibus per incendium & jacula ſagittarum magna periit hominum multitudo: & morante ipſo per biduum Ratiſponæ, per Egram revertitur in Bohemiam exercitu penuriam victualium patiente. Recedente autem ipſo Rege de Bavaria; Dominus Heinricus Dux, miſſo exercitu ultra flumen (c) Iltſam oppidum in Velden & alias munitiones cum tota provincia ibidem incendio devaſtavit. Subſequenter III. Kalendas Novembris idem Heinricus Dux Bavariæ per portam quandam civitatis Patavienſis, procuratione ſive traditione quorundam per adulterinas claves obtentam, novum forum cum quibuſdam domibus & etiam cellario Canonicorum, ac magna parte civitatis exuſſit, aliquibus ibidem civibus interfectis; totamque civitatem cepiſſet, ſi ſui non fuiſſent propter invaſionem rapinæ & noctis tenebras hinc inde diſperſi.

(b) *F. Regenſtauf & Nitaun.*

(c) *F. Iſam.*

Anno ab incarnatione Domini M. CC. LXVII. Dominus Gwido Cardinalis, Apoſtolicæ ſedis legatus, VI. Idus Maii apud Wiennam concilium celebravit, cui interfuerunt Joannes Pragenſis, Petrus Patavienſis, Bruno Brixinenſis, Chunradus Friſingenſis, Leo Ratiſponenſis, (d) Amultricus Lavendinenſis Epiſcopi, & alii quam plures de ipſis diœceſibus Prælati, Archidiaconi, & Decani. Tunc etiam in priori Dominica factus eſt terræ motus, ita ut in multis etiam locis ruinam ædificia paterentur. Otakerus Rex Bohemorum & Heinricus Dux Bavariæ rurſus per pacis oſculum

(d) *Amalricus Lavadinenſis.*

(a) Hinc incipiunt Annales Steronis à *Marquardo Frehiro* editi inter Hiſtoricos Germaniæ. BASN.

Digitized by Google

lum ad concordiam redierunt. Et Elizabeth Ducissa Bavariæ V. Idus Junii peperit filiam, quæ baptizatur à Leone Episcopo Ratisponenfi, & vocata est Katherina. Subsequenter Dominus Wladizlaus apud Saltzburch in Dominica Trinitatis in Archiepiscopum consecratur. Idibus Septembris natus est Ludwico Duci filius, qui vocatus est Ludwicus. SÆC. XIII. ANNO 1300.

## M. CC. LXVIII.

Chunradus Rex, invitatus diu à Lombardis & Apulis, priori anno Italiam ingressus, adhærentibus & faventibus sibi plurimis civitatibus, Romam ingreditur, ubi gloriosè tanquam Imperator cum magno tripudio suscipitur, Domino Papa tunc apud Viterbium existente. Post hæc versus Apuliam progreditur cum exercitu, ac habito conflictu cum Karolo Rege, victus & captus est apud Neapolim, jussu prædicti Karoli decollatur IV. Kalendas Novembris feria secunda. Cum ipso etiam tunc decollatus est Fridericus Dux, filius Hermanni quondam Marchionis de Baden, Ducis Austriæ, de quo spes non modica fuerat, quod deberet aliquando paternos Ducatus, Austriæ videlicet & Styriæ obtinere. Deinceps Karolus memoratus, tanquam duobus Regibus, Manfredo scilicet, filio Friderici Imperatoris, & Chunrado, fratruele ipsius Manfredi victis & occisis, regno Siciliæ liberè potitur, defensionis Ecclesiæ de plurimis habens laudem.

Subsequenter in eodem mense Novembri, in die sancti Chrysogoni, moritur Clemens Papa, qui quoniam in Papatu nunquam Romam intraverat, in loco ubi jam diu steterat, videlicet in Viterbio sepelitur. Exhinc sedes Romana diu vacare cœpit propter discordiam Cardinalium, qui permittente Domino ad malum totius Christianismi, in eligendo pastorem Ecclesiæ Catholicæ non poterant concordare.

## M. CC. LXIX.

In ipso festo Nativitatis Domini tanta facta est inundatio aquarum, quanta nunquam à tunc viventibus visa fuit.

Gregorius Patriarcha Aquilejensis obiit; in cujus locum eligitur Philippus, quondam Saltzburgensis electus, frater Ulrici Ducis Karinthiæ. Quo Ulrico post hæc in brevi sine hæredibus defuncto, memoratus Philippus sibi eundem Ducatum tanquam verus hæres ipsius attrahere attentabat; sed per Otakeri Regis Bohemiæ potentiam impeditur. Heinrico Duci Bavariæ nascitur filius in die sancti Dionysii, qui vocatus est Ludwicus.

## M. CC. LXX.

Wladizlaus Archiepiscopus Saltzburgensis obiit, cui subrogatur Fridericus ejusdem Ecclesiæ Præpositus. Bela etiam Rex Ungariæ, frater videlicet sanctæ Elizabeth, & pater Elizabeth Ducissæ Bavariæ ex hac vita decessit, relinquens filium suum Stephanum Regni successorem. Maria Regina Ungariæ etiam non post longum tempus obiit. Subsequenter etiam in festo Assumptionis beatæ Mariæ, Elizabeth virgo, filia Domini Heinrici Ducis Bavariæ, jam XIII. annum ætatis suæ gerens, in monasterio in Lantshuet habitum religionis assumpsit. In ipsa etiam æstate tanta siccitas fuit ubique, ut fata omnia arescerent; & ex hoc fames maxima est secuta: Attamen vinum in abundantia natum fuit. Ludwicus Rex Franciæ cum Joanne filio suo tunc obiit in partibus transmarinis, relinquens filium suum Philippum regni successorem. Stephanus Rex Ungariæ circa festum S. Thomæ Apostoli, misso exercitu in Austriam, à parte meridiana Danubii illam provinciam devastavit, occisis & in captivitatem abductis plus quam (a) septendecim millibus hominum.

*Waladislaus* apud Frehetum.

Vide infra an. 1273.

(a) F. *Sedecim.*

## M. CC. LXXI.

Otakker Rex Bohemiæ, congregato valido exercitu, infra octavam Paschæ invasit Ungariam, & devictis munitissimis castris, videlicet Presburch, & Altenburch & Tirna, & castro sancti Georgii, ac aliis plurimis munitionibus captis & devictis, circa festum Pentecostes propter consumptionem victualium reverti cogitur in Bohemiam exercitu relaxato. Stephanus autem Rex Ungariæ, missis in Moraviam, & in Austriam Ungaris & (b) Comanis, per incendia & rapinas & multas strages hominum plurima mala gessit. Tandem circa solstitium æstivale per Episcopos & religiosos viros Deum timentes ad inopinatam & subitam pacis concordiam redierunt. Domina Elizabeth, Ducissa Bavariæ, peperit filium II. idus Martii, qui baptizatus ab Hermano Abbate Altahensi, & vocatus est Stephanus. Ipsa vero Ducissa in subsequente autumno IX. Kalendas Novembris diem clausit extremum. Quæ cum esset fœmina virtuosa & omni bonitate præclara, morte sua toti Provinciæ inconsolabilem luctum fecit. Castrum nobilissimum & fortissimum, dictum Starchenberch, in transmarinis partibus Saraceni occupant & expugnant, quod comparavit Ludwicus senior Dux Austriæ.

(b) F. *Cumanensibus.*

## M. CC. LXXII.

Dominus Theobaldus, Archidiaconus Leodiensis, jam priori æstate per formam compromissi in summum Pontificem electus, cum glorioso apparatu in quadragesima intrat

Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1300.

trat Urbem, & ibi in Ecclesia sancti Petri consecratus Gregorium decimum se appellat. (a) Hic fecit unam ordinationem Episcoporum Cardinalium quam plurimum laudabilem, quia honestas & valentes personas assumpsit. Hujus 3. Pontificatus sui anno pro utilitate Terræ sanctæ, quam personaliter visitare intendebat, Lugduni solenne concilium celebravit, in quo Græcorum & Tartarorum solennes nuncii interfuerunt. Græci ad unitatem Ecclesiæ redire promittentes, tunc in signum cujus Spiritum sanctum à patre filioque procedere, Symbolum in concilio solenniter decantando: Nuncii vero Tartarorum infra concilium baptizati ad propria redierunt. Numerus prælatorum qui fuerunt in concilio, sunt 500. Episcopi, 60. Abbates, & alii Prælati 200. Hic in concilio multa bona constituit, videlicet pro subsidio Terræ sanctæ, pro electione summi Pontificis, & pro statu Ecclesiæ universalis. Hujus temporibus Rudolfus Rex Romanorum, & Ludovicus Rex Francorum cum multis latronibus pro subsidio Terræ sanctæ cruce signati sunt. Hic Papa miræ experientiæ, in secularibus non intendebat pecuniarum lucris, sed pauperum eleemosynis.

*Lugduni se Concilium.*

Stephanus Rex Ungariæ circa Kal. Augusti moritur, relinquens duos successores. Tunc etiam Ladislaus, primogenitus ipsius, statim in regni solio collocatur.

In sequenti etiam Autumno tanta innundatio pluviæ erupit, ut parvuli rivi in tam magna flumina subito excrescerent, ut evulsis domibus multis, in submersione pecorum, abductione fœni & avenæ, homines circa valles residentes damna plurima paterentur.

Post mortem prædicti Stephani Regis, quidam Comes Heinricus de Guzzing, qui ab eorum Rege de Ungaria ejectus fuerat, & receptus à Rege Bohemiæ, filiam Domini Zimlonis de Leuchtenburch duxerat in uxorem, dimissâ eâdem uxore, in Hungariam est reversus, & reconciliatus Domino Ladislao, primogenito præfati Stephani Regis, tunc in Regem solenniter coronato. Accidit autem, ut cum Domino Bela Duce de Marsawe, avunculo Regis prædicti, & consobrino Regis Bohemiæ, Comes idem in verba contumelioſa prorumpens, occasione præsumptæ proditionis contra supradictum Dominum Ladislaum, ipsum Ducem Belam in insula apud Budam miserabili nece prosterneret, ita ut membra ipsius in frusta concisa materteræ suæ, videlicet Dominæ consobrinæ, filiæ Domini Stephani Regis, in monasterio ibidem constituto colligerent, ac cum planctu & dolore maximo sepelirent. Ob quam causam Rex Bohemiæ maximo furore commotus, initam olim cum regno Ungariæ concordiam, & ad magnam utriusque partis instantiam, auctoritate sedis Apostolicæ confirmatam, rescindens, nec treugas nec pacem solennibus nunciis Ungarorum postulantibus voluit indulgere, sed in confiniis eos jussit invadi, & statuit cum grandi exercitu ipsum regnum se hostiliter aggressurum.

Dominus Heinricus Monachus Altahensis factus est Abbas Piburgensis.

Ungari & Cumani prævenientes motum prædicti Regis Bohemiæ, post festum Purificationis quasdam partes Austriæ & Styriæ & Moraviæ, sub magna strage promiscui sexus hominum, intraverunt.

Eodem anno feria v. post Misericordiam Domini cathedralis Ecclesia Ratisponæ cum Palatio Episcopali & optimis campanis incendio totaliter est consumpta.

*Hermannus Abbas Altahensis.*

In festo B. Gregorii Dominus Hermannus venerabilis Abbas Altahensis, qui jam xxx. annis & amplius eandem Abbatiam cum tanta rexerat honestate, ut in spiritualibus adeo profecerit, quod religionis vigeret illic observantia specialis, & cultus Dei per ipsius diligentiam fuisset multipliciter ampliatus, ita quod in personis ibi sub regula educatis excreverit, ut sui regiminis tempore ex ejusdem loci Monachis Formbach, Aspach, Obern Altach, Prul & Piburch, Abbates electi essent. In temporalibus quoque possessionibus honore & pace & quiete, per destructionem castrorum vicinorum, videlicet Fleinsperg & Zirberch & Mose, in turribus ejusdem Ecclesiæ abundantia ex digne promerito favore Principium & nobilium terræ Bavariæ facta erat: In ædificiorum quoque diversis hinc inde structuris tam in renovatione chori, quam aliis infra septa claustri quam extra, & utilissimo aquæ ductu ad usum molendini & inundationem areæ tanta per ipsum præclara opera cernebantur, ut merito posset dicere cum Cæsare Augusto, Urbem lateritiam inveni, marmoream relinquo. Erat denique in hospitalitatis gratia totus hilaris, omnino providus, cuilibet ordini, dignitati, conditioni, ætati, vel sexui adeo se conformans, ut quasi omnibus omnia factus, in se & in honorem ipsius loci affectus omnium provocaret. O virum omni religiosa dignum laude, qui sub tanta tanquam fidei sollicitudine tot annis ipsi Ecclesiæ præesse non timuit,

(a) Post hæc verba: *Gregorium decimum se appellat*, desumpsimus *Steronis Annales* ex *Freheri* tomo quinto pag. 386. ad finem. Incipit ab his verbis: *Hic fecit unam ordinationem*, quæ desunt, in editione *Canisiana*. Quanquam autem non desinat penitus ad illa verba à nobis indicata, tamen in cæteris, quæ binas aut tres tantum continent pagellas, accuratior est multo *Freherus*, qui denique ab anno 1272, ad sæculi finem *Annalis Steronis* conduxit. BASN.

Digitized by Google

muit, nec tamen, in ſpe quidem boni ſucceſſoris, vivus & incolumis eidem regimine cedere recuſavit. Ipſo quidem die B. Gregorii in manus Domini Theodori tunc Abbatis de Alderſpach (qui ex mandato domini Petri, venerabilis Epiſcopi Patavienſis, acceſſerat monaſterium Altahenſe) idem Dominus Hermannus, vergente quidem deorſum ex debilitate ſenilis ætatis conditione corporea, ſed ſpiritu in ſublimiora ſcandente, mitram & baculum cum omni cura paſtorali, coram poſitis fratribus, maximo ceſſionis jam diu fervens deſiderio reſignavit. Ex quo planctus familiaribus ipſius, Eccleſiæ & vicinis oritur nimis inſolitus ante, atque gravis admiratio prælatis aliis per Bavariam conſtitutis, eo quod ſe illi in utilitate regiminis, aut propoſito renunciationis impares æſtimarent, omnibus in commune optantibus, tanto ceſſori ſucceſſorem idoneum ex divina providentia ſubrogari. Prædictus autem Dominus Hermannus poſt ceſſionem ipſius Abbatiæ ſupervixit duobus annis, detentus maximis infirmitatibus, ita ut de lecto, in quo decumbebat, non poſſet ſurgere, ſtare vel ire ſine adjutorio ſibi ſervientium: qui infirmitates & omnes moleſtias corporis patientiſſime toleravit, cottidie abundantiſſime fundens lacrymas, & orans Dominum Jeſum pro peccatis ſuis. Qui (ut ſupra dictum eſt) laudabiliter rexit Eccleſiam Altahenſem annis xxx. menſibus IV. dies XVI. faciens maximas eleemoſynas & alia multa bona opera, obiit bono fine pridie Kal. Auguſti, anno vitæ ſuæ LXXV. Ego Heinricus Stero, Capellanus ſuus, hæc addidi, videns in eo timorem Domini, & ſapientiam magnam eſſe, & ſuper omnia ipſum habere miſericordiam circa omnes homines, & alias virtutes multas, ad teſtimonium ſibi perhibeo, & ſcio quod verum eſt teſtimonium meum.

*Auctor compilationis hujus.*

SÆC. XIII. ANNO 1300.

## M. CC. LXXIII.

Mortuo Richardo, Romanorum Rege, Principes Imperii circa octavam S. Michaelis ad eligendum alium Regem in Franckenfurt convenerunt, & dum omnes qui vocandi erant intereſſent, præter Heinricum Ducem Bavariæ, qui & ſolennes miſerat nuncios, & per ratihabitionem ſuam electioni præbuit conſenſum, electus eſt Rudolphus, Comes de Habspurg, in Romanum Regem, poſtea in Imperatorem conſecrandus. Qui Rudolphus ſtatim exegit à Principibus clericis & laicis fidei juramentum. Quod cum recuſarent propter ſceptri abſentiam, ipſe electus ſignum crucis accipiens talia dixiſſe fertur. *Ecce ſignum! in quo nos & totus mundus eſt redemptus, & hoc ſigno utamur loco ſceptri.* Et deoſculata cruce omnes Principes tam ſpirituales quam ſeculares, ipſam crucem loco ſceptri oſculantes, recipientes feuda ſibi fidelitatis juramentum præſtiterunt. Ipſe etiam Rex adhuc exiſtens in palatio Aquenſi (ad quod jam pridem inthronizatus à Principibus fuerat) duas filias ſuas, unam Domino Ludowico Comiti Palatino Rheni, alteram Duci Saxoniæ matrimonialiter copulavit.

*Hic incipit M. Albertus Argentinenſis.*

*Rudolfus Rom. Rex.*

Rudolphus ergo Rex imperavit apud Teutonicos annis XVIII. Hic cum fuiſſet Comes de Habſpurg circa Baſileam, eſt electus in Regem Romanum, quam electionem Gregorius Papa approbavit, in favorem Terræ Sanctæ, ad quam plurimum anhelabat, & perſonaliter illuc intendebat proficiſci. Hic ad petitionem dicti Papæ, & Rex Francorum cum multis Baronibus, receperunt crucem ultramarinam, anno M. CC. LXX. Ludowicus Rex Franciæ Chriſtianiſſimus, non territus patris laboribus & expenſis, quas olim fecerat ultra mare. Hic fuit in armis probus, providus & ſtrenuus. Iterato autem cum duobus filiis, adjuncto ſibi Rege Navariæ & quamplurimis Eccleſiarum Prælatis & Baronibus pro recuperatione Terræ Sanctæ iter aſſumpſit. Verum adhuc ut Terra ſancta facilius recuperaretur, incidit ipſis conſilium, ut regnum Turarii * quod in medio conſiſtens non pernudabat transfretantibus impedimentum, primitus Chriſtianorum ſubjicerent poteſtati.

*S. Ludovicus.*

*Expeditio ſacra.*

Et cum portum in Carthagine applicuiſſent, quia eſt circa Thunicium, potenti manu cepiſſent, infirmitas, quæ illo anno maxime circa confinia maris viguit, in eodem Chriſtianorum exercitu nimis invaluit. Et poſt quidem de Regis Franciæ filiis unum prius, Legatum Domini Papæ, Dominum Albanenſem Cardinalem, & demum ipſum Regem Chriſtianiſſimum Ludwicum, cum pluribus Comitibus & Baronibus, nec non & aliis ſimplicibus de medio ſuſtulit. Quam feliciter autem prædictus Rex certavit, Dux Bavariæ Domino Thuſculano per literas intimavit. Nam in infirmitate ſua laudare nomen Dei non ceſſans, illam orationem, quam interſerebat: *Fac nos Domine proſpera mundi deſpicere, & nulla ejus adverſa formidare:* orabat & pro populo quem ſecum adduxerat, dicens: *Eſto Domine plebi tuæ ſanctificator & cuſtos.* Et cum appropinquaret ad finem, ſuſpexit in cœlum dicens: *Introibo in domum tuam, adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo.*

*Thunis.*

Et hoc dicto obdormivit in Domino. Et cum de morte pii Regis Chriſtianorum exercitus turbaretur, & Sarracenorum lætaretur, Dominus Karolus, Rex Siciliæ, bellator egregius, pro quo adhuc vivens frater ſuus, Rex Franciæ, miſerat, navigio cum magna militia advenit, de cujus adventu Chriſtianis gaudium, Sarraceniſque mœſti-



Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1300. tia accrevit. Et licet multo plures Sarraceni viderentur, quàm Christiani, nullatenus audebant bello generali cum Christianis congredi. Sed per quasdam astutias alias multa eis incommoda inferebant. De quibus hoc unum fuit: Est enim illa regio multum fabulosa, & in tempore siccitatis multum pulverosa, unde Sarraceni statuerunt plura millia hominum super unum montem Christianis vicinum, ut cum ventus flaret ad partes Christianorum, fabulum moventes pulverem suscitarent, qui pulvis multam molestiam intulit Christianis. Sed tandem pulvere per pluviam sedato, Christiani, factis machinis & instrumentis variis, Thunicium per terram & aquam intendebant oppugnare. Quod videntes Sarraceni, timore compulsi, pacta cum Christianis iniverunt.

Inter quæ hæc didicimus fuisse præcipua, ut omnes Christiani, in regno illo capti, liberi dimitterentur, & quod Monasteriis ad honorem Christi in omnibus civitatibus regni illius constructis fides Christi per fratres prædicatores & minores, & alios quoscunque libere prædicetur, & volentes baptizari libere baptizentur, & solutis expensis quas ibi fecerant Reges, Rex Thunicius Regi Siciliæ tributarius factus est, & plura alia pacta fuerunt, quæ hic longum ponere fuisset. Et tandem ex adventu Edwardi Regis Angliæ, & multitudine Frisonum, & aliorum peregrinorum, in tantum accrevérunt exercitus Christianorum, quod circa 200. millia hominum pugnatorum cadenent, & sperarent, quod non solum Terram sanctam, sed etiam totum Sarracenismum subjugare debuissent, *peccatis exigentibus, absque ulteriori utilitate est dispersus. Nam legatus Domini Papæ, qui ipsos dirigere debebat, per mortem subtractus erat. Terram etiam sanctam, ad quam ire solebant (a) peregrinatores, gubernatore carepat, quia Patriarcha, qui legatus in Terra sancta fuit, tunc defunctus erat. Sedes etiam Apostolica, quæ utrobique providere debebat, tunc vacabat. Rex etiam Navariæ, quia infirmus de Africa processit, in Siciliam veniens est defunctus. Soldanus vero Babyloniæ, ægre ferens quod Edwardus Rex Angliæ cum militia sua in terra sua moram traheret, per quendam Sarracenum Regi domesticum ipsum Regem, solum in lecto jacentem, proditorie cum venenato cultello lethaliter vulnerari procuravit. Qui læsione gravatus, de lecto exiliens manibus hostem prostravit, & de eodem venenato cultello statim interfecit. Et post paucos dies medicamentis contra omnem spem amicorum curatus, ad propria rediit.

(a) al. debebant.

Senatus Urbis. Hujus Rudolphi * Papa Nicolaus III. Carolum Regem Siciliæ, Aricariæ, Tusciæ, à senatu Urbis amovit, ac se in senatorem Urbis ad vitam eligi procuravit, & senatum fere per duos annos regi fecit.

Quo Papa mortuo unus Hannibaldensis, alter Ursinorum Senatum in Urbe regebat, sub quorum regimine plura homicidia & dissensiones in urbe fuerunt.

Eodem anno Rex Bohemiæ Otakerus, & Heinricus Dux Bavariæ ad plenam concordiam redierunt, rege Bohemiæ de castro in Scherding & quibusdam juribus, quæ pertinebant ad Ducem, restitutionem faciente. Ipsi etiam contra omnem hominem hujus mundi juraverunt mutuo se juvare.

## M. CC. LXXIV.

Ad curiam novi Regis in Franckfurt Principes evocantur. Prædictus Papa Gregorius accessit Losannam Dominum Rudolphum, electum per Principes Alemaniæ in Romanorum Regem, & electionem de ipso factam confirmavit, sibi nomen & dignitatem adscribendo, & promisit ipsum in Imperatorem postea consecrare.

Eodem anno celebratum est generale concilium apud Lugdunum per dominum Gregorium Papam XIII. cui interfuerunt plusquam 700. Episcopi & Abbates, & præpositi, cæterique Ecclesiarum rectores in numero copioso. Item eodem concilio interfuerunt solennes nuncii, seu procuratores Græcorum, qui coram toto concilio symbolum Niceni concilii, *Credo in unum Deum*, alta voce decantaverunt, in signum & testimonium, quod à suo veteri errore (quo dicebant Spiritum sanctum tantum à Patre, & non à Filio procedere) se recessisse demonstrarent, & velle credere quod sancta nunc Romana & Orthodoxa Ecclesia credit & prædicat, scilicet quod S. Spiritus à Patre & Filio æterna inspiratione procedit, sicut patet per Decretalem, quæ super hoc est in eodem concilio promulgata, cujus tenor talis est.

*Fideli ac devota promissione fatemur, quod Spiritus S. æternaliter ex Patre & Filio & non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ex uno, non duabus spirationibus, sed unica spiratione procedit. Hoc professa est, & hactenus prædicavit & docuit, hoc firmiter tenet, prædicat, profitetur & docet Sacrosancta Romana Ecclesia, mater omnium fidelium & magistra: Hoc habet Orthodoxorum Patrum atque doctorum Latinorum pariter & Græcorum incommutabilis & vera sententia. Sed quia nonnulli propter irrefragabilis præmissæ ignorantiam veritatis in errores varios sunt prolapsi: nos hujusmodi erroribus viam præcludere cupientes, sacro approbante concilio, damnamus & reprobamus omnes, qui negare præsumpserint, æternaliter Spiritum S. ex Patre & Filio*

Digitized by Google

*lio procedere, sive etiam temerario ausu æsserere, quod Spiritus S. ex Patre & Filio tanquam ex duobus principiis, non tanquam ex uno procedat.* SÆC. XIII.

Mortuus est autem Papa Gregorius post Aretii, & sepultus ibidem. ANNO 1300.

M. CC. LXXVI.

Innocentius VI. natione Petrus Tharanthasia, sedit menses v. & dies duos: & cessit Papatus diebus XVIII. Hic à pueritia in Ordine prædicatorum existens, Doctor in sacra scriptura eximius efficitur, demum in Archiepiscopum Lugdunum, & post in Episcopum Hostiensem, & tandem in summum Pontificem assumitur. Hic licet facere multa potuisset, morte præventus, nil notabile fecit. Mortuus est Romæ & in Lateranensi sepelitur. *Innocentius VI. PP.*

Eodem anno Adrianus V. natione Januensis, sedit annum unum, dies novem. Romæ eligitur in palatio Lateranensi, & Viterbii moritur & sepelitur: & cessit Papatus diebus XXVIII. Iste Adrianus fuit nepos Innocentii IV. & ab ipso in Cardinalem Ecclesiæ S. Adriani promotus, à Domino Clemente IV. Legatus in Anglia pro guerra, quæ ibi inter Reges & Barones exorta fuerat, sedanda, missus fuit. Hic Papa factus statim constitutionem, quam Papa Gregorius X. in Concilio Lugdunensi de restrictione Cardinalium pro electione summi Pontificis ediderat, suspendit, proponens eam aliter ordinare. Sed morte præventus, constitutionem sic reliquit. *Hadrianus V. PP.*

Johannes Papa XXI. natione Hispanus de civitate Ulisbona, sedit menses VIII. Et cessit Papatus post mortem ejus menses VI. dies VII. Hic autem (dictus Petrus Tusculanus) fuit in diversis factis famosus, quia scientiarum florem & pontificatus dignitatem morum quadam stoliditate deformabat, adeo ut industria naturali pro parte carere videretur. In hoc tamen laudabilis fuit, quod se tam pauperibus quam divitibus communem exhibebat, & egentes studentes scientias literarum in beneficiis ecclesiasticis promovit. Et cum sibi spatium vitæ in plurimos annos extendi crederetur, & hic cum aliis assereret, subito cum camera nova (quam pro se circa palatium Viterbiense construxerat) solus corruit, inter ligna & lapides inventus VI. die post casum, Sacramentis Ecclesiasticis omnibus perceptis expiravit, & ibidem in Ecclesia S. Laurentii sepultus fuit. *Joannes XXI. PP.*

M. CC. LXXVII.

Nicolaus III. natione Romanus, de domo Ursinorum, electus fuit in die S. Catharinæ, sedit anno uno menses IX. dies VI. & vacabat sedes menses V. dies XXII. Parum ante sui promotionem Tyberis Romæ tantum excreverat, quod super altare B. Mariæ Rotundæ per quatuor pedes & amplius excreverat. Hic Pontificatus sui anno primo, * Martii unam fecit ordinationem 5. Episcoporum, duorum presbyterorum & duorum diaconorum Cardinalium. Hic palatium S. Petri multum augmentavit, & plurima ædificia faciens circa illud præcella inclusit, & fontem ibidem profluere paravit, mœnibus & turribus hortum magnum diversis arboribus decoratum inclusit. Hic etiam Carolum Regem Siciliæ à vicaria senatus amovit: ac se ad vitam senatorem eligi procuravit: ac constitutiones fecit de electionibus prælatorum Urbis, & Senatum fere per duos annos regi fecit. *Nicolaus III. PP.* *Senatus Urbis.*

Mortuus est in Surriani castro prope Viterbium, ubi tunc curia erat, Kal. Septemb. Post cujus mortem Hannibaldenses contra Ursianos insurrexerunt, & unus Hanibaldensis, & unus Ursinorum in Urbe senatum regebant, sub quorum regimine plurimæ discessiones & homicidia in urbe fuerunt.

Martinus II. natione Gallicus de Turonis, Viterbii electus fuit anno Domini M. CC. LXXXI. in die Cathedræ S. Petri, & sedit annis IV. mense uno, & coronatus fuit in Urbe veteri X. Kal. April. & vacabat sedes dies IV. Hic autem Simon dictus S. Ceciliæ presbyter Cardinalis fuit, & primo ab Urbano IV. & post à Gregorio X. in Francia missus per plures annos legatus extitit, & in vigilia Paschæ sequenti fecit unam ordinationem 7. presbyterorum, & unius diaconi cardinalis. Hic electus fuit in senatorem Urbis ad vitam suam: loco sui instituit Karolum Regem Siciliæ, & Apuliam per ejusdem Regis familiares regi fecit. Et Comitem Johannem de Apia cum stipendiariis Francigenis circa octingentis contra Gwidonem Montis Fererii in Romaniolam misit, qui terram Ecclesiæ in illis partibus occupaverat, qui juxta civitatem Forilivii (a) contra dictum Guidonem bellavit, in quo bello Comes Tatherus fere cum quingentis Gallicis, & ex diversa parte M. quingenti occisi fuerunt, nulla tamen victoria habita. Et tamen misso à Papa illuc Guidone de Monte forti, Gwido Comes Montis Fererii restituit sibi terras per eum occupatas, & juravit Ecclesiæ fidelitatem, & Romaniola tota, excepta Urbinate, quæ civitas tandem compulsa hostiliter, reversa fuit ad mandata Papæ. Hic Papa excommunicavit Perusinos, eo quod exercitum contra Fulginates contra inhibitionem suam fecissent, quos tandem absolvit, & illuc ivit, ubi cum gaudio fuit receptus. Et postea Carolus Rex Siciliæ, ordinato statu regni sui, mortuus est VII. Non. Jan. de quo Papa nimium doluit, & *Martinus II. PP.*

(a) *al. Forijulii.*



Digitized by Google

SÆC. XIII. hæredibus ipsius Regis ad tenendum regnum medius (a) in subsidium summam pecuniæ fere centum millium librarum Turonicarum misit.

ANNO 1300. Igitur Græci à supra dicta fide Christiana & promissione quam spoponderant Gregorio Papæ X. subito recesserunt, propter quod Dominus Papa Martinus II. in Urbe veteri eos excommunicatos nunciavit, ut patet ex literis quibusdam. Item in partibus Alemaniæ, in qua consuetudo inoleverat de pignorationibus, in quibus unus pro alio, sive innocens pro nocente indebite prægravatur, contra impigneratores hujusmodi idem Papa Gregorius talem in eodem concilio edidit decretalem. *Et si pignerationes (quas vulgaris elocutio Repræsalias nominat) in quibus alius pro alio prægravatur, tanquam graves legibus & æquitati naturali contrariæ, civili sint institutione prohibitæ; ut tamen eorum prohibitio in personis ecclesiasticis tanto amplius timeatur, quanto in illis specialius inhibentur, eas concedi contra personas prædictas seu bona ipsarum, aut quantumcunque generaliter prætextu cujusvis consuetudinis, quam potius reputamus ad usum (b) fore concessas, ad illas extendi præsenti decreto districtius inhibemus. Illi autem, qui contra fecerint, adversus personas easdem pignorationes seu represalias concedendo, & extendendo ad eas, nisi præsumptione hujusmodi revocaverint, à concessionis vel extensionis tempore infra mensem, si personæ singulares fuerint, sententiam excommunicationis incurrant: si vero universitas, ecclesiastico subjaceat interdicto.* Ex hac tamen salubri constitutione modica provenit utilitas, vel quia rite post concilium in provinciis publicata non extitit, vel quia à malis hominibus excommunicationis principium non timetur. Item pro subsidio terræ sanctæ imposita fuit in eodem concilio omnibus Ecclesiis & Monasteriis (non tamen xenodochiis, nec orphanotrophiis) solutio decimarum omnium proventuum ecclesiasticorum per sex annos continuos idem concilium subsequentes. Quæ decima, quamvis studiose exacta fuerit & recepta, tamen non est evidens, quæ utilitas terræ sanctæ exinde fuerit procurata.

(a) F. melius.

*Repressaliæ prohibitæ.*

(b) F. abusum.

## M. CC. LXXVII.

*Austriam Rudolfus recuperat.* Cum prædicto Domino Rudolpho Romanorum Rege omnes Comites & Barones ac communitates civitatum & civium de Rheno & Franconia, & Suevia ac Bavaria se sponte subderent, ei fidelitatis jurando homagia, castraque & civitates & terras, quas tempore vacantis Imperii, scilicet à temporibus Friderici Imperatoris occupatas tenuerant, sibi voluntarie resignarent: Dominus Otakerus V. Bohemorum Rex, qui Austriam, Styriam & Karinthiam, Carniolam ac portum Naonis tempore vacantis Imperii resignare noluit, dicens quod easdem terras bona fide & justo titulo possideret, ac mandatis & commissionibus Apostolicorum, qui tempore suo fuerant, contra insultus Ungarorum, Cumanorum, & Tartarorum per XXIV. annos cum gravibus sumptibus & laboribus, imo & multa impensa non solum suorum, sed etiam proprii sanguinis defensasset. Quam allegationem Dominus Rudolphus Romanorum Rex non advertit, sed validum exercitum congregans intravit terram Austriæ, euntibus secum in exercitu Moguntino & Colonienſi Archiepiscopis, Herbipolensi, Ratisponensi, Patavienſi Episcopis, Ludwico Comite Palatino Rheni, Hainrico Duce Bavariæ, & aliis multis nobilibus de Rheno, Franconia & Suevia. Et civitates ibidem & castra se suo Domino subdiderunt, excepta civitate Wiennensi, quam etiam obsidione cinxit, nec tamen per violentiam cepit, sed per quoddam arbitrium, quod ipsi ambo Reges inierunt, accepit ipsam civitatem Wiennensem, & totam terram Austriæ trans Danubium versus meridiem pacifice possidere, alia parte ejusdem terræ trans Danubium versus Aquilonem, sive Bohemiam, ejusdem Regis Bohemiæ per idem arbitrium remanente. Tandem post tres vel duos annos scisso prædicto arbitrio, præfatus Rex Bohemiæ de terris suis, scilicet Polonia, Pomerania, Saxonia & Misnia fortem exercitum congregans, castrametatus est super flumen March, in campo, qui dicitur Marchvelt prope Cisterscof, & cum idem Rex Bohemiæ cum Domino Rudolpho Romanorum Rege de mane congredi cogitaret, ecce multi nobiles de parte adversa ipsum Regem Bohemiæ præmonent literis & nunciis, dicentes, quod in ipsa congressione nobiles sui essent eum proditionaliter in manus hostium tradituri. Quod cognoscens idem Rex Bohemiæ nobiles suos ad se in suum convocavit tentorium, & se eis inermem omnimodis præsentavit, dicens: *Ecce inermis in conspectu vestro sto, & licet de vestra fidelitate non diffidam, tamen si cui contra me proditionis vel iniquæ factionis esset voluntas, melius existeret, ut me nunc solum occideret, quam quod eras in bello mecum multa millia hominum moriantur.* Sed ipsi nobiles multis juramentis se ipsi velle fideliter assistere promiserunt. Idem Rex Bohemiæ cuidam strenuo militi promisit plurima se daturum, si vel Dominum Romanorum Regem, vel saltem equum ejus occideret in congressu: qui miles hac promissione accepta cuneum fortissimorum militum penetrans ipsum Regem Romanorum vehementi ictu ad terram prostravit, & equum ejus occidit. Sed nobiles, qui latus ejus Regis stipaverant, eundem captivaverunt militem, & Regem in alio equo locaverunt. Sed ecce mirabilem prædicti Regis

*Marchfeld.*

Digitized by Google

gis Romanorum clementiam, quia eundem militem ſibi captivum præſentatum abire permiſit illæſum, dicens, quod Reipublicæ damnum eſſet, ſi miles adeo fortis & ſtrenuus deperiret. Ipſo etiam Rege Romanorum conjunctis ſibi Ungarorum & Cumanorum Regibus, & nobilibus de Rheno, Franconia, Suevia conflictum habente cum prædicto Rege Bohemiæ, ipſe Rex Bohemiæ eſt occiſus, & inter cadavera mortuorum nudus omnimodis eſt inventus. Idem enim Rex Bohemiæ nobiles & populum prædictarum terrarum, Bohemiæ, Auſtriæ, Moraviæ, Styriæ, Karinthiæ, & Karniolæ, qui ante ſua tempora rapinis & ſpoliis aſſueti fuerant, multa auſteritate compeſcuerat, & ſine delectu perſonarum in ſeveritate juſtitiæ ita magnum judicaverat ſicut parvum; & ob hoc prædicti nobiles eum latenter habentes odio, deſeruerunt aciem, ac ipſum cum paucis expoſitum hoſtibus dimiſerunt, quod cum ipſe Rex conſpiceret, ſuorum adjutorio ſe privatum, cum illis paucis, qui mori elegerant pro Domino & patria, in turbas hoſtium proſiliit, & multa ſtrage ab eo facta tam ipſe quam prædicti fideles in acie ceciderunt, anno Domini M. CC. LXXVIII. VII. Kal. Septemb. Poſt cujus mortem terra Bohemiæ & Moraviæ multis tribulationibus eſt expoſita. Nam filius ipſius Regis Bohemiæ juvenis erat, & per Marchionem de Brandenburg in tutelæ cuſtodia ſervabatur, & ipſa terra Bohemiæ tam per incolas, quam per Ducem Hainricum Uratislaviæ miſerabiliter vaſtabatur. Interea etiam relicta prædicti Regis Bohemiæ duxit legitime quendam nobilem de Bohemia Zebiſchum nomine, de cognatione Vitigenum, qui ſæpe fati Regis Bohemiæ validus fuerat perſecutor. Sed tandem filius Regis, ducens in uxorem filiam Domini Rudolphi Romanorum Regis, & regnare incipiens, eundem Zebiſchum, qui per reginam quam duxerat; theſauros habere cœperat, nec Regi aſſignare voluit, mortua quondam Regina, captivavit & occidit.

SÆC. XIII. ANNO 1300. *Ottocarus teſtas. Æn. Sylv. in Bohemia, c. 27.*

Eodem anno Dominus Leo Ratiſponenſis Epiſcopus obiit; cui ſuccedit Dominus Hainricus de Rotenegk ejuſdem Eccleſiæ Canonicus.

## M. CC. LXXIX.

Petrus Epiſcopus Patavinus obiit, qui pontem trans Danubium Pataviæ primus fecit; cui ſuccedit Dominus Wichardus, ejuſdem Eccleſiæ præpoſitus.

Eodem anno Dominus Albertus de Hale ſua virtutute & ſtrenuitate meruit à Domino Rudolpho Romanorum rege honore & nominine Comitis inſigniri. *Comes de Hale.*

Eodem anno piſcis captus fuerat in plaga maritima, quæ eſt verſus Montem altum; & portatus apud Urbem veterem, cujus pellis erat piloſa, pedes breves, cauda, caput, aures, os & lingua quaſi Leo habebat; & in ejus captione planctus magnos horribiles emiſit, unde multi prognoſtica futurorum exinde aſſerebant. Et parum poſt ſuccenſa rabie Gallicos, qui ibi morabantur, tam mares quam fœminas, ſenes, ac juvenes in regis Caroli contemtum occiderunt; & aperientes nihilominus latera mulierum Latiarum prægnantium, quæ dicebantur à Gallicis concepiſſe, partus earum occidebant antequam naſcerentur. Deinde tota Sicilia ſic rebellans Petrum Regem gem Arragoniæ in ſuum Regem & defenſorem vocaverunt. Illis temporibus maxima fuit diſſenſio inter Urſinos & Hanibaldenſes. Eo tempore inter Anglicos & Gallos duriſſimum bellum fuit. Tunc etiam in Tunicio regia, Aragonum aſtutia inter montium diſtrictus magna Sarracenorum multitudo fuit oppreſſa. Tunc etiam Soldanus Babyloniæ à Tartaris fugatus, per VIII. dietas occiſi dicuntur Sarraceni ultra quinque millia. Sed Soldanus reſumptis viribus dictos Tartaros orientales fugans, xxx. millia Tartarorum in hujuſmodi fuga dicuntur cecidiſſe. *Veſperæ Siculæ. Paul. Æmyl. lib. 7.*

Poſt hæc rex Carolus & Petrus de Aragonia (qui Siciliam occupaverat, & in Regem Siciliæ contra Papæ inhibitionem ſe fecerat coronari, propter quod Papa ipſum excommunicaverat, & regno Aragoniæ, & omni eo quod ab Eccleſia tenebat, privaverat) belli pactum taliter ineunt, quod eorum quilibet haberet centum milites, quos vellet & poſſet in plano Burdigalenſi ad pugnandum ad invicem, centum contra centum, inter quos ipſi duo Carolus & Petrus computari debebant, prima die Junii; & qui victus eſſet, vel ad illam diem non veniſſet, perpetuo infamis eſſet, privatus honore & nomine regio, perjuriam incurreret, & uno ſerviente eſſet contentus. Ad quam diem dictus Carolus venit cum Legato ſedis Apoſtolicæ, prædictum vero Petrum quidam dixerunt eum cum duobus ſociis veniſſe de nocte præcedente diem ſtatutam, & fuiſſe locutum cum Seneſcallo Burdegalenſi in loco privato, prætendentem quod propter Regem Francorum ibidem præſentem pactum ſervare non audebat. Eo tempore regnum Aragoniæ à ſtipendiariis Regis Franciæ invadebatur, plurimis de Aragonia occiſis.

His temporibus Roma vicarium Urbis ſenatoriale gerentem expulerunt, & Johannem Tarcii in capitaneum Urbis & Reipublicæ defenſorem invocaverunt, qui licet parum rexerit, multos tamen Romanos offendit. Sed Romanis ad mandatum Papæ reverſis, ſuſceperunt vice Papæ duos vicarios ſenatoriæ, videlicet Hanibaldum Petri Hanibaldi, & Pandulfum de Sabello, ſub quorum regimine Romani quieti fuerunt.



Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1300. Eo tempore Princeps Salernitanus, filius Regis Caroli juxta Neapolin navali bello à Siculis & Hiſpanis in mari debellatus & captus fuit: & Meſſanam ductus carceri fuit mancipatus. Et quarto die ſequenti rex Carolus venit Neapolin, & Neapolitanos rebelles factos poſt captionem Principis caſtigavit.

## M. CC. LXXXI.

Uxor prædicti Domini Rudolfi Romanorum Regis nomine Anna obiit: & eodem anno ipſe Rex exivit terra Auſtriæ, & ipſum Ducatum Alberto filio ſuo primogenito commendavit; ſed poſtmodum eundem Ducatum eidem Domino Alberto & Rudolfo filiis ſuis in feudum contulit, coram Principibus ſuis ſuper hoc Auguſtæ in curia congregatis.

*Moſpurg comitatus.* Eodem anno Comes de Moſpurch moritur ſine hæredibus, & comitatus ad Domini Hainrici Ducis Bavariæ devolvitur poteſtatem.

Item eodem anno à Domino Friderico Salzpurgenſi Archiepiſcopo concilium celebratur.

Item inimico homine ſuperſeminante zizaniam inter Dominum Volchmarum Abbatem de Altach ex una parte, & quoſdam fratres ejuſdem loci ex altera, gravis diſcordia eſt exorta. Iidem namque fratres contra prædictum Abbatem appellationem emittentes, quoſdam ex ſe ad Romanam tranſmiſerunt, Abbate è converſo ſe per nuncios in eadem curia defendente. Interea procurantibus etiam quibuſdam ex fratribus, omnia tamen abbatis & cellaria & granaria violenter ſunt confracta, & inde res aliquæ aſportatæ, campanæ & quæque pretioſa Eccleſiæ per eoſdem fratres vendita ſunt, vel apud uſurarios obligata. Tandem frater unius Monachi, & duo fratrueles alterius Monachi cum quibuſdam aliis prædictum Abbatem in paſſagio in Werd prope monaſterium duabus ſagittis in flumine Danubii occiderunt, equos ſuos & ſervorum ſuorum cum rebus aliis abducentes. Sed poſt paucos dies quatuor eorundem malefactorum ſunt detenti, quorum duo in Straubing ſunt rotis affixi, alii duo in patibulis ſunt ſuſpenſi, ſed quintus & ſextus poſtmodum gladiis ſunt occiſi, & ſic pro crudeli homicidio (Domino judicante juſtitiam) crudeliter perierunt. Quia vero idem Abbas multæ auſteritatis in religione & ſanctitatis in vita extitit, corpus ejus ſic occiſi à paſſagio in Werd uſque ad villam in Tundorff ſupernatans à pluribus videbatur, & tandem à fratribus, qui ſibi & juſtitiæ fideliter aſtiterant, in capella S. Kyliani honorifice eſt ſepultus, Idib. Maii.

## M. CC. LXXXII.

Poſt hunc autem electus eſt concorditer in Abbatem Altahenſem Dominus Popo venerabilis Abbas de Altach ſuperiori, vir utique tam ſanctitate vitæ præcipuus zelator ordinis & religionis, qui idem monaſterium in Altach in flore per prædictam diſſenſionem à ſua honeſtate graviter inclinatum tam in ſpiritualibus quam in temporalibus informavit. Ejectis enim quibuſdam fratribus, qui cauſam ſeu occaſionem prædictæ diſſenſioni dederant, alios aſſumpſit, qui elegerunt ambulare in Domo Domini cum conſenſu. Quibus in regularibus obſervantiis taliter profuit, quod prædictum monaſterium, quoad religionem vicinis Eccleſiis religionis præbeat exemplum, & etiam longe poſitis ſancte vivendi regulam oſtendebat. Item in temporalibus ſic provide adminiſtravit, quod in domo ſua famoſa omnibus erat hoſpitalitas, & undecunque venirent pauperes paſcerentur. Capellam etiam B. Kyliani à ſuo anteceſſore inchoatam perfecit, prædia plura emit, tres magnas conſtruxit piſcinas, & in omnibus factis ſuis Deo & hominibus ſe amabilem oſtendit. Rexerat enim monaſterium in Altach ſuperiori in Abbatia XXII. annis, & præter ipſam Eccleſiam omnes fere muros & ædificia ibi denuo reparavit. Tandem anno Domini 1289. VI. Kal. Febr. bono fine deceſſit: in Capella S. Kiliani, quam perfecerat, eſt ſepultus. Poſt hunc electus eſt in Abbatem Altahenſem Dominus Wernhardus, ejuſdem monaſterii monachus, qui antea in prioratu, quem longo tempore rexit, & in abbatia poſtmodum, omnibus omnia factus eſt, ut omnes lucrifaceret, & ut ei ineſſe videretur manifeſte circa ſubditos juſte conſulens miſericordia, & pie ſæviens diſciplina.

## M. CC. LXXXIII.

Petrus Rex Aragoniæ, expulſo Karolo Rege, regnum Siciliæ potenter occupavit, propter quod Papa Martinus excommunicationis ſententiam protulit contra ipſum, ſicut plenius patet in literis quibuſdam deſuper datis. Quam excommunicationis ſententiam cum prædictus Rex Aragoniæ contemneret; Papa excitavit contra eum Dominum Philippum Regem Franciæ, qui cum multis millibus militum intravit Aragoniam, ſed per multitudinem muſcarum illius terræ, & inopiam alimentorum, quæ etiam pro pecunia haberi non poterant, multi equi & homines perierunt, & ipſe Rex

*Philippi R. Gall. mors.* mortuus ibidem reductus eſt Pariſios, & apud S. Dionyſium eſt ſepultus, anno Domini 1280. Cor autem Regis eſt apud prædicatores Pariſiis tumulatum. De qua diviſione individui plures clericorum & laicorum contra eoſdem fratres, qui hoc ducuntur obtinuiſſe precibus & exhortationibus, ſcandalizati ſunt.

M.

Digitized by Google

## M. CC. LXXXIV.

SÆC. XIII. ANNO 1300.

Fridericus Salzpurgenſis Epiſcopus obiit, cui ſuccedit Rudolphus, Domini R. Romanorum Regis Vicecancellarius. Qui licet à principio contra adverſarios ſui epiſcopatus ſe validum propugnatorem oſtenderet, tamen ultimo ad timorem, qui non debuerat in virum conſtantem cadere, ſtatuta ſui conſilii, quod celebraverat, quando & corpus V. Virgilii tranſtulerat, non ſine totius patriæ ſcandalo, in conſpectu Ducis Auſtriæ revocavit.

## M. CC. LXXXV.

Gotfridus Patavienſis Epiſcopus, natione de Weſtphalia obiit: cui ſuccedit Dominus Wernhardus dictus de Prambach, Canonicus ejuſdem Eccleſiæ, vir in manſuetudine etiam Moyſi coæqualis, qui in multa pietate Patavienſem rexit Eccleſiam, & BB. Valentini & Maximiliani corpora in loco humili repoſita, in tumba honorabili erecta de novo in medio Eccleſiæ Patavienſis decentiſſime collocavit.

(a) Præterito anno, hoc eſt, anno Domini 1280. tempore Ladiſlai Regis Ungariæ, filii Regis Stephani, Tartari in tanta multitudine intraverunt Ungariam, quod dicebant cum exercitu ſuo undecim milliaria occupare, qui tandem non humano auxilio, ſed divino judicio perierunt. Supervenit enim grando, nix, & pluvia in tanta quantitate, quod ſe de loco movere non poterant, & ſic à Chriſtianis in circuitu poſitis ſunt occiſi, & juſti tulerunt ſpolia impiorum.

Poſt hæc die Reſurrectionis Domini, (b) poſtquam celebraſſet, & refectionem ſolitam cum capellanis ſuis feciſſet vel ſumpſiſſet, arripuit eum infirmitas occulta, de qua nimium pati ſe dixit, licet medici in ipſo indicium mortis nullum reperirent, de qua feria IV. ſequenti obiit, & Peruſiii ſepultus fuit, qui Papa dicitur poſt mortem ſuam plura miracula feciſſe, (c) ſed ceſſabant ipſa miracula XII. die menſis Maii.

## M. CC. LXXXVI.

Honorius Papa IV. natione Romanus de Sabellenſibus, prius diaconus Cardinalis, electus fuit Peruſii die ſecunda Aprilis, & Romæ apud S. Petrum coronatus & conſecratus, ſedit annis II. die prima: & vacabat ſedes menſes X. dies II. Hic fuit homo temperatus & magnæ diſcretionis, impeditus tamen corpore, etiam manibus & pedibus, libenter quærens pacem. Romæ obiit apud S. Sabinam, & apud S. Petrum ſepultus fuit.

*Honorius IV. P P.*

## M. CC. LXXXVII.

Dux Brabantiæ devicit cum auxilio civium Colonienſium, Colonienſem Archiepiſcopum, & Comitem de Belere (a), ipſoſque captivavit, & in eodem conflictu multi ſtrenui milites ſunt amiſſi.

(a) *ſ. Geldria.*

Dominus R. Romanorum Rex, Comitis Burgundiæ rebellantis ſibi terram ingreditur cum exercitu, & licet Comes multorum de Picardia & Francia & Flandria juvaretur auxiliis, tamen cum prædicto Rege ad bellum congredi non audebat, ſed per Ducem Burgundiæ ad gratiam & concordiam rediit cum eodem.

Eodem anno mota eſt diſcordia inter omnes Archiepiſcopos, Epiſcopos, Prælatos, & totum clerum regni Franciæ ex una parte, & fratres Prædicatores & Minores ex altera, ſuper privilegio dato eis à Domino Papa Martino. Dicebant enim ipſi Prædicatores & Minores de ſupradicto privilegio, quod confeſſi ipſis non tenerentur ſuis parochialibus presbyteris eadem peccata numero iterum confiteri. Cujus contrarium Archiepiſcopi & Epiſcopi aſſerebant per idem privilegium, & per Decretalem *Extra De pœnitentiis & remiſſionibus, Omnis utriuſque*, cujus in eodem privilegio mentio facta fuit. Quæ quæſtio per Doctores ſeu Magiſtros Theologiæ & juris Canonici fuit multipliciter diſputata Pariſiis, & validiſſimis oſtenſum rationibus fuit, præcipue tamen per Magiſtrum Heinricum de Gandavo, quod eadem peccata numero,

*Vide Pet. de Vine. l. c. 37.*

(a) Anno Dñi 1280. Hic eſt error. Regnabat quidem *Ladiſlaus* anno 1280. utpote qui eodem anno 1276, quo mortuus eſt parens, *omnium conſenſu regnum ſuſcepit.* Sed Tartari non niſi poſt decennium, anno ſcilicet 1287. Ungariam Ulteriorem igni ferroque vaſtarunt, inſtauratos paulo ante pagos diripuere, *homines ex more interficiunt, multos aſſerunt in ſervitutem, cuncta pecora abigunt, & Peſthum uſque cuncta populantur.* Sic Bonfinius rerum Ungaricarum Scriptor. (*) BASN.

(b) Suppleri debet *Papa Martinus* IV. Diverſas Criticorum ſententias circa diem mortis conciliat *Papebrochius.* Horum aliqui die 28. Martii, alii die XXIX & IV. Cal. April. è vivis exceſſiſſe ſcribunt. Notat optime *Papebrochius*, diem vigeſimam nonam incepiſſe ab occaſu ſolis, & Papam obiiſſe circa horam ſextam noctis. Non erat igitur dies 28. ſed vigeſimus nonus incipiebat.

(c) Altera movetur difficultas circa miracula *Martini.* Aſſerit author noſter, ceſſaſſe illa miracula die XII. Maii. Attamen Continuator Martini Poloni oppoſita dicit, *nec adhuc, quando fuit protracta hæc Scriptura XII. menſis Maii ceſſabant ibidem miracula. Verius imò diebus ſingulis occurrenti fidelium multitudini miſericorditer a Domino largiuntur, & qui ſcripſit hæc, vidit ea.* Quod alter affirmat, ab altero negatur. Laudatur quidem à *Franciſco Pagi* Continuator Martini Poloni ad hunc annum; ſed ſi confugias ad appendicem editionis genuinæ Martini Poloni, eadem verba reperies, quæ hic leguntur. De his judicet lector ſecundum præjudicatas de miraculis opiniones!

(*) Bonfinius Rer. Hung. deca I. II. l. VIII. p. 304.

Hanc tamen conjecturam nobis ipſis denegare non poſſumus: Continuator Martini Poloni ſæpius laudatus videtur legiſſe tum appendicem Martini, tum Steronis Annales, quos refutare voluit non modo ea voce *verius eſt*, ſed ex ipſius teſtimonio, qui hæc ſcripſit; *eodem die XII. Maii ea vidit*, aſſerere voluit continuator ea ipſa miracula, de quibus dubitabant alii. BASN.

Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1300.

mero, quæ aliquis confeſſus fuerit Prædicatori vel Minori, teneretur ſaltem ſemel confiteri in anno ſuo proprio ſacerdoti, quod tamen cum ipſi fratres multis rationibus deſtruere niterentur, concilium datum fuit per Magiſtros Pariſienſes ſecularibus, quod ſuis propriis ſacerdotibus confiteantur, quia de his nullum eſt dubium, quando juriſdictionem abſolvendi habent, & ſemel eis prædicta peccata confeſſa non ſit neceſſe iterum confiteri. Super hac autem controverſia diſſolvenda ex parte Epiſcoporum & cleri regni Franciæ miſſi fuerunt ad curiam Romanam duo Epiſcopi de Francia, quibus in ſubſidium omnes Archiepiſcopi, Epiſcopi, Prælati, & totus clerus centeſimam partem omnium ſuorum eccleſiaſticorum redituum miniſtraverunt. Dominus tamen Nicolaus Papa IV. de ordine fratrum Minorum extitit, natione Lombardus de Marchia Antonii Cardinalis, de Eſculo civitate, fuit electus in Eccleſia S. Petri, Anno

*Nicolaus IV. PP. In hoc deſinit Martin Polon.*

## M. CC. LXXXVIII.

Seditque annis IV. menſe uno, & vacabat ſedes menſes quaſi tres. Hic, prius dictus frater Hieronymus, de Ordine Minorum fuit, quorum miniſter fuerat generalis, & exinde presbyter Cardinalis, qui eandem cauſam pro neutra parte adhuc hodie determinaverat, ſed permiſit in dubio dependere. Hic pontificatus ſui anno primo fecit unam ordinationem Cardinalium. Romæ obiit in die Paraſceves, & ſepultus fuit apud S. Mariam majorem.

Mortuo Dietrico Abbate 5. Non. Maii, Siboto dictus Curialis tertius eligitur in die SS. Gordiani & Opimachi martyrum, ſed poſtea oppoſuit ſe ei Wolfhardus Epiſcopus Auguſtenſis, & quædam pars ex fratribus, conſentiens Epiſcopo, deponitur; præfuit autem tantum annis IV.

*Judæorum crudelitas.*

Judæi in Pacherat diœceſis Herbipolenſis quendam bonum & devotum hominem Chriſtianum, Werinherum nomine, occulte occiderunt, & ab eo ſanguinem (quo mederi dicuntur) tanquam in torculari multa violentia expreſſerunt, qui tandem in eodem loco multis miraculis dicitur claruiſſe. Præterito anno Judæi in Monaco civitate Friſingenſis diœceſis puerum quendam Chriſtianum pro ſimili cauſa occiderant. Propter quod populus ejuſdem civitatis non expectato judicio vel ſententia, omnes Judæos illius civitatis in domum unam confugientes ignibus ſuppoſitis concremavit.

## M. CC. LXXXIX.

Dominus Rudolphus Romanorum Rex iterato contra Comitem Burgundiæ triumphavit. Dum autem Litaniæ fierent S. Marci, Tripolis civitas capitur à Soldano & Sarracenis, fueruntque capti & occiſi plures Chriſtiani ibidem, & Chriſtianitatis nomen & cultus deletus eſt in eadem civitate.

*Tripolis capta.*

## M. CC. XC.

Non. Febr. Dominus Hainricus Dux Bavariæ bono fine & multa contritione moritur apud Purchauſen; & pro omnibus in quibus ſe timuit eccleſiaſticas perſonas, ſeu Eccleſias, ſeu quoſcunque alios indebite offendiſſe, conſtituit in præſentia & cum conſenſu filiorum ſuorum Dominum Heinricum Ratiſponenſem Epiſcopum, & fratrem Wernherum, lectorem fratrum Minorum Ratiſponenſium, indemnitati læſorum & ſaluti ſuæ animæ providere: ſepultus eſt autem in Landshut. Ordinavit autem, quod duo filii ſui, Dominus Ludwicus & Dominus Stephanus per quatuor annos continuos permitterent terram Bavariæ ſubeſſe dominio & ordinationi Domini Ottonis ſenioris fratris eorum, nec ad aliquam diviſionem vel partitionem terræ illius quatuor annis durantibus deberent procedere, & hoc confirmatum extitit ipſorum fratrum ac nobilium patriæ juramentis.

Eodem anno III. Non. Auguſt. mortuus eſt Dominus Rudolphus Saltzpurgenſis Archiepiſcopus. Et Dominus Stephanus, filius Domini Heinrici Ducis Bavariæ, eſt in Archiepiſcopum concorditer poſtulatus, ſed Dominus Papa hanc poſtulationem propter defectum ætatis ipſius, qui jam XXI. annum habuit, non admiſit, deputavit autem in Archiepiſcopum ejuſdem Eccleſiæ Dominum Chunradum, Lavendinum Epiſcopum, qui una cum aliis nunciis in prædicta poſtulatione fuerat, ipſumque confirmavit, pallium ei (quo notatur plenitudo pontificalis officii) aſſignando.

Dominus Ladislaus Rex Ungariæ ſine hæredibus obiit.

Rudolphus Rex apud Herbipolin (a) ſolennem curiam habuit cum Principibus Alemaniæ. Johannes Tuſculanus Epiſcopus, Apoſtolicæ ſedis Legatus, ibidem celebravit concilium, & quia multa onera & graves expreſſas volebat clero imponere, à quibuſdam Epiſcopis adverſus eum extitit ad ſedem Apoſtolicam appellatum, & propter hoc ſua intentio & concilium deſideratum ab eo eventum non habuit, & ipſe ſubito ad priora eſt reverſus. Intellexerat enim prius aliis de morte Domini Papæ Honorii, qui prius dicebatur Jacobus de Sabello: Cui ſuccedit frater Hieronymus de Ordine minorum fratrum, & vocatus eſt Nicolaus, de quo non intellexi, quod fratribus quondam ſui ordinis aliquas fecerit gratias ſpeciales: & tempore ſuo noluit diſcutere

(a) *al. Erphord. vide Siffrid.*

Digitized by Google

cutere quæstiones, quas fratres Prædicatores & Minores contra Episcopos habuerunt, ut per ipsum neutra partium gravaretur. Quo mortuo vacavit sedes Apostolica, propter discordiam Cardinalium, plus quam tribus annis. Et tandem iidem Cardinales (ut creditur) nutu divino concordaverunt in quendam virum rectum & religiosum, qui in cella sua per quadraginta annos & amplius sub regula B. Benedicti strenue vixerat, qui electus, Celestinus est vocatus, & quum educeretur à cella, nullum equum nunc & postea ascendere voluit, sed tantum asellum, exemplo Domini venientis Hierosolymam, equitat. In via etiam transeundo Dominus per eum multa miracula fecit, qui licet miræ sanctitatis existeret, tamen adeo simplex erat, quod petentibus concedenda & non concedenda concessit: & quum consideraret, quod consuetum silentium & abstinentiam, quæ in claustro servaverat, propter intolerabilem rerum curam tenere non potuit in papatu, renunciare eidem præsulatui cogitavit. Et quum sapientum esset opinio, quod Papa non possit cedere, talem constitutionem edidit, quod Papæ possent cedere tam præsens, quam futuri, dicens, quod de plenitudine potestatis eandem constitutionem facere bene possit, qua facta statim cessit: & electus est post ipsum Benedictus Cardinalis, qui vocatus est Bonifacius, qui statim post creationem suam omnes gratias & concessiones, quas prædecessor suus fecerat, revocavit. Et omnis populus, propter evidentem sanctitatem, prædictum Celestinum libenter habuisset pro Papa: sed Bonifacius ipsum recluſit, ne schisma fieret, si à populo raperetur. Post autem annos duos idem Celestinus mortuus est, & dicitur, quod Dominus multa per eum miracula operetur.

Sæc. XIII. Anno 1300. *Celestinus V. Pp.* *Bonifacius VIII. Pp.*

## M. CC. XCI.

XIV. Kal. Junii Achon civitas à Sarracenis capitur, occisis ibidem plus quam XXX. millibus personarum utriusque sexus. Cujus perditionis causa fuisse fertur multitudo Dominorum, & diversitas nationum ibidem, qui faciebant contrarietatem voluntatum.

XVIII. Kalend. August. mortuus est Rudolphus Romanorum Rex sine benedictione imperiali, & apud Spiram Alsatiæ civitatem sepultus fuit, regnavitque annis XVII. & Alemanniam & Italiam non intravit. Post quem intra tempus sex mensium electus est Adolphus Comes de Nassow in Romanorum Regem, miles multum strenuus. *Adolphus Rex.*

## M. CC. XCII.

Sibotone deposito & facto custodiæ Abbas Hainricus V. XXIX. dictus de Hugnant, succedit, vir largus & pius, qui benefecit oblaio * & fratribus, præfuit autem XXII. annis.

## M. CC. XCIII.

Adolphus Rex imperavit apud Teutonicos annis sex. Hic fuit ante Comes in Nassawe, & electus fuit in Franckenfurt unanimiter ab omnibus Principibus in Maio mense. Hic fuit vir strenuus in armis, sed potentia non multum. Hujus tempore orta fuit guerra in Vasconia inter Philippum Regem Franciæ, & Edwardum Regem Angliæ, in qua quamplurimi obierunt. Hic Adolphus Dominum Johannem de Gabilone constituit vicarium suum, & misit in Tusciam, quem Bonifacius Papa favorabiliter recepit. Adolphus vero Romanorum Rex terras Turingiæ & Misnenses rebellantes sibi intravit, & duobus annis manens ibidem expugnavit easdem, & nepotes olim Friderici Imperatoris, persequutoris Ecclesiæ, qui easdem terras occupaverat, ejecit penitus ab eisdem. Postquam enim civitatem in Freiberch obtinuisset, castrum quod in eadem civitate extitit, suffodi latenter præcepit; & congregatis ibidem majoribus adversariis Regis & fortioribus, muri ejusdem corruerunt. Et idem Rex cum suis, eandem ruinam præsciens, subito impetu omnes qui in castro fuerant, captivavit, inter quos quadraginta viros, qui magis nocentes fuerant, proscriptos ante sicut hostes Imperii incontinenter decapitari præcepit, aliis ad petitionem nobilium suorum pro tempore reservatis; quod factum adeo incolas terræ terruit, quod plures eorum desertis castris fugerunt; & ipse Marchio Misnensis, cui adhuc civitas & castrum Michsen cum paucis castellis remanserat, se Domini Regis gratiæ subdidit, & ut Rex illis parceret, quos de servitoribus suis in suis vinculis detinebat; quod & factum est, & sic pax eidem terræ rediit. Ipse enim Marchio præter alia mala, quibus terram turbaverat, Episcopum & Canonicos Misnenses à suis habitaculis & rebus ejecerat, & horreum fœni pro equis suis fecerat de Ecclesia cathedrali.

*Freiberg.* *Meichsen.*

Cum autem Albertus Dux Austriæ cum Conrado Salzpurgensi Archiepiscopo discordaret, & ex utraque parte sibi damna gravia intulissent, idem Archiepiscopus confœderavit sibi Ottonem Ducem Bavariæ, & una cum prædicto Duce Carinthiam est ingressus, fiduciatus ab incolis, quod possit terram Styriæ obtinere: sed tandem eos redire infecto negotio densitas nivium compellebat. Sequenti vero tempore prædictus Archiepiscopus cepit filium Ducis Carinthiæ, cujus liberatio magna occasio fuit, quod pax inter ipsos extitit reformata. Super qua reformatione Heinricus Ratisponensis Episcopus una cum Ludwico Duce Bavariæ sollicite laboravit: qua concordia



Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1300. durante vix ad tres annos, vel paulo plus, Dux Auſtriæ obſedit oppidum Raſtat (c) ad duos menſes & modicum amplius, à qua obſidione tandem propter inopiam victualium, quæ per anguſta montium adduci ſufficienter non poterant, dicitur receſſiſſe, quia & Dux Otto cum exercitu uſque in Saltzpurgam proceſſerat contra ipſum.

(a) *al. Ratſtein.*

## M. CC. XCIV.

*Celeſtinus V. Pp.* Celeſtinus V. de Terra Laboris natione, prope Sullonem, electus fuit die Junii, ſeditque menſes quinque, dies quinque, & vacabat ſedes dies decem. Hic prius vocabatur frater Petrus de Murrone, Ordinis qui dicitur S. Damiani, ſub regula S. Benedicti degebat in magna auſteritate vitæ, multos habens diſcipulos in illis circumvicinis partibus, quibus ipſe præerat quaſi pater. Hujus electio admiranda & oppoſita (*) fuit: perſtiterant enim Cardinales per duos annos, & amplius, fixi & divili in voluntatibus, nequeuntes concordare; & tandem audita de ſanctitate fratris hujus Petri, ipſum elegerunt in Peruſio, quo Cardinales tranſtulerunt ſe de Roma poſt obitum Nicolai IV. Et miſerunt Cardinales in die electionis ſuæ decretum ad ipſum, qui tunc erat in partibus Abrucii in habitaculo ſui colens Deum, & poſtmodum venerunt ad ipſum, & in Aliquilia in Eccleſia S. Mariæ de Colomadio in feſto Decollationis S. Johannis Baptiſtæ conſecratus & coronatus fuit. Deinde ivit Neapolin, ubi fecit unam ordinationem Cardinalium magnam, inter quos erant duo de ordine ſuo. Hic homo Dei in ſecularibus rebus minus expertus, Theologiæ & orationi deditus fuit, elegitque magis abjectus eſſe in domo Dei, & habitare ſecum; unde edita prius à ſe conſtitutione, *Quod Papa poſſit papatu cedere*, ipſe in vigilia S. Luciæ Neapoli in conſpectu fratrum Cardinalium reſignavit papatus oneri & honori, deponens ibidem papatus inſignia; & exuit ſe papatus indumentis, & poſt ceſſionem ſuam latere voluit, & redire ad eremium ſicut prius: ſed comprehenſus in fuga, permiſſu Bonifacii ſucceſſoris ſui, reductus fuit, in caſtro Fumonis in cuſtodia Bonifacii Papæ retentus; ne deinceps ab aliquibus tunc dubitantibus, utrum Papa papatum poſſet reſignare, in ſcandalum ipſius Bonifacii & Eccleſiæ pro Papa haberetur. Hic prius & poſterius dictus fuit frater Petrus de Mutrone, & poſtea ſupervixit annum, menſes IV. Hic multis claruit miraculis, & à Clemente V. Papa ſub nomine S. Petri canonizatus fuit.

*c. 1. De renunciat. in 6.*

*Bonifacius VIII. PP.*

## M. CC. XIV.

Bonifacius VIII. Papa, natione Campanus de Anagnia, electus fuit Neapoli in antevigilia Nativitatis Domini, prædeceſſore ſuo vivente, ſeditque annos octo, menſes novem, vacabat ſedes dies decem. Hic prius vocatus fuit Benedictus Gaterani, & primo fuit ſolennis advocatus in Curia, deinde Domini Papæ Notarius, & poſt circa S. Martini in montibus presbyter Cardinalis, & tandem Papa. Hic ſtatuit feſta Apoſtolorum, quatuor Evangeliſtarum, quatuor Doctorum Gregorii, Auguſtini, Hieronymi, Ambroſii ſub honore duplicis feſti celebrari. Villam Appanienſem in novam civitatem erexit, & civitatem Preneſtinam epiſcopatus honore privavit, & eam ſubverti fecit.

*Arelatenſe regnum.* Eodem anno orta eſt diſcordia inter Regem Franciæ ex una parte, & Edwardum Regem Angliæ ex altera: & Adolphus Romanorum Rex, plus favens Regi Angliæ, repetivit à Rege Franciæ regnum Arelatenſe, & quaſdam alias terras & provincias, quas dicebat eſſe Imperii: inſuper & ſpineam coronam Domini, quas niſi redderet, eas quod in manu forti vellet requirere demandavit, & ob hoc multi Comites & nobiles, ſicut Comes Flandriæ & de Bar, & alii ſe eidem Regi Franciæ oppoſuerunt, qui ei antea conſueverant adhærere. Propter quod prædictus Rex Franciæ anno Domini

## M. CC. XCV.

Eduxit ſuper eoſdem Comites adeo magnum exercitum, quod in eo dicebantur plus quam XXX. millia Judæorum eſſe, quos etiam primi belli auſpiciis exponere cogitabat.

Eodem anno mortuus eſt Ludwicus Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariæ, in partibus Rheni, apud Haidelbergk in caſtro, in ea camera (dicitur) ubi natus fuit, & reliquit duos filios, quorum primogenitus, videlicet, Dominus Rudolphus duxit in uxorem filiam Adolphi Regis, Mechtildem de Naſſow nomine.

*Immunitas Cleri.* Cives Ratiſponenſes cœperunt ædificare antemuralia civitatis ſuæ, opus decorum & forte munimentum, & à Clero civitatis ejuſdem pro eodem opere contributionem cum multa inſtantia exigebant. Sed Adolphus Rex Romanorum eodem tempore infra Paſcha & Pentecoſten veniens Ratiſponam, & proponente ſibi Hainrico Ratiſponenſi Epiſcopo, hanc actionem cognoſcens, eoſdem cives per ſeipſum & conſiliarios ſuos exhortatus eſt & monuit, ut nihil à Clero ratione hujus operis exigerent, ſed eum conſuetâ & conceſsâ à Deo & Romanis Principibus gaudere permitterent libertate. Renovaverat ſiquidem eidem Clero, ad petitionem ejuſdem Hainrici Ratiſponenſis Epiſcopi nuper, ante apud Franckfurt quoddam privilegium olim Friderici Romani Impe-

Digitized by Google

Imperatoris, quod incepit: *Ad decus & decorem*, &c. & fere de verbo ad verbum in libro *Vſus Pheodorum* eſt expreſſum, quod multam & maximam libertatem Cleri continet, pœnaſque infligit graviſſimas his, qui contrarium eidem privilegio auſi fuerint tentare, quod privilegium in præſentia ſua per Heinricum Brixienſem Epiſcopum eiſdem civibus legi fecit, unde ipſi cives ab eadem actione ceſſaverunt, & permiſerunt uſque huc clerum gaudere debita libertate. SÆC. XIII. ANNO 1300.

## M. CC. XCVI.

Papa fecit proceſſus contra Columnienſem, eo quod Stephanus de Columna theſaurum ſuum deprædatus fuerat. Deinde Jacobus & Petrus de Columna, Cardinales, videntes contra ſe Papam commotum, libellum famoſum fecere contra ipſum, quem ad multas mundi partes miſerunt, aſſerentes in eo, ipſum non eſſe Papam, ſed ſolummodo Celeſtinum. Unde citati à Bonifacio non venientes, tandem fuerunt ſicut ſchiſmatici condemnati, & privati capellis rubeis, beneficiis eccleſiaſticis & cardinalatus titulo. Inſuper bona eorum & filiorum Joh. de Coluna, Agapeti, Stephani & Scarræ fuerunt pariter confiſcata, in die Aſcenſionis Domini anno ſequenti. Prædicti vero Jacobus & Petrus à facie Bonifacii perſequentis latuerunt, donec Bonifacius mortuus & ſepultus fuit.

Septimo Kalend. Auguſti Hainricus Ratiſponenſis Epiſcopus, dictus Rotenegk, moritur. Poſtquam enim in die B. Jacobi Apoſtoli, quem ſpeciali conſuevit venerari honore, cum multa devotione Miſſarum ſolennia perſonaliter celebraſſet, & cum clero & populo ſe in menſa refeciſſet, hora veſperarum incepit ſubito corporis viribus deſtitui, & ſic in die altera exſpiravit, qui miræ providentiæ & ſagacitatis extitit: in tantum etiam, quod anniverſarium ſuum vivus & ſanus plus quam quatuordecim annos ante mortem ſuam inſtituit, & ejuſdem celebrationi, cum candelarum accenſione & pulſatione (quæ conſuevit fieri in funere Epiſcopi) vigiliis & miſſis annis ſingulis interfuit; ſepulchrum ſimiliter ſibi longe ante XLI. fabricavit, & prævidit juxta altare B. Virginis in majori veteri Eccleſia Ratiſponenſi; ſimiliter (a) trucam etiam, in qua ſepeliri debuit, cum veſtibus funeralibus ibidem impoſitis, in memoriam continuam mortis ſuæ, per eoſdem annos habuit locatam à latere lecti ſui. Item in ſpiritalibus mirabiliter providus extitit, non ſolum vetera ſtatuta ſervando, immo & multa nova ſalubriter condendo. Muſicam primus in choro Ratiſponenſi cantari ordinavit, libros ejuſdem artis ſecundum cantus & chori conſuetudinem providendo, Eccleſiam Ratiſponenſem etiam multis pretioſis decoravit ornamentis, crucibus, calicibus aureis & argenteis, gemmis pretioſis inſertis, cappis, caſulis Dalmaticis, item vexillis, cortinis libris, & aliis, quibus fuit ante ſua tempora quoddammodo omnimodis deſtituta. Item primus Latinum vinum canonicis ad præbendam quibusdam certis temporibus dari inſtituit, præbendam etiam eorum in multis auxit. Monaſteria monachorum & monialium ſæpe cum multa providentia viſitavit, & invenire non poſſum, quid ei in temporalibus & ſpiritualibus defuerit: qui pro tempore ſuo adeo diſcordantium factus eſt reconciliatio, quod non ſolum Bavaria, immo & vicinæ terræ per ſuam induſtriam & laborem pacis pulchritudine floruerunt. Rexit autem Ratiſponenſem Eccleſiam novendecim annis.

(a) *Truhen, lectum.*

In die B. Petri ad vincula electus eſt in Ratiſponenſem Epiſcopum Dominus Conradus de Lumppurg vir ingenioſus & ingenuus, tunc Ratiſponæ ſummus Præpoſitus, in manſuetudine ac pietate Moyſi coæqualis.

## M. CC. XCVII.

Bonifacius Papa VIII. ſextum librum Decretalium, quem fieri fecerat, publicavit. Anno ſequenti reconciliavit ſibi & Eccleſiæ Alfonſum Regem Arragonum, & abſolvit à ſententia excommunicationis, & regnum Arragonum ſibi reſtituit, regnumque Sardiniæ ſub certis pactis ſibi conceſſit. Tunc Reate, ubi Papa reſidebat, & in vicinis partibus, in feſto S. Andreæ maximus erat terræmotus, & multa ædificia diruit, & pluribus diebus, non tamen continue, duravit, ita quod Papa ibidem apud Prædicatores in tentoriolo de ſubtilibus lignis facto quievit, & homines de nocte ad campos fugerunt. Illis diebus fecit Papa 4. Cardinales, & poſtmodum alio tempore duos Cardinales fecit.

Adolphus Rex Romanorum eodem anno præparans ſe cum militia ad invadendum Regem Franciæ, impeditur, quia Moguntinus Archiepiſcopus, Rex Boemiæ, Albertus Dux Auſtriæ, duo Marchiones de Brandeburg, & Dux Saxoniæ congregati in die Pentecoſtes (quo idem Rex Boemiæ per Dominum Moguntinum coronabatur Pragæ) condixerunt diem, in quo apud Egram convenire deberent, ut contra prædictum Romanorum Regem conſpirationis ſuæ intentum perficerent: ſed per potentiam ipſius Regis impediti, in loco condicto non poterant convenire, ſed apud quoddam oppidum Bohemiæ, nomine Chadam, convenerunt prædicti ſocii Archiepiſcopi Moguntini, qui per malitiam Regis obſeſſus in quodam caſtro, eſt à ſuo itinere retar-

*Conſpiratio in Adolfum.*



Digitized by Google

SÆC. XIII. retardatus, & ob hoc eorundem Principum, qui se dicebant alium Regem velle eligere, machinatio in ridiculum est conversa.

ANNO 1300. Rex Franciæ congregatis quasi omnibus viribus suis & exercitu magno valde, in quo dicebantur esse præter alios bellatores multa millia phaleratorum equorum, intravit in Comitatum Flandriæ, & modum * Regis Angliæ (cujus filiam Comes Flandriæ habuit in uxorem) obsedit: civitates ejusdem terræ, videlicet Bruck, Eyper, & Gandavum.

Mortuus est Remboto Eistetensis Episcopus, cui succedit Dominus Conradus, dictus Pessenhausen, Ratisponensis Ecclesiæ canonicus & archidiaconus, vir multæ industriæ & sagacitatis.

Civitas Ratisponensis per Dominos Ottonem & Stephanum Duces Bavariæ impugnatur, & prohibentur per eosdem ad eam deduci victualia; unde & cives forum in Apach exusserunt. Tandem per diligentiam Domini Conradi Ratisponensis Episcopi cum ipsis Dominis Ducibus ad gratiam & concordiam redierunt.

## M. CC. XCVIII.

Circa medium Quadragesimæ Dominus Albertus Dux Austriæ, filius quondam Domini Rudolphi Romanorum Regis, cum favore Domini Ottonis Ducis transivit Bavariam cum exercitu, habens secum quosdam Australes, paucos tamen Ungaros & Bohemos, & ad partes Rheni veniens per auxilium Domini Moguntini Archiepiscopi, & Argentinensis & Constantiensis Episcoporum, & quorundam nobilium ibidem, majorem fortitudinem collegit, & contra Adolfum Romanorum Regem ad bella se exposuit. Qui Rex illustrium Principum Dominorum Ottonis prædicti & Rudolphi Comitis Palatini, Ducum Bavariæ, & quarundam civitatum Imperii, utputa, Spira, Wormatia, juvabatur: & eidem Duci Austriæ (qui jam sibi nomen Regis assumpserat) post multos circuitus hinc inde habitos, in loco qui dicitur *Hasenpuhel*, cum propria festinatione (quæ in rebus bellicis & magnis exercitibus non expedit) occurrit in die Processi & Martiniani, & prædictis Dominis Ducibus Bavariæ dimicantibus in prima acie, per novum bellandi genus, scilicet gladios præacutos, omnes eorum dextrarii sunt occisi, adeo ut & ipsi Principes Bavariæ una cum multis suis nobilibus equis privarentur: sed adhuc animi virtute non fracti, super infectorum hominum & equorum stantes cadavera, longo tempore cum hostibus dimicarent. Propter occisorum enim equorum aggerem hostes equites eos accedere non valebant, quod & ipsi vice versa per similem stragem equos perdiderant. Prima igitur sic dimicante acie ipse Rex volens cum sua turba eis succurrere, & præcedendo suam aciem (in qua re erat peritissimus) ordinare, equo suo cadente ex infortunio, ante ingressum ad bellum cecidit, & ab eodem equo gravissime est concussus: adeo ut cum à suis restitueretur in equo, minime sui compos esset, & sic omnes * ad bellum veniens quia & galeam præ debilitate recente ferre non potuit; & hostibus exposuit minus caute, subito est occisus, & caruit benedictione imperiali, ut patet per hos versus:

*Adolfi & Alberti conflictus.*

*Annis millenis transactis, octo ducentis,*
*Et nonaginta, Processi, Martiani,*
*Prævalet Albertus Rex, lite necatur Adolphus.*

Prædictis adhuc Dominis Ducibus Bavariæ locum suum tenentibus (ut est dictum) sed Rege mortuo, ipsi Duces se apud Haydelberg receperunt, Dominus tamen Otto Dux erat tribus gravibus vulneribus sauciatus, in tantum quod mortis periculum vix evasit. Qui etiam Dominus Otto Dux quum prædictum sequeretur ad partes Rheni, & castra metatus est, Comes Albertus de Haigerloch, avunculus Domini Alberti Ducis Austriæ, ipsum Dominum Ottonem Ducem improvise invasit cum longe majori equitum & peditum copia, quam idem Dux habuerat illa hora, de quo tamen idem Dux ipso Comite & fere 400. de suis occisis triumphavit. Dicitur etiam, quod in ipso conflictu Regis & Ducis pauci homines, sed mille 400. dextrarii sunt occisi.

*Albertus Rex.*

Postmodum vero Rege sepulto apud monasterium Rosenthal, ejusque filio capto, Electores Imperii præfatum Ducem Albertum Austriæ in Regem Romanorum apud Francenfurt unanimiter elegerunt. Albertus vero Rex Romanorum imperavit apud Teutonicos annis decem, fuitque Rudolphi filius & Dux Austriæ. Hic quum prædecessorem occidisset, electus fuit Aquisgrani in Regem, misitque solennes nuntios anno sequenti ad Papam Bonifacium VIII. pro approbatione electionis suæ: quem idem Papa multis allegatis rationibus repulit prima vice, & asseruit esse nullam. Postquam vero suborta est gravis discordia inter eundem Papam & Philippum Regem Franciæ, idem Bonifacius Albertum Imperatorem approbavit, eidem subjiciens regnum Franciæ, sicut alia regna.

Civitas

Digitized by Google

Civitas Patavinæ se Domino suo Patavienſi Epiſcopo Werhardo oppoſuit, & tam Epiſcopus quam Canonici civitate exeuntes, eam per excommunicationem in certas perſonas & interdictum in locum ſpiritualiter, & etiam per machinas à monte S. Geroii, & aliis modis, licet non multum fortiter, eoſdem cives fortiter civiliter impugnarunt. Volebant enim prædicti cives habere magiſtrum civium, conſules & rectores civitatis à ſe electos, & ſigillum ſpeciale, & campanas jam erexerant ad eorum conſilium convocandum, & ſic intendebant more Regalium civitatum, utpote Ratiſponæ, non regi mandatis Epiſcopi, ſicut ante conſueverant, ſed propriis rectoribus & magiſtro, & ſuper prædicta diſcordia tam ipſe Epiſcopus quam cives Albertum Regem in Curia, quam celebravit apud Nurnberg, acceſſerunt, ſuas querimonias proponentes. Prædictus vero Rex non per formam judicii, ſed per arbitrium eoſdem cives cum Epiſcopo concordavit, ita videlicet quod ſigillum & campanas Epiſcopo tradiderunt, quarum una etiam in Eccleſia S. Stephani Patavienſis habetur. Promiſerunt etiam prædicti cives memorato Epiſcopo & ſuis ſucceſſoribus de cætero fideliter obedire, nec ſimilia attentare, & inſuper coacti ſunt dare duo millia librarum Patavienſium pro emanda.

SÆC. XIII. ANNO 1300. *Patavienſium ſeditio.*

Exorta eſt fama quædam de Judæis, quod corpus Dominicum in mortario contuderint, & ſanguis in multa quantitate emanaverit, qui poſtea à Judæis non poterat occultari, & ob hoc omnes Judæi in Herbipoli, Nurnberch, Rotenburg, & etiam per totam Franconiam per inſultum populi, & quoſdam qui ſe in magna multitudine collegerant, & quendam qui Rintflaiſch dicebatur (quem pro Principe elegerant) volentium vindicare tam recentem injuriam Salvatoris, incendio ſunt cremati. Et adeo valida fuit eorum perſequutio, quod etiam caſtrum regale in Nurnberch, caſtrum prope Novum Forum, ut de aliis oppidis Franconiæ taceam, in quibus ſe Judæi cum armis defenſionis, conjunctis Chriſtianis non paucis, receperant, ſint in brevi diei ſpatio expugnata, & tam ipſa caſtra, quam Judæi & Chriſtiani ibidem incendio perierint: quod & durum eſt dictu, licet durius ſit factu, Judæi ſeniores timentes, ne pueri & fœminæ Baptiſma, ut ignem evaderent, peterent, eos propriis manibus ante ſe ignibus ſubjecerunt, & ipſimet poſtmodum inſilierunt in ignem. Arma etiam & pecuniam, ne Chriſtianis cederent, prius quam ſe ipſos, flammarum voragini tradiderunt. Et apud Babenberg, & etiam Ernberch contigit illud idem. Cives vero Ratiſponenſes ſuam volentes honorare civitatem, ipſos Judæos aliter quam judicio occidi & deſtrui vetuerunt, dicentes, quod voluntati Dei in Judæorum interfectione nollent reſiſtere: ſed expectare donec de hoc, quod hæc vindicta eſſet à Domino, eis fieret major fides: & ſic Judæi Ratiſponæ, licet cum magna difficultate, uſque hodie incendium evaſerunt.

*Judæorum facinus, & ſtrages.* *Rintfleiſch.* *Neumarck.*

## M. CC. XCIX.

Albertus Rex Romanorum celebravit curiam ſolennem cum Principibus Alemaniæ apud Nurnberch, cui interfuerunt Colonienſis, Trevirenſis, Moguntinenſis, Saltzpurgenſis, Archiepiſcopi, & Ratiſponenſis, Patavienſis, Friſingenſis & alii Epiſcopi multi, item Rex Bohemiæ, Dux Bavariæ, Rudolphus Comes Palatinus Rheni; Duces Karinthiæ, & alii nobiles multi. In eadem curia edixit leges, quæ inferius continentur, & filium ſuum primogenitum pro Duce Auſtriæ deputavit, cui etiam poſtmodum, videlicet anno 1301. filiam Philippi Regis Franciæ N. natam ex filia Ducis Brabantiæ, uxorem copulavit, & ad terram Auſtriæ eſt deducta.

Circa idem tempus Bonifacius Papa fecit, & ad generalia ſtudia ſub bulla tranſmiſit Sextum Decretalium; in quo multa quæ antea erant in ſcholis & in judiciis ambigua, declaravit. Et duos Cardinales depoſuit, ut patet clarius in eodem. Item controverſias & materias quæſtionum inter Epiſcopos, Prælatos & clerum ex una parte, & fratres Prædicatores & minores ex altera, quæ jam per plures annos ſuſcitatæ, duraverant, & de quibus ſuperius in hoc loco fit mentio, decidit, ut etiam patet in quadam litera incipiente, *Bonifacius Epiſcopus, ſervus ſervorum, ſuper cathedram præeminentiæ.*

*Sextus Decretalium.*

Sarracenorum Rex N. habito conflictu cum Soldano Babyloniæ, concilio & auxilio quorundam Chriſtianorum eum devicit, & ob hoc ſe baptizari fecit, & terram ſanctam promiſit tradere cultui Chriſtiano, quam cum quidam fratres de domo Teutonica cum magiſtro eorum intraſſent, & *.

Chunradus de Luppurch ſine liberis moritur, & caſtrum Luppurch cum pertinentiis ſuis ad Dominum Conradum Ratiſponenſem Epiſcopum fratrem prædicti Conradi, tanquam ad verum heredem devolvitur, & ab eo Ratiſponenſi Eccleſiæ perpetuo donatur, quod etiam caſtrum multis ſumptibus & laboribus eſt obtentum.

*Luppurg.*

## M. CCC.

Papa Bonifacius VIII. fecit indulgentiam plenam omnium peccatorum omnibus viſitantibus limina Apoſtolorum Petri & Pauli, & finientibus ibi quindenam infra ipſum

*Jubilæus.*



Digitized by Google

SÆC. XIII. ANNO 1300.

annum, & ſtatuit eandem indulgentiam in omni anno centenario ab omnibus viſitantibus eadem limina ſanctorum ſacra ſic haberi. Et factus fuit Romæ concurſus magnus populorum de toto orbe.

v. Kal. Julii Otto & Stephanus Duces Bavariæ fere cum cc. nobilibus terræ ſuæ apud Landshut gladiis militaribus accinguntur: & memoratus Stephanus Dux priori anno duxerat in uxorem dominam Jeuttam, filiam Polotonis Ducis Poloniæ.

Navale bellum habitum eſt inter Venetos ex una parte, & Januenſes ex altera, & victis Venetis circa XXX. M. perierunt armis & mari, captivi à Januenſibus X. abducti ſunt.

Mortuus eſt Rex Andreas Ungariæ ſine heredibus; & Bonifacius Papa deputavit pro Rege ibidem N. nepotem Caroli quondam regis Siciliæ, natum ex filia Rudolphi quondam Romanorum Regis; qui etiam anno ſequenti eſt in Strigonia coronatus, licet Rex Bohemiæ N. pro N. filio ſuo idem regnum, & etiam multi alii aſpirarent.

ANNA-

Digitized by Google

# ANNALES
# EBERHARDI
## DE INFERIORI ALTACH,

RATISPONENSIS ECCLESIÆ ARCHIDIACONI.

AB IMPERATORE

## RUDOLPHO HABSPURGIO

SIVE

Ab Anno 1273. usque ad annum 1305.

*Ex Codice Manuscripto Augustani Monasterii SS. Afræ & Udalrici.*

Digitized by Google

# AD LECTOREM
## CANISIUS.

Sæc. XIV. Anno 1305.

*IN eodem m. ſ. codice monaſterii S. Udalrici ſequuntur hi Annales Eberhardi: quos qui legerit & conferre voluerit cum iis, quæ Francofurtenſis editio ab anno* 1273. *nomine Heinrici Steronis edidit; mirabitur ſanè in tam multis ad verbum convenire. Licet enim noſter hic m. ſ. multis partibus auctior ſit, tamen neceſſe eſt, ut vel Stero Eberhardum, vel hic illum viderit, & quædam transcripſerit. Nos ſumma fide ex m. ſ. damus Eberhardum, qui hactenus lucem non vidit; quam inferre hiſtoriæ illius ævi aptus natus eſt. Mentio hujus eſt in Bibliotheca Geſneri his verbis*: Eberhardus Ratiſponenſis diaconus hiſtoriam quandam ſcripſit.

---

# ANNALES
# EBERHARDI ALTAHENSIS,
## RATISPONENSIS ECCLESIÆ ARCHIDIACONI.

### *Ex m. ſ. Auguſtano.*

QUia ea, quæ in patria noſtra, ſcilicet Bavaria, à tempore electionis Rudolphi Romanorum Regis geſta ſunt, in multis locis quæſivi, nec ſcripta reperi, ego Eberhardus, natus de inferiori Altach, Ratiſponenſis Eccleſiæ Archidiaconus, juxta Hiſmenium mihimetipſi canens, illa quæ requirendo ſcire poteram, vel audiendo, & digna reputavi memoria, hîc fideliter annotavi.

Anno Domini M. CC. LXXIII.

Rudolphus Habsburgenſis eligitur Imperator.

Mortuo Richardo Romanorum Rege, Principes Imperii circa Octavam S. Michaëlis ad eligendum alium Regem in Frankhenfurt convenerunt, & dum omnes qui vocandi erant intereſſent, præter Heinricum Ducem Bavariæ, qui & ſolennes miſerat nuncios, & per ratihabitionem ſuum eidem electioni præbuit conſenſum, electus eſt Rudolphus Comes de Habſpurch in Romanum Regem, poſtea in Imperatorem conſecrandus. Qui Rudolphus ſtatim exegit à Principibus, Clericis ac Laicis fidei juramentum, quod cùm recuſarent propter ſceptri abſentiam, ipſe electus ſignum Crucis accipiens talia dixiſſe fertur: Ecce ſignum, in quo nos & totus mundus eſt redemptus; & hoc ſigno utamur loco ſceptri: & deoſculata Cruce omnes Principes tam ſpirituales quam ſæculares ipſam Crucem loco ſceptri oſculantes, recipientes feuda, ſibi fidelitatis juramentum præſtiterunt. Ipſe etiam Rex adhuc exiſtens in palatio Aquenſi, ad quod jam (a) pridie intronizatus à Principibus fuerat, duas filias ſuas, unam Domino Ludwico Comiti Palatino Rheni, alteram Duci Saxoniæ matrimonialiter copulavit.

(a) *pridem.*

Eodem anno Rex Bohemiæ Otakerus & Heinricus Dux Bavariæ ad plenam concordiam redierunt, Rege Bohemiæ de caſtro in Scherding, & quibuſdam juribus, quæ per-

Digitized by Google

pertinebant ad Ducem, reſtitutionem faciente. Ipſi etiam contra omnem hominem hujuſmodi juraverant mutuo ſe juvare. Sæc. XIV.

Anno Domini M. CC. LXXIV. Ad curiam novi Regis in Franchenfurt Principes evocantur. Anno 1305.

Anno Domini M. CC. LXXIV. Celebratum eſt generale Concilium apud Lugdunum per Gregorium Papam decimum, cui interfuerunt plus quam DCC. Epiſcopi & Abbates & Præpoſiti, cæterique Eccleſiarum Prælati in numero copioſo. Item eidem concilio interfuerunt ſolennes Nuncii ſeu Procuratores Græcorum, qui coram toto Concilio Symbolum Nicæni Concilii, Credo in unum Deum: quod à ſuo veteri errore, quo dicebant Spiritum ſanctum tantum à Patre, & non à Filio procedere, ſe receſſiſſe demonſtrarent; & velle credere, quod ſancta mater Romana & orthodoxa Eccleſia credit & prædicat, ſcilicet quòd Spiritus ſanctus à Patre & Filio æterna ſpiratione procedit. Sicut patet per Decretalem, quæ ſuper hoc eſt in eodem Concilio promulgata, cujus tenor talis eſt: Concil: Lugdunenſe an. 1274.

„ Fideli ac devota profeſſione fatemur, quòd Spiritus ſanctus æternaliter ex Patre „ & Filio, non tanquam ex duobus principiis, ſed tanquam ex uno, non duabus ſpi- „ rationibus, ſed una ſpiratione procedit. Hoc profeſſa eſt hactenus, prædicavit & do- „ cuit ſacroſancta Romana Eccleſia, mater omnium fidelium & magiſtra, hoc habet „ orthodoxorum Patrum, atque Doctorum Latinorum pariter & Græcorum incom- „ mutabilis & vera ſententia. Sed quia nonnulli propter irrefragabilis præmiſſæ igno- „ rantiam veritatis in errores varios ſunt prolapſi, nos hujuſmodi erroribus viam præ- „ cludere cupientes, ſacro approbante concilio, damnamus & reprobamus omnes, qui „ negare præſumpſerint, æternaliter Spiritum ſanctum ex Patre & Filio procedere; „ ſive etiam auſu temerario aſſerere, quòd Spiritus ſanctus ex Patre & Filio, tanquam „ ex duobus principiis, non tanquam uno procedat. " Græcorum fidei profeſſio.

Sed ipſi Græci ab hoc fide & promiſſione ſubito receſſerunt; propter quod Dominus Papa Martinus in urbe veteri eos excommunicatos nunciavit, ut patet in litera ſubſequenti. Martinus Epiſcopus, ſervus ſervorum *Dei*, ad certitudinem præſentium & memoriam futurorum, Michaelem Palleologum, qui Græcorum Imperator nominatur, tanquam eorundem Græcorum antiquorum ſchiſmaticorum, & in antiquo ſchiſmate conſtitutorum, & per hoc hæreticorum, nec non & hæreſis ipſorum ac ſchiſmatis antiqui fautorem, de fratrum noſtrorum conſilio denunciamus, præſente ac fidelium multitudine copioſa, excommunicationis ſententiam, latam à canone, incurriſſe ac ipſius fore ſententiæ vinculo innodatum. Cæterum univerſis & ſingulis Regibus, Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus & cæteris omnibus, cujuſcunque ſint præeminentiæ, conditionis, aut ſtatus; nec non univerſitatibus civitatum, caſtrorum, & aliorum locorum, diſtrictius inhibemus, ne cum eodem Michaële Palleologo in hujuſmodi excommunicatione manente ſocietatem vel confœderationem aliquam contrahere ſub quovis ingenio, vel machinatione præſumant, vel etiam alias in his, pro quibus excommunicatus eſt denunciatus à nobis, præſtare conſilium, auxilium vel favorem publicum vel occultum. Et ſi ſecus præſumptum fuerit, omnes ſingulares perſonas contrarium facientes, non obſtante qualibet indulgentia, ſub quacunque forma verborum vel expreſſione ipſis ab Apoſtolica ſede conceſſa vel inpoſterum concedenda, quam quoad hoc viribus volumus omnino carere, ſententiam excommunicationis, quam exnunc in ipſos ferimus, volumus incurrere ipſo facto. Terras autem ipſorum nec non univerſitates prædictas, quæ ſecus attentare præſumpſerint, prout expedire viderimus, Eccleſiaſtico ſubjicere curabimus interdicto ad privationem omnium bonorum, quæ à quibuſlibet tenentur Eccleſiis. Et ad pœnas alias ſpirituales & temporales, prout utile putabimus proceſſuri, & nihilominus ſocietates confœderationum ipſas, etiamſi pœnarum & juramenti adjectione, vel quacunque fuerint alia firmitate vallatæ, decernimus irritas & inanes. Ut autem hujuſmodi noſter proceſſus ad communem omnium notitiam deducatur, chartas ſive membranas proceſſum continentes eundem, in majoris Urbenetanæ Eccleſiæ appendi vel affigi oſtiis ſeu ſuperliminaribus faciemus, quæ proceſſum ipſum quaſi ſonoro præconio & patulo judicio publicabunt, ita quod idem Palæologus, & alii contra quos proceſſus ipſe contigit, nullam poſſint poſtmodum excuſationem prætendere, quod ad eos talis proceſſus non pervenerit, vel quod ignoraverint eundem, cùm non ſit veriſimile remanere quoad ipſos incognitum vel occultum, quòd tam patenter omnibus publicatur. Actum apud Urbem veterem in platea dictæ majoris Eccleſiæ in feſto dedicationis Baſilicæ Principis Apoſtolorum. Pontificatus noſtri anno primo. Græci excommunicantur.

Item quia in partibus Alemanniæ & forſitan in aliis etiam iniqua conſuetudo inoleverat, de impignorationibus, in quibus unus pro alio ſive innocens pro nocente indebitè prægravatur, contra impignorantes hujuſmodi idem Papa Gregorius in eodem Bulla de Repreſaliis.



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1305.

concilio edidit Decretalem, cujus tenor eſt talis. Et ſi impignorationes, quas vulgaris elocutio Repreſalias nominat, in quibus alius pro alio prægravatur, tanquam graves legibus & æquitati naturali contrariæ, civili ſunt conſtitutione prohibitæ; ut tamen earum prohibitio in perſonis Eccleſiaſticis tantò amplius timeatur quantò in illis ſpecialius inhibetur, eas concedi contra perſonas prædictas ſeu bona ipſarum, aut quantumcunque generaliter prætextu cujuſvis conſuetudinis, quam potius reputamus abuſum, fore conceſſas, ad illas extendi præſenti decreto diſtrictius inhibemus. Illi autem, qui contra fecerint adverſus perſonas eaſdem impignorationes ſeu repreſalias concedendo vel extendendo ad eas, nec præſumptionem hujuſmodi revocaverint à conceſſionis vel extenſionis tempore infra menſem, ſi perſonæ ſingulares fuerint, ſententiam excommunicationis incurrant; Si verò univerſitas, Eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto. Ex hac tamen ſalubri conſtitutione modica provenit utilitas, vel quia rite poſt Concilium in Provinciis publicata non extitit, vel quia excommunicationis præcipitium à malis hominibus non timetur. Item pro ſubſidio terræ ſanctæ impoſita fuit in eodem Concilio omnibus Eccleſiis & Monaſteriis, non tamen Xenodochiis nec Orphanotrophiis, ſolutio decimarum omnium proventuum Eccleſiaſticorum per ſex annos continuos idem Concilium ſubſequentes. Quæ decima, quamvis ſtudiosè exacta fuerit & recepta, non tamen eſt evidens, quæ utilitas terræ ſanctæ exinde fuerit procurata. Poſt idem Concilium prædictus Papa Gregorius acceſſit apud Loſannam Rudolphum electum per Principes Alemanniæ in Romanorum Regem, & electionem de ipſo factam confirmavit, ſibi nomen & dignitatem regiam aſcribendo, & promiſit ipſum Imperatorem poſtea conſecrare.

## Anno Domini M. CC. LXXVII.

*Auſtriam Rudolfus recuperat.*

Cum prædicto Rudolpho Romanorum Rege omnes Comites & Barones & communitates civitatum & civium de Rheno, Franconia, Suevia, & Bavaria, ſe ſponte ſubdiderunt, ei fidelitatis jurando homagia, caſtraque & civitates & terras quas tempore vacantis Imperii, ſcilicet à temporibus Friderici olim Imperatoris occupatas tenuerant, ſibi volutariè reſignarunt; Otakerus quintus Bohemorum Rex, qui Auſtriam, Styriam, Karinthiam, Carniolam, ac Portum Naonis tempore vacantis Imperii tenuerat, reſignare noluit, dicens quod eaſdem terras, bona fide & juſto titulo poſſideret, ac ex mandatis & commiſſionibus Apoſtolicorum qui tempore ſuo fuerant, contra inſultus Ungarorum, Comanorum & Tartarorum per XXIV. annos cum gravibus ſumptibus & laboribus, imò & multa impenſa ſuorum ſanguinis defenſaſſet. Quam allegationem Rudolphus Rom. Rex non advertit, ſed validum exercitum congregans intravit terram Auſtriæ, euntibus ſecum in exercitu Moguntino, & Colonienſi Archiepiſcopis, Herbipolenſi, Ratiſponenſi, Patavienſi Epiſcopis, Ludwico Comite Palatino Rheni, Heinrico Duce Bavariæ, & aliis multis nobilibus de Rheno, Franconia, & Suevia. Et civitates ibidem & caſtra ſe ſuo dominio ſubdiderunt, excepta civitate Wiennenſi, quam etiam obſidione cinxit, nec tamen per violentiam cepit, ſed per quoddam arbitrium, quod ipſi ambo Reges inierunt, incepit ipſam civitatem Wiennenſem, & totam terram Auſtriæ trans Danubium verſus meridiem pacificè poſſidere; altera parte ejuſdem trans Danubium verſus Aquilonem ſive Bohemiam eidem Regi Bohemiæ per idem arbitrium remanente. Tandem per tres vel duos annos, prædicto ſciſſo arbitrio, præfatus Rex Bohemiæ de terris ſuis, ſcilicet Bohemia & Moravia, & etiam de aliis terris, ſcilicet Polonia, Pomerania, Saxonia, Michſna fortem exercitum congregans caſtrametatus eſt ſuper flumine March in campo qui dicitur Marchveldt, prope Ciſteſdarff; & cum idem Rex Bohemiæ cum Rudolfo Romanorum Rege de mane congredi cogitaret, ecce multi nobiles de parte adverſa ipſum Regem Bohemiæ præmonuerunt literis & nunciis dicentes, quod in ipſa congreſſione nobiles ſui eſſent eum proditionaliter in manus hoſtium tradituri: quod cognoſcens idem Rex Bohemiæ nobiles ſuos ad ſe in ſuum convocavit tentorium, & ſe eis inermem omnimodis præſentavit dicens: Ecce inermis in conſpectu veſtro ſto, & licet de fidelitate veſtra non diffidam, tamen ſi cui contra me proditionis vel iniquæ factionis eſſet voluntas, melius exiſteret, ut me nunc ſolum occideret, quàm quod cras mecum in bello multa millia hominum moriantur. Sed ipſi nobiles multis juramentis, ſe ipſi velle fideliter aſſiſtere, promiſerunt. Item idem Rex Bohemiæ cuidam ſtrenuo militi promiſit plurima ſe daturum, ſi vel Romanum Regem, vel ſaltem equum ejus occideret in congreſſu, qui miles hac promiſſione accepta, cuneum fortiſſimorum militum penetrans, ipſum Regem Romanorum vehementi ictu ad terram proſtravit, & equum ejus occidit. Sed nobiles, qui latus Regis ſtipaverant, eundem captivaverunt militem, & Regem in equo alio locaverunt. Sed ecce mirabilem prædicti Romanorum Regis clementiam, quia eundem militem ſibi captivum præſentatum poſtea abire permiſit illæſum, dicens quod Reipublicæ damnum eſſet, ſi miles adeo fortis & ſtrenuus deperiret. Ipſo etiam Rege Romanorum, devinctis ſibi Ungaro-

Digitized by Google

garorum & Comanorum Regibus, & nobilibus de Rheno, Franconia, & Suevia, Sæc. XIV. conflictum habente cum prædicto Rege Bohemiæ, ipse Rex Bohemiæ est occisus & inter cadavera mortuorum nudus omnimodis est inventus, anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo octavo, septimo *Kalendas Septembris*. Idem enim Rex Bohemiæ nobiles & populum prædictarum terrarum Bohemiæ, Austriæ, Moraviæ, Styriæ, Karinthiæ & Carniolæ, qui ante sua tempora rapinis & spoliis assueti fuerant, multa austeritate compescuit, & sine delectu personarum in severitate justitiæ ita magnum judicaverat sicut parvum, & ob hoc prædicti nobiles eum latenter habentes odio, deseruerunt aciem, ac ipsum cum paucis expositum hostibus dimiserunt, quod cum ipse Rex conspiceret, scilicet suorum adjutorio se privatum, cum illis paucis, qui mori elegerant pro domino & Patria, in turbas hostium prosiliit, & aliqua strage ab eis facta tam ipse quam prædicti sibi fideles in acie ceciderunt. Post ejus mortem terra Bohemiæ & Moraviæ multis tribulationibus est exposita, nam filius ipsius Regis juvenis erat, & per Marchionem de Brandenburch in tutelæ custodia servabatur, & ipsa terra Bohemiæ tam per incolas quàm per Ducem Heinricum Vraceslaviæ miserabiliter vastabatur. Interea etiam relicta prædicti Regis Bohemiæ duxit legitimè quendam nobilem de Bohemia, Zebischum nomine, de cognatione Bitigonum, qui sæpe fati Regis Bohemiæ validus fuerat persecutor. Sed tandem filius Regis Bohemiæ ducens in uxorem filiam Rodolfi Romanorum Regis, & regnare incipiens, eundem Zebischum, qui per Reginam quam duxerat, thesauros regios habere cœperat, nec Regi assignare voluit, mortua quondam Regina captivavit & occidit, duobus filiis quos ex eadem domina habuerat, exilio deputatis, & quia fratres ejusdem Zebischi & aliqui alii de sua parentela se ob hoc Regi Bohemiæ opposuerunt, eos à regno suo penitus expulit & fugavit.

*Ottocarus cæsus Æn. Syl. in Bohemia 6. 27.*

Eodem anno Domini M. CC. LXXVII. Leo Ratisponensis Episcopus obiit, in Vigilia beatæ Margaretæ, qui rexerat Ratisponensem Ecclesiam XVIII. annis. Et vir multæ literaturæ & prudentiæ fuit. Cui successit Dominus Heinricus Comes de Rotenekke, ejusdem Ecclesiæ Canonicus & Archidiaconus; qui cathedralem Ecclesiam B. Petri consumptam Ratispon. & destructam incendio & ab antecessore suo reædificari inceptam sumptuoso opere, quod & materiam superabat, ut ad finem perduci posset, multis laboribus procuravit, & multa precioſa ornamenta Ratisponensi Ecclesiæ & aliis tradidit. Campanas etiam comparavit & dedit Ratisponensi Ecclesiæ, sicut hodie patent, maximas & sonoras. Suum etiam patrimonium, scilicet comitatum & castrum in Rotenekke cum pertinenciis suis Ludwico Duci Bavariæ vendidit, & Ratisponensem Ecclesiam (a) ornatam multis debitis, ab usuris & damnis aliis liberavit. Et Advocatiam in Velden, & judicia in Velden, Eberspent, Teispach, Francehausen, Ergolzpach, Essenpach, Pilsting, & Aveting à dominis Ducibus Bavariæ, & alia multa magnà pecunià comparavit. Et ferè omnia castra Ecclesiæ muris & turribus firmius quam antea fuerant, exaltavit: Reditus etiam tam Episcopales, quam Canonicas præbendas per suam industriam mirabiliter ampliando, & quod inter sua opera memoriæ magis dignum reputo, ubicunque Patriam bellorum vel gwerrarum horror perterruit, ibi ut sacerdos magnus tempore iracundiæ factus est reconciliator, nec in hoc pepercit laboribus vel expensis, quatenus discordantes ad concordiam revocaret; Pacem non solum Bavariæ, sed etiam vicinis procurando; Et pro re publica, quæ paucis cordi exiſtit, plus omnibus suo tempore laboravit.

(a) *Oneratam.*

M. CC. LXXIX.

Petrus Patavienſis Episcopus obiit, qui pontem trans Danubium Pataviæ primus fecit. Cui succeſſit Wichardus, ejusdem Ecclesiæ Præpositus. Eodem anno Albertus de (b) Hals factus est Comes à Rege Rudolfo.

*m.f. 1281.*

(b) *al. Hale.*

M. CC. LXXXI. Uxor prædicti Rudolphi Rom. Regis, nomine Anna, obiit; & eodem anno ipse Rex exivit terram Austriæ, & ipsum Ducatum Alberto filio suo primogenito commendavit: Sed postmodum eundem Ducatum eidem Alberto & Rudolpho filiis suis in feudum obtulit coram Principibus suis, super hoc Augustæ in Curia congregatis. Eodem anno Chunradus Comes de Mosburch moritur sine hæredibus, & Comitatus ad Heinrici Ducis Bavariæ devolvitur potestatem. Item eodem anno à Friderico Saltzburgenſi Archiepiscopo apud Saltzburgam concilium celebratur.

*m.f. 1286.*

Anno Domini M. CC. LXXXII. Petrus Rex Aragoniæ, expulso Karolo Rege, regnum Siciliæ potenter occupavit, propter quod Papa Martinus Excommunicationis sententiam protulit contra ipsum, sicut plenius patet in litera sequenti.

Martinus excommunicat Petrum Arrag. Regem.

Martinus Episcopus, servus servorum Dei, ad certitudinem præsentium & memoriam futurorum. Cogit nos temporis qualitas, & nequitia plurium detestanda solicitat, ut ad infra scriptorum prædecessorum nostrorum gesta, quæ plenius in archiva conservantur Ecclesiæ, ipsius providere quieti cautius studeamus. Sanè fælicis recordatio-



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1305. nis Innocentius Papa IV. prædeceſſor noſter, culpas graves, imò graviſſimas, ac multiplices ac manifeſtos exceſſus quondam Friderici olim Imperatoris Romanorum, propenſi maturitate conſilii, recti judicii cenſura dijudicans, eique ſecundum prava ſua opera reddens, ipſum honore Imperii, Regno Siciliæ, Ducatu Apuliæ, ac Principatu Capuæ, generali ſuper hoc congregato * Lud. concilio approbante, ac juſtitia exigente privavit, prout in univerſalem mundi notitiam non eſt dubium deveniſſe, nec ab eadem creditur veriſimiliter alienum, qualiter Fridericus ipſe aucto ſuperbiæ Spiritu, quamquam ſic dignè depoſitus, ſic juſtè privatus, ſententiæ hujuſmodi privationis prolatæ in eum pertinaci animo parere contemnens, regnum & Imperium ſupra dicta poſt ejuſdem prolationem ſententiæ occupata detinere præſumpſit. Qualiter autem poſt jam dicti Friderici obitum quondam Chunradus, natus ejus, paternæ malitiæ imitator, dictum regnum præſumptuoſis auſibus occupavit, & tandem prædicto Chunrado humanis rebus exempto, quondam Manfredus, olim Princeps Tarentinus, ejuſdem, ut dicitur, Friderici filius, qui etiam abſque privatione prædicta non injuſtè legitimæ ſucceſſionis participium perdidit, quia ipſum partus legitimus non agnovit, utpote de damnabili commixtione ſuſceptum, ad occupationem prædicti regni temerarias & occupatrices manus extendit. Gravibus ergo & enormibus admodum per potentiam & malitiam eorundem injuriis irrogatis Eccleſiæ, ipſaque in ſuis afflicta multipliciter fidelibus, reſpexit altiſſimus ſponſam ſuam & convertens illi nubilum in ſerenum, ſceleſtam prædicti Friderici domum, quæ conſueverat quantumvis malis abundare perſonis, ſic pænè redegit in nihilum, ſic illam jacturam multimodæ diſſipationis oppreſſit, ut de ipſa non ſcintilla unica remaneret; Chunradinus videlicet, Chunradi filius ſupradicti, qui cum in eo malitia ſuppleret ætatem, ipſeque annorum ſuorum curricula nequitiâ ſuperaret, progenitorum ſuorum nefarios actus ſequens, ac illorum profanas iniquitates amplectens, mentiſque ambitioſæ vitio Imperium expetens, ſibi regnum intitulando Siciliæ, ſe ipſius regni Regem denominare temerè præſumebat: & cum nonnullis Eccleſiæ inimicis Lombardis, Tuſcis, Marchianis, & Apulis præcipuè, de regno profugis prælibato, fraudulentis ſe implicando commertiis in urbe Lombardia, Tuſcia & per alia diverſa loca ſuas diſſeminare literas præſumebat, ſub expreſſione ſui proprii nominis & præmiſſæ intitulationis temerè ſigillo regiæ majeſtatis impreſſas, per quas commovere populum, concitare gentes, ac turbare pacem Eccleſiæ nitebatur, in ipſius Eccleſiæ ac cariſſimi in Chriſto filii noſtri Karoli Siciliæ Regis illuſtris grave præjudicium & diſcrimen. Unde piæ memoriæ Clemens Papa prædeceſſor noſter, cum ſibi de his evidentius conſtitiſſet, diligenter attendens multam ipſius Chunradini malitiam, & ſuorum conatuum perverſorum volens obviare principiis, certum habuit contra eum in hac parte proceſſum, prout vidit rationabiliter expedire, ac negocii qualitas perſuaſit. Demum præfato Chunradino ſublato de medio, eidem Regno pax rediit, aurora tranquillitatis illuxit, ſedatis turbationibus, fluctibus, quos ipſius Chunradini prava ſtudia ſuſcitarant. Sed ſicut nuper non ſine multa turbatione fide dignorum relatu percepimus, nonnulli protervè aſſumentes, ad noſtram nec non Eccleſiæ dictique Regis turbationem & ſcandalum aſpirantes in prædicto regno ignem turbationis emortuæ reaccendere moliuntur, ad id ſua ſtudia iniquè congerunt, ad id ſuarum virtutum potentiam coacervant, manus præſumptuoſas apponunt, & etiam occulti favores auxilium largiuntur. Teſtatur hæc inter cætera horrendi ſceleris feralis immanitas de novo in civitate Panormitana patrati, ubi ſic debacchatus eſt gladius, ferrum infremuit, furor incanduit, rabies inſanivit, manus truculenta deſæviit, quod ſicut rumor mœſtus enunciat, non ſuffecit virorum ac mulierum multitudinem inibi cædi dari, niſi & hi quos nondum in lucem natura produxerat, maternis apertis uteris necarentur, trucidarentur innati, & deliteſcentibus viſceribus genitricum impiæ præfocationis exitium ferretur. Quia ergo præfatum regnum Siciliæ ad Romanam Eccleſiam ſpectare dinoſcitur, ſuique juris & proprietatis exiſtit, ac propter hoc nos, qui unà cum Eccleſia ipſa medullitùs in hac parte contingimur, & quaſi cujuſdam acerbæ punctionis aculeo excitamur, volentes tam gravibus hujus malorum initiis, prout poſſumus, obviare, ne tam horrenda principia convaleſcant, præſente hac fidelium multitudine copioſa, de fratrum noſtrorum Conſilio, univerſos & ſingulos cujuſcunque præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut ſtatus monemus attentè, diſtrictè præcipientes eiſdem, ne in prædicti regni, vel ejus parte, nos & eandem Eccleſiam & præfatum Siciliæ Regem, qui prædictum regnum ab eadem tenet Eccleſia, per ſe vel per alium aut alios moleſtent, ſeu impetant, aut perturbent, occupando vel invadendo hoſtiliter, ſeu occupari vel invadi hoſtiliter faciant regnum ipſum vel aliquam partem ejus. Præcipimus inſuper univerſis & ſingulis Chriſti fidelibus, ſpecialiter autem Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Civitatibus, Communitatibus & Univerſitatibus caſtrorum, villarum, & aliorum quorumcunque locorum Italiæ, & maximè Juriſdictioni temporali Eccleſiæ Romanæ ſub-

Digitized by Google

subjectis, ne prædictis in occupatione vel invasione hujus prorsus intendant, & ne cum armis vel sine armis ad turbandam in prædicto regno pacem ejusdem Romanæ Ecclesiæ, ac præfati Regis Siciliæ, in eadem præstent eis occupatione vel invasione prædictis consilium, auxilium, favorem, publicè vel occultè, & ne super hoc societatem, conjurationem, aut fœdus aliquod ineant cum eisdem. Si qui autem contra monitionem & præcepta nostra præmissa per se vel per alium aut alios quoscunque, dolo, fraude, arte, vel machinatione fecerint, cujuscunque sint præeminentiæ dignitatis, conditionis, aut status, excommunicationis sententiâ, quam ex nunc in illos proferimus, ipso facto se noverint innodatos. Civitates quoque & communitates quaslibet, quæ contra monitiones & præcepta nostra prædicta, quocunque dolo, fraude, ingenio, arte, vel machinatione venire præsumpserint, Ecclesiasticæ sententiæ interdicti, quam exnunc in illos proferimus, volumus subjacere. Apertè quoque prædicimus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & aliis inferioris gradus Prælatis, quod si contra monitionem & præcepta nostra præmissa, vel eorum aliquod venire tentaverint, nos eos omni Ecclesiasticæ dignitatis honore; cæteros autem clericos non Prælationis officium, sed dignitatis forsitan, vel personatus, aut alicujus Ecclesiastica beneficia obtinentes, & obtentis privare curabimus, & inhabiles reddere ad alia obtinenda, prout nobis facti qualitas suggeret, & justitia suadebit. Laicis verò cujuscunque præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut status, & præcipuè Jurisdictioni temporali Ecclesiæ Romanæ subjectis denunciamus expressè, quod si contra monitiones & præcepta nostra hujusmodi, per se vel per alium seu per alios temere veniendo, ea non curaverint observare, nos tantæ temeritatis audaciam non intendentes relinquere impunitam, ipsos feudis & aliis omnibus, quæ à prædicta & aliis Ecclesiis ac personis Ecclesiasticis obtinere noscuntur, privare, & Vasallos eorum, quos habent, à fidelitatis juramento, quo tenentur eisdem, reddere penitus absolutos, & personis eorum citra mortis & mutilationis periculis expositis, ad expositionem bonorum eorum procedere Deo auctore curabimus, prout eorundem culpæ exegerint, & videbimus expedire. Cæterum quia prædicta civitas Panormitana, & nonnulla castra seu villæ illarum partium contra præfatum Regem Karolum, qui regnum ipsum ab eadem tenet Ecclesia, rebellionis spiritum assumpsisse dicuntur, nos circa illa nolentes in hoc juris rigorem observare, sed uti potius mansuetudinis lenitate, quam in actibus nostris libenter amplectimur, intendentes ac volentes eadem ab hujusmodi erroris initio paternis studiis revocare; Comitatibus, Civitatibus, & Universitatibus castrorum ac villarum prædictarum districtè præcipimus, ut sublato cujuslibet difficultatis & dilationis objectu, ad nostra mandata, & Ecclesiæ ac Regis prædictorum redire procurent. Eisdemque Comitatibus districtè præcipimus, ne prædictos molestatores, & turbatores, occupatores seu etiam invasores, aut dantes eisdem in prædictis consilium, auxilium, vel favorem, in civitatem, castra, & villas seu districtus eorum quovis modo recipiant, vel receptent, nec ipsorum vel alicujus eorum dominio vel regimini cuivislibet se submittant, neque ipsis vel eorum alicui contra nos & eandem Ecclesiam ac Regem prædictum in ea impendant in prædictis consilium, auxilium, vel favorem publicum vel occultum. Nos enim confœderationes seu colligationes quaslibet, si quæ inter communitates easdem vel ipsos & quoscunque alios initas vel factas super occupatione, vel invasione prædictis penitus dissolventes, ac juramenta de illis servandis, vel alio quocunque modo prædictis hinc inde præstita relaxantes omnino, Comitatibus ipsis apertè prædicimus, quod nisi præmissa curaverint quantocyus adimplere, contra eas & civitatem & castra & villas earum spiritualiter & temporaliter, auctore Domino, procedemus, quod pœna dicente cognoscere poterunt, quàm sit temerarium & superbum mandatis Apostolicis contraire, ut aut &c. Datum apud Urbem veterem in platea dictæ majoris Ecclesiæ, in die Ascensionis Domini. Pontificatus nostri anno secundo. SÆC. XIV. ANNO 1305.

Quam excommunicationem cum prædictus Rex Aragoniæ contemneret, Papa excitavit contra eum Philippum Regem Franciæ, qui cum multis millibus militum intravit Aragoniam, sed per multitudinem muscarum illius terræ, & inopiam alimentorum, quæ etiam pro pecunia haberi non poterant, multi equi & homines perierunt; & ipse Rex mortuus ibidem reductus est Parisios & apud sanctum Dionysium est sepultus anno Domini 1280. Cor autem ipsius Regis est apud Prædicatores Parisiis tumulatum: de qua divisione individui plures clericorum & laicorum contra eosdem fratres, qui dicuntur illud obtinuisse precibus & exhortationibus, scandalizati sunt.

Millesimo CC. XCI. Civitas Akaron, quam solum habebant Christiani in terra sancta, obsessa est per Soldanem Babylonensem, & per XL. dies & noctes sine intermissione impugnata, capta est, & ibidem multa Christianorum millia & capta sunt & occisa: aliqui autem per navigium fugerunt, & quia multorum erat opinio, quod si *Stero ed. P. ait capiam 14. Kal. Jun. 1291.*



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1305. fratres domorum ibidem ſcilicet Hoſpit. Templ. & Teutonici, & reliquus populus omnino concordaſſet, civitas capta non fuiſſet. Mandavit Papa Nicolaus omnibus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis & aliis Prælatis, ut Concilia Provincialia celebrarent, & deliberarent, qua ope vel conſilio eidem terræ poſſit ſubveniri. Et per Concilium habitum Saltzburgæ reſcriptum fuit Domino Papæ & conſultum, ut prædicti tres ordines counirentur ad unum ordinem, melioribus eorum obſervantiis in unum redactis; & quod ad ſuccurſum ejuſdem terræ ſanctæ Rex Romanorum cum Principibus vocaretur. Qui nuncii antequam veniſſent ad Curiam, Papa mortuus eſt; & ſic hoc negocium remanſit infectum.

## M. CC. LXXXIV.

Fridericus Saltzburgenſis Archiepiſcopus obiit; Cui ſucceſſit Rudolfus Romanorum Regis vice Cancellarius. Qui licet à principio contra adverſarios ſui Epiſcopatus ſe validum propugnatorem oſtenderet, tamen ultimo ob timorem, qui non debuerat in virum conſtantem cadere, ſtatuta ſui Concilii, quod celebraverat milleſimo ducenteſimo octogeſimo octavo, quando etiam corpus beati Virgilii tranſtulerat, non ſine totius patriæ ſcandalo in conſpectu Ducis Auſtriæ revocavit. Poſt ipſum Rudolfum electus eſt, imò potiùs datus per ſedem Apoſtolicam Chunradus dictus de Vonſtorf, tunc Epiſcopus Laventinus.

## M. CC. LXXXV.

Gotfridus Patavienſis Epiſcopus, natione de Beſtvalia, obiit, cui ſucceſſit Bernhardus dictus de Pranbach, ejuſdem Eccleſiæ Canonicus, qui beatorum Valentini & Maximiliani corpora in loco humili repoſita in tumba honorabili de novo in medio Eccleſiæ Patavienſis erecta, decentius collocavit: & incepit reædificare de novo & bono opere Eccleſiam Patavienſem. Præterito anno, hoc eſt anno Domini M. CC. LXXX. * tempore Ladizlai Regis Ungariæ, filii Regis Stephani, Tartari in tanta multitudine intraverunt Ungariam, quod dicebantur cum exercitu ſuo undecim milliaria occupare, qui tandem non humano auxilio, ſed divino judicio perierunt. Supervenit enim grando, nix, & pluvia in tanta quantitate, quod ſe de loco movere non poterant, & ſic à Chriſtianis in circuitu poſitis ſunt occiſi, & juſti tulerunt ſpolia impiorum: multi etiam eorum evaſerunt.

## M. CC. LXXXVII.

*m. f.* 1288. (a) *Stero: devicit cum auxilio civium Colonienſium, Colonienſem Archiepiſcopum & Comitem de Belare.* (b) *forte: Gelria. Vide Pet. de Vine.* 1. *c.* 37. Controverſia inter Fratres Prædicatores & Epiſcopos.

Dux Brabantiæ (a) *devictus auxilio civium Colonienſium*, Archiepiſcopus Colonienſis, & Comes de (b) Gelerr ipſoſque capitavit, & in eodem conflictu multi ſtrenui milites ſunt amiſſi. Eodem anno Rudolfus Romanorum Rex Comitis Burgundiæ rebellantis ſibi, terram ingreditur cum exercitu; & licet Comes idem multorum de Picardia & Flandria juvaretur auxiliis, tamen cum prædicto Rege congredi non audebat, ſed per Ducem Burgundiæ ad gratiam & concordiam rediit cum eodem. Item eodem anno mota eſt diſcordia inter omnes Archiepiſcopos, Epiſcopos, Prælatos, & totum Clerum regni Franciæ ex una parte, & fratres Prædicatores & Minores ex altera ſuper privilegio dato eis à Domino Papa Martino. Cujus tenor talis eſt.

Martinus Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Miniſtro generali, & Provincialibus Miniſtris Ordinis Fratrum Minorum ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Ad fructus uberes, quos in agro Dominico, prædicando pariter & exemplo, confeſſiones audiendo, & per alia virtutum exercitia ſatis Ordo veſter, & humiles ipſius ordinis profeſſores produxerunt hactenus, & ſperantur in futurum, Deo auſpice, producturi, attentæ conſiderationis aciem convertentes, ut fratres ejuſdem ordinis prædicationis & audiendi confeſſiones officia eò liberius & efficacius exequi valeant, quò citius de ipſorum circa eadem de auctoritate Apoſtolica conſtabit tibi, fili, Miniſtro generali, per te; vobis verò Provincialibus Miniſtris cum diffinitoribus in provincialibus veſtris capitulis congregatis, committendi auctoritate Apoſtolica fratribus ejuſdem Ordinis ſacra pagina eruditis, examinatis, & approbatis à vobis, prædicationis officium, audiendi vero confeſſiones, abſolvendi pœnitentes, ſalutares eis injungendi pœnitentias, & fratribus aliàs idoneis concedendi: eiſdem quoque ſæpe fati ordinis, quibus dicta officia per vos taliter conceſſa ſeu commiſſa fuerint, quod eadem liberè valeant exercere, plenam damus & concedimus auctoritate præſentium facultatem, diſtrictius inhibentes, ne quis fratres ipſius ordinis, quibus dicta officia taliter concedenda duxeritis, ut præmittitur, ſive etiam committenda in exercitio ſive executione officiorum ipſorum, audeat quomodolibet impedire. Volumus autem quod hi qui fratribus confitebuntur, eiſdem ſuis parochialibus preſbyteris confiteri ſaltem ſemel in anno, prout generale Concilium ſtatuit, teneantur. Quodque iidem fratres eoſdem ad hoc diligenter & efficaciter ſecundum datam eis gratiam à Domino exhortentur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis & inhibitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis *Dei* & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum

Digitized by Google

rum ejus se noverit incursurum. Datum apud Urbem veterem IV. Idus Januarii, Sæc. XIV. Pontificatus nostri anno primo.

Dicebant enim ipsi Prædicatores & Minores, quòd confessi ipsis non tenerentur suis parochialibus presbyteris eadem peccata in numero iterum confiteri. Cujus tamen contrarium Archiepiscopi & Episcopi asserebant per idem privilegium & per Decretalem, Extra. de pœnitentiis & remissionibus, Omnis utriusque. Cujus in eodem privilegio mentio facta fuit. Quæ quæstio per Doctores seu Magistros Theologiæ & juris Canonici multipliciter fuit Parisiis disputata, & validissimis ostensum fuit rationibus, præcipuè tamen per Magistrum Heinricum de Gandavo, quod eadem peccata in numero, quæ aliquis confessus fuerit Prædicatori, vel Minori, vel alias privilegiato, teneretur iterato confiteri saltem semel in anno suo proprio sacerdoti. Cujus tamen contrarium cum fratres multis rationibus niterentur ostendere, tale consilium dederunt Magistri & Sapientes Parisiis, à scholaribus requisiti, quod quamdiu hæc quæstio esset dubia Parisiis ubi magis quàm alibi in mundo est copia peritorum, tam diu confiteri suis parochialibus presbyteris, de quorum certa auctoritate nulli sacræ Scripturæ vel Canonum sapientes dubitaverunt hactenus, qui in locum LXXII. discipulorum, sicut Episcopi in locum Apostolorum certissimè successerunt. Tandem super eadem quæstione omnes Archiepiscopi, Episcopi & totus Clerus totius regni Franciæ solennes nuncios cum aliis viris sapientibus, ad sedem Apostolicam transmiserunt, & quilibet eorum centesimam partem omnium redituum & proventuum Ecclesiasticorum contribuit eisdem nunciis pro expensis. Sed Dominus Nicolaus Papa, quamvis assumptus esset de ordine Minorum fratrum, eandem quæstionem pro neutra parte voluit terminare; unde remanet usque hodie in suspenso. Eodem etiam tempore venit quidam Parisios de Arabia, homo provectæ ætatis, qui promittebat, se per quasdam figuras, non tamen artis notoriæ, brevi tempore omne scibile scholaribus traditurum, qui cum à Magistris & Cancellario examinaretur, apparuit de quæstionibus cujusque scientiæ respondere, tamen quod in traditione suæ scientiæ modum Philosophicum non habuit, à scholaribus suis breviter est relictus, & sic suæ scientiæ evidens signum Parisiis non reliquit.

ANNO 1305.

Anno Domini (a) M. CC. XC.

(a) *m. f.* 1287.

Rudolfus Rex apud (b) Herbipolem solennem curiam habuit cum Principibus Alemanniæ. Et eodem tempore Joannes Tusculanus Episcopus, Apostolicæ sedis legatus ibidem celebravit Concilium: & quod multa onera & graves expensas volebat clero imponere, à quibusdam Episcopis adversus eum extitit ad sedem Apostolicam appellatum, & propter hoc sua intentio & concilium desideratum ab eo eventum non habuit, & ipse subito ad propria est reversus. Intellexerat enim prius aliis de morte Domini Papæ Honorii, qui prius dicebatur Jacobus de Sabello, cui successit frater Jeronymus de ordine fratrum Minorum & vocatus est Nicolaus, de quo supra dictum est, de quo non intellexi, quod fratribus quondam sui ordinis aliquas fecerit gratias speciales: & tempore suo noluit discutere quæstiones, quas fratres Prædicatores & Minores contra Episcopos habuerunt, ut per ipsum neutra partium gravaretur. Quo mortuo vacavit sedes Apostolica propter discordiam Cardinalium plus quam tribus annis, & tandem iidem Cardinales, ut creditur, nutu divino concordaverunt in quendam virum rectum & religiosum, qui in cella sua per XL. annos & amplius sub regula beati Benedicti strenuè vixerat, qui electus Cælestinus est vocatus, & cum educeretur è cella, nullum equum tunc, & etiam postea ascendere voluit, sed tantum asellum, exemplo Domini venientis Jerosolymam, equitavit. In via etiam transeundo Dominus per eum multa miracula fecit; Qui licet miræ sanctitatis existeret, tamen adeo simplex erat, quod petentibus concedenda & non concedenda concessit. Et cum consideraret, quod consuetum silentium & abstinentiam, quæ in claustro servaverat, propter intolerabilem rerum curam tenere non potuit in Papatu, renunciare eidem Præsulatui cogitavit, & cum sapientum esset opinio, quod Papa non posset cedere, talem constitutionem edidit, quod Papæ possint cedere tam præsens quam futuri, dicens quod de plenitude potestatis eandem constitutionem facere bene posset. Qua facta statim cessit; & electus est post ipsum Benedictus Cardinalis, qui vocatus est Bonifacius, qui statim post creationem suam omnes gratias & concessiones, quas prædecessor suus fecerat, revocavit, & omnis populus propter evidentem sanctitatem prædictum Cælestinum libenter habuisset pro Papa, sed Dominus Bonifacius ipsum recluſit, ne schisma fieret, si à populo raperetur. Post duos autem annos idem Cælestinus mortuus est, & dicitur, quod Dominus per eum multa miracula operetur, & sepultus est in quodam monasterio inter Anagniam & Florentinum.

(b) *al. Erphord. Vide Siffrid.*

*Cælestinus V.*

An Papa possit cedere Pontificatu.

*Bonifac. VIII.*

Anno Domini M. CC. XCI. XVIII. Kalendas Augusti mortuus est Rudolfus Romanorum Rex & sepultus est in Spira, regnavitque annis XVII. in Alemannia, & Italiam non intravit. Post quem infra tempus VI. mensium electus est Adolfus Comes

de

Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1305.

de (a) Nasowe in Romanorum Regem, miles multum strenuus, qui anno Domini M. CC. nonagesimo IV. Terras Turingiæ & Michsen, rebellantes sibi intravit, & duobus annis manens ibidem expugnavit easdem; Et nepotes olim Friderici Imperatoris persecutoris Ecclesiæ, qui easdem terras ocupaverant, ejecit penitus ab eisdem. Postquam enim Civitatem in Freiberch obtinuisset, castrum quod in eadem civitate extitit, subfodi latenter præcepit, & congregatis ibidem majoribus adversariis Regis & fortioribus, muri ejusdem corruerunt. Et idem Rex cum suis eandem ruinam præsciens, subito impetu omnes qui in castro fuerant captivavit, inter quos LX. viros, qui magis nocentes fuerant, proscriptos ante sicut hostes Imperii in continenti decapitari præcepit, aliis ad petitionem suorum nobilium pro tempore reservatis; quod factum adeo incolas terræ terruit, quod plures eorum desertis castris fugerunt, & ipse Marchio Michsensis, cui adhuc civitas & castrum in Michsen cum paucis castellis remanserat, se ipsius Regis gratiæ subdidit, ut Rex illis parceret, quos de servitoribus suis in suis vinculis detinebat. Quod & factum est, & sic pax eidem terræ rediit. Ipse enim Marchio præter alia mala, quibus terram turbaverat, Episcopos & Canonicos Michsenses à suis habitaculis & rebus ejecerat, & horreum fœni pro equis suis fecerat de Ecclesia Cathedrali.

(a) al. Nassouw.

## M. CC. XC.

Pridie nonas Februarii Heinricus Dux Bavariæ moritur, & reliquit tres filios Ottonem, Ludwicum & Stephanum.

## M. CC. XCIII.

m. f. 1290. Cum Albertus Dux Austriæ cum Chunrado Saltzburgensi Archiepiscopo discordaret, ex utraque parte sibi gravia damna intulissent, idem Archiepiscopus confœderavit sibi Ottonem Ducem Bavariæ, & una cum prædicto Duce Karinthiam est ingressus, fiduciatus ab incolis, quod posset terram Styriæ obtinere, sed tandem eos redire infecto negotio densitas nivium compellebat. Sequenti vero tempore prædictus Archiepiscopus cepit filium Ducis Karinthiæ, cujus liberatio magna occasio fuit, quod pax inter ipsos extitit reformata. Super qua reformatione Heinricus Ratisponensis Episcopus, una cum Ludwico Duce Bavariæ solicitè laboravit: qua concordia durante vix ad tres annos vel paulò plus, Dux Austriæ obsedit oppidum (b) Rastat, ad duos menses vel modicum amplius, à qua obsidione tandem propter inopiam victualium, quæ per angusta montium adduci sufficienter non poterant, dicitur recessisse, quia & Dux Otto cum exercitu usque in Saltzburgam processerat contra ipsum.

(b) al. Rastein.

## Anno Domini M. CC. XCIV.

Orta est discordia inter Regem Franciæ ex una parte, & Eduardum Regem Angliæ ex altera. Et Adolfus Romanorum Rex plus favens Regi Angliæ, repetivit à Rege Franciæ Regnum Arelatense, & quasdam alias terras, & Provincias, quas dicebat esse Imperii: Insuper & spineam Coronam Domini: quas nisi redderet, eas quod in manu forti vellet requirere demandavit. Et ob hoc multi nobiles, sicut Comites Flandriæ, & de Bar, & alii se eidem Regi Franciæ opposuerunt, qui ei antea consueverant adhærere. Propter quod prædictus Rex Franciæ anno Domini M. CC. XCVII. eduxit super eosdem Comites adeo magnum exercitum, quod in eo præter Christianos sellatores dicebantur plusquam XXX. millia Judæorum, quos etiam primi belli auspiciis exponere cogitabat.

al. 1295.

## M. CC. XCV.

m. f. 1294. Mortuus est Ludwicus Comes Palatinus Rheni Dux Bavariæ in partibus Rheni apud Haidelberch Kalendis Februarii, in ea camera, ut dicitur, ubi natus fuit, & reliquit duos filios, quorum primogenitus, videlicet Rudolfus, duxit in uxorem filiam Adolfi Romanorum Regis.

## Anno Domini M. CC. XCV.

m. f. 1284. vitiosè. Ratispona ornatur. Cives Ratisponenses cœperunt ædificare antemuralia civitatis suæ, opus decorum, & forte munimentum, & à clero civitatis ejusdem pro eodem opere contributionem cum multa instantia exigebant. sed Adolfus Rex Romanorum eodem tempore, videlicet infra Pascha & Pentecosten, veniens Ratisponam, & proponente sibi Heinrico Ratisponensi Episcopo hanc exactionem cognoscens, eosdem cives per se ipsum & Consiliarios suos exhortatus est & monuit, ut nihil à clero ratione hujus operis exigerent, sed eum consueta & concessa à Deo & Romanis principibus gaudere permitterent libertate. Renovaverat siquidem eidem clero ad petitionem ejusdem Heinrici Ratisponensis Episcopi nuper ante apud Frankenfurt quoddam privilegium olim Friderici Romanorum Imperatoris, quod incipit; Ad decus & decorem. Et ferè de verbo ad verbum in libro Usus feudorum est expressum: quod multam & maximam libertatem cleri continet, pœnasque infligit gravissimas his, qui contrarium eidem privilegio ausi fuerint attentare, quod privilegium in præsentia sua per Heinricum Prixi-

Digitized by Google

Prixinenſem Epiſcopum eiſdem civibus legi fecit, unde ipſi Cives ab eadem exactione ceſſaverunt, & permiſerunt uſque adhuc clerum gaudere debita libertate. Sæc. XIV.

Anno Domini M. CC. XCVI. Anno

(a) Septimo Kalendas Auguſti Heinricus Ratiſponenſis Epiſcopus, filius Comitis de Rotenekke, moritur; poſtquam enim in die beati Jacobi Apoſtoli, quem ſpeciali conſuevit venerari honore, cum multa devotione Miſſarum ſolennia perſonaliter celebraſſet, & cum clero & populo ſe in menſa refeciſſet, hora veſperarum incepit ſubito viribus corporis deſtitui, & ſic in die altera exſpiravit: qui miræ providentiæ & ſagacitatis extitit, in tantum etiam, quod anniverſarium ſuum vivus & ſanus pluſquam ad XIV. annos ante mortem ſuam inſtituit, & ejuſdem celebrationem cum candelarum accenſione, & pulſatione, quæ conſuevit fieri in funere Epiſcopi, Vigiliis & Miſſis annis ſingulis interfuit. Sepulchrum ſimiliter ſibi longe ante ad XII. annos fabricavit, & providit juxta altare beatæ Virginis in majori, veteri tamen Eccleſia Ratiſponæ. Trucam etiam, in qua ſepeliri debuit, cum veſtibus funeralibus ibidem impoſitis in memoriam continuam mortis ſuæ per eoſdem annos habuit locatam à latere lecti ſui. 1305. (a) m. f. ſexto. Truhen, loculum.

Item in ſpiritualibus mirabiliter providus extitit, non ſolum vetera ſtatuta ſervando, imò & multa nova ſalubriter condendo. Muſicam primus in choro Ratiſponæ cantari ordinavit, libros ejuſdem artis ſecundum cantum & chori conſuetudinem providendo; Eccleſiam Ratiſponenſem etiam multis precioſis decoravit ornamentis, crucibus, calicibus aureis & argenteis, gemmis precioſis, mitris, cappis, caſulis Dalmaticis, vexillis, cortinis, libris, & aliis, quibus fuit ante ſua tempora quodammodo omnimodis deſtituta. Item primus vinum Latinum Canonicis ad præbendam quibuſdam certis temporibus dari inſtituit. Præbendam etiam eorum in multis auxit. Monaſteria Monachorum & Monialium ſæpe cum multa providentia viſitavit. Et invenire non poſſum, quid ei in temporalibus & ſpiritualibus defuerit: qui tempore ſuo adeo diſcordantium factus eſt reconciliator, quod non ſolum Bavaria, imò & vicinæ terræ per ſuam induſtriam & laborem pacis pulchritudine floruerunt. Rexit autem Ratiſponenſem Eccleſiam XIX. annis. Eodem anno in die beati Petri ad vincula electus eſt in Ratiſponenſem Epiſcopum Dominus Chunradus de Lumppurch, vir ingenuus, tunc Ratiſponenſis Præpoſitus, in manſuetudine ac pietate etiam Moyſi coæqualis.

Anno Domini M. CC. XCVII.

Adolphus Rex Romanorum præparans ſe cum militia ad invadendum Regem Franciæ impeditur, quia Moguntinus Archiepiſcopus, Rex Bohemiæ, Albertus Dux Auſtriæ, duo Marchiones de Brandenburch, & Dux Saxoniæ congregati in die Pentecoſtes, quo idem Rex Bohemiæ per Dominum Mogontinum coronabatur Pragæ, condixerunt diem, in quo apud Egram convenire deberent, ut contra prædictum Romanorum Regem conſpirationis ſuæ intentum perficerent, ſed per potentiam ipſius Regis impediti in loco condicto non poterant convenire, ſed apud quoddam oppidum Bohemiæ nomine Chadam convenerunt prædicti ſine Archiepiſcopo Mogontino, qui per militiam Regis obſeſſus in quodam caſtro, eſt à ſuo itinere retardatus. Et ob hoc eorundem Principum, qui ſe dicebant alium Regem velle eligere, machinatio in ridiculum eſt converſa. Eodem anno Rex Franciæ congregatis quaſi omnibus viribus ſuis, & exercitu magno valde, in quo dicebantur eſſe præter alios bellatores, multa millia phaleratorum equorum, intravit Comitatum Flandriæ, & (b) medium Regiæ Angliæ, cujus filiam Comes Flandriæ habuit in uxorem, obſedit civitates ejuſdem terræ, videlicet Prukk, quam etiam cepit, & quaſdam alias. Eodem anno mortuus eſt (c) Reinboto Eyſtetenſis Epiſcopus. Cui ſucceſſit Chunradus dictus de Peſſenhauſen, Ratiſponenſis Eccleſiæ Canonicus & Archidiaconus, vir multæ induſtriæ & ſagacitatis. Eodem anno Civitas Ratiſpona per Ottonem & Stephanum Duces Bavariæ impugnatur, & prohibetur per eoſdem ad eam deduci victualia, unde & cives forum (d) Maberach exuſſerunt. Tandem per diligentiam Chunradini Ratiſponenſis Epiſcopi cum ipſis dominis Ducibus ad gratiam & concordiam redierunt. (b) al. modum Regis. (c) al. Remboto. (d) al. in Abach.

Anno Domini M. CC. XCVIII.

Circa medium quadrageſimæ Albertus Dux Auſtriæ, filius quondam Rudolphi Romanorum Regis, cum favore Ottonis Ducis tranſivit Bavariam cum exercitu, habens ſecum quoſdam Auſtrales, paucos tamen Ungaros & Bohemos, & ad partes Rheni veniens per auxilium Mogontini Archiepiſcopi, & Argentinenſis & Conſtantienſis Epiſcoporum & quorundam nobilium ibidem majorem fortitudinem collegit, & contra Adolfum Romanorum Regem ad bella ſe expoſuit. Qui Rex Illuſtrium Principum Ottonis prædicti & Rudolphi Comitis Palatini Ducis Bavariæ & quarundam Civitatum Imperii, utpote Spira, Wormatia, &c. auxiliis juvabatur, eidem Alberto Duci Auſtriæ, qui jam ſibi nomen Regis aſſumpſerat, poſt multos circuitus hinc inde habitos in loco qui dicitur (e) Geg cum præpropera feſtinatione, quæ in rebus bellicis & (e) al. Hegenpuhel.



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1305. magnis exercitibus non expedit, occurrit in die Proceſſi & Martiniani, & prædictis Ducibus Bavariæ dimicantibus in prima acie per novum bellandi genus, ſcilicet gladios præacutos, omnes eorum dextrarii ſunt occiſi, adeo ut & ipſi Principes Bavariæ unà cum multis ſuis nobilibus equis privati: ſed adhuc animi virtute non fracti, ſuper interfectorum hominum & equorum ſtantes cadavera, longo tempore cum hoſtibus dimicarent; propter occiſorum enim equorum aggerem hoſtes equites eos accedere non valebant, quod & vice verſa ipſi per ſimilem ſtragem perdiderant equos ſuos. Prima igitur ſic dimicante acie, ipſe Rex volens cum ſua turba eis ſuccurrere & præcedendo ſuam aciem ordinare, equo ſuo cadente ex infortunio, ante ingreſſum ad bellum cecidit, & ab eodem equo graviſſime eſt concuſſus: adeo ut cum à ſuis reſtitueretur in equo, minime ſui compos eſſet, ſic & amens ad bellum veniens, quia & galeam præ debilitate recente ferre non potuit, & hoſtibus ſe expoſuit minus cautè, ſubitò eſt occiſus, prædictis adhuc Ducibus Bavariæ locum tenentibus, ut eſt dictum. Sed Rege mortuo ipſi Duces ſe apud Heidelberch receperunt. Attamen Otto Dux erat tribus gravibus vulneribus fauciatus, in tantum quod vix periculum mortis evaſit. Qui etiam Otto Dux cum prædictum Regem ſequeretur ad partes Rheni & caſtra metatus eſſet in ..... Comes Albertus de Hagerloch, avunculus Alberti Ducis Auſtriæ ipſum Ottonem Ducem improviſè invaſit cum longe majori equitum & peditum copia, quam idem Dux habuerat illa hora, de quo tamen idem Dux ipſo Comite & ferè CCCC. de ſuis occiſis triumphavit. Dicitur etiam, quod in ipſo conflictu Regis & Ducis pauci homines, ſcilicet mille CCCC. dextrarii ſunt occiſi. Poſtmodum vero Rege ſepulto apud Monaſterium Roſental, ejuſque filio capto, Electores Imperii præfatum Albertum Ducem Auſtriæ in Regem Romanorum apud Frankenfurt unanimiter elegerunt.

Eodem anno Civitas Patavienſis ſe Domino ſuo Patavienſi Epiſcopo Werhardo oppoſuit, & tam Epiſcopus quam Canonici, Civitatem exeuntes, eam per excommunicationem in certas perſonas, & interdictum in locum ſpiritaliter & etiam per machinas à monte ſancti Georgii & aliis modis, licet non multum fortiter, eoſdem cives civiliter impugnarunt: Volebant enim prædicti cives habere Magiſtratum Civium, Conſules & Rectores civitatis à ſe electos, & ſigillum ſpeciale, & campanas jam erexerant ad eorum conſilium convocandum, & ſic intendebant more Regalium Civitatum, utpote Ratiſponæ, non regi mandatis Epiſcopi, ſicut ante conſueverat, ſed propriis Rectoribus & Magiſtro. Et ſuper prædicta diſcordia tam ipſe Epiſcopus quam Cives, Albertum Regem in Curiam, quam celebravit apud Nuerenberch, acceſſerunt ſuas querimonias proponentes. Prædictus vero Rex non per formam judicii, ſed per arbitrium eoſdem Cives cum Epiſcopo concordavit, ita videlicet quod ſigillum & campanas Domino Epiſcopo tradiderunt, quarum campanarum una etiam hodie in Eccleſia ſancti Stephani Pataviæ habetur. Promiſerunt etiam prædicti Cives memorato Epiſcopo & ſuis ſucceſſoribus de cætero fideliter obedire, nec ſimilia attentare, & inſuper coacti ſunt dare duo millia librarum Patavienſium pro emenda.

Judæi Euchariſtiam contundunt.

Eodem anno ſcilicet M. CC. XCVIII. orta eſt fama quædam de Judæis, quod Corpus Dominicum in mortario contuderint, & ſanguis in multa quantitate emanaverit, quod poſtea à Judæis non (a) potuit occultari, & ob hoc omnes Judæi in Herpiboli, Nuerenberch, (a) Rotenberch, & etiam per totam Franconiam per inſultum populi, & quoſdam qui ſe in magna multitudine collegerant, & quendam qui Rintfleiſch dicebatur, quem pro Principe elegerant, volentium vindicare tam recentem injuriam Salvatoris, incendio ſunt cremati, & adeo valida fuit eorum perſecutio, quod etiam caſtrum regale in Nuernberch, caſtrum prope novum forum, ut de aliis oppidis Franconiæ taceam, in quibus ſe Judæi cum armis defenſionis, conjunctis Chriſtianis nec paucis, receperant, ſint in brevi diei ſpacio expugnata: & tam ipſa caſtra quam Judæi & Chriſtiani ibidem incendio perierunt. Et quod durum eſt dictu, licet durius ſit facto, Judæi ſeniores, timentes ne pueri & fœminæ baptiſma, ut ignem evaderent, peterent, eos propriis manibus ante ſe ignibus ſubjecerunt & ipſi poſtmodum inſilierunt in ignem. Arma etiam & pecuniam, ne Chriſtianis cederent; poſtquam ſeipſos flammarum voragini tradiderunt, & apud Babenberch & etiam (b) Ernberch contigit illud idem. Cives tamen Ratiſponenſes ſuam volentes honorare civitatem, ipſos Judæos abſque judicio occidi & deſtrui vetuerunt, dicentes quod voluntati *Dei* in Judæorum interfectione nollent reſiſtere, ſed expectare donec de hoc, quod hæc vindicta eſſet à Domino, eis fieret major fides, & ſic Judæi Ratiſponæ, licet cum multa difficultate, uſque hodie incendium evaſerunt.

(a) *al. Rotenburg.*

(b) *al. Emberch.*

M.

(a) Aliter rem narrat *Suffridus* Epitome L. II. qui de Judæorum conſtantia, imò pertinaciâ, ut & de Ratiſponenſium æquitate ſilet. BÆSN.

Digitized by Google

M. CC. XCIX. Sæc.

Albertus Rex Romanorum celebravit curiam ſolennem cum Principibus Alemaniæ apud Nuerenberch, cui interfuerunt Colonienſis, Treverenſis, Mogontinus, & Saltzburgenſis Archiepiſcopi, & Ratiſponenſis, Patavienſis, Friſingenſis & alii Epiſcopi multi. Item Rex Bohemiæ, Dux Bavariæ Rudolfus Comes Palatinus Rheni, Duces Karinthiæ, & alii nobiles multi: & in eadem curia edixit leges, quæ inferius continentur; & filium ſuum primogenitum pro Duce Auſtriæ deputavit, cui etiam poſtmodum, videlicet anno milleſimo trecenteſimo primo, filiam Philippi Regis Franciæ nomine N. natam ex filia Ducis Brabantiæ uxorem copulavit, & ad terram Auſtriæ eſt deducta. Circa idem tempus Bonifacius Papa fecit & ad generalia ſtudia ſub bulla tranſmiſit ſextum librum Decretalium, in quo multa, quæ antea erant in ſcholis & in judiciis ambigua, declaravit, & duos Cardinales depoſuit, ut patet clarius in eodem. Item controverſias & materias quæſtionum inter Epiſcopos, Prælatos, & Clerum ex una parte; & fratres Prædicatores & Minores ex altera, quæ jam per plures annos ſuſcitatæ duraverant, & de quibus ſuperius eſt dictum..... XIV. Anno 1305. m. f. 1198.

M. CCC. primo.

Orta eſt diſcordia inter Albertum Romanorum Regem ex una parte; & Colonienſem, Treverenſem, & Mogontinum Archiepiſcopos & Rudolfum Comitem Palatinum Rheni ex altera; & tandem ad concordiam redierunt.

Chunradus de Limppurch ſine liberis moritur, & caſtrum Lumppurch cum pertinentiis ſuis ad Dominum Chunradum Ratiſponenſem Epiſcopum fratrem prædicti Chunradi tanquam ad verum hæredem devolvitur & ab eo Ratiſponenſi Eccleſiæ perpetuo donatur, quod etiam caſtrum multis ſumptibus & laboribus eſt obtentum.

M. CCC.

Quinto Kalendas Julii Otto & Stephanus Duces Bavariæ ferè cum CC. nobilibus terræ ſuæ apud Lantshuet gladiis militaribus accinguntur, & memoratus Stephanus Dux priori anno duxerat in uxorem Dominam Jeutam filiam Poltonis Ducis Poloniæ.

M. CCC. minus trium annorum navale bellum habitum eſt inter Venetos ex una parte; & Januenſes ex altera, & victis Venetis XXX. M. perierunt armis & mari, & captivi à Januenſibus ſunt abducti.

M. CCC. mortuus eſt Andreas Rex Ungariæ ſine hæredibus; & Bonifacius Papa deputavit pro Rege ibidem nepotem Caroli quondam Regis Siciliæ, natum ex filia Rudolfi quondam Romanorum Regis; qui etiam anno ſequenti eſt in Strigonia coronatus, licet Rex Bohemiæ pro Wenezlao filio ſuo, & etiam multi alii aſpirarent. Ipſe etiam Venezlaus Rex Bohemiæ, anno Domini M. CCC. IV. ut obtineret regnum Ungariæ filio ſuo, intravit Ungariam cum exercitu; & coronato eodem filio ſuo à multis millibus Ungarorum, acceptiſque corona regni & obſidibus à prædictis nobilibus, qui eum in Regem elegerant, cum ipſo filio ſuo in Bohemiam eſt reverſus. E contrario autem nepos Karuli quondam Regis Siciliæ ab aliis Ungaris, ut Rex eorum fieret, eſt aſſumptus.

Anno Domini M. CCC. Bonifacius Papa IV. motus multorum querelantium clamoribus, pro bono pacis & concordiæ cleri ex una; & Fratrum Prædicatorum & Minorum ex altera parte, fecit inſtitutionem quandam quæ incipit: Super Cathedram, & infra in hoc libello, in quondam ſpeciali quaterno cum aliis conſtitutionibus & literis continetur. Verum cum hæc conſtitutio publicaretur per Saltzburgenſem provinciam, & clerus & populus eam deſideraret in omnibus articulis obſervare, ipſi Prædicatores & Minores eandem conſtitutionem attendere non curabant: propter quod Chunradus Saltzburgenſis Archiepiſcopus, habito conſilio ſuffraganeorum ſuorum, miſit nuncios ad Romanam curiam, qui tandem à Domino Papa obtinuerunt declarationem ejuſdem conſtitutionis, prout patet in litera, quæ inferius cum aliis conſtitutionibus continetur.

Anno Domini M. CCC. II.

Papa Bonifacius miſit Regi Franciæ quaſdam literas & nuncios, monens ipſum, ut ab offenſione cleri deſiſteret, & monetam, quam fabricari denuo in præjudicium regni fecerat, immutaret. Idem autem Rex prædictos nuncios Papæ infra XV. dies mandavit exire terminos regni ſui, alioquin contra perſonas eorum procederet nimis durè, præcipiens per totum regnum ſuum ſub pœna capitis & omnium bonorum confiſcatione, ne aliqua perſona parva vel magna literas Domini Papæ reciperet publicè vel occultè, ponens cuſtodes in omnibus finibus regni ſui, ne aliquis importare poſſet literas vel mandatum Papæ, & ne aliquis Prælatorum exire poſſet, vel ad Papæ præſentiam literas deſtinare.

Eodem anno mandavit idem Papa Bonifacius omnibus Archiepiſcopis & Epiſcopis, & majoribus Prælatis, & Magiſtris Theologiæ, juris Canonici & Civilis, oriundis de regno Franciæ, ut ipſum Romæ accederent circa feſtum omnium Sanctorum. Sed



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1305. ipse Rex volens eos ab hoc itinere retardari, fecit Parisis in Ecclesia beatæ Mariæ publicum Perlamentum, mandans ne ad ipsum Papam aliquis Prælatorum vel Episcoporum accederet cum equis, vestibus, vel pecunia, quo volebant, ut dixit, regni sui terminos spoliare, dicens, quod Papa hanc collationem fecerit lucri causa; & super his & aliis misit sex nuncios ad cœtum Cardinalium, non ad Papam, significans eis quod secundum mandatum Papæ non posset facere. Quod si omnes Archiepiscopos & Episcopos à regno permitteret recedere, jam non esset, tanquam concussis columnis Ecclesiæ, qui consecraret chrisma, vel ordinaret clericos, vel ministraret Ecclesiastica Sacramenta: Et si Magistri Theologiæ à regno Franciæ recederent, jam non inveniretur aliquis, qui periculosis hæreticorum quæstionibus responderet, affirmans similiter de Magistris Juris Civilis & Canonici, quod per eorum absentiam indiscussæ manerent omnium litigantium quæstiones, & ex hoc nollet, quod regnum Franciæ tam preciosis Xeniis privaretur. Ad quæ omnia Papa responderi fecit, quod ipse non intendebat eosdem Prælatos & Magistros in Curia sua perpetuo detinere, sed habito eorum consilio super statu regni Franciæ eos esset in brevi tempore ad propria remissurus, & sic sine intento fine à Romana Curia recesserunt. Eodem anno venerunt ad Romanam Curiam nuncii Regis Tartarorum, moribus & habitu nobis satis dissimiles, & primo certificarunt Papam de legatione sua, deinde articulos fidei plenè confessi sunt per interpretem coram eo; Postmodum verò petiverunt nomine Regis sui, ut cum ipse Rex vellet terram sanctam à Soldano eripere propriis laboribus & expensis & eam restituere cultui Christiano, ipse Papa transmitteret ad eandem terram milites, qui defensarent eam ab impugnationibus paganorum, & Episcopos & Clericos, ut prædicarent fidem, & docerent: Item agricolas, ut terram colerent supradictam. Cui petitioni annuit, promittens eos velle transmittere cum primum adesset sibi opportunitas, & Regi eorum auream crucem misit, dans ei eandem crucem in signum susceptæ fidei, & in remissionem peccatorum omnium, ut terram sanctam restitueret cultui Christiano.

Anno Domini M. CCC. III.

Prædicto Bonifacio Papa manente cum curia sua in Anagnia, circa festum beati Michaëlis, quidam de Anagnia & Serra de Columna ipsum invaserunt, capta domo sua, omnibus servitoribus suis fugientibus, irruerunt super eum, & unus ei dixit: Tu vilissime hæretice, modo tu es in potestate nostra, & de te, quicquid voluerimus, faciemus: & ipse Papa sedens in Sede sua cum ornatu Papali tenensque in manu crucem, cui erat Dominica imago infixa, talia intrepide respondisse fertur: Ego non sum hæreticus, sed pater tuus fuit hæreticus, & sicut constat, fuit etiam pro hæresi condemnatus; & tandem ille (a) Serra de Columna, & sui complices detinuerunt eundem Papam captum in Camera sua per tres dies sine cibo & potu, & totum thesaurum Ecclesiæ abstulerunt: sed postmodum per cives Anagnienses liberatus est, & veniens Romam parvo tempore supervixit, sicut hæc omnia clarius patent in quadam litera, quæ incipit: Flagitiosum scelus & inferius continetur. De prædicto Bonifacio fecit quidam hos versus:

(a) al. Scarra.

*Nomina bina bona tibi sunt, præclarus amictus*
*Papa Bonifacius modo, sed quondam Benedictus,*
*Ex re nomen habe, benefac, benedic, benedicte,*
*Aut cito perverte, malefac, maledic, maledicte.*

Mortuo antem eodem anno Bonifacio Papa, electus est in summum Pontificem frater Nicolaus, de Ordine Prædicatorum, Episcopus Hostiensis, & vocatus est Benedictus, qui favore fratrum ordinis sui multa, quæ prædictus Bonifacius Papa pro concordia civili ex parte una; & Prædicatorum & Minorum ordinum fratres ex altera statuerat, repentino consilio retractavit, ut patet infra: Inter cunctas sollicitudines nostras; in litera, quæ inferius cum aliis literis continetur.

Anno Domini M. CCC. primo.

Cum Rex Franciæ captivasset Comitem Flandriæ & filios ejus & totam Flandriam sibi subjugasset, iidem Flandrenses post aliquod tempus, occisis custodibus eis deputatis, eidem Regi Franciæ rebellare cœperunt. Propter quod Rex nobiliores & fortiores regni sui misit, ut de Flandrensibus sumeret ultionem. Ipsi autem Flandrenses exeuntes eis obviam in campo prope Brux habuerunt victoriam de eisdem: Fecerant enim prædicti Flandrenses quasdam foveas occultas in campo, ubi ambo exercitus congredi debebant, quas exercitus Regis ignorabat, & sic in paratum eis præcipitium corruerunt, & occisa sunt ex eis & submersa plusquam 20. millia, inter quos erant 10. personæ illustres de genere Principum, & plusquam 40. Comites, & ferè quingenti famosi milites, præter mediocres alios bellatores.

Dura-

Digitized by Google

Duravit autem dissensio per IV. annos & amplius, & Flandrensibus prospere successit, & plures postmodum victorias habuerunt. Sæc. XIV.

Anno Domini M. CCC. III. Anno

Albertus Romanorum Rex, veniens ad impugnandum Regem Bohemiæ Venezlaum, castrametatus est prope Ratisponam apud ripam Regen, & tandem transiens civitatem Ratisponam, & de permissu Ottonis Ducis Bavariæ rapinis & incendiis non modica ibi damna fecit, & processit versus Austriam, euntibus secum in exercitu Saltzburgensi Archiepiscopo; Frisingensi, Ratisponensi, Pataviensi, Augustensi, Spirensi & Herbipolensi Episcopis; Ottone & Rudolfo Ducibus Bavariæ, de Huspch, de Oeting, de Birtenberch, de Haierloch & Hohenloch Comitibus, & aliis pluribus. Veniens igitur in Lincz per navigium transivit cum toto exercitu Danubium & intravit Bohemiam, & in eadem processit hostiliter usque Argentifodinam, quæ dicitur Chutt, intendens eundem locum, qui abundat divitiis, expugnare. Mansit autem in obsidione illius ad quatuor dies, & tandem abinde recessit, nulla impugnatione ibi facta; & per aliam viam cum exercitu in Austriam est reversus: Traxerat enim moram in Bohemia ad sex septimanas vel paulo minus, & nullum castrum nec civitatem aliquam expugnavit; quia Rex Bohemiæ munitiones suas militum & bellatorum multitudine & alimentorum copia abunde muniverat, ita quod sine multa strage non poterant obtineri: & Romanorum Rex expectans quotidie cum eodem Rege conflictum, noluit quasi ad promptum periculum suos milites exponere, sed incolumes suo conflictui reservare. Prædictus etiam Rex Bohemiæ, de terris Alamanniæ, Poloniæ, Saxoniæ, Michsniæ & Brandenburch multa militia juvabatur, itaque dicebatur habere exercitum, 10. millia magnorum equorum cum militibus, & aliorum equestrium & pedestrium plusquam 100. millia bellatorum, & pro stipendiis expendit 200. millia marcarum argenti. Præterea Rex Romanorum duxit secum Regem Ungariæ, qui habuit multos Ungaros, & insuper 20. millia paganorum, qui in Moravia & Bohemia fecerunt stragem miserabilem in populo Christiano, ita videlicet, quod abscissis manibus & pedibus parvorum Christianorum, & eis in salina confectis eos inhumaniter comederunt, aliis viris & mulieribus crudeliter neci datis; quos tamen prædictus Rex Romanorum in ipsorum immanitate nolens diutius sustinere, missis militibus eorundem paganorum 10. millia occiderunt, & alii per fugæ præsidium evaserunt.

Præterea Rex Bohemiæ de fæcibus, quod superfuit in examinatione argenti, quasdam aquas Bohemiæ infecit, unde homines & equi Regis Romanorum non pauci subito perierunt. Tandem prædictus Rex Romanorum in terra Austriæ hyemavit, & quia prædictus Rex Romanorum sperata stipendia non persolvit Principibus & militibus...

Anno Domini M. CCC. IV.

Cum aqua Danubii, transiens per pontem Ratisponæ, omnino versus littus Aquilonare declinasset, & littora prope civitatem sicca & arida reliquisset, Cives Ratisponenses artificiosè & multis lationibus & expensis, ipsam aquam, ut iterum prope civitatem flueret, ad loca pristina per strues lignorum & congeries lapidum reduxerunt. Mortuus est autem prædictus Papa Benedictus in Octava Apostolorum Petri & Pauli, anno Apostolatus sui primo in civitate Perusii: & Cardinales inclusi sunt ibidem secundum constitutionem G G. Papæ X. quæ incipit: Ubi periculum, &c. & cum aliquandiu sic inclusi starent, nec ad electionem procederent, cives ejusdem civitatis tantum panem & aquam ipsis pro aliquo tempore ministrabant, & ipsam constitutionem G G. in ipsis strictissime servaverunt. Igitur in vigilia Pentecostes anno revoluto Pertramum Burdegalensem Archiepiscopum in summum Pontificem elegerunt, qui vocatus est Clemens.

Anno Domini M. CCC. V.

In vigilia Joannis Baptistæ Venzezlaus Rex Bohemiæ devotus ad Deum, & clemens ad clerum & populum, neminem opprimens, sed per XXVIII annos regnum suum juste regens, mortuus est, & sepultus in Braizlab, monasterio Cistertiensis ordinis, quod fundavit, & filius suus Rex Ungariæ cœpit regnare pro eo.

Venerabili in Christo patri & amico charissimo Domino Heinrico, venerabili Episcopo Ratisponensis Ecclesiæ Chunradus Dei gratia sanctæ Saltzburgensis Ecclesiæ Archiepiscopus, A. S. L. salutem & sinceram in Domino charitatem. Noverit vestra fraternitas literas non cancellatas, non abolitas, non in aliqua parte sui vitiatas, salvas omnimodis nos recepisse à sede Apostolica, in hæc verba: Nicolaus Episc. servus servorum *Dei*, universis Christi fidelib. ad quos præsentes literæ pervenerint, salutem & Apostolicam benedictionem. Illuminet super vos Dominus vultum suum, & ita suo lumine ad recensendum attentius qualiter Redemptor noster salutem humani generis in terra sancta dignatus est misericorditer operari, oculos in vobis hominis interioris illustret, quod accendatur, ut ignis, ab subveniendum terræ illius necessitatibus zelus vester con- Nicolai Pontif. epistola.



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1305.

calescat, corda inflammentur, affectus & effectum prompta operis prosecutio subsecuta commendent. Cujus etenim pectoris etiam lapidei quantumcunque duriciam non emolliat considerata illius humanationis humilitas, in qua Dei filius factus homo, exinanivit semetipsum formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo? Cujus viscera non inflammet charitatis ardore pia consideratio illius humilitatis extremæ, in qua ipse factus est obediens usque ad mortem, ad exprobrantium opprobria, velut agnus coram tondente se verè mitis obmutuit, & sicut ovis ad occisionem ductus propter contumelias & terrores, post spinas & sputa, post flagella & vulnera innocens est sine causa damnatus, ac demum saturatus opprobriis, clavis affixus, aceto & felle potatus, in crucis patibulo tam diræ mortis subiit passionem, mysterium nostræ redemptionis consummans: Post traditum etiam spiritum lanceæ illusione confossus. Hæc, filii, & innumerabilia largitatis divinæ charismata in terra prædicta ipsi humano impensa generi ab eodem Redemptore piissimo si frequenter intra claustra pectoris attenta meditatione revolvitis, si qua decet attentione pensatis, quis vestrum non fervebit intus, foris ebulliet, exclamabit & dicet: Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? & non expectato monitoris vel solicitatoris officio subjunget ultroneus: Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. Quis sine acutissimi doloris aculeis considerare potest, non solum veneranda & piissima loca illa, in quorum altero Oriens ex alto pro nobis nasci dignatus est humiliter, in reliquo mori crudeliter non expavit; sed etiam totam quasi jam terram eandem, quam ipse idem sua illustravit corporali præsentia, miraculis clarificavit immensis, & tandem effusione sui pretiosi sanguinis in nostræ salutis effusi pretium consecravit, occupari per nefandissimos Saracenos, ipsorum immunditia pollui, fœdissima eorum habitatione fœdari? Quis absque amaritudine summa commemoret tot Christianorum castra, civitates & alia loca solennia destructa penitus ad nihilumque redacta, & eorum incolas eorundem Saracenorum immanitate peremptos? Pro dolor, quis novitatis (quoniam deplorare libet potiùs, quàm narrare) solers censor, & discriminum, quæ comminari videtur, discussor attentus, per noctem & diem quasi torrentem lachrymas non deducat? Cujus pupilla tacebit, cujus pectoris penetrale continebit suspiria, vel in singultuum frequentiam non erumpet, lugubri contemplatione recensens, quod quantumcunque mater Ecclesia casum eundem prævenire studuerit, incolis illarum partium, in Galleis bellatorum multitudinem, ac subventione pecuniaria juxta persuasam ab eis denunciatæ necessitatis exigentiam & oblatæ super hoc petitionis instantiam succurrendo; nihilominus tamen civitas * Acaone sic ejusdem matris Ecclesiæ studio commutata, quadraginta & quatuor diebus arctissima Babylonicæ potentiæ obsidione circundata, terribilibus machinis diu noctuque vexata, impedita crebris & diris insultibus, muris etiam ipsius per cuniculos arietatis occultos, quadragesimo quarto die, obsidentium viribus, Dei permissione admirabili & studenda succubuit; capta per eos, & igni exposita, Christicolis inibi existentibus cæsis innumeris, & cæteris, qui habere nequiverunt maritima vasa recursum, in captivitatem abductis, ut per jugum barbaricæ servitutis horrible dispendiis civilis mortis adducti, naturali etiam diutius moriantur. Et deinde Tirensis civitatis (a) Dedicatione secuta. Quis igitur de cætero marcebit otio? quis non exsurget? Quis ad recuperationem terræ prædictæ non promptus exiliet? Quis tardabit? Quem non pudebit ingratitudinis argui, quin potius quasi de infidelitate notari, si creatori proprio, tam benefico Domino, ad redemptionem terræ illius, quam ipsa sacra Scriptura testatur omnium chariorem, qua potest promptitudine non assistat? Cum etiam secundum juris humani censuram subditos suis dominis, & ad tuenda quæ possident, & ad recuperanda injustè subtracta, debitum fidelitatis adstringat? Quis tot fidei Orthodoxæ cultoribus tam immaniter trucidatis, de tot calamitatibus captivorum, & aliis Christianitatis opprobriis, non e tota mente movebitur? Non suspirat, non anxiabitur ad vindictam? Profectò cum secundum Apostolum, omnes sumus unum corpus in Christo, non immerito cum illis, de quibus scriptum est, Precussisti eos & non doluerunt, insensibilitatis arguitur, quisquis tantam hujus nostri corporis mutilationem, prædictorum videlicet Christicolarum non sentit excidium, & tam graviter non veretur? Accingimini ergo Christi fideles, & qui Christiana religione censemini, vos Christianos esse operis persecutione monstrate. Accipite devotione, qua Rex, vivificæ Crucis signum. Illud in considerationis vestræ scrutinium deducentes, quod viris quantumcunque magnificis, quantacunque dignitate præditis & virtute, ad gloriam magnam ascribitur, si eis quovis in bello Dominorum insignia gerere concedatur: Sub quibus contingit frequenter, non sine salutis æternæ discrimine mortis subire periculum, sub cujuslibet irremunerationis. Quanto igitur glorioſius, quanto securius Regis regum, in ejus bello, victoriosum gestare vexillum, salutiferam videlicet

(a) *Deditione.*

cet

Digitized by Google

cet Crucem? Sub qua, devotione congrua, puro corde susceptâ, conceptum prose- Sæc.
quentibus munditia continua propositum; mori est vitæ perennis initium, transitoriæ XIV.
mortis finis, retributionis inæstimabilis certitudo. Festinate itaque, festinate ad salu- Anno
tis vestræ properare compendium. Accendatur cujusque virilis animus & consultius 1305.
attendentes; quod si forte labor major ex dictarum civitatum captione proponitur, merces uberior subsequetur, cum sicut scriptum est; secundum laborem accipiet unusquisque mercedem, corpora vestra & corda pariter ejusdem vivificæ Crucis signo in terræ sæpe fatum subsidium insignite, nunc præcipuè dum ipsius terræ subventio multis & olim per Sedem Apostolicam exquisita vigiliis, multis laboribus & honoribus procurata, sed diversis & adversis adventibus diutius impedita, divina, ut supponit devota credulitas, provisione dirigitur, & ad excipiendas terræ ipsius angustias, eamque de impiorum manibus eruendam efficaciter sub spe divini numinis præparatur. Siquidem charissimus filius noster, Christianissimus Princeps Eberhardus, Angliæ Rex illustris, post tractatus varios super generali & suo passagio in ipsius terræ subsidium faciendo, diversorum Pontificum Romanorum temporibus habitos, novissimè tanquam benedictionis filius, nostris beneplacitis acquievit, & ut post Christum juxta consilium ejus eat, seipsum abnegans ac tollens, ut eundem sequatur Dominum, crucem suam, terminum, festum videlicet Nativitatis beati Joannis Baptistæ, quod erit Anno Domini M. CC. XC. tertio, & ei ad transfretandum personaliter, nec non ad dictum generale passagium cruce signatis & cruce signandis omnibus duximus præfigendum, humiliter acceptavit; semetipsum exponere sui Redemptoris obsequiis terræ præfatæ personaliter subveniendo disposuit, negligens natalis soli dulcedinem, prætermittens regni sui terrarumque divitias, spernens delitias, & gloriam inibi dominandi. Non igitur cunctemini amplius prædicti glorioſi vexilli Dominici characteris insignia mercantes, felici commercio perpetuam post defunctionem corporis ex ignominio perpetuitatis comparatione vix momentaneo labore quietem & permutatione consulta, terrena pro cælestibus commutantes, transitoria permansuris, temporalia pro æternis. Cæterum licet ad excitandos vestros animos in terræ memoratæ succursum sufficere debeat solers attentio præmissorum, ut tamen ejusdem terræ negotium eo libentius, eoque ferventius prosequi studeatis, quo potiorem fructum ex vestris laboribus vos noveritis percepturos: Nos de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, & illa quam nobis licet indignis Deus ipse ligandi & solvendi contulit potestatem, omnibus qui vexilli Dominici charactere insigniti personaliter propriis sumptibus in prædictæ terræ subsidium proficisci curaverint, plenam suorum peccaminum, de quibus veraciter fuerint corde contriti & ore confessi, veniam indulgemus, & in retributione justorum salutis æternæ pollicemur augmentum. Eis autem, qui licet in alienis expensis, in propriis tamen illuc personis accesserunt; & illis similiter qui juxta qualitatem & facultatem suam personas idoneas in expensis propriis destinabunt, quamvis personaliter ipsi non vadant, plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Hujusmodi quoque remissionis & indulgentiæ volumus & concedimus esse participes, juxta quantitatem subsidii & devotionis affectum, eos qui licet non juxta qualitatem & facultatem suam, aliquem tamen seu aliquas personas in subsidium dictæ terræ propriis sumptibus destinabunt, vel de suis temporalibus bonis contribuent, ad aliquas destinandas. Nec non omnes qui ad subventionem ipsius terræ de bonis eisdem aliqua ministrabunt, prout singulis divina fuerit inspiratione suggestum: aut aliàs ad promotionem præmissi negotii consilium & auxilium impenderint oportunum. Porro si forte aliquos eorum, qui cruce susceptâ in jam dictum terræ sanctæ subsidium proficiscendi laborem subierint, post arreptum iter ejusmodi, ex hac luce migrare contigerit, ipsos nihilominus plene percipere volumus Indulgentiam prælibatam: personas quoque familias & bona eorum, quos ad transfretandum personaliter, vel juxta quantitatem & facultatem suam, personas idoneas destinandi, votum assumptæ jam Crucis adstringit exnunc. Quos verò suscipiendæ Crucis de cætero votum obligabit ad idem, à die qua taliter Crucem assumserint, sub Beati Petri & nostra protectione suscipimus, statuentes, ut sub diœcesianorum defensione suorum consistant. Quod si eos aliqui indebitè molestare præsumpserint, per diœcesanos locorum, in quibus iidem molestatores fuerint, per Censuram Ecclesiasticam, appellatione postpositâ compescantur. Præterea ipsis qui prædicto modo, Crucem vel jam assumpserint, vel assument imposterum, indulgemus, ut per Sedis Apostolicæ litteras, vel Legatorum ejus (nisi fortè illæ quæ ab eadem Sede obtentæ fuerint, plenam de indultu hujusmodi fecerint mentionem) extra suas diœceses non valeant conveniri: dummodo parati existant, coram suis Ordinariis, de se querelantibus respondere: quos per eosdem Ordinarios Ecclesiastica censura defendi, cessante appellationis obstaculo, volumus ab iis, qui eosdem contra indultum hujusmodi præsumpserint temerè molestare. Si qui

verò

Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1305.

verò ipsorum ad præstandas usuras juramento teneantur adstricti, creditores eorum, per diœcesanos suos censura simili compellantur, ut juramentum hujusmodi penitùs relaxantes, ab usuræ ulterius exactione desistant. Si autem aliqui creditorum eos extunc ad solutionem coëgerint usurarum, ipsos ad restitutionem ipsarum per eosdem diœcesanos, simili volumus districtione compelli. Judæos quoque ad remittendas ipsis usuras per secularem compelli præcipimus potestatem: & donec eas remiserint, ab omnibus Christi fidelibus, quibus hoc per suos diœcesanos denuntiatum extiterit; tàm in mercimoniis, quàm in aliis sub excommunicationis pœna jubemus eis communionem omnimodam denegari. Postremò Cruce signatis & Cruce signandis eisdem, volentes pleniùs providere, diœcesanis ipsorum ac nonnullis aliis absolvendi eos ab excommunicationis sententiis, in variis casibus, de quibus secundum facti exigentiam putavimus expedire, nec non dispensandi cum clericis. Qui cùm à Canone vel homine latam sententiam incurrissent, irregularitatis notam, immiscendo se divinis officiis, contraxerunt, per alias nostras literas plenam & liberam concedimus facultatem. Datum apud Urbem veterem Calendis Augusti, Pontificatus nostri anno quarto.

Auctoritate igitur sedis Apostolicæ atque nostra vobis præcipiendo mandamus, quatenus universa & singula supra dicta mandetis sic solicitè publicari & exequi diligenter, ut per vestræ sollicitudinis exercitia divinæ propitiationis præmium pro devotis vestris meritis capere valeatis. Datum Saltzburgæ. Anno Domini M. CC. XCII. in die Purificationis Virginis gloriosæ.

Venerabili in Christo Patri & amico charissimo Heinrico venerabili Episcopo Ratisponensis Ecclesiæ, Cunradus Dei Gratia sanctæ Saltzburgensis Ecclesiæ Archiepiscopus, Apostolicæ sedis Legatus, salutem & fraternam in Domino charitatem.

Noveritis nos literas sedis Apostolicæ salvas per omnia recepisse, per ordinem in hæc verba.

Nicolaus Episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiscopo Saltzburgensi ejusque Suffraganeis salutem & Apostolicam benedictionem.

Alia Nicolai epistola.

Terræ sanctæ miserabilem statum non absque gravi amaritudine inter mentis nostræ præcordia recensentes, atque ad liberationem ipsius nostra simul & desideria convertentes & studia, inter multa operosa subsidia, quæ ipsi terræ, Deo auspice, fructuosa sedulo procurare atque impendere studuimus & studemus, generale passagium pro ejusdem terræ subsidio in festo nativitatis beati Joannis Baptistæ, quod erit anno Domini M. CC. nonagesimo tertio de fratrum nostrorum consilio duximus statuendum, sicut in aliis literis, per quas ad subventionem ejusdem universos Christicolas exhortamur, quasque vobis una cum præsentibus mittimus, evidentius declaratur. Ut autem ad succurrendum promptius in eodem passagio terræ præfatæ per divini verbi virtutem mentes fidelium salubriter excitentur, Christicolis per diversas Christianitatis partes proponendum deliberavimus verbum Crucis. Ad exequendam deliberationem hujusmodi vos eo confidentius eligentes, quo magis ad compatiendum & subveniendum pro viribus terræ prædictæ pastoralis officii pietas vos invitat: Ideoque prædicandæ ipsius vivificæ Crucis mysterium, tibi frater Archiepiscope, in tua provincia, vobis autem suffraganeis, singulis in civitatibus, & diœcesibus vestris præsentium auctoritate committimus, fraternitati vestræ in remissionem peccaminum injungentes, quatenus hujusmodi ministerium juxta datam vobis à Deo prudentiam, non obstante, quod hoc idem aliis sit commissum, quorum affectum per vos nolumus impediri, solerter & efficaciter exequi studeatis, omnes fidei orthodoxæ cultores ad tam pii negocii prosecutionem idoneos prædicationibus crebris & sedulis exhortando, ut ad liberandam dictam terram de manibus impiorum victoriosum ejusdem vivificæ crucis signum devotè suscipiant, & propriis assignantes humeris ac magis cordibus imprimentes reverenter & publicè deferant, atque ad ejusdem occursum in prædicto passagio generali promptis animis totisque viribus se accingant. Quod quidem universale signum volumus, ut cunctis devotè petentibus concedatis, generaliter omnibus prædicantes, quod qui eandem crucem susceperint in prædictæ terræ subsidium vel personaliter in propriis aut alienis expensis accedere, vel juxta qualitatem & facultatem suam bellatores, seu alias personas idoneas destinare; vel saltem, si ex causis legitimis Ecclesiæ opportunum fore videbitur, susceptæ Crucis votum ad arbitrium Apostolicæ sedis seu eorum, qui ad hoc deputati fuerint, per ipsam de facultatibus suis redimere tenebuntur. Hos autem qui aliter hujusmodi votum redemerint, remissionis & indulgentiæ, quod transfretantibus in subsidium antedictum conceditur, volumus & concedimus esse participes, juxta quantitatem subsidii quod impendent & ejus qui hoc facit, devotionis affectum. Aliorum vero privilegiorum & immunitatum seu gratiarum, quæ ipsis transfretantibus per præsentes, & alias universis directas fidelibus nostras literas conceduntur, plena eos volumus commoditate gaudere. Insuper omnes, qui hactenus

Digitized by Google

nus idem signum pro eodem subsidio susceperunt, movere & inducere procuretis, ut illud, si fortè dimiserint; resumentes alacriter votum Domino reddere studeant, quod voverunt, terræ præfatæ subvenire efficaciter; ut tenentur. Cum omnibus autem Christi fidelibus; qui eidem terræ succursum impenderint opportunum, unicuique secundum proprium meritum indulgentiam salutarem, ac maximè illis, qui cruce suscepta in ipsius terræ subsidium, vel personaliter ibunt, vel personas idoneas juxta qualitatem & facultatem suam in propriis sumptibus destinabunt; multiplicium gratiarum beneficia concedamus, sicut in aliis nostris literis prælibatis serioſius continetur; Earundem literarum tenorem per vos populis Christianis volumus frequenter & diligenter exponi: Ita siquidem provide, quod & beneficia supra dicta, quæ ipsis interea concedimus, & copiosam mercedem, quæ ipsis præparatur in cælo; cognoscere valeant & amare; nec tamen ex verbis vestris concipiant, se aut plenam in casibus, in quibus nequaquam conceditur, aut majorem quam concedatur indulgentiam promereri; Sanè ipsos populos ad certa & idonea loca, quoties expedire videritis, convocandi ad verbum Crucis humiliter audiendum, ac omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui ad hujusmodi vestras prædicationes convenerint, & idem verbum audierint reverenter, centum dies de cunctis sibi pœnitentiis relaxandi; vobis auctoritate præsentium concedimus facultatem. Si quando autem ad Ecclesias interdicto suppositas vos advenire contigerit, liceat vobis ad ipsas populos convocare, ac verbum Crucis proponere in eisdem, nec non excommunicatis & interdictis exclusis, non pulsatis campanis, submissa voce, januis clausis, cum vestris familiis divina officia celebrare, ad hæc si qui eorum, quos ad transfretandum personaliter, vel juxta qualitatem & facultatem suam personas idoneas destinandi votum assumptæ jam Crucis astringit vel assumendo deinceps obligabit, ad idem excommunicationis pro violenta injectione manuum in personas Ecclesiasticas essent vinculo innodati, dummodo non fuerit difficilis & enormis, & passis injuriam satisfaciant competenter, sive pro eo quod Sepulchrum Domini visitare, seu ad quaslibet alias terras accedere, vel aliquibus communicare, non tamen intermine contra prohibitionem Ecclesiæ præsumpserint; dummodo equos, arma, ferrum seu ligamina, quibus Christianos impugnant, non portaverint Saracenis, absolvendi eosdem in forma Ecclesiæ, ac dispensandi cum clericis, qui cum excommunicationis sententiam latam à Canone vel ab homine incurrissent irregularitatis notam, immiscendo se divinis officiis, seu ministrando in susceptis ordinibus contraxerunt, vobis & vestrum cuilibet concedimus potestatem, ita videlicet quod beneficium absolutionis & dispensationis hujusmodi singuli vestrum omnibus, qui de ipsorum manibus Crucem susceperint, dummodo personæ sint cognitæ. Ac nihilominus tu frater Archiepiscope omnibus de tua provincia, singulis Suffraganeis de civitatibus & diœcesibus vestris jam Cruce signatis imposterum impertiri prævia discretione possitis.

Sæc. XIV. Anno 1305.

Cæterum licet hoc prædicandæ vivificæ Crucis officium nonnullis religiosis per alias nostras literas committamus, nihilominus, ut quo plures cooperatores habebitis, eo uberiores fructus ex agro Dominico producere valeatis; vobis præsentium auctoritate concedimus, ut tu frater Archiepiscope, quatuor de quibus vestrum Suffraganeorum duos viros honesta conversatione probatos & ad hujusmodi aptos officium possitis eligere, ac mutare, quoties opportunum fore videritis, qui crucem in vestris civitatibus & diœcesibus prædicent, prout eis vestra providentia duxerit committendum. Quibus quemadmodum vobis facultatem concedimus, ut convenientibus ad prædicationem ipsorum, prædictam indulgentiam centum dierum valeant impertiri. Porro quod dignus est operarius mercede sua, singulis vestrum & eorum, quos ad prædicationem Crucis, ut dictum est, duxeritis assumendos, in hoc divino fideliter laborantibus opere, præter mercedem æternam, quam merito sperare potestis, quotiescunque studueritis populis ad hoc specialiter convocatis, proponere verbum Crucis, centum dierum indulgentiam elargimur, ac vos & ipsos indulgentiæ memoratæ, quæ transfretantibus in subsidium sæpe dictum conceditur, juxta laboris vestri mensuram volumus participatione gaudere.

Denique volumus, ut tu frater Archiepiscope singulis Suffraganeis tuis sub tuo, & quilibet vestrum singulis viris, quos, ut præmittitur, ad ministerium prædicandæ Crucis elegerint, sub suo sigillo tam præsentium, quam aliarum literarum nostrarum, quæ Christicolis omnibus diriguntur, copiam faciatis, ut earum tenorem inspiciendo frequenter tam vos quam ipsi de his, quæ à nobis committuntur agenda, reddamini plenius informati.

Postremo quod diversis olim temporibus, nonnullæ super prædicatione Crucis in sæpe dictum subsidium commissiones à sede Apostolica emanarunt, ne forte occasione illarum turbatio ulla sive confusio valeat suboriri: Nihilominus ut auctoritate commissionum illarum in locis, ad quæ commissio nostra pervenerit, Crux de cætero



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1305.

prædicetur, ſed prædicationi hujuſmodi, eos duntaxat inſiſtere volumus, qui præſentis noſtræ commiſſionis fuerint auctoritate ſuffulti. Datum apud Urbem veterem Kalendis Auguſti, Pontificatus noſtri anno quarto.

Auctoritate igitur ſedis Apoſtolicæ atque noſtra vobis præcipiendo mandamus, quatenus univerſa & ſingula præmiſſorum, quæ ſuperius continentur, mandetis ſic ſolicitè publicari & exequi diligenter, ut pro veſtræ ſolicitudinis exercitio de me propitiationis præmium pro devotis meritis capere valeatis. Datum Saltzburgæ anno Domino milleſimo CC. XC. II. in die ſancto Purificationis Virginis glorioſæ.

Iſti ſunt, quorum hæreditas cum caſtris & prædiis ad Ludwicum Ducem & filium ejus ſunt devoluta. Fridericus & Hermannus Lantgravii de Stefrunge. Ulricus Comes de Velburch & Chlamine, Tres fratres Purchgravii de Rietenburch vel Rat. Otto liber de Werd apud Haelingenſtat, Tupoldus Marchio de Whenburch & Chambe, Chunradus Dux & Chaw. Fridericus & Otto de Witemſpach Comites Palatini, Heinricus liber de Lantſperch apud Lech flumen, Heinricus Marchio Iſteræ de Andechſen, Otto fratruelis ſuus Dux Meraniæ de Wolfrachuſen, Otto Comes de Phalagia, Siboto Comes de Hadmarſperch, Chunradus Comes de Wazzerburch, Alheit Comitiſſa de Moren, quæ habuit caſtrum in montanis, Sifritas in Purchuſen; Chuno Comes de Melinge; Ernhardus Comes de Dorenberch, Heinricus liber Vilſpiburch, Chalhohus Comes de Chirchperch, Ratoldus liber de Chag, Pabo de Elbrechtſchirichen, Hadmar & Rapoto fratres de Ahuſen ſive Landawe, Heinricus Comes Ortenberch & Rapoto frater ſuus Comites Palatini Bavariæ, Leupoldus, Berchtoldus, Albertus Comites de Bogen, Ludwicus liber de Hagenawe. H. & L. liberi de Henchoven, Item Rapoto Palatinus, Inſuper miniſteriales de Rotal. Item Otto Comes de Gruempach, Hoholdus gener ſuus de Woltmrotſa; Item Comes de Moſpurch, Item liber de Vitendorff.

VITA

Digitized by Google

# VITA S. WALPURGIS VIRGINIS ET ABBATISSÆ HEIDENHEIMENSIS.

SCRIPTA

à

PHILIPPO,

Trigesimo nono Præsule AICSTADIANO,

ET

*Ex Codice m. s. Monasterii Rebdorffensis in lucem deprompta.*



Digitized by Google

# AD LECTOREM
# CANISIUS.
# DE
# S. WALPURGE,

*Ex libro Trithemii de viris illuſtribus Ord. S. Benedicti, cap. 250.*

SÆC. XIV. ANNO 1306.

Walpurgis Abbatiſſa in Heidenheim, Eiſtetenſis Diœceſis, ſoror ſancti Wilibaldi Epiſcopi, natione Anglica, Virgo ſanctiſſimæ converſationis, multis virtutibus & ſignis clara enituit; cujus inclyta geſta diligenter conſcripta ſunt. Claruit circa annos Domini ſeptingentos quinquaginta. Obiit 5. Calen. Martii. Sed ad Eiſtat translata eſt Calendis Maii, quando etiam ejus feſtivitas agitur. Hæc ille.

Centuriatores Magdeb. Cent. IIX. & Epitome Bibliothecæ Geſneri & Balæus aiunt, ipſum S. Wilibaldum vitam ſororis ſuæ Walpurgælitteris conſignaſſe. Quæ S. Wilibaldi lucubratio necdum, quod ſciam, lucem vidit, ſi tamen lubricæ fidei homines vera narrant. Nos ex Rebdorffenſi Bibliotheca duplicem de vita S. Walpurgis commentarium proferimus; alterum ſatis proplixum & copioſum, Auctore Philippo Epiſc. Aichſtadiano: alterum breviorem, & contractiorem, auctore (*a*) Wolffhardo Monacho & Presbytero Haſenrietano, longè antiquiore, quàm ſit Philippus: Dedicat enim lucubrationem ſuam de S. Walpurge Erchemboldo ſeu, ut alii apellant, Erckenwaldo, qui VIII. inter Aichſtadianos præſules electus eſt An. Domini 884. Mortuus An. 902. ut ſcribit Bruſchius in Catalogo Epiſcoporum Aichſtadienſium, cum Philippus fuerit 39 Antiſtes: de quo hæc paulo ante nominatus Auctor: Philippus nobilis Regulus à Rodtſamshauſen, Alſata, Doctor ſacrarum ſcripturarum, & Abbas Bariſienſis, Ciſtertienſium Ordinis Cœnobii, miſſus unà cum Joanne Epiſcopo Aichſtadiano (*b*) ab Imperatore Alberto Auſtrio Romam, ibi à Pontifice Clemente V. ad prandium invitatus, Aichſtadiano Epiſcopatui præficitur, &c. Præfuit laudabiliter annis ſexdecim, menſibus duobus: Deceſſit ex hac vita 25. Feb. Anno Domini 1322. Hactenus Bruſchius.

Cum autem Philippi de Walpurge hiſtoria admodum ſit prolixa; plurimaque interſerat de parente S. Walpurgis S. Richardo; itemque de fratribus Wilibaldo & Wunibaldo: Hinc factum arbitror, ut is, qui non ante multos annos epitomen quandam rerum ab his ſanctis geſtarum confecit, typisque Ingolſtadianis evulgavit; hujuſmodi titulum compendio ſuo præfixerit: *Vita B. Wilibaldi primi Eyſtetenſis Epiſcopi ejusdemque patris B. Richardi, fratris S. Wunebaldi, & ſororis S. Walpurgis Virginis ante annos CCLXXX. ab ejusdem Eccleſiæ venerabili Epiſcopo Philippo con-*

(*a*) De Wolffhardo ſuperius actum. Ipſiusque opus de *Walpurge* editum eſt ad an. 895. quo ſcriptum cenſemus. B.

(*b*) Fuit illa civitas ita dicta, ut aiunt, a quercubus excisis, quaſi *Quercopolis*. Eam in Epiſcopalem ſedem erexit *Bonifacius*. Et, ſi Philippo fides, illius urbis præſules, quotieſcunque neceſſitas exigebat, Archiepiſcopi vices gerebant. Inde natæ ſæpius controverſiæ, repugnantibus aliis Epiſcopis. BASN.

Digitized by Google

*conſcripta.* Quæ inſcriptio fortè quem inducere poſſet, ut crederet, vitas omnium prædictorum à Philippo Epiſcopo litteris mandatas eſſe. Quod ſecus eſt, niſi nos noſtra opinio fallit; ſeparatim namque ſingulorum vitas non ſcripſit: licet de ſingulis in vita S. Walpurgis non pauca commemorarit. Sæc. XIV. Anno 1306.

Altera hiſtoria longè vetuſtior eſt; ut ſupra dicebamus, ſcripta à Wolfhardo Monacho Monaſterii Haſenrietani, fundati à Carolo Magno, ut Bruſchius auctor eſt, libro de Monaſteriis; quod poſtea Arnulphus Imperator in Canonicorum ſæcularium Collegium vertit; condito ampliore templo in honorem S. Viti. Quin & ipſum nomen Haſenried, ſucceſſu temporis in Herrenried abiit. Teſtatur Bruſchius de Monaſt. rogatu Erchemboldi præſulis Wolffhardum hos etiam verſiculos in honorem D. Walpurgæ ceciniſſe: Vide Sæc. IX. an. 895.

*Filia Regis erat, ſed egenam ſe faciebat,*
*Dives ut in Chriſto regnaret ſemper in ipſo.*
*Quam ſit chara Deo, monſtrant miracula crebro:*
*Quæ meritis ejus confert de Virgine natus.*
*Ex ejus tumba manat ſacra pectoris unda;*
*Servæ namque Dei lux cœli ſplenduit illi.*

Reperit eandem vitam Surius in veteri quodam Codice; ſed abſque auctoris nomine, retulitque in Tomum ſeptimum; ſed ſtylo mutato, multiſque omiſſis. Nos damus integrum, præſcripto auctoris nomine, quod codex noſter Rebdorffenſis & Windbergenſis expreſsè repræſentavit. Nunc Philippum, tametſi ævo minorem, audiamus.



Digitized by Google

Sæc. XIV. Anno 1306.

# LEGENDA SANCTÆ WALPURGÆ VIRGINIS, (a)

*Edita*

## A Reverendiſſimo Patre & Domino, D. PHILIPPO Eyſtetenſi Epiſcopo, ad petitionem filiæ Regis Romanorum, & Reginæ Ungariæ, piæ memoriæ, domini Alberti ejus genitoris.

*EXcellentiſſimæ dominæ ſuæ Ungarorum Reginæ, nec non felicis recordationis domini Alberti quondam Regis Romanorum filiæ. Frater Philippus, miſeratione divina Eyſtetenſis Epiſcopus, quidquid poteſt obſequii, reverentiæ & honoris, & ſi quid valeant orationes peccatoris.*

COngruum valde, ſanctum & laudabile fore decernitur, ut filia Regis vitam ſanctitate præclaram filiæ Regis deſideranter amplectatur, & eadem pro ſpeculo ſuæ recreationis, ac componendæ pulchritudinis delectabiliter ſpeculando fruatur, nam & ipſa contemplando inveniet ſpeciem ſanctæ converſationis, perfectionis formam, ac virtutis imaginem, quam ſacræ imitationis ſtudio veneretur. Hinc eſt quod ſinceritati veſtræ devotionis ac celſitudini reverendæ dominationis epiſtolam, continentem vitam & mores, obitum, & inſignia miraculorum beatæ Walpurgæ Virginis, quibus eam Dominus in vita, morte & poſt mortem clarere voluit, offerre. Non immemor exiſtens, humillimæ ac reverendæ poſtulationis, qua vobis ſanctæ Walpurgis vitam à me tranſcribi petiſtis, qua petitione mirum in modum exhilaratus gaudebam in Domino, luculentiori conſideratione perpendens, quod hujuſmodi petitio, tum ex re petita, tum ex modo petendi, ex radice pietatis pullularet. In ſe namque prægnans erat petitio, & argumentum geſtabat ſtudioſæ voluntatis, & probamentum futuræ ſanctitatis, in regina filia Regis perſona poſtulante. Precor autem veſtram regiam dignitatem, & dignitatis benignitatem, ut præfatam epiſtolam conſortibus veſtris, id eſt, filiabus Regum, & aliis devotionem ad beatam Walpurgam virginem habentibus, ex charitate communicare dignemini. Nam charitas non quærit quæ ſua ſunt, ſed quæ *Jeſu Chriſti*, & quæ Sanctorum ſuorum, quos in ipſo & per ipſum veneramur.

Filiæ Regum, quæ in honore tuo, Fili Dei, Jeſu Chriſte, qui es Rex Regum & Dominus dominantium, mundi excellentias, ſæculorum divitias, ac propriæ carnis delicias contempſerunt, ut te ſponſum candidum & rubicundum, dilectum, electum, & prædulcem ex dilatati cordis amore currentes, in odore unguentorum tuorum ab omnibus retardativis exoccupatæ liberius ſequerentur, & ſequendo conſequerentur, & conſequendo caſtæ dilectionis deſiderio amplecterentur, multo reverentiali honore, ac laude digna veneratione ab univerſo cœtu fidelium proſequendæ, & proſecutione extollendæ ſunt. Hæc namque in ſeipſis, vel ſaltem in patribus ſuis, in præſenti ſæculo coronatæ, temporalem dignitatem in æternam ſublimationem commutantes in cœlis coronari meruerunt, & cenſum terrenorum parvipendentes affectum ſupernorum divini amoris virtute magnificabant, & in ſublimitatis honore humilitatem, & in adverſitate benignitatem ſervantes, tam in reſpuendis, quàm appetendis, tanquam magnificæ perſonæ, viam imitandæ virtutis, quæ ducit ad bravium æternæ ſalutis, luciformi exemplo excellentiſſime fidelibus Chriſti demonſtrarunt.

De

(a) Cum plurima de Walpurge ejuſque Panegyriſtis ad annum 896 obſervaverimus, hic ſilentium ſervamus: novam ejus vitam prout jacet edituri.

Digitized by Google

De istarum filiarum Regum numero laudabili, & meritò ineffabili beata Walpurgis Virgo, quæ ab infantia in omni vitæ sanctimonia Deo consecrata extitit, esse dignoscitur, cujus vitæ & mortis insignia in epistolare compendium gratia brevitatis colligere promisimus, quod exsolvere cupientes emendatiori stylo, quo possumus, ut decet, exordiamur. Sæc. XIV. Anno 1306.

Igitur B. Walpurgis Virgo Deo placita, & hominibus grata, ex illustri prosapia, immò stirpe regia, exorta est, & tanquam sidus novæ claritatis, ac miræ pulchritudinis, obducto tenebris ignorantiæ mundo, radio puriori eidem feliciter insulsit, & velut stella matutina eo cæteris clarior, quo vicinior soli, à Deo gratiosè & specialiter constituta est suis præire, ut & nos in fulgore sui luminis, quod radio veritatis, justitiæ ac sanctitatis enituit, in splendoribus Sanctorum, in via mandatorum, vel quod præstantius est, in semita consiliorum Dei, quæ ducit ad patriam claritatis æternæ, fiducialiter ambulemus. Divina namque ordinante providentia Sanctum Richardum quondam Regem Anglorum, nunc verò consortem Angelorum, patrem in cura, genitorem in natura, sortita est. Nimirum eum decebat, ut Virgo tantæ sanctitatis in cœlis sublimiter coronanda, à Rege sancto in terris coronato, & in cœlis coronando in lucem hujus mundi prodiret. S. quoque Willibaldum Aureacensem Episcopum, qui modo Eystetensis vulgato magis nomine dicitur, in omni genere perfectionis præsulem magnificum, nec non beatum Wunebaldum strenuæ virtutis virum, Abbatem sanctitate præcipuum, fratres germanitate uterinos habuisse legitur. Item B. Bonifacius sanctæ Maguntinæ sedis Archiepiscopus, qui florentem palmam victoriæ cum corona martyrii *Deo* propitiante obtinuit, ejus avunculus fuisse non dubitatur. Item beatus Deodatus, Martyr & Pontifex Christi insignis, ejusdem beatæ Walpurgis cognatus invenitur. B. etiam Willibrordus, Confessor Dei & Pontifex pretiosus, ac sanctus Sola, sanctitate mirabilis, de ejus parentela satis è vicino computantur. O quàm pulchra est hæc casta generatio, cum claritate! Hæc est generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Jacob. Hæc est generatio, de qua scriptum esse forte potest intelligi, quoniam generatio rectorum benedicetur. Isti namque fuerunt viri misericordiæ, quorum justitiæ oblivionem non acceperunt, cum semine eorum permanent bona, hæreditas sancta nepotes eorum. Laudemus ergò viros glorioſos, patres & parentes nostros in generatione sua, nam hi sunt qui genuerunt nos verbo veritatis in Christo Jesu Domino nostro. In linea propaginis hujus sanctæ genealogiæ, si luculenter advertamus, vernantes rosæ Martyrum, candentia lilia virginum, humiliter dependentes violæ confessorum inveniuntur. Hi sunt flores paradisi in domo Domini plantati, in charitate radicati, cœlesti rore perfusi, Spiritus sancti vivificatione vegetati, super quos sanctificatio Christi efflorvit, ut in atriis domus Dei nostri floreant in æternum. Hi sunt flores, qui ad cooperimentum fructus sui, & projicienda salubri (a) unda fronduerunt, quorum folium non defluxit, sed fructum sanctitatis dederunt in tempore suo, & antequam bonus odor Christi in omni loco aromatizantes, redolentiam miræ fragrantiæ ubique sparserunt, in horum florum suavitatis odore delectati, & delectatione invitati currimus, si memoratorum Sanctorum vitam concupiscimus. Accedente ad nos sole justitiæ hoc verno in tempore gratiæ, non solum apparuerunt flores in terra nostra, sed & vox turturis audita est in terra nostra, vox, inquam, turturis, hoc est castissimæ Walpurgæ Virginis, quæ prece dulcissimæ supplicationis interpellet pro nobis ad Dominum, & non incongruenter vocem turturis precem B. Walpurgæ Virginis interpretati sumus. Nam turtur est avis solivola, fidelis & casta: sic moralizando ut prosequamur, B. Walpurgis in solitudine contemplationis excessivè fuit solivola, in dispensatione fidelis ac prudentissima, in omni conversatione castissima ac pudicissima. In his egressionibus delicabiliter depasti cum pastore & sponso, qui pascitur inter lilia, deinceps ad ovilia primitæ intentionis decet ut revertamur. Nam quæ de linea derivationis sacræ genealogiæ B. Walpurgis prælibavimus, totum in laudem ejusdem laude dignæ Virginis credimus ut censeatur, nam ex hac reverenda enumeratione Sanctorum evidenter perpenditur, quomodo ex insignibus nobilitate pariter & sanctitate processit. Nunc ordo scribendi postulat, ut de ipsa ejusque sanctitate specialius singulariusve prosequamur. Sciendum igitur, quod S. Richardus Rex Anglorum, pater ipsius, ut prælibatum est, fuisse legitur, qui cum à principio semper Christianissimus extitisset, etiam liberos suos disciplinam Christianæ religionis, & viam veritatis tam per se, quam per fideles pædagogos diligentissimè edocuit. Unde S. Willibaldum adhuc puerum titulo monasticæ professionis addixit. Cum ergò ille beatus Rex gradus de virtute ad virtutes conscenderet, ut secundùm promissionem Salvatoris centuplum acciperet, & vitam æternam possideret, igne divini amoris inflammatus, & occultiori consilio Spiritus sancti edoctus, ad exhortationem liberorum suorum, videlicet B. Willebaldi ac Wunebaldi, nec non sanctæ Walpurgis regnum & patriam dereliquit, & peregrinationem duram, quæ etiam pauperibus

Walp. ex Regia stirpe orta.

Richardus Pater Walpurgæ.

(a) f. undabra.

Digitized by Google

Sæc. XIV. Anno 1306.

ribus gravis esse solet, una cum liberis secum assumptis Oceani periculo se commisit, & tandem post magnos labores & multa pericula Luccam, id est, Luccanensem civitatem usque pervenit, & inibi mortali infirmitate consummatus in monasterio S. Frigdiani in Domino feliciter requievit. Post cujus beatissimum transitum filii ejus, sanctus videlicet Willibaldus & Wunebaldus unà cum sociis suis ad limina Apostolorum Petri & Pauli perrexerunt. Ubi à Papa Gregorio III. qui tum Apostolicæ sedi residebat, benignissimè susceptì, orando, & loca sanctificationum circumeundo aliquantum temporis devotissimè exegerunt. Factum est autem, quod S. Willibaldus, & quidam ex sociis immenso desiderio accenderentur, quatenus Jerosolymam irent, & loca in quibus Deus homo conversatus est, inviserent. Quod ita factum est S. Wunebaldo propter infirmitatem magnam, qua tunc detinebatur, Romæ relicto. Cum interim S. Bonifacius Maguntinæ sedis Archiepiscopus Ecclesiasticæ utilitatis causa, & ex legatione Pipini Regis, qui tunc temporis Alemanniorum Rex extiterat, advenisset, & cum vidisset sanctum Wunebaldum, eo quod nepos ejus esset, & quòd multa de eximia virtute, & animi ejus constantia audivisset, multum in Domino gavisus est, & suppliciter dominum Papam exoravit, ut ejus adjutorio talem cooperatorem & socium in agricultura Dei mereretur accipere. Cujus petitioni Papa Gregorius libenter acquiescens rogando præcepit S. Wunebaldo, ut societati & contubernio S. Bonifacii adhæreret, & in omnibus ejus consilio & præcepto ad serviendum Deo obediret. Hoc quoque S. Bonifacius à prædicto Papa obtinuit, ut si quando divina clementia S. Willibaldum ejus conspectui præsentaret, ad colendam vineam Domini in adjutorium sibi ad Alemanniam transmitteret. Cumque memoratus, & sæpè memorandus S. Bonifacius omnia pro quibus venerat, secundum beneplacitum suum peregisset, Apostolica benedictione firmatus in Alemanniam ad Pipinum Regem rediit, & omnia quæ ei in via acciderant, & quomodo Apostolica auctoritate S. Wunebaldum socium & cooperatorem laboris sui accepisset, ex ordine narravit. Peractis autem omnibus, quæ tum in Regis curia tractanda erant, S. Archiepiscopus valefaciens Regi in Thuringiam transiit, & ibi sancto Wunebaldo habitum monasticæ religionis tribuit, & ad sacerdotii gradum omnibus, qui noverant eum, in laude ejus acclamantibus, promovit. S. verò Wunebaldus virtutem obedientiæ attendens in Spiritu humilitatis, in cunctis, quæ ei injungebantur, perfectum se servientem exhibuit, & sicut bonus filius & perfectus discipulus usque ad mortem S. Bonifacio obedivit. Videns autem Archiepiscopus, quòd beatus Wunebaldus in omni justitia & sanctitate proficeret, septem ei Ecclesias in Thuringia regendas commisit, quas ipse ad tantum culmen perfectionis pervexit, ut usque in hodiernum diem per totam illam provinciam in laudem Dei honor & gloria S. Wunebaldi prædicetur. Cum hæc in Alemannia circa beatum Wunebaldum gererentur, B. Willibaldus frater ejus, in via, qua Jerosolymam tendebat, in mari & in terra magnis & multis periculis afficiebatur. Nam tentationum procellas postquam divina favente gratia evasit, pericula latronum, famis & sitis, macerationis, captivitatis, incarcerationis, squaloris, graves à paganis, per quos transitum fecit, pro nomine Jesu Christi sustinuit passiones; sed virtute Dei de his omnibus liberatus tandem, sicut desiderabat, Jerosolymam pervenit. Dedit autem ei Dominus tantam gratiam in conspectu paganorum, qui tunc Jerosolymam inhabitabant, ut quocunque pergeret, eorum conductu iret & rediret. Mansit itaque multo tempore in finibus illis, & peragratis omnibus sanctificationum locis, in quibus Deus homo conversatus fuerat, Adriaticum mare iterum transfretavit, & ad Cassinum montem, ubi ex institutione S. Benedicti Abbatis, monasticam religionem vigere audierat, pervenit, quem pater Abbas ejusdem monasterii, cui nomen Petronax erat, unanimi consensu sui conventus, in monachum & fratrem ad humilem sui petitionem assumpsit. Assumptus itaque S. Wilibaldus in omnibus, quæ egisset, in cunctis fratribus laudabilis apparuit, & in omni morum & conversationis honestate mirabilem se exhibuit. Mansit itaque apud eos multo tempore irreprehensibilis, imò per omnia laudabilis, & tunc omnibus valefaciens de licentia Abbatis cum quibusdam honestis fratribus, Ecclesiasticæ utilitatis causa ad dominum Papam properantibus, iterum Romam transivit. Præsentatus itaque Apostolico conspectui, benignissimè susceptus est ab eo, & interrogatus de peregrinationis suæ labore, omnia quæ ei in via acciderant, & quàm misericorditer Deus de manibus quærentium animam ejus, multoties eum liberavit, & quàm laboriosè Jerosolymam, & cum quanto periculo alia sanctificationum loca, utpote à paganis possessa, adierit, & quomodo lumine oculorum, duorum mensium spatio orbatus fuerit, & in Ecclesia sanctæ crucis miraculosè illuminatus, & priori usui visus à Domino restitutus fuerit, per omnia enarravit. Flebant ergò omnes, tum quia talem juvenem pro Domino patriam dereliquisse, & tantos labores pertulisse videbant, tum etiam quia se nihil talium pro Domino peregisse dolebant. Interea B. Papa recordatus, quod S. Bonifacio Archiepiscopo de coopera-

De Willibaldo & Wunibaldo.

Wunibaldus fit Monachus.

Wilibaldus in Judæam tendit.

Sequitur de Bonifacio.

ra-

ſatione & ſocietate S. Willibaldi promiſerat, paterna exhortatione, & Apoſtolica authoritate præcipiendo rogavit, ut ſine contradictione ad S. Bonifacium, Maguntinæ ſedis Archiepiſcopum cum feſtinatione properaret, & in vinea Sabaoth fidelem cooperatorem, & humilem miniſtrum in omnibus, quæ ei S. Bonifacius injungeret, ſe exhiberet. Cujus præcepto S. Willibaldus in ſpiritu humilitatis obediens, Apoſtolica benedictione roboratus, in Alemanniam ad S. Bonifacium, ſicut ei à domino Papa præceptum erat, pervenit, & quomodo ad ſerviendum & obediendum miſſus fuerit, ex ordine narravit. Poſtquam verò S. Bonifacius & S. Wunebaldus, cæterique ejuſdem ſocietatis fideles fratres tam dilectum Deo & hominibus fratrem recepiſſent, diutiſſimè in oſcula, & in collum ejus irruerunt, & præ gaudio flentes, Deum, largitorem omnium bonorum, pro univerſis beneficiis ſuis glorificaverunt. Sed & Rex Pippinus, ut cognovit adventum tam venerabilis perſonæ, plus quàm credi poteſt, cœpit in Domino gaudere, eo quod tantum lumen juſtitiæ regno ſuo illuxerit, & quòd omnes adverſitates eorum orationibus à regno ſuo propelli firmiſſimam ſpem haberet. Crevit itaque Eccleſia Chriſti per verbum & per labores S. Bonifacii, ſociorumque ejus, & credentium in Domino fides augebatur, & abolito Idololatriæ ritu, in conſecrandis Eccleſiis, in prædicando verbum Domini, in baptizandis gentilibus, in procurandis infirmis & pauperibus, Eccleſiaſticus ordo per omnem Alemanniam inſtituebatur. SÆC. XIV. ANNO 1306.

Fuerunt autem illis temporibus in regno Pipini Regis duo viri illuſtres, ſcilicet Odylo Dux, & Swiggerus Comes, qui utrique ad Bonifacium venientes orationibus ejus ſe commendaverunt, & prædia ſua cum mancipiis ad ſerviendum Deo viventi devotiſſimè ei obtulerunt. Sed beatiſſimus Præſul conſiderans, quia res Eccleſiæ vota ſunt fidelium, pretia peccatorum, patrimonia pauperum, ex allodiis Odyli Ducis, Friſingenſem inſtituit Epiſcopatum; ex prædiis verò Sweigeri Comitis Eyſtetenſem fundavit & firmavit Pontificatum; præfecitque venerabilem fratrem & diſcipulum ſuum S. Corbinianum, Friſingenſibus: S. verò Willibaldum Deo dignum Epiſcopum Eyſtetenſibus; hoc inſtituens, ut rebus Eccleſiaſticis pauperes alerentur, infirmi recrearentur, captivi Chriſtiani, prout facultas ſuppeteret, redimerentur. Cœpit autem S. præſul Willibaldus incircumciſis corde verbum vitæ evangelizare, & in omni pontificatus officio fidelem diſpenſatorem & bonum ſervum Dei ſe oſtendere. Unde omnes comprovinciales, divites & pauperes, tanta familiaritatis dulcedine ſibi conjunxerat, ut de omnibus finibus regionis illius ad eum confugerent, & ad ſalvandas animas ſuas conſilium & auxilium ab eo expeterent; ſicque factum eſt, ut bonitatis ejus fama creſcente, S. Bonifacio cunctiſque in Maguntina metropoli acceptiſſimus fieret, & in conſiliis, & in judiciis, in conſecrandis quoque Eccleſiis, ac aliis chariſmatum donis primum poſt Archiepiſcopum locum obtineret. Conceſſumque eſt ei cum privilegii atteſtatione, ut in his, & in aliis Deo digno gerendis, ipſe omneſque ſucceſſores ejus, Eyſtetenſis Eccleſiæ Pontifices, cum neceſſitas aut tempus exigeret, ſpecialiter præ aliis ſanctæ Maguntinæ ſedis ſuffraganeis, vicem Archiepiſcopi gereret, & tanquam præfatæ ſedis Cancellarius, & prolocutor Concilii à dextris Metropolitano proximus aſſideret: in cujus dignitatis evidentiam veſtitura magni ac myſtici ornatus ei conceſſa eſt, nec non omnibus ritè ſuccedentibus, præ cunctis Epiſcopis, qui de linea Moguntinæ derivationis computantur. Eſt autem veſtis illa Rationale, quo & ſummus Pontifex accedens ad ſancta ſanctorum, olim ſuperveſtiebatur. Habebat autem Rationale ſummus Pontifex in lege veteri, in præfigurationem multæ perfectionis. Pontificibus verò novi teſtamenti quibuſdam conceditur, in exhibitionem conſummatæ virtutis, quæ gratia & ratione perficitur, unde & rationale nuncupatum eſt. W. fit epiſcopus.

His ergò prælibatis, ad ea, quæ de B. Walpurgis vita tractanda præmiſimus, Deo favente, & vita comite, reſtat ut ſtilum convertamus. Nam conditio præſentis operis hoc requirit, & occupatio temporis, qua tribulamur, idipſum expoſcit, unde convenit, ut digreſſiones in amplius nequaquam admittamus.

Sciendum igitur, quòd ſæpè dicti, ac ſemper benedicti fratres, B. videlicet Willibaldus, ac S. Wunebaldus à tempore, quo fide dignorum relatione intellexerant, Reginam Angliæ, genitricem ſuam, mulierem virtutis ac præclari meriti, viam univerſæ carnis fuiſſe ingreſſam, ut frequenter de ſorore ſua, beata ſcilicet Walpurga naturali affectu ſtimulati, & charitate, quæ religioſos decet, inflammati, ſollicitari cogebantur; ſcientes eam poſt diſceſſum matris, omni ſolatio temporali deſtitutam. Hæc ergò advertentes, de conſilio S. Bonifacii decreverunt, ut eam fideli vocatione ad ſe venire rogando præciperent, quatenus ipſa per eos, & ipſi per eam mutua in Domino conſolatione fruerentur, quod & ita decretum in factum prodiit. Per fideles namque nuncios, ac famoſa legatione B. Bonifacius neptem, & fratres ſororem, prædulci ſupplicatione, & prece invincibili ſolicitabant, quatenus ad eos venire non omitteret. Cum ipſi patres ſpirituales ipſam, quam genuiſſent in Chriſto filiam auctoritativa admonitione ad id faciendum hortarentur, Virgo Walpurgis glorioſa ſemper hoc ſupplex Walp. ſororem poſt mortem matris ad ſe vocant Willib. & Unibaldus.



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1306.

plex mandatum ac fidele consilium sagaci mente complectens, supra quàm enarrari potest, in Domino gratulabatur, uberrimas ei gratiarum actiones exolvens super eo, quod tam magnificorum patrum, ac charissimorum fratrum meruisset reverenda salutatione, ac piissima exhortatione visitari. Ex tunc Virgo Walpurgis sapiens, & una de numero prudentum, solerter cogitare cœpit, & cogitando in spiritu scrutabatur, quid ei in hoc casu liceret, eamque deceret, nec non ipsi feliciter expediret. Hæ namque sunt circumstantiæ, secundum prædulcem S. Bernhardum Doctorem, quibus moralis actus conditionatur. Nam hæ circumstantiæ alias, si quæ sunt ex parte personæ, loci, vel temporis, in se includunt, cum ei aliquid licet secundum rationem mandati, & decet quantum ad ædificationem proximi, si expediat, secundum conditionem proprii subjecti; sufficienti cautela actui provisum est, oportet enim, ut hæ tres circumstantiæ concurrant, ut actus moraliter instauretur, quod secundum sententiam B. Apostoli, multa licent, quæ non expediunt, & alias circumstantias si replicare ex combinatione delectat, invenies, quomodo dictæ circumstantiæ ad perfectam conditionem actus in solidum requiruntur.

1. Cor. 6.

Itaque Walpurgis Virgo humillima proprii sensus sagacitati non nitebatur, sed tota devotione se Deo committens suppliciter exorabat, ut in vitandis & agendis voluntate Domini bona beneplacente, & perfecta semper regeretur; & non post multum temporis divina revelatione cognovit, quod suæ invitationis vocatio à *Deo* præordinata fuisset, & secundum divinæ voluntatis nutum prodisset, unde consensum liberrimum huic gratiosæ invitationi præbere non dubitaret, nec dubitando in amplius quoquo modo differre deberet. Ex hac certificatione Virgo Walpurgis devotissima plusquam credi potest mente gavisa est, & ex illa hora mente sollicita tractare cœpit, quomodo conceptum iter Deo laudabiliter, nec non utiliter sibi aggrederetur; & collegit atque elegit circiter numerum triginta sodales suæ Religioni conformes, ac ipsius intentioni congruentes, & expedita decenti provisione, quæ in expensis & impensis ad dictum iter requirebantur, de licentia eorum, qui sibi suæque societati auctoritativè præerant, sæpè dictum iter aggressa est; & valedicens suis, ac solo natalis patriæ, tanquam filia laudabilis obedientiæ audiens consilia, videns Sanctorum exempla, *populum suum oblita est, & domum patris sui*, ut Deus Deorum, Rex Regum concupiscceret decorem suum, quæ *retro sunt parvipendens, & anteriora, id est, potiora benedictionis æternæ charismata requirens*, viam propositæ voluntatis exorditur; & cum sua ordinata, nec minus devota societate, ad mare Anglicanum usque perveniens, mari placido, & aura optabili puppim conscendit; & votivè navigantes pro aliqua parte temporis, Diabolus, humani generis inimicus, qui Sanctis Dei per diversa tentationum machinamenta adversari consuevit, sævitiam mari, & intemperiem aëri immittens, mare sævire fecit, & contrarietate ventorum in periculosas undas compulit, ita ut nautæ instrumenta navigandi projicerent, & de sola salute æterna Dominum deprecarentur.

Walp. Germaniam petit.

Ps. 44.

Philip. 3.

Quo viso Virgo Walpurgis devotissima in orationem se prostravit, & in hæc verba Deum, ut creditur, exoravit: Domine si mirabiles sunt elationes maris, tu mirabiliores in altis Dominus, & quia tu dominaris potestati maris, motum fluctuum ejus, cùm vis, tu mitigas. Exaudi ergò nos Deus salutaris noster, spes omnium finium terræ, & in mari longè, qui S. Richardum servum tuum, Regem & progenitorem meum in hoc mari à periculo undarum liberasti, fideliter ac fiducialiter clamantem ad te. Et surgens ab oratione, imperio divinæ virtutis suffulta, imperavit mari & ventis, quo facto, statim aura datur grata, nec non quieverunt maria, jussu divinæ voluntatis spiritum procellæ repellente, & aquas maris quasi in utre, prece beatæ Walpurgæ Virginis, Domino concludente. Tunc vehementi ac lætabunda admiratione omnes qui erant in navi gratulari in Domino cogebantur, quod tam super salutifera liberatione à periculo mortis, quod ex eis tempestate maris imminebat, erepti sunt, & B. Walpurgam, tanquam specialiter Deo dilectam, ex hoc signo deprehendentes, ut sanctam per omnia venerabantur, & favente Dei gratia pro desiderio ad portum salutis applicuerunt, & de navi exeuntes operibus virtutum se contulerunt, diversa loca sanctificationum circueuntes, Dominum in sanctis suis devota mente quæsitabant, advertentes, quoniam Deus in sanctis suis mirabilis faciens prodigia & mirificans misericordiam suam, secundum omnes voluntates suas in eis seipsum laudabilem atque amabilem omnibus nobis ostendit, & ex multiformi glorificatione Sanctorum mundum illuminando lætificavit, & multa exempla fructuosæ ædificationis eidem reliquit.

Ps. 92.

Ps. 88.

Ps. 64.

Circumduxit ergò B. Walpurgam Dominus, & docuit, ac custodivit quasi pupillam oculi sui, circumduxit per diversa loca sanctificationum, & docuit eam per varia exempla Sanctorum, & custodivit à macula delictorum, quasi pupillam oculi sui. Ipsa autem in sua peregrinatione frequenter ac gaudenter ad Dominum dixisse creditur: Cantabiles mihi erant justificationes tuæ in loco peregrinationis meæ. Meditabiles inquam in corde, cantabiles in ore, imitabiles in opere. Et ut longa locorum spatia brevi

Ps. 118.

Digitized by Google

brevi sermone transeamus, memorata Virgo, nec non semper memoriter recolenda, cum sua societate ad B. Bonifacium Archiepiscopum, & ad suum fratrem S. Willibaldum in Alemanniam pervenit, ibique hilari ac gratiosa hospitalitate suscepta est, & pro tempore cum eisdem commorata, dulci allocutione fruebatur, ex qua delectabatur in Domino. Et qualiter nutu divinæ voluntatis, & authoritate vocationis ipsorum patriam deseruisset, & ad eos secundum formam mandati properasset, & quomodo in via custodita à Domino; ab omni discrimine itineris ad terminum viæ salubriter perveniisset, etiam ex ordine narravit. Sæc. XIV. Anno 1306.

Vitam Monasticam cum Unibaldo amplectitur.

Intelligens autem Virgo Walpurgis, quòd S. Wunebaldus frater ejus vitam monasticam atque cœlibem in provincia Thuringia duceret, & præfectus septem monasteriis sui ordinis auctoritate S. Bonifacii fuisset, quæ laudabiliter ut sanctum Dei, & electum decet, religiosissimè gubernaret; suppliciter S. Bonifacium, nec non fratrem suum, videlicet S. Willibaldum, exoravit, quatenus ad fratrem suum, S. videlicet Wunebaldum, Abbatem sanctissimum, destinaret, ut ejus consilio & cooperatione sub regulari custodia, ac monasterialis vitæ exercitio gratia Dei favente servaretur. Ut autem audissent patres sanctissimi, Archiepiscopus videlicet, ac ejus coepiscopus B. Willibaldus, quod intentione sancta, ac motivo rationabili duceretur, suam petitionem approbabant, ac ipsi licentiam abeundi, & ad S. Wunebaldum divertendi concesserunt. Quæ profecta ad S. Wunebal. perveniens religiosa salutatione suscepta est. Tunc soror fratri causam adventus sui exposuit, atque eidem humili prece in Domino supplicavit, quatenus ipsam una cum societate sua devota in aliquo monasterio locare curaret, ut inibi Deo famulantes, quanto ab exterioribus magis abstractæ, tanto interioribus magis intentæ invenirentur, quod & ita factum esse legimus. Nam beatus Wunebaldus sæpedictam sororem suam, una cum societate sua in quodam monasterio collocavit, quod usque in hodiernum diem Cœnobium S. Walpurgis dicitur.

Videns autem Virgo Christi dilecta, se pro voto sancti desiderii fore in loco religionis positam, talem se exhibuit, ut ab omnibus in exercitio virtutum, & spirituali conversatione bonorum morum commendaretur. Erat enim servans formam virtutum, videlicet charitatem, & matrem earundem, scilicet humilitatem, & benignitatem, & cordis patientiam; quæ opus perfectum habet, & studio earundem se perfici satagebat. Et quid plura? cum ejus mirificæ sanctitatis vita aspicientium, vel de ipsa audientium fuerit disciplina? Et quanta fuerit in jubilo contemplationis, quàm frequens in verbo orationis, quàm efficax in prece intercessionis; quàm matura in silentio discretionis, quàm sollicita in re & modo cujuscunque piæ actionis, nullus de ipsa sufficienter enarrare præsumat. Factum est autem cum B. Wunebaldus frequenter dominum & avunculum suum, S. videlicet Bonifacium, nec non fratrem suum, S. scilicet Willibaldum gratia consilii & spiritualis solatii diverteret, quod multa honore & reverentia ab omnibus suscipiebatur, & tanquam vir sanctitate præclarus à cunctis venerabatur. Et cum vir beatus famam suam tam in provincia Thuringia, quàm & circa partes Reni multum per omnem modum exaltari conspiceret, timuit fructum laborum suorum vanæ laudis gloria evanescere; & lampadem suam, veniente sponso, infatuato oleo tenebrescere, elongavit se ab omni, quod videbatur sapere pompam sæculi, fugiens ab omni applausu hominum, ut maneret in contemplationis solitudine. Itaque Ecclesiis, quas regendas susceperat, bene dispositis, accepta licentia ab Archiepiscopo secretum solitudinis petivit, & ad partes illas, quæ *Swanfelden* nuncupantur, accessit; & cum diu hac & illac circumcursando locum suo desiderio complacentem quæreret, tandem divina providentia ita disponente inter densitates silvarum, & inter convallia montium solitudinem multitudine fontium, & qualitate suæ magnitudinis veloci impetu decurrentium irriguam, ac monasticæ habitationi congruam invenit. Cujus loci situm vir beatus diligenter considerans, toto corde exhilaratus est, & benedicens Deo, soloque prostratus cum Propheta exclamavit dicens: Hæc requies mea in sæculum sæculi, hîc habitabo, quoniam elegi eam.

Quem locum vir Deo plenus diligentissimè incoluit, & in eo oratorium cum mansiunculis extruxit, & vitam sanctorum patrum imitatus ad serviendum Deo religiosas personas, & in observatione mandatorum Dei probatas collegit, & cœnobialem vitam celebrari, & regulam sancti Benedicti observari inibi constituit, & loco nomen *Heydenhaim* usque in hodiernum diem permansit. Assumpsit etiam sororem suam, sanctam videlicet Walpurgam Virginem Deo dicatam, quæ cum Virginibus Christo desponsatis, sub imperio & eruditione sua de consilio S. Bonifacii Archiepiscopi ac B. Willibaldi Eystetensis Episcopi, seipsas hostiam immaculatam Deo viventi sub districtione regularis disciplinæ jugiter immolaverunt. Construxitque eisdem sacris Virginibus oratorium à suo monasterio, ut decebat, segregatum, non tamen longè petitum, in quo præfatas Virgines ponens famulari Deo pro posse & nosse præcepit, quas & verbo sanæ doctrinæ, & exemplo bonæ vitæ indesinenter ad formam perfectionis



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1306. hortabatur. Crevit itaque locus ille per merita S. Wunebaldi, & S. Walpurgæ Virginis; & ſicut interius orationibus & divino obſequio Sanctorum eſt adornatus, ita brevi tempore in exterioribus fidelium oblationibus eſt amplificatus. Nam omne monaſterium, quod in ſpiritualibus benè regitur, in temporalibus optimè gubernatur. „ Quod verò in ſpiritualibus & in his quæ ſunt ad Deum negligitur, in temporalibus „ & exteriori adminiſtratione citò dilabitur, nec ab hominibus reputatur. Et hoc „ non ſolum in libris legimus, ſed etiam præſentis temporis experientia docet; " & idipſum in diverſis ordinibus ac monaſteriis demonſtrativè edocemur. Et omnes qui ſpirituali ædificatione per verbum S. Wunebaldi & exemplaritatem ſanctitatis B. Walpurgæ Virginis proficiebant, de prædiis, de mancipiis, de rebus mobilibus, de auro, de argento, de gemmis, de auro textis veſtibus per manum S. Wunebaldi atque S. Walpurgæ Virginis oblationes offerebant.

Cum autem venerabilis Abbas & Confeſſor Chriſti, & ſoror ejus jam dicta, & ſemper laude digna, viderent fines prædiorum ſuorum dilatari, & in omni ornamento, & divitiis temporalibus res Eccleſiæ augeri, veriti extollentiam oculorum ex ſuperfluitate divitiarum generari, partem Eccleſiaſticarum rerum in uſus pauperum diſtribuerunt, & quædam ex prædiis Eccleſiæ, cellis adjacentibus, adhuc mendicitate paupertatis laborantibus, hilari mente & larga manu contradiderunt. Attendebant enim Pro-
*Pſal.* 118. phetam orantem, & dicentem: Inclina cor meum Deus in teſtimonia tua, & non in avaritiam. Ideoque quodcunque ipſorum cella proprium poſſidebat, tempore neceſſitatis cum nihil habentibus commune fore æſtimabant, & in defectum rerum neceſſarium propoſſe ſuo, tanquam largi auxiliatores, omnibus opem ſuam quærentibus ſemper
2. *Cor.* 9. ſe & ſua hilariter impenderunt. Advertentes illud Apoſtoli: quoniam hilarem dato-
2. *Cor.* 2. rem diligit Deus, & item: & ipſe impendar pro animabus veſtris.

Sub ipſis etiam & per ipſos viguit religio Monachorum, ipſo exhortante, & S. Walpurga adoperante, ſanctitas & caſtitas floruit Virginum. Fuitque illo tempore
(a) pro, aſylum. ipſorum Eccleſia (a) aſile, & portus omnium laborantium; nec fuit, qui in tribulationibus ſuis non inveniret ibi certum refugium per merita & orationes Sanctorum inibi Deo miniſtrantium.

Wunebaldi mors. Cum autem S. Wunebaldus, venerabilis Abbas & Chriſti Confeſſor, Deo vocante, & ipſo ad cœleſtia regna ſuſpirante, terminum ſui meritorii incolatus attigiſſet, gravi infirmitate correptus, curſum vitæ conſummavit, de hujus peregrinationis exilio ad cœleſtem patriam, & de tranſitorio labore quinta decima Kalen. Janu. in cœleſtem requiem feliciter migravit. Cujus corpus S. Willibaldus frater ejus Eiſtetenſis Epiſcopus ſuuſque dioceſanus cum multitudine virorum ac mulierum ad exequias ſancti viri concurrentium, devotione Clericorum & orationibus Monachorum, ſanctarumque Virginum in oratorio, quod ipſe venerabilis pater Wunebaldus Deo fabricaverat, honorificè ſcpelivit; quod idem oratorium, S. Præſul ob honorem Dei, & reverentiam B. Jacobi majoris, qui patronus ejusdem loci dinoſcebatur, nec non propter fratris dilectionem ampliavit, & adornavit. Flebant autem omnes qui tunc aderant, quod tanti patris corporali præſentia orbati eſſent. Gaudebant verò, quòd ad cœleſtem judicem tam placitum Deo interceſſorem præmiſiſſent. Secuta ſunt autem ſigna in ſanctitatis ejus argumentum. Audierunt namque diſcipuli ejus compulſationes campanarum, nulla humana adminiſtratione adhibita, & luminaria extincta abſque omni humano adminiculo erebrò accendi viderunt.

Si autem lector devotione ſtudioſus per ampliora de ipſo miraculorum prodigia audire concupiſcat, ad propriam ſancti legendam recurrere poterit, quia breviloquium aſſumpti laboris non admittit, ut plura, quàm ad declarationem legendæ ſpectat, quam ſub ſtilo habemus, proſequamur.

Walpurgis viris & Virginibus in cœnobio præficitur. Denique poſt mortem fratris ſui Wunebaldi ſancta & venerabilis Virgo Walpurgis ex diſtricta injunctione ſancti Willibaldi, ſuperſtitis fratris ſui atque pariter dioceſani, gubernacula & regimen regularis diſciplinæ in cella Haydenhaymenſi, tam ſuper Monachos, quàm ſuper Sanctimoniales non ſine effuſione lacrimarum cogebatur ſuſcipere. Noverat namque ſororem ſuam pater ſpiritualis & frater uterinus, quod conſtanter ſtrenua in corrigendis, & miſericorditer pia in compatiendis procul omni dubio indeficienter inveniretur. Non autem quærens honorem, ſed tribulationem & dolorem, ut in ſequentibus apparebit, invocando nomen Domini, injunctam ſibi gubernationem humili obedientia ſuſcepit, & ſedecim annis, id eſt, quoad uſque vixit, dicta gubernacula tenuit, & ſeipſam formam & exemplum benè vivendi oſtendens, omnem exceſſum ſtrenuè, & ut ita dicam, viriliter correxit. Tantæ enim fuit, cum tempus & res expoſcebat gravitatis, & tanta pro congruitate loci & temporis oportunitate pietatis ac manſuetudinis, & omni hora in converſatione ſua tantæ extitit ſanctimoniæ & perfectionis, ut ab omnibus meritò veneraretur ut domina, & à cunctis diligeretur, ut mater amantiſſima. Fide namque recta luculenter, ſpe firma fortiter, cha-

Digitized by Google

charitate perfecta dulciter cum ſuis intrare contendebat in requiem atque civitatem manentem, quæ ſurſum eſt, Jeruſalem; & eſt libera atque mater noſtra. Prudentia nihilominus, id eſt, recta ratione agibilium, utebatur in negotiis, lumihoſa juſtitia fruebatur in judiciis, conſtantiſſimæ fortitudini innitebatur in adverſis, temperantia diſcretionis & gratiæ conſentaneæ regebatur in quibuſcunque proſperis; charitate ſibi cunctos convenientes ſuperabat, humilitate longè præibat, lenitate conſolationis ac ſanctæ manſuetudinis in tantum corde dilatabatur, ut non eſſet, qui ſe abſconderet à calore, charitateve dilectionis ejus. Item frequens erat in manuali labore, frequentior in lectione, frequentiſſima in oratione. Frequens in manuali labore fuit: Panem enim otioſa non comedit; ſed digiti ejus apprehenderunt fuſum. Attendebat namque quod ſcriptum eſt: labores manuum tuarum manducabis, beatus es, & bene tibi erit. Beatus es, inquam, in præſenti ſæculo, & benè tibi erit in futuro. Et item advertit verbum regulæ ſuæ dicentis, Otioſitas inimica eſt animæ: & ſententiam valdè auctorizatam, quæ dicit: Otioſitas & voluptas arma ſunt hoſtis antiqui ad miſeras animas decipiendas. Expedit enim ut mulieres laboribus manuum ſuarum intendant. Nam primus humani generis inimicus mulierem primo tentavit, non ſolum ex eo, quod eam infirmiorem viro conſpexit, ſed etiam ex eo, quod ipſam magis otioſam eſſe viro præſumpſit. Scriptum eſt namque: Poſuit Deus hominem in paradiſum, ut operaretur, & cuſtodiret illum. Frequentior erat in lectione, quia in divinis ſcripturis negotiari noverat, & eiſdem pro ſpeculo componendæ pulchritudinis internæ & forma conſtruendæ converſationis fruebatur; ac ea intentionis aviditate, ac firma credulitate legebat, ac ſi Deus apparens ei à facie ad faciem loqueretur. Frequentiſſima etiam in oratione fuiſſe legitur. Nam ſecundum ſententiam B. Auguſtini: Homo in oratione poſitus Deo loquitur, unde ſummè neceſſarium in prælatione conſtitutis eſſe videtur, ut frequentius ſtudeant eſſe in oratione, ut ſuam, ſuorumque neceſſitatem Deo proponentes, conſilio divinæ ſapientiæ informentur, auxilio divinæ potentiæ roborentur, ſolatio divinæ clementiæ conſolentur, ut in dubio melius eligant, in adverſitate non deficiant, ſed in conſolatione Spiritus ſancti ſemper in melius proficiant. Inhærentes Deo per fidem formatam, quæ per dilectionem operatur.

SÆC. XIV. ANNO 1306. *Pſ. 127.* *Gen. 2.*

In his & aliis virtutum exercitiis perfecta & gratiarum affluentiis infuſa & perfuſa delectabatur, & paſſibus cognitionis & amoris in Deum exſtaticè ut frequenter ferebatur. Apud eum, qui fontem vitæ poſſidet, dulciter refecta, in affectu, & illuminata intellectu, ad ſe veniens compos ſui facta ſuis condeſcendens, à Deo illuminata illuminabat mentes hominum.

Hæc de virtutum ſtudiis & ſtudiorum exercitiis perpauca de innumeris dicta ſufficiant, quia ex nunc in reliquum de miraculis, quæ in vita, in morte, & poſt mortem dominus per eam, & propter eam gloriosè ipſam manifeſtando egerit, ſtilum convertemus. Ut igitur fidem credulam verbis noſtris aſtruamus, primo aliqua de ſignis ejus, quæ dominus propter ipſam & per ipſam, etiam cum adhuc in carne viveret, operatus eſt, quæ in valdè approbatis libris ſcripta invenimus, in medium adducere Deo authore concupiſcimus.

Sciendum igitur, quum poſt diſceſſum fratris ſui, videlicet S. Wunebaldi, gubernacula monaſticæ diſciplinæ in Haydenhaimenſi Eccleſia, Virgo Walpurgis teneret, contigit quod quidam Eccleſiaſticus, nomine Gomerandus, qui debitè ordinandis ac luminaribus accendendis Eccleſiæ præerat, conventui tempore cœnæ lumen ſubtraheret, reſpectum Dei non habens, S. Walpurgam graviter in hac re offenderet. Nam defectui ſororum ſuarum compatiens, & injuriam ſuam patienter ſufferens, incœnata ad orationum conſolationem ſe contulit, & ei, qui indeficiens & verum lumen eſt, injurias ſuas ac penurias conſodalium ſuarum commiſit. Hæc enim eſt virtus Sanctorum maxima, ut injurias ſuas patienter ſufferentes, ipſas Deo permittenti fiducialiter committendo reſignent. Scriptum namque eſt: Mihi vindictam, & ego retribuam dicit Dominus. Unde ſancti moleſtias mundi nequam calcantes, & innitentes verbo, quo dicitur: Si compatimur & conregnabimus, condignè Spiritus ſancti dulcedine recreantur. Factum eſt autem cum B. Walpurgis orationi incumberet, mox mirum in modum lux cœlitus demiſſa, ad inſtar fulguris coruſcantis, omnem locum, in quo S. Walpurgis & ſorores erant, replevit, & uſque in ortum ſolis ab eis non receſſit. Qua in re magnitudo virtutum S. Walpurgæ Virginis clarè enituit, & omnium corda, qui hoc ſignum viderant vel audierant, ad obediendum S. Walpurgæ Dominus vehementer accendit.

Lux cœlitus demittitur. *Rom. 12.* *2. Tim. 2.*

Illud quoque miraculum in veritate conſcriptum reperimus. Quod quidam præpotens Tyrannus juxta cellam Haidenheimenſem in prædio ſuo habitationem habuerit, qui propter infirmitatem fillæ ſuæ, quam unicè dilexit, intolerabili mœrore & dolore laboravit. Cujus anxietatem & triſtitiam cum ſancta Walpurgis Virgo comperiſſet, ſigno crucis & ſanctarum orationum virtute munita ad hoſpitium prædicti Tyranni nihil metuens, ſed in miſericordia Dei certam fiduciam habens, veſpertino tempore, tanquam peregrina eſſet, pervenit, & ad oſtia domus pulſando hoſpitalitatis gratiam & ingreſſum domus ſibi præſtare poſtulavit. Quam cum paterfamilias pulſantem & deprecantem audiſſet, veri-

Puellam ſanat Walpurgis.



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1306.

tus ne canum violenta rapacitas, quorum multitudo apud ipsum erat, eam discerperet; præcepit familiæ suæ, ut concito cursu ad ipsam properarent, & canum morsibus defensam pacificè introducerent. Cui S. Walpurgis, Non verearis, inquit, quod me Walpurgam ancillam Christi canes tui possint lædere, quia sub custodia Christi custodita, nulla adversitas, nullumve periculum mihi poterit prævalere. Tunc paterfamilias audito nomine Walpurgis de sede sua prosiliit, & miratus tam nobilis, & tam sanctæ Virginis adventum studiosissimè totam domum emundavit, & omnibus quæ oculos ejus sanctitatis offendere possent, detersis, benignissimè eam in domum suam recepit, & omne humanitatis & devotionis obsequium ei exhibuit. Videns itaque S. Walpurgis patrem, & matrem, & omnem familiam circa præmortuam & jam agonizantem puellam, & in summo vitæ articulo constitutam esse turbatam, intrinsecus pia compassione affecta, petiit, ut intra cubiculum moribundæ puellæ lectus sibi sterneretur, ut omnibus exclusis nocturna quiete sola cum sola puella frueretur. Cujus petitionem omnes admirantes, eo quod puella esset desperata, & omnia quæ ad exequias erant necessaria, fuissent præparata, tamen de beatæ Walpurgis sanctitate præsumentes, omnes foras ejecerunt, & secundum postulationem ejus solam cum sola nocte illa reliquerunt. At Virgo Christi ostiis clausis totam illam noctem insomnem ducebat, & genibus flexis, lacrimis & orationibus sponsum suum largitorem omnium bonorum suppliciter exorabat, ut in virtute potentiæ suæ, & in multitudine miserationum suarum puellam pristinæ sanitati restitueret; & non solum parentes puellæ, sed & omnes *Swanfeldenses*, utpote in fide Catholica adhuc rudes, hoc signo curationis ad agnitionem & amorem sui nominis incitaret. Cujus precibus miserator & misericors Dominus aures suæ pietatis benignissimè accommodavit, & ex integro desperatam puellam incolumitati restituit. Cum hæc virtus Altissimi, sancta Walpurga oante, intra cubiculum ostenderetur, pater & mater puellæ cum universa familia domus circa sepulchrum fodiendum, & circa paraturas, quæ defunctis exhiberi solent, hac & illac discurrentes, lamentabili dolore cruciabantur. Tunc beata Virgo Christi Walpurga reseratis ostiis parentes puellæ vocavit, & puellam à Deo sanatam, ut nullum vestigium ægritudinis in ea appareret, cum magno gaudio & cordis exultatione eis filiam summè dilectam præsentavit. Parentes verò puellæ virtutem Dei & sanctitatem B. Walpurgis in repentina sanitate filiæ suæ cognoscentes, cum magno tripudio cordis gratiarum actiones Deo retulerunt, & pedibus S. Walpurgis provoluti, ingentia ei dona obtulerunt. Quæ illa tanquam lutum pro nihilo reputans exhortata est eos, ut Deo fideliter adhærerent, & nihil terrenum, nihil sæculare dilectioni Dei præponerent. Posthæc valefaciens eis occultè, ad cœnobium suum rediit, & post operationem hujus miraculi in spiritu humilitatis majori afflictione corpus suum maceravit, nec ex hoc præsumpsit alta sapere, sed magis humilibus consentire.

Conjicimus autem ex narratione jam dicti miraculi, non solum puellam pristinæ sanitati mirificè restitutam, sed & canum rabiem, & quasi invincibilem eorum insaniam fore mitigatam. Nam in verbis ejus Dominus monstra placavit. Hinc etiam non immeritò creditur, ut rabida incursione canum vel aliorum ferocium animalium intentati, si beatam Walpurgam Virginem gratiosam devotè inclamaverint, procul omni dubio liberentur, vel si læsi fuerint, cito salubriter meritis B. Walpurgæ Virginis sanitati reddantur.

Walpurgis moritur.

Hæc autem miracula de innumeris, quæ in vita peregit, huic operi annotare curavimus, quatenus ad ea, quæ in reliquum dicenda sunt compendioso magis stylo veniamus. Post per aliqua temporis intervalla Virgo Walpurgis Deo charissima cursum felicis vitæ feliciori fine consummavit. Virgo enim prudens semper cogitabat, & cogitando anhelabat, ut parata, Deo vocante, introiret ad nuptias, quæ thalamum æternitatis obtinent, ubi sponso, salvo Virginitatis flore pariter & honore, votivè perpetuò frueretur, & tandem ægritudine, quæ ipsam invaserat invalescente, Ecclesiasticis sacramentis munita & sacra suis dans monita, plena Spiritu S. obdormivit in Domino, quinto Kalendas Martii, hoc est, in crastino Matthiæ Apostoli. Festum verò Canonizationis ac translationis ejus in die B. Apostolorum Philippi & Jacobi, ut communiter celebratur. Est autem sanctissi. Walpurgis Virgo juxta S. Wunebaldum Ecclesiasticæ sepulturæ commendata per B. Willibaldum præsulem fratrem suum, ut vicinitas sepulturæ germanitatem generis, & paritatem sanctitatis demonstraret. Sed priusquam de prodigiis, quæ translationem ejus secuta sunt, aliquid differamus, congruit, ut aliqua signa, quæ in morte ejus apparuerunt, & veridica relatione famosa habentur, compendio abbreviati sermonis transeamus.

Cum enim venerabilis Virgo spiritum suum in manus Domini commendasset, & ille ad Dominum, qui dedit illum, perveniisset, exanime corpus in specie glorificati hominis ab aliquibus circumstantibus tali visione dignis demonstratum est. Odor etiam animæ suavitatis & fragrantiæ inæstimabilis totam domum impleverat, ex præsentia glebæ sanctissimæ, quam virtute Virginalis castitatis, pariter & humilitatis circumdederat, lilia convallium cum dependentibus fuscis florum violis. Insuper cum Virgo laude digna in corpore deferretur ad Ecclesiam, cerei ac candelæ sine adminiculo humanæ cooperationis accendi videbantur.

Pro-

Digitized by Google

Proceſſu verò longi temporis, poſtquam B. præſul Willibaldus de hoc mundo nequam migraverat in polorum regna, cœtibus Angelorum admixtus, revelatione divina cuidam Eyſtetenſium Epiſcopo, nomine *Herberto*, monſtratum eſt, ut beatam, Deo placitam, & hominibus gratam, venerabilem Walpurgam Virginem de loco humili, in quo inhumata fuerat, ad locum excellentiorem magis ac reverentialem tranferre deberet. Igitur Deus omnipotens Eccleſiæ Eyſtetenſium, ac ſaluti totius populi ejusdem civitatis, nec non circumjacentis regionis proſpicere, immò miſericorditer providere decernens, ſæpe dictam benedictam, ac ſemper benedicendam cum multa gloria & honore, ac miraculorum innumerabilium oſtenſione ad civitatem Eyſtetenſem per dictum ejusdem civitatis Epiſcopum transferri voluit, ut locum noſtræ ſedis aggregatione ſanctorum, videl. B. Willibaldi ac Walpurgæ Virginis ſororis ejus Germanæ corporali præſentia tantarum divitiarum theſauris in gratiarum uberate ditaret, & ditando ſublimaret, & ſublimando cunctis honorabilem demonſtraret. Poſtquam autem venerabile corpus ſæpedictæ Virginis de loco ſepulturæ ſuæ ſupra terram eſt collocatum, omnia membra ejus quaſi rore perfuſa & oleo infuſa, cunctis apparuerunt, fragrantiam nihilominus inæſtimabilis ac mirifici odoris omnes qui aderant ſenſerunt, ac infirmi, qui pro eo tempore præſentes fuerant, quocunque dolore tenebantur, ſalubritate ſuavitatis tam recreati odoris curati ſunt, & cum multa, ut dignum erat, celebritate à loco prædicto ad civitatem præfatam corpus Virginis venerabile deferretur, multis occurrentibus, ecce quidam epilepticus, gratia adipiſcendæ ſanitatis, ad feretrum, in quo ſanctum corpus ferebatur, tranſivit, & in ipſa hora priſtinæ ſanitati reſtitutus eſt. Supervenit & quidam puer eodem morbo deteſtabili laborans, & frequenter dolore conquaſſatus, ſpe curationis feretrum tetigit, & omnimodam ſanitatem adeptus, gaudens ad propria remeavit.

SÆC. XIV. ANNO 1306. Translatio Walpurgis.

Poſtquam autem ejuſdem Virginis ſacroſanctæ reliquiæ ad monaſterium, quod *Mauenhaim* dicitur, & à ſanctis Monialibus pio exercitio virtutum inhabitabatur, delatæ ſunt, & ſuper altare collocatæ, ſequenti nocte quidam Clericus veneranda canicie aſtitit, & ejuſdem loci Abbatiſſam, cujus nomen *Neubila* erat, alloquitur ſub hac forma verborum dicens: Neubila cur dormis, & quare non ſurgis, ad Eccleſiam pergis? Cui illa reſpondit, Ut quid nunc ad Eccleſiam eundum eſt, cum ſigna matutinalia nondum pulſata exiſtant? ego quippe illic inceſſu pedum pergere non valeo, niſi manibus aliorum delata inferar: Incommodo podagræ plùs quàm dici poſſit premor, uſu membrorum minus valens. Qui ait: Vade celeriter, ne moreris, quia B. Willibaldus Eccleſiam cum multo agmine Sanctorum petit, perquirere volens, qualiter ſanctam ſororem ſuam reconditam habeas. Quæ ſtatim ac ſi nihil incommodi pertuliſſet exurgens, & de loco ad locum exſiliens, baſilicam, ad quam tendebat, ſaniſſima ingreſſa eſt, ac Deo ſimulque Virgini grates pro adepta ſoſpitate rependit.

Item quidam puer, nomine Leupoldus, ex utero matris ita contractus & curvus natus eſt, ut quaſi monſtrum à cunctis cerneretur. Qui dum inter plures, qui ad patrocinia Virginis convolabant, victus pariter & remedii quæreret ſolatium, quadam nocte beata Virgo Walpurgis ei per viſum apparuit, ut ad Eccleſiam ſuam pergeret, imperavit. Qui reſpondens, Quoniam totus infirmus uſum membrorum non habens, incedere non valeo, inſuper algorem circumſtantis frigoris pertimeſco, rogo, ut ab hoc itinere excuſatus habear. Quæ ait, Vadens vade celeriter, quia mea interceſſione ab infirmitatis dolore curaberis. Qui ſurgens ad Eccleſiam, ut potuit, pervenit, & inibi perfectam ſanitatem conſecutus eſt, tempore vitæ ſuæ in eodem monaſterio Deo & famulabus ejus lætanti animo ſerviebat.

Hæc eſt Virgo, quæ agnum ſine macula, ſponſum Virginum non ſolum ſtola virginitatis ſequitur candida, ſed etiam liberalitate eximia eundem imitatur. Dicit enim Jeſus Chriſtus: Petite & accipietis, quòd exponens egregius doctor B. Gregorius ait: Libenter dat, qui ad petendum invitat. Sic de noſtra Virgine dicere poſſumus, quod libenter infirmitates hominum curat, qui gratiam curationis ab ea poſtulari procurat.

Item *Adalbertus* Alamanniæ Comes illuſtris, B. Walpurgæ devotus advenit, Cereum non modicum quantitate & pretioſum munere, prout poſcebat ejus munificentia, attulit, & altario pronus impoſuit, ac pro ſe, ſuorumque ſalute ſuppliciter Dominum ac Virginem ſæpedictam exorans, benedictione petita, ad propria remeavit. Suſcipiens autem eandem candelam Abbatiſſa Neubila, quia præfato Comiti ſancta familiaritate fuit chariſſima, candelabro erexit, & inaccenſam tunc reliquit. Quarto verò die lumen cœlitus accepit, & tribus diebus ac noctibus eo lumine perdurante, quarto die nemine extinguente extincta eſt. Hora autem, qua divina virtus comas radiantis abſterſit, videlicet nona hora, ita ſe ſponte oſtia Eccleſia obſtruxerunt, ut nullus infra duarum ferè horarum ſpatii quantitatem patula habere mereretur, & pervia. Deinde hic qui obſtruxerat oſtia, Chriſtus apparuit, & patentia intrare volentibus fecit.

Miracula varia.

Duæ præterea Virginis præſidia requirentes illic devenêre mulieres, mater cum filia

ultra-

SÆC. XIV. ANNO 1306.

utraque manuum curvedine inhoneſta gerens, patrocinia Virginis deprecabantur, & cum Miſſarum ſolemniis intereſſent, mater in principio, filia verò in fine Miſſæ optatam obtinuit ſanitatem.

Rurſum erat quædam mulier de villà, quæ dicitur *Stophenhaym*, nomine *Geilla*, in qua bis terna Dominus per beatam Virginem Walpurgam operari dignatus eſt ſigna: Nam cum dies feſtus Walgurgæ Virginis adveniret, omnes de provincia, qui Deum per fidem noverant, & gratiam Walpurgæ Virginis, diem feriando celebriter percolerent, illa contumaci & irreverenti fronte diem feſtum deſpiciens, exteriori operationi manuum, ſpreta ſolennitate diei, ſe ingeſſit, ac filare & texere cœpit ſecundum formam artis, quam in retroactis temporibus viſitaverat. Quid plura? glomer & quædam alia inſtrumenta huic arti competentia tali glutino manui ejus adhæſerunt, quod ab ejus manu evelli facilè non poterant, ſed etiam inflaturam brachii atque manus incidit intantum horribilem, ut manica inflaturam non caperet, ſed à circumſtantibus cum difficultate abſtrahebatur. Hoc videntes vicini miſeram exhortabantur, quatenus ad ſuffragia Walpurgæ Virginis confugeret, ut gratiam conſequeretur in auxilio oportuno, quod & ita factum eſt. Nam veniens ad limina Virginis omnimodè & ſubitò ſanitati reſtituta eſt. Quæ cum ad propria remeaſſet, ingrata percepti beneficii, opus prius depoſitum iterato aſſumpſit, & ſtatim deteſtabilem curvaturam manus & brachii, in ſignum divinæ ultionis, accepit. Quæ iterum ad mentem converſa de tranſgreſſione pœnituit, & ad patrocinia dictæ Virginis recurrens, gratiam perfectæ ſanitatis obtinuit.

Mulier quæ Walp. die feſto laborat, plectitur.

Nunc quod mirabilius eſt, audiamus. Item quodam die feſtivo Walpurgæ Virginis jam dicta inſenſata mulier, etiam immemor tantorum beneficiorum manualiter operari cum inciperet, lumine oculorum ſubitò eſt privata, quæ videns divinæ ultionis effectum condignè locum obtinuiſſe, ad remedia pœnitentiæ currens votum vovit Walpurgæ Virgini, quod ſi ei gratiam illuminationis obtineret, perpetuo inpoſterum obſequiis ſuis libenti animo, corde, ore, & opere, tanquam ſtudioſa famula, vellet obtemperare. Quid plura? pietas gratioſa in B. Walpurga Virgine, & virtus pœnitentiæ in hac miſerabili muliere cæca ultione divina claro lumine ipſius oculos veſtivit, quo & in poſterum gaudere permiſit. O mater pia, Virgo Walpurgis benigna, quæ toties delinquentem corripuiſti, & correptam reſtituiſti; advertens Salvatoris noſtri pietatem, qui principi Apoſtolorum Petro dixit: Non ſolum remittendum eſſe ſepties, ſed ſeptuagies ſepties, ipſi gloria, & tibi glorificatio in ſæculorum ſæcula.

Item erat quædam mulier de Orientali Francia, id eſt, Franconia, quæ brachii dextri familiare officium omninò perdiderat, atque latus dextrum emortuum ſentiebat, confiſa de omnipotentis benignitate, & copioſa beatæ Walpurgæ Virginis gratia ad monaſterium ejuſdem Virginis ſe deduci deprecabatur, quatenus remedium ſui doloris inveniret, & Deo ac prædictæ Virgini mente in poſterum deſerviret. Quod & ita factum eſt. Ad limina enim veniens ſupplici corde Walpurgam Virginem pro adipiſcenda ſanitate exoravit, quam perfectè in ipſa hora obtinuit, & ad propria gaudens quantocius remeavit. Videns autem dominus ejus, cujus ancilla ſervilis conditionis extiterat, eam penitus ab omni infirmitate reſipuiſſe, ad opera manualia eam lucri cauſa indiſcretè compellebat, quo facto priſtinam infirmitatem incidit, & peramplius, quàm antea infirmari cœpit. Quod videns Dominus intra ſe dixit, O beata Virgo Walpurgis, ſi famulam meam iterum curaveris, procul omni dubio eam ab jugo ſervitutis abſolvens manumittam perpetuò, quatenus non modò mihi, ſed Deo ac tibi de cætero liberrimè famuletur. Hoc voto peracto curata eſt, & obſequiis Dei ac Walpurgæ Virginis ſedulò mancipata. Item etſi beata Walpurgis aliquos excæcatos dolore oculorum ſanaverit, alios à nativitate cæcos curaverit, tamen de miraculoſa reſtitutione luminum, quæ in duabus perſonis facta eſt, gratia brevitatis ſolum enarrabimus.

Erat quidam Comes, nomine Adelbertus, habens quendam pauperem, qui *Fideramnus* nuncupabatur, qui oculis corporalibus ab utero matris ſuæ orbatus, notus cunctis fuerat; hic cum ad maturam ætatem perveniſſet, petiit ut ante altare Virginis duceretur, quatenus neceſſitatem ſuam miſeram queruloſa voce gratioſæ Virgini proponeret, & exinde ſolatium illuminationis conſequi mereretur. Ad dictum altare perductus lamentabiliter exoravit, quatenus ei Dominus per interceſſionem ſanctæ Walpurgæ Virginis lumina oculorum, quorum uſum expertus non fuerat, impartiri dignaretur. Tunc Deus omnipotens per interventum Walpurgæ Virginis eundem cæcum claro lumine & forma oculorum veſtivit, qui ad propria rediens, multo tempore ſupervixit, atque à plurimis agnitus, quia is erat, qui à nativitate cæcus extiterat.

Cæcus viſum recuperat.

Item quidam puer à nativitate cæcus pro aſſecutione illuminationis ad Eccleſiam Walpurgæ Virginis perductus eſt, qui dum unà cum ſuis Dominum deprecaretur, quatenus ei per ſuffragia prædictæ Virginis actum & uſum videndi donare dignaretur, multæ admirationis ſignum contigit. Nam in uno oculo pulchrè ac perfectè illuminatus, in altero cæcitati relictus eſt. Cujus cauſam ſi curioſus lector vel auditor inquirat,

Digitized by Google

quirat, eidem respondebimus: Quoniam judicia Dei abyssus multa, & altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ *Dei* investigabiles vias habet, & perscrutator majestatis opprimetur à gloria. SÆC. XIV. ANNO 1306.

Item in eodem Monasterio quoddam miraculum patratum est, quod non est silentio contegendum. Quidam à partibus Franciæ veniens, extensa cervice, chirotecas in manibus habens, irreverenter & absque debita humiliatione Monasterium sæpe dictæ Virginis ingressus est, & utrum hanc negligentiam incurrerit oblivionis injuriâ, vel rusticitatis stoliditate, præsumentes judicare non possumus, sed quid eidem acciderit advertamus. Igitur chirotecas, quas intrans monasterium in manibus habuit, ad mentem rediens, detrahere volens non invenit, sed de manibus evanuerunt. Itaque quod nulla circumspectionis diligentia inveniri poterant, quantumcunque exquisitæ. Stabat ergò attonitus, & plus quàm credi potest de re gesta admirabatur. Facta tandem oratione, acceptaque pro qua venerat benedictione, ad propria repedavit. Expletis autem quatuordecim diebus, dum sederet, cibum gustaturus, ad mensam, familiari cum suis utens colloquio, cœpit, quod ei contigerat, evidenti relatione pandere, ubi dum plura de eadem materia fabularetur ad domicilii sui domesticos, easdem & non alias juxta se jacentes invenit chirothecas, quas cum vidisset, hæsit animo, & vehementer admirans, tandem resumpto spiritu easdem suis ostendit sociis, ac fideliter eos consulens tractare cœpit, quid de ipsis consultius agendum videretur. At omnes provida mente censuerunt, easdem chirothecas ad Monasterium Walpurgæ Virginis esse transmittendas, tam in signum patrati miraculi, quàm simul in evidentiam exhortationis, quòd nullus Ecclesiam Walpurgæ Virginis, vel quorumcunque Sanctorum irreverenter intrare, vel inibi stare quoquo modo præsumeret. Transmissæ ergò chirothecæ ad monasterium multis ostensæ sunt ad emendationem, & boni moris pariter commendationem. Chirotecæ de manibus evanescunt.

Hoc notandum est. Legimus itaque de sancta Elizabeth, filia Regis Ungariæ, cum ad orationem staret, vel basilicam Salvatoris nostri suorumque Sanctorum intraret, quomodo capucia de capite posuit, serta deposuit, annulos è manibus traxit, in evidentiam reverentiæ divini cultus, qui cum abdicatione exterioris pompæ, & aggregatione devotionis internæ, nec non ornatu & resplendentia bonæ conscientiæ celebrandus est.

Item erat quædam puella, beatæ Walpurgæ Virgini spirituali reverentia satis intenta, ac devota mente ipsam colens, quæ juvenili ætate sua nimis delectabiliter fruebatur, non tamen dissolutione inhonesta. Hæc frequenter infirmitate & aliis admonitionibus correpta est, nec desistebat, sed ut frequenter cum suis sodalibus ludens jocabatur, & inter alios ludos cuidam ludo satis dissolutè magis intendebat, qui projectio pilæ nuncupatur, quo sibi puellæ & juvenes mutuo pilam projiciendo porrigunt, & rursum eandem recipiunt, & hic ludus cachinnis & inordinatis moribus interdum abundare dicitur. Et ecce, sancta Walpurgis Virgo sibi devotam non dereliquit, sed ei mirabili vexatione intellectum dedit, nam cum multipliciter correpta, & non tamen correcta, ludum prædictum, quem amaverat, quadam hora exerceret, pila manui ejus in tantum adhæsit, ut ab eo dolore magno simul & verecundia vix avelleretur. Quo facto resipuit, & imposterum mentem suam ab omni mundiali gaudio retraxit, ita ut Deo, sanctæque Walpurgæ Virgini officiosa sedulitate pro residuo sui temporis deserviret.

Pro finali quoque conclusione annotare decrevimus, quod sanctum corpus glorioſæ Walpurgæ Virginis in altari publico ejusdem Monasterii cautè ac reverenter longè præfatus antistes Erbertus recondidit. Ubi miracula usque in hodiernum diem continuata feliciter crebrescunt. Nam de membris ejus virgineis, maximè tamen pectoralibus sacrum emanat oleum, quod gratia *Dei*, & intercessione beatæ Walpurgæ Virginis cæcos illuminat, surdos audite facit, & gressum claudis reddit, cunctisque debilibus optatum effectum devote petentibus misericorditer indulget,

Quam etiam gratiam curationis ipsi experti sumus. Nam gravi infirmitate ægrotantes ad excidium vitæ pervenimus, & rememorantes gratiam, quam beata Walpurgis suis dilectoribus indesinenter ostendit, præcepimus de oleo sacrosanctæ suæ emanationis nobis copiosius afferri, & desiderabili haustu phialam plenam ebibimus, orantes in hæc verba: O beata Walpurgis Virgo, ob reverentiam beati Willibaldi fratris tui dilectissimi, cujus successor indignus sum ego Philippus peccator, interpella pro me ad Dominum pro conditione peccatorum meorum, & ut respirem à gravamine hujus ægritudinis, ad laudem Dei omnipotentis, & intemeratæ matris ejus Virginis Mariæ. Ut quid plura? Eadem die criticavimus, & brevi post in tempore sanitati omnimode restituti sumus.

Hoc quoque sciendum, quod hora celebrationis missarum cum sacramentum corporis & sanguinis Jesu Christi in altari conficitur, in quo recondita est, frequentius



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1306.

nec non uberius oleum de ſacro corpore ejus diſtillat. Unde hæc hora pro receptione ejuſdem olei diligentiſſimè obſervatur. Et ſi phialæ, in quibus ſacrum oleum recipiendum eſt, non directè vel perpendiculariter diſtillationi ſupponantur, guttæ ejuſdem olei ſibi cohærent dependentes, ad modum botri, vel favi mellis, nequaquam in alium locum decidentes; ſed poſtquam negligentia corrigitur, & vaſa, in quibus mundè ſacrum oleum recipi debet, diſtillationi aptantur, eiſdem ſine omni cooperatione illabitur; per quod apertè monſtratur, ut in vaſa munda recipi debeat, quia ab immundis locis vel vaſis omninò ſe præſervat.

Et ſæpè compertum eſt, quod receptum in vaſe mundo, ſi immundè vel irreverenter teneatur, vel ad locum ubi peccata illecebra perpetrari conſueverunt, deportetur, omninò evaneſcit, vel orificium vaſis ipſum oleum nequaquam ad effectum ſanationis egreditur.

Eccleſiæ immunitates ſervandæ.

Ex ſcriptis etiam colligimus, & certa relatione fide dignorum intelleximus, quod civitas Eyſtetenſis una cum tota dioceſi, Eccleſiaſtico interdicto quodam tempore ſuppoſita fuerat, propter quasdam damnoſas injurias, quas Epiſcopus, qui tunc præerat, à Baronibus terræ & incolis ſuſtinuit. Extunc liquor ſacræ emanationis ſtillare ceſſavit, uſque in diem, qua Eccleſia reſtituta eſſet indemnitati. Et idem venerabilis Epiſcopus cum univerſitate civitatis in dicto jejunio nudipes, & abſque lineis ad monaſterium B. Walpurgis aſcendit, devotè ac ſubnixè cum univerſitate populi ſui ſupplicans, ne effectu tantæ benignitatis, ſicut eſt emanatio ſacri liquoris, in amplius civitas privaretur. Et accedens ad altare dictus Pontifex Miſſarum ſolennia aſtante populo devotè peregit, & in confectione ſacramenti, & ejuſdem perceptione ſacratiſſimus liquor, qui intra ſpatium anni nequaquam diſtillaverat, nec ullo modo ſe oſtenderat, adeo abundè erupit, ut ampulla dimidiæ * pince capacitatis, vel unius ſerici adimpleretur. Quod Pontifex videns cum plebe Deo devota, plusquam narrari poteſt, gaudio repletus, immenſas gratiarum actiones Deo ac B. Walpurgæ pro conceſſione tanti beneficii perſolvit.

Notandum quod etiam idem ſacrum oleum tantæ mundiciæ ac meracitatis exiſtit, ut ſine omni corruptione & fœda maculationis feculentia per ducentos annos ſervatum conſimilis puritatis invenitur cum illo, quod hodierno die de ſtillicidio ejuſdem ſacræ emanationis ſuſceptum eſt.

Oleum quid ſignificet in Sanctis.

Nunc videamus quid ſibi vult per ſignificationem emanatio ſacri olei in beata Walpurga, vel aliis Sanctis puta in beato Nicolao, vel beata Katharina, vel glorioſo Gundekaro Pontifice noſtro, vel quibuſcunque Sanctis, *quibus conceſſum eſt ex ſpeciali* prærogativa meritorum, & oſtenſione magnitudinis præmiorum. Juxta quod ſciendum, quod oleum cuicunque liquori infuſum ſupernatat, unde miſericordiam ex ſimilitudine deſignat. Superexaltat enim miſericordia judicium. Et item: Miſericordia ejus ſuper omnia opera ejus. Oleum nihilominus magnæ eſt levitatis & multæ utilitatis, nam illuminat, paſcit, & ſanat. Sic pietas, ſecundum beatum Apoſtolum, ad multa proficiendo valet, habet enim promiſſionem vitæ, quæ nunc eſt, & vitæ futuræ. Hinc etiam eſt, quod oleum cordialem pietatem ſua proprietate exprimit, & ideo de Sanctorum corporibus ſacri olei emanatio plenitudinem exuberantis miſericordiæ, ac lenitatem mititatis præoſtendendo figurat. Fuerunt namque hi Sancti qui habent ſcaturiginem emanationis ſacri olei miſericordiſſimi ac piiſſimi in vita, & ideo miſericordiam conſecuti, per ſigna miſericordiæ & pietatis hominibus poſt mortem laudabiliter innoteſcunt. Sic beata Walpurgis Virgo, tanquam oliva in domo Domini fructuoſa, & quaſi oliva in campis Eccleſiæ ſpecioſa per oleum effuſum dilatavit nomen ſuum. Rivulo enim ſuæ ſacræ emanationis notitia ſanctitatis ejus derivata eſt in fines terræ, Oleo miſericordiæ & pietatis illuminans cæcos, ſpiritualiter & corporaliter paſcens eſurientes in bonis per affectum ſancti deſiderii, ac corpore ſauciatos ſanans, contritis corde medetur. *Amen.*

CON-

Digitized by Google

# CONCILIA BINA SALZBURGENSIA

## ANNO 1310 HABITA.



Digitized by Google

Sæc. XIV. Anno 1310.

# JACOBI BASNAGII

IN

# BINA CONCILIA SALISBURGENSIA

## ANNO 1310 HABITA.

## ANIMADVERSIO.

Meyer Lib. IV. cap. 30. Hist. Salisburgensis.

Fuit *Conradus de Prainteſurt*, hujus nominis tertius, qui Salisburgenſem tenuit ſedem. Primo *Lavantinus* erat Præſul, & Electores Salisburgenſes *Stephano*, Henrici Boiorum Ducis filio, ſuffragia dantes, miſſus eſt Romam *Conradus*, ut à *Nicolao* IV. Pontifice ratihabitionem obtineret; Sed jure an injuriâ expulſo Stephano, à ſupremo Pontifice Epiſcopus Salisburgenſis creatus eſt, & ornatus Pallio, poſt biennium eſt reverſus. Jam antea *Rudolphus*, ejus anteceſſor, maximas cum *Alberto Auſtriaco* controverſias agitaverat, quæ ſub Conrado bella & certamina produxerunt. Auſtriacis, qui rebellabant, auxilia miſit, iiſque domitis, Albertus validam Suevorum manum adduxit adverſus *Conradum*, qui *Raſtadium* ab *Alberto* obſeſſum ita propugnavit, ut adventantibus in ſubſidium Boicis turmis, obſidium ſit ſolutum. Interea movebantur controverſiæ de bello adverſus Sarracenos; cui promovendo reliquit Italiam a Guelfis & Gibellinis turbatam *Clemens* quintus, & ſedem in Galliam tranſtulit, inde decimas ex toto Orbe Chriſtiano in uſum belli ſacri erogare tentavit. Obſequitur *Conradus*, & eodem anno bina convocavit Concilia; prius pro decimis pontifici ſolvendis, alterum ad reformationem cleri, & ipſe paulo poſt diem obit an. 1312.

ANNO

Digitized by Google

ANNO DOMINI M. CCCX.

# CONVOCATO PROVINCIALI CONCILIO SALTZBURGENSI

ET

*Propoſita ibidem petitione Domini*

## CLEMENTIS PAPÆ QUINTI.

CONcordaverunt omnes in hoc, quòd ſumma decimæ duorum annorum, ſi qua fuerit, vel eſſe potuerit perſolvenda, ſolvi debeat Summo Pontifici in terminis infra ſcriptis: Ita duntaxat, quod primus terminus ſolutionis faciendæ de primo anno, qui incipiet in iſto proximo feſto ſancti Georgii, ſit in proximo futuro feſto B. Martini. Et ſecundus terminus ſolutionis faciendæ ejusdem anni, ſit in proximo ſubſequenti feſto S. Georgii. Et primus terminus ſecundi anni, ſit in alio ſubſequenti feſto S. Martini: ſecundus verò terminus & ultimus ſit poſt hoc in ſubſequenti feſto S. Georgii. Et quod decimam dabit de omnibus poſſeſſionibus, bonis, & redditibus, & beneficiis Eccleſiaſticis. Hæc de eis, quæ beneficiorum intuitu poſſident, expenſis neceſſariis deductis. Neceſſarias verò expenſas eſſe dixerunt, quas ſtando, colendo, colligendo & conſervando impendant, ſine quibus res ſubſiſtere non poteſt. Et quod Eccleſiæ, quarum redditus pro majori vel pro media parte in obligationibus, legatis, & teſtatis conſiſtunt, de iiſdem obligationibus, legatis, ſeu teſtatis decimam ſolvere teneantur. Item capitula, collegia, ſeu conventus in communi de ſuis redditibus decimabunt. Item ſi quis ex uno beneficio 6. marcarum argenti ponderis (a) priæ redditus duntaxat, eos non decimabunt: Ultra verò, ſi habuerit decimas, inde ſolvet. Aut ſi plura beneficia habuit, quæ conjuncta prædictarum marcarum excedant numerum, de ambabus inſimul decimabunt. Hoſpitalis verò & domus leproſorum cum annexis ſibi Eccleſiis, ſuper quibus fundata ſunt, decimas non præſtabunt. De infirmariis, veſtiariis, ſacriſtiis & hoſpitalibus religioſorum non decimabitur, niſi ſi ultra proviſiones neceſſarias de illis officiis exhibendas eſſet exceſſus reddituum illorum officiorum; tunc de illo reſiduo fiet decimatio communi decimæ apponenda. Paſtores verò & Vicarii inſimul, vel quilibet pro parte ſua decimabunt, ita tamen, quod plenè de omnibus redditibus Eccleſiæ decima perſolvatur. Ordinarii perſonas providas deputabunt, qui eandem decimam colligent & ſervabunt. Et ſi Nuncius domini Apoſtolici eiſdem unum aut plures voluerit adjungere, ſuæ relinquatur optioni. Præterea ſub juramento ſolventium decima perſolvatur. Item Ordinarii ſubjectos ad ſolutionem decimæ iſtius per cenſuram Eccleſiaſticam poterunt coarctare. Item decima fiat de bonis Eccleſiarum, hac taxatione præmiſſa, ut tempus æſtimationis ſolvendæ decimæ bladi & vini ſit inter feſtum ſancti Michaëlis, & ſancti Martini. De caſeis autem ſolvatur decima ſicut Prælati conſueverunt denaria ſuis ruſticis loco caſeorum recipere, in feſto ſancti Georgii ſecundum jus & terræ conſuetudinem.

SÆC. XIV. ANNO 1310.

(a) *leg. præſentia. aut potius percipit.*



Digitized by Google

Sæc. XIV. Anno 1310.

# DECLARATIONES STATUTORUM IN CONCILIO PROVINCIALI

## Domini CHUNRADI Archiepiscopi Salisburgensis, Anno 1310.

NOs Conradus, *Dei* gratia S. Saltzburgensis Ecclesiæ Archiepiscopus A. S. Legatus, (a) Wernhardus Patavienſis, Joannes Brixinenſis, Heinricus Gurcenſis, Albertus Chyemenſis, Fridericus Secovienſis, Wernhardus Laventinus, Ecclesiarum Episcopi in hoc sacrosancto provinciali Concilio Saltzb. congregato, de consilio & consensu procuratorum venerabilium Frising. & Ratisp. Episcoporum, plenum ad hoc mandatum habentium, ac assensu Prælatorum Saltzb. provinciæ in hoc Concilio aggregatorum, nec non procuratorum assensu, hujus sacri approbatione Concilii, quædam statuta pœnalia priorum provincialium Conciliorum ex certis & legitimis causis, ut animarum periculum caveatur, taliter duximus moderanda.

(a) Bernardus.

C. I. De Clericis Tabernariis.

Primo Statutum de Clericis tabernariis, quod incipit: Clericus non viator, cum hoc moderamine declaramus; quod causæ rationabiles & honestæ intelligi debeant istæ: Quod si Clericus non viator in Sacris constitutus, aut Religiosus, tabernam intraverit ad honorandum quempiam amicum, dominum, aut quamcunque honorabilem personam, vel si inpræmediatè intret, oblitus constitutionis, seu ex quacunque necessaria vel utili causa non voluptuosa, ibique biberit vel comederit, pœna statuti præhabiti non ligetur. Hæc tamen moderatio ad lusores non extendatur.

C. II. De rationibus a Prælatis audiendis & faciendis.

Item Statutum de rationibus faciendis, quod incipit: Item ne, taliter mitigamus, quod revocata pœna suspensionis ab ingressu Ecclesiæ, Prælatus, qui collegio aut tribus per collegium deputatis saltem semel in anno non fecerit rationem, & à claustri officialibus præsentibus aut vicinis claustro bis, & à remote distantibus semel in anno non audierit rationes, ab administratione temporalium sit suspensus, quam suspensionem si per tres menses post annum rationibus deputatum sustinuerit, animo indurato, ex tunc arbitrio Ordinarii puniatur.

C. III. De Clericis joculatoribus.

Item juxta constitutionem Domini Bonifacii, quæ est talis: Clerici, qui clericali ordini non modicum detrahentes, se joculatores seu galiardos faciunt, aut buffones, si per annum artem illam ignominiosam exercuerint, ipso jure; si autem tempore breviori, & tertio admoniti non resipuerint, careant omni privilegio clericali. Monemus

C. IV. De capitulis celebrandis à Monachis S. Benedicti & S. Augustini.

hujus approbatione Concilii omnes & singulos tales, ut talem habitum & vitam non assumant & assumptam deponant infra tres menses, quorum unum pro primo, alterum pro secundo, & tertium pro tertio termino peremptorio assignamus, si pœnam prædictam, quam ipso facto incidunt, voluerint evitare.

Item monemus Abbates Ord. S. Benedicti & Præpositos & Prælatos S. Augustini totius nostræ provinciæ, ut provincialia capitula sua, usque ad festum Purificationis proximè futurum celebrent, juxta formam à sacris Canonibus eis datam, & deinde de

C. V Clementis Constitutio quâ Bonifacii VIII. Constitutionem Clericis mitigat.

triennio in triennium, juxta formam sacrorum Canonum jam prædictam.

Clemens, &c. Pastoralis cura solicitudinis nobis divinitus super cunctas Christiani populi nationes injuncta, nos vigilare, remediis subjectorum eorundem periculis obviare ac scandala removere compellit, sanè, quæ ex constitutione * fe. re. (a) homini. Papa 8. nostri, quod incipit: Clericos (b) laicos. Et ex declaratione seu declarationibus ex illa postmodum subsecutis nonnulla scandala, pericula magna, & incommoda gravia sunt secuta, & ampliora sequi, nisi cleri remedio succurratur, præsumitur verisimilis in futurum, nos de consilio fratrum nostrorum, constitutionem & declarationem seu declarationes prædictas, & quicquid ex eis secutum est, vel ob eas penitus revocamus, & eas habere volumus pro infectis, volentes & firmiter statuentes illud contra quoscunque laicos exigentes seu extorquentes ab Ecclesiis Ecclesiasticisque personis tales seu collectas, aut exactiones quascunque, & contra dantes ad id faciendum auxilium, consilium vel favorem, nec non circa præstandas subventiones laicis ab Ecclesiarum Prælatis, & aliis viris Ecclesiasticis inviolabiliter observari, quod super his à prædecessoribus nostris in Lateran. & generali Concilio, quæ nos, sub obtestatione divini judicii præcipimus observari, districtè salubriter est provisum. Data (c) Lud. Cal. Febr. Pontificatus nostri Anno secundo.

(b) Leg. *Clericis Laicis.* Basn.

* *Fort. felicis recordationis Bonifacii Papæ octavi prædecessoris.* Canis.

(c) *Lugduni.*

(a) Leg. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri; sic enim Labbæana editio, idque sensus postulat. Basn.

AN-

Digitized by Google

ANDRONICI CONSTANTINOPOLITANI

EX

IMPERATORIA COMNENORUM FAMILIA,

# DIALOGUS

CONTRA

# JUDÆOS.

Studio

PETRI STEVARTII LEODII,

*SS. Theologiæ Doctoris & Professoris.*

LECTO-

Digitized by Google

# LECTORI

## PETRUS STEVARTIUS LEODIUS.

SÆC. XIV. ANNO 1327.

*Quis fuerit iſte Andronicus, intelliges ex Præfatione Livineii, qui jam olim eum latinitate donavit: ſed verſio ob immaturum interpretis obitum hucuſque latuit; quæ nunc tandem à* P. Andrea Schotto, *Societatis* Jeſu, *Ingolſtadium miſſa, in publicum venit. Loca ſacræ ſcripturæ, quæ Interpres ſuo quodam conſilio, ad arbitrium ſuum tranſtulerat, ad vulgatam editionem, quantum fieri potuit, vel certè ad Sixtinam ſeptuaginta Interpretum accommodavimus. Utinam interpres iſte & hic & in Catecheſibus Theodori Studitæ, minus Latinus eſſe ſtuduiſſet! ſolidiorem à lectoribus gratiam iniiſſet, & majorem prudentiæ laudem collegiſſet.*

*Cæterum ſi verum eſt, quod ſe Livineius à doctiſſimo Cardinale Sirleto accepiſſe memorat, nempe Euthymium eſſe hujus Dialogi Auctorem, tum ſubſiſtere non poteſt, quod ait, hunc Dialogum editum eſſe ſub annum Domini M. CCC. XXVII. nam Euthymius floruit ſub Alexio Comneno, Anno M. C. XVIII. quo Alexius Imperator obiit. Aut igitur Euthymius Dialogi Auctor non eſt; aut ſi eſt, conſcriptio ejus ad multò anteriora tempora referri debet.*

*Scribit Epitome Bibliothecæ Geſneriana in Cæſarea Bibliotheca Viennæ exſtare diſputationes Andronici contra Judæos. Nec dubito, eſſe hunc ipſum Andronicum noſtrum; qui in Græco ſuo textu aliquando profert ſacræ ſcripturæ citationes, nec cum noſtra vulgata, nec cum 70. Interpretum editione ſatis conſentientes, quas ſubinde ad marginem annotavimus. Vale.*

JOAN-

Digitized by Google

# JOANNES LIVINEIUS, LECTORI S. D.

Saec. XIV. Anno 1310.

Audandi sunt, qui opibus, auctoritate, potentia primi, vel eruditi ipsi, vel doctorum consuetudine usi, ad illustrandas artes operam atque ingenium conferunt, quasique præsidia quædam moliti, cladem à studiis, quàm longissimè possunt, depellunt. Cujus sui consilii auctores habent & veteres illos Romanæ Reipub. principes, quorum liberalitate excitatæ hominum mentes, plurima utiliter & egregiè scripta in omni doctrina posteris reliquerunt; etiam labante Imperii Majestate (ut in rem præsentem veniamus) Comnenos, Palæologos, quorum industria & hortatu viri præstantes pleraque & στρατιωτικὰ, & ἀστρολογικὰ, & γεοπονικὰ, & ἱστορικὰ conscripserunt.

*Andronicus* quidem, (quem nunc cum Judæis disputantem, de Græcis Latinum à nobis factum damus) & ipse Comnenis majoribus satus, quo jubente opus hoc Euthymius Ligabenus confecit, (ut è Sirleto Cardinali amplissimo juxta atque doctissimo; cui Græcum hoc exemplar acceptum est referendum, audire memini) nec libri vindicias defugit, voluitque, quod in iis, quæ commemoravi, scriptis alii etiam fecerunt, auctor quoque inscribi: Ut ex Politicis quos appellant versibus, apparet, qui in Operis frontispicio leguntur. Ii etsi sunt sanè non nimium elegantes, habitaque in eis syllabarum, quam mensuræ ac quantitatum, major ratio est, tamen quia & quæ dixi confirmant, & Andronici genus demonstrant, obtinebunt, ut hoc loco referantur: Sunt autem tales:

Ἡ δογματικὴ τῶν δε τῶν λόγων χάρις
Τὴν ἑβραϊκὴν ἐξελέγχοντα πλάνην
Τὰς ἐυσεβεῖς δείκνυσι τοῖς πιστοῖς τρίβους·
Ἔγραψαδ' αὐτὴν Ἀνδρόνικος ἐκ πόθου,
Ἀδελφόπαις ἄνακτος Αὐσόνων γένους,
Κομνηνοφυὴς ἐκ σεβασοκράτορος·
Εἰς γῆν προαχθεὶς καὶ γλυκὺ βλέψας φάος.

Quos in Latinos numeros justos sic redegimus:

*Docilis venusta quæ libelli gratia.*
*Verpûm retundit efficax insaniam,*
*Piasque ritè credulis monstrat vias,*
*Huic Andronicus auctor est, sacer studii*
*Frater potentis Ausonum latè soli*
*Proimperator, quem satu Comnenides*
*Eduxit orbi, & solis almo lumini*

Quod proximum est, editum hoc opus sub annum Domini M. CCC. XXVII. Auctor testimonium dicet. Nam hoc ipso libro ad ætatem suam Judaicæ captivitatis annos computat M. CC. LV. quibus si addas LXXII. à Christo nato ad Titi triumphum, seu ad excidium Hierosolymitanum, fiunt, ut dixi, M. CCC. XXVII. Natus est autem Ser-



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1310. Servator noſter Chriſtus (ut Onuphrius calculum inĭit, quem hac in parte ſequi ſine reprehenſione poſſumus) anno V. C. DCC. LII. Triumphavit de Judæis Titus anno V. C. DCCC. XXIV. Jam ſi detrahas annos DCC. LII. de DCCC. XXIV. ſurgunt LXXII. exactè, ut ante annos plus minus CC. XCII. auctor ſcripſerit. Atque hæc ſunt, quæ de auctore explorare & cognoſcere hactenus potui.

Munus igitur hoc qualecunque noſtra induſtria ſtudioque Latinitate donatum, atque in aſpectum lucemque deductum æqui boni, mi Lector, conſule. In quo ſi occurrent, quæ lituram merebuntur, (quòd ſim arrogans ſi defugiam) in tanta operis difficultate par eſt ignoſcere. Nam & cum mendis plurimis ſine alterius exemplaris copia luctandum nobis fuit, & permultis ex omni quà vetere, quà novo teſtamento locis vitioſè citatis, ſingula ſuis capitibus, & auctoribus vindicanda. Vale.

JA-

Digitized by Google

# JACOBI BASNAGII
IN
# DIALOGUM
# ANDRONICI
CONTRA
# JUDÆOS,
# OBSERVATIO,

Oſtendens,

## Authorem hujus Operis non eſſe Andronicum.

*Andronici* nomen præfert ille Tractatus contra Judæos. Adjuntque illum Tyrannidem, quam diu animo verſaverat, tandem ad exitum perduxiſſe. Strangulato enim *Alexio Comneno*, & necata ejus matre, Impèrium ſibi vindicavit, quod cum tenuiſſet triennium aut circiter, annum nempe & menſes quinque dum viveret Alexius, annum vero & menſes decem totidemque dies poſt ejus cædem, ipſe motu populari comprehenſus eſt, camelo per urbem vectus, abſciſsâ manu, jaculo perfoſſus, à furente plebe fuit laniatus. Hunc cum eloquentia inſignique litterarum ſacrarum eruditione imbutum prædicaverit *Nicetas Choniates*, aſſerunt refutandis Iudæis operam navaſſe, antequam Imperatoriam poteſtatem uſurpaſſet, huncque tractatum edidiſſe. Quæ ſi vera forent, rejiciendus eſſet ille Liber in annum 1170. aut circiter. Quippe *Manuel Comnenus*, ſub cujus Imperio ſcripſit, obiit an. 1180. *Andronicus* vero *Comnenus* dilaceratus eſt menſe Septembri an. 1187. SÆC. XIV. ANNO 1310.

Sunt qui ſuſpicentur, illud opus non eſſe *Andronici Comneni*. Id ſuboluerat *Sirletus*, Cardinalis, eruditione ut & dignitate illuſtriſſimus; inaudiverat enim ab eo Livineius, hoc opus tribui debere *Euthymio Zigabeno*, quod refellit *Stewartius*; & reverâ nullas conjecturæ ſuæ rationes protulit eminentiſſimus Purpuratus. Denique *Euthymium* adverſus Judæos ſcripſiſſe, præter ipſum forſan nullus aſſeruit: *Miræus* cum videret, hoc opuſculum exaratum fuiſſe ineunte ſæculo decimo quarto, illud videtur tribuere *Andronico Palæologo Comneno*. Eumque ſequitur *Warthon*, in appendice ad Hiſtoriam Litterariam. Sed verſus huic operi præfixi:

*Huic Andronicus auctor eſt, ſacer ſtudii*
*Frater potentis Auſonum late ſoli*

*Pro-*



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1310.

*Proimperator, quem ſatu Comnenides*
*Eduxit orbi.*

Vel potius, ut habent Græca:

Ἐγραψαδ' αὐτὴν Ἀνδρόνικος ἐκ (*) πόθε,
Ἀδελφόπαις (a) ἄνακτος Αὐσόνων γένους,
Κομνηνοφυοῦς ἐκ σεβαστοκράτορος
Εἰς γῆν προαχθείς.

(*) fortè πόνθου.

(a) Filius fratris, non frater ut, Livineus. Lambec.

Hæc, inquam, non conveniunt *Andronico Palæologo*, qui aliquando *Comneni* nomen ſibi adſcivit. Ille enim *Andronicus*, *Michaelis Palæologi* filius, patruelem non habuit Imperatorem: Ipſe vivo parente coronatus, cum eo imperium adminiſtrabat: Sceptra tenebat eo tempore, quô ſcripſiſſe dicitur. Studiis incubuiſſe non videtur. Fuit quidem Monachus, captâ Conſtantinopoli ab ipſius nepote, & abdicato imperio an. 1328. Sed tunc multa paſſus incommoda, uſum oculorum amiſit ex morbo. Ideoque inter Eccleſiaſticos authores recenſeri poſſe quis credat? Quamquam *Andronici Sebaſtocratoris* nomen ferant verſus ad frontem operis appoſiti, attamen author dialogi numquam imperatorio ſtylo utitur. Author Regiam urbem, ſed non ſuam appellat *Conſtantinopolim*. Videtur Macedoniam peragraſſe, ut libros evolveret, ibique Judæorum ſcrinia conſuluiſſe, ut patet ex Teſtimoniis Judæorum, Chriſtique Genealogia, quam retulit. c. 38. Libros Judæorum Hebraico idiomate ſcriptos Imperatorem aut pervolviſſe, aut intellexiſſe quis dicat? Impulerunt in errorem viros doctos verſus ſuperius memorati, in quibus *Andronicus Comnenus* ſeſe profitetur hujus dialogi authorem. Sed 1. quid ſi verſus illi aliena manu fuerint affixi? Non enim leguntur in opere ipſo, aut ſunt pars dialogi: In frontiſpicio tantum occurrunt & alterius videntur authoris, Andronici perſonam referentis. Firmat conjecturam elogium illud, quod primo ſic verſu legitur ἡ δογματικὴ τῶν δὲ τῶν λόγων χάρις *Dogmatica horum ſermonum gratia.* An ſui ipſius Panegyriſtam egit Andronicus? Miror viros doctos his verſibus majorem habere fidem, quàm ipſiſſimis authoris verbis. 2. Ille enim aſſerit c. 41. accidiſſe Hieroſolymitanam vaſtitatem anno ab orbe condidito 5563. uſque *ad præſens tempus* 6818. *Sicque Judæos totis mille ducentis quinque & quinquaginta annis, ſine regno exulare.* Hæc verba nemo potuit inſerere dialogo. Nec amanuenſi illa tribuas; quippe calculus ille ſibi conſtat, & ad rem, quam probandam ſuſceperat author, multum facit. Inde conjiciebat *Stewartius*, hoc opus editum fuiſſe anno 1327. quippe ſi annos 1255. adjicias anno 72 æræ Chriſtianæ, quo à fundamentis ruit Hieroſolyma, anni 1327. computabuntur. At non obſervaverat vir doctus, aliter paulo calculum ſuum confeciſſe Dialogi ſcriptorem. Computat enim ab initio mundi ad excidium Hieroſolymitanum an. 5563. Hic annus Græcorum incidit in annum quinquageſimum quintum æræ Chriſtianæ: Annusque 6818. Græcorum in an. 1310 Chriſtianorum. Denique ſi enumerare cœperis annos 1255. ab anno 55. æræ Chriſtianæ, quô Hieroſolymam expugnatam aſſerit author noſter, concludas neceſſe eſt, ut opus illud fuerit elucubratum an. 1310. Errabat quidem ille Scriptor, cum Hieroſolyma capta fuerit anno 70. Sed hoc fundamento poſito, recte procedit ipſius calculus. Tunc autem ſolus Imperium adminiſtrabat *Andronicus Palæologus*. Totque curis diſtrictus, ipſi adverſus Judæos ca-

Digitized by Google

calamum ſtringere per otium non licebat. Hoc igitur opus alterius *Andronici*, Theologi in Myſticis verſatiſſimi (hoc enim demonſtrat ipſum opus) eſſe crediderim. Decepit aliquos homonymia, qui *Andronico* Imperatori hoc opus aſſeruerunt. Quominus autem hoc opus tribuatur *Andronico Comneno*, obſtat ætas: obſtant anni ab excidio Hieroſolymitano computati. Quominus vero vindicetur *Andronico Palæologo*, qui decimo quarto ſæculo vixit, obſtat Principis ignorantia: obſtat denique inſignis eruditio, quæ Theologum hujus operis authorem indicat. SÆC. XIV. ANNO 1310.

Ideoque nulli ex Andronicorum ſtirpe Imperatoria, ſed alicui viro cognomini erudito tribui debet illud opus. Narrat quidem *Nicetas Choniates*, *Andronicum Comnenum*, qui *Alexium Comnenum* II. occidit anno 1183. fuiſſe incredibili perſuadendi *artificio & ſplendore orationis loquentem & ſcribentem*; ſed indene ſequitur, eum ſcripſiſſe adverſus Judæos, turbatis in Imperio rebus, & Regno ipſi a Plebe per mortem violentam erepto? Nicet. Chon. pag. 149.

Autumat *Lambecius*, qui tanta cura codices ms. Bibliothecæ Vindobonienſis recenſuerat, & hunc inter Græcos 255. numeravit, hunc Dialogum *Andronico* debere vindicari, & *Sirletum*, qui ejus autoritate juſſuque ſcriptum ab *Euthymio Zigabeno* dixit, confutat, eâ potiſſimum ratione, quod Genealogiam Comnenorum, quam ideo Bibliothecæ Cæſareæ Commentariis inſeruit, convenire putat. Nam ex *Alexio Comneno* ſeniore natus eſt *Joannes*, ſive *Calo Joannes*, Imperator ab an. 1118. ad 1143. & *Iſaacus Comnenus* Sebaſtocrator. A priori natus eſt *Manuel*; qui imperavit ad an. 1180. & filium reliquit duodecennem, quem *Andronicus*, fratris filius, hoc eſt, ab *Iſacio Comneno*, *Calo Joannis* fratre, ortus, trucidavit. Et inde concludit, ipſum patruo regnante ſcripſiſſe adverſus Judæos. Sed 1. nullus eſt, quod ſciam, qui inficias ire poſſit, hanc Genealogiam accurate ſcriptam eſſe. 2. Sed inde nullatenus concluditur, *Andronicum* Tyrannum eſſe authorem dialogi adverſus Judæos. Nec illa protuliſſem, niſi ab autore celeberrimo fuiſſent in lucem edita. Lambec. Bibl. Vind. l. V. p. 169.

---

# CAPITA DISPUTATIONIS CONTRA JUDÆOS.

I. *De Deo Trino & uno, quàm intellectu difficilis.*
II. *Animantia etiam Deum agnoſcunt.*
III. *Deus Pater genuit.*
IV. *Moiſes Trinitatem agnovit.*
V. *Dei ſignificatio.*
VI. *Chriſtum à Patre genitum, ex Prophetis oſtenditur.*
VII. *E Pſalmis idem oſtenditur.*
VIII. *Generatio divina mente comprehendi non poteſt, & quomodo fiat.*
IX. *De Spiritu ſancto ejuſdem cum Patre naturæ.*
X. *Similitudines S. Trinitatem exhibentes.*
XI. *De divina providentia.*



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1310.

XII. *Cur Deus arcana fidei homini initio celaverit.*
XIII. *Judaicæ gentis à Deo defectio.*
XIV. *Comparatio Synagogæ & Gentilium.*
XV. *Filii & res Abrahami cum Deo collatæ.*
XVI. *Cur in monte Abraham sacrificare filium jubetur.*
XVII. *Isaac immolandus Christi typus crucifixi.*
XVIII. *Aries cum cornibus inter vepres, quid significet.*
XIX. *Comparatio Jacobi & Esau.*
XX. *Jacobi res cum Christo collatæ.*
XXI. *Scala Jacobi typus B. Virginis, & reliqua illius gesta.*
XXII. *Duæ Jacobi uxores quid designent.*
XXIII. *De Josepho allegoria Christo tributa.*
XXIV. *Camelus in Scriptura odium designat.*
XXV. *Invidia ferâ crudelior est.*
XXVI. *Josephus in Ægypto ad summos evectus honores.*
XXVII. *Calumniæ vis quanta.*
XXVIII. *Moisis historia mysticè explicata.*
XXIX. *De Incarnatione, seu cur Dei filius homo factus.*
XXX. *Cur Christus homo simul & Deus.*
XXXI. *Cur ex Virgine nasci Christus voluit.*
XXXII. *Gens duplex Gentilis & Hebræa.*
XXXIII. *Esaiæ vaticinium cap. 11. de Christo egregiè explicatum.*
XXXIV. *Aliorum Prophetarum oracula de Christo.*
XXXV. *De Christo Deo & homine.*
XXXVI. *Alter Esaiæ VII. de Messia locus expositus.*
XXXVII. *Deum hominem fieri voluisse & de stirpe Davidis.*
XXXVIII. *Mariam ortam è stirpe Davidis, ex Genealogia Judæorum.*
XXXIX. *Danielis Prophetia de Christi adventu.*
XL. *Calamitates Judæis ob perfidiam irrogatæ.*
XLI. *Christo mors illata, peccatorum maximum.*
XLII. *De Antichristi adventu.*
XLIII. *De imaginum cultu.*
XLIV. *Exempla duo perfidiæ Judæorum.*
XLV. *De Christianorum baptismo, & ejus cum Circumsione comparatio.*
XLVI. *Quibus olim nominibus Baptismus designatus.*
XLVII. *Eliæ cum Christo comparatio.*
XLVIII. *Legis Christi cum Moisè comparatio.*
XLIX. *Prophetiæ de Judaicæ legis abrogatione.*
L. *De Evangelica Lege vaticinia.*
LI. *Caput Esaiæ primum eleganter in Judæos torquetur & explicatur.*
LII. *De Gentium conversione & Judæorum pervicacia prophetiæ.*
LIII. *Vaticinia de Christi Nativitate.*
LIV. *De abjecta plebe Judaica prophetiæ, & Gentium vocatione.*
LV. *Prophetiæ de Christi morte & Resurrectione.*
LVI. *Psalmus secundus exponitur.*
LVII. *Psalmus 21. de Christi passione eleganter explicatur.*
LVIII *De Sabbato Judæorum & Dominica Christianorum.*
LIX. *Panis propositio typus corporiss Dominici.*
LX. *De Christi à mortuis Resurrectione.*
LXI. *De Inferorum spoliatione, & mortuorum Resurrectione.*
LXII. *Christus mortuus corruptionem effugit.*
LXIII *Christum post Resurrectionem edisse & in cœlum ascendisse.*
LXIV. *De secundo Christi adventu in judicium.*

ANDRO-

Digitized by Google

# ANDRONICI CONSTANTINOPOLITANI DIALOGUS CONTRA JUDÆOS.

SÆC. XIV. ANNO 1310.

## CHRISTIANI ET JUDÆI.

(a) QUoniam multi sceleſtorum Judæorum impietatem oſtendere ſunt aggreſſi, quemadmodum Clemens Dominus ac curator non per oſtenta ſola, atque prophetas, ſed per utraque ſimul *multifariam multiſque modis* ſalutem iis molitus, ex acerba ſervitute Pharaonia ereptos, prodigiosè per mare rubrum trajecerit, & Pharaonem per invia ire audentem, obruerit; promiſſæque terræ inſultantium ſatrapas dejecerit; afflictos autem, & in Ægypto luto, lateribus atque paleis enectos erexerit, per deſerta traduxerit, veſteſque ille, qui nubibus cœlum operit, intactas conſervarit; Angelicum panem, & avium carnes panis ille cœleſtis depluerit; rupem in aquæ fontem, is qui aquis terram firmavit, miraculosè commutarit: tum autem, quod primum atque maximum eſt, non erubuerit eorum ſe Deum, ille humanæ naturæ opifex & architectus, vocare. Et ne Dei mei exequendis ſingulis miraculis ſatietatem convivis creem, menſa è quotidianis Eccleſiæ ferculis inſtructa: * agendus mihi quoque ad metam equus eſt, & novi tanquam cibi atque miſſus, jucundiores quidem certe apponendi. Nam velut cibus corporalis, quem aſſiduè in os ingeras, demum inſuavis gulæ traditur, quamlibet vel lectiſſimum dicas; ad eundem modum, & qui animo intelligentia prædito, atque immateriato ex divinis oraculis paratur, is nimirum aliis longè gratior cognoſcitur, qui arduarum rerum quàm expeditiſſimam comprehenſionem præſtat. Atque equidem hinc jam ordior.

*Hebr.* 1. 5. *Exod.* 14. 21. *& ſeqq.* *Exod.* 55. *& ſeqq.* *Exod.* 16. 4. *& ſeqq.* *Exod.* 17. 5. 6. *Hebr.* 11. 16.

* Imitatio eſt proverbii apud Nazianz. in Baſilium Magnum & in Natalem, & in ſanctum Paſcha. *κέντει τὸν πῶλον περὶ τὴν νύσσαν.*

Ego vero, ò fidelis ac ſacer Chriſti grex (ſic etenim vos, populum peculiarem, gentem ſanctam, filios ſimul, & cœleſtis vitæ promiſſique regni hæredes, vos ſic appello, majorum voces, & prophetica oracula imitatus) ſcriptionem detrectabam (nam verum fatebor) partim qui ſcriptores amplecterer, & magni facerem; partim qui inſcitiæ meæ conſcius mihi timerem, ne, cujus ingenium à bonis litteris eſſet in dies abjunctius, nihil quod ad gloriam proficeret, præſtarem. Nequit enim omnino exuca terra & inarata frequentes ſpicas educare. Verum non in hac illuſtri modo, ac regia (a) urbe, ſed etiam (b) Oreſtiade, & in Theſſalia ſum nactus ſciolos quoſdam Legiſconſultos, qui Judaicam religionem propugnarent, non illi quidem vera divini ſpiritus luce & inſtinctu; ſed qui pingue, ut ſic dixerim, & obumbratum ſacrarum litterarum ſtudium agitarent, nec ſuſpicere, proni inque terram defixi, poſſent. Eos, inquam, cum offendiſſem, qui audirent quidem, quæ oportet, ſed effutirent, quæ non oportet, non ita docente eos lege (apage) ſed qui legem capere nequirent; (ſcilicet quaſi luminum princeps ſol,) cùm hic progreditur, & aliis prælucet, tùm cæcutientibus æquè radios non immittit; itidem ſane & legis difficultas iis, qui ingenio ſunt purgato, evidens ac perſpicua eſt; torpidis nubila atque turbida. Nam legis, uti Moſes appellat, velamen, non in ſcriptione, ſed hominum mente, hodieque manet. Eam cum imperitiam advertiſſem, ut egregius quidam ſenex, oblitus ſenectutis ad luctam cum adoleſcentibus ineundam proſilit; ita equidem timiditatis quoque amolitus notam, dedi operam, ut utrorumque interrogationes ac reſponſiones monumentis mandarem: poteſt enim animus magnus, Dei ſtudium profitens, etiam quæ ſupra vires ſunt tentare. Itaque nuda in primis interrogationum ac reſponſionum verba proponantur.

*Exod.* 19. 6. 1. *Pet.* 2. 9.

(a) Quæ Conſtantinopolis, & nova Roma in Oriente dicta, anica Byzantiam. CAN.

(b) Ab Oreſte ſic appellata, atque ab Adriano inſtaurata. Hadrianopolis Macedoniæ ingens oppidum, Zonaræ. Niceræ & Conſtantino Manaſſe. CAN.

*Chriſtia-*

* à latere vid. Latinorum. Lamb. Bibl. Vind. l. V. p. 169.

(a) In Codice Cæſareo, quem Lambecius indicavit, hæc leguntur Græca * quæ conveniunt cum Latinis *ἐπειδήπερ πολλοὶ τῶν παρανόμων ἰουδαίων ἐπεχείρησαν, παρασύραι δυστρέπειαν καὶ ὅπως μὴν ὁ φιλάνθρωπος δεσπότης χριστὸς ὁ θεμὼν ὑ διὰ σημείων μόνον ἢ προφητῶν, ἀλλὰ καὶ δι' ἀμφοτέρων ἅμα πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως τὴν σωτηρίαν τούτων πραγματεύμενος* &c. Habuerat & *Sirletus* Cod. Græcum, ut ſupra fuit indicatum. BASN.

Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1310.

*Christianus.* Quid est, quod vos, qui Mosaicæ legis zelum habetis, sed non secundum scientiam, ad me hodie convenistis?

*Judæi.* Nos enimvero, intellecto, Christianarum te æmulum rerum, Mosaica contemnere, coram, quæ dicerentur, audituri venimus.

*Christ.* Dei quidem præcepta, ejusque pro nobis mortalibus salutarem incarnationem tueri & professus sum, & profiteor, & ad extremum usque spiritum profitebor. Ceterum Mosaicam legem, quæ est velut umbra & figura nostræ salutis atque instaurationis, adeò non contemno, ut etiam colam, & amplectar.

*Jud.* At si Mosaicam legem amplecteris, neque ea tibi sententia labiis modo expressa ac formata falsò excidit, quamobrem nos, qui eam propugnamus, violatores legis ducitis?

*Christian.* Si quidem frugis gratia quæstiones movetis, ac satagitis, quî iniquiores partes æquioribus submittatis, expediet, opinor, principis rerum Sapientiæ in commune rationes inquirere, spem certissimam in justitiæ atque ipsius veritatis stabili trutina collocantes. Sin contendendi causa, dicendique ostentatione colloquium urgetis, sic habete, Ecclesiâ nostrate censi, haud se consuetudine ea venditant. Siquidem nostræ professionis ait quispiam: qui in disputatione stabilire sententiam suam pugnat; quamlibet vera dicat, Diaboli morbo laborat.

1 *Cor.* 11. 16. Nazianz. orat. 2. de Theolog.

*Jud.* Hoc tibi etiam atque etiam confirmamus, ita nos Deus Israel glorioſus amet; nos nequaquam rixæ ac contendendi studio huc venisse, sed qui veritatem illustrem, ejusque demonstrationem instar viæ regiæ tritam cuperemus, per quam deducti ad lucem, cælestis vitæ hæredes fieremus.

*Joan.* 14. 6. *Christ.* Meus amor Jesus in Evangelio ait, *Ego sum lux, & veritas, & vita.* Hæc si animus est verè bona adipisci, accumbite, & aurem præbete.

Duorum, Judæi, à nobis Christianis criminum postulati, utrum jubetis vobis ad judicium proponi? Legisne violationem cum nece Prophetarum atque insectatione? an lucis repudium, ac non solum non receptum eum, qui prædicabatur, sed injustè à vobis interemptum quoque? etsi majores vestri eo mactando negabant sibi *licere interficere quemquam.*

*Christ.* Quod si ex propheticis prædictionibus fidem faciam, ecquid vos errasse fatebimini?

*Jud.* Maximè. Prius tamen scrupulum unum ex animis nostris (rogamus) exime: Quî à vobis Christianis tres Dii honorentur & noscantur? cum id lex Mosaica non permittat; quin & liquidò clamet; *Ego sum qui sum.* ac rursum. *Non adorabis Deum alienum*; Ego enim sum Dominus Deus tuus, Zelotes?

*Exod.* 3. 14. & 20. 5.

## CAPUT I.

### *De Deo uno & trino.*

*Christ.* Hac doctrina, ô Judæi, (*a*) totum Theologiæ arcanum absolvitur. Sed enimvero Ecclesiæ nostræ Doctores, tum lingua, tum mente horrere nos docent, si quando de Deo aliquid effari audeamus. Nam etsi cunctorum, quæ sub cœlo creata, augustissimum homo est; at nimium quam impar est divinæ luci contemplandæ. Scilicet terrena caro, in humumque devexa, quæ pro materiæ studio, mundi se negotiis miscet, & assiduè iis, quæ deorsum sunt, consuescit ac delectatur, ægrè in sublimium curam incumbit: atque ut inter Hebræos & Ægyptios nubes tanquam murus intercedebat, ita nimirum corporea hæc caligo inter Deum ac nos media interstat. Eam ob rem, opinor, etiam David, unus è majoribus Christi, homini præcinuit: *Posuit tenebras latibulum suum.* Stuporem hinc nostrum declarans, ob quem pauci vix, vel parum superiora suspiciunt. Et quinam illi? Quibus non corpora maceratione tantum jejunioque purgata, sed ipsæ adeo mentes sic comparatæ sunt, ut cum divina semper voluntate conjunctæ sint. Ita enim censeo, divina eos luce affici vicissim, qui id, quod in ipsis est divinum (rationem dico atque mentem) Dei studio permiscent, effigie ad primigenium exemplar se levante. Nam quod Deum noverit quisquam, aut nosse, à quoquam testimonium tulerit, hactenus novit, ut alio non æque illustrato lucidior appareret, quippe alteri præstare perfectum quiddam creditum est, non re ipsa, sed alienarum comparatione virium. Enimvero Enos (*a*) *primus cœpit invocare nomen Domini*; quod ejus studium æquales *Dei notitiam* dixere. Et merito. Quî enim possis, quem ignoras in vota tua vocare? Enoch, qui translatus fue-

*Gen.* 4. 26.

(*a*) Scilicet posterorum Adami, cum Cainii ab unius Dei Opt. Max. religione desciviſſent.

(*a*) Pessima tamen hæc methodus, quæ a Trinitate incipit. Quippe cum Trinitas difficilius probari possit: & in Messia versatur totus controversiarum cardo. Hunc veniſſe, Judæis ante omnia probandum. Inde ad cætera Christianæ Religionis dogmata facilius progredimur. BASN.

Digitized by Google

fuerat, incertum an Deum præscierit. Noë acceptissimus Deo, sospitæ peritia arcæ donatur. Abraham ille magnus ex fide justificatus, peregrinam jugulat hostiam, in typum Dei propter nos interficiendi. At non Deum ut Deum conspexit, sed tanquam hominem epulis accepit, laudatusque fuit, quod eum quantum perceperat, coluisset. Jacob scalam, & ascendentes per eam & descendentes Angelos tuetur, lapidem erectum in titulum oleo perfudit mystice, fortasse qui nostra causa unctum lapidem notaret; & loco cuipiam à *Visione Dei* nomen indit, ad honorem ipsius Visi, cum Deo velut cum homine colluctatur (quæcunque tandem Dei cum hominibus lucta est. An humanæ forsitan virtutis cum divina contentio?) luctæ in corpore monumenta fert, quæ genitalem victam naturam designarent, nominis commutationem pietatis præmium capit, pro Jacobo Israël nuncupatus, augusta sanè & illustri nomenclatura. Ceterum Dei naturam, aut conspectum cepisse, nec ipse ille, nec supra eum quisquam hodieque ausus est jactare.

SÆC. XIV. ANNO 1310.

Gen. 22.13. Gen. 6.14. & seqq. Gen. 5.24. Gen 28.12. & 18. Gen. 31.30.

Eliam aura quædam lenis, & ignea quadriga in cælum subducit, majorem homine justum significans. Manue, qui apparentis obtutum Dei non ferret, *dixit ad uxorem suam: morte moriemur, quia vidimus Dominum.* Neque enim divinam solum naturam capere humanitas non potest, sed nec splendorem ipsum. Esaias & Ezechiel magnarum rerum spectatores: Ille enim Sabaoth, in majestatis divinæ solio videt, stipantibus eum, & collaudantibus ac tegentibus Seraphinis, qui senas alas haberent; ubi & ipse pruna lustratus, ad prophetandum mittitur. Hic verò & Dei vehiculum Cherubinos describit, & superstans ei solium, hocque superiorem æthram, & qui in ipsa repræsentaretur, tum & voces quasdam, & impetus, ac functiones. Atque ista omnia, seu fuerint apparitio quædam diurna, aspectabilis sanctis, seu visum nocturnum minimè fallax, seu effigiatio in animo, quæ futura ceu præsentia repræsentat, seu aliud arcanum prophetiæ genus, quod solus Prophetarum Deus novit. Salomon, (verba scripturæ) cui dedit Deus *sapientiam & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis, quasi arenam quæ est in littore maris: Et præcedebat Sapientia Salomonis Sapientiam omnium Orientalium & Ægyptiorum, & erat sapientior cunctis hominibus*; quo altius profunda penetrat, eo hæsitat magis, finemque sapientiæ statuit, conari invenire, quantum effugerit.

4. Reg. 2.11. Jud. 13.22. Ps. 6.1.2.6. Ezech. 10. 1. & seqq. Eccl. 7. 3. Reg. 4. 29. 30. 31.

David, *vir secundum cor Dei*, interdum judicia Dei *abyssum multam* nominat. Alibi ait, *Mirabilis facta est scientia tua ex semetipsa.* Moses, Vatum ille vertex, qui & Deo charus, præque omnibus sua tempestate celebris, post quadraginta dierum piacula ac lustrationem, caliginem, tonitrua, atque tubas, vix posteriora intueri Dei potuit: sive ea molitiones & opificia Dei censeas, seu incarnationem Verbi atque Filii ejus dicas; ob mortalium salutem postremis temporibus ineffabili modo procurandam. Ceterum neque hi, neque his par quisquam, Dei substantiam & essentiam apprehendit, ut scriptum est, neque Dei naturam perspexit, aut exposuit; sed omnes exinde usque huc, *ex parte cognoscunt, & ex parte prophetant.* Omnes verò, inquam, illis spiritu pares. Ac quid Deum ab aliquo hominum visum dicam? qui nec de rebus quidem conditis exoratè queant differere. Scilicet magni Davidis hæc sententia est. *Quoniam tunc videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum.* Tunc: quando? Cum ex hoc tabernaculo excessero, atque à crassa vitiositate expeditus, liquidissima luce illustratus fuero. Vides ingenuum Vatem? Atque hæc inibi. Alio loco: *Incerta*, inquit, *& occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.* Nam profectò Dei opificium esse cælos, cùm perspectè nunc cognitum vati; tum verò exactius tenebit, cum & eorum vim ac naturam, sed & causam, ob quam ab opifice Deo instituti, accuratè perspiciet. Tum enim non pellis instar extensos, sed veram naturæ ejus notitiam consequetur. Quod si tanti viri de rebus creatis tantillum quiddam in hoc tabernaculo agitantes sunt assecuti, quid jam mei instar quispiam, plenus scelerum maculis, cogitare aut effari ausit?

Act. 13.21. Ps. 35.7. Ps. 138.6. Ex Nazianz. orat. altera de Theol. pag. 753. Biblii. Exod. 33. 23. 1. Cor. 13.9. Ps. 8.4. Ps. 50.8. Ps. 103. 3.

Dicam tamen vobis, quæ certò & absque controversia Prophetarum esse credimus. Expeditam porro faciat orationem à prophetis prædicata Trinitas, verus, atque unius naturæ Deus. Credo in Patrem, ac Filium, & Spiritum sanctum, unius naturæ, & indivisam Trinitatem; non ut tres deos, sed unam deitatem in tribus personis agnoscendam: Sine principio, sine fine, æternum Patrem, naturæ omnis aspectabilis, atque intelligentis architectum. Genitum ex Patre Filium, quasi lumen de lumine, Deum verum ex Deo vero: Genitum non factum, immortalem, consubstantialem, semper cum Patre degentem, throni & operum consortem, comperennem & infinitum. Credo spiritum sanctum, non genitum, sed procedentem ex patre, consubstantialem, coæternum, & immensum; cum Patre & Filio unà adorandum & collaudandum.

Ac de principii experte Deo, & patre, non solum vos, atque omne hominum genus in sententiam ibit, sed ipsa etiam natura, ac naturæ magistra lex. Quo enim modo aut extitisset hæc rerum universitas, aut constaret, nisi omnia Deus & produxisset,

Ex Nazianz. orat. altera de Theolog.



Digitized by Google

Sæc. XIV. Anno 1310. duxiſſet, & tueretur? Neque enim qui citharam pulcherrime inſtructam, & undiquaque aptiſſimam cernit aut citharœdum audit, aliud cogitatione verſabit, quam citharæ autorem, ac citharœdum; ad eumque, etſi nondum oculis conſpectum, mente avolabit.

## CAPUT II.

### *Animantia agnoſcunt etiam Deum.*

SEd quid autem mortales, & univerſum hoc omne recenſeo? quando ipſæ etiam terreſtres feræ opificem agnoſcunt, & ejus perpetuò indigent adminiculo, ita enim & de hoc ſcribit David: *Catuli leonum rugientes, ut rapiant & quærant à Deo eſcam ſibi.* Et idem alibi. *Qui dat jumentis eſcam ipſorum; & pullis corvorum invocantibus eum.* Quid igitur de Deo & Patre hæc ſufficiunt? An ingeniosiores etiam bardis beſtiis bardiore?

*Pſal.* 103. 21. *Pſal.* 146. 7.

## CAPUT III.

### *Deus pater genuit.*

*Jud.* Nihil hic ambigimus, ſed genueritne Deus, dubitamus.

*Chriſt.* Utinam, Judæi, hujus veſtri ſcrupuli cauſſa, hodie in vivis eſſet Moyſes. Vix enim, opinor, vel ille vobis ſilentium imponeret.

*Jud.* Ubi verò ejus conſtat Moſen meminiſſe?

*Chriſt.* Circumcidite modo, inquam, cor, id eſt, immodicum hoc ſupercilium ex animis veſtris deponite; nec Moſen ſolum invenietis, ſed alios etiam multos Prophetas, non tantum meminiſſe, ſed palam adeo clamare. Nam in Dei opificio, ait Moſes: *faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Et poſt pauca: *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt*, & in linguarum diſſidio, ait Deus: *Venite, deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum.* Quærendum igitur eſt, quocum à ſe creato conſilium conferebat.

*Gen.* 1. 26. *Gen.* 3. 22. *Gen.* 11. 7.

*Jud.* Cum Angelis opinamur.

*Chriſt.* Amens ea & plane abſurda eſt opiniatio. Quis enim figulus cum fictili vaſe ſermonem confert? Quis faber, ne longum faciam, cum ferro de eo procudendo, & apparando colloquitur? & ſunt tamen magis conjuncta, & naturæ noſtræ affinia, quæ nos fabricamur, utpote ex eodem luto, iiſdemque elementis conſtituta. Cæleſtia autem cuncta, & quæ ſupra cœlos ſunt, quamvis naturâ nobis præſtent, propiuſque à Deo abſint; longius tamen adhuc etiam ipſa diſtant à Deo, ejuſque perfecta comprehenſione, quàm corpus hoc noſtrum compoſitum, humile, atque humi dejectum à cæleſtibus illis ſuperetur. Quare dubium non eſt, quin cum ſocio opificii, Filio nempe ſuo, hunc (ut ita dicam) architectonicum, de creatione ſermonem contulerit Deus Pater.

*Jud.* Deum quidem verum, creaturarum quas condidit, ope ac conſilio non indigere, damus & confitemur, ſeu intelligentem, ſeu ſenſilem naturam dicas. Deo eſſe Filium, generationemve illi convenire, Moſes ad nos haud prodidit: Sed: *Ego ſum Dominus Deus tuus.* Et: *Videte quod ego ſim ſolus, & non ſit alius Deus, præter me.* Et, *noli adorare Deum alienum.*

*Exod.* 20. 2. *Deut.* 32. 37. *Exod.* 34. 14.

*Chriſtian.* Dixi vobis, Judæi, ægrè vel Moſen vobis, ſi vivus eſſet, ſilentium impoſiturum. Nam cum execrabilis ſit, qui alium, quàm Moſis Deum prædicat; tum demum id, quod ſermocinamini, locum haberet, ſi diſſimilis naturæ Filium promulgarem. Nunc cum ejuſdem naturæ cum Deo & Patre Filium dicam, quæ diſſenſio? Ipſum enim Moſis Deum confitemur, Patrem geniti Filii; & rurſum ejuſdem naturæ Filium cum Patre Genitore. Nam etſi Moſes dicit, *Dominus Deus noſter, Deus unus eſt*; non hypoſtaſes, ſed naturam iis verbis ſignificavit: Unam etenim Patris & Filii naturam conſentimus.

*Deut.* 6. 4.

*Jud.* Bellè Patris de fabrica conſultatio comprobat nobis Filii cum eo naturæ conſenſionem. Sed expedi, oramus, quamobrem a Moſe luculentius de eo non accepimus.

*Chriſt.* Nemo ſcientiarum perfectus magiſter pueros docere aggreſſus, ſumma quæque diſciplinarum primis rudimentis atque ſtudiis proponit; ſed facto ab elementorum doctrina initio, paulatim eos ad perfectionem ſubducit. Atque id non præceptoris vitio, ſed diſcipulorum imperitia fit, qui cum adeo ſint rudes, ad majora capienda gradum facere non poſſunt.

CA-

Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1310.

## CAPUT IV.

### *Moyſes agnoſcit Trinitatem.*

AD eundem modum par eſt, & ſapientiſſimum Moſen habuiſſe perſpectam SS. Trinitatem atque Unitatem; ſed vobis, quos tum ob deorum frequentiam, tum propter idolothyta, & carnes, habebat prorſus rebelles, perfectam religionem non aperuit; neque verò prorſus reticuit, ſed tùm quomodocumque ad Dei notitiam erigere eſt conatus. Majores quippe veſtros in pietate infantes videns divinus Moſes, velut nutrix optima, iis tanquam lac quoddam Dei notitiæ propinavit; ſolidam omnem doctrinam poſt ſe vatibus reliquit. Atque id non in conſultatione tantum, ſed *Gen.* 1.27. etiam in imagine, aliiſque fecit. Nam Deum ad imaginem ſuam hominem finxiſſe indicavit; at quæ ea foret imago, auditoribus quærendum reliquit. Quod enim ſtudio *Nazianz. de moderatione.* paraveris, id tenaci ac perpetuo monimento in animo circumfers; quod leviter, id *Et orat. altera de Theol.* facile, ut quæſitum erat, effluit. Itaque Moſes quæſtionem ad vos, diſſolutionem ad vates rejecit. Nam ſi cognito etiam Deo, ab eoque infinitis acceptis beneficiis, & Moſe ad Deum aliquantiſper à vobis digreſſo, ut Dei voluntatem in divinitus exaratis ſcriptis exhiberet, alteri Deo gratiam retuliſtis, & immortalis Dei *gloriam mutaſtis in* *Ex.* 32. 6. *ſimilitudinem vituli comedentis fœnum*; in quantum deorum multiplicatorum præcipitium majores veſtri non irruiſſent, ſi à Moſe Deum trium hypoſtaſεων didiciſſent? *Pſ.* 105.29.

*Jud.* Non jam ad majorum noſtrorum offenſas intelligendas adſumus. Sed, ecquid, ut dicebas, Deus in tribus perſonis comprehenditur? Itaque hic nobis veritatem commonſtra, & qualis propheta Deum genitum ſignificet.

*Chriſt.* Conſtabilitum vobis eſt, Judæi! neminem unquam ſanctorum vatum, Dei hypoſtaſin aut eſſentiam imaginatione comprehendiſſe. Igitur certò ſic habete, non ſolùm vim ac naturam, ſed nec nomen proferre (tantos vates) poſſe, Dei eſſentiam, non actionem tantum ſignificans: Uti etiam illud; *Manus tuæ fecerunt me, & plaſmaverunt me*; David uſurpavit, non quaſi manus haberet Deus, (eſt enim Numen incorporeum & ſine figura) ſed Dei opificium notans, & rurſus: *Oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum*; *Vultus autem Domini ſuper facientes mala:* illis beneficentiam, his vindicem Dei poteſtatem innuens. Ita ſanè & in nominibus (Dei) non divinam naturam, ſed functionem, occultamque operandi efficaciam ex ipſis nominibus exprimere ſancti conantur. Nam illa *Dominus Adonai, & Sabaoth, omnipotens & Salvator* actionem, non naturam ſignificant. *Pſ.* 118.73. *Pſal.* 33. 16. 17.

## CAPUT V.

### *Dei ſignificatio.*

JAm vero quid Sanctorum voces conſector, cum ipſe etiam Deus eadem dicens inveniatur? Parenti namque veſtro Abrahamo in Meſopotamia conſpectus inquit: *Ego ſum Deus tuus: ambula coram me, & eſto perfectus.* Vocabulum autem Δεός, *Gen.* 17. 1. id eſt Deus, non naturam, ſed ejus functionem denotare, palam eſt omnibus: deducitur *ita habent LXX. pro* quippe à θέω, hoc eſt, *curro*, aut à θῶ; quod eſt, molior & architector: eſt enim *Dominus Omnipotens.* omnium architectus & molitionis univerſi auctor. Architectari autem functionem, non naturam deſignare, nulli dubium eſt.

Rurſum Moſes, qui ad negotium quoddam populi erat legatus, cum quæreret; ſi *Exod.* 3.14. ex ſe peterent, quis ſe miſiſſet, quid reſponderet; hoc à Deo audit: *Qui eſt!* Quæ vox, non naturam repræſentat, ſed ſtatum ac permanſionem. Quare etiam Vates, non puras putas SS. Trinitatis apparitiones, ſed pro ſuo quiſque captu conſcripſerunt. Neceſſe eſt igitur Dei notitiæ ſtudioſos in ſacram omnem ſcripturam, velut ſpeculum *Nazianz. in Natalem* inſpicere, & aliam ex alio notionem ad unum aliquod veritatis tanquam ſimulachrum *229. 26.* corrogare. Id enim nos Deus & per Moſen docuit, ei primo aſcenſu tabulas à ſe exaratas tradens, altero non item. Sed qui ei jubet? *Præcide tibi duas tabulas lapideas* *Ex.* 31.18 *inſtar priorum, & ſcribam ſuper eas verba, quæ habuerunt tabulæ quas fregiſti.* Itidem *Ex.* 34. 1. & Iſraelitas ex Ægypto educens, Deus ipſemet eos multipliciter craſſis prodigiis ductabat. Quid enim craſſius, quam noctu igni, interdiu nube viam præire? Quid i- *Ex.* 13.21. tem craſſius, quàm mare dirimere, & rupem velut fontem ubertim aqua ſcaturientem *& 22.* monſtrare? Sed cum adhuc cæcutirent majores veſtri, & auribus obſurdeſcerent, tum verò involucris per vates placita ſua denunciare Deus; ut intelligentes qua vos dignitate dejeceritis, laborioſiori quadam via, recuperare antiquam nobilitatem ſtuderetis. Atque idem & in primigenio parente animadvertendum venit. Hic namque priuſquam juſſum violaſſet, non omnium modo terreſtrium naturarum à Deo datus eſt



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1310. rex, sed etiam Vates, cunctis & volucribus & bestiis nomina imponens. At post lapsum, posteri non solum regno exciderunt, sed etiam vulgo res creatas deos arbitrati sunt, ut ait Salomon. *Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei; & de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est; neque operibus attendentes, agnoverunt quis esset artifex: Sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aërem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut Solem & lunam, rectores orbis terrarum deos putaverunt. Quorum si specie delectati deos putaverunt; sciant, quanto his dominator eorum speciosior est. Speciei enim generator hæc omnia constituit. Aut si virtutem & opera eorum mirati sunt; intelligant ab illis, quoniam qui hæc fecit, fortior est illis: à magnitudine enim speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri.* Videte, ut post peccatum Deus non coram cum hominibus, ut cum Adamo, collocutus sit, sed eos ex operum pulchritudine ad sui notitiam erigi permiserit. Quod si eos meritò *vanos* Salomon appellavit, quanto magis vaniores vos appellaret, si hodie supereſſet? Nam illi fortasse habent, quo veniâ digni sint. Quid ita? quod Dei notitiam vestigantes, ad ignorationem compulsi sunt. Vos in tantâ Vatum corona, & scriptorum multitudine, adeo non vestigatis, ut etiam quæ scripta sunt adulteretis.

Gen. 2. 20. Sap. 13. 1.

*Jud.* Per Mosen! qui mare rubrum dextra divisit, vera omnia narras. Quamobrem dum hic apud te adsumus, scripturam evolvamus. Tu, quod ante dicebamus, nobis commonstra, quis nostrorum Vatum generationem Dei, genitumve Deum usurpet. Id enim magis animos nostros in stuporem atque dubitationem rapit.

## CAPUT VI.

### *Ex Prophetis ostenditur Christum à Patre genitum.*

*Christ.* Audite porro Salomonis verba. Quod si quid melius scitis, docete sanè. Neque enim verecundor propter Deum hominem Jesum meum, discipuli personam induere. *Dominus* (a) *possedit me in initio viarum suarum, antequam quicquam faceret à principio. Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis, antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram: necdum fontes aquarum eruperant: Nec dum montes gravi mole constiterant; ante omnes colles ego parturiebar.* Hîc *creavit* (quod ponitur à LXX.) non moliendi, sed gignendi vim habere, intelligendum est. Solenne est enim sacræ scripturæ, vicina pro vicinis usurpare: Ut cum de Mose ait. *Adultum puerum tradidit filiæ Pharaonis, quem illa fecit sibi filium.* Atqui non fecit, sed nuncupavit sibi filium. Item David: *Facti sumus in opprobrium vicinis nostris,* pro, fuimus. Jam verò ante cœlum & terram, Moses nullam aliam rem creatam extitisse, revelavit: *Principio,* inquiens, *creavit Deus cælum & terram.* Quod si quid antiquius extitisset, id dubio procul prius tractaturus fuisset. Etsi sunt, qui intelligentes substantias prius conditas, existiment, veluti altera quædam lumina, & Deo magis conjunctas. At terret me Dei ad Job sermo, dicens: *Cum astra conderentur, laudabant me magna voce omnes Angeli mei.* Astra enim omnino die quarto constituta sunt. Igitur si de astrorum creatione eum Angeli collaudabant, multò magis de cælo, terra, aqua & luce. Sed hanc insanam multorum existimationem perspicuè frangens Salomon, paullò post addit: *Ante omnes colles gignit me,* ac paullatim quæ scriberet, illustrans subjicit: *Quando æthera firmabat sursum & librabat fontes aquarum; quando circundabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos; quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens.* Videte, ut sensim socium Patri opificem Filium declaret. Quid enim aliud est, *cum eo eram cuncta componens*; quàm unà architectans, atque ordine componens, & molienti Patri molitionis consors?

Prov. 8. 22. & seqq. (a) LXX. ἔκτισε creavit pro ἐκτήσατο. Vide S. Hier. hic. & in c. 16. Isa. &c. & notas ad LXX. Ex. 10. ita LXX. Ps. 78. 4. Gen. 1. 1. Job. 38. 7. ita LXX. Prov. 8. 25. secundum LXX. Prov 8. 28. 29. 30.

*Jud.* Cur autem si de Filio nos docturus erat, non dixit, *aptator, sed aptatrix* (ita ex LXX versione dicendum pro illo, *Cum eo eram cuncta componens.*)

*Christian.* Jam dixi; Vates de Deo, non quantum est, dixerunt, sed quantum cogitando assequerentur, scripserunt. Quo enim modo comprehendatur, quod comprehendi non potest? Nam cum arenas maris, & stellas pluviæ, stellarumque multitudinem nequeat numerare, scilicet Deum principii atque finis expertem comprehendet? Itaque alius Dei sapientiam filium vocavit; alius mentem, alius lucis simulachrum; alius expressam quandam formam; alius vires; alius Filium; omnes unum & eundem. Sin autem secus Prophetarum voces accipitis, vereor ne splendidam SS. Trinitatis lucem refugientes, in profundum plurium deorum vos præcipitetis.

Igitur denuo audite Salomonem palam vociferantem: *Omnibus mobilibus mobilior est sapientia; attingit autem ubique propter suam munditiam: Vapor est enim virtutis Dei, & emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera: & ideo nihil inquinatum in*

Sap. 7. 24. & seqq.

*eam*

Digitized by Google

*eam incurrit. Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei majestatis, & imago bonitatis illius.* Sed omissis, quæ apud Sapientem sunt, imaginem solam persequar. Sunt, putatis, in cœlo pictores ac colores? SÆC. XIV. ANNO 1310.

*Jud.* Minime.

*Christ.* Et quæ est porro hæc Dei bonitatis imago? nec solum imago simpliciter, sed per omnia similis? Aut ergo imaginem concedite; aut mecum unius naturæ & substantiæ cum Patre Filium fatemini.

*Jud.* Fatemur, sed, amabo, idem nobis ex alio propheta edissere.

*Christ.* Isaiæ verba sunt. *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus; & vocabitur nomen ejus magni consilii angelus, admirabilis, Consiliarius.* Videtis Patris consiliarium? Videtis magni consilii Angelum? Est enim Filius ἄγγελος, ut qui à Patre arcani ab omni æternitate occulti abdita ad homines pertulerit ac promulgarit. Consiliarius est, qui à Patre audierit; *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Et rursum. *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est. Nunc ergo ne fortè mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum*, eum paradiso exigamus. Et iterum. *Venite descendamus, & confundamus ibi linguam eorum.* Isa. 9. 6. Gen. 1. 26. Gen. 3. 22. Gen. 11. 7.

Ceterum, Deum esse eum Consiliarium, non Angelum, ipse dubium dissolvit: non enim dixit; erit ei nomen Angelus, sed *vocabitur*, id est, qui Deus est, is, quod jam olim consilium cepit, Angelus vocabitur. Quin ne quis id de vi quadam incorporea dictum fingeret, Deum nominat, paullatimque quod obscurum erat, in lucem proferens, ait: *Fortis, potens, princeps pacis, pater futuri sæculi.* Nazianz. in Natalem & S. Pascha. Isai. 9. 6.

## CAPUT VII.

### *Ex Psalmis idem ostenditur.*

DAvidis quoque hæc sententia est: *Ante solem permanet nomen ejus.*

*Jud.* Iniquum nobis videtur eam sententiam referri ad Christum. Dicimus quippe, septuagesimum primum psalmum de suo filio Davidem ceciniisse. Quare omitte hoc testimonio abuti, & ad alium transi Prophetam. Ps. 71. 17.

*Christ.* Deum immortalem! Verum Vatis atque Regis Deum, testor; absit, ut me ad aliam disputationem conferam, nisi psalmo omni pervoluto, sententiæ ejus confirmationem certissimam dabo. Nobis quidem dubium non est, quin hæc: *Deus! judicium tuum Regi da, & justitiam tuam filio Regis: judicare populum tuum in justitia, & pauperes tuos in judicio. Suscipiant montes pacem populo, & colles justitiam. Judicabit pauperes populi, & salvos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem*: hæc, inquam, omnia ad Christum quin spectent, nobis dubium non est; quæ vos detorquetis & pervertitis, rati de Salomone dici; nec, dum veritatem læditis, vos lædere arbitramini: est enim, quisquis læditur, ad defensionem promptus. Atque ego vobis nihil super his respondebo, sed ipse psalmi autor David, cujus semini promissus Christus, lyra Spiritus sancti, vobis os obturans, sic porro psalmum pertexens scribit: *& permanebit cum Sole.* Num Salomon igitur tamdiu duravit, quandiu Sol? & quomodo? qui nec patrem annis regni superavit. Et Davidis alio psalmo hæc sunt verba: *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni; si autem in potentatibus octoginta anni, & amplius eorum labor & dolor.* Quare potest etiam plures annos vivi. Videtis, ut David filium ab hoc nostro psalmo removeat? Nam si Salomonis vita ad octoginta annos non pervenit, quî tandem, & quamdiu Sol, & præ Luna durabit? Neque verò id obiter dixit, sed addidit: *in generationem & generationem*; Salomon autem mediis temporibus ab orbe condito natus est. *Descendet sicut pluvia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram.* Ille non solum ex adulterio, sed etiam per cædem susceptus est. Quod Deus flagitium per Nathan arguit, ac palam fecit. Neque equidem hæc animo insultandi Dei-hominis majoribus, sed reprimendæ contumaciæ vestræ caussa, à me proferuntur. *Orietur in diebus ejus justitia, & abundantia pacis, donec auferatur Luna.* Ille non modò, ut hominem par est, dilapsus est; Sed eo regnante cædes non paucæ, & captivitates, quales nunquam ante, consequutæ sunt. *Et dominabitur à mari usque ad mare; & à flumine Euphrate usque ad terminos orbis terrarum. Coram illo procident Æthiopes.* Ille solius paterni regni sceptra moderatus est; id quod sciunt omnes, qui Judaici imperii meminerunt. *Et inimici ejus terram lingent.* Illius hostes adeo pulverem non linxerunt, ut etiam Jeroboam, ejus servus, regnum ab eo avertens, illud sibi usurparit & occuparit. *Reges Tarsis & insulæ munera offerent: Reges Arabum & Saba dona adducent.* Aut reges, si placet, qui sint, edite, & dona profertote; (quanquam etiam diu multumque agendo, actum agetis) aut quod sequitur, *& adorabunt eum omnes Reges terræ*, commentum amens ar- Ps. 71. 1. & seqq. Ps. 71. 5. Ps. 89. 101. Imo Josephus non octogenarium, sed nonagenarium mortuum Salomonem ostendit l. 8. antiq. c. 3. Ps. 71. 6. Ibid. 7. 8. Ibid. 8. Ibid. 9. Ibid. 10. Ibid. 11.



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1310.

arguet. *Omnes gentes ſervient ei.* Illi adeo non ſervierunt, ut poſtquam vetita legibus in Deum admiſit, ac diis fana excitavit, Adad Idumæus, & Rakon Damaſci regulus ab eo defecerint: tantumque abeſt ut eum gentes coluerint, ut de paterno ſuo regno adhuc ſuperſtes à Deo audierit, ruptum revulſumque ejus regnum, ſervo, non filio donandum. De quo igitur pſalmodus, pſalmum edidit? quæ enim diximus Salomonem plane repellunt.

2. Reg. 11.

*Jud.* Quod in Salomonem ſcripta non ſint, probè jam & exploratè tenemus; in quem alium, neſcimus.

*Chriſt.* Utrique, ſi videtur, Davidem percontemur.

*Jud.* Davidem, tot annos jam mortuum hodie reſpondere?

*Chriſt.* Reſpondebit ſanè, mihi credite, ſi ſtudiosè quæramus. Cedo David, quis hic eſt, de quo dixiſti: *Et permanebit cum Sole & ante Lunam.* Et illud: *Ante Solem permanet nomen ejus*, ceteraque quæ eo pſalmo cecinisti? Quis Dominus Iſraelitarum Deus prædicandus? *Benedictus enim Dominus Deus Iſrael: & benedictum nomen majeſtatis ejus in æternum, & replebitur majeſtate ejus omnis terra, fiat, fiat.* Quid igitur? Hæc ſufficiunt, an & plura addemus? Audite dicentem Iſaiam. *Quis ex vobis timens Dominum, audiet vocem ſervi ſui.* Et Sapientia. Cum meum filium non audierint, ego quoque eos non exaudiam, dicit Dominus omnipotens. Et Oſee, ex perſona Dei: *Ex Ægypto vocavi filium meum*, & David, *Dixit Dominus Domino meo.* De hoc igitur quid cenſetis? Quis alius Dominus Domino dixit? aut cui alteri Domino, quàm Dominus Deus Pater, Domino, id eſt, ejuſdem naturæ Deo & Filio? Nemo enim alius Deo & Patri dexter aſſidet, quàm ejuſdem naturæ Deus & Filius. Quod veriſſimum eſſe, accipite ex Davide, ſic paullò poſt ſcribente: *Ex utero ante Luciferum genui te.* Cur enim non *ex utero* ſolum, aut *ante Luciferum* dixit? Ut unius naturæ cum Patre Filium oſtenderet. Nam quod *ex utero* ait, nihil aliud, quàm natura viribuſque parem, atque cognatum palam innuit. Quî namque poſſit aliud ex utero gigni, quam gignenti cognatum & conſentiens? Quod *ante Luciferum*, comperennem, expertem æquè principii, & ævi autorem Filium deſignat.

Pſ. 71. 5. 17. Pſ. 71. 18. Iſa. 50. 10. juxta LXX. Prov. 1. 28. aliter habetur in Vulg. &c. Oſee. 11. 1. Pſ. 109. 1. Pſ. 109. 3.

*Jud.* Deum immortalem! ita nos obruiſti, ut quæ dixiſti, facile ſatis ſint, nec vel minimum ſit, quod contra dicamus. Sed religio eſt nobis, vel cogitare Deum genitum. Gignere enim perpeſſionem notat; Deum vero omnes uno ore Vates, impatibilem & incorruptum prædicant.

*Chriſt.* Jam vos ſcripturas juſſi ſcrutari; nec quod in littera eſt craſſum atque pingue, intueri; ſed dubia Vatum & obſcura dicta tanquam manu capere, omniaque ad Deum referre. Itaque legite, ut intelligatis: quod ſi intelligere non vultis, ne legite quidem; ne, quæ legitis abſurdè intelligentes, damnemini. De hoc enim propheta prædixit; neque enim id ego dico; aliquem unquam Sanctorum Vatum ad divinæ naturæ comprehenſionem penetraſſe. Et quiſquam igitur Dei æternam generationem effari, dicendoque conſequi auſit, aut poſſit? Nam ubi nec tempus, nec ævum intervenit, non ſpectator affuit, non præſto eſt interpres, quî poteſt veritas in aſpectum lucemque proferri?

## CAPUT VIII.

*Generatio divina mente comprehendi nequit, & quomodo fiat.*

Sap. 13. 5. SIn illi Salomonis parebitis monito: *à magnitudine ſpeciei & creaturæ cognoſcibiliter poterit creator horum videri*; facile & hanc ſummam difficultatem ex rebus conditis, & probè aſſequemini. Nam ſi in hac condita & ſenſili natura ortum citra perpeſſionem damus, multo magis conditor Filius abſque fluxu ac perpeſſione à Patre genitus eſt; quemadmodum à mente ſermo, aut à Sole lumen. Hominum amator Deus & Dominus, quæ terrenis noſtris atque infirmis ingeniis comprehendi poſſe præſciit, ſingula detexit: quæ non poſſent, ea ſubjectis ſub ſenſum exemplis quibuſdam oſtendit. Atque huic noſtræ ſententiæ teſtimonium dicit Salomon: *Quod ſi virtutem & opera creaturarum mirati ſunt, ut Deos putaverint, intelligant ab illis, quoniam qui hæc fecit, fortior eſt illis.* Itaque ſi & vos ex iis quæ creata ſunt, atque his ſub ſenſum ſubjectis rebus manuducti, Dei generationem abſque perpeſſione admittitis, planeque confitemini; quam bella hæc veſtra eſt confeſſio? Sin adhuc antiquum obtinetis, phy fœdam veſtram arrogantiam, qua ex aliis in alias quæſtiones ac defenſiones revolvemur? Unde putatis, lux gignitur, quæ omnem cis cœlum orbem pervadit?

Sap. 13. 4.

*Jud.* Ex Sole.

*Chriſt.* Et aliquane inter Solem atque lucem perpeſſio intereſt, cum à Sole lux emanat?

*Jud.* Minime.

*Chriſt.*

Digitized by Google

*Christian.* Quid verò radius, unde creditis, oritur?

*Jud.* E sole itidem per lucem.

*Christ.* Radii porro ab Sole effluentiam citra perpessionem fieri confitemini?

*Jud.* Sane ita rem habere confitemur?

*Christ.* Quoniam sic habere confitemini, addatur & alterum exemplum hoc. Mens cogitationem gignit, quâ genitâ per articulatam vocem sensa palam facit. Est autem impatibilis & mens, & cogitatio, & vox; quantumvis actus aër vox efficitur: vox animi scita in lucem profert. Atque id verissimum esse, exploratè judicium facite ex muto; hic namque & mentem & cogitationem, & vocem habet; sed cum per articulatam non possit (neque enim habet audiendi sensum impatibilem) industriè imitatione quadam atque gestu scita prodit.

*Jud.* Grates Deo opt. max. nihil jam ambigimus, neque de Deo, & Patre, neque de ejusdem naturæ Filio, hæc enim belle planeque demonstrasti. Itaque & de Spiritu sancto differe, sodes, & quis propheta eum increatum, atque ejusdem naturæ indicet.

## CAPUT IX.

### *De Spiritu sancto ejusdem cum Patre naturæ.*

*Christ.* Etsi ante omnes id & perspexit & scivit Moses; hic tamen ad confirmationem ultimo loco servetur; ut quemadmodum Vatum princeps est, ita disputationem claudat. Isaiæ, in persona Christi hæc sunt verba: *Spiritus Domini super me: ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & clausis apertionem.* Et Job dicit: *Spiritus Domini fecit me, & spiraculum omnipotentis vivificavit me.* Ecquid autem vobis de hoc Spiritu videtur? Cujusnam Spiritus vis inopibus læta nunciat, mente fractis medetur, à diabolo mancipatos in antiquam felicitatem restituit; *cæcis*, (a) id est, quibus mens caligat, animi oculos illustrans, Deum quoad ejus fieri potest, spectandum præbet? Quæ vis spiritualis omnes cælorum copias constabilivit, ut ait David: *Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Quis ille est Spiritus, qui Dei notitiam docet homines, atque ad perfectionem adminiculatur? Agite, dicite.

Isa. 61. 1.

Job. 33. 4.

(a) *Sic LXX. pro clausis.*

Psal. 32. 6.

*Jud.* Ne nos, obtestamur, vaticinarum vocum interpretationem posce; sed tute potius ad nos explica. Nam si à nostris Vatum dicta certò exponerentur, quæstiones planè nec ingressi quidem essemus.

*Christ.* Joel scriptum reliquit: *Et erit post hæc: effundam Spiritum meum super omnem carnem: & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ: senes vestri somnia somniabunt, & juvenes vestri visiones videbunt. Sed & super servos meos & ancillas in diebus illis effundam spiritum meum. Et dabo prodigia in cœlo sursum, & signa in terra deorsum, sanguinem, & ignem, & vaporem fumi: Sol convertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & manifestus. Et erit; omnis quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Et Isaias: *Ipsi ad iracundiam provocaverunt, & afflixerunt Spiritum sanctum, & conversus est eis in inimicum.* Et Zacharias ex persona Christi: *Increpet Dominus in te Sathan: sed in spiritu meo*, &c. Idemque rursus: *Effundam super domum David, & super habitatores Jerusalem, spiritum gratiæ & precum.* Et David: *Emittes spiritum tuum & creabuntur, & renovabit faciem terræ.* Et iterum: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Et in Numeris: *Irruente in se spiritu Dei, ait Balaam.*

Joël 1. 28. & seqq.

Isa. 63. 10.

Zach. 3. 2. & 4. 6. Zach. 12. 10.

Psal. 103. 30. Psal. 142. 10.

Num. 24. 2.

## CAPUT X.

### *Similitudines Sanctam Trinitatem exhibentes.*

ATque sic porrò pariter, si placet, Vatum voces attexam, unius naturæ Trinitatis vim designantes. Sane & Israelitarum ex Ægypto exitus, qui tridui iter progressi, Deo operari peterent; ea, inquam, res Trinitatem innuere mihi videtur. Et tres virgæ, quas Patriarcha Jacob, detracta parte corticis in aquam conjiciebat, ovibus Laban adaquandis: quemadmodum & nunc Salvator noster Jesus, oves ratione præditas, id est, homines sacro baptismate illustratos, servavit, ut per Ezechielem Deus ait: *Ecce ego ipse requiram oves meas, & visitabo eas; & scient quia ego Dominus Deus eorum.* Quin & Ninivitæ trium dierum atque noctium jejunio salutem consecuti sunt. Quæ res non frustra erat, sed effigies quædam rerum futurarum. Nam adoranda SS. Trinitate omni hominum generi salus quæritur. Elias aquâ tertiùm instruem effusâ, ignem cælo devocavit, & hostiam consumpsit. Daniel ter quotidie domus

Exod. 3. 18.

Gen. 30. 37

Ezech. 34. 11. & 30. Jon. 3. 5.

3. Reg. 18. 34. & 38. Dan. 6. 10.

Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1310.

mus suæ foribus apertis comprecatus, postulata accepit. Atque hæc vero, nequaquam temere erant, sed quæ gesta sanctæ Trinitatis arcanum notarent.

Nihilominus si crassiora vaticinia, utpote crassiores, requiritis, agite sane, & crassiora tractemus. Itaque Jobi hæc sunt verba: *Vivit Deus, qui abstulit judicium meum; & Omnipotens qui ad amaritudinem adduxit animam meam: quia donec supereſt habitus in me, & Spiritus* (a) *Dei*, qui fecit me. Abraham parens vester tres Angelos epulis accepit, quibus Domini ex æquo nomen unum tribuit, dicens. *Domine si inveni gratiam coram te*: & quæ sequuntur. Deum verò quod Abrahamus exceperit, & non Angelos, evidens est non solum ex risus Saræ præsensione; sed ipse adeo Deus ei post epulas confirmat, (b) se ejus esse Deum: *Revertens veniam ad te tempore isto, & habebit filium Sara uxor tua.* Et eductum foras sic est allocutus: *Suspice cœlum, & numera stellas, si potes. Et dixit ei: sic erit semen tuum. Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam. Dixitque ad eum; Ego Dominus, qui eduxi te de Ur Chaldæorum.* En vobis SS. Trinitatem. Primum, inquit, *Ego sum Deus tuus:* Et ex Sara dabo tibi filium, cui benedicturus sum: *Revertens veniam ad te tempore isto, & habebit filium Sara uxor tua.*

Deinde eo foras educto, & cum stellarum numerum consequi non posset, numerosa posteritate ei condicta, addit: *Credidit Abraham Deo.* Ac tertio. *Ego Dominus, qui eduxi te de Ur Chaldæorum*, ut per Triadem hanc, triplicem in divinitate personam doceremini. Videte rursum tres personas in una natura, velut unam, differentes. Etenim Abrahamus, quum sanctam Trinitatem comitaretur, id ab ea dictum accepit. *Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggravatum est nimis. Descendam & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me opere compleverint; an non est ita, ut sciam.* Jam & Mosi imperantis Dei hæc sententia est. *Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob.* Nec dixit: Ego sum Deus Abraham, Isaac, Jacob: Sed addit, &, *copulam*, (c) ne & Filius, & Spiritus sanctus indesignati essent; sed velut copula Abrahamum, Isaacum, Jacobum, tres homines ostendit, ita & Deitatis triplex usurpatio tres personas declarat. *Ego sum Deus Abraham*, hoc est, Pater, & *Deus Isaac*, id est, Filius ex eo genitus, & *Deus Jacob*, scilicet ter sanctus vivificus Spiritus, (d) ex Patre manans, & in Filio conquiescens. Cælestes autem copiæ Cherubinorum Seraphinorumque irremissa voce, prodente Isaia, clamant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum*, ter ingeminando *Sanctus*, tres personas; semel *Dominus exercituum*, unam Deitatem notantes. Est enim verè unus Dominus, & una Deitas Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

(a) *Verba τὸ ποιῆσαν με, cap. 33. non reperiuntur.*

(b) *hæc. Ego sum Deus tuus, in neutris bibl. habentur. c. 18. sed c. 17. 7.*

(c) *LXX. καὶ Δεὸς Ισαὰκ, καὶ Δεὸς Ἰακὼβ.*

(d) *De processione Spiritus sancti loquitur Auctor iste, ut Græcus.*

*Gen. 18. 3. Gen. 18. 10. Gen. 15. 5. 6. 7. Gen. 17. 16. secundum LXX. Gen. 18. 10. Gen. 15. 6. Gen. 15. 7. Gen. 18. 20. Ex. 3. 6. Isa. 6. 3.*

*Jud.* Per Deum rerum omnium architectum, veræ hæ Vatum voces sunt, eoque fine ab iis proditæ; patres verò nostri, frustra in nuda occupati littera, errarunt.

*Num. 11. 16. 17. & seqq.*

*Christ.* Ades vero Moses, refer de Spiritu sancto, quid in Numeris tecum locutus sit Deus: *Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti, quod seues populi sint ac magistri: & duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, facieſque ibi stare tecum, ut descendam & loquar tibi; & auferam de Spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi, & non tu solus graveris. Et congregavit Moses septuaginta viros de senibus Israel, quos stare fecit circa tabernaculum. Descenditque Dominus per nubem, & locutus est ad eum, auferens de Spiritu qui erat in Mose, & dans septuaginta viris. Cumque requievisset in eis Spiritus, prophetaverunt, nec ultra cessaverunt. Remanserant autem in castris duo viri, quorum unus vocabatur Eldad, & alter Medad, super quos requievit Spiritus; nam & ipsi descripti fuerant, & non exierant ad tabernaculum: Cumque prophetarent in castris, cucurrit puer & nunciavit Mosi, dicens: Eldad & Medad prophetant in castris. Statim Josue filius Nun, minister Mosi, & electus è pluribus, ait: Domine mi, Moses, prohibe eos. At ille: Quid, inquit, æmularis pro me? quis tribuat, ut omnis populus prophetet, & det eis Dominus Spiritum suum?* Pudeat eos, qui Spiritum hunc alterius naturæ, quàm Dominum censent. Nam si id in hominibus, ne dicam de singulis animalibus, impossibile est, multo magis in Deo. Quid agimus? creditis? Utinam oculorum mentis vestræ lippitudinem elueretis aqua veritatis, unigenamque Dei Filium videretis salutis humanæ causſa cælo degressum, de Spiritu Sancto ex Maria Virgine incarnatum, & hominem factum, ac pro nobis sub Pontio Pilatum crucifixum, passum, & sepultum, tertiaque die, secundum scripturas, suscitatum, in cœlum reversum, Patri dextrum assidentem, & magnificè olim judicandis vivis atque mortuis rediturum, imperio nunquam finiendo.

*Jud.* At si Mosis Deum in terra incarnatum, & hominem factum de Davidis progenie, atque virgine prædicatis, quo pacto nos, Judæos, seu Synagogam rejecit, quam per Mosen atque legem sibi vendicavit; maximè quorum è stirpe hominem factum corpus suum assumptisse perhibetis? Nam si servando hominum generi homo factus est, multo magis nos, quàm alios admitti oportebat, quorum ab gente Dei notitia

Digitized by Google

titia per parentem noſtrum Abrahamum prodierit; ac tum fortaſſe exteros quoque, ſi volebat, pro humanitate ſua aſciſcere. Hoc enim nos vel in primis inducit, ne hunc eſſe illum Moſis Deum fateamur. Sæc. XIV. Anno

*Chriſt.* Sciendum verò eſt; Dei dona eſſe immutabilia: Nam cum ſimplex ſit, ſimplicia quoque ſua beneficia locare ſolet. Atque id verum eſſe, ex inſenſibilibus rebus conjecturam facere, & perſpicere eſt. Nam & cælo perennem mobilitatem, & Soli ſplendorem, ac Lunæ, ne ſingula perſequar, è Sole lumen haud ſanè obnoxius, largitus eſt; eaque tot jam ætates immota durant. Primigenio autem parenti ejuſque poſteris munus, arbitrii libertatem dedit. Hujus gratiâ Abelis donis propitius, Cain deſpexit, pro utriuſque ingenio. Atque ex eo hactenus, ne ſatietatem dicendo afferam (ſatietas enim orationis, inimica eſt auribus) & malos male, & bonos benigne accipit, ut cujuſque actiones & facta merentur. Id quod per virum Dei, qui Heli filiorum ſcelera exprobrabat, his verbis teſtatur: *Quicunque glorificaverit me, glorificabo: eum qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* 1310. Gen. 4. 4. 1. Reg. 8. 30.

## CAPUT XI.

### *De divina providentia.*

QUid igitur? commune hoc humanitatis donum propter vos Judæos tollendum erat, nec bonis præmia tribuenda, nec malis ſupplicia irroganda?

*Jud.* Minime.

*Chriſt.* Quòd ſi id adeo abſurdum cenſetis, vel ſanè judicatis, quæ alia opifici Deo adhibenda erat, nec adhibita eſt procuratio? An non apud Abrahamum epulari, qui nullius egeret, ſuſtinuit? An non deinceps per Iſaac, & Jacob, ac duodecim Patriarchas, Unigeniti Filii incarnationem variè detexit; uti tum in Geneſi & Exodo, tanquam in ænigmate, clamat Moſes? Tum autem qui vos craſſiores ſciret, craſſiores etiam ſolutiones per Vates adhibuit. Quid enim his (a) Jeremiæ verbis clarius? *Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius adverſus eum. Hic adinvenit omnem viam diſciplinæ, & tradidit illam* Jacob *puero ſuo, & Iſrael dilecto ſuo. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt.* Aut illis Eſaiæ quid aptius? *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel*; quaſi dicas: nobiſcum Deus, & quæ reliqua ſunt clariora Vatum præconia. Demum ipſe quoque ortus Servator: *Non ſum miſſus*, inquit, *niſi ad perditas oves domus Iſrael.* Proditus verò, & ſepultus, atque ſuſcitatus, tum diſcipulis gentium quoque eruditionem mandavit, dicens. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii, & Spiritus ſancti.* Id quod & Salomonis Sapientia prædixit: *Quia vocavi, & renuiſtis: deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis; Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cum vobis id, quod timebatis, advenerit.* Itaque variè Deus ſaluti veſtræ procurandæ ſtuduit; eoque nomine, quod renueritis, gentes vos damnabunt; quod ipſæ, Judæorum adjumentis, quæ Deus olim per Moſen, quà in Geneſi, quà in Exodo, ut diximus, obſcurè propoſuit, ac poſt etiam dilucidioribus Vatum oraculis acceptis, juſtitiæ lumen admiſerunt: Vos, quorum cauſſa hæc omnia conſcripta ſunt, quibuſque Vates ſuum ſanguinem fuderunt, vos, inquam, rejecto Sole, tenebras pro perenni luce elegeſtis; quibus tamen illuminandis ipſe quoque demum Unigenitus Dei filius & lux æternæ lucis, ſuum quoque ſanguinem fudit.

(a) Baruch. 37. 38. Iſa. 7. 14. Matth. 15. 24. Matth. 28. 19. Prov. 1. 24. 25.

*Jud.* Si verè nobis oſtendes, Moſen, tum in Geneſi, tum in Exodo de his locutum, & tecum ſentiemus, & credemus.

*Chriſt.* Si craſſiores prophetarum prædictiones, apertè Dei filium prædicantes, veſtri Majores non audierunt; ſcilicet, Moſaica vobis ſcripta, quæ non palam, ſed obſcure omnia produnt, vobis facient fidem.

## CAPUT XII.

### *Cur Deus arcana fidei homines initio celaverit.*

JUd. Et cur autem non planius aperuit?

*Chriſt.* Erat tum intempeſtivum, ut dicebam, id prodere. Nam ſi de Cherubinis atque Seraphinis, atque omni cœleſti ſatellitio propheta nihil prodidit, quas res apud ſe explorate cognitas haberet, ſed ex aſpectabilibus, ſub ſenſumque ſubjectis erigere nos primum ad Dei notitiam voluit; quanto magis de perenni, & temporis experte Trinitate, aut Filii incarnatione? quæ & tot Vatum indiciis patefacta, & porrò exhibita ac perfecta, hactenus à vobis negatur. Sed nimirum quæcunque, ut ajebam, obſcu-



Digitized by Google

Sæc. XIV. Anno 1310.

obscurius dixit, duabus his de caussis fecit: tum ut divinâ se notitiâ plenum ostenderet; tum ut qui post se eodem spiritu essent affecti, ex ænigmatis ad divinum splendorem erigerentur. Itaque infructuosum sit ea vos docere.

*Jud.* Imò verò rogamus, differe nobis ea, quæ sunt ex Mose desumpta. Nam & principem à Deo Vatem Mosen accepimus, & is ex Ægypto eductos, in Dei notitiam induxit.

*Christ.* Igitur à primo Dei amante homine, id est, Abrahamo, ordiamur. Ei duo erant nati, unus ex ancilla, alter ex libera. Nam ceteri sine nomine sunt, atque à felicitate alieni. Horum Isaac duplicem gessit figuram: unam ordine nascendi; electum ex gentibus populum, Christo adhæsurum referebat; modo autem nascendi, & immolatione, Christi Domini nativitatem & mortem figurabat; Ismael contrà typum expressit Judaicæ gentis: atque id verum esse, audi Deum Osee mandantem:

Osee. 1. 2. Osee. 2. 8. *Sume tibi uxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum: quia fornicans fornicabitur universitas Judæorum à Domino, quamobrem non uxor mea, & ego non vir ejus.* Quibus verbis Sacerdotium quoque abrogandum innuebat. Cum enim meretricata esset (Synagoga,) multata est Regno & Sacerdotio post Christi adventum, qui princeps verus est atque rector.

## CAPUT XIII.

### *Judaicæ gentis à Deo defectio.*

IGitur si non est in iis Sacerdotium, ut certe non est, evidens est, eos meretricari: Nam quorum illegitimæ sunt nuptiæ, ii adulterium committunt. Quod si jam omnes fornicantur, atque ex adulterio nascuntur, omnes spurii sunt. *De scorto autem natus*, ait Mosis lex, *non ingredietur Ecclesiam Domini.*

Deut. 23. 2. Gen. 17. 9.

Operæ pretium est autem quærere, cur à Deo fœdus circumcisionis pactum sit in Ismaele, & non in Isaac? Ego affirmo caussam fuisse, quod Circumcisio erat desitura: atque id verum esse, ex his Dei ad Abrahamum verbis apparet: *Tu ergo custodies pactum meum & semen tuum post te in generationibus suis.* Et iterum: *Omne masculinum in generationibus vestris circuncidetur.* De Isaac autem non ita Deus pacisci tur; sed: *Constituam pactum meum illi in fœdus sempiternum.* Observate, ut Ismaeli, qui Synagogam referre putatur, quippe primigenius, firmaturum se fœdus duratura ejus posteritate repromittat: cum Isaac verò, qui novum populum repræsentat, sempiternum iniit fœdus. *Ancilla concepisse se videns, despexit Dominam suam:* Synagoga scilicet, accepta, lege, ac byssо purpuraque, regno inquam, ac simul pontificatu ornata, heram contempsit suam, manum contra Dei omnipotentis majestatem & dextram sustulit; ejusque vultum omnino effugere conabatur, dum *occidere Prophetas, & lapidare ad se missos moliebatur.*

Gen. 17. 12. Gen. 17. 19. Gen. 16. 4. Matth. 23. 37.

## CAPUT XIV.

### *Comparatio synagogæ & gentium.*

PRæpotens autem Deus exiliis (ut quæ primo sponte fugisset) Synagogam malè multans, tandem velut ancillam durius habitam, propitius per prophetas jussit ad heram suam, id est, Hierosolymam reverti, & ejus se manui submittere; adorare videlicet in Bethleem natum, & Servatorem Deum Christum confiteri. Cumque reversa Synagoga non modo non confiteretur, sed etiam Isaac, seu recens natum Christum illuderet, eum pòst chlamyde amiciret, & contextam è spinis coronam capiti imponeret; tum verò audivit Christum ad Patrem suum clamantem: *Ejice ancillam*, id est, Synagogam, *de domo mea, ne mihi thus adoleat? neque enim ancillæ filius erit hæres cum filio liberæ:* nam æquè Judæi atque gentes paratum regnum possidebunt; quorum illi Christum, ceu facinorosum in crucem egerunt; gentes verò cum facinorosis crucifixum conspicatæ, Deum confessæ sunt.

Gen. 16. 9. Gen. 21. 20.

## CAPUT XV.

### *Filii & res Abrahami cum Deo collatæ.*

ATque ea quidem in typo synagogæ, id est, Ismaele sunt peracta; hæc autem in Isaac, novi populi figurâ, primùm quia ex sterili effœta, & grandæva natus. Nam quia ex Virgine nasci homini non est concessum; (quod Deus privilegium sibi ut ingens quiddam, & arcanorum atque admirabilium maxime admirabile & arcanum consecravit.)

Gen. 18. 11.

Digitized by Google

secravit) oportebat aliquem typum atque umbram hujus veritatis ex effœta nasci Abrahamo. Quin & verba etiam similia sunt, quæ de Christi nativitate dicebantur, & quæ de Isaac præcedebant. Igitur illic Deus. *Quare risit Sara? nunquid Deo quidquam est difficile?* Hîc Gabriel Virgini: *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Illic. *Revertens veniam ad te tempore isto; & habebit filium Sara uxor tua.* Hîc. *Spiritus sanctus superveniet in te; & virtus altissimi obumbrabit tibi.* Notate sane, ut post digressum, sanctæque Trinitatis hospitium, Isaaci conceptus sit consecutus. Quo edito, non jam Abraham à Deo audivit, quod de Ismaele firmandum secum fœdus duraturâ ejus posteritate; sed patrem se multarum gentium effectum iri, ingenti soboli incremento auctum, fœdus autem cum Isaaco æternum paciscendum. Videtis Synagogæ abrogationem, ac novi populi petuitatem. Sed jam ad Abrahami quoque immolationem oculos referamus, & Isaacum videamus Dominici supplicii exemplum gerentem. Nam ut Abrahamus Dei studio natum condonavit, ita & Deus pro summa sua humanitate atque benevolentia pro nobis charissimum filium ad necem obtulit. Illic Abrahamo jubet Deus: *Tolle filium tuum unigenitum, quem* (a) *diligis, Isaac.* Neque enim temerè illum amabas; sed qui amore dignus erat, abs te quoque amabatur. Hic opificem meum Christum, ipse assumpti Deus, atque idem secundum divinitatem ejus Pater, contestatur charissimum suum esse filium: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Non delector, inquit, Filii nece, sed quantumvis comperennem, ac natu æqualem, mihique charissimum, corpore propter hominum salutem mactari volens patior. Illud verò dignum quæstione est, cur Abrahamo sæpe hostiis operato, locum ei Deus non ostendit; in Isaaci immolatione præcepit. *Vade in terram visionis, super unum montium, quem monstravero tibi.* Illum ipsum, opinor, locum ei Dominus ostendit, in quo meus Dominus crucifigendus erat. Nam Palæstinum solum prope Hierosolymorum fines adjacet.

Sæc. XIV. Anno 1310.

Gen. 18. 13. Luc. 1. 37.

Gen. 17. 5. & seqq.

Gen. 22. 8. (a) LXX. ἠγάπησας ad quod forsan alludit in seqq.

Matt. 3. 17.

Gen. 22. 2.

## CAPUT XVI.

### *Cur in monte sacrificare Abraham filium jubetur.*

MAne (b) surgens Abrahamus, asinum sternit. Asinum quidem Abrahamus, Judas autem Judæorum collegium concivit: adhibitisque duobus pueris, duobus seu populis, seu Regibus, Pilato & Herode (pueros enim sacræ litteræ imperitos vocare solent) & Isaaco filio, profectus, tertiò post die ad locum, quem ei dixerat Deus, pervenit. Nam quia non erat moriturus Isaac itinere faciendo, post triduum resurrectionem significavit. Sublatis oculis, Abraham locum procul animadvertens; & meus Jesus supplicium suum ab omni æternitate dedicavit; famulis jubet, ut ibi cum asino præstolentur, dum ipse & puer illò eant. Itidem & suis discipulis meus Salvator atque Deus ait: *Ecce venit hora, & jam venit, ut dispergamini unusquisque in propria; & me solum relinquatis: & non sum solus, quia Pater mecum est.* Sed tanquam propheta, illic Abraham; *Postquam adoraverimus, revertemur ad vos.* Hîc animorum perspector: *Postquam resurrexero, præcedam vos in Galilæam.* Atque ita quidem Servator. Abraham verò sacrificalibus lignis Isaac filio suo impositis; erat enim dulcis Jesus suam crucem portaturus; ipse ignem ferebat manu; conjuncta enim humanitati divinitas ibat; gladium verò portabat; *quia unus militum lancea latus ejus aperuit.* Et pergebant duo simul; ambæ naturæ in una Christi persona; manebatque divinitas corporis effectrix, immota penitus, & sine affectu; quemadmodum & Abraham, Isaaci parens; Isaac verò parenti suggerebat: *Ecce ignis & ligna; ubi est victima holocausti?* Servator itidem passionis tempore: *Pater mi, inquit, si possibile est, transeat à me calix iste; Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.*

(b) LXX. πρὸ νυκτὸς.

Joan. 16. 32. Gen. 22. 5. Matth. 26. 32. Marc. 14. 28. Joan. 19. 34. Gen. 22. 7. Matth. 26. 39.

## CAPUT XVII.

### *Isaac immolandus Christi crucifixi typus est.*

PRogressi autem ambo; id est, Deus homo Jesus, in locum pervenerunt, scilicet Golgatha. Atque ibi Abraham extruxit aram; uti & hîc *lithostrotos*, tribunalis locus lapide præstructus fuerat; impositisque lignis; sic enim & in Calvaria Crux est defixa; Isaac filium suum constringens, id est Christus ad tegendam divinitatem corpore amictus; lignis in ara superponit; eò quòd in ligno, O miraculum! suspenditur ille, qui Adamum lapsum per lignum erat restituturus, & qui in arca lignea Noe tutatus fuerat. Deinde ferro manum admovet, ad filium suum immolandum: nam his omnibus patrandis Abraham inaspectabilis Patris de Unigenito filio decretum atque voluntatem ostendit: *Et ecce Angelus Domini de cœlo clamavit dicens; Abraham, Abraham. Qui respondit: Adsum.* Hîc Angelus è cœlo cum Abraham fermocinatur;

Gen. 22. 11.



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1310. in Dominico ſupplicio, magni conſilii Angelus, Deum & patrem inclamavit: *Eli, Eli, lamma ſabactani? hoc eſt; Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* Et Angelus ad Abraham: *Non extendas manum tuam ſuper puerum, neque facias illi quicquam; nunc cognovi, quòd times Deum.* Ait verò; *nunc cognovi*, pro illo, demonſtraſti jam mihi: non enim ignarus erat Dominus, & *non peperciſti unigenito filio tuo propter me.* Igitur Abraham mactando filio ſuam erga Deum obſervantiam oſtendit: ille verò *antiquus dierum* Deus erga homines amorem ſuum probavit immolando unigenito filio.

Matth. 27. 46. Gen 22. 12. Dan. 7.

## CAPUT XVIII.

### *Aries cum cornibus inter vepres quid ſignificet.*

TUm Abrahamus erectis oculis ponè conſpexit arietem. Aries hîc verbi aſſumptum intelligatur. Nam de eo ſic prodit Iſaias: *ſicut ovis ad occiſionem ducetur.* Hærentem cornibus, id eſt, Cruci affixum, in frutice Sabec, (a) quod eſt remiſſio: apud Hebræos enim *Sabec* remiſſionem notat: Aggreſſuſque Abraham, id eſt, Unigenitus Dei filius, comprehenſum arietem, id eſt, aſſumptum corpus, in holocauſtum obtulit; ſupplicio, puta, objecit, pro filio, Adamo ſcilicet lapſo. Atque iſta vera eſſe, audite cum Abrahamo colloquentem Deum: *Per memetipſum juravi, dicit Dominus: quia feciſti hanc rem, & non peperciſti filio tuo unigenito propter me: benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum.* Et poſt pauca: *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ.* Quorum verborum hæc eſt ſententia: Ex tui filii poſteritate, ſcilicet Iſaac, qui mei filii eſt typus, meus naturâ mihi conjunctus filius prodibit, per quem omnes orbis terrarum gentes ſoſpitabuntur. Abramum verò Oeconomiæ arcanum habuiſſe perſpectum, quemadmodum ex ſua olim ſtirpe per Iſaac & Jacob Dei filius incarnandus eſſet, evidens eſt ex eo, quod ſui generis uxores adſciverint. Nam ipſe accepta ſua conſanguinea, Iſaacum quoque accipere permiſit, parique modo Iſaacus Jacobum: Sed Rebeccam miſſo ſervo conjugem petiit; Ita enim & Deus per Moſen Synagogam inſtauravit. Jacobum, qui Chriſti exemplum ferebat, ad ſuos gentiles Iſaac privatim dimiſit, duas inde uxores duriter & laborioſe ut ſibi duceret. Itidem & Pater ab omni æternitate Unigenam ſuum Filium ad creaturam ſuam, id eſt homines, dimiſit, ut inde Carnem aſſumens, per ſupplicium, & Dominica miracula duas Eccleſias velut nuptum acciperet.

Iſa. 53. 7. (a) *nota ad* LXX. Gen. 22. 16. Ibid. 18. Gen. 24. 4. Gen. 25. 20. Gen. 28. 2. Gen. 29. 21. *& ſeq.*

## CAPUT XIX.

### *Comparatio Jacobi & Eſau.*

QUod ita ſe habere, audite Dei ad Rebeccam reſponſum: *Duæ gentes ſunt in utero tuo, & duo populi ex ventre tuo dividentur:* ſcilicet Judæorum unus, alter exterorum; *populuſque populum ſuperabit, & major ſerviet minori.* Qui ſe natu majorem jactat, alteri poſt nato ſerviet; id eſt, Judaica gens Eccleſiæ ex gentibus collectæ ſerviet. Atque id & Dei (b) Angelus his ad Heli Pontificem verbis confirmat: Te tuamque patriam domum ſic exſcindam: *Et ſuſcitabo mihi ſacerdotem fidelem, qui juxta cor meum & animam meam faciet.* Sanè qui omnia ex ingenio animoque Dei facit, is ex Deo eſt, & iterum Angelus: *& ambulabit coram Chriſto meo cunctis diebus,* id eſt, uſque ad conſummationem, atque itidem: *Futurum eſt autem, ut quicunque remanſerit in domo tua,* internecionem, aut captivitatem effugiendo; *veniat ut oretur pro eo, & offerat nummum argenteum, dicatque: Dimitte me obſecro ad unam partem ſacerdotalem, ut comedam buccellam panis.* Quod Angeli ad Sacerdotem ænigma ejuſmodi eſt: Inopem, Judææ ſolo multatum, venturum ad Eccleſiam ex gentibus conſtitutam, nummum argenteum petitum: & viro illuſtris ac pontificii generis dicet: non ambio mihi ſacerdotium; neque regnum deſidero; ſed ut in aliquod ſacerdotium rejiciar, & non ut miniſtrem, velut prius, ſed ut panem minimùm lucrer. Idemque David præſagiens ait: *Elegi abjectus eſſe in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.* Dei domum vates Eccleſiam ex gentibus notat; impiorum tabernacula, Judæorum fana. Verè enim Judæum nomen in extera Eccleſia abjectum & infame, nudum, exul, regno omni & ſacerdotio exutum. Atque hæc ſic habere, ex iis quæ poſt dicentur, conſtabit.

Ac prioris quidem populi figura eſt Eſau; poſterioris Jacob. Neque enimvero propter exemplum ad naturæ quoque excidium fas eſt graſſari. *Poſtquam tempus pariendi advenerat* (nam ſuperiora iterum tractemus:) *qui prior egreſſus eſt, rufus erat, & totus in morem pellis hiſpidus: vocatumque eſt nomen ejus Eſau.* Irarum & immanitatis

Gen. 25. 23. 1. Reg. 2. 35. (b) *In Hebræo, ut & in Græco, ad verbum eſt, vir Dei, id eſt, divinus vates, quomodo vertit & Chaldæus.* 1. Reg. 2. 36. Pſal. 83. 11. Gen. 25. 25.

Digitized by Google

tis plenus Esau vultus est: tales enim & Israëlitæ sunt: itaque & sui generis vates interfecerunt, & demum in ipsum etiam Christum admiserunt. *Protinus alter egrediens, plantam fratris tenebat manu, & idcirco appellavit eum Jacob*, ea re significans, & se eo potiturum, & servum ac ministrum habiturum; nam calces laboris præcipuum sunt, & ministerii judices. Erat autem Jacob lævis; quod humanæ mansuetudinis signum est; talisque est fide recens instructus populus, mitis, ac sine ira. Venustas enim corporis argumentum habet pulchritudinis internæ, & quæ mente teneatur. Eratque Esau venandi peritus: nam Israelitæ cruore & bruticidiis gaudent. Jacob quietus ædium habitator: Tales sunt etiam in fide novi, comes, expertes iræ, & solam pietatem docti amare. Sed Isaac diligebat quidem Esau, non ut virum bonum, & voluntatis Dei conscium, sed venandi studiosum. Idque ita esse ut intelligeretur, causam quoque sacræ litteræ adjiciunt, *eò quòd de venationibus illius vesceretur: & Rebecca diligebat Jacob.* Ubi est enim non mendax promissum, & verus amor consequitur. Esau vero non ut virum bonum à patre amatum, nulli dubium est; qui panis pauxillo, & confecto ex lente edulio, ætatis prærogativam addixerit. Atque ita sane & Synagoga propter exilem regnandi voluptatem adoptione excidit; Jacobo matris opera, ingenii facilitate, patris felicitatem adepto. Ac quemadmodum Rebecca Jacobum, ita & mei Christi incruenta victima novum populum Deo & Patri conciliavit & placavit. Sed quoniam rejectus à Deo est Esau, & nos adeo hactenus de eo sermocinati, deinceps quæ ad Jacob solum spectant prosequamur. Etsi illud prius operæ precium est dispicere, cur Esau paterni boni ominis causa, ingenti obito labore, difficilem se præbens pater graviter ejulantem benedixerit. Hoc facto, opinor, Isaac sceleſtissimam Synagogam docet, nisi ad Deum hominem Jesum, quem in crucem egit, reversa, eum regenerationis lavacro, perinde ac Esau patrem lachrymis, propitiet, cœleste regnum consequi non posse. Sed rursum ad vaticinium sermonem referamus.

SÆC. XIV. ANNO 1310.

Gen. 25.26.

Gen. 25.27.

Gen. 25.28.

*Igitur egressus Jacob de Bersabee pergebat Haran. Cumque venisset ad quendam locum, & vellet in eo requiescere post solis occubitum.* Jacobo solis, qui mente teneatur, signis divinitus erudiendo, sensilem condi solem oportebat, ut quam subiturus quoque erat in dominico supplicio caliginem præsagiret.

Gen. 28. 10. 11.

## CAPUT XX.

### *Jacobi res cum Christo collatæ.*

*Tulit de lapidibus qui jacebant, & supponens capiti suo.* Lapidem Jacob sumpsit, quoniam exterarum gentium populus per augustum illum & *angularem lapidem*, id est, Christum, ad Deum confluxurus erat. Igitur hic quoque auguste lapidem ad caput adhibuit. *Dormivit in eodem loco.* Nam etsi corpore dormiebat Jacob; at Israelis mens solicitabatur. *Viditque in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum.*

Gen. 28.11.

Gen. 28.12.

## CAPUT XXI.

### *Scala Jacob typus B. Virginis, & reliqua Jacobi gesta.*

SCalam hîc mihi Virginem intellige, per quam in cœlum è terra surrigimur. *Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ.* Primum ad eam descendit Gabriel, Dominum nunciaturus eodem faustissimo nuncio conceptum iri, ex eaque jam jam Deum hominem proditurum. Deinde & ministri, ac salutis nostræ custodes. Servator enim meus in Evangelio confirmat: *Videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei ascendentes & descendentes supra filium hominis.* Ascendentes ad eum, qui Deus cum esset, homo etiam factus, inaspectabili Patri dexter assidens: descendentes ad homines, procurandæ eorum salutis causa. Id enim & Paulus, mei Christi os, testatus est, cujus de Angelis hæc sunt verba: *Nonne omnes sunt administratorii spiritus*, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis? Sed ad vaticinium revertamur.

Gen. 28.13.

Joan. 1.51.

Hebr. 2.14

Atque ille eum sic est allocutus. *Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac.* Ego. Quis? Scalæ imminens. Ne metue, scilicet ab Esau fratre tuo. Itidem & Servator suos discipulos monebat: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Quod eò pertinebat, ut terrorem iis eximeret, qui in se spem haberent; quomodo & beatus David felicem clamat, qui in eo spem ponit. *Terram, in qua dormis tibi dabo, & semini tuo.* Ejus stirpem, non solum ex eo prognatos, sed exteros quoque Deus appellat. Nam ut Esau, qui filius Isaac erat, in Synagogæ felicitate numerum nullum tenuit, quod virtutis & Dei notitiæ iter non

Gen. 28.13.

Matth. 10. 28.

Psal. 33.9.



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1310.

insisteret; ita qui per Dei notitiam & virtutem, etiamsi ex gentibus sint, Christo se adjungunt, filii Israelis erunt. Siquidem Israelis notatio est, *mens Deum videns*. Itaque qui mentem habent purgatam, ad divinum splendorem suscipiendum, merito Israelis filii & sunt, & nominantur. Atque hanc nostram sententiam reliqua sacræ scriptu-

Gen. 28. 14. (a) ad mare, LXX.

ræ facile confirmabunt. *Eritque semen tuum quasi pulvis terræ*; *dilataberis* (a) *ad Occidentem & Orientem, & Septentrionem, & Meridiem.* Videte ut quaternas mundi partes sacræ litteræ complectantur? cum Judæa quotum aliquod, & minimum terræ segmentum sit. Itaque id magis illustrans vates, addit: *Benedicentur in te, & in semine tuo, cunctæ tribus terræ.* Id est, ab exorto Jesu Christo Deo. Sin id evertere conamini, nulla inter vos & gentes felicitas & communio erit, sed discidium atque dissensio. Nam hactenus apud omnes gentes contempti, & invisi estis. *Et ero custos*

Gen. 28. 15. *tuus, quocunque perrexeris.* Quare certus hanc ab æterno Oeconomiam in tua stirpe complendam, iter omne tuum securus decurre. *Et reducam te in terram hanc*, id est, in antiquam Adami nobilitatem restituam. *Nec dimittam nisi complevero universa, quæ dixi.* Non deficiet, inquit, tuam stirpem felicitas, quin ex ea, id est, ex Virgine, corporis quasi miscellam assumpsero.

Quod si quis id pressius intelligere vult, Jacob ipsum percontetur. Cedo, beate Israel, quænam ea sunt, quæ benignus Sabaoth Dominus facturum se promittit? *Non*

(b) LXX. quod constitutum est, vide notas. (c) juxta Græcum.

*auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat* (b) *qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Audivistis Prophetæ vocem nostris verbis consentanea loquentem? Illud enim quod constitutum (c) est; conceptum ante secula arcanum significat. *Cumque evigilasset Jacob de somno*, id est, scientiam omnem eo-

Gen. 28. 16. Gen. 28. 17.

rum, quæ Deus dixisset, memoria complexus: *Ait: Vere Dominus est in loco isto, & ego nesciebam.* Et intelligentiam subobscurè innuit, & comprehendendi impotentiam fatetur. Pavensque; *Quàm terribilis est*, inquit, *locus iste!* Verè tu quidem beatissime Israel. Valde enim terribilis est Dei ad mortales descensus. *Non est hic aliud*, scilicet è scala, id est, ex Virgine Maria, corporatum, *nisi domus Dei*, quæ est, inseparabilis unio, *& hæc porta cœli.* Hæc, scala, Virgo simul & Deipara, cœli porta est. Nam per eam descendet ceu in vellus pluvia, Unigenitus Dei filius. Hæc qui viderat, atque explorate tenebat, nostis quemadmodum mane surgens Jacob, & lapidem ei, quem conspexerat, inunxerit, & votum nuncuparit: si hoc suum iter Dominus scalæ innixus fortunasset, eum sibi Deum fore; & hoc saxum, quod figuram contineret impolluti ejus corporis, Dei domum. Quin & decimas ei daturum: quare Synagogam instruebat, quæ omnium domi natorum decimas penderet; & spiritualem ac novum populum significabat, qui totius ætatis suæ atque vitæ decimas consecraret.

Gen. 29. 2. Itaque à Deo itineris compos, atque ad Laban incolumis perductus. Vidit (nam Mosis iterum verba tractemus) *puteum in agro*, id est, in corpore fontem immortalis vi-

(d) utraque Biblia habent tres. Joan. 10. 14. 15.

tæ. (*Duos* (d) *quoque greges ovium accubantes juxta eum*, Judæorum & exterarum gentium populum. Ita enim eos meus Christus appellat. *Ego sum pastor bonus, & cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ. Sicut novit me Pater, & ego agnosco Patrem; & animam meam pono pro ovibus meis.* Notate diligenter. Nam ex eo puteo adaquabantur, quemadmodum Christus in Evangelio ait; *Si quis sitit, veniat ad me,*

Joan. 7. 37. *& bibat.* Oves illic brutæ, hîc rationales. *Et os ejus grandi lapide claudebatur:* is lapis monumenti Servatoris Christi saxum designat. Eodem omnes greges cogebant, scilicet Prophetæ & Apostoli; avolutoque saxo oves adaquabant, id est, explicandis sacris litteris populum cælesti musto rigabant. Rursumque saxum ad os putei advolvebant. Saxum hoc putei, quod saxum est monumenti immortalis vitæ, congregati duo Pontifices Annas & Caiphas cum custodia, ad os monumenti adolverunt. Et Jacob duos pastores allocutus. Illic sanè Jacob duos pastores, hic Salvator noster atque

Gen. 28. 7. 8.

Deus, velut alter Jacob, duos Pontifices. En, inquit, diei multum adhuc est; longum pœnitendi spatium; nec tempus est cogendi pecoris, tempus illud secundi mei adventus, quo oves ab hædis separem. Adaquate oves, Dei notitiam per actus pœnitentiæ docete, & pastum ite; hoc est, in æterna tabernacula concedite. Ad quem illi, non possumus, inquiunt. Idem responsum & Pontifices ovium pastori dederunt. Non possumus, qui Deum interfecimus, ad frugem & pœnitentiam redire; nisi coactis omnibus gregibus, gentium scilicet, amoveatur saxum ab ore putei, sacræ scri-

Rom. 11. 25. Isa. 59. 20.

pturæ tanquam tegumentum à lege amolitum sit; & ita adaquemus greges. Nam, autore Isaia: *Cum plenitudo gentium intraverit, tunc omnis Israël salvabitur.*

Adhuc eo cum illis colloquente, id est, Judæorum Synagogam commodùm casti-

Gen. 9. 9.

gante; *& ecce Rachel veniebat cum ovibus patris sui:* scilicet gentium Ecclesia. Hic conspicatus Jacob, Christus, gentium Ecclesiam, Laban suæ matris germani filiam, id est, ex Synagogæ germano adscitam. Nam in novam Ecclesiam cooptantur partim ex genere Esau, alii ex Ismael, partim nati ex Nachor, partim ex Lot, itemque ex filiis Ceturæ; qui Syhagogæ germani sunt, quippe omnes Abraham stirpe editi. Et

egres-

Digitized by Google

egressus Jacob, id est, Dominus noster Jesus Christus ex mortuis excitatus, avoluto saxo ab ore putei, id est, à foribus monumenti, ac quod est in lege pingue, & intricatum amolitus, suæ matris, Synagogæ, ut jam diximus, germani oves adaquavit, immortalitatis vitæque fluento; ut in Evangelio ait: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei; non sitiet in æternum: sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Atque hæc quidem meus amor Jesus. Jacob vero Rachelem deosculatus est; itidem & novam Ecclesiam Dei Unigenitus complexus est. SÆC. XIV. ANNO 1310. Joan. 4. 14.

## CAPUT XXII.

### *Duæ Jacobi uxores, quid significent.*

SEd ne recensendis singulis prolixus videar, & rem ad exitum perducam: Jacob bis septem annorum servitio duas conjuges duxit, priorem Liam, alteram Rachelem; quarum illa Synagogam, hæc Christi Ecclesiam repræsentabat. Sciendum est autem, priorem studio & amore posterioris à Jacob acceptam fuisse. Nam Rachel cum formosa esset, à Jacob amabatur, ut à Christo gentium Ecclesia. Idque verum esse, ipsæ sacræ literæ testimonium dicunt. *Lia vero lippis erat oculis*, æque ac Synagoga impotens ad spectandum divinum splendorem. *Rachel decora facie, & venusto aspectu.* Ut gentium Ecclesia, Dei agnitione & virtute locupletata. Et rursum: *Servivit ergo Jacob pro Rachel septem annis, & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* Et paulò pòst: *Amorem sequentis priori prætulit.* Ita & Christus gentium Ecclesiam plus quam Synagogam amavit. Nam & hanc sibi desponderat, sed per sequestrum Mosen, quemadmodum & Jacob Liam amore Rachelis; cum gentium Ecclesia Christus, ut Jacob cum Rachele, os junxit: quemadmodum per vatem Deus in hanc sententiam aperuit: *Et non docebit ultrà vir proximum suum, & vir fratrem suum dicens: Cognosce Dominum: omnes enim cognoscent me à minimo eorum usque ad maximum.* Atque hæc in præsentia de Jacob sufficiant: nam de eo & in descensu in Ægyptum, & in Pharaone adorando mentionem faciemus. Gen. 29. 17. Gen. 29. 20. Jer. 31. 34.

Igitur in primis observandum est, Israelem, gignendis duodecim Patriarchis, instituisse Synagogam ex Liæ natis: per concubinas verò, extraneas mulieres significasse, quas generi suo accenseri passus sit; per Rachele fatos, Christi & proditoris Judæ exempla notasse; in Josepho Christi, in Benjamin Judæ proditoris.

## CAPUT XXIII.

### *De Josepho allegoria Christo tributa.*

QUare hoc quidem loco, omissis decem, de Joseph & Benjamin verba faciamus. Sed neque hoc prætermittendum est nobis, cur à parente aufugiens Rachel, ejus idola surripuerit? Certe non ut clam haberet, sed ut aboleret. An scilicet quæ Christi Ecclesiæ exemplum contineret, paterno quoque simulachrorum cultu dimisso, simulachra exitio se daturam innuit? Nam ut à Jacob vestigata haud tenuit Rachel; ita & altero Jacob, Salvatore meo Christo exorto, gentium Ecclesia, paternam suam impietatem ignominiæ & excidio dedit. Ac quemadmodum illos ex gentibus Christus non admittit cum simulachris, ita nec Synagogam cum Judaicis victimis, ac circumcisione. Atque hæc quidem sic habent. Gen. 31. 32.

Ceterum Joseph apud fratres invidiâ laborabat, ut & apud Judæos pòst Christus: sic enim scribit in Evangelio dilectus ille Joannes: *In propria venit, & sui eum non receperunt.* Illi propter factam ei à patre versicolorem tunicam, & somnia, oderant fratrem; Judæi Christum propter quandam mentalem quasi purpuram, quæ ei cælestis Patris benignitate jam ex virgineo ventre, tinctura velut discolori contexta fuerat, ac demum propter luculenta etiam miracula, persequebantur. Illi fratri invidentes quærere: *Numquid Rex noster erit? aut subjiciemur ditioni tuæ? Judæi vero in porticu Salomonis circumdederunt* Emmanuelem, *& dicebant ei: Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam.* Illi missum ad se ab parente fratrem conspicati, inter se jactare; *Ecce somniator venit; venite occidamus eum, & mittamus in cisternam veterem:* Judæi opificem suum ab inaspectabili Patre missum cernentes, dicere: *Hic est hæres, venite occidamus eum, & habebimus hæreditatem ejus.* Illi apud patrem defensionem, hi apud Pilatum meditari: illi ab immani feri devoratum confirmare: hi; *hunc invenimus subvertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dare Cæsari, & dicentem se Christum regem esse.* Illic Ruben hortari: *Non interficiatis animam ejus, nec effundatis sanguinem; sed projicite eum in cisternam hanc*; scilicet ut eum manibus eorum eriperet. Hic Pilatus, ut Christum è Judæorum manibus eripe- Gen. 37. 4. Joan. 1. 11. Gen. 37. 8. Joan. 10. 24. Gen. 37. 19. 20. Matth. 21. 38. Luc. 23. 2. Gen. 37. 22.

ret,

Digitized by Google

Sæc. XIV. Anno 1310.

ret, negare. *Nullam causſam mortis invenio in eo: corripiam ergo illum & dimittam.* Illic Rubeni fratres obtemperare; hic Judæi, ut omnium cruentiſſimi, Pilati verba refutare. Sed illic Ruben propter orationem, fraternæ proditionis haud ſanè inſons eſt; neque hic Pilatus à Dominicæ cædis crimine liber.

Luc. 23. 22. Verùm ne dicendi brevitate minus perſpicuè Joſephi argumentum proponam, ipſamet prophetica verba in medium producta inaudite. *Conſeſtim igitur, ut pervenit ad*

Gen. 37. 23. *fratres ſuos, nudaverunt eum tunica.* Illi dereptam tunicam patri ſervant; hi detractas

(a) ita LXX. Chriſto veſtes partiuntur. Et accipientes (a) *miſerunt in ciſternam:* illi arreptum in

Gen. 37. 24. ſpecum deturbant, hi exanimatum in monumentum deponunt. Et (b) ciſterna erat

(b) ita LXX. vacua, quæ non habebat aquam. Quemadmodum illic ſpecus aquam non habebat,

Gen. 37. 25. ita neque hic monumentum mortis vim. *Et ſedentes ut comederent panem:* illi, eo in ſpecum detruſo, ſedent ad cibum capiendum; Judæi poſt Dominicam cædem Paſcha faciunt. Sic enim habet Evangeliſta. *Et ipſi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha.* Notate diligenter ſcripturæ mentem. Sublatis oculis animadvertunt. Nam poſt ſumptum à Juda Dominicum panem

Joan. 13. 27. ita LXX. intravit in eum Satanas, ut in Evangelio Joannes docet. Et ecce Iſmaelitæ viatores venerunt de Galaad. Joſephi enim, ut & Chriſti, emptores ex circumciſione eſſe oportebat.

Joan. 18. 28.

## CAPUT XXIV.

*Camelus in ſcriptura odium ſignificat.*

ET cameli eorum aromate, & reſina, atque ſtacte onuſti erant. Camelos nominans, Annæ & Caiphæ corpora, Pontificali ſtolâ amicta, notat. Eſt autem camelorum genus injuriarum retinentiſſimum. Itaque figura quoque odium adverſus veritatem deſignabat. Qui ea in Ægyptum importatum ibant: Perindè ac illi circumciſi operam dabant, ut Deum hominem Jeſum ad inferos demitterent. *Dixit ergo Judas fratribus ſuis: Quid nobis prodeſt, ſi occiderimus fratrem noſtrum, & celaverimus ſanguinem ipſius? Melius eſt, ut venundetur Iſmaelitis, & manus noſtræ non polluantur: frater enim & caro noſtra eſt.* Oportebat tum quoque venditionem per Judam fieri, quoniam & nunc Servatoris venditio per Judam proditorem facta eſt. Sed ille fratrem liberare volens, venditionem eis ſuaſit: duobus enim malis comparandis, minus elegit; Iſcariotes, qui doctoris cædem ſpiraret, nec perficere poſſet, Pontificibus eum

Gen. 37. 26. 27.

Joan. 19. 11. venundat. Idque etiam Salvator meus Pilato demonſtrans ait: *Propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.* Prô proditoris audaciam, & doctoris humanitatem!

Igitur ejus fratres extractum eductumque ex ciſterna Joſephum, Iſmaelitis vendunt in Ægyptum abducendum. Illi quidem ſic. Judæi Jeſum Pilato traditum, in crucemque ſublatum, morti demiſerunt. Acceptis ab iis aureis (c) viginti. Illi aureos

(c) ita LXX. Gen. 37. 29. viginti; proditor argenteos triginta accipit. *Reverſus Ruben ad ciſternam, non invenit puerum.* Hoc ſervatoris à mortuis reſurrectionem notat. Nam ut illic Ruben Joſephum non invenit, ita nec Petrus Chriſtum in monumento. *Tulerunt autem tunicam Joſeph, & in ſanguine hædi, quem occiderant, tinxerunt.* Illi accepto capro tunicam cruore imbuunt: hic caper atque tunica Verbi aſſumptum intelligendum eſt: quo interficiendo, Judæi corpus ejus cruentarunt. Jeremiæ enim ex Chriſti perſona

Joan. 20. 6. 7. Gen. 37. 31.

Jer. 11. 19. & Iſa. 53. 7. hæc ſunt verba: *Et ego quaſi agnus manſuetus, qui portatur ad victimam; & non cognovi, quia cogitaverunt ſuper me conſilia.* Videte ut ovis ubique ipſius aſſumpti figuram deſignet. Miſſamque verſicolorem tunicam patri repræſentant. Nam unigenæ

Gen. 37. 32. Matth. 27. 43. tunicam Deus & Pater cruentam accepit. Et ei ſignificant: *Hanc invenimus: vide utrum tunica filii tui ſit, an non.* Itidem & Judæi de Chriſto dicebant: *Confidit in Deo: liberet nunc, ſi vult eum.*

## CAPUT XXV.

*Invidia, fera crudelis.*

Gen. 37. 33. OBſervate figuras. *Quam cognoviſſet pater ait: Tunica filii mei eſt, fera peſſima comedit eum.* Etenim verè immaniſſima fera eſt invidia, ac multo etiam plus. Nam feræ hominum tantum corpora mandunt; hæc cum corporibus animos etiam prodit. Nec ſolùm Jacobi filios, hæc invidia fratris venditores, ſed Judæos quoque

Gen. 37. 34. Dei percuſſores effecit. *Sciſſiſque veſtibus, indutus eſt cilicio, lugens filium ſuum multo tempore.* Et hic videre eſt non mediocri dolore cœleſtem Deum & Patrem, ex

Gen. 37. 35. hac Chriſti injuria atque cæde affectum. *Congregatis autem cunctis liberis ejus, ut lenirent dolorem patris.* Ex omni memoria, Deo charos ſimul & charas ſcriptura ſigni-

fi-

Digitized by Google

ficat. *Noluit consolationem accipere:* tam graviter enim Judæi offenderunt, ut deprecationem respuat, quantumvis animum inducat quis precari pro iis: id quod per vatem Deus testatur in hæc verba: *Si steterit Moses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum*: nec exaudiam eos, exposcentes pro iis pacem, ut ante. Ita, ut quæ in medio sunt dimittam, Josephum in Ægyptum abduxerunt. SÆC. XIV. ANNO 1310.

*Jer. 15. 1. ita biblia utraque.*

## CAPUT XXVI.

*Gen. 39. 7. & seqq.*

*Joseph in Ægypto ad summos honores evectus.*

IBi, scitis omnes Legis-periti, Pharaonis magistro (a) equitum veniisse, eumque hominem dextrum deprehensum, omni suæ familiæ, cunctisque domesticis à Putiphare præfectum fuisse; heram vero, ut formosum esse conspicata fuit, eum amasse; sed negantem secum nequitias facere, arrepta veste, quò proba videretur, marito prodidisse. Ita sane, & Synagoga Christum prius dilexit, inter homines longè formosissimum; cum eum & Pontificem ad rationem Melchisedechi cooptavit, & sine matre in cœlo, sine patre in terra confirmavit. Sed nec, quæ Synagogæ placerent, facere volentem, & assiduè incessentem & castigantem, ut ait Salomonis Sapientia: *tanquam nugaces æstimati sumus ab illo, & abstinet se à viis nostris, tanquam ab immunditiis*: tum vero vestimentis exuendum Pilato tradidit, sacrificium se Deo facere credens. Illic Putiphari Ægyptia: *adduxisti servum Hebræum, ut illuderet mihi.* Hîc Synagoga Pilato: *improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ.* Illic Putiphar correptum Josephum in carcerem compegit, quo in loco vincti regis tenebantur: Hic Pilatus Domini mei captivi animam ad inferos demisit; ubi in tenebris jam olim Sanctorum manes tenebantur. Illic custodiæ magister Josepho carcerem in manus commisit, nec de iis, quæ inibi fierent, post eum cognoscebat: Hîc meus Salvator atque Deus, abruptis inferorum vinculis, calcatoque custode diabolo, sanctorum animas liberavit.

(a) *mſ. ap.* χιμαγείῳ *& LXX.*

*Ps. 44. 3. Ps. 109. 4. Hebr. 7. 17. Sap. 2. 16. Gen. 39. 17. Sap. 2. 12.*

*His ita gestis, accidit ut peccarent duo eunuchi, pincerna regis Ægypti, & pistor, domino suo*, id est, exterarum gentium & Judæorum populus. Nam prior erat gentium, qui, ut idololatra factus à Deo defecit, tunc Judaicum populum per Abraham sacrificium instituit. *Videruntque ambo somnium nocte una*, id est, Dei mortem recogitarunt. Sed illic à Josepho dissolutio est, hîc à Deo. Quare meritò Josephus: *Nunquid non Dei est interpretatio?* Verùm præstat ea somnia, quæ quidem exempla habent rerum futurarum, verbo tenus recensere. Tum Josepho *somnium suum narravit prior præpositus pincernarum*, scilicet gentium figuram ferens. *Videbam coram me vitem.* Vitem hic intellige dulcem Jesum; sic enim ait in Evangelio: *Ego sum vitis, & Pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum: & omnem, qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat.* Contra me, id est, contraria, & in Christum impiè affectæ erant gentes. *Et in vite erant tres propagines:* eaque germinans; nam post triduum Christi resurrectio emicuit. Florem eliciebat, Apostolos & Martyres, unde uvarum racemi matureſcebant, Martyrum sanguine rubebant. *Calicemque Pharaonis in manu mea: tuli ergo uvas, & expressi in calicem quem tenebam, & tradidi poculum Pharaoni.* Hoc incruentum novæ Ecclesiæ sacrificium notat. *Respondit Joseph: Hæc est interpretatio somnii: Tres propagines, tres adhuc dies sunt: post quos recordabitur Pharao ministerii, tui, & restituet te in gradum pristinum: dabisque ei calicem juxta officium tuum, sicut ante facere consueveras.* Ac Josephi quidem ad pincernam hæc sunt verba. Meus autem servator atque Deus gentibus recipit, sese hinc ad triduum à resurrectione discipulis suis & Apostolis mandaturum, qui acceptas tingant in nomine Patris & Filii, & Spiritus sancti: seque daturum regnum atque sacerdotium iisdem, cujus OEconomiæ mysterium obituræ essent in pane & vino, quod Melchisedech, qui è gentibus esset, per figuram Abrahamo repræsentavit; eaque ideo se facturum populo ex gentibus converso spopondit, quod is Christum sontibus annumeratum conspicatus, Deum tamen confessus fuisset. *Tantum memento mei, cum tibi bene fuerit.* Hoc à me accepto beneficio, sepulturæ atque resurrectionis memoriam indelebilem habeto. *Et facias mecum misericordiam.* Mea ope in fratres benignitate utitor, id est, sanationum prodigia patrato. *Ut sugeras Pharaoni.* Notate diligenter scripturæ mentem. Illa (a) ad dignitatem; hæc ad martyrii tolerantiam pertinent. Nam quod ait, ejusmodi est. Deductus ad principes & reges, meorum dictorum recordator: *Ponite in cordibus vestris non præmeditari, quemadmodum respondeatis. Ego enim dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes adversarii vestri.* Hactenus Servator. *Ut educat me de isto carcere.*

*Gen. 40. 1. Gen. 40. 5. 8. Gen. 40. 9. 10. Joan. 15. 1. 2. Gen. 40. 10. Gen. 40. 11. 12. Gen. 40. 14.*

(a) *Petebat enim Josephus, ut sit apud Pharaonem in gratia poneret, à quo deinde ad dignitatem evehereſur. Luc. 21. 14. 15.*

*Gen. 40. 14.*



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1310.

## CAPUT XXVII.

*Calumniæ vis quanta.*

ILlic Josephus à præguſtatorum magiſtro contendit, ut ſe ex carcere educat: hic clemens Jeſus à populo è gentibus aſſerto, ut ſe à Judæorum calumniis vindicet: verè enim grande ſceleris (c) præſidium calumnia. Nam ſi vel ad Chriſtum meum graſſari eſt auſa, quis verò eam facile contemnat? Atque id verum eſſe, ſequentia audite. *Quia furto ſublatus ſum de terra Hebræorum.* Hoc eſt, Pilato à Judæis calumniâ proditus. Ea quæ ſit, explicat Evangeliſta: *Hic dixit: poſſum deſtruere templum Dei, & poſt triduum reædificare illud.* Itaque calumniæ impudentiam videntes, eorum ſceleris excellentiam miramini. (b) Neque hîc quicquam feci, mali ſcilicet, quamobrem me in hanc ſpecum detruderent: illic Joſephum in ſpecum; hic Jeſum in monumentum.

(a) ἀχύρωμα quod nomen uſurpatur & pro carcere, in quem conjectus eſt Joſephus, unde hæc alluſio petita.

Sed jam tempus eſt, & piſtorum magiſtri ſomnium, qui Judæorum populi exemplum habetur, recenſere. Igitur piſtorum magiſter: *Et ego vidi ſomnium: Quod tria caniſtra farinæ.* Tria caniſtra, tres quali ſunt, quæ tria gravia Iſraelitarum flagitia cenſentur; idolorum cultus, vatum cædes, & Chriſti occiſio. *Haberem ſuper caput meum*, id eſt, gerere eorum facinora. *Et in uno caniſtro, quod erat excelſius*, ſcilicet ſupremo flagitio, *portare me omnes cibos, qui fiunt arte piſtoria.* Hæc (c) cœtum in eos ex varii generis hominibus cogendum, ceu ad opus regalis potentiæ, deſignant. *Aveſque comedere ex eo.* Exciſa enim eſt propter crimen interfecti Chriſti, & Judæorum graves offenſas Hieroſolyma. *Reſpondit Joſeph: Hæc eſt interpretatio ſomnii.* En ſomnium, ejuſque interpretationem: *Tria caniſtra tres adhuc dies ſunt.* Abhinc tres dies, ſcilicet à Jeſu reſurrectione; *poſt quos auferet Pharao caput tuum.* Illic Pharao piſtorum magiſtrum; hîc capite Judæos truncat Chriſtus, qui princeps atque rector eſt; *ac ſuſpendet te in cruce*, proh! ſtirpitus delebit, & *lacerabunt volucres carnes tuas.* In Iſraelitarum captivitate, ut ante diximus. Eaque vera eſſe; audite Chriſtum inter ipſos cruciatus mulieribus Hieroſolymitanis loquentem. *Filiæ Hieruſalem, nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros: quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ ſteriles, & ventres, qui non genuerunt, & ubera quæ non lactaverunt: quia ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Si inſontem me, inquit, Romani neci dederunt, quid non facient per omne genus flagitii volutatis? *Exinde dies tertius natalitius Pharaonis erat: qui faciens grande convivium pueris ſuis, recordatus eſt inter epulas magiſtri pincernarum, & piſtorum principis. Reſtituitque alterum in locum ſuum, ut porrigeret ei poculum: alterum ſuſpendit in patibulo.* Atque hæc quidem Rex Pharao natali ſibi die inter ſuos deſignavit. At rex regum ex mortuis redux, inter ſanctos unà ſuſcitatos, præguſtorum magiſtri; id eſt, novi populi, mentionem fecit; ſcilicet ex quali impietatis præcipitio ad quale Dei notitiæ faſtigium pervaſiſſet; rurſumque Judaici, ex quali adoptionis faſtigio in quale ſe Chriſti cædis barathrum deturbaſſet. Quibus rebus & novum populum, ut jam dixi, ornavit atque ſervavit, & Judaicum ignominiæ & excidio dari permiſit. Sin dicat quiſpiam, utrumque ſimul & pariter non contigiſſe: eſto; at ex eo die utrumque ſcitum, ſanctumque eſt.

(c) manum & exercitum à Veſpaſiano Hieroſolymis admovendum.

Gen. 40.15. Matth. 26. 61. (b) juxta LXX. Gen. 40. 16. 17. Gen. 40.18. Luc. 23.28. Gen. 40.20.

## CAPUT XXVIII.

*Moſis Hiſtoria myſticè explicata.*

SEd hæc de Joſepho ſufficiant; & jam porro prophetarum centrum, deiſcium, atque à Deo ſcitum & cognitum Moſen aggrediamur. Quanquam illud quoque ignorandum non eſt, Joſephi in Ægyptum adventum, ſecundam præſentiam notare. Nam ut ille fratribus ſe prodidit, ita & Judæi tandem aliquando Chriſtum agnoſcent; ut fert hoc Zachariæ prophetæ effatum: *Et aſpicient ad me, quem confixerunt.* Et quemadmodum illos pœnitentia ductos, ex Chananæa ad ſe adventantes, Joſephus cum omni familia aluit; ſic quotquot totò hoc orbe Judaici nominis ſunt, ſi pœnitentes Chriſtum verè Dei Filium confiteantur, eos cœleſti & immortali pane alet, ut in Evangelio teſtatur: *Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam*, & (d) in judicium non veniet, ſed *ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die.* Suſcitationem hîc non illam mortuorum, qua omnes ſuſcitandi ſunt, ſed deceſſoris Adami, ſignificans.

Zach. 12. 10. Joan. 6. 51. 54. (d) hæc non ſunt in vulgata.

Sed tempus jam eſt, captis Moſaicæ interpretationis frenis, atque ad ejus metam ſacrarum literarum tanquam curriculo reducto, pro virili aurigari. Igitur circum Moſen, ac Ægyptum, & Pharaonem, ejuſque duces currum ducturi, age in primis cujuſque

Digitized by Google

jusque significationem edamus. Enimvero sic habendum est, Mosen mei Christi ac Servatoris Dei figuram exemplumque ferre, Ægyptum Orci, Pharaonem diaboli, qui mente informatus quasi quidam Pharao est; non equidem secundum regiam dignitatem, sed elationis frustrationem, duces ejus Angelos & operas. Jam figuras videte. Nam ut Moses à Pharaone profugit, sic Christus ex Ægypto in Judæam concessit; Oseæ vatis dicto comprobando: *Ex Ægypto vocavi filium meum.* Ille ad Madianitas ingressus, secundum puteum consedit: Jesus ex itinere fatigatus secundum fontem. Illic Pontifex Madianita septem filias habebat, quæ ejus oves pascerent; hic septenis Spiritus donis, Deo & Patri gentium Ecclesia, ex varii generis atque linguæ mortalibus coacta, pascitur; dimissa hæreditaria impietate. Illic Raguelis filiæ in Mosen incidunt; hic in Christum ex gentibus natæ, quarum prima affuit è Samaria. Illic venientes pastores eas pellebant; hic Synagogæ Pontifices, & pastores exteras persequebantur. Illic surgens Moses, profligatis pastoribus, & aquam eis hausit, & pecus adaquavit. Hîc Christus ex mortuis resurgens, sceleslos & falsos pastores fugavit, sibique fidem habentes, aqua viva, id est, divino suo cœlestique præconio rigavit; addens: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* Illæ Raguelis filiæ ad patrem suum regressæ, Mosis studium commendant; Samaritana ad Natalem reversa, mei Servatoris amplitudinem prædicat. Raguel quærit ex filiabus, ubi sit? accerserent hominem, quò cibum caperet: Hîc cœlestis panis: *Ego cibum*, inquit, *habeo, manducare, quem vos nescitis.* Moses ibi apud hominem degit, eique ille Sephoram filiam elocat: meus Servator in Samaria considens, & eam collustrans, bellam gentium Ecclesiam desponsat: nam Sephora Judæis bellam, seu collustrationem notat. Jam vero duos Mosis filios observate, qui ad duo fœdera trahantur, quorum lex Gersami nomine censeatur, qui quidem peregrinus fuerat; nondum enim in promissam terram Israelitæ invaserant; Gersam autem Judæis idem est, quod *peregrinus*. Porro Eliezer novi fœderis Christi Domini figura est; quippe hoc fœdere ineundo Deus terris opitulatus, eas à (a) fraude vindicavit. Nam Eliezer Judæis perinde est, ac si dicas Opitulator.

(a) scilicet diaboli quomodo etiam suspicor legendum.

Sed præstat Exodi quoque vaticinium verbo tenus recensere. *Post multum verò temporis.* Quod temporis longi spatium propheta significat? Delicti & mortalitatis. *Ingemiscentes filii Israel.* Id est, Sanctorum manes, apud inferos captivi, *propter opera vociferati sunt; ascenditque clamor eorum ad Deum ab operibus.* Alio dicente: *Educ de custodia animam meam*; Alio: *Deus ostende faciem tuam, & salvi erimus.* Alio: *De profundis clamavi ad te Domine, Domine exaudi vocem meam.* Alio: *Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.* Horum omnium querimoniæ ad Deum pervenerunt. *Ac recordatus est fœderis, quod pepigit cum Abraham, Isaac, & Jacob.* Illic cum Abrahamo, hic cum primigenio Adamo. *Et respexit Dominus filios Israel, & cognovit eos.* Id est, nostra tanquam miscella induenda homo factus est, simile simili expurgaturus. *Moses autem pascebat oves Jethro soceri sui sacerdotis Madian.* Illic Moses brutas soceri sui sacerdotis, hic Christus, alter Moses, rationales æterni Patris oves pascebat. *Cumque minasset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Horeb.* Nam rationalis pecoris pastor ac Deus, ex impietatis solitudine oves abductas, ad montem, qui est Dei notitia, & ad cœlestem ac perpetuam Hierosolymam compulit. *Apparuitque ei* (b) Angelus Domini *in flamma ignis de medio rubi: & videbat quod rubus arderet, & non combureretur.* Hoc indivisam atque impermutatam Verbi divini cum humana natura unionem ex charitate susceptam designat. Nam velut rubum ignis amplexus est; ita & Deus Verbum subjectæ sub peccatum Adami delicto naturæ societatem iniit, expers peccati, quò nos quoque peccato invictos compararet alter Adamus, & recreationis nostræ princeps, æquè ac prior creationis. *Dixit ergo Moses: Vadam & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus.* Recte obstupuit Moses, qui id tantum ostentum esse figuram eventuri arcani prospiceret, liquidò demonstrans, divinam Verbi naturam cum humanitatis modo, si quidem vellet, copulandam: nam ei quidem cuncta faciendi est potentia.

(b) LXX. pro Dominus.

*Cernens autem Dominus, quod pergeret ad videndum, vocavit eum de medio rubi, & ait:* Illic Dominus Angeli specie visus Mosen inclamavit; hîc Gabriele Virginem alloquuto, in eam Deus immigravit. *Moses, Moses.* Nomen ingeminat, ut attentius, quæ dicerentur, audiret. (c) Quid est? inquit ille. *Ne appropies*, inquit Dominus, *huc: solve calceamentum de pedibus tuis.* Nemo impuris pedibus ad decurrendum pacis Evangelium contendat, aut calceis indutus, exanguibus inquam, pellibus; per quas concitatæ, atque vitiosæ, & fœdæ, mortis autores, cogitationes notantur; Virginis arcanum investiget. *Locus enim in quo stas, terra sancta est.* Nam præsaeratum meum regium palatium apparavi. *Et ait: Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob.* Quod dicit ejusmodi est. Ego Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob, olim in Virginis utero, benignitate æterni mei patris, & ter sancti spiritus ope degam. *Abscondit Moses faciem suam: non enim audebat*

(c) ita LXX. pro Adsum.

SÆC. XIV. ANNO 1310.

Exod. 2. 15. Oseæ 11. 1. Exod. 2. 15. Joan. 4. 6. Exod. 2. 16. 18. &c.

Joan. 7. 37. Exod. 2. 19.

Joan. 4. 32. Gen. 2. 21.

Exod. 2. 23. Psal. 141. 8. Psal. 79. 4. 8. 20. Psal. 129. 1.

Exod. 2. 24.

Exod. 3. 1.

Exod. 3. 2.

Exod. 3. 3.

Exod. 3. 4.

Exod. 3. 5.

Exod. 3. 6.



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1310.

*debat aſpicere contra Deum.* Divini Verbi ad homines degreſſum & incarnationem ſtupebat, & admirabatur. *Cui ait Dominus: Vidi afflictionem populi mei in Ægypto,* *& clamorem ejus audivi propter duritiam eorum qui præſunt operibus.* Vidi, inquit, vexatos apud inferos Sanctorum manes, ab infeſtis, nec quicquam ad mala opera ur-
Exod. 3.7. gentibus improbis dæmonibus (quos & operis exactores eo nomine appellat:) Etenim revera, cum à Deo per ignorantiam abimus, tunc in peccati luto verſamur, exacto-
Exod. 3.8. ribuſque obnoxii ſumus. At Dei notitiam libertatis gratia conſequitur. *Et deſcendi ut liberem eum de manibus Ægyptiorum.* Conſcius vani hominum ſtudii erga immolata idolis, deſcendi à Patre nequaquam ſeparatus, ad eripiendum dæmonibus orbem terrarum. *Et educam de terra illa*; contumaciæ & mortalitatis, *in terram bonam*, ſcilicet immortalitatis, & Dei notitiæ, *quæ fluit lacte & melle.* Ex ea terra lac & mel: Ex Dominico corpore aqua & ſanguis ſcaturiunt. Id enim & ignis cum rubo copulà deſignat; per ardorem patibile & mortale corpus, per incolumitatem ex ardore, Deitatem, quæ invicta, iis haud longum vincenda eſſet.

Exod. 3.9. *Clamor ergo filiorum Iſrael venit ad me.* Illic aecepta Iſraelitarum imploratione, hîc omnium ex Adamo natorum, perſpectaque violentia, quà ab Ægyptiis urgentur: Non ſolum poſt, ſed etiam ante implorationem, (animos enim ſcrutor) dæmonum
Exod. 3.10. violentiam novi. *Sed veni, & mittam te ad Pharaonem.* Hoc Patris benignitatem monſtrat. *Ut educas populum meum, filios Iſrael.* Illic Iſraelitas; hîc omnem hominum cœtum ex Orci vinculis. Nam Orcus inſonte ac vivifico corpore guſtato, etiam
Exod. 3. 11. 12. quos juſtè captivos habebat, dimiſit. *Dixitque Moſes ad Deum: Quis ſum ego, ut vadam ad Pharaonem, & educam filios Iſrael de Ægypto?* Hoc velut ex perſona corporis ad divinitatem cum eo copulatam, Propheta dixit. Et ille. *At tecum ego deſcendam, rurſumque aſcendam.* Hoc viciſſim dictum à Deo ad corpus cum divinitate copulatum acipite. Nam & ad inferos Deus cum anima deſcendit, & quod Deus aſſumpſerat, cum eo non ſolùm ex Orco in terram, ſed ex terra quoque in cœlum, omnibus cœleſtibus copiis ſtipatum aſcendit. Ac ne diſputationis ſuavitatem verborum aſſiduitate ingratam comparemus, age, hiſtoriam omnem Moſis compendio, & tanquam digito notemus.

Igitur Moſes in Ægyptum degreſſus eſt; dulcis Jeſus ad Inferos: Ille in Pharaonem inſurrexit; divinum Servatoris mei corpus Inferos diripuit. Ceterùm quod Moſes cum Aarone ſuo fratre ad Pharaonem abiit, hæreticorum impietatem evertit, (a) affir-
(a) Vide Nazianz. ad Cledonium. mantium, in Chriſti mei corpore, animæ vicem ſufficere divinitatem; atque ità malè docentium, non fuiſſe perfectum hominem. Nam ut illic per Moſen & Aaronem cum Pharaone locutus eſt Deus; ita & Servator meus atque Deus, anima intelligente, velut ſequeſtra, inter Deitatem & Corporis craſſitiem interpoſita; Dei & hominum ſequeſter factus eſt. Illic Moſes & Aaron Pharaoni ſeſe à Domino Hebræorum
Exod. 5.2. Deo miſſos dicentes, illud ab eo audiunt: *Quis eſt Dominus, ut audiam voces ejus.*
Pſal. 23. 9. 10. Itidem & in Orco, cœleſtibus copiis clamantibus: *Attollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ:* intelligibilis Pharao reſpondet: *Quis eſt iſte rex gloriæ?* Atque hîc (in Chriſto & diabolo) quiddam amplius, quam in Moſe atque Pharaone cogitandum eſt. Illic enim Moſes ſemel patratis decem miraculis, ſemel ſenſibilem Pharaonem aquis obruit; at meus Servator atque Deus non ipſe ſolum de intelligibili Pharaone triumphum egit; ſed etiam in ſe credentibus contra eum quotidie vires largitur, id quod notandum diligenter eſt. Nam ut illic Moſe & Aarone Pharaoni inſtantibus, dimitteret populum tridui iter, colendo ab iis Do-
Exod. 5.7. mino, eorum Deo; ille neque eos dimiſit, & paleas quoque ſubtraxit. Sic cum homo, qui eſt conſtitutum quoddam ex animo & corpore temperamentum, intelligibili Pharaoni inſtabat, ſineret ſe concordi ſtudio citra offenſam & putidas cogitationes SS. Deitatem venerari; ſceleſtiſſimus ille adeo non eſt paſſus hominem ad perfectionem evadere, ut vel exigua etiam virtute affectum, tanquam palea, deſpoliaret. Itaque Chriſti ſtudioſo cuique à Deo data eſt vis decem clades inferendi huic Pharaoni intelligibili.

Exod. 7.17. Quas obſervate porro, & utrinque numerum inite. Quemadmodum illic obfirmato Pharaone Moſes aquam in ſanguinem converſam, Ægyptiis minimè utilem reddidit; ita hic Chriſti mandatorum ſtudioſus aqua divinæ piſcinæ totus luſtratus, Inferni, & intelligibilis Pharaonis duces atque ſtipatores impotentes reddit, ne voluptatis
Exod. 8.5. vitia ex innato corpori ſanguine ad ſederivent. Cumque illic ſenſibilis in impietate, hic intelligibilis Pharao in malitia perſiſteret, uti tum per Moſen, Ægypti ſolum ranas protulit; ita nunc Chriſti ſtudioſus concitatas & noxias cogitationes ex animo amolitus, earum fætore intelligibilem Pharaonem ſuffocare nititur. Quippe in quorum hominum animis hæ cogitationes inhærent, in iis etiam earum fœtor permanet, autore
Pſ. 37.6. Davide: *Putruerunt, & corruptæ ſunt cicatrices meæ, à facie inſipientiæ meæ.* Sin ad divinam gratiam mens eadem pravas cogitationes ab ſe repellat, ad intelligibilem

Pha-

Digitized by Google

Pharaonem fœtor peſtifer redundat, teſte rurſum eodem Deiparente: *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ.* Ubi *matutinum* dicit, ſolis ſplendorem, qui mentem illuſtret; *peccatores* autem *terræ*, dæmones, eorumque anteſignanum Pharaonem. Sed mendacii ſatore magis etiam ad hanc cladem irritato, Chriſtianus in eum tertium adhibet tormentum: Nam ut illic à Moſe vapulat pediculis, ita hîc à pio vapulat precibus ſceleſtus ille & execrandus Pharao, & quemadmodum illic terra & aër pediculis referta, magnam Ægypti ducibus cladem attulerunt; ita cum omnia piorum hominum precibus replentur, ab his ter ſceleratus ille cum inferorum ducibus, medius cingitur & torquetur. Siquidem cum ſint hæ preces agiles, quibuſdam quaſi alis omnia pererrant.

SÆC. XIV. ANNO 1310. *pſ.* 100. 8. *Exod.* 8. 24.

Ac ne his quidem mollito, in eum pius tanquam Cynomyiam armat Dei charitatem. Verum præſtat ſenſibilem prius cladem exequi, ut ex imagine veritatem explicatam ſtatuamus. Ut Cynomyia alitum minima eſt, ſed quæ cani intolerabile pondus afferat: Nam illapſa plane inquietum animal reddit, nec volentem currere cogit, ac ſerio mandenda ſua ipſius cauda ſe inflectere, interdum verò etiam in terram deciduum gramini aſſiduè affricare, muſcæ cœtum ac commercium nullo modo ferentem: Itidem & pius adverſus intelligibilem Pharaonem charitatis arma expedit. Quod ſi animal reptile muſcæ commercium detrectat; quanto magis charitatis vim odii architectus diabolus? Neque enim ferre omnino poteſt, qui eſt ipſa quaſi natura invida, hominumque oſor, nos inferiores ſupra tenere, ipſe è ſublimi lapſus, & tenebræ pro luce effectus. Sed iis malis inultatus adeo pudefactus non quievit; ut aſperior etiam redditus ſit. Itaque illic quadrupedum ſtrages facta; hîc jejunio beluina atque bruta animi vitia proſtrata. Sunt enim vitia, quæ ratione & fiant, & curentur, rurſumque à ratione aliena; & incurabilia, quemadmodum Salomonis Sapientia declarat in hæc verba: *Fit enim ut deprehenſus fur furatus ſit, ut eſurientem impleat animam: qui autem adulter eſt, propter cordis inopiam, perdet animam ſuam.* Atque illic ut poſt Cynomyiæ cladem, quadrupedum omnium internecio eſt ſequuta; ita poſt jejunium hîc, beluinorum atque brutorum vitiorum interitus; quæ quidem nullo præſentiori remedio, quam jejunio ex animo exterminantur.

*Exod.* 8. 17. *Exod.* 9. 6. *Prov.* 6. 30. 31. 32.

Verum neque hoc facto ſceleſtus Pharao reſipuit. Quare illic quidem puſtulæ ferventes (maleficos torquebant) hîc in pio inteſtinus ignis, & flammam omnem ſuperans Zelus, in Pharaonem intelligibilem inſurgit; ſecundum philoſophum dicentem: (a) Iram in ſolum ſerpentem exerce. Jam verò, ut illic ſenſibili Pharaone, promiſſa, quæ dediſſet, fallente, grando cum igni extitit; ita hic quoque intelligibili, qui à pio dejectus eſſet, furente, divini ignis perennes in animo ſcintillæ, & jugis imber lachrymarum ex oculis fluens ac ſcaturiens exiſtit. Nam quemadmodum ſenſibiles oculorum pupillæ caligant, fumi acrimoniam non ferentes, atque ideo lachrymantur; ita intelligibiles mentis oculi, peccati acrimonia morſi, internam ſolicitudinem, atque emendationem lachrymarum defluxu teſtantur.

*Exod.* 9. 10.

(a) *Citat & hoc Philoſophi neſcio cujus, etiam Gregorius Theologus Orat. in novam Dominicam.*

Sed iis rebus utroque obfirmato manente, opus erat porro ad frugem aliis præterea cladibus; ut, qui beneficiis affecti non ſe gratos præſtitiſſent, plus caſtigarentur, & caſtigati, ex iis quæ paterentur, divinam vim agnoſcerent. Igitur cum nec afflicti agnoſcerent, addita locuſtæ calamitas eſt, quæ quicquid tota Ægypto viride eſſet, conſumeret. Ac Moſes quidem locuſtam excivit; at pius ineunda omni vitæ durate omnem corporis venuſtatem frangit. Nam ut illic viriditas locuſtis pabulum eſt, ita hic corporis venuſtas brutis affectibus. Atque interim obſtinato rurſum Pharaone, in Ægyptum aliis quoque cladibus ſævitum eſt, ſubductaque luce tenebræ tractabiles inductæ. At hic pius, qui exteriores tenebras reformidat, ſcelerumque lippitudinem ex animo, Dei notitiæ aquâ diluit; principis ſempiternæque lucis radios puros accipit. Sed ad utrunque, cum tergiverſarentur, cladibus terrendum, illa tandem ordine quidem extrema, ſed quæ dolore ac vehementia facilè prima eſſet; id eſt, primogenitorum mors ſuccedit. Atque ut illic plaga hæc poſtrema Pharaonem populo miſſionem facere coëgit, ad colendum Deum procul, ac ſeorſim à *deaſtrorum* ſacris, & cadaveribus; ita hîc quoque poſtrema intelligibilem Pharaonem compulit, extemplo pium ſinere SS. Trinitatem venerari, longe à concitatis noxiis cogitationibus remotum. Et quemadmodum illum ad omnes clades obſtinatum, primogenitorum interitus emolliit & inflexit; ita hunc frangit ac debilitat animi ſubmiſſio, omni ejus primogenio vitio, id eſt, arrogantia atque faſtu extincto. Ceterùm mutata ſententia, cùm dimiſſum à ſe populum perſequeretur, Deus, Moſe ſequeſtro, noctu igne, interdiu nube Iſraelitas deduxit. Ad eundem modum, ſceleſto dæmone, profugum à ſe pium, necquicquam ſubdolè rurſum inſequente, Servator noſter atque Deus per divinitatem ſuam atque corpus omnem terrarum orbem ab ignorantiæ tenebris ad Dei notitiæ lumen erudit. Atque illic populus trajecto mari rubro, Ægypto, ejuſque Principi Pharaoni elapſus, feſtum agitans; promiſſam porro terram pro virili invadere

*Exod.* 10. 12. 13. *Exod.* 10. 22. *Exod.* 11. 5. *Exod.* 13. 21. *Exod.* 14. 8.



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1310.

fategit; hîc mundus per Dominicum ſanguinem & aquam diro ac ſequace peccato, & Pharaone, acerbo atque inviſibili tyranno, cum acerbis exactoribus, liberatus, itinere tanquam poſtliminio ad cœleſtem mundum adornando, (a) Domino Deo noſtro liberalia agit, non tamen improbitatis malitiæque fermento, ſed ſinceritate, ac puritate, quaſi quibuſdam panibus infermentatis, nihil Ægyptiacæ atque impiæ maſſæ exportans. Tum Pharao inſequi auſus, cum omni exercitu deletus eſt: itidem & intelligibili Pharaone in Servatorem meum inſurgere auſo, intelligibilium draconum capita per ſacram tinctionem confracta ſunt: id enim & magnus ille Paulus in hanc ſententiam prædicat: *Nolo vos ignorare, fratres, quoniam patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moſe baptizati ſunt in nube & in mari.* Nam ut Moſes populum in promiſſam terram inducere eſt prohibitus, propter leve quoddam murmur: (num, putatis, inquit, *de petra hac vobis aquam poterimus elicere?*) ſed eam per vicarios explorare & cognoſcere voluit; ſic Adamus Dei præcepto non ſubnixus, amplectendo ſerpentis conſilio, immortalem vitam perdidit. Igitur illic Jeſus, Nave filius, Iſraelitas in terram promiſſam induxit ſalvos; hîc æterni & exortis principii Patris Filius, meus amor Jeſus, aſſumpto Adami temperamento, ſibi credentes in cœleſtem ac perennem Hieroſolymam perduxit. Vidiſtis olim figuras, nunc rem veram cernite.

(a) *Nazianz. Orat. in tarditatem.*

*Ex.* 14. 27.

1. *Cor.* 10. 1.

*Num.* 20. 12.

*Num.* 20. 10.

## CAPUT XXIX.

### *Cur Dei filius homo factus ſit.*

*Jud.* Bellè & conſentaneè Dei vatis oracula ſublimi ſenſu aperuiſti, vereque antiqua futurorum umbras & figuras docuiſti. Sed quæ eſt autem neceſſitas, quâve gratia Dei filium hominem factum dicitis?

*Chriſt.* Quod ſi omnino, quamobrem Deus cœleſtes copias, & Adamum creaverit, vos exponetis, facile & Unigeniti Incarnationem exploratè cognoveritis.

*Jud.* Per bonitatem, & ſolam, univerſi creationem Deum feciſſe, ex ſapientibus noſtris didicimus: Nam in Davidis Pſalmis hæc ſunt verba: *Secundum miſericordiam tuam memento mei tu.* Et rurſus: *Dulcis & rectus Dominus, propter hoc legem dabit delinquentibus in via.*

*Pſal.* 24. 7. 8.

*Chriſt.* Quod ſi ex bonitate, ut certe ex bonitate, Deus hominem fabricatus eſt; quanto magis ſartam tectam tueri fabricam decebat, nec committere, ut corruptela obrueretur? De eoque etiam Salvator de ovibus ad vos diſſerens, ait: *Pater meus, quod dedit mihi, majus omnibus eſt: & nemo poteſt rapere de manu Patris mei.* Tueri enim fabricam longe majus eſt, atque illuſtrius, quam fabricari. Nec ſane perinde eſt Deum hominem fabricari, ac hominem denique Deum fieri. Idque ſic habere de principibus noſtris intelleximus: dicit enim quidam primatum noſtrorum: (a) Deum tunc præſtantius contuliſſe, nunc deterius adſciſcere: hoc priori divinius, & ſi recte judicetur, ſublimius eſſe. Nam poſtquam terreſtris diaboli invidia, & uxoris fraude, cœleſtem ſe vocari non obſervans, pro vita mortem, non ſibi modo, ſed toti adeo generi concivit; Oportebat porrò cœleſtem & immortalem Deum, Gabrielis opera ex incontaminata & impolluta fœmina naſci; quemadmodum de viro ſine muliere efficta mulier eſt; ſic è muliere ſine viro Deum hominem virum prodire; ut peccati repertor inſuperabilem ſe arbitratus, nobis ſpe Numinis ineſcatis, aſſumpto viciſſim corpore ineſcaretur, quo Deum, ceu Adamum, adortus, occumberet. (b) Itaque exinanitum Numen cum aſſumpto corpore copulatum eſt, & inſolito temperamento Deus & homo ex utroque unum, & per unum utrumque factus, Deo cum corpore permixto atque devincto, ut quæ diſſiderent, cujuſdam tanquam medii commercio in unum componeret.

*Joan.* 10. 29.

(a) *Nazianz. in Natalem* 231. 20. & *S. Paſcha* 254. 35.

(b) *Nazianz. imitatur Apologet.* 18. 14. & *aliquot ſequentibus.*

## CAPUT XXX.

### *Cur Chriſtus homo ſimul & Deus.*

IGitur unus ex utroque pro uno deceſſore, ſeu, ut verius dicam, pro omnibus factus, in terram venit, animo præditus propter animum præcepti contemptorem, corpus geſtans propter corpus delicti adminiſtrum, ſimulque damnatum, peccato altior ac ſublimior; luteus, propter Adamum ſub peccatum ſubjectum, vetere cum novo, id eſt, humanitate cum divinitate conſerenda, & qui paſſus eſſet, eo per paſſionem revocando, ac pro noſtrorum unoquoque ſingulis viciſſim ejus, qui pro nobis objiceretur, præſtandis, atque hac benigna lapſi propter contumaciam procuratione, novo quodam arcano exhibendo. Hinc ortus atque Virgo, hinc præſepe & Bethlehem,

Digitized by Google

hem, ortus pro creatione, seu potius recreatione, Virgo pro muliere, salve pro dolore, Bethlehem pro Edem, præsepe pro pomario, Gabriel pro serpente, arbor pro arbore, in crucem expensæ manus pro malè exporrecta manu, fel pro dulci sapore, corona pro dejectione, lateris lancea pro ense paradisi, unguenta pro lachrymis, sindon pro siculneis foliis, nuditas pro scorteis vestibus, clavi propter ruinam & lamenta, erectio pro lapsu, arundo ad frangendam Maligni potentiam, mors pro morte, tenebræ pro luce, sepultura pro in terram reditione, ac demum resurrectio pro lapsi resurrectione. Atque hæc omnia Deus nobis curandis, ad nostræque imbecillitatis medelam comparavit, quo veterem Adamum, unde exciderat, reduceret, ac vitali arbori admoveret, (a) quem notitiæ arbor ineptè, nec suo tempore percepta, paradiso exegerat. SÆC. XIV. ANNO 1310.

(a) *Nazianz. in Epiphaniam.*

*Jud.* Quod si ad diabolum suum dejiciendum Deus homo factus est, næ id potius in fraudem Numinis sit: Nam si homo factus malignum dæmonem vicit, multò magis ut Deus & vincere poterat, & exitio dare: Nemo est enim Deo fortior. Itaque clamat Isaias: *Deus fortis* (præpotens) *pater futuri seculi, princeps futuri seculi.* *Isai. 9. 6.*

*Christ.* Rectè Isaiæ verba in medium protulistis. Sed non tam Dei potentiæ glorioſum est, adversarium vicisse, nec dæmoni pudendum, à Deo victum esse, quàm insigne Dei potentiæ; & maligno summum dedecus est, per carnem victum esse, ac luteum, cælestem factum; & quem divinitatis spe supplantaverat, eo per humanitatem deificato vicissim cernendo supplantari. Nam ut sanguinarii & improbi homines mundanum hoc regnum perfide refugientes, atque in montibus & rupibus, inediam tolerantes, haud sanè regem latuerunt; quin ille misso, quem habebat unigenitum, cum jurejurando, & liberalibus promissis, ad frugem redituros revocat, quibus non solum verba regii filii non reveritis, sed eum quoque cruentis manibus trucidare aggressis; rex factus certior, & ira incensus, eos excusationem nullam habere cogitans, missis suis copiis delevit. Itidem sanè & Deus & Pater Servatoris mei Christi, volens Judæis vaticidium omne ac delictum clementer condonare, Unigenam suum Filium, sui atque illorum sequestrum demisit. Quo beneficentiæ suæ studio non solum repudiato, sed illo quoque impiè in crucem acto, missis cœlestibus copiis, velut omni defensione carentes, æterno igne, diabolo, ejusque angelis parato, severè damnavit. *Alludit ad parabolam. Matth. 21. 33.*

Quare vos accipite, obsecro, frugi consilium: nam resipiscere potestis adhuc superstites, atque in mundo degentes, fugite erroris tenebras, & ad veritatis lucem convenite, operamque date, ut à deteriori statu, ac læva hædorum manu; ad Servatoris mei dextram cum ovibus astituri transeatis.

*Jud.* Enimvero & nos Prophetam magnum, efficacem, à Deo unctum expectare, id verum est; Dei Filium nec cælitus degressum, à prophetis audiimus, nec in cœlum rursum ascendisse.

*Christ.* Itaque porro, ut videtur, prophetas dicitis, non de Deo prophetias edidisse, sed de homine mero?

*Juda.* Ita est.

*Christ.* O stupiditatem! Et quis verò ex omni memoria, regum servis conservos præmittit, ac non potius filii adventus prævios, & præcones? Sed tamen prophetas nunc quoque evolvamus, atque iterum vos veritas docebit.

## CAPUT XXXI.

### *Cur Christus ex Virgine nasci voluerit.*

*JUd.* Quandoquidem nobis ortum sine tempore, seu verius supra tempus, eruditè comprobasti; age, amabimus te, & Dei cœlitus ad Virginem descensum explana, & qui prophetæ de eo apertissimè differant.

*Christ.* Audite (b) Hieremiam, dicentem: *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius adversus eum. Hic adinvenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Jacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est. Hic Deus noster.* Quis? qui ab omni æternitate est & in omnem æternitatem perdurat. *Et non æstimabitur alius adversus eum.* Quis alius non æstimabitur? qui scilicet ab Hebræis pro Dei Filio expectatur. *Hic adinvenit omnem viam disciplinæ.* Non profecto fullonicam, ac fabrilem artem, aut quæ reliquæ sunt ejus generis futiles; sed rerum notitiam, è terra in cœlum iter & ascensum, supra cælestem pulchritudinem; ac Dei comprehensionem, denique, & illustrationem, in quantum se quisque ad id comparasset; seu potius Opifex largitus esset. Igitur hic ille Opifex est, qui hæc *tradidit Jacob puero suo, & Israel dilecto suo.* Macte verbis & prophetia esto (c) Jeremia. Non enim ait, postremis temporibus comparebit in terris, & apud homines versabitur; sed qui futura explorata in se contineret, futura tanquam præsentia

(b) *Baruch. 3. 37.*

(c) *Baruch. 3. 37.*

præ-

Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1310. præsagivit. Et Sapientiæ hæc est. (a) *Cum meum filium non audierint, ego quoque eos non exaudiam, inquit Dominus Omnipotens.*

*Jud.* Insolens nobis non videtur, unctum à prophetis, puerum & filium Dei vocari. Nam & de nobis (b) Isaias effatur. (c) *Ephraim primogenitus meus est. Christ.* Dixin vobis, legis tegumentum, non è litteris, sed vestigatorum & quæsitorum intelligentiâ censeri. Ut enim tum non omnes sanè vultus Mosis splendorem irretortè intuebantur, sed soli divinitus electi; ita hic quoque mentis oculis capti, ad sacræ scripturæ lucem cæcutiunt, ut & vos in præsentia. Neque enim Salomonis vaticinium mentis vestræ oculorum lippitudinem ad cernendam veritatem absterfit, manifeste Unigenitum Dei Filium incommutatum hominem denique factum demonstrans; sed quod Sapientia Salomonis declarat, dicens: Cum meum filium non audierint; vos Dei Filii honorem intrepide ad vos trahere conamini. Quanquam non ut Sapientia filium appellat Dei Filium, itidem & vos Isaias (d) appellat natos, cum ait: *Primogenitus meus* (e) *Israelita*; sed illum naturalem, vos adoptivos. Nam nos primigenius sumus secundi Israelis (Christi. f)

(a) *Neutra Biblia ita habent.*
(b) *Jer.* 31. 9. & *juxta. LXX. cap.* 38.
(c) *ita utraque Biblia.*
(d) *Hierem.*
(e) *Ephraim. Gen.* 25. 23.
(f) *Sic. à S. Paulo Secundus Adam & futurus dicitur.*

## CAPUT XXXII.

### *Gens duplex, Gentilis & Hebræa.*

*Gen.* 38. 29. *Jer.* 2. 13. IN quam sententiam est notum illud Dei ad Rebeccam effatum: *Duæ gentes sunt in utero tuo*; & *major serviet minori.* Et de Phare atque Zara obstetrix ait: *Quare divisa est propter te maceria?* Sed nequid interim hic veridici videamini, Isaiæ de vobis prophetiam in medium proferamus. Nam etsi per prophetam Deus confirmat: *Primogenitus meus natus Israelita:* at audite quæ paulo ante, ac post consequuntur: *Duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt, fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas,* *Isa.* 1. 2. *cisternas dissipatas*; & rursum: *Filios enutrivi & exaltavi, ipsi autem spreverunt me.* Omnis quippe naturâ filius, ut deficiat à patre, naturam certe non amittit. Adoptivus autem, qui in naturam quasi vi invaserit, donec patri obsequitur, filius nominatur: Sin eum, cui additus sit, respuat, ejus nec filius quidem vocatur. Ad eundem modum, & parentes vestri, qui Deum reliquerint ac respuerint, ut Isaias ait, dæmonibus additi, vere Satanæ filii sunt.

*Baruch.* 3. 36. & 4. 1. Cæterum Jeremias post id dictum: *Hic est Deus noster & in terris visus est, & cum hominibus conversatus est*; subdit: *Hic liber mandatorum Dei.* Quis? Quem jam dixit: & *lex quæ est in æternum: omnes qui tenent eam, pervenient ad vitam: qui autem dereliquerunt eam, in mortem.* En vobis naturalem filium; neque enim contentus est propheta dixisse: *Hic est Deus noster, & in terris visus est, & cum hominibus conversatus est:* sed Dei præceptorum etiam librum appellavit, scilicet Dei, & Patris, & in perpetuum duraturam legem, id est, perennem, sine successione, impatientem finis.

*Baruch.* 4. 1. Addit: *Qui tenent eam, pervenient ad vitam*, æternam procul dubio. Nam qui æterno servient, æternùm unà etiam regnabunt. *Qui autem dereliquerunt eam, in mortem:* In mortem sanè non hanc se induent corporalem, (nemo est enim hominum mortis expers) sed animi; quæ & in extincto igne semper ardeat, & nunquam consumatur. Quod si ex Isaiæ quoque vaticinio intelligere vultis quid de unigenito censeat, audite palam vociferantem: *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus.* Quorum verborum hæc sententia est: Optifex ille futuri ac perennis ævi, Deus, potens, princeps pacis atque custos, Unigenitus æterni, & sine principio Patris, postremis temporibus sine mutatione corpore indutus, puer nobis natus, filius nobis datus est: datus quod erat, Deus; natus quod non erat, homo. *Et factus est principatus super humerum ejus*: Crux scilicet, Victoriæ & principatus signum.

*Isa.* 9. 6.

*Mich.* 5. 7. *Matth.* 26. Jam Micheæ hæc sunt verba: *Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel, & egressus ejus ab initio, à diebus æternitatis.* Quod si ab æternis temporibus ejus origo est, igitur qui natus est, Deus est, nullius enim meri hominis in omni memoria est ab æternis temporibus origo audita, sed Dei, hominis facti.

## CAPUT XXXIII.

### *Isaiæ vaticinium egregiè explicatum.*

*Isa* 11. 12. & *seqq.* RUrsum scribit Isaias: *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet. Et requiesçet super eum Spiritus Domini: Spiritus sapientiæ, & intellectus, Spiritus Consilii, & fortitudinis, Spiritus scientiæ, & pietatis, & replebit eum Spiritus*

Digitized by Google

*ritus timoris Domini: non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum audi-* SÆC.
*tum aurium arguet: Sed judicabit in justitia pauperes, & arguet in æquitate pro man-* XIV.
*suetis terræ: & percutiet terram virgâ oris sui, & Spiritu labiorum interficiet impium.* ANNO
*Et erit justitia cingulum lumborum ejus, & fides cinctorium renum ejus. Habitabit lu-* 1310.
*pus cum agno: & pardus cum hædo accubabit: vitulus & leo, & ovis simul morabuntur, & puer parvulus minabit eos. Vitulus & ursus pascentur: simul requiescent catuli eorum: & leo quasi bos comedet paleas. Et delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis: & in caverna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet. Non nocebunt, & non occident in universo monte sancto meo: quia repleta est terra scientiâ Domini, sicut aquæ maris operientes. In die illa radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, & erit sepulchrum ejus glorioſum.* Quæ est hæc radix Jesse? ex effœto utero prognata Virgo. Quis vero flos? ex Virgine incarnatus sine mutatione Deus. Cur autem non ait: *egreditur* fructus *de radice; sed flos de radice ejus ascendet?* Propter summam Virginis integritatem, quæ virum nullum experta esset. Nam sterilitates dissolvere plerunque Dei potentiam repræsentat: Ceterum Virginem parere cum viro non congressam, naturæ lege desperatum est. *Requiescet super eum Spiritus Domini.* Isai. 11. 2. Super quem? super radicis scilicet florem, & Virginis natum. Nam simile simili coalescit. Septem verò Spiritus, septem dona Spiritus intellige.

Addit porrò. *Non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet:* homines enim non ex æquo, & explorata veritate, sed ex apparenti æquo & veritate judicant. Quod perspiciens David, orat: *Judica me Domine secundum justitiam meam,* non ex ineffabili & immenso justitiæ tuæ pelago. Atque id verum esse, declarant, quæ sequuntur, Prophetæ verba: *Sed judicabit in justitia pauperes,* id est; animo humiles pro justitia sua explorata coronabit; quemadmodum de hoc quoque David profitetur: *Et humiles spiritu salvabit,* (a) *& terrarum illustres ex æquo corriget:* Terrarum illustres hic dæmones cogitandi sunt, & eorum administri: meritò enim, qui mundi principes sunt, terræ quoque illustres sunt, de iisque & David ait: *Arguam te, & statuam contra faciem tuam.* Quod addit: *percutiet terram virgâ oris sui:* dæmonum perniciem notat. Nam ut de cœli molitione scribit David: *Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum:* Ita & Isaias (b) dæmonum perniciem atque interitum vaticinans, terram sui oris effatis verberaturum prædicit. (c) Verbum oris, Unigenitum filium vocans, & *Spiritu labiorum suorum interficiet impium,* hic rursum dæmones, & eorum administri accipiendi sunt, quos paulò ante *illustres* nominavit. Atque ei nostræ orationi fidem faciunt, Christi mei in furiosos miracula luculenta. *Et erit justitia cingulum lumborum ejus, & fides cinctorium renum ejus.* Lumbos & latera dicens, omnem corporis coagmentationem innuit, & meum Christum ipsissimam esse justitiam & fidem: quod præsagiens & David ait: *Justitia tua justitia in æternum, & lex tua veritas.*

(a) ista lectio tantum in scriptoGræco est. Psal. 49. 21. Psal. 32. 7. (b) Græcus ἰουδαίων. (c) juxta LXX. λόγῳ στόματος. Isai. 11. 5. Psal. 124.

Quod subdit: *Habitabit lupus cum agno & pardus cum hædo accubabit: vitulus, & leo, & ovis simul morabuntur: vitulus & ursus pascentur. Simul requiescent catuli eorum:* Ex omni memoria in pietate consensum & conspirationem notat. Ac quemadmodum Daniel decem regna per decem cornua designat, ita & Isaias per hæc animalia, exterorum varietatem & diversitatem. *Et puer parvulus minabit eos,* exteros scilicet, natus ille nobis & condonatus puer Christus, quorum primos ad sui adorationem adduxit Magos. *Et leo quasi bos comedet paleas,* propter unionem divinitatis cum humanitate in una eademque hypostasi factam. Nec verò incongrue Romano id applicaveris imperio, propter leoninum quiddam ac regale, quod primum levi ac divino jugo, id est, evangelico præconio cervicem subjecerat, reliquis populis palearum instar devoratis. *Et delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis.* Infans atque lactens Christus; aspides; & aspidum soboles Pharisæi ac Scribæ sunt intelligendi; caverna & cubile Judæorum Synagoga, quam præsidens in templo, & manum agitans dulcis Jesus docebat. *Non nocebunt, & non occident, in universo monte Sancto meo.* Rursum Synagogæ insciti am notat: non solum enim unigenitum Dei filium in crucem actum non peremerunt, sed etiam quos illi prius morti dimiserant, hic ex mortuis postliminio restituit. *Quoniam repleta est terra scientiâ Domini.* Nam postquam ad inferos missus est Deus homo Jesus, tum verò Evangelicum præconium magis propagatum est: *Sicut aquæ mare operientes.* Quodnam mare aquis operitur? Et simulachrorum cultus æquor, & inhærens in lege umbratile quiddam atque imperfectum. *In illa die radix Jesse, qui stat in signum populorum, in ipsum gentes* (d) *sperabunt,* Sententia hæc est: Qui ex mortuis resurget die à Sabbatis altero, ex Jessæa stirpe erit, in eoque spem habebunt; non qui è Synagoga, sed ex gentibus. *Et erit sepulchrum ejus glorioſum.* Seu: (e) *ejus requies erit honor.* Ecce aperte Dei regnum: neque enim in quo acquiescat Rex noster, equites, arma, cataphracti, & satellites erunt, sed honor divinus. Quo pertinet, quod majoribus vestris Servator dixit: *Qui non honorificat*

(d) ita LXX. plerique deprecabuntur. (e) LXX. Joan. 5. 23. Joan. 14. 7.



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1310.

*rificat Filium, non honorificae Patrem, &: si cognovissetis me, & Patrem meum utique cognovissetis.*

## CAPUT XXXIV.

### *Aliorum Prophetarum oracula de Christo.*

SEd jam probè, opinor, Isaiæ verbis expositis, age, aliorum quoque Vatum sententias edamus. Itaque de Hierosolyma confirmat David: *Homo, & homo natus est in ea: & ipse fundavit eam Altissimus.* Est autem sensus hujusmodi: Supremus is, qui hanc Hierosolymam condidit, in ea denique homo natus est. Et Isaias: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Porro Emmanuel Hebræum, Latinè *nobiscum Deus*, redditur. Idem rursum: *Accessi ad prophetissam, & concepit, & peperit filium. Et dixit Dominus ad me: voca nomen ejus, Accelera spolia detrahere: festina prædari.* Et Moses in Numerorum libro: Orietur homo ex semine Israel, & imperabit multis gentibus, & exaltabitur regnum ejus. *Devorabunt gentes hostes illius, ossaque eorum confringent, & perforabunt sagittis* illius inimicum. Hostis verò hic diabolus est intelligendus, missilia Christi stigmata & notæ, idemque rursum ibidem: *Orietur stella ex Jacob*, & (a) exsurget homo ex Israel, & *percutiet duces Moab:* & quæ sequuntur.

Pſ. 186. 5. Isai. 7. 14. Isai. 8. 3. Num. 24. 8. ita XX. vulgata aliter. Num. 24. 17. (a) ita LXX.

Ceterum verum Deum esse Christum, Isaias comprobat his verbis. (b) Non angelorum, non hominum quisquam; sed ipse nos Dominus servavit, atque idem rursum, *Ecce servus meus, suscipiam eum: electus meus: dedi Spiritum meum super eum: judicium gentibus proferet; non contendet, non clamabit. Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet. Non erit tristis, neque turbulentus, donec ponat in terra judicium*, (c) & in nomine ejus gentes sperabunt. Idem de Joanne Baptista: *Regem cum gloria videbitis*, &: *Vox clamantis in deserto, parate viam Domini. Rectas facite (d) semitas Dei vestri. Omnis vallis implebitur; & omnis mons & collis humiliabitur.* Montem atque collem hîc dæmonum copias existima; quæ cœlo ob superbiam deturbatæ, ad terræ ima depressæ sunt. Vallem hominum naturam; quæ ob superbiam depressa, rursum Dei gloria repleta, atque in cœlos è terra sublata est: id enim significat, quod addit. *Erunt prava in directa, & aspera in vias planas, & revelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro (e) salutare Dei.* Et Amos propheta ait: *In die illa suscitabo tabernaculum David, quod cecidit: & reædificabo aperturas murorum ejus, & ea quæ corruerant, instaurabo: & reædificabo illud sicut in diebus antiquis.* (f) ut exquirant reliqui homines Dominum, & omnes gentes super quas invocatum est nomen meum: *Et dicit Dominus faciens hæc.* Quem verò Deum reliqui homines requisiverunt, cujusve Dei nomine & censæ sunt, & censeantur gentes, nisi planè unigeniti Dei filii, Dei hominis Jesu Christi? quemadmodum clamat Jeremias: (g) *Homo est, & qui cognoscet eum?* quia & Deus est; Et David ex persona Christi: *Confitebor tibi Domine Deus meus, & glorificabo nomen tuum:* id est, magnificabo & prædicabo: *quia misericordia tua magna est super me.* Non secundum æqualitatem meæ divinitatis, sed secundum mei corporis gloriam. Meus enim Jesus perfectus Deus, etiam perfectus homa factus est, unus ex duabus naturis, (h) quarum illa quæ incarnata est, deificavit, quæ vero carnea erat, deificata est.

Isai. 63. 9. (b) ita LXX. Isai. 42. 1. (c) LXX. Isai. 33. 17. Isa. 40. 3. 4. (d) LXX. Græcus m. s. (e) LXX. Amos. 9. 11. (f) LXX. (g) LXX. Jerem. 17. Pſ. 85. 12. 13. (h) imitatur Nazianz. in Epiphan.

*Et eruisti animam meam ex inferno inferiori.* Nam usque ad Christi descensum ad inferos, nullius hominis anima ab inferis est liberata. Quod si Jonas exclamavit; (i) *educ de corruptione animam meam*, at ejus anima iterum post egressum, ad inferos descendit. *Deus! iniqui insurrexerunt super me.* Pontifices & Sacerdotes, & *Synagoga potentium quæsierunt animam meam.* Herodes simul & Pilatus, qui per id tempus potestate improbè fungebantur, & *non proposuerunt te in conspectu suo*: Te enim, Pater, tuisque præceptis oblivionis profundo traditis, verè te contempserunt. *Et tu Domine Deus meus.* Domine ac conditor omnis creaturæ invisibilis, & *Deus meus respice in me, & miserere mei.* Respice in me secundum humanitatem, qui divinitate abes nunquam. *Da imperium tuum puero tuo*, id est, meam tui ex te ante Luciferum geniti potentiam demonstra: quale est & illud Domini, tempore passionis: *Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut filius tuus clarificet te: sicut dedisti ei potestatem omnis (k) carnis. Et salvum fac Filium ancillæ tuæ*: irreprehensæ Virginis. *Fac mecum signum in bonum*: id est, assumptum à me corpus ex morte suscita. *Ut videant qui oderunt me, & confundantur*: Verè enim ingens pudor erit scelestissimæ Synagogæ, mea post triduum resurrectio. *Quoniam tu Domine adjuvisti me, & consolatus es me*, id est, quod tu, Pater, jam olim de me consilium cœperis.

Pſ. 85. 13. (i) m. s. Græcus. Jon 2. Pſ. 85. 14. Pſal. 85. 15. 16. Joan. 17. 1. 2. (k) m. s. γῆς. Pſ. 85. 17.

CAPUT

Digitized by Google

Sæc. XIV. Anno 1310.

## CAPUT XXXV.

*Prophetarum de Christo Deo & homine Vaticinia.*

POrro autem & perfectum & Deum & hominem esse Christum, luculenter Vates demonstrabunt. Isaiæ quidem hæc sunt verba. Deus magnus & fortis non (a) esuriet. Davidis verò hæc sententia est: *Audi populus meus & loquar: Israel & testificabor tibi: Deus tuus ego sum. Non in sacrificiis tuis arguam te: holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper. Non accipiam de domo tua vitulos: neque de gregibus tuis hircos. Cognovi omnia volatilia cœli: & pulchritudo agri mecum est. Si esuriero, non dicam tibi: meus est enim orbis terræ & plenitudo ejus. Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* Quare nec taurinâ carne Deus vescitur, nec hircinum bibit sanguinem? quomodo igitur Vatum dicta conciliemus? cum dicat Isaias: (b) Deus magnus & præpotens non esuriet. David vero: *Si esuriero non dicam tibi. Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum putabo?* Enimvero sic habendum est; Esaiam, qui ad divinam, & perennem, atque sempiternam Christi naturam respiceret, quasique cum diabolo dissereret, qui Christum tentans jubebat, ediceret lapidibus, ut panes fierent, velut respondentem dicere: Scilicet Deum magnum ac præpotentem esurire? Quod à Servatore quoque responsum Malignus accepit: *Scriptum est; non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Davidem verò, qui in Christi olim incarnationem prospiceret, ac quemadmodum cum eo Judæi, tanquam mero homine, ac non etiam Deo consuescerent, & convitio jactarent: *Ecce homo vorax, & potator vini*; multo ante obturantem impudens eorum os, ex Christi persona confirmare: Quid me hominem solum cogitatis, ac non etiam Deum? Ego ille ex Virgine natus, sine mutatione Deus, esuriens atque comedens, vestro, ô Judæi, adminiculo non indigeo, meus cum sit orbis, & quidquid eo continetur. Neque verò tuas fæditates, id est, sceleста tua sacrificia, desidero sceleстissima Synagoga. Quod si vis omnino ad vitam ingredi, legis umbram, auditis meis consiliis atque mandatis, defere, atque ad Deum accedens, *Immola sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua. Et invoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis.* Et Jeremias: *Ecce dies venient, dicit Dominus, & non docebit ultra vir proximum suum, & vir fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum: omnes enim cognoscent me, à minimo eorum usque ad maximum.* Itidem de Gentium fide Isaias: *Faciet Dominus exercituum omnibus populis: in monte isto induent lætitiam; perfundentur unguento, bibent vinum*: ubi gaudium ad Baptisma refertur; & quo baptizatus ungitur, ad sacrum unguentum; vinum ad incontaminatum ac Dominicum sanguinem. Idem rursum: (c) *Decretum hoc est super omnes gentes: & dicent in illa die: Ecce Deus noster, in quem speravimus, exultemus in salutari nostro, & salvabit nos ipse Dominus.* Est autem hæc sententia: Ecce Deus ille noster, in quo spem habebemus, nobiscum est, hoc est, secundum corpus, iisdem quibus nos obnoxius. Itaque exultemus in salute nostra, Dei nostri gloria: Nam Domini gloria, scilicet Crux, nostra salus est. Et salvabit nos ipse Dominus; peccatis omnibus Cruci affixis. Atque id ita esse, (d) Angeli ad Deiparam verba ostendunt. *Et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, nobiscum Deus.* Jam Davidis quoque de Christo, ex Dei & Patris persona hoc effatum est: *Ponam in mari manum ejus, & in fluminibus dexteram ejus.*

(a) Isai. 40. 28. (a) LXX. Psal. 49. 7. 8. 9. (b) Isai. 40. 28. (b) m. s. Psal. 49. 12. Matth. 4. 4. Matth. 11. 19. Psal. 49. 14. Jer. 31. 34. Isa. 25. 6. (c) LXX. Isai. 25. 9. (d) Aliter Editio nostra. Matth. 1. 23. Psal. 88. 26.

*Jud.* Nullam de Christo prophetiam hic psalmus continet: de se enim Vates cum cecinit.

*Christ.* An de se David psalmum cecinerit, accuratius ex his quæ sequuntur, intelligetis. *Ipse invocabit me: Pater meus es tu*: Atqui in nullo psalmorum suum Patrem Deum appellabat David. *Deus meus, & susceptor salutis meæ.* Observate sanè. Patrem secundum naturam, Deum secundum assumptam humanam naturam: *Et ego primogenitum ponam illum.* Animadvertitis, ut de unigenito Dei Filio loquatur? Nam David nec Dei filius erat, nec Jesse sui genitoris primogenitus, id quod de se ipse testatur in hæc verba: (e) *Minimus eram in fratribus meis, & junior in domo patris mei.* Et alioqui si Davidis hæc prophetia de se ipso fuisset, dixisset utique; *Primogenitum posui illum*, non; *ponam illum. Excelsum præ regibus terræ.* At David Judæam solum tenuit, nec mari manus ipsius, nec fluminibus dextra ejus imposita est. *In æternum servabo illi misericordiam meam: & testamentum meum fidele ipsi.* At Davidi fœdus hactenus fidum mansit, ut ægrè ejus filius Salomon Judeæ sceptra retinuerit, Roboam vero Salomonis regno exciderit. *Et ponam in seculum seculi semen ejus; & thronum ejus sicut dies cœli.* Videtis filium? Nam sensus hujusmodi est. Complacet uni-

(e) LXX. Psal. 151. Psal. 88. 28. Psal. 88. 29. Psal. 88. 30.



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1310.

genitum meum filium ex semper Virgine Maria, quæ ex Davidis semine est, carnem assumere; & perfectus natura Deus, sine mutatione, homo etiam perfectus nascetur: Cujus demum solium ad cæli ætatem conservabo, in omnem seculorum perpetuitatem. Atque id ita esse, ex sequentibus erit apertius: Addit enim: *Si autem dereliquerint filii ejus legem meam: & in judiciis meis non ambulaverint; Si justitias meas prophanaverint: & mandata mea non custodierint: Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum.* Non ignorans, qui animos atque renes scrutatur, particulam SI, hic apposuit; sed judicii sui æquitatem demonstrans, cum additamento pœnam comminatus est. *Misericordiam autem meam non dispergam ab eo: neque nocebo in veritate mea. Neque profanabo testamentum meum: & quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita.* Significant autem hæc; quantumvis Davidis semen in regali Solio considere, atque in vos regnare haud videtis; ego tamen ex ejus semine Regem suscitabo omni terra altiorem.

Ps. 88. 31. 32. Ps. 88. 34.

*Semel in Sancto meo*, in meo scilicet naturali Filio, *Si David mentior*, juravi, inquam, Davidi non mentiturus: *Semen ejus in æternum manebit. Et thronus ejus sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta in æternum, & testis in cœlo fidelis.* Videte, quemadmodum de Deo homine Jesu Vates omnia prædicat. Quo pacto enim merus citra divinitatem homo perennis duret, ejusque solium, ut Sol apud Deum, utque Luna constet in perpetuum? Sed profecto hic ille est, de quo ex Dei persona prædicat: *Ex utero ante Luciferum genui te*, & rursum: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.* Nam hic vere est in æthere testis indeletus. Jam vero scribit (a) Isaias: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & suscitabo David germen justum: & regnabit Rex, & sapiens erit: & faciet judicium & justitiam in terra. Et hoc est nomen quod vocabunt eum*, (b) Ιωσεδεκ, *Dominus justus noster*, & Habacuc: *Operuit cœlos gloria ejus, & laudis ejus plena est terra.* Cujus ergo meri hominis majestas cœlos obtegat, cujus laude terra repleatur? Nimirum Dei hominis Jesu. Et in Paralipomenis, de suo Filio Deus confirmat: *Stabiliam regnum ejus: ipse ædificabit mihi domum, & firmabo solium ejus usque in æternum. Ego ero ei in Patrem; & ipse erit mihi in Filium, & misericordiam meam non auferam ab eo.* Et rursum: *Ipse erit mihi in Filium, & ego ero illi in Patrem firmaboque solium ejus in Israel in æternum.*

Ps. 109. 3. 1. (a) Jer. 3. 2. 5. 6. (b) LXX. Habac. 3. 3. 1. Paral. 17. 12. 13. 1. Paral. 22. 10.

*Jud.* Et cur autem non dixit? Stabiliam thronum Filii mei; quia Pater illius sum: sed, *erit mihi in Filium, & ego ero ei in Patrem?*

*Christ.* Non de perenni natura; atque regno sui Filii hoc locutus Pater est; sed de temporali regno & assumpto: Neque enim concidit perenne ejus regnum, neque inconcussum ejus solium, stabiliri opus habebat. Quare de nostrate regno atque solio David differit, & domum construendam novam Ecclesiam significat: Nam superna domus, ac perenne regnum ex omni æternitate, atque in omnem perpetuitatem constat, nunquam labefactandum: Isaias quoque, ex persona Christi ait: *Ego Dominus loquens justitiam, annuntiam recta. Congregamini, & venite, & (c) accedite simul qui salvati estis ex Gentibus. Ego Deus, & non est alius Deus justus & Salvator non est præter me. Convertimini ad me, & salvi eritis.* Et Moses, ex ejusdem persona: (d) *Expectetur ut pluvia doctrina mea: fluat ut ros eloquium meum.* Jam Dei & Patris per Isaiam ad Filium hæc sunt verba: *In tempore placito exaudivi te, & in tempore salutis auxiliatus sum tui, & dedi te in fœdus populi, ut suscitares terram.* Et per eundem rursum: *Dedi eum ducem, ac præceptorem Gentibus. Ecce Gentes quæ te non cognoverunt*, (e) *& populi qui nescierunt te, invocabunt te.* Rursum ait Isaias. Ecce venit Dominus. Quomodo? *Qui ambulat in justitiis, & loquitur veritatem;* (f) *& odio habet iniquitatem & injustitiam*, & *excutit manus suas ab omni munere; qui obturat aures suas, ne audiat sanguinem.* Videte ut incarnationem propheta demonstret. Neque enim ex his Davidis verbis: *Oculi Domini super justos, & aures ejus in preces eorum: vultus autem Domini super facientes mala:* & hæc Isaiæ sunt interpretanda: nam ille partim benignitatem, partim vindicem Dei potestatem describit; hic dum dicit manum, ne dona capiat, arcet, auresque ne injustam capitis inquisitionem inaudiant, obturat, incarnationem ejus proponit.

Isai. 45. 10. 20. 22. (c) LXX. βουλεύσασθε. Deut. 32. 2. (d) LXX. προσδοκάσθω. Isai. 49. 8. Isai. 55. 4. 5. (e) LXX. Isai. 53. 15. (f) LXX. Ps. 33. 16. Isai. 53. 15. Isai. 33. 16.

Atque id verum esse, ex iis quæ post differuntur, intelligetis: Addit enim; *Claudit oculos suos, ne videant malum*: iis verbis Domini necem & Judæorum obstinationem notans. *Iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas ejus.* Accipite Incarnationem: nam nisi de ea dictum hoc est; ubinam alioqui comprehendatur, qui ubique præsens cuncta complet. *Panis ei datus est:* id est, pane ad Incarnationis fidem vesciturus; & *aquæ ejus fideles sunt:* Scilicet sacrum baptisma, seu salutaris doctrina; quemadmodum & Christus ipse ad Samaritanam differit: *Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi: Da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam vivam*: ut non sitires in æternum. Et rursum. *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*: Divinæ ac salutaris doctrinæ sermones. (g) *Regem cum gloria vide-*

Joan. 4. 10. Joan. 7. 38. (g) LXX. Osee. 3. 5.

Digitized by Google

*videbitis*, id est, hominem cum divina gloria. Et Oseas: *Posthæc revertentur filii Israel, & quærent Dominum Deum suum, & David regem suum: & pavebunt ad Dominum, & ad bonum ejus in novissimo dierum:* Quæ de Deo homine Jesu disputat propheta, partim Dominum Deum propter ejus divinitatem vocans, partim Davidem propter humanitatem, ceu ex Davidis stirpe natum. Ubi est enim Davidis demum benignitas, postremis illis tempotibus, nec benignitas modo, sed quæ homines quoque in stuporem adducat? Et Jeremias, de pueris propter eum interfectis: *Hæc dicit Dominus: Quiescat vox tua â ploratu, & oculi tui à lachrymis: quia est merces operi tuo.* Quod idem & de quovis pœnitente dicit. Idem rursum: *Non interibit de David vir, qui sedeat super thronum domus Israel.* Igitur si non venit Christus, mendax est propheta. Excidistis enim, Judæi, primùm quidem gratiâ Dei & procuratione, deinde & Hierosolymitana sede. Absit vero, Deus immortalis! ut mendacem Dei prophetam appellem. Sed cum ad Christum usque regnaretis, regnumque & sacerdotium teneretis, veniens Christus, qui humanitus ab Davide genus duceret, consubstantialis & coæternus Patri Filius, Israelitarum atque universi orbis imperium accipit. Id quod & David confirmat, in hæc verba: *Domine, in virtute tua lætabitur Rex & super salutare tuum exultabit vehementer. Desiderium cordis ejus tribuisti ei: & voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.* Videtis ut de Christo loquatur? nam si Ezechiæ fortasse tribuetis, ad Christum tamen verè refertur. Quis enim rex propter animi optata, & orationis postulata Numen propitium habuit. Atque id verum esse, idem propheta rursum alio psalmo demonstrat. *Benedic anima mea Domino: qui replet in bonis desiderium tuum.* Quod si Davidi præstitum non est, ecquis alius rex de eo se jactabit? Enimvero postquam dixisset. Domine in virtute tua lætabitur rex: ceteraque quæ eo carmine prænunciat, indicans apertius, de quo rege vaticinium edidisset, ait; *Vitam petiit à te: & tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum, & in sæculum sæculi.* Atque nullus plane præter Christum rex perennis vivit, atque regnat. Atque hæc quidem prophetarum sunt. Quin nos quoque hactenus Dei Filii atque Verbi Incarnationem edidimus; neque enim fas est amplius. Nam ut mare cyatho metiri non possis, quod multis atque ingentibus fluviis rigetur (etsi ne sic quidem exactam veritatem consequatur exemplum) ita sanè, & illam pro dignitate, edisserere ac vel mediocriter perscrutari, humanæ menti inconcessum est.

SÆC. XIV. ANNO 1310.

Jer. 31.16. Jer. 53.17. Psal. 20.1.2. Psal. 102. 1.5. Psal. 20.5.

## CAPUT XXXVI.

### *Alter Isaiæ de Messia locus expositus.*

SEd quoniam nobis ter Sancti ac Vivifici Spiritus processionem Moses præ cæteris Vatibus obsignavit, accedat verò & Isaias, qui Unigeniti Incarnationem obsignet. Igitur prophetarum illustrissimus profitetor, quid Deus locutus sit ad Achaz. *Et adjecit Dominus loqui ad Achaz, dicens: Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni; sive in excelsum supra. Et dixit Achaz: Non petam, & non tentabo Dominum. Et dixit* (a) *Isaias: Audite ergo domus David: Nunquid parum vobis est, molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum, & mel comedet.* (b) *qui antequam sciat aut præferat malum, eliget bonum. Et dixit Dominus ad me: Sume tibi librum novum grandem, & scribe in eo stylo hominis.* (c) *Velociter spolia detrahe, cito prædare.* (d) adest enim. *Et adhibui mihi testes fideles, Uriam Sacerdotem, & Zachariam filium Barachiæ: & accessi ad prophetissam, & concepit, & peperit filium. Et dixit Dominus ad me: Voca nomen ejus, Accelera spolia detrahere:* Festina *prædari. Quia antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam, accipiet fortitudinem Damasci, & spolia Samariæ coram rege Assyriorum* Nobiscum Deus. *Scitote gentes, & vincimini, & audite universæ procul terræ: quia nobiscum Deus. Confortamini & vincimini: Si enim denuo confortabimini; denuo vincemini inite consilium & dissipabitur: loquimini verbum & non fiet:* quia nobiscum Deus.

(a) m.s. Gracus & nota ad LXX. Isa. 8.1.2.3. (b) LXX. & alia paulo aliter. (c) LXX. pro auferetur fortitudo. (d) MS Gracus, & reliqua. Isai. 8.9. Isai. 7.10. Ibid.

Cæterum in primis dignum quæstione est, quamobrem dicat propheta: *Et adjecit Dominus loqui ad Achaz, dicens:* De Deo ejusque adventu propheta dicturus, ne quispiam suspicaretur, alium esse, qui à prophetis se prioribus fuisset prædicatus, & alium, qui à se ipso tum prædicaretur, voculas, & *adjecit*, prophetiæ voluit præfigere; quasi diceret: inter alias Vaticinas præsagitiones, quas Spiritus Sanctus de Unigenito Dei Filio, per prophetarum linguas promulgavit, insuper adhuc *adjecit Dominus loqui ad Achaz: Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra.* Nec verò jubet Deus Achaz ceu diffidentem petere signum. Apage.



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1310.

ge. Quomodo enim jubeat ſignum petere, qui etiam juſſus abnuat? Sed nimirum; ut præſcius, Synagogæ incredulitatem prævidens Deus, Achaz mandat, ſignum peteret. Quemadmodum aliquando & Thomæ obſtinatio cæteros ad exploratam Chriſti Reſurrectionis fidem pertraxit, atque confirmavit; ita fanè & Achaz ſignum petere; omnes ad veri credulitatem adduxit & conſtabilivit. Et ſi verò Achaz abnuere, ac reſpondere: *Non petam, & non tentabo Dominum*, Iſaias tamen pro eo exclamat. *Audite ergo domus David:* Ecce ad quos promiſſum pertinet, eos *domum Davidis* appellat, quaſi in memoriam revocans Davidis verba atque fidem, quam juratam Davidi Deus non ſit revocaturus. Nam, *juravit Dominus David veritatem, & non fruſtrabitur eam:* Quæritis, quæ ſit ea veritas, intelligere? *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. Si cuſtodierint filii tui teſtamentum meum, & teſtimonia mea hæc, quæ docebo eos, & filii eorum uſque in ſæculum, ſedebunt ſuper ſedem tuam. Quoniam elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem ſibi. Hæc requies mea in ſeculum ſeculi: hic habitabo, quoniam elegi eam. Viduam ejus benedicens benedicam, & pauperes ejus ſaturabo panibus. Sacerdotes ejus induam ſalutari: & ſancti ejus exultatione exultabunt. Illuc producam cornu David; paravi lucernam Chriſto meo. Inimicos ejus induam confuſione, ſuper ipſum autem efflorebit ſanctificatio mea.* Hujus ergo promiſſi finem notans Iſaias, domus Davidicæ meminit.

Iſai. 7. 12.

Iſai. 7. 13. 14.

Quod addit: *Nunquid parum vobis eſt, quia moleſti eſtis hominibus? quia moleſti eſtis & Deo meo?* Fidem hujus Achaz collaudans propheta ait: *Propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum. Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Ei dicto, *Dabit Dominus ipſe vobis ſignum*, ſubjecit: *Ecce Virgo*, &c. Nam ex omni memoria fando inauditum eſt, Virginem filium genuiſſe. Itaque non ſignum modò, ſed miraculorum omnium mirificiſſimum eſt hoc, & arcanorum ac prodigiorum longè arcaniſſimum ac prodigioſiſſimum. *Butyrum & mel comedet.* A miraculo ad miraculum digreditur; etenim præfatus: *Deus magnus ac præpotens non eſuriet.* Nunc Unigeniti Incarnationem comprehendens ait: quem pro ſupratemporali natura haud eſuriturum præcecini, nunc ex Virgine hominem natum, citra peccatum, butyro ac melle veſciturum præſagio. Butyro autem atque melle nominando, iterum nobis Davidis vaticinia in mentem revocat: unum hujuſmodi: *Impinguaſti in oleo caput meum.* Alterum. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo!* Ceterum audiens: *qui antequam ſciat, aut præferat malum, elegit bonum.* Ne peccati expertem, ſciturum, aut malum admiſſurum unquam finge: ſed priuſquam id fiat, ex Virgine natum eligendo bono ſacrum futurum, nam, *omne maſculinum adaperiens vulvam, ſanctum Domino vocabitur.* Igitur qui ex utero conſecratus ſit, qui tandem ſciat, aut malum admittat? Quare dubium non eſt, quin perfectum hominem fore, qui naſceretur, ſed à peccato alienum deſignarit: nam de eo idem rurſum confirmat: *iniquitatem non fecit, neque dolus fuit in ore ejus: & cum ſceleratis reputatus eſt*, innocens tamen cum eſſet. Quare ſi à malo mala ſunt; Deus autem bonus eſt, & boni hominibus largitor, meritò ille boni omnibus autor, humanitatem ſuam Divinitatis bono impertiit.

Pſal. 225. Pſ. 118. 103. Iſai. 7. 15. Exod. 13. 2. Luc. 2. 23.

Iſai. 53. 9. 12.

Iſa. 8. 1.

*Et dixit Dominus ad me*, id eſt demonſtravit: *Sume tibi librum novum, grandem.* Volumen hîc Virginis alvus intelligatur. Nam ut in tabulas Moſi traditas exaratis divinitus litteris, decalogum Deus inſcripſit, ita & in Virgineo quaſi volumine, perennis ac ſine principio Patris, & ter Sancti ac Vivifici ope Spiritus, Unigena ac Dei Verbum deſcriptus eſt habitator. Quod autem ſubdit, *novum, grandem*, veram umbræ legis imaginem notat. *Et ſcribe in eo ſtylo hominis.* Videte quemadmodum paulatim propheta arcanum Patris conſilium prodat. *Sume*, inquit, *novum grandem librum.* Quibus verbis beneficam Patris de Filio voluntatem ſignificat, *& ſcribe in eo ſtylo hominis.* Quaſi diceret; etſi Dei natura Filius, & mutationis expers Deus, inconfusè, citraque peccatum perfectus homo etiam naſcerer, quippe humanam ſpeciem per humanum ſtylum innuit. Quid ita? *Velociter ſpolia detrahe, cito prædare.* Eo dicto Davidis iterum verba ad memoriam revocat. *Aſcendiſti in altum, cepiſti captivitatem.* Enimvero, *altum*, Crucem intelligit; captivos abductos, Orci demolitionem, & jam olim captivorum redemptionem. Oſtenſurus autem propheta decretum irrevocabile, addit: (a) *Adeſt enim:* in hanc ſententiam. Ne, quoniam futurum eſt, de re diffiſum ito, nam mihi quidem Deus hoc ita declaravit, tanquam quod adeſt, id eſt, factum eſt. (b) *Teſtes adhibe mihi viros fideles.* Teſtes hîc, non qui rem adeo teſtarentur, ſed qui teſtificati ſanguinem effunderent, exiſtima. *Uriam Sacerdotem, & Zachariam filium Barachiæ.* Zacharias in præſentia, non Eliſabethæ maritus eſt credendus, ſed alius Ezechiæ tempeſtate. Extitit enim ante Ezechiam Rex impius, Davidis ſtirpem propter inita cum eo divinitus promiſſa, delere ſtudens: quo tempore Urias & Zacharias nacti unum Davidicæ ſtirpis, quod ſemen Davidis ſuperſtes vellent, clam eum habuerunt. Quo pòſt comperto, ille eos Martyrum cho-

Pſ. 67. 19.

(a) LXX.

(b) LXX.

ro

Digitized by Google

ro laureatos addidit. Historiam ex Regum libro accuratius cognosce. *Et accessi ad prophetissam, & concepit, & peperit filium.* Quam appellat verò prophetissam? Virginem ac Deiparam, quæ cecinit: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes: quia fecit mihi magna, qui potens, & Sanctum nomen ejus.* Ecce autem certissimum Vatem! Supra inquit. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium*, paulò post ait: *& concepit, & peperit filium.* Quomodo? illic omnino ut futurum, hîc ut certum. *Accessi ad Prophetissam.* Hoc velut ab Archangelo Gabriele ad Virginem dictum intellige, nam extemplo ad ejus nuncium explorate Virgineus conceptus fuerat secutus. SÆC. XIV. ANNO 1310. 2. Paral. 24. & 4. Reg. 11. Luc. 1. 43. 48. Isa. 7. 14. & 83.

*Et dixit Dominus ad me: Voca nomen ejus*: aut Christum, quod Judæis unctum notat; aut Emmanuel, quod perinde est, ac si dicas, *nobiscum Deus*; aut Jesum, quod *salus* redditur. Hæc enim nomina utramque Christi naturam repræsentant. Sed quæ sequuntur scrutemur. *Accelera spolia detrahere: Festina prædare.* Hoc pernicem Salvatoris vim declarat. Atque id verum esse, ipse adeo Vates nodum dissolvens, ait: *Quia antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam, accipiet fortitudinem Damasci.* Videte prophetæ super puero accuratam diligentiam: siquidem non dixit, priusquam sciret Christus, aut Jesus; aut Emmanuel, quæ utrumque notant; sed, *puer*; nam secundum expertem temporis naturam, est Deus fortis, præpotens, princeps pacis, pater ævi futuri: secundum temporalem, natus ex Virgine puer, Damasci opes, Samariæque spolia recipiet ab Assyriæ Rege. Quod comprobans Vates, addit *nobiscum Deus:* Scilicet supratemporalis, & omnipotens Deus; cum semper Virgine Maria, ac per eam nobiscum. *Quamobrem scitote gentes, & vincimini.* Gentes appellat, non quæ Christum adorant, atque venerantur, & Deum confitentur ac concelebrant, quæ ex gentibus Ecclesia est, sed quæ in idolorum cultus scelere permanent. Nam eæ demum profligandæ gentes sunt, quæ Christi nomine non gloriantur. *Audite universæ procul terræ:* iis verbi Dei ad inferos descensum, & Evangelici præconii significat propagationem: ita enim & Servator meus in Evangelico loquitur: *Prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus: & tunc veniet consummatio. Confortamini & vincimini.* Dæmones, inquit, qui in nos homines potestatem exercetis ob peccatum, profligabimini ejus viribus, qui pro nobis incarnatus est. Quod iterum victi confligatis, ut estis impudentissimi; at iterum denique profligabimini, per Christi resurrectionem prostrati. Nam Christo in vitam restituto, non jam deinceps mors dominatur, & prostratæ dæmonum copiæ sunt. Potest autem id quoque de sensibilibus gentibus sic accipi, quin & ad Christum referri, quem sæpe, ut hominem petitum diabolus tandem Deum nactus, concidit. Isai. 8. 3. Isai. 8. 9. Matth. 24. 14. Isa. 8. 9.

Inite consilium; quantumvis contra Christum: quamtumvis enim avarum Judam aggressi, cum arrogantibus ac superbis Scribis & Legeconsultis, quantumvis cum Anna & Caipha, scelestis Pontificibus ac denique cum Herode & Pilato, efferis atque inhumanis principibus conspiretis, consilium vestrum Dominus Deus dissolvet, id est, frustrabitur, & impotentes ac invalidos vos ostendet. *Consilium dissipabitur: loquimini verbum & non fiet.* Id quale sit, scire aventes, Matthæus publicanus docebit, cujus è sacro Evangelio hæc sunt verba: *Altera autem die, quæ est post Parasceven, convenerunt Principes Sacerdotum, & Pharisæi ad Pilatum, dicentes: Domine recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens: Post tres dies resurgam. Jube ergo custodiri sepulchrum usque in diem tertium: ne fortè veniant discipuli ejus, & furentur eum, & dicant plebi: Surrexit à mortuis: & erit novissimus error pejor priore.* Hoc igitur consilium & decretum Deus dissolvet. Siquidem *nobiscum Deus.* Nobiscum Deus est ab Abrahamo per prophetas, usque ad Cæsaris Augusti censum: Nobiscum est in assumpta carne conversans, usque ad descensum ac regressum ex inferis; Nobiscum usque ad seculorum finem, atque in omnem perpetuitatem. Hoc enim significat ter à Propheta usurpatum: *Nobiscum.* Scitote gentes, ut nobiscum Deus est: *audite universæ procul terræ; quio nobiscum Deus est, loquimini verbum, & non fiet: quia nobiscum Deus.* Matth. 27. 26. 63. Isai. 8. 10. LXX.

Quid agimus? hæccine disputata hactenus de Dei Filii Incarnatione satis sunt, an plura quoque vultis differam? Enimvero neque ego plura addere possim, nec vos accipere. Quin adderem plura, si disputationi addictos cernerem. Sed quoniam orationis satietas inimica est, non dicentibus, sed auditoribus, sufficere, opinor, quæ diximus, *ne ultra Gades*, quod aiunt, trajicere conemur. Igitur ad alia est transeundum.

CAPUT

Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1310.

## CAPUT XXXVII.

*Deum hominem fieri voluisse, & de stirpe Davidis.*

*Jud.* Descenderit sanè cœlitus Dei Filius, & incarnari sustinuerit; unde autem constat, ex Abrahami & Davidis semine hominem fieri voluisse?

*Christ.* Ex Josephi genealogia.

*Jud.* Et quamobrem Virgo recensita non est, sed Josephus? Nam si secundum humanam naturam ex virgine Christus est, ex Josepho autem nullo modo, (qui quidem sponsus, non maritus fuerit) cur illius potius descriptum genus est? Igitur si ex Davidica tribu Virginem nobis demonstrus, hunc ipsum verum esse Christum admittimus; & Virginem Deiparam fatemur: Davidis enim ex Dei persona de ea hæc sunt verba: *Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus.* Et post pauca: *Adducentur regi Virgines post eam, proximæ ejus offerentur tibi:* Sin ex Josephi duntaxat genealogia, tum Davide ortum non admittimus.

Ps. 44. 14. Ibid. 15.

*Christ.* Ajunt sapientes; *Simplicem esse veritatis orationem.* Itaque si avetis vos quoque certum cognoscere, simplicem veritatem admittite. Nam vitilitigatori studium est per omnem vitam dissidere, inimicitias amplecti. At veri studiosus, tanquam lancem, conscientiam suam iis, quæ dicuntur, adhibens æquam, (a) non omnia improbè gestit vincere, sed est ubi & vinci facile patiatur. Igitur erat apud vos, quod perspicuè scitis, lex, suæ quemque tribus atque generis sponsam capere, qua re ex Archivis vestris usque ad præsentem Christum Genealogia suppeditat. Nam ni id sit, quî poterant Evangelistæ, Matthæus quidem ab Abrahamo per quadragesimum alterum genus, ad *Christum* devenire, Lucas autem à *Christo*; qui alter est *Adamus*, ad primum evadens, septimum & septuagesimum sine fraude exequi? Quare & *Josephum*, Davidicæ tribus, quod ipsi testemini, sui generis atque tribus uxorem cepisse; est necesse. Sed ecquid, si fortasse Virginis genus minus accuratè habeam cognitum, ex eo veritatem cavillemini; contraque *Deiparam* sententiam dicatis? Enimvero ut perspectum non haberem, omnino haberet, qui cuncta novit, neque ob meam ignorationem Virginis Deiperium (ut ita dicatur) frustra esset. Nihil prorsus! Nec enim propter cæcutientes Sol non oritur, aut propter cœcos visu præditi lumine destituentur.

(a) *Nazianz. in Julianum* 42. 47. *Matth.* 1. 1. *Luc.* 3. 23.

## CAPUT XXXVIII.

*Mariam ortam è stirpe Davidis, probatur ex genealogia Judæorum.*

QUin editam Davidis genere atque stirpe Virginem dabo, neque id verò ex nostratibus scriptis ac decretis, sed Judaico quodam libro, in quem Orestiade incidi apud Judæum Eliam, Legisperitum cognomine. Is in Virginem debacchatus, sic habebat. *Quid tantopere Mariam extollunt Christiani, Cherubinis augustiorem, Seraphinis sine comparatione digniorem, cælis sublimiorem, solaribus radiis puriorem appellantes? Siquidem fœmina est Davidicæ gentis, Anna matre, Joachimo parente nata, qui Pantheri fuit filius. Panther & Melchi fratres, filii Levi stirpis Matthan, cui David pater ex tribu Juda.* Igitur defuncto Matthan Jacobi patre, Melchi Matthanis uxore, Jacobi matre vidua ducta, ex ea Elim sustulit; ita erant Jacob & Eli uterini, non germani fratres. Eli anno quinto & quadragesimo sine liberis extincto, Jacob uxorem Eli (jam defuncti) lege duxit, semen fratri excitaturus, qui ex ea filium Josephum genuit, prolem naturâ sibi quæsitam, lege Eli. Fuere igitur Panther & Melchi fratres, Levi filii (ut ostensum est autoribus Hebræis) affines Joachimi: ut Maria Joachimi fuerit filia, Josepho collocata secundum duas stirpes, Matthanis atque Salomonis, paternò genere Davidis, materno Jacobi consobrini, patris Joachimi affinis.

Habebat idem liber & Josephi genealogiam, ei geminam, quæ in sacro Matthæi Evangelio descripta est. Ceterum ajebat, habuisse Josephum filios quatuor ex uxore Salome, Jacobum, Simonem, Judam & Josen; filias tres, Esther, Tamar, & Salome, quæ Zebedæo conjunx, Jacobum & Evangelistam Joannem edidit. Erat autem Josephi uxor Aggæi filia, fratris Zachariæ sacerdotis, patris Joannis Baptistæ. Zacharias & Aggæus Barachiæ filii, Abia Sacerdote nati. Porro erat id temporis Joseph viduus: Ut fuerint Salome & Joannes Baptista fratrum filii, & huic Aggæus, illi Zacharias patruus. Salomen dico non obstetricem Virginis Mariæ, sed Josephi fabri uxorem. Nam obstetrix illa consobrina erat Elisabethæ atque Virginis, ut ostendit sacrum Lucæ Evangelium. Erant enim tres sorores Bethleemenses ex Cleopatræ & Sosipatri regno, ante Herodis Antipatri regnum. Primæ nomen Maria, alteri Sobe, tertiæ Anna.

Digitized by Google

Anna. Earum prima in Bethleem nupta Salomen obstetricem peperit. Altera & ipsa in Bethleem, Elisabetham; tertia in Galilæa genuit Virginem Mariam, quam & Deiparam Christiani vocant: Ut sint Salome, & Elisabetha, & Virgo, trium sororum filiæ. Ita is liber genealogiam Virginis explicatam continebat, qui & aliorum quorundam Judæorum genus declarabat, qui, nihil interest, ut nunc dicantur. Sæc. XIV. Anno 1310.

*Jud.* Sanè venturum Christum & nos speramus; venisse haud dum credimus; siquidem nondum adventus Israelitarum Christi regis tempus est.

*Christ.* Non rectè vos scripturas animadvertere & sæpe dixi, & nihil mirum, quando & Isaias de vobis est locutus in hanc sententiam: *Audivi vocem Domini dicentis: Vade, & dices populo huic: Audite audientes, & nolite intelligere: & videte visionem, & nolite cognoscere.* (a) *Incrassatum est cor populi hujus, & auribus suis graviter audiunt, & oculos claudunt; ne forte videant oculis, & auribus suis audiant, & corde suo intelligant, & convertantur & sanem eos.* Isai. 6. 9. (a) LXX.

Ceterum prophetas de venturo Christo, non eo quem vos expectatis Errone, non Deo, sed Antichristo, aperte prædixisse, audite in hæc verba loquentes. Venit Christus, in quem qui credit, regnabit cum eo; qui non credit, Hierosolymâ profligabitur; non illâ inferâ, sed superâ ac cœlesti.

## CAPUT XXXIX.

### *Danielis prophetia de Christi adventu.*

SEd placet, ut hanc vestram expectationem falsam vincamus, rursum vaticina scripta evolvere. Igitur audite in primis Danielis, quæ sic habent. Danielem, cum obitis etiam jejuniis, pro populo supplicaret Deo, Angelus Gabriel alloquutus est: *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super urbem sanctam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio, & prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum:* Qui Christus est, perennis justitia, hominibus noxas omnes condonans, & visa atque vaticinia obsignans, id est, concludens. Nam post ejus adventum non jam porrò est usus propheta. Vates enim cuncti usque ad Joannem Baptistam vaticinati sunt. Jam parens quoque vester Israel ait: (b) *Non deficiet princeps ex Juda, & dux de femore ejus, donec venerit, quod constitutum est; & ipse erit expectatio gentium.* Et sanè postquam Christus ille gentibus expectatus prodiit, deseruit vos & regnum & pontificium; quæ (duo munia quodammodo ipsa) sunt princeps & dux. Quod si, ut confirmatis, nondum advenit Christus, mendax sit Moses ille, qui & mundi exædificationem conscripsit, & futura prædixit: mendax parens vester Israel, & Daniel propheta, ac præ iis Gabriel Archangelus. O torporem atque cæcitatem! mihi verò religio sit, eorum quendam mentitum dicere: qu enim possint ipsissimæ sapientiæ atque veritatis, Christi, præcones aut falsum aliquid dicere, aut omnino verbum futile profundere? Dan. 9. 24. Gen. 49. 10. (b) LXX & m. s.

Sed vultis & tempus cognoscere? Ergo audite Archangelum Gabrielem, cujus ad Danielem hoc responsum est: *Scito ergo & animadverte: Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem usque ad Christum ducem, hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt:* qui compositi, annos reddunt quadringentos tres & octoginta: Et revertetur, & *rursum ædificabitur platea & muri in* (c) *angustia temporis. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus*; jure & æquo destitutus, urbemque & sacrum unà cum principe delebit. De Danielis hebdomadibus Benedictus Perer. & Genebrard. in Chronolog.

Est autem sententia talis. Anno à condito Salomonis templo & urbe, quadringentesimo octogesimo tertio, Servator mundi Christus nascetur ad salvandum genus hominum, diabolique fraudes profligandas. Atque id verum esse, vos adeo, si velitis, testemini. Nam regnante Aristobulo Judæorum principe, Romani & sacram urbem corrupere, & Israelitarum gentem unà cum principe Aristobulo & liberis, mancipio cepere. Ex quo tempore Vaticinium omne, & regnum, atque Pontificium pessum iit, Herode extraneo Israelitis ab Romanis rege imposito, & augusta veste amicto. Dan. 9. 25. (c) aliter LXX & Græcus m. s.

## CAPUT XL.

### *Judæorum calamitates ob perfidiam irrogatæ.*

QUin Jeremias quoque multis ante seculis, tanquam succenturiatus testimonium dicet: non urbem modo, & templum atque Sacerdotes, sed omnes omnino oppidanos, mulieres & infantes hac nænia lamentatus. *Quomodo sedet sola civitas plena populo?* Recogitans Jeremias promissum Abrahamo editum, Solymorumque vasti- Thr. 1. 1.



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1310.

ſtitatem proſpiciens, angoribus oppletus & imminens excidium deplorans, ait: *Quomodo ſedet ſola civitas plena populo? facta eſt quaſi vidua domina gentium?* Ubi propheta anguſtiarum plenus futuræ captivitatis cauſſam pòſt exponit, Dei ad Oſeam ſententiæ recordatus: *Vade, ſume tibi uxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum: quia fornicans fornicabitur* Judæorum Synagoga: Itaque *ipſa non uxor mea: & ego non vir ejus* ero. *Princeps provinciarum facta eſt ſub tributo.* Pontificio pridem & regno aucta, nunc paſſim tributaria eſt omnium nationum Dominis. *Plorans ploravit in nocte*: Nam quæ rejecto intelligibili Juſtitiæ Sole, ab ea luce præceps, in ignorantiæ tenebris ſedet, cur ni ploratum edat per noctem? *& lachrimæ ejus in maxillis ejus.* His verbis Unigeniti Baptiſmum propheta ſignificat: quia enim erat Chriſti genas ictura, merito manant ei quoque per genas lachrimæ. *Non eſt qui conſoletur eam ex omnibus charis ejus.* Non eſt, inquit, qui pro ea deprecetur: Non Moſes, qui à Deo ſtipulatus ſit: *Aut dimitte eis hanc noxam; aut ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti.* Non David clamans: *Ego ſum qui peccavi, iſti qui oves ſunt, quid fecerunt? vertatur, obſecro, manus tua contra me, & contra domum patris mei.* Sed eveniunt illa Jeremiæ, ex Dei perſona confirmantis: *Si ſteterit Moſes & Samuel coram me,* (a) ut ante deprecatores, non exaudiam eos. *Viæ Sion lugent, eo quod non ſint, qui veniant ad ſolemnitatem.* Macti verbis eſto David atque Jeremia: Nam ille exilii Babylonici providus, ex captivorum præcinit perſona: *Super flumina Babylonis illic ſedimus & flevimus, cum recordaremur Sion: In ſalicibus in medio ejus ſuſpendimus organa noſtra. Quia illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos, verba cantionum. Et qui abduxerunt nos: Hymnum cantate nobis de canticis Sion. Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* reſpondebant, qui fortaſſe reditum ſperarent: At Jeremias regni interitum, & Pontificii abrogationem ſentiens, Judæorum reditu Sionem deſperato, & tanquam claudicante, mœrtus, *lugere*, ait, *vias Hieroſolymæ.* Cur? quòd eſſent nulli, qui itineribus ad ſolemnia convenirent. *Omnes portæ ejus deſtructæ.* Quia enim Synagoga ducentes ad pietatem portas, quæ intelligentia informantur, ſibi præcluſit, ut inquit Iſaias. (b) Oculos ſuos excæcavit, & cor ſuum dementavit; *ne forte videat oculis, & auribus audiat, & corde ſuo intelligat, & convertatur, & ſanem eam:* Propterea non clauſæ adeo ſunt portæ, ſed vaſtitati ceſſerunt.

*Sacerdotes ejus gementes*; meritò, qui unigenitum Dei filium contriſtarint; ut in Evangelio confirmat: *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem*, & hinc gemunt, & æternum gement. *Virgines ejus ſqualidæ, & ipſa oppreſſa amaritudine.* Quam ob rem propheta? quam ob rem? quia verè Virginem ac Reginam non ſunt aſſectatæ. *Facti ſunt hoſtes ejus in capite, inimici ejus locupletati ſunt.* Nam quandiu à Deo amabatur, regno atque imperio aucta, populos ſibi ſubjicere ac diris obligare. Itaque ſcribit Dei parens David *Pone principes eorum ſicut Oreb, & Zeb, & Zebee, & Salmana: Omnes principes eorum qui dicunt: Hæreditate poſſideamus ſanctuarium Dei.* At ubi odium cepit, atque ab inſigni vafritie ad impietatem porro, quaſi quadam tempeſtate eſt extruſa, tum verò ſacrarium profanari, urbs diripi, templum à fundamentis everti, aut potius pro derelicto haberi. Hæc qui patrarunt, iis cum benè eſt, tum ad majores fortunas, ac regnum extolluntur. Quod explanans propheta, ait: *Quia Dominus* (c) *humiliavit eam propter multitudinem impietatum ejus.* Nam cum Synagoga Deum veneraretur, Moſen quoque alloquebatur Deus: *Et ſcient Ægyptii, quia ego ſum Dominus, & non eſt alius præter me.* Cædes verò prophetarum aliaque ſcelera Deus complexus memoria, eam afflixit, ut *parvuli ejus ducti ſint in captivitatem ante faciem tribulantis.* Quia enim in Chriſtum debacchata, infantes Bethleemiticos contrucidarat, eunt hi quoque captivi.

*Et egreſſus eſt à filia Sion omnis decor ejus*, quæ veram majeſtatem, & præ hominum natis formâ inſignem averſata, exulem in Ægyptum amandarit. *Facti ſunt principes ejus velut arietes non invenientes paſcua:* Nam cum nollent Chriſti ovibus & pecoribus accenſi à vero paſtore ad perennes herbas educi, & cœleſti mulſo tanquam aqua irrigui, in æternis domiciliis ſtabulari, *ideo principes ejus velut arietes non invenientes paſcua abierunt: & abierunt abſque fortitudine ante faciem ſubſequentis.* Dei ad Judæos edicti memor vates, triſte illud accinebat: *Abierunt abſque fortitudine ante faciem ſubſequentis*, quippe ait in Levitico Deut. (d) *Quod ſi non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea, ſi ſpreveritis leges meas, & judicia mea contempſeritis, ut non faciatis ea quæ à me conſtituta ſunt, & ad irritum perducatis pactum meum: ego quoque hæc faciam vobis: Viſitabo vos velociter in egeſtate. Fruſtra ſeretis ſementem, quæ ab hoſtibus devorabitur. Ponam faciem meam contra vos & corruetis coram hoſtibus veſtris, & ſubjiciemini his qui oderunt vos. Fugietis nemine perſequente: & conteram ſuperbiam duritiæ veſtræ. Daboque vobis cœlum deſuper ſicut ferrum; & terram æneam. Conſumetur in caſſum labor veſter, non proferet terra germen, nec arbores poma*

(a) *m. ſ. Græc.*

(b) *m. ſ.*

(c) *LXX.*

(d) *Hic vulgata & LXX. non conveniunt.*

Thr. 1. 2.
Oſee. 1. 2.
Oſee. 1. 1.
Thr. 1. 2.
Ex. 32. 12.
2. Reg. 24. 17.
Hier. 15. 1.
Thr. 1. 4.
Pſ. 136. 1. 2.
Thr. 1. 4.
Thr. 1. 5.
Pſ. 82. 12. 13.
Ex. 7. 5. & Deut. 32. 39.
Thr. 1. 6.
Levit. 26. 14.
Levit. 26. 19.
Levit. 26. 22.

*ma præbebunt. Immittamque in vos beſtias agri, quæ conſumant vos & pecora veſtra, & ad paucitatem cuncta redigant. * evaginabo poſt vos gladium, eritque terra veſtra deſerta, & civitates veſtræ dirutæ. * Quia vos ambulaſtis contra me: & ego incedam adverſus vos in furore contrario. Peccatum peccavit Jeruſalem, propterea inſtabilis facta eſt.* SÆC. XIV. ANNO 1310.

Levit. 26. 33. Levit. 26. 27. Thr. 1. 8.

## CAPUT XLI.

*Chriſto mors illata, peccatorum maximum.*

SUpra jam dixerat, eam divinitus propter tot ſcelera afflictam, nunc addit: *peccatum peccavit.* Illic quippe Iſraelitarum ex intervallo Idololatrias & vaticidia, hic Chriſti necem ſignificat, quare ſubjungit: *O vos omnes qui tranſitis per viam*, ſcilicet virtutis: *attendite, & videte, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus: quoniam vindemiavit me, ut locutus eſt Dominus* (a) *in me.* Ut condolentes ſe intueri jubet, quaſi ſeipſam accuſans, velut in extremum ſcelus prolapſam. Quæ eſt enim patratorum ante ſcelerum ad Chriſti necem comparatio? omnino nulla. Hoc malorum teterrimum, hoc ſupremum vulnus eſt. Quare (b) humiliavit me *Dominus in die iræ furoris ſui de excelſo ſuo.* Videte ut Chriſti occiſio malorum omnium maximum ſit. Equidem & aliàs, inquit, ſæpe in Deum commiſi, ſed malorum colophon hoc eſt, quo meo facinore irritatus, & incandeſcens Deus, me è ſublimi proculcavit. *Miſit ignem in oſſibus meis*, (c) & induxit illum ſuper me. Non ſolum finitima, ut ſæpe, ſed me adeo totam ambuſſit. *Expandit rete pedibus meis, convertit me retrorſum.* Rete hoc Titi copias deſignat, qui verriculi inſtar omnes irretierit. Nam etſi ignis flammam nonnulli evaſerunt, at militum mucrone oppetiere: *Poſuit me deſolatam, tota die mœrore confectam.* Totos dies ævum omne hic intellige: *deſolatam*, (d) ſeu ad nihilum redactam, ob imperium; *mœrore confectam*, ob ſervitutem. (e) *Vigilavit ſuper iniquitates meas, in manibus ſuis comprehendit me.* Ipſum admonui, inquit, meorum antè facinorum, ideo circumquaque copiis cincta fui. (f) Aggravavit jugum ſuum ſuper collum meum, id eſt, ſervitutis jugo domuit me: *infirmata eſt virtus mea, dedit Dominus* (g) *in manibus meis dolores, quos non potero perferre.* Traditos in manum dolores, ſervitutis ærumnas vocat. (h) *Oculus meus deduxit aquas*, lachrymoſum eſt enim quicquid ſervitum ducitur: *quia longe factus eſt à me conſolator.* Nam mellitiſſimum meum ſolamen à me rejeci atque amandavi. *Sacerdotes mei & ſenes in urbe conſumpti ſunt.* Quam ob rem Vates? *Quia quæſierunt cibum ſibi, ut refocillarent animam ſuam*, (i) & non invenerunt. Delicatus, ac luxu perditus Iſraelites, ſolennem cibum veſtigat. *Conturbatus eſt venter meus, ſubverſum eſt cor meum in memetipſo.* Turbant, inquit, inteſtina optato cibo defraudata, & animus mutans in priore ſtatu manet. Quæ rerum calamitas iſtam vocem exprimit. (k) Omnes mihi in inimicitiam facti ſunt: Non enim inimici modo, ſed amici quoque infenſi me oppugnant: (l) exacerbans exacerbavi ſpiritum Dei: *Omnes inimici mei audierunt malum meum, lætati ſunt, quoniam tu feciſti.* Excidii mei lapſo tempore, ii qui moliebantur me evertere, (m) triumphant, audientes à tuo Numine repulſam me & dejectam imperio. (n) *Adduxiſti diem, & vocaſti tempus.* Adducta, inquit Synagoga Deo, hilari die, Unigeniti tui adventu, poſtquam eam volentes rejecimus, diem vindicem citaſti: (o) *Et factæ ſunt domus in me.* Me quaſi domo quadam comparata, adeo ac perinde miſeriæ ſunt me amplexæ, ut continens domus ea, quæ continentur. Ac fortaſſe & tale aliquid ſit intelligendum. Quoniam Deus in Synagogam diem vindicem citavit: *Sepulchra eorum domus illorum in æternum* erunt, ut ait David, &, *repleti ſunt, qui obſcurati ſunt terræ domibus iniquitatum.* *Quomodo obtexit caligine in furore ſuo Dominus filiam Sion?* Incendio extincta eſt, eſt enim quaſi caligare, incendio extingui. *Projecit de cœlo in terram inclytam Iſrael*, è divinis manibus amiſſa, ac pro nihilo habita eſt gloria Judæorum. *Oblivioni tradidit Dominus in Sion feſtivitatem & Sabbatum.* Nam quia medenti Sabbatis Opifici Synagoga ſuccenſuit, abrogata ſunt feſta omnia atque Sabbata: *& in opprobrium & indignationem furoris ſui Regem & Sacerdotem.* Quos hîc memorat? nempe Herodem & Caipham, qui quidem glorioſum Deum exacerbarunt: qua re offenſus regnum atque ſacerdotium repudiavit. Nam qui ei repudio bilem moviſſent, deſtituti ipſi quoque in plura vitia præcipites iere, paſſi quiddam inſtar Pharaonis: *induravitque Dominus cor Pharaonis*, ait Scriptura, etenim cum minime flecteretur, meritò obfirmatus eſt.

(a) LXX. id eſt, qui olim ſua vote, & poſt per divinos atque Vates Judæos alloquutus ſit, utiexiſtimo. (b) m. ſ. (c) m. ſ. Thr. 1. 13. (d) LXX. (e) m. ſ. græcus. (f) m. ſ. (g) m. ſ. (h) LXX. Thr. 1. 16. (i) LXX. Thr. 1. 19. (k) m. ſ. græcus ſolus. (l) m. ſ. Thr. 1. 21. (m) Romani Hieroſolymam obſidentes, ut arbitror. (n) LXX. & m. ſ. (o) m. ſ. contra LXX. & Vulgata. Pſal. 48. 12. Pſal. 73. 20. Thr. 2. 1. Thr. 2. 6. Exod. 9.

*Repulit Dominus altare ſuum, maledixit ſanctificationi ſuæ.* Ne triumphatote Judæi, ait Vates, ob ſacerdotii dignitatem: propter vos enim ſuum ſibi altare ac ſacrarium amolitus projecit, quorum oblata pro diris haberet: *Luxit antemurale, & murus pariter diſſipatus eſt. Defixæ ſunt in terra portæ ejus: perdidit & contrivit vectes ejus: regem ejus & principes ejus in Gentibus: non eſt lex, & prophetæ ejus*

Thr. 2. 7. Thr. 2. 8. 9.



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1310.

*non invenerunt visionem à Domino. Sederunt in terra, conticuerunt senes filiæ Sion: conspersérunt cinere capita sua, accincti sunt ciliciis, abjecerunt in terram,* (c) primarias Virgines in Jerusalem. Prioris suæ servitutis (scilicet in Ægypto) ac miseriæ, Deique opitulantis oblita gens Judæa, nunc Pontificii regno ac celebritate se jactabat; nunc propugnaculis, & urbis munimentis, nunc principum potentia, legis præsidio, Prophetarum visionibus, Sacerdotum cœlibatu: interdum superbiebat quoque & pontificio amictu: eorum, quam mox propheta interitum prospiciens, omnia complexus, condolentissimè sanè ac mœstissimè calamitatem exequitur & amplificat: *Defecerunt præ lachrymis oculi mei, conturbata sunt viscera mea, effusum est in terra* (b) *decus meum.* Quorsum hæc Vates? quorsum; *Super contritione filiæ populi mei, cum deficeret parvulus & lactens in plateis oppidi.* (c) *Virgines meæ, & juvenes mei abierunt in captivitatem, ceciderunt in gladio; interfecisti in die furoris tui: percussisti, nec misertus es. Vocasti quasi ad diem sollemnem,* (d) *qui terrerent me de circuitu.* Nihil parcens, inquit Propheta ex Synagogæ persona ad Deum, me coci instar divisisti, evocata ad me undique accolarum turba, luctuoso meis die tanquam sollemni. *Et non fuit in die furoris Domini qui effugeret, & relinqueretur.* Usque eo divinæ iræ exinanita fex est, ut eo incandescente salvus & superstes esset nemo; sed internecioni omnes darentur. *Tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam.* Dei arcum, vindicem Numinis potentiam appellat, qua adeo multata est Synagoga, ut quasi scopum, id est, signum, jaculari & petere volentibus statuerit. *Misit in renibus meis filias pharetræ suæ.* Davidis quidem ad Deum hæc sententia est: *Ure renes meos, & cor meum: quoniam misericordia tua ante oculos meos est: & complacui in veritate tua.* Accende mea erga te studia, quæ per renes innuit, ut idem alibi se explicat. *Domine ante te omne desiderium meum,* & rursum: *lumbi mei impleti sunt illusionibus,* per hæc contraria desideria notans; misericordiam & veritatem vocans Dei Filium. At Synagoga cum se tali incendio uri non quæsierit, sed in monstrosas & absurdas cupiditates deflexerit, meritò postea in renes pharetræ tela excepit, Dei veritate non delectata.

*Factus sum in derisum omni populo meo: canticum eorum tota die.* Gloriâ, inquit, pridem florens, nunc ludibrio sum, & cantilenis ac carminibus Deo decantatis, hominibus perennem cantilenam atque fannam præbeo. *Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absynthio.* Quid ita, ô Synagoga, ô scelus, ô flagitium? Quod unigenitum Dei Filium felle & aceto potasti, per quem *suxisti mel de petra, oleumque de saxo durissimo. Et fregit ad numerum dentes meos.* Jure. Siquidem impiè *lignum in panem ejus misisti. Cibavit me cinere: & repulsa est à pace anima mea.* Non injuria. Quando fastidiebas illum, qui te paverat manna, & eum, qui vera est pax, lethaliter oderas. *Oblitus sum bonorum: & dixi: Periit* (e) victoria mea, *& spes mea à Domino.* Scilicet fructum capis dignum factis: tam enim removisti longe Dei misericordiam, ut non solum, quod fateris, oblita retro sis bonorum; sed nec spem quidem deinceps ullam teneas. (f) *Oculi mei defecerunt cum vita mea super filias gentis meæ,* Filias gentis, hic vicinas urbes & finitimas propheta nominat. *Posuisti nos in medio populorum: aperuerunt super nos os suum omnes inimici.* Nam qui Dei Filium concilio stitissent; ii velut in corona quadam populosa dicteriis & capitis motationi per gentes atque populos prostituti sunt. Ac quemadmodum *Christum* maledictis consciderunt, ita in eos quoque hostium omnium os apertum est. *Venatione ceperunt me quasi avem inimici mei gratis.* Cur? quia irretire atque capere unigenitum Dei, cum Herodianis & Pharisæis moliebantur. *Lapsa est in lacum vita mea; & posuerunt lapidem super me.* Gemina his sunt illa Davidis. Synagoga, inquit: *Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foveam, quam fecit.* Sane Christo in imum barathrum condito, impositoque sepulchro grandi saxo, eandem conditionem subiere; nisi quod illi hæc in Deum perpetrarunt, adhibitaque custodia saxum sigillo munierunt; hinc etiam quæ in eos decreta essent, Deus executus, velut obsignavit. *Filii Sion inclyti, & amicti auro primo: quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli?* Dei figmentum ut excellens & augustum, suspiciens propheta, miratur à Judæis corruptum, ex aureo in testaceum commigrasse. Sed profectò omnes adeo terrestri natura constituti mortales, donec in nobis divinam gratiam informamus & insculpimus, longe supra aurum gemmasque pretiosas, ut cum Davide loquar, tum sumus, tum habemur. Ceterum ubi ab eo statu per peccatum deturbamur, non urceoli testacei, opus manuum figuli, sed quovis nihilo magis nihili, apparemus. *Adhæsit lingua lactentis ad palatum ejus in siti: parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.* Tantum est, inquit, Judeæ crimen, ut legis coërcitionem superet. Nam in ea per Mosen ait Deus: *Unusquisque pro peccato suo morietur:* hic internecione damnat, ut jam lactentes quoque & infantes emoriantur. *Et major effecta est iniquitas filiæ populi mei, peccato Sodomorum, quæ subversa est* (g) subversione æterna. Illic enim quamvis ingens & horren-

(a) LXX. & m.s.
Thr. 2. 11.
(b) LXX. decus meum pro jecur.
(c) Thr. 1. 18. & seq. LXX.
Thr. 2. 21. 22.
(d) LXX. παροικίας μου.
Thr. 2. 22.
Thr. 3. 12.
Ps. 25. 2. 3.
Ps. 37. 10. Psal. 37. 8.
Thr. 3. 14.
Thr. 3. 15.
Deut. 32. 13.
Thr. 3. 16.
Jer. 11. 19.
Thr. 3. 10. 17.
(e) LXX.
(f) m. s.
Thr. 3. 45. & 46.
Ps. 43. 15.
Thr. 3. 53.
Psal. 7. 16.
Thr. 4. 2.
Ps. 18. 11.
Thr. 4. 4.
Ezech. 18. 17.
Deut. 24. 16.
Thr. 4. 6.
(g) m. s. gravius.

Digitized by Google

horrendum ſcelus vertitur, at non accuſantem quoque juſtum Lot Sodomitani pere- SÆC.
mere. Synagoga verò unigenitum Dei, qui divini regni tanquam dux, ad cœleſtem XIV.
Hieroſolymam ſe ſubduceret, ſcelerate in crucem egit, ac contrucidavit. Quare & ANNO
majus eſt ejus, quam Sodomæ delictum, & ſupplicium triſte ac perenne. 1310.

*Melius fuit occiſis gladio, quam interfectis fame.* Facinus primùm executus prophe- *Thr.* 4. 9.
ta, ſupplicii diverſitatem pòſt adjunxit, pejus actum fame quàm ferro enectis oſten- & 20.
dens. *Manus mulierum miſericordium coxerunt filios ſuos.* Quas hîc miſericordes indicat? Quæ ſceleris ſenſu accepto, Chriſti crucem flentes conſequebantur: quas allocutus ait: *Filiæ Hieruſalem, nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper* *Luc.* 23. 28.
*filios veſtros. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ ſteriles, & ventres, qui non genuerunt, & ubera quæ non lactaverunt.* Horum verborum Chriſti miſericordis memores illæ feminæ, ſimiles, quantum poteſt, ipſi, ſuos coxere natos, & *facti ſunt cibus earum.* Supplicium conſolatione majus, nec deprecandæ minæ (ad ſe inquiebant) Verax eſt promiſſor, adeſt tempus, ecce finis: *Complevit Dominus furo-* *Thr.* 4. 11.
*rem ſuum, effudit iram indignationis ſuæ: & ſuccendit ignem in Sion, & devoravit fundamenta ejus.* Complevit, id eſt, omnia in eos vaticinia complevit, inanita ira tanquam fæce, incandeſcens; ignem incendit, qui Sionem à ſtirpe funditus abſumpſit. (a) Reptaverunt adoleſcentes in plateis, *polluti ſunt in ſanguine* cum non poſſent. Non erat, qui eos terra conderet, tumulus plateæ factæ, itaque cum veſtimentis putrue- (a) *m. ſ. græcus & nota.*
re: *Defecerunt oculi noſtri ad auxilium noſtrum,* (b) cum vana reſpectaremus. Inter- *Thr.* 4. 14.
mortua apud nos eſt prophetæ David vox illa: nullus qui cum fiducia dicat: *Deus in* (b) *LXX.*
*adjutorium meum intende; Domine ad adjuvandum me feſtina: Reſpeximus ad gentem,* *Thr.* 4. 17. *Pſal.* 69. 1.
*quæ ſalvare non poterat.* Quia enim Dei Numen, & auxilium rejecimus, ideo in non *Thr.* 4. 17.
defenſuram gentem intuebamur. *Facies ſacerdotum non erubuerunt.* Dei, inquit, *Ibid.* 16.
miſericordiam ſceleribus noſtris excluſimus, quare nec ſacerdotum vultus reveriti ſunt
hoſtes. *Neque ſenum miſerti ſunt,* (c) *venati ſunt parvulos noſtros, ne irent in pla-* (c) *LXX.*
*teis noſtris:* diſparuerunt veſtigia noſtra, ergo defecit iniquitas tua filia Sion, id eſt, & *m. ſ.*
deleta, amplius culpam non admittes: *non addet Dominus ultra, ut tranſmigret.* Non *Ibid.* 22.
revertere, inquit, neque amplius relegabere. Atque id verum eſſe, probant ſequentia: *Viſitavit iniquitatem tuam filia Edom:* non virgà ſane, ut ante perſecutus, cum
te caſtigans reſanaret, ſed occidioni mandans. *Diſcooperuit peccata tua,* id eſt, explevit omnem ira juſtam, tectis tuis ſceleribus, ut aquæ vi & copia mare operitur.

Sed ne hoc argumentum, ad doctrinam & inſtitutionem ſuſceptum, materiam luctus & lamentationis reddamus, ad inclytam & divinam (d) gratiæ diſciplinam orationis gu- (d) *id eſt, Evangelica doctrina, omne autem id tempus quod à Chriſto qui Moſaicis ritibus ſuccessit manat & decurrit, gratia tempus, Eccleſiaſtici ſcriptores vocare ſolent. Eccl.* 11. 2. *Matth.* 24. 14.
bernacula flectamus. Igitur accidit Hieroſolymæ vaſtitas anno ab orbe condito quinquies milleſimo, quingenteſimo tertio & ſexageſimo: uſque ad præſentem verò, ſexies milleſimum, octingenteſimum, octavum & decimum: Judæi totis mille ducentis quinque & quinquaginta ſine regno exulant. Jam mundi ſtatus & incolumitas, ut de vatibus accepimus, ab Opifice ſeptem ætatibus deſcripta eſt. Quod & Salomon ait: *Da partem ſeptem, nec non & octo,* octavam notans futuram illam & immortalem. Quibus decurſis, exiſtet fœda hominis lues, illex, & impoſtor, quem vos Chriſtum atque regem perhibetis. Veniet autem, non ut meus Servator atque Deus, Redemptor, ac ſalutis vindex humanæ; ſed teter, & infauſtus, calamitates, angorem, mala omnia, & miſerias trahens. Nam adeo ſimulachrorum cultum non compeſcet, aut ad Dei notitiam gentes adducet, ut contrà & errorem publicare, & aptos Dei notitiæ omnes nactus, ab ea demovere ſit conaturus, quemadmodum in Evangelio meus Salvator Jeſus confirmat. *Prædicabitur hoc Evangelium in univerſo orbe, in teſtimonium omnibus gentibus: & tunc veniet conſummatio.* Quin in vos quoque, qui ut beneficium, ſed revera meram peſtem, expectatis, multa atrocia edet, cum vix tandem reſipiſcentes, noſtratem Deum, verum Chriſtum, ſupplices adoratum venietis, & per regenerationis lavacrum filiorum Dei adoptionem recipietis, ut & Iſaias teſtatur: *Cum* *Rom.* 11. 25.
*plenitudo gentium intraverit, tunc omnis Iſrael ſalvabitur.* Qua de cauſſa veterator præ ceteris ſe crudelem vobis præbebit, qui non ſolum aliis omnibus odio ſit, ſed etiam vobis. Qui ut regem & beneficum venturum præſtolati, damnata flagitioſa inhumanitate, ilicò reſilietis, ad verum Chriſtum, cui gloriam tribuatis, confluxuri. Neque verò aliâ gratiâ dirum hominis monſtrum eſt venturum, niſi ob hominum delicta, quò eos vexet, & omne vitiorum genus invehat; Cæterum annos duos cum dimidio ubi rerum potietur, exterminabitur. Ea quoque prophetarum doctrina eſt.



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1310.

## CAPUT XLII.

### *De Antichristi adventu.*

(a) *m.s.* Dan. 7. 25. DAnielis quidem de eo hæc sunt verba: (a) Veniet impostor & calumniator: *Et sanctos Altissimi conteret: & putabit quod possit mutare tempora & leges, & tradentur in manu ejus usque ad tempus, & tempora & dimidium temporis.* De vafritie

(b) *LXX.* Jer. 17. 11. autem illius loquitur Jeremias: (b) *Clamavit perdix, congregavit quæ non peperit: faciens divitias suas non cum judicio: in dimidio dierum ejus relinquent eum, & in novis-*

Jer. 17. 5. *simis suis erit insipiens.* Idem rursum: *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor ejus. Erit enim quasi myricæ in deserto, & non videbit cum venerit bonum; sed habitabit in siccitate in deserto, in*

Jer. 4. 11. 12. *terra salsuginis, & inhabitabili.* Et rursum: *In illo tempore dicetur populo huic & Jerusalem: Spiritus erroris in deserto: via filiæ populi mei, non ad purum, neque ad sanctum. Spiritus repletionis veniet mihi ab his. Ecce quasi nubes ascendet, & quasi tempestas currus ejus, velociores aquilis equi ejus: Vox enim annuntiantis è Dan ve-*

Jer. 8. 16. *niet.* Et alio loco: *A Dan auditus est fremitus equorum ejus, à voce hinnituum pugnatorum ejus commota est omnis terra: & venerunt & devoraverunt terram, & plenitudinem ejus: urbem & habitatores ejus.* Quærendum verò est, cur hic propheta hujus Dan, non semel, sed bis meminit. Cur? Ex tribu Dan, & Judam, & Anti-

Gen. 49. 17. Jer. 4. 15. christum prodituros. Itaque de Juda hæc sunt Israelis verba: *Erit Dan serpens.* De Antichristo scribit Jeremias: *Vox annunciantis è Dan veniet.*

Isai. 65. 11. Jam de administris quoque Isaiæ hæc est sententia: *Qui paratis dæmoni mensam, &*

Isai. 63. 10. *impletis fortunæ potionem, omnes in mactatione cadent.* Et rursum: *Exacerbaverunt Spiritum sanctum; & conversus est eis in inimicitiam.* De interitu autem hujus per-

Isai. 27. 1. duellis, idem memoriæ prodidit: *In die illa inducet Dominus gladium sanctum, & magnum: & extendens manum contra draconem, serpentem tortuosum, occidet Domi-*

Ps. 21. 28. *nus cetum qui est in mari.* Et David de vero Christo: *Reminiscentur & convertentur ad Dominum universi fines terræ: & adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium.* Videte ut nullum regnum usque ad exspectatum à vobis rabulæ adventum re-

Ibid. 29. linquetur, quin Christum verum Deum veneretur: *Quia Domini est regnum, & ipse dominabitur gentium. Manducaverunt & adoraverunt omnes pingues terræ.* Pingues

(c) *Alludit opinor ad Isai.* 60. 8. *vide Nyssenum de Virgin. cap.* 18. hic piorum mentes appellat; quæ & (c) volucres sunt, secundum legem, virtutibus: quæ Christo supplices, ejus & sacrum corpus epulatæ sunt, & sanguinem biberunt: *In conspectu ejus cadent omnes, qui descendunt in terram:* animos in terram descendentes vocat, studio rerum, quæ materia continentur, defixos, qui ante adventum quoque Christi, ac præsentiam, suo quasi quodam præjudicio damnati multabuntur.

Ps. 21. 30. Ibid. 31. *Et anima mea illi vivet, & semen meum serviet ipsi.* Cuinam? Genito ex utero ante luciferum Dei Filio; qui ad extremum incarnatus est ex Virgine: non, inquam, serviet anima mea illi diris devoto impostori, quem medio ejus tempore prudentes relinquent, egregii facinoris præmium coronas in cœlo accepturi.

## CAPUT XLIII.

### *De imaginum cultu.*

HIs & similibus de caussis, non idololatriâ, quod existimatis, obeundâ, sed piè imaPsal. 67. 36. ginibus cultum præstamus: est enim inquid David, *mirabilis Deus in sanctis suis.*

Ps. 138. 21. Ibid. 17. Et: *Qui oderunt te, Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam.* Nam ut Deo charos amplecti & colere par est, ita infestos aversari & odisse. Ait quippe idem Propheta: *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus.*

## CAPUT XLIV.

### *Exempla duo perfidiæ Judæorum in imaginem Christi.*

BEryti (ea urbs est non procul ab illustri Antiochia) tale quoddam insolens miraculum contigit, voluptatis terrorisque plenum, & quod referri mereatur.

Vir quidam Christianus, parentibus & atavis ab stirpe religiosis, proxime Judæorum Synagogam habitabat, præcipuo tanquam patrimonio affectus, descriptâ in tabula Dominica effigie Dei & Servatoris in Vivificam crucem suffixi, quæ sub ædium tecto sublimis pendebat. Inde cum aliquando migrare opus haberet, exportata reliqua omni supellectile, unicum illum divinum thesaurum effigiem Servatoris, nescio unde, &

quo

Digitized by Google

quo modo, divinâ quidem certe procuratione, oblitus reliquerat. Ita emigrante pio, extemplo immigrans Judæus, aliquot post diebus mensâ instructâ opiparâ, congregem Judæum ad convivium vocat. Quo præsente, simul ambo læti epulari: cumque epulantes per toros discumberent, vocatus, ut mos est, familiaribus oculis in tectum sublatus, amici domum curiosius circumspectare; & acie in imaginem conjecta; eum esse, quem majores in crucem egissent perspecto, quanquam efferus jam, & in tetricum mutatus, sectis pœnè ac ruptis ilibus, tamen ne amico palam fieret, iterum lætitiam mentiri & fingere. Tandem impotens sui, & ira victus, quod hactenus continebat, aperire arcanum: vocare hominem, & divina effigie digito ostensa, rogare cujus simulachrum esset, an non Nazareni, an non Galilæi, an non à majoribus cruci affixi? Ita ne verò? inquit, verspellis, qui hoc loco sis, Christianam quoque religionem colas? Ille inops consilii, ea quidem sic habere fateri, ceterum Christianismi crimen sibi conscire nullum; jam inde à proavis, ut ipse nosset, Judæum, & Mosaicæ legi vel in lanienam addictum. Postquam verò oratione non persuadet, ad preces denique conversus obtestari, ne Synagogæ patefaceret, sed sibi soli haberet. Pollicitus ergo, sed dolo & perjurio, abit inde, recta ad Synagogam properat, quæ & cujusmodi quà viderit, quà dixerit, recenset. Illi iis auditis, furibundi ad ædes è vestigio convolant. Ubi quæ intellexerant, vera vident, homini, ut Christiano scilicet, illudunt, & subsannatum cœtu exigunt, ac proscribunt. Porro autem, quæ in sacram ac divinam effigiem moliuntur? Quis sine lachrymis narret? Dereptam inprimis humi affigunt; tum quibus exemplis majores vestri meum Jesum, iisdemque ejus simulachrum accipiunt: insputant, pugnos & alapas ingerunt, scurrantur, fel & acetum propinant. Aderat spongia, nec deerat arundo. Clavis manus, pedesque affigunt (neque enim à clavis abstinetur) spinis coronant, hasta è latere (heu profligatam in extremis audaciam) sanguinem & aquam prolicit, quæ res Christo cultum ac celebritatem paravit. Nam conspecto grandi & horrendo miraculo, postquam scaturiginis periculo facto, exploratæ fidem res fecere, morbo omni atque ægritudine curanda, & dæmonum turma procul arcenda, in fugamque vertenda, toto animo, tota mente ad Christum mutati, quasique reformati, sacro Baptismo sunt affecti.

SÆC. XIV. ANNO 1310.

Talia sunt Domini nostri Jesu Christi hominum amantissimi, Unigeniti, Patris Verbi, majora cogitatione atque verbis arcana: tantopere de figmento suo sollicitus, neminem vult perire; sed omnes ad veri cognitionem venire. Atque hæc quidem Beryti.

Nefas vero sit alterum Constantinopoli, urbium reginæ, miraculum silentio præterire, cum superiori narratu nihilo sit deterius. In augusto & fama celebri Dei Sapientiæ templo (si templum est nominandum, ac non potius alterum in terra cœlum) puteus est, qui aliud nihil, quam quod est, puteus dicitur: epistomidem ferens ejus, ad quem sapientiæ profundum, immortalitatis fons, providentiæ infinitum pelagus, Samaritidem allocutus, aquam consulto petebat, qui eam vellet ad Dei notitiæ vivam ac scaturientem aquam traducere, & quasi derivare. Eo piorum multitudo confluebat, insitam in eo sacram vim percepturi; & simul qui supra orientalem portam descriptum in tabula, & velut dedicatum pictoris manu Dominicum simulachrum venerari contenderent; quo nomine magis etiam confluebant. Judæus vero quidam, nescio quomodo, Deo certè id agente, & ipse templum ingressus, venerabundo omni cœtu conspecto, invidiâ tactus, & quibus natus, & qua opinione foret prodere stimulatur. Quin adeo prodit quoque. Nam ceteris à puteo discedentibus, solus occultum transitum rimatus, postquam à scopo non aberravit, securitatem nactus, irruit, & sanguinariis oculis, animo, mente igneum intuens, ignem spirans, sustento in tuam, æterne rex, imaginem cultro, ferit. Unde insolenti miraculo sanguinis rivo depluente, & percussor & divinum solum cruentantur. Ille factum, ut oportebat, non recogitans, sed contrà magis perfurens, detractam imaginem, infixo adhuc cultro, in puteum demergit, ipse quà pedes ferebant, inde aufugit, latere properans, ut putabat. Verum qui sapientes sua ipsorum calliditate capit, hujus quoque conatum palam fecit. Nam cum sanguine ex imagine ruberet, planeque sanguinarius quidem ac vafer fugeret neminem, egressus ab ingredientibus religiosis comprehensus, homicidii postulatur. Negat homicidium, Christicidam serio se profitetur. Ejus rei famâ urbem omnem celeri ala permensâ, vulgo ad puteum concurritur, ubi convenêre, subducta è puteo, adhuc sanguine manante, sacra imagine, hymnos & carmina modulati, cum precibus & lachrymis eodem quo ante, loco suspendunt. Judæus facti pœnitens, pietatem perdoctus, ad Christumque receptus, cum omni familia, sacro regenerationis lavacro afficitur.

Quid dicitis? hæccine satis sunt, an & pluribus argumentis egetis?

*Jud.* Piè imaginibus cultum præstari confitemur. Vere enim, qui animo ad primogenium exemplar, non ad tincturas ac colores intuentur, verum antè secula & inaspecta-

SÆC. XIV. ANNO 1310.

aspectabilem Deum venerantur. Itaque majores nostri Cherubinis ex auro nobili materie conformatis, haud equidem aurum coluerunt, sed Cherubinos, quos ut sanctius sacrarium cingerent, finxerunt. Ac de imaginibus quidem præclarè.

Quamobrem vero circumcisione repudiata, baptizatos cum Deo societatem contrahere perhibetis?

*Christ.* De circumcisione multa locuti, & quomodo eam repudiemus demonstrato, non est quod de ea rursum referamus. De Baptismo verò agite prolixius disseramus.

## CAPUT XLV.

### *De Baptismo Christianorum & ejus cum Circumcisione comparatio.*

OStendi, quod vos quoque à me atque à veritate suffragium tulistis, res Mosaicas, mei Servatoris Christi figuras quasdam fuisse. Nam quemadmodum præstans pictor, in primis inumbrat, tum crassiore quadam tinctura, ac coloribus expressam veri effigiem repræsentat; ad eum modum & naturæ rerum omnis architectus Deus, per Mosen & legem velut deformatis quæ sub gratiam caderent; per Jesum Christum porro non tinctura, ac coloribus, sed Evangelicis præceptis, spirans quoddam, ac vivum veri simulachrum dedicavit. Ceterum ut in Sina nubes, & voces, atque tubæ Dei ad nos descensum liquidò designabant; ita & alia olim plurima Servatoris mei procurationem notabant. Ergo typos & exempla cernite, unde ad veritatem ducamini. In lege circumcisio, in gratia, ablutio. Illic pelliculæ segmentum; hic peccati depositio, illic circumcisionis culter, religiosum & irreligiosum palam faciens; hic disciplinæ acies rectum à pravo dissecans. Illic sine vitio agnus mactatus; hic cæsus sine peccato Christus. Illic agni cruore postes unguntur, hic sacrificati Christi augusto sanguine actiones & disciplina obsignantur, id est, quæ in actione, & quæ in contemplatione posita virtus est, quibus quasi quædam commissuræ posti, Christianæ disciplinæ velut obligamur, & componimur. Illic durus Pharao Israelitas oppugnat; hic Christianos Satanas, ille hominum osor, atque zizaniorum sator. Illic veterem Israelitam nubes ad terrestrem Hierosolymam ductat; hic Servatoris caro novitium Israelitam ad cœlestem Sionem transmittit. Illic ignea columna; hic divina ignea natura, sacer Spiritus. Illic Israelites mare rubrum permensus, Pharaoni tumulisternium aquam comparavit, ipse interitum salvus effugit; hic Christi nomine censa universitas per baptismum cum Christo sepulta, immortalem vitam eo redivivo consecuta est: Illic aqua Mosis precibus, flante Austro vehementissimo, dextra ac sinistra in murum, concrevit; hic spiritus per aquam, vitiorum quasi quoddam mare rubrum in siccum redegit, rupto peccatorum nostrorum chirographo: illic virga refluas undas coëgit; hic in Calvaria defixa Crux, Adamum totum in priorem nobilitatem restituit: Israelites, nisi mari rubro trajecto, Angelorum pane vesci non poterat; nec verò Christi populus, sanguine & aqua viva potest frui, nisi peccatorum rubro tanquam æstu defunctus.

*Exod.* 19. 17. 18.

*Gen.* 17. 12.

*Exod.* 12. 5. 22.

*Jud.* Cur ut nos circumcisionem uno semper nomine, æque & vos Baptismum non vocatis, sed multis ac diversis?

*Christ.* Expedita solutio, illa per unum Mosen prodita est, hæc à Patre, Filio, & Spiritu sancto, Præterea multis ac diversis ejus in nos officiis, multas quoque ac diversas nomenclaturas atque beneficia facimus.

## CAPUT XLVI.

### *Quibus olim nominibus Baptisma designatum.*

ITaque (a) Donum, Lumen, Baptisma, Unguentum, regenerationis lavacrum, immortalitatis amictum, signum, breviter quicquid augustum est, nominamus, vocibus è prophetarum oraculis desumptis. Donum inprimis, ut Isaias clamat: *Omnes sitientes, venite ad aquas: & qui non habetis argentum, properate, emite absque argento & pretio.* Lumen, ut de eo David prædicat. *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo?* Et rursum: (b) *Dominus illuminat faciem prudentis.* Prudentem omnino appellans, qui vim sacri Baptismatis calleat. Baptisma verò dicitur, ut in quo peccata tumulentur, quemadmodum mari rubro Pharaonem tinxit atque obruit Moses. Lavacrum ex hac Isaie sententiâ *Lavamini, mundi estote.* Unguentum, quod cœlestis Hierosolymæ, divinique regni hæredes hoc inuncti agnoscantur. Ita enim & (c) Elisæo vati ait Deus: *Unges Elisæum Prophetam pro te.* Immortalitatis amictum vocamus ex eo Psaltis regii edicto: *Dominus regnavit, decorem indutus est.* Tum autem ut ostendat æque amictos & Christi hæredes, addit: *Etenim firmavit orbem terræ,*

(a) *Nazianz. vide in 8. Baptisma.* *Isai.* 55. 1. *Psal.* 26. 1. (b) *m. s.* *Psal.* 145. 8. *Dominus illuminat cæcos.* *Isai.* 1. 16. (c) *imo Elia.* 3. *Reg.* 19. 16. *Psal.* 92. 1.

Digitized by Google

*terræ*, scilicet hoc regio amictu, *qui non commovebitur*. Signum, ut dominii notam, Sæ-
quemadmodum de eo David profitetur: *Signatum est super nos lumen vultus tui Do-* XIV.
*mine, dedisti lætitiam in corde meo.* Quibus verbis sacræ Tinctionis vim declarat: Non Anno
enim, inquit, solum tuo nomine nos signasti, & illustrasti, sed enim animum meum 1310.
voluptate affecisti: id est, omnem signatum noxæ venià dignatus es. Idem alio Psal- *Ibid.*
mo: *Dixi: Confitebor adversum me injustitiam meam Domino: & tu remisisti impie-* *Psal.* 31. 5.
*tatem peccati mei*: hoc dicens; quod si quis vel post Baptismum delinquat, ne despe- *Psal.* 4. 7.
ret, siquidem ignoscetur ei animi scelus, vitiosum inquam cogitatum, & conscelera-
tio, per Confessionem.

Sed audiamus quid Isaias dicat: *Faciet Dominus Sabaoth omnibus gentibus super* *Isai.* 25. 6.
*montem istum*, (a) *induent lætitiam, ungentur unguento, bibent vinum*: gaudii amictum (a) LXX.
Baptisma innuens; unguentum, illud sacrum quo baptizati inunguntur, Vinum, Do- *bibent.*
minicum sanguinem. Et rursum: *Abluet Dominus sordem filiorum & filiarum.* Et ite- *Isai.* 4. 4.
rum: *Erit inaquosa in paludes, & in sitiente terra erit fons aquæ*; inaquosa & siti- *Isai.* 35. 7.
culosa, gentium populum appellat; fontem verò, sacrum Baptisma, ut apparet ex se-
quentibus: *Et erit ibi via munda, & via sancta vocabitur.* Quæ hæc est via? Evan- *Ibid.* 8.
gelica disciplina. Jam per eum ait Deus: *Ego sum, ego sum, qui deleo iniquitates tuas* *Isai.* 43. 25.
*propter me, & non recordabor. Tu vero memento, & judicemur simul.* Et iterum: *Da-* *Isai.* 44. 3.
*bo aquam in siti iis, qui ambulant in inaquosa: & imponam spiritum meum super semen*
*tuum, & benedictiones meas super filios tuos.* Et iterum: (b) *Miserator illorum mise-* (b) *m. s.*
*rebitur illorum, & per fontes aquarum ducet illos.* Quod si Judæorum quidam de *Isai.* 49. 10.
Mara & fontibus in Elim, hæc prophetam dicere existimant, falli se sciant, neque *Exod.* 15.
enim ea tempestate, sed multo post Isaias fuit: nec qui de præteritis dicit, propheta 25. 21.
habendus est, sed qui de futuris, quare de Baptismo quod præsagierit, ostendit, quod
ait, *ducet*, non autem duxit.

Ad eundem modum & Micheas: *Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem, &* *Mich.* 7.
*transis peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ? non immittet ultra furorem suum, quo-* 18. 19.
*niam volens misericordiam est. Revertetur & miserebitur nostri: deponet iniquitates*
*& projiciet in profundum maris.* Joëlis verò de Baptismo hæc sunt verba: *In illa die* *Joel.* 3. 18.
*stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte: & per omnes rivos Juda ibunt aqua:*
*& fons de domo Domini egredietur.* Quis hic est fons è Dei templo prodiens? Omni-
no in Ecclesia sacra piscina, qua tinctus omnis Christianus cœtus in adoptionem re-
creatur, cœlestis gloriæ regnique Christi hæredes designati. Et de eodem Baptis-
mate scribit David: *Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit: Dominus su-* *Psal.* 28. 3.
*per aquas multas.* Et rursum: *Amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo* *Psal.* 50. 4.
*munda me.* Et paullo post: *Asperges me hyssopo, & mundabor: lavabis me, & super* *Ibid.* 9.
*nivem dealbabor.* Quin per Ezechielem quoque Deus confirmat: *Effundam super vos* *Ezech.* 36.
*aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* 25.

Jam vero in *Mara* aqua amara, peccatum amarum notabat, regenerationis lavacro, *Ex.* 15. 23.
ac pœnitentia in dulcedinem vertendum. Porro autem duodecim fontes in Elim, *Ibid.* 27.
duodecim Apostolorum doctrinæ aquam designabant, itidemque reliquorum septua-
ginta palmæ. Ceterùm Arcæ per Jordanem trajectio à Judæis facta, sacri Baptismi
vim ostendit: nam per Sacerdotes aqua & spiritu recreati, æquè & nos peccatum, ut
Jesus filius Nave Hierichuntem, evertimus ac despoliamus: id enim significat, quod
ait propheta: *Quæ autem descendebat, descendit in mare Araba, mare salis, donec in* *Jos.* 3. 16.
*finem defecit.* Id est, violatæ olim legis peccatum ad immensum Dei humanitatis pe-
lagus dilapsum, demanavit, donec tandem extinctum est. Sacerdotes verò in Jorda-
ne resistentes, pedibus extremâ aquâ tinctis, significant, opinor, à peccato abesse ne-
minem, Quod autem Jordanem Elias melote semel, Elisæus bis trajecit, trinæ in *4. Reg.* 2.
sacra ablutione demersionis in nomen SS. Trinitates vires & efficaciam prænotabat, 8. 14.
qua mortale ac caducum incorruptam immortalitatem induit. Neque verò aliud velle *4. Reg.* 5.
mihi videtur Naaman, septies in Jordane ablui jussus, quam conandum, ut in hac, 10.
tanquam septimana, vita peccatis omnibus absterseris, per septem Spiritus dona SS. Tri-
nitati, & tres animæ potentias, & elementorum corporis quaternionem offeras inte-
gra, oblitterata priore velut lepra. Quin Jacob, parens vester, baculo Jordanem non
ipse tantum, omnisque ejus familia transiit; sed oves quoque, ac boves, ut ostende-
ret, non solum à Deo electos, sed etiam qui bruta & amentia scelera patrarent, purga-
tos, Christi cohæredes effectum iri. Hierichuntinæ quoque steriles aquæ, sale ab
Elisæo fœcundatæ, priorem Ecclesiæ sterilitatem monstrabant, quæ habenda deinde *4. Reg.* 2.
Christo fide centuplo plures liberos, (c) quam synagogæ marito est pòst enixa. Verum (c) *vide Isa.*
ut apertius de his statuamus, vaticinii verba ex libris Regum persequamur. Sic enim *c.* 54. 1.
habent.



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1310.

## CAPUT XLVII.

*Eliæ cum Christo comparatio.*

(a) LXX. 3. Reg. 18. 30. (a) *Dixit Elias ad populum: accedite ad me. Et accessit omnis populus ad eum:* Sanè Elias hac obita functione, coorto quasi quodam terræ motu, igneâ quadrigâ in cœlum subvectus est; at contrà ac mirabilius opifex ille cœli, inclinatis benigne cœlis degressus, & vehiculi cujusdam instar, naturâ susceptâ, studiosè omnes ad se attrahere gestit. Itaque *Venite*, inquit, *ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis; & ego reficiam vos. Et tulit duodecim lapides juxta numerum tribuum filiorum Jacob.* Elias duodecim saxa, Unigenitus Dei Filius duodecim Apostolos. *Ad quem factus est sermo Domini, dicens: Israel erit nomen tuum.* Ille quidem audivit se mentem fore, quæ Deum esset visura: hic Deus est, quem cœlestes omnes mentes adorent & collaudent. Et (b) *ædificavit lapides, & curavit altare dirutum.* Ille dirutum Dei altare instaurat; hîc figmentum suum lacerum per doctrinam Apostolorum componit. *Fecitque aquæ ductum quasi per duas aratiunculas.* Illic scrobs una, quæ duo sata seminis caperet, hic in una persona duæ naturæ, divina & humana simul extiterunt; *in circuitu altaris:* Aram hic Calvariæ locum, in quo augusta Crux defixa est, intellige. *Et composuit ligna super altare quod fecit.* Ligna, seu assulas è ligno scisso vocat hominum noxas, quas Dominus noster cruci affixus in se recepit, & qui ignis quidam esset divinus, exussit, ut ait Propheta: *Languores nostros ipse tulit. Divisitque per membra bovem, & posuit super ligna.* Id est, vitalem in Cruce mortem sustinet. *Et ait: implete* (c) *quatuor hydrias aqua, & fundite super holocaustum, & super ligna.* (d) Duas amphoras gratiam, quæ per aquam & Spiritum præstetur, significat, quemadmodum meus Salvator atque Deus confirmat, qui ex aqua & Spiritu natus non sit, non posse ad divinum regnum intrare. *Rursumque dixit: Etiam secundò facite. Qui cum fecissent secundò, ait: Etiam tertiò id ipsum facite. Feceruntque tertiò.* Hoc divinitatis tergeminam majestatem ostendit, uti rursum meus Jesus discipulis præcepit, irent doctum omnes gentes, eosque baptizarent, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. *Et currebant aquæ circum altare; & fossa aquæ ductus repleta est.* Nam repletus est orbis terrarum Dei regno atque gloria. (e) Et exclamavit Elias in cœlum, & dixit: *Domine Deus Abraham, & Isaac, & Israel, exaudi me Domine.* Hæc Elias; At Unigenitus Dei oculis in cœlum sublatis, clamavit: *Pater, quod dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, & illi sint mecum; ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi ante constitutionem mundi: Ut sint unum, sicut & nos* (f) *unum sumus. Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me.*

3. Reg. 18. 31. & seqq. (b) LXX. 3. Reg. 18. 34. Isa. 53. 4. Ibid. (c) m. s. duas hydrias. (d) Ponit duas, pro, quatuor. Joan. 3. 5. 3. Reg. 18. 34. 35. 3. Reg. 18. 35. 36. (e) LXX. Joan. 17. 24. (f) m. s. addit hæc duo verba.

(g) LXX. 3. Reg. 18. 37. (g) *Exaudi me hodie in igne, & discat populus iste omnis, quia tu solus Dominus Deus Israel.* Elias, qui homo erat, exhibendo igne exauditus, Deum, qui ignis quidam est, hominem fieri precatur: ille verò qui & Deus & ignis, homo fieri assumpta mea carne voluit, ut ab æterno igne liberaret. *Et ego servus tuus.* Verè de se Elias; quod ad sublimem sensum si trahatur, nimium audax sit. Nam etsi quidam non dubitarunt, atque ausi adeo sunt confirmare ex Christi persona dictum, scilicet: *Quia ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ:* in mente illud habentes: *Pater major me est;* At multo plus interest discriminis inter dominium & servitutem, quam caussam & caussatum. Quare silendum potius, ac considerandum est, quàm curiosius, nec citra periculum agitandum. (h) *Et propter te hæc omnia feci.* Propter te, inquit, in Crucem sum suffixus: *Ut cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.* Et rursum: *Opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam.* (i) *Et tu convertisti cor populi hujus post te.* Judæorum cæcitatem & pervicaciam notat, quemadmodum & in Cruce ait Dominus: *Pater dimitte illis: non enim sciunt, quid faciunt.* (k) *Et cecidit ignis à Domino de cœlo.* Videtis humanitatis Christi absolutionem? Cœlitus delapsus ignis divinitatis descensum monstrat, uti quidam inter nostros magni nominis inquit: *Deus noster ignis est:* Et quidem *ignis consumens* flagitia. (l) *Et devoravit holocausta, & ligna, & aquam affusam, & aquam in mari: & lapides, & terram linxit ignis.* Hoc peccatorum internecionem, atque oblitterationem designat. (m) *Et cecidit omnis populus in faciem suam, & dixit: Verè Dominus Deus ipse est Deus.* Nam obita vitali morte, Centurio, & ei astantes, Dominum nostrum Jesum Christum verè Dei Filium dixerunt. Nec illi solum, sed Apostoli quoque post supplicium facti confirmatiores. Siquidem ait dilectus: *Neque enim fratres ejus credebant in eum.* Quin orbis adeo terrarum multo magis Unigeniti præconium cum lætitia suscepit, ut de eo prolixè testatur Isaias: *Ambulabunt in ea* (scilicet Hierosolyma) *redempti à Domino* (pretioso sanguine:) *& convertentur & venient in Sion.* Id est, ab erronea superstitione, læti atque ovantes ad Christum venient, per ejus resurrectionem constabili-

3. Reg. 18. 36. Psal. 115. 16. Joan. 14. 28. (h) m. s. 3. Reg. 18. 36. 37. Joan. 17. 3. & 4. (i) m. s. Luc. 23. (k) LXX. 3. Reg. 18. 38. & seqq. (l) m. s. (m) LXX. Joan. 7. 5. Isai. 35. 9. Ibid. 20.

biliti. *Et lætitia ſempiterna ſuper caput eorum.* Gaudebunt, inquit, ſuper agnitione ſui capitis, qui Chriſtus eſt. *Gaudium & lætitiam obtinebunt:* id eſt, læti, atque exultabundi aſſertorem ſuum prædicabunt. *Et fugiet dolor & gemitus.* Dolorem nullum atque gemitum in iis reliquum fore confirmat, quorum ſuper capite gaudium perenne ſit. Nec vero otiosè dixit, *ſuper caput:* ſed ut gaudium omnium gaudiorum eminentiſſimum declararet. Quod addit, *lætitia ſempiterna*, id eò pertinet, ne id gaudium, Baptiſmi, inquam, gratiam, caducam ac temporariam crederes, ſed perenne ac ſempiternum. Nam ut prior Adamus violanda lege temporalem nobis mortem conciliavit; ita & Chriſtus, qui alter eſt Adamus, ſine vitio corporatus, perennem atque incorruptam immortalitatem contulit. Ac velut ſecundum corpus naſcentes terreſtris imaginem tulimus; ſic per Baptiſmum recreati, cœleſtis imaginem induimus: *Quicunque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.*

SÆC. XIV. ANNO 1310. *Iſai* 53.10. *Gal.* 3.27.

Atque hæc ſatis eſſe de Baptiſmo exiſtimo, Quod ſi enim ex his veritatem non percepiſtis, nec ſi plura addamus quidem, percipietis. Id adeo Dominus ſignificans, de vobis confirmat. *Si Moſen & Prophetas non audiunt, neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent.* Itaque & nos diſputationem de Baptiſmo terminemus.

*Luc.* 16.31.

*Jud.* Ecquid vero prohibet, Chriſto fidem habere, eumque verum Deum, & Dei Filium, ejuſdem cum Patre naturæ, confiteri, atque interim Moſaicam quoque legem tueri, ac retinere; ut in omnibus utrunque ſervem, & amplectar, futurus duorum bonorum conſors? Omnino nullam ea res nobis reprehenſionem inuret, neque dicturus eſt quiſquam, quod bonum eſt, id bonum non eſſe.

*Chriſt.* Sanè enim perbene eſt, ſi non duorum modo, ſed etiam plurium bonorum conſortem te præſtes, Sed nec utriusque notitiam capere poteſtis, nec ſanctorum quiſquam id permittit, aut ipſe in primis Chriſtus, cujus hæc ſententia eſt: *Nemo poteſt duobus dominis ſervire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget; aut unum ſuſtinebit, & alterum contemnet.* Præterea bonum hactenus bonum eſt, ſi alteri bono non ſit fraudi, atque ad potioris diſſolutionem comparatum. Sin contrà faciat, poterit id quidem fortaſſe nonnullis bonum videri, functio certe nequaquam bona eſt. Nam & Philoſophus quidam bonum cenſet non eſſe bonum, ſi eo bene non fungare. Jam verò ut non omnis diſſenſio peſſima, ſed interdum adeo optima eſt; ita non omnis concordia optima, quin & plerunque nocentiſſima eſt. Sed ut ejus ſententiæ vim apertius oſtendam, tentabo rem exemplis declarare.

*Matth.* 6. 14.

## CAPUT XLVIII.

### *Legis Chriſti cum Moſe comparatio.*

TRes leges SS. Trinitatis majeſtas prodidit, Naturalem, Scriptam, & Spiritalem. Earum Naturalis inſtar eſt domeſtici ignis. Nam cum prius in poſteriorum duarum ignoratione homines degerent, Naturali lege, quaſi quodam domeſtico igne, aliquantiſper colluſtrabantur. Deinde edita Scripta eſt, quæ umbra quædam atque exemplum eſſet Spiritalis, Lunæ comparata lumini. Cœleſtis autem illa & Spiritalis, atque à vero Juſtitiæ Sole profecta, ſuper Solem effulſit, & hominum mentes quadam tanquam luce atque jubare perfudit, ad viamque veritatis deduxit. Igitur bonus eſt, & domeſticus in tenebris apparens ignis; ſed melior Lunæ: Solis vero multis partibus clarior, quippe utrunque obfuſcans: ceterum ille Juſtitiæ Solis vel ipſum Solem extinguit. Nec injuria, ſiquidem opus omne cedit opifici. Ac quemadmodum meridie conſtanti, ſplendidè collucente Sole, domeſtici ignis uſus non eſt; ſic poſteaquam Juſtitiæ Sol illuxit, & gratiæ veritas eſt detecta, tum Naturalis, tum Scripta lex abrogatæ. Ad eundem modum legale Paſcha, ut Theologus quidam noſtras ait, exempli exemplum erat obſcurius. Jam Paulus, mei Chriſti os, Benjaminenſi tribu ortus, aliquatenus nos videre, & aliquatenus vaticinari docet; at cum ſucceſſerit perfectum, tum aliquatenus hoc deletum iri. Quare ut perfectæ illius noſtræ reſtaurationis umbra ac effigies eſt, quicquid in medio poſitum eſt, ita ſanè invecta in orbem terrarum ſpiritali lege, nulla alia porro opus habemus. Neque vero vel tantillum Spiritalis à Scripta diſcrepat, quin potius confirmat ac reſtituit; id quod teſtatur & meus Jeſus, in hæc verba: *Nolite putare, quoniam veni ſolvere legem, aut prophetas; non veni ſolvere, ſed adimplere.* Atque ut explicatius videatis, ipſis verbis veritatem ſtatuamus. Ergo & habet lex: *Audi Iſrael: Dominus Deus tuus, Dominus unus eſt. Diliges Dominum Deum tuum ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua & ex tota mente tua.* Et rurſum: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Eadem ſane Dominus & in ſancti Lucæ Evangelio. Neque hæc ſolum, ſed addit: *In his duobus mandatis univerſa lex pendet & prophetæ.* Illa antiqua dicit: Non occides; Chriſtiana etiam genas volentibus ferire, porrigit, illa, *non mœchaberis*; hæc, *ne concupiſces quidem*, illa, *non furaberis*;

*Nazianz. in S. Paſcha.* *1. Cor.* 13. 9. 10. *Matth.* 5. 17. *Deut.* 6. 4. (a) *m. f. pro noſter.* *Levit.* 19. 18. *Matth.* 22. 39. 40. *Nazianz. ibid.* 257. 14. & 9. *Matth.* 5. 27. 28.



Digitized by Google

Sæc. XIV. Anno 1310. hæc litigare, & tunicam auferre volenti, etiam togam permittit; illa, non concupiſces aliena; hæc, etiam juſte parta dimittes; illa, non pejerabis; Spiritualis, nec parvum, nec magnum jurabis; ceu juramento perjurium creante.

His ac ſimilibus de cauſſis ait Salvator: *Non veni ſolvere legem, aut prophetas, ſed adimplere.* Id eſt, tueri, conſtabilire, firmare. Atque hæc quò exploratius, ac diſertius tradamus, prophetarum ſententias in medium proferamus.

*Ibid.* *Ibid.* 33.34. *Matt* 5.17.

## CAPUT XLIX.

### *Prophetiæ de Judaicæ legis abrogatione, ſeu correctione.*

*Deut.* 18. 9. & 15. (a) *m. ſ.* *Jer.* 31.31. & ſeqq. (a) *LXX.* *Ezech.* 18. 3 20. *Ezech.* 16. 60. (c) *m. ſ. contra LXX.* & *Vulg.* (d) *not. ad LXX.* (e) *m. ſ.* *Iſa.* 42. 10. *Luc.* 2. 14. *Iſai.* 59–9. (f) *m. ſ.* *Bar.* 336. 37. *Bar.* 4.1.

Moſes Deuteronomio: *Quando ingreſſus fueris Terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi; cave ne imitari velis abominationes illarum gentium. Sed prophetam ſuſcitabit tibi Dominus ſicut me, ipſum audies* (a) in omnibus. Jeremias: *Ecce dies venient, dicit Dominus: & feriam domui Juda fœdus novum: non ſecundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de Terra Ægypti: pactum quod irritum fecerunt.* (b) Et ego neglexi eos, *dicit Dominus. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Iſrael: poſt dies illos, dicit Dominus, dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam: & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum. Et non docebit ultra vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum, dicens: Cognoſce Dominum: omnes enim cognoſcent me à minimo eorum uſque ad maximum, ait Dominus: quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius.* Et per Ezechielem Deus: *Recordabor ego pacti mei tecum in diebus adoleſcentiæ tuæ: & ſuſcitabo tibi pactum ſempiternum.* Et rurſum: Non jactabitur deinceps hoc proverbium: me ſcelera parentum in filios & abnepotes perſequi, ſed qui uvam ederint acerbam, eorum dentes ſtupebunt. Et Iſaias. (c) Vetera fluxerunt: *Nova quoque ego annuncio: antequam oriantur, audita vobis faciam.* Hæc elocutus propheta ſubjicit: *Cantate Domino canticum novum.* Quoniam enim vetera fluxerunt; & quæ obſcure olim figurata ſunt, nunc liquidò ſunt perfecta. *Cantate Domino canticum novum.* Idem porro: (d) *Principatus ejus glorificatur* (e) *ſupra, nomenque ejus glorificant à ſummitate terræ: qui deſcendunt in mare, & navigant illud, & inſulæ multæ.* Sane Chriſti nova lex & ſurſum in cœlis, & in terra prædicatur. Nam in Servatoris ortu, Angeli cum paſtoribus laudantes canebant: *Gloria in Altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Iſaias vero iterum: *Veniet de Sion liberator,* (f) *& revertetur ab impietate Jacob. Et hoc erit eis à me teſtamentum, cum eorum noxas ſuſtulero.* Hieremias ei ſententiæ: *Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius adverſus eum. Hic adinvenit omnem viam diſciplinæ.* Et quæ ſequuntur; addit: *Hic liber mandatorum Dei, & lex quæ eſt in æternum. Omnes, qui tenent eam, pervenient ad vitam: qui autem dereliquerunt eam, in mortem.*

*Jud.* Quod ſi Scripta lex, quemadmodum perhibetis, bona non eſt, quamobrem dixit Moſes? *Cuſtodite leges meas, atque judicia, quæ faciens homo, vivet in eis.*

*Levi.* 1. 5.

*Chriſt.* Imo vero bona eſt & Naturalis, & Scripta lex, ut prædiximus; ſed Juſtitiæ Sole exorto, hæ extinctæ caligaverunt. Ob id enim non dixit Moſes: Cuſtodite legem vos hanc perennem, ſed temporariam ſcilicet conſervatote, & per eam vivetis. Ceterum temporariam conſervandam fuiſſe, docent quæ ſequuntur: *Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum ſimilem tui: & ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi, qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor exiſtam.* Quibus verbis etſi è veſtris plerique Jeſum filium Nave intelligi credunt, fruſtra opinantur. Neque enim aliam legem filius Nave edidit. Sed nimirum legis abrogationem, Chriſtique condonationem Moſes edixit, cum ait: *Prophetam ſuſcitabit Dominus, ſicut me,* id eſt, alium legiſlatorem, Dei & hominum ſequeſtrum. *Ipſum audies* (g) in omnibus.

*Deut.* 18. 15. (g) *m. ſ.*

## CAPUT L.

### *De Evangelica lege vaticinia.*

*Bar.* 3.1. *Jer.* 23. 5. (h) *m. ſ.* *Mal.* 4.2. (i) *LXX.* *Iſai.* 53. 4. (k) *LXX.* *Iſai.* 25.8.

Videtis, quemadmodum Moſes quoque legis abrogationem detexit? nam ni abroganda erat lex, neque opus erat alius legiſlator, & dixiſſet Moſes; hæc immota in æternum lex futura eſt, quemadmodum de Spiritali, id eſt, Evangelica, (h) Jeremias prædixit: *Hic liber mandatorum Dei, & lex, quæ eſt in æternum.* Idemque de eadem: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & ſuſcitabo David germen juſtum: & regnabit Rex* (i) juſtus in æternum. Malachias: *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol Juſtitiæ.* Iſaias: (k) *Ecce Deus noſter judicium retribuet.* Et rurſum: *Auferet*

*Do-*

Digitized by Google

*Dominus Deus lachrymam ab omni facie, & opprobrium populi ſui auferet de uni-* SÆC.
*verſa terra.* XIV.

Igitur orto Juſtitiæ Sole, non jam porro legis præceptis indigemus. Quare & bona ANNO
eſt ſacra lex, atque prophetæ, & inſtar Lunæ luminis ſunt, ut jam diximus. Nam 1310.
Dei verbum, & Spiritus ſanctus per prophetas loquebatur. Sed his præſidiis homines juſtitiæ viam reperire nequiverunt. Ut enim ſtellæ, atque Luna nec ſplendorem habent luciferi, nec tota nocte lucent, ſed nunc apparent, nunc teguntur; ceterum ſole exorto in tenebris manet nemo, niſi qui caliget ac cæcutiat, ita & cœtus, qui Chriſti nomine cenſetur, divinam nactus lucem, cum Juſtitiæ Sole aſſiduè conſueſcit, nec quiſquam in Dei ignorationis tenebris verſatur, qui non voluntariè ſe abjungat.

## CAPUT LI.

*Caput primum Iſaiæ eleganter in Judæos retorquetur & explanatur.*

JAm abrogari quoque legem Divino Numini viſum Iſaias declarat, dicens: *Viſio Iſaiæ, filii Amos, quam vidit ſuper Judam & Jeruſalem in diebus Oziæ, Joathan,* Iſai. 1. 1.
*Achaz & Ezechiæ regum Juda.* Piorum regum propheta meminit, oſtendens non ob legalem aliquam noxam, ſed Chriſti cædem divinitus pœnam irrogandam: nam ſi propter ſcelera, impiis regnantibus editum vaticinium oportebat. Id adeo verum eſſe ex ſequentibus apparet.

*Audite cœli, & auribus percipe terra.* Fabricam Deus teſtatus invocat; ſi quidem Iſai. 1. 2.
erat ingens & inauditum crimen Judæis objecturus: *quoniam Dominus locutus eſt: Filios enutrivi & exaltavi; ipſi autem ſpreverunt me,* his edictis, & defectionem ſubjungit: *Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui: Iſrael autem me* Iſai. 1. 3.
*non cognovit, & populus meus non intellexit,* ſed brutis beſtiis ſtupidiores ſunt, atque
bardiores. *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, ſemini nequam, filiis ſcelera-* Ibid. 4.
*tis,* dignum impietate & inſolentia probrum Vates adhibuit. (a) *Dereliquiſtis Do-* (a) LXX.
*minum*; ſcilicet Patrem; & *ad iracundiam concitaſtis ſanctum Iſrael:* Unigenitum
ejus Filium irritaſtis: irritatione verò ſignificat incontaminati corporis ſupplicium. (b) (b) m. ſ.
Quid amplius addatis? non habent, quod in Chriſtum gravius deſignent. Ibid. 5.

*Omne caput languidum, & omne cor mœrens.* Hoc David olim propheta eſt interpretatus in hanc ſententiam: *Convertetur dolor eorum in caput eorum, & in verticem ipſorum iniquitas eorum deſcendet,* quaſi diceret; quidquid moliamini, in veſtri capitis perniciem cedet, veſtraque injuſtitia in veſtrum ipſorum verticem revolvetur. (c) (c) m. ſ. &
*Non eſt in eis neque vulnus, neque livor. Non eſt malagma imponere, neque oleum, ne-* LXX. Iſai. 1. 6.
*que ligaturas.* Totum corpus, inquit, plaga eſt, ac proinde incurabile. Quam ob Pſal. 7. 17.
rem ô propheta? Quod Filium meum, quem delegi animo meo chariſſimum, peremerunt. Itaque videte & divinum ſupplicium è veſtigio conſequens. *Terra veſtra* Iſai. 1. 7.
*deſerta, civitates veſtræ ſuccenſæ igni: regionem veſtram coram vobis alieni devorant,* & ſeqq.
*& deſolabitur ſicut in vaſtitate hoſtili. Et derelinquetur filia Sion ut umbraculum in vinea, & ſicut tugurium in cucumerario, & ſicut civitas quæ vaſtatur. Et niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus.* At quamvis Deus Iſraelitis ſemen reliquum fecit, tamen quin ab Sodomæis ac Gomorrhæis damnentur, non effugient. Atque ei ſententiæ conſonum eſt Matth. 11
illud mei Servatoris, ad Bethſaidam: *Remiſſius erit Sodomis & Gomorrhis, quam tibi.* 24. Iſai. 1. 10.
Idque verum eſſe è vaticinis oraculis fiet manifeſtum: addit enim: *Audite verbum Domini Principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei noſtri populus Gomorrhæ. Quo mihi multitudinem victimarum veſtrarum, dicit Dominus? Sanguinem taurorum & hircorum nolo;* (d) *neque veniatis, ut appareatis mihi.* Videtis, Judæam omnem Sodo- (d) LXX.
mæ ac Gomorrhæ nominibus infælicitat. Ubi enim Sodomæ ac Gomorrhæ Deo
hoſtiis ac libaminibus fiebat? *Quis quæſivit hæc de manibus* (e) *veſtris?* Quaſi dicat: (e) LXX
Nemo eſt qui ſacrificium vel ad hanc abrogationem concitet, vel me inſtiget. (f) *Cal-* Iſai. 1. 12
*care atrium meum non apponetis: quoniam ſcelerate id inſcenditis. Si offeratis ſimilam,* (f) LXX
*vanum, incenſum abominatio eſt mihi.* Ecce qui legem nuper ſanxerat Deus, idem nunc ejus abrogationem præfinit. Nam incenſum, quod ad jucundum odorem admovebatur, non ſolum inanis ſuffitus Deo deputatur, ſed etiam tale, à quo abhorreat. *Neomeniam, & Sabbathum, & feſtivitates alias non feram.* Quandoquidem in meum pari natura Filium, bacchabimini, eam ob rem horum interitum denuncio, ea abhinc porro non probaturus. (g) *Jejunium, & otium, & ferias veſtras odit anima mea.* (g) LXX.
Quid ita Vates? quod Unigenæ Dei Filii ingreſſum in Hieroſolymam ſuper pullo ſe- Iſai. 1. 14.
dentis execrati oderunt, in quo potius feſto gaudere divinitus ſunt edocti, propheta Zach. 9. 9.
enim inquit. *Exulta ſatis filia Sion, jubila filia Hieruſalem:* Ecce Rex tuus *venit* Matt. 21. 5.
*tibi manſuetus, aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinæ.*



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1310.

(a) *Facti estis mihi in satietatem.* Ut enim superfluùs in corpore cibus, ubi satietas cepit, per vomitum è stomacho in terram ejicitur; ita equidem vos, quandoquidem in sacietatem mihi facti estis, de meis manibus projiciemini. (b) *Nequaquam ultra dimittam peccata vestra. Cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos à vobis: & cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Fruſtra posthac jejunia, & Sabbatha, atque Pascha obitis, non solum propter Vatum, sed audacissimam quoque amantissimi charissimique Fili necem. Itaque salutis via supereſt nulla, neque in lege quidquam præsidii; sed si illius olim felicitatis hæredes fieri vultis: *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* Nec legislatorem me, legis tegumento colere in animum inducite. *Discite bene facere*; qui jam inde à Mose hactenus bene feciſtis nunquam. *Quærite judicium.* Ne, ut ingeniis estis sanguinariis, quæ in prophetas, ea in charissimum animo meo Filium designatote, sed Israelis, vestri parentis, verborum mementote: (c) *Simon & Levi fratres, consummaverunt iniquitatem: in consilium eorum non veniat anima mea: & in congregatione eorum non contendant viscera mea, quia in furore suo interfecerunt homines* (scilicet prophetas) *& in cupiditate sua subnervaverunt taurum* (Deum & hominem Jesum.) Idemque convocatis suis filiis Jacob ait: *Congregamini*; non quò de sceleribus vos coarguam, sed, *ut annunciem quæ ventura sunt vobis in diebus novissimis.* Ac recensitis, quæ in Christum ausi sunt Judæi, addit: *Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum:* id est, corpus, per necem in patibulo, atque per sanguinem. Igitur perfectum est ad extremum Israelis vaticinium. Per quos? per Pontifices atque Sacerdotes, quorum illi à Simeonia, hi ab Levitica tribu orginem trahebant. Qui demum & prophetas, homines scilicet, interfecerunt, & Christum velut taurum enervarunt; id est, corpus assumptum illi quidem morti dimiserunt: Verùm *Excitatus est tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus à vino*; cujus regnum, secundum Jeremiam, nulla memoria labefactabitur.

(a) LXX. Isa. 1. 15.
(b) LXX. Isai. 1. 15.
Isa. 1. 16.
Ibid. 17.
(c) LXX. Gen. 49. 5.
Ibid. v. 1.
Ibid. 11.
Psal. 77. 65.

*Jud.* Quî verò non ait: *Consummabunt iniquitatem*, sed, *consummaverunt?*

*Christ.* Dixin vobis, crasse in litteris semper defixos, nunquam in mentem penetrare? Scilicet cum prophetæ, quæ eventura essent, non ut futura, sed velut præsentia cernerent, de futuris, perinde ac si gererentur, prænunciabant. Ita etiam de Juda dixit: (d) *Catulus Leonis Juda: ex germine fili mi ascendisti:* & non *ascendes*, futura tanquam præsentia prævidens.

(d) LXX. Gen. 49. 5.

Sed jucundissimum Israelis vaticinium nescio quo modo ad hanc disputationem nos abstraxit: quare Isaiam repetamus. *Subvenite oppresso*; qui a discipulo proditus, nec scelus admisit, nec in ejus ore inventus est dolus. Atque id Moses quoque vos prædocuit, siquidem clamat: *Maledictus qui accipit munera, ut percutiat animam sanguinis innocentis. Judicate pupillo*, qui in terra patrem non habuit. *Defendite Viduam.* Uxorem creditam Josephi sponsi. (e) *Et venite, disputemus dicit Dominus.* Atqui in secundo adventu Christi disputatio non est. Quid igitur est, disputemus? Sua quenque conscientia prodat, & qui præclarè currit, antrorsum contendat; qui peccavit, emendationem pœnitudine ostendat. His enim perfectis; *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* Perinde ac si diceret: (f) Quod si punicei estis peccato, minusque sanguinolenti, ut nix albescite; sin ostro similes, & sanguine pleni; vel lanæ candorem prævertite. Idem de novo fœdere. (g) *Hæc dicit Dominus: Servientibus mihi vocabitur nomen novum, cui benedicetur super terram:* benedicent enim Deum verum: & qui jurant super terram, jurabunt Deum verum: obliviscentur enim tribulationis prioris: (nimirum idolorum venerationis.) Et quis porro Supremo obganniat? De gentibus verò hæc ejusdem est sententia. *Aperite portas, & ingrediatur gens justa, custodiens veritatem*, apprehendens justitiam, amans pacem, quoniam speravit in te Domine.

Isa. 1. 17.
Deut. 20. 25.
(e) LXX. Isa. 1. 18.
(f Nazian. in Epiphan.
(g) LXX. Isa. 65. 15. 16.
Isai. 26. 2.

Ceterùm odisse Deum post Christi adventum, Sabbatis ac Judaicis ritibus addictos, ipse testatur per Malachiam: *Non est mihi voluntas in vobis*, (filiis Israel) *dicit Dominus exercituum: & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim Solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in gentibus:* Vivo ego dicit Dominus Omnipotens.

Malach. 1. 10. 11.



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1310.

## CAPUT LII.

*De gentium conversione & Judæorum pervicacia, prophetiæ.*

QUare cum Domino Deo Omnipotenti execrabiles sint Judaicæ libationes atque sacrificia; apud quas gentes ab ortu solis ad occasum Deus celebratur, à quibusque huic nomini suffitus affertur? nimirum à nobis Christianis. De refractariis verò, & incircumcisis Judæis, volentibus etiam post Christi adventum ritus atque Sabbatha tueri, audite quid idem Isaias scribat: (a) *Væ, qui trahunt peccata in funiculo longo, & quasi jugi corrigia vitulæ iniquitates. Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum. Qui dicitis: Festinet, & cito veniat opus ejus, ut videamus: & appropiet, & veniat consilium sancti Israel, & sciemus illud. Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* Idem rursum: (b) Captivus populus meus factus est: (c) eo quod ipsi non cognoverunt Dominum. Non dixit, quod *me* non agnoverit; sed quod *Dominum* non agnoverit, id est, Unigenitum Dei. Et iterum: *Radix eorum quasi* (d) *lanugo erit: & germen eorum quasi pulvis ascendet.* (e) *Abjecerunt enim legem Domini exercituum, & eloquium sancti Israel blasphemaverunt.*

(a) LXX. Isai. 5.18. 19.
(b) LXX. Ibid. 13.
(c) vulgata non habent Ibid. 24.
(d) LXX.
(e) noluerunt irritaverunt.

Videtis ut partim Patris, partim Filii iram propheta describat? Nam Domiuum exercituum Patrem appellat, quin caussam addit iræ, siquidem traditam à Mose legem exequi noluerunt. Ceterum Dominum Israelitarum Deum, Filium significat, dicens: *Sed eloquium Domini irritaverunt:* doctrinam enim & sacrum Christi Evangelium execrati sunt: *Ideo iratus est furor Domini in populum suum.* Incensus Pater est non honorato Filio; ac sic ne ipse quidem honoratus: nam qui Filium non honorat, eum nec Patrem honorare est necesse. *Et extendit manum suam super eum, & percussit eum.* Idem de Judæis à fide alienis: *Audite audientes, & nolite intelligere: & videte visionem, & nolite cognoscere:* (f) *Incrassatum est enim cor populi hujus: & auribus suis graviter audierunt: & oculos compresserunt, ne forte videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertant se, & sanem eos.* Moses ait: *Populus stultus & insipiens.* Jeremias: *Populc stulte, qui non habes cor: qui habentes oculos, & non videtis: & aures, & non auditis.* Tum addit ex persona Dei. Quod si *me non timebitis, qui posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum, quod non præteribit:* hæc & hæc patienda vobis erunt. Et per Isaiam itidem Deus: *Appropinquat populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me; cor autem ejus longe est à me.* (g) *(Frustra autem colunt me docentes hominum præcepta atque doctrinam) & timuerunt me mandato hominum, & doctrinis.* (h) *Propterea ecce adjiciam ut transferam populum istum, & transferam eos: & perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium abscondam. Quia populus inobediens est, filii mendaces, qui nolunt audire legem Dei: qui dicunt Prophetis: nolite annunciare nobis quæ recta sunt: sed loquimini nobis placentia, videte nobis errores.* Iisdem per Oseam minatur Deus: *Expandam super eos rete meum: quasi volucrem cœli detraham eos, cædam eos* (i) *corripiam eos in auditu tribulationis eorum. Væ eis quoniam recesserunt à me,* (k) *meticulosi sunt, quoniam impie egerunt in me: & ego redemi eos: & ipsi locuti sunt contra me mendacia: & non clamaverunt ad me corda eorum.* Rursumque per Jeremiam: *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas.* Et Isaiæ de lege hæc sunt verba: *In die illo erit lux Lunæ, sicut lux Solis, & lux Solis erit* (l) *septuplum in die, quando sanaverit Dominus contritionem populi sui, & dolorem plagæ ejus curabit. Ecce nomen Domini venit post tempus: & spiritus ejus sicut aqua in valle trahens.*

Isai. 6.9. 10.11.
(f) LXX.
Deut. 32. Jer. 5.21.
Ibid. 22.
Isai. 19.13.
(g) LXX.
(h) LXX.
Isa. 30.9. 10.
Osee. 7.11.
(i) LXX.
(k) LXX.
Jer. 2.13. Isai. 30.26.
(l) LXX. Isai. 3.27.

Sane quidem & lex bona est; sed Christi disciplina sine comparatione melior. Neque verò audientes septuplicem futuram Solis lucem, Christi disciplinam legi septuplo antestare cum animo putate. Sed profecto Isaias, qui legalis esset, & legem servare vellet (est autem apud legales augustus septenarius) ea sententia septuplicem futuram Solis lucem, Septenarium cohonestavit. Certe post Christi adventum minimè duraturam legem, ipse auctor est in hæc dicta: *Ecce confundentur & erubescent omnes, qui pugnant adversum te:* (m) abibunt cum ignominia: scilicet qui Christi Evangelio non adhærent, sed Mosaicæ legi, quæ umbra quædam veræ gratiæ erat. Neque alienum esse, quod dicimus, Isaias, ut ante ostendimus, declarat. (n) *Quis est in vobis, qui timeat Dominum? exaudiat vocem* (o) *pueri ejus.* Igitur cum Dei voluntas sit, omnes sui Filii vocem audire, meritò qui cum non audiunt, ac repellunt, ibunt ignominiosi.

(m) m.s.
(n) LXX. Isai. 50.10
(o) παιδὸς. Isai. 41.11

CA-

Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1310.

## CAPUT LIII.

*Vaticinia de Christi Nativitate.*

(a) LXX. Isai. 51. 4. RUrsum per eundem ait Deus. (a) *Audite me populus meus: & reges ad me auribus attendite: quia lex à me egredietur, & judicium meum in lucem gentium. Approprinquat citò justitia mea: & egredietur sicut lux, salutare meum: & in brachio meo gentes sperabunt.* Michæas de novo fœdere, Evangelio, inquam, Christi, ait. *Et erit:*

Mich. 4. 1. (b) non habent LXX. vocem hanc. *In novissimo dierum erit mons* (b) *domus Domini præparatus in vertice montium, & sublimis super colles: & fluent ad eum populi & properabunt gentes multæ, & dicent: Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob.* Ubi *montem Domini* vo-

Luc. 2. 4. 5. cat Deiparam: *Domum Dei Jacob* & Davidis dicit Bethlehem. Id enim & Lucas Evangelista docet in hæc verba. *Ascendit autem & Joseph Galilæa de civitate Nazareth in Judæam civitatem David, quæ vocatur Bethlehem: eò quod esset de domo & familia David, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore.*

Mich. 4. 2. Sed vaticinia scripta retractemus: *Ascendamus*, inquam, *ad domum Dei Jacob, & docebit nos de viis suis, & ibimus in semitis ejus.* Viæ atque semitæ sacrum Evangelium est. *Quia de Sion egredietur Lex, & verbum Domini de Hierusalem.* Ecce aliam legem non ab Sina, ut Mosaica, sed ab Hierosolyma profectam; siquidem illa vetus, & Michæa antiquior: hæc recens & Michæa posterior, de qua lege ac legislatore

Deut. 18. 15. Jer. 31. 4. Moses liquidò clamat: *Prophetam suscitabit tibi Dominus sicut me*; alium scilicet legislatorem, & quæcunque dixerit, ipsum audietis. Et Jeremias: *Omnes cognoscent me à minimo eorum usque ad maximum: ideo non docebit ultra vir proximum suum, di-*

Isai. 54. 13. Joan. 6. 45. *cens: Cognosce Dominum:* cui Isaias probè consonat: *Erunt omnes docibiles Dei.* Et David: *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra: sicut in exacerba-*

Ps. 94. 8. 9. Num. 20. 2. 3. *tione secundum diem tentationis in deserto; ubi tentaverunt me patres vestri.* Et iterum: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.* Et alio loco: *Eloquia*

Ps. 118. 113. *Domini, eloquia casta: argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septu-*

Ps. 11. 7. *plum*, id est, ejusmodi, quæ Mosaicæ legi præcellant, quemadmodum Moses ipse-

Deut. 18. 19. met ex Dei persona confirmat: *Qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit; ego ultor existam.* Et per Isaiam Deus: *Vade, ingredere ad eum, qui*

Isai. 22. 15. 16. & seqq. *habitat in tabernaculo, ad Sobnam præpositum templi, & dices ad eum: Quid tibi est hic? quia excidisti tibi hic sepulchrum, excidisti in excelso memoriale diligen-*

(c) LXX. *ter, in petra tabernaculum tibi?* (c) *Ecce Dominus Sabaoth: ejiciet & conteret virum; & auferet stolam tuam, & infulam tuam, & coronam tuam gloriosam: & pro-*

(d) m. s. *jiciet te in regionem magnam, & immensam; & ibi morieris: &* (d) *projiciet currum tuum optimum in ignominiam, & domum principiis tui in conculcationem: & tolleris de dispensatione tua, & de gradu tuo.* Nam Sobnas tantundem est, ac si dicas: foras abscede.

Isai. 22. 20. At de novo Christi fœdere scribit porro Isaias: *Et erit in die illa: Vocabo servum meum Eliacim, filium Helciæ, & induam illum tunica tua, & cingulo tuo confortabo eum, & potestatem tuam dabo in manu ejus: & erit quasi pater habitantibus Hierusa-*

(e) LXX. *lem, & domui Juda.* (e) *Et dabo ei gloriam David, & principabitur, & non erit qui contradicat. Et statuam eum principem in loco fideli: & erit in solium gloriæ domus*

(f) m. s. *patris ejus; & erunt pendentes ab eo* (f) *in die illa.* Neque aliter de nova Ecclesia

Isai. 54. 2. (g) pro πήξω, LXX. idem à Deo denunciat. (g) *Dilatabo locum tentorii tui, & palos tuos * consolidabo, ad dexteram, & ad sinistram extendam & semen tuum hæreditabit gentes.*

Isai. 60. 1. 2. (h) LXX. Et de nova Hierosolyma. (h) Illuminare, *illuminare Hierusalem; quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: super te autem orietur Dominus, & gloria ejus in te videbitur. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui. Leva in circuitu oculos tuos,*

(i) LXX. Psal. 44. 11. (i) *& vide congregatos filios tuos: venerunt omnes filii tui de longe, & filiæ tuæ super humeros portabuntur.* Et David de Christi Ecclesia: *Audi filia, & vide & inclina aurem tuam: & obliviscere populum tuum*: id est, impios majores tuos, & *domum patris*

Ibid. 12. & 13. *tui*: id est, nidores & altaria obliviscere: nam si hæc feceris: *Concupiscet rex decorem tuum: quoniam ipse est Dominus Deus tuus*; & adorabis eum. Atque ut explicatius ostenderet, loqui se de gentium Ecclesia, addit: *Et filiæ Tyri in muneribus*: Ty-

Psal. 116. 1. rus quippe gentium sedes est. Idem rursum: *Laudate Dominum omnes gentes: laudate eum omnes populi*, id est, simul omnes, Judæi, Græcus, sed omnes omnino gentes: siquidem non jam porrò circumcisio, aut præputium, non servitus aut libertas est.

Ibid. 2. *Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus*: nam omnia Christi, & in omnibus Christus: & *veritas Domini manet in æternum*: Dei veritatem Christum appellat, ceu

Joan. 14. 6 Deum verum è Deo vero, quemadmodum Christus ipse de se confirmat. *Ego sum via,*

Digitized by Google

via, veritas & vita, de eoque rursum ad novam Sion ait Isaias: *Ecce egò mittam in fundamentis Sion lapidem probatum, angularem, pretiosum: & qui crediderit in eum non confundetur* (a) in æternum. Idem ad eandem: (b) *Ecce ego præparo tibi carbunculum lapidem tuum, & fundamenta tua Sapphirum: & ponam propugnacula tua Jaspin: & portas tuas lapides chrystalli: & ambitum murum tuum lapides electos, & omnes filios tuos discipulos Dei: & in multa pace filii tui, & in justitia ædificaberis, recede ab iniquo.* SÆC. XIV. ANNO 1310. Isai. 28.16. 1. Pet. 2.6. (a) m. s. (b) LXX.

Videtis ut gentium Ecclesiam propheta significet? nam cum Hierosolymam monet, abstineat à sceleribus, Judæorum calamitates & internecionem, quæ eos manebat, à sceleribus non abstinentes, innuit: (c) *& terror non appropinquabit tibi:* id est, scelerибus abstinens expers terroris agitabis. (d) *Ecce proselyti accedent ad te per me:* Per me, inquit Christus, gentes & diversis linguis loquentes ad te commeabunt. (e) *& Coloni erunt tui, & ad te confugient.* Nam in Dominico supplicio cunctæ gentes Hierosolymam profectæ, ac comprecatæ, hodieque revertuntur. Sed erit hic lapis gentibus ad resurrectionem, Judæis ad ruinam: etenim ex prophetæ mente unus idemque lapis erit offensionis, & petra scandali. Isai. 54. 11. 12. (c) LXX. Isai. 54.15. (d) LXX. (e) LXX. Isai. 8.14. Rom. 9.33.

Quid igitur dicent ærumnosi, cum illustrem è cœlis adventantem Christum videbunt, audientque in summa majestate affantem illos, qui se velut augustum & angularem lapidem sunt amplexati? *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum.* Sinistris verò, qui in saxum illud impegerunt & offenderunt, dicentem? *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus.* Quomodo tum facti pœnitentes præ animi angustia gement, & iterum atque iterum repetent: *Hic est, quem aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperii. Nos insensati viam illius æstimabamus insaniam, & finem illius sine honore. Ecce quomodo computatus est inter filios Dei, & inter sanctos sors illius est? Ergo erravimus à via veritatis, & justitiæ lumen non luxit nobis. Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis: viam autem Domini ignoravimus.* Sed tum eis inutilis erit fletus. Nam sponso in thalamum ingresso, omnibusque convivis cum eo gaudentibus, thalami fores clausæ erunt porro, ut olim paradisi flammeo ense custoditæ. Ah quoties miseri cum lachrymis inclamabunt: *Domine, Domine, aperi nobis:* siquidem & caro es de carne nostra, & os de ossibus nostris, qui quidem ex majoribus nostris ortus fueras. Sed eos Rex, idemque Deus alloquetur: *Amen dico vobis, nescio vos: Discedite à me qui operamini iniquitatem.* Etenim vos antè testatus sum: *Qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.* Atque hæc quidem sic habent. Matth. 25. 34. Matth. 25. 42. Sap. 5. 3. 4. Matt. 7. 23. Luc. 12. 9. Gen. 3. 24. Luc. 13. 25.

Ceterum Regnorum primus ait: *Venit vir Dei ad Heli sacerdotem, & ait ad eum: Hæc dicit Dominus: Nunquid non apertè revelatus sum domui patris tui? & elegi eum ex omnibus tribubus Israel mihi in sacerdotem, ut ascenderet ad altare meum, & adoleret mihi incensum, & portaret ephod coram me? (f) Et dedi domui patris tui omnia, quæ sunt ignis filiorum Israel in escam. Et ut quid respexisti in incensum meum, & in sacrificium meum impudenti oculo? Et glorificasti filios tuos super me, benedicere de primordio omnis sacrificii Israel in conspectu meo? Propter hoc hæc dicit Dominus Deus Israel: Dixi; domus tua, & domus Patris tui transibunt coram me usque in sempiternum. Et nunc dicit Dominus: Nequaquam: quoniam tantum glorificantes me glorificabo, & qui spernit me, honore privabitur. Ecce dies veniunt, & exterminabo semen tuum, & semen domus patris tui: & non erit tibi senex in domo mea omnibus diebus. Et viros exterminabo ab altari meo, ut deficiant oculi eorum, & defluat anima eorum. Et omnis qui supererit ex domo tua, cadent in romphæa virorum. (g) Et hoc tibi signum, quod veniet super duos filios tuos, Ophni & Phinees: una die morientur ambo.* 1. Reg. 2. 27. & seqq. (f) LXX. 1. Reg. 2. 31. (g) m. s. & not. ad LXX.

*Jud.* Non in quemvis Israelitici generis sacerdotem, sed in Heli solùm, hoc edictum expetit.

*Christ.* Minimè gentium. Malè sacras litteras intelligitis. Nam si in Heli solum expetebat; dictum oportuit: Exterminabo semen tuum: nunc verò addit: & semen domus patris tui: Levi procul dubio notans patrem domus Heli: ideo prædixerat vir Dei: *Elegi domum patris tui ex omnibus tribubus Israel mihi in sacerdotem:* quare pro delectu editum quoque est edictum: siquidem addit: exterminabo semen domus patris, (h) *& non eris propheta in domo mea omnibus diebus.* Qua sententia omnimodam sacerdotum abrogationem significat; eamque præsentiens & David ait: *In Ecclesiis benedicite Deo Domino.* Nam in Mosaica lege non sacerdos erat extra templum Hierosolymis, non Pontifex, non immolatio, non suffitus, non libamentum, quin & Babylone exulantes, in aliena terra Deo carmina offerre religioni habebant. At nunc ab ortu & occasu, ab Aquilone atque mari coacta & constabilita est Ecclesia. Ubique enim templa, Patriarchæ, Pontifices, Sacerdotes, ac Levitæ frequentes: in omnibus quà vicis, quà urbibus assiduè incruentam hostiam immolari cernas, totoque orbe terrarum Dei nomen laudari atque celebrari. 1. Reg. 2. 16. (h) m. s. Ps. 67. 27. Ps. 136. 4. Ps. 106. 6.



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1310.

## CAPUT LIV.

*Prophetiæ de abjecta plebe Judaica, & Gentium vocatione.*

Jer. 3. 15. (a) LXX. Isai. 60. (b) LXX. Isai. 55. 6. Ibid. 7. 8. (c) m.s. Isai. 56. 1. & 7. Ose. 1. 2. (d) m.s. Ibid. 3. (e) visitabo vulg. (f) Jebu. vulg. Ose. 1. 6. (g) LXX. Ose. 1. 8. 9. (h) m.s. Ose. 2. 10. (i) LXX. ulciscar. (k) Osee 7. 12. (l) LXX. Ibid. 12. (m) v. 8. 1. A. Amos 9. 9. Ps. 131. 9. (n) LXX. Deut. 12. 27. 2. Par. 26. 16. & seqq.

QUippe ait per Jeremiam Deus: *Dabo vobis pastores juxta cor meum, & pascent vos scientiâ & doctrinâ.* Et per Isaiam. (a) *Dabo principes tuos in pace, & Episcopos tuos in justitia.* Rursumque de credentibus Judæis. (b) *Vivet in bonis anima vestra, & constituam vobis testamentum æternum, sancta David fidelia.* Idem iterum: *Quærite Dominum, & in inveniendo invocate eum; quia multum dimittet peccata vestra. Neque enim sunt cogitationes meæ, sicut cogitationes vestræ; neque viæ vestræ, viæ meæ, dicit Dominus. Sed sicut distat cœlum à terra, sic distat via mea à viis vestris, & cogitationes meæ* (c) *à cordibus vestris.* Et rursum: *Hæc dicit Dominus: Custodite judicium, & facite justitiam, quia juxta est salus mea. Domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis.*

De legis vero abrogatione Oseam prophetam monuit Deus, in hanc sententiam. *Vade, sume tibi uxorem fornicationum; & fac tibi filios fornicationum, quia fornicans fornicabitur* (d) Synagoga. *Et abiit, & accepit Gomer filiam Debelaim: & concepit, & peperit ei filium: & dixit Dominus ad eum: Voca nomen ejus Jezrahel: quoniam adhuc modicum, &* (e) *ulciscar sanguinem Jezrael super domum* (f) *Juda: & erit in die illa, quiescere faciam regnum domus Israel: & conteram arcum Israel in valle Jezrael.* Jezrael autem ultor redditur. *Et concepit adhuc, & peperit filiam, & dixit ei: Voca nomen ejus: Absque misericordia: quia non addam ultra misereri domui Israel,* (g) sed adversans adversabor ei. *Et ablactavit eam, quæ erat Absque misericordia; Et concepit adhuc & peperit filium. Et dixit Deus: voca nomen ejus: Non populus meus: quia vos non populus meus; & ego non ero vester* (h) Deus. Idem de Synagoga: *Judicate matrem vestram, judicate: quoniam ipsa non uxor mea, & ego non vir ejus.* Aliaque non pauca sub Dei persona iracunda, propheta denunciat, quale hoc est. *Vir non eruit eam de manu mea: & cessare faciam omne gaudium ejus, sollemnitatem ejus, neomeniam ejus, sabbatum ejus, & omnia festa tempora ejus: &* (i) *visitabo super eam dies Baalim.*

Et de incredulis Judæis (k) Christus. (l) *Mittam super eos rete meum: ut volatilia cæli, detraham illos: corripiam eos in auditu tribulationis eorum. Væ eis, quoniam resilierunt à me. Meticulosi sunt, quoniam impiè egerunt in me. Ego vero redemi eos: ipsi verò locuti sunt contra me mendacia: & non clamaverunt ad me corda eorum; sed mala contra me cogitaverunt:* (m) *idcirco tradentur in gentibus:* Amos hæc minatur. *Ecce mandabo ego, & concutiam in omnibus gentibus domum Israel, sicut concutitur triticum in cribro: & non cadet lapillus super terram. In gladio morientur omnes peccatores populi mei.* Davidis quoque hæc sententia est. *Sacerdotes tui* (n) *induentur justitiam, & Sancti tui exultabunt.* Id quod de gentium Ecclesia dixit, ut futurum. Nam si de Synagoga; *induti sunt, & exultant,* dictum oportebat.

Jam vero, ubi nunc Judæorum res divina, ac libatio? Siquidem Deuteronomio, Mosi Deus præcepit: *Non facies altare in omni loco, neque offeretis sacrificia; sed in loco quem elegerit Dominus: eo portabitis primitias & sacrificia vestra:* Salomonis templum prorsus innuens. At ubi nunc hodie templum illud? Ubi Pontifices? Sacerdotes ubi? Ubi qui sacerdotes ungant & inaugurent? ubi cornu olei? Quæ lex Mosaica profanos permisit in sacerdotes consecrari, illegitimè extra templum Hierosolymitanum in communibus ædibus collectos? Habetis ecce projecti sacerdotii argumenta. Quare si sacerdos non est, omnes igitur Judæi adulterantur, atque ex adulterio nascuntur, ergo spurii omnes, at spurius ex lege Mosis ad sacerdotium non adscisci-tur. Et alioqui sacerdos planè dicitur à sacris faciundis, id est, mactandis. Sin hostia & sacra non sint; nec sacerdos quidem est, nisi qui falso sacerdos dici postulet. Itaque si Oziæ, quamvis regiè inuncto, thuribulum tractanti Deus non pepercit, tantum quòd sacerdotalis non esset, sed & lepram immisit, & prophetias eo superstite continuit; quæ quantaque mala eos non maneant, qui sacrorum exortes, in sacra invadant, & Pascha, atque festa agitare extra Hierosolymitanum templum incæptent, legem custodire (si superis placet) interim se jactantes?

*Jud.* Ereptum nobis pontificium juxta ac regnum confitemur, jam inde ab eo tempore, quo tantis urgemur malis à Tito Romanorum principe subacti; & omnino fortasse est, ut nos legis custodes decipiant, ne prærogativâ honoris deturbentur. Sed oramus, & Christi supplicia nobis edissere, & qui de his, deque ejus resurrectione vaticinentur Prophetæ.

CAPUT

Digitized by Google

## CAPUT LV.

*Prophetiæ de Christi morte atque resurrectione.*

*Christ.* Sciendum in primis est, quod sæpe jam diximus; naturam divinam oppressum tyrannide à diabolo videre suum figmentum non potuisse, igitur visum est Patri, ut suus sibi unigenitus (a) animam atque corpus ex semper Virgine Maria susciperet, impermutatus atque inconfusus, citraque peccatum perfectus homo fieret, non amisso quod erat, (videlicet immutabilis) sed assumpto quod non erat, (utpote humanus) quo per naturam nostram mori posset, & per ineffabilem & incomprehensam Divinitatem, omnes vivificaret, atque à diaboli nexibus absolveret. Nam & vivi per ejus ex Virgine ortum, non peccati solum chirographo liberati, sed adoptione etiam sunt affecti, & mortuorum animæ, quæ apud inferos tenebantur, per ejus resurrectionem, è diaboli manibus elapsæ, regnum cœleste obtinuerunt. Ut enim duo sunt ortus, sic duorum salus, vivorum, inquam, ac mortuorum, procurata est. Hæc Passionis necessitas fuit: nam nisi Passio fuisset, mors secuta non esset, quæ si haud evenisset, humanitas omnis ex diaboli potestate eripi non poterat. Siquidem ut peccatum veteri Adamo justè mortem concivit; ita & novo Adamo, insonti ac sine vitio, irrogata mors justè admissi chirographum dissolvit. Itaque benignus ille Deus, de hominum salute semper solicitus, non æternam modo Unigeniti Filii ex utero ante Luciferum generationem, per prophetas prædici ac divulgari indulsit, sed etiam quemadmodum corpore ex semper Virgine Maria assumpto, duas naturas unierit, miracula, ingressum illustrem & adventum Hierosolymam super asinæ pullo, proditionem, supplicium, crucem, sepulturam, resurrectionem, inferorum direptionem, mortis interitum, in cœlos ascensum, denique à dextris consessum; ut in quo hæc omnia perfecta videretis, eum Unigenitum esse Dei Filium sciretis, qui & jam venerit, & rursum gloriosè rediturus sit, Dei nomine, Patris scilicet, vivis atque mortuis judex, idem Dominus & præpotens, & Rex, & Deus, divinitate atque regno finem nesciente.

(a) *m. s.*

Igitur testes eorum, quæ diximus, Prophetas in medium conferamus. De immensis Christi miraculis, velut in transcursu clamat Isaias: *Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt: tunc saliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum. Tum*, ait, quando? cum, ut Davidis verba ferunt; *Veritas de terra orta fuerit, & justitia de cœlis prospexerit:* scilicet Deus homo Jesus, ut alio loco idem prædicat: *Orietur in diebus ejus justitia & abundantia pacis.* Ergo, cùm ex Davidis sententia, Dei Justitia, Unigenitus ejus Filius, è cœlis exisset, tum & Veritas è terra oriretur, id est, divinitati unita per eandem hypostasin Caro, ut universa vatum præsagia in lucem proferantur, certo atque exploratè completa ac perfecta. Nam ut visibili hoc lucifero exorto, omnia in tenebris occulta deteguntur, sic Justitiæ sole cœlitus degresso, cuncta illa vatum involuta dicta fuere illustrata, & (b) tanquam suum statum prædictæ veritatis accepere.

*Isai.* 35. 5.
*Ps.* 84. 12
*Psal.* 71. 7.
(b) ἀποκατάστασιν ἔλαβον.

Id adeo David in hæc verba: *Etenim Dominus dabit benignitatem.* Porro Domini Benignitas omnino Unigenitus æterni Patris Filius est: *& terra nostra dabit fructum suum.* Assumptum à Filio ex lutea ac terrestri natura corpus fructum edet, luculenta miracula. *Justitia ante eum ambulabit:* id est, immensa, & opinione major humanitas, *& ponet in via gressus* (c) *ejus.* Videtis unam in duabus naturis personam? Per *veritatem & justitiam* propheta naturam humanam simul ac divinam significans, non dixit *ponet in via* scilicet miraculorum, *gressus earum*, sed in una persona, gressus ejus.

*Ps.* 84. 13.
*Ibid.* 14.
(c) *LXX.*

Idem rursum; *Misit Verbum suum, & sanavit eos: & eripuit eos de interitionibus eorum.* Isaias verò clamat: *Spiritus Domini super me, eò quod unxerit Dominus me.* (d) *evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captivis remissionem, & cæcis visum.* (e) Idem de Apostolis: *In diebus illis, in quibus apprehendent decem homines ex omnibus linguis Gentium, & apprehendent fimbriam viri Judæi, dicentes: Ibimus vobiscum; audivimus enim quoniam Deus* (f) *vobiscum est.* Et quis est autem vir Judæus, nisi Deus homo Jesus? decem vero homines, divini Apostoli sunt, ac discipuli.

*Ps.* 106. 20.
*Isai.* 61. 1.
(d) *LXX.*
(e) *Zach.* 8. 23.
(f) *m. s.* μετὰ σοῦ.

*Jud.* Et cur autem non dixit, *decem homines* ex tribubus Israel? sed, *ex omnibus linguis Gentium?* Apostoli enim omnes ex tribubus Judæorum erant.

*Christ.* Scilicet præscius Vates, futurum, ut neglectâ Judæorum Synagogâ, præcones cunctis gentibus fierent, hoc tantum opus prætulit tribui. Nam quemadmodum qui fratri semen suscitat, prolem haudquaquam suam deputat: neque enim sibi, sed ante se fratri stirpem instaurat, etsi ex eo proles suscepta non sit: ita & in Apostolis



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1310. Propheta, illam ab Judæis ſtirpitus originem pro nihilo ducens, eorum potius erga gentes, ut ſic dixerim, paternitatem tanquam illuſtrem eſt amplexus. Sane Corinthiis ſcribens, clamat Paulus: *Nam in Chriſto Jeſu per Evangelium ego vos genui. Rogo ergo vos, imitatores mei eſtote.*

1. Cor. 4. 15. 16. Deinde non ignorabat Propheta, fore, ut Paracliti Spiritus ſancti adventu, & inſpiratione omnes omnium gentium linguas atque diſciplinam Apoſtoli repente edocti, ſuis linguis omnes erudirent gentes.

*Jud.* At cur non duodecim dixit, ſed, *decem?* Siquidem Chriſti Apoſtolos duodecim eſſe pro numero duodecim Patriarcharum didicimus.

(a) Zachariam. *Chriſt.* Rectè, & ut par eſt, dubitaſtis. Sed exploratè vobis tenendum eſt: (a) Iſaiam ex tribu Benjamin, & Dan oriundos Apoſtolos hoc ſuo vaticinio non prodidiſſe. Ac tribum quidem Benjamin reticuit, quod meus Salvator in corpore apud nos degens, pro ſe loquens os, magnum illum Paulum non conſpexit. Dan verò tribum ſilentio tranſiit, ob naſciturum ex ea Judam proditorem, uti mens Deum videns olim

Gen. 49. 17. divinavit in hanc ſententiam. *Fiet Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita, mordens ungulas equi*: corporalem, eo typo, necem nobis innuens. *Ut cadat aſcenſor ejus retro*,

(b) LXX. divinitate affectum corpus in recens Joſephi monumentum (b) ſalutem expectans Domini; nimirum triduanam reſurrectionem.

Quod verò omnes Chriſto obitas functiones Prophetæ nunciarint, oſtendit mei

Gen. 49. 11. Servatoris Hieroſolymam adventus, de quo omnium princeps Iſraël ait: *Alligans ad vitem aſinam ſuam, & ad helicem pullum aſinæ ſuæ.*

Videtis, ut abrogata lege propagationem gentium Propheta ſignificet? Nam cum dicit, *aſinam viti* (alligatam) temporariam, ac pœne nullam Synagogæ ſtabilitatem notat: neque enim legis diſciplinâ orbis terrarum adminiſtratur, ſed Judæa ſolum, exiguum ejus ſegmentum. At cum ait, *aſinæ pullum ad helicem vitis*, ſeu ad brachia vitium, æternum, ac ſublime, & toto orbe pervagatum præconium deſignat: Siquidem helici ſeu vitium brachiis ſimilis eſt illa orbis converſio. Ac de his Servator quoque ad Synagogam reſpiciens, quam aſinæ comparavit, per ſimilitudinem teſtatur:

Luc. 20. 9. Matth. 21. 33. *Homo plantavit vineam*, & quæ ſequuntur.

Ad pullum verò loquens, qui eſt novus populus, ait: *Ego ſum vitis, vos palmites:*

Joan. 15. 1. Matth. 21. 40. *Pater meus Agricola eſt*: Id adeò verum eſſe, majorum veſtrorum reſponſum demonſtrat. Nam à Deo interrogati: *Cum venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? Aiunt illi: Malos male perdet; & vineam ſuam locabit aliis agricolis, qui*

Soph. 3. 14. 15. *reddent ei fructum temporibus ſuis.* Sophoniæ quoque hæc ſunt verba. (c) *Gaude filia*

(c) LXX. (d) m. ſ. *Sion, prædica filia Hieruſalem, exulta, & delectare de toto corde tuo filia Hieruſalem. Abſtulit Dominus iniquitates tuas, redemit te de manu inimicorum tuorum,* (d) *regnabit Dominus in medio tui.*

Zach. 9. 9. Zacharias addit: *Gaude vehementer filia Sion, prædica filia Hieruſalem: Ecce Rex tuus venit tibi juſtus, & ſalvans, ipſe manſuetus, & aſcendens ſuper ſubjugalem & pullum novum.* Atque hæc quidem Zacharias ad Hieruſalem, ad Filium vero David:

Pſ. 44 7. Pſ. 112. 1. *Sedes tua, Deus, in ſeculum ſeculi: Virga directionis, virga regni tui.* Et ad pueros: *Laudate pueri Dominum.* At pueri: *Hoſanna Filio David: benedictus qui venit in*

Pſ. 8. 3. *nomine Domini*, inde ad Dominum iterum pſaltes regius: *Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem tuam.* Dominus ad populum: *Sinite parvulos, & nolite eos pro-*

Matth. 19. 14. *hibere ad me venire:* Siquidem Eliſabethæ vocem ſunt ſecuti: nam illa ait: *Benedictus*

Luc. 1. 42. *fructus ventris tui:* hi ex ea nato acclamant: *Benedictus qui venit in nomine Domini.*

Joan. 12. 23. O parentum ingratitudinem: o filiorum gratitudinem! filii veſtes ſuas ſubſternebant: parentes ejus veſtes partiebantur. Illi *Hoſanna* canebant; hi *crucifigatur* clamabant. Sapit infans ætas; & qui ſtultos eſſe pueros perhibuerunt, ſtulteſcebant. Eratque tum inſolens, & à natura abhorrens ſpectaculum videre, lactentes, matrum ulnis vectos infantes, hinc mamillam tractare, illinc nato è Virgine Deo palmæ ramos protendere: & qui lac maternum traherent, Dominicum præceptum tenello ore effundere;

Marc. 11. 9. 10. priuſquam verba effari poſſent, Deo verbo explicatè acclamantes; *Hoſanna in excel-*

Pſ. 112. 5. 6. *ſis*; quaſi dicerent, ſalva nos, qui in altis habitas, & humilia reſpicis.

## CAPUT LVI.

### *Pſalmus ſecundus exponitur.*

SEd quoniam ſuper aſinæ pullo ſedentem, & Dei Filium eſſe, & Deum verum, & omnis univerſi regem, vaticinis uſi ſententiis, oſtendimus, age, ſupplicia quoque Chriſti contemplemur, & flagitioſa in eum conſilia æque è Vatum ſcriptis comprobemus, à Davide exorſi: igitur futurum tanquam præſens proſpiciens, ait Propheta.

Pſ. 2. 1. *Quare fremuerunt gentes; & populi* (*gentes* Romanos vocans, populos, Judæorum tribus)

Digitized by Google

tribus) *meditati sunt inania?* Omninò sanè, inquit, adversum Christum frustra tu- Sæc.
multuantur, atque cogitant. *Astiterunt Reges terræ.* Pilatus scilicet, atque Hero- XIV.
des: *Et principes convenerunt in unum:* Pontifices ac Sacerdotes, pariter, simul, ea- Anno
dem mente & consilio *adversus Dominum, & adversus Christum ejus,* ut eum inter- 1310.
ficiant. *Dirumpamus vincula eorum; & projiciamus à nobis jugum ipsorum:* consen- *Ibid.* 2.
tanea Mosaicis dictis David loquitur: nam ut ille de opificio disserens, unam voluntatem SS. Trinitatis significans inquit: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*; ita & hic gentium ac populorum cogitata & tumultus, astantes reges, optimatum pariter conventum, hæc, inquam, omnia docens consentire, ait: *Dirumpamus vincula eorum, & projiciamus à nobis jugum ipsorum.* Quin ut clarius esset, atque apertius quod dicit, addit: *Qui habitat in cœlis,* Pater videlicet, *irridebit eos: & Dominus subsannabit:* scilicet Filius, qui inter eos, ceu damnatus, astitit, minimè interim paterno sinu extorris. *Tunc loquetur ad eos in ira sua: & in furore suo conturbabit eos.* Tunc; quando? Cum judex advenerit, omnibus cœlestibus copiis stipatus, vivis ac mortuis jus dicturus. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo:* oratio est digna Deo, & regia, & Christi etiam hominis perenne innuens regnum; dicit enim: *Regnabit Dominus in secula, Deus tuus, Sion. Super Sion montem sanctum ejus.* Sanctum montem hîc Virginem ac Deiparam intellige. Ut enim Deus in Sina descendens conspectus est à Mose, sic ille incarnatus ex Virgine, conversatus est cum homine; ille inaspectabilis factus fuit aspectabilis, *prædicans præceptum Domini:* id est, interpres, ut Patris beneficio prophetæ olim prædixerunt: *Dominus dixit ad me:* qui mihi Pater est, secundum divinam naturam, idemque Deus secundum carnem assumptam, *Filius meus es tu,* charissimus ante secula citra fluxum mihi es Filius.

*Ibid.* 3. *Gen.* 1. 26. *Ibid.* 4. *Ps.* 145. 10. *v.* 5. *v.* 6. *Psal.* 2. 7.

*Ego hodie genui te*: Quem ex utero ante Luciferum genui, hodierno die corporatum ex Virgine prodire volui; neque enim alius fuerat ille, atque alius tu; sed idem, unus ex duabus naturis: *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Solet David quæ sunt Unigeniti, ad Dei ac Patris voluntatem atque potestatem revocare, ne ab imperitis Deo contrarius crederetur: *& possessionem tuam terminos terræ:* qui sacrum nomen ferentes tuum, per te jurent. *Reges eos in virga ferrea*; sceptrum seu virgam ferream Divinitatis potentiam significat. Nam paternum hoc per Davidem dictum confirmans meus Servator ait: *Ego sum pastor bonus, & ego agnosco meas, & cognoscunt me meæ. Sicut novit me Pater, & ego agnosco patrem: & animam meam pono pro ovibus meis. Tanquam vas figuli confringes eos.* His verbis tum hominum declarat opificium, quod magnus ille figulus, Deus, effinxit ac molitus est; tum vero Judæorum internecionem & interitum. Tam facile, inquit, collides, qui te ut opificem ac Deum non venerantur, sed merum hominum ducunt, salutari morte te multantes, quam figulus fabricatum à se ac conformatum fictile. Ut enim pecudes, quæ pastoris vocem atque sibilum sequuntur, & viridibus pascuntur herbis, & liquidissimos potant latices; quæ verò à pastore resiliunt, feris prædæ sunt; ita tractus omnes cunctis terrarum finibus quicunque mei Filii vocem audient, in cœlestibus æternisque sedibus degent ac pascent, & ad securas amnes nutrientur. At qui ejus vocem negligent, attriti ac deleti, infami lupo, diabolo, relinquentur.

*Ibid.* 8. *Joan.* 10. 14.

*Et nunc, Reges, intelligite.* Christi potestatem, resurrectionem, atque regnum antè accuratè executus Propheta, intelligere ea quoque terrarum reges jubet ac hortatur. *Erudimini qui judicatis terram:* quandoquidem judicum judicem, deorum Deum, vestrum ac totius mundi Regem Dominumque expectatis, discite omnes, qui de terrenis, & terrena judicatis, judicare, ac jus & æquum facere: *in quo enim judicaveritis, judicabimini: & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore:* quod si timidè ac trepidè Deum coletis, postmodum cum eo æternùm exultabitis; nunc lachrymosi ferentes: at tum lauti vestrorum fructuum millenarias aristas messuri, comportandas in horrea cœlestia. *Apprehendite disciplinam:* id est, ad frugem suscipite divinam doctrinam: ait enim: *Et disciplina tua correxit me in finem: & disciplina tua me docebit:* & rursum LXX. *Disciplina Domini aperit aures meas,* atque iterum. *Castigans castigavit me Dominus, & morti non tradidit me. Ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via justa.* Iram appellat remunerationis diem; perire de via justa, excidere est ac frustrari dextrâ judicis assistentia, qua sancti omnes ac justi fruentur. *Cum exarserit in brevi ira ejus:* repentinam vindictam ac furorem vocat horrendam illam sententiam: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus:* quam & ante judicium unusquisque recogitans, ac sua ipsius conscientia victus, horret. *Beati omnes qui confidunt in eo.* Propheta humanam naturam in duas partitus vias, damnat pervicaces; at pios morigerosque pietati, incorrupta ac perenni beatitudine afficit.

*Psal.* 2. 10. *Matt.* 7. 1. *Psal.* 2. 11. *Ps.* 17. 36. *Isai.* 50. *Ps.* 117. 8. *Psal.* 2. 12. *Ibid.* 13. *Matth.* 25. 42. *Psal.* 2. 12.

Consentanea Patri & Salomon Judæorum scelera publicans, ait: *Dixerunt cogitan-* *Sap.* 2. 1.



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1310.

*tes apud se non rectè: Opprimamus justum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. Promittit se scientiam Dei habere, & Filium Dei se nominat. Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum. Gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, & immutatæ sunt viæ ejus. Tanquam nugaces æstimati sumus ab illo, & abstinet se à viis nostris, tanquam ab immunditiis, & præfert novissima justorum, & gloriatur Patrem se habere Deum. Videamus ergo si sermones illius veri sint, & tentemus quæ ventura sunt illi. Contumelia & tormento interrogemus eum, ut sciamus reverentiam ejus, & probemus patientiam illius. Morte turpissima condemnemus eum: erit enim respectus ex sermonibus illius. Hæc cogitaverunt, & erraverunt: excæcavit enim illos malitia eorum. Et nescierunt sacramenta Dei; neque judicaverunt, quia tu es Deus solus, qui vitæ & mortis habes potestatem: & salvas in tempore tribulationis, & liberas ab omni malo: quoniam pius & misericors, (a) & das gratiam sanctis tuis, & in brachio tuo resistis superbis.*

Ibid. 12. & seqq. Sap. 2. 19. v. 20. Sap. 16. 13. Eccl. 2. 13. (a) m. s. & LXX.

Jer. 11. 19. Et per Jeremiam Christus prædicit. *Ego autem sicut agnus innocens, ductus ad immolandum, non cognoscebam: quia cogitaverunt super me cogitationem malam, dicentes: Venite, & mittamus lignum in panem ejus, & eradamus eum de terra viventium, & nomen ejus non memoretur amplius. Lignum* Propheta appellat vitalem crucem; *panem*, Christum, uti de se Christus confirmat. *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi.*

Job. 6. 41.

Psal. 20. 11. 12. David quoque de insanis, & pessimo consilio instructis ait: *Fructum eorum de terra perdes, & semen eorum à filiis hominum: quoniam declinaverunt in te malæ, cogitaverunt consilia, quæ non potuerunt stabilire: quoniam pones eos dorsum; in reliquiis tuis præparabis vultum eorum:* id est, in perennes atque interminos cruciatus abeuntium.

Job. 36. 6. Job etiam. *Deus impios non salvat, LXX. eo quòd noluerunt scire Dominum.* Esaias: Isai. 30. 1. *Vanum est consilium patrum vestrorum.* Idem rursum: *Væ filii desertores, dicit Dominus, ut faceretis consilium, & non ex me: & ordiremini telam, & non per spiritum meum.* Zacharias: *Hæc dicit Dominus. Ego non parcam ultra super habitantes terram: ecce ego tradam homines, unumquemque in manu proximi sui, & in manu regis sui: & concident (c) eos, & non eruam de manu eorum: (b) & pascam oves occisionis in Chanaanitide. Et assumam mihi duas virgas: unam vocavi Decorem: & alteram vocavi funiculum. Et pascam oves. Et auferam tres pastores in mense uno; & ingravescet anima mea super eos: siquidem & animæ eorum rugiebant super me.*

Zach. 11. 6. & seqq. (b) m. s. (c) LXX.

## CAPUT LVII.

*Psalmus 21. de Christi persona eleganter explicatur.*

Psal. 13. 1. DAvid: *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me.* Et rursum: *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus: corrupti sunt & abominabiles facti sunt in studiis suis: omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt; non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Et iterum: *Inimici mei animam meam circumdederunt: adipem suum concluserunt, os eorum locutum est superbiam. Projicientes me nunc circumdederunt me; oculos suos statuerunt declinare in terram. Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam, & sicut catulus leonis habitans in abditis.* Et paulò pòst: *Saturati sunt filiis, & dimiserunt reliquias suas parvulis suis.* Atque alibi: *Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens & rugiens.* Idem ex Pilati persona: *Odivi Ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedebo: Lavabo inter nocentes manus meas.* Et de Pontificibus: *In quorum manibus iniquitates sunt, dextra eorum repleta est muneribus.* Iterum tanquam voce carnis: *Ne tradideris me in animas tribulantium me, quoniam insurrexerunt in me testes iniqui.* Et de Pharisæis Christum capere conantibus: *Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum. Da illis Domine secundum opera eorum; & secundum nequitiam adinventionum ipsorum: secundum opera manuum eorum tribue illis, redde retributionem eorum ipsis: quoniam non intellexerunt opera Domini, & in operibus manuum ejus.* Dei facta & opera manuum, vocat ineffabilem ad nos descensum, & orbis terrarum salutem ex immensa bonitate collatam. Idem rursum: *Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium, & vicinis meis valde, & timor notis meis.* Quid ita ô Propheta? *Quoniam audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu: in eo dum convenirent simul, accipere animam meam consiliati sunt.*

Psal. 21. 14. Psal. 25. 5. 6. Psal. 25. 10. Psal. 2. 611. Psal. 27. 3. 4. Psal. 30. 12. Psal. 30. 14.

Jam injustam Christi necem, & ei frustra comparatam fraudem prospiciens, scribit in hæc verba: *Muta fiant labia dolosa, quæ loquuntur adversus justum iniquitatem.* Rursum velut à corpore ad Divinitatem. *Exultatio mea erue me à circumdantibus me.* Et invectus in Synagogam Christi necem infamem: *Confundantur & revertantur simul qui quæ-*

Psal. 30. 19. Psal. 31. 1. Psal. 34. 4.

Digitized by Google

*quærunt animam meam: convertantur retrorsum & revereantur qui volunt mihi mala.* In Sæc. falsos quoque testes hæc pronunciat: *Surgentes testes iniqui, quæ ignorabam interrogabant me; retribuebant mihi mala pro bonis, sterilitatem animæ meæ.* Et iterum: *Non supergaudeant mihi, qui adversantur mihi iniquè, qui oderunt me gratis, & annuunt oculis: quoniam mihi quidem pacificè loquebantur, & in iracundia dolos cogitabant.* XIV. ANNO 1310. Ps. 34. 11. Ibid. 19.

Jam illud quò referes? *Considerat peccator justum, & quærit mortificare eum. Dominus autem non derelinquet eum in manibus ejus: nec damnabit eum, cum judicabitur illi.* Cæterum hæc de Christo: *Benedicentes ei hæreditabunt terram: maledicentes autem ei disperibunt.* Dictis Isaac consentanea loquutus est David. Ille enim prospiciens, quod ex stirpe Jacob expectatio Gentium Christus oriturus esset, sic præscius ajebat: *Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus: & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.* At David noster: *Benedicentes ei hæreditabunt terram: maledicentes autem ei disperibunt.* Quorum verborum hæc sententia est: quemadmodum tum soli ex Jacob nati, non verò etiam ex Esau, promissam terram occupabant; ita nunc quoque soli, qui Christo bene volunt, absque iis qui male volunt, cœlestem ac perennem Hierosolymam possidebunt. v. 20. Ps. 36. 32. 33. Ibid. v. 22. Gen. 27. 29. Ps. 36. 22.

Rursum David: *Multiplicati sunt qui oderunt me iniquè, qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem:* quæ ex Unigeniti Dei Filii persona dicit. Ibidem: *Vim faciebant, qui quærebant animam meam: & qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates, & dolos tota die meditabantur. Ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum: & factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones.* Ac talia quidem de silentio Christi patientis David prodidit: nunc Evangelistam videamus. *Et Jesus cum accusaretur à principibus sacerdotum & senioribus, nihil respondit; ut miraretur præses vehementer. Tunc dicit illi Pilatus: mihi non loqueris? Jesus autem tacebat.* Consonat Davidi & Isaias in hanc sententiam: (a) Ipse propter afflictionem non aperit os suum. Sicut ovis ad victimam ductus est, & sicut agnus coram tondente mutus, sic non aperit os. Idem rursum ex persona Patris de immaculata passione ejus. (b) Ecce intelliget puer meus, & exaltabitur, & glorificabitur valde. Sicut stupebunt super te multi; sic ingloria erit ab hominibus species tua, & gloria tua à filiis hominum. Sic mirabuntur gentes multæ super eo, & continebunt reges os suum: quia quibus non est annunciatum de eo, videbunt; & qui non audierunt, intelligent, & alio loco. (c) Dominus dat mihi linguam disciplinæ, ut sciam quando oporteat loqui verbum: addidit mihi aurem ad audiendum, & disciplina Domini aperit aures meas: ego autem non renuo, neque contradico. Dorsum meum dedi ad flagella, & genas meas ad alapas: & faciem meam non averti à confusione sputorum. David vero. *Aruit tanquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis; & in pulverem mortis deduxisti me.* Idem velut à corpore ad Divinitatem copulatam. *Erue à framea Deus animam meam, & de manu canis unicam meam.* Et Isaias. (d) Homo in plaga positus, & sciens infirmitatem: quia aversa est facies ejus, despecta, & non reputata. Iste peccata nostra portat, & pro nobis dolet: & nos reputavimus eum esse in labore, & in plaga à Deo, & in afflictione. Ipse autem vulneratus est propter peccata nostra, & infirmatus est propter iniquitates nostras. Livore ejus nos sanati sumus. Amos Propheta dicit. (e) Pro argento vendiderunt justum. Zacharias ex persona Christi: *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos.* Et Jeremias (referente S. Matthæo) *Acceperunt triginta argenteos, pretium appretiati, quem appretiaverunt à filiis Israel: & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus.* David de proditore: *Qui edebat panes, magnificavit super me supplantationem.* Et Isaias. (f) Væ iniquo: mala secundum opera manuum ejus accident ei. Et David iterum. *Dixit injustus ut delinquat in semetipso: non est timor Dei ante oculos ejus.* Quam ob rem vates? *Quoniam dolose egit in conspectu ejus, ut inveniatur iniquitas ejus ad odium:* Sane dolos versavit, contra tam sanctam institutionem & doctrinam, & odium exercuit in virtutes & miracula. Invenit iniquitatem; scilicet ingenium avarum & sanguinarium. Quare merito imprecatur ei Propheta: *Constitue super eum peccatorem, & diabolus stet à dextris ejus:* quandoquidem astare servatori ad dextram odit. *Cum judicatur, exeat condemnatus,* quandoquidem in ferendo judicio confessum exosus est, eam ob rem judicatus abeat damnatus. *Et oratio ejus fiat in peccatum,* preces appellat intempestivam proditoris pœnitudinem, ut est apud Evangelistam Matthæum: *Tunc videns Judas, qui eum tradidit, quod damnatus esset; pœnitentiâ ductus retulit triginta argenteos principibus sacerdotum, & senioribus, dicens: Peccavi, tradens sanguinem justum: & abiens laqueo se suspendit.* Quæ omnia Propheta longe ante præsagiens addit: *Fiant dies ejus pauci, & episcopatum ejus accipiat alter.* Cur? *Quia persecutus est hominem inopem, & mendicum, & compunctum corde mortificare.* Vere enim

(a) LXX. Isai. 53. 7. Isai. 52. 13. 14. 15. (b) LXX. Isai. 50. 4. 5. (c) LXX. Ps. 21. 16. Ibid. 21. (d) LXX. Is. 53. 3. 4. Amos 2. 6. (e) LXX. Zach. 11. 12. Matt. 27. 9. Ps. 40. 10. (f) LXX. Isai. 3. 11. Ps. 35. 1. Ibid. 2. Ps. 108. 6. Ibid. 7. Matt. 27. 3. Ps. 108. 8.

inops

Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1310.

inops est Dominus noster Jesus Christus: nam nisi (a) temperiem nostram (seu corpus nostrum) mendicasset, nunquam nos ejus Divinitate ditati essemus. Quare cum proditor Divinitate augeri contempserit, jure in eum infert Propheta: *Et dilexit maledictionem, & veniat ei: & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.* Ita suo munere abdicatus est, eoque abdicato, suffectus Matthias, Apostolorum cœtum explevit. Salomonis quoque hæc de eo est sententia: (b) Vir insipiens & iniquus ambulat vias non bonas: innuit oculis, significat autem pede, docet nutibus digitorum. Perversum cor fabricatur mala. Per vitiosas vias, proditoris notat ingenium; per oculorum nutum, ad pontifices defectionem & conspirationem; per pedem, proditoris celeritatem; per digiti micationem, occultam ejus vafritiem. Neque vero his contentus veterator, etiam fraudulento osculo herum prodidit, testatus Judæis, cui suavium daret, eum esse, prehenderent hominem. His vero Sapiens hæc subjicit: (c) In omni tempore, qui talis est, turbationes affert civitati. Vere enim insignem tumultum ac perniciem Hierosolymis Judæ proditio dedit. (d) Propter hoc extemplo venit perditio ipsius, intercisio, & contritio insanabilis.

(a) Nazian. imitatur in magnum Basilium 12. 36. & alibi. Psal. 198. 16. Act. 1. 26. (b) LXX. Prov. 6. 12. 13. Prov. 6. 15. (c) LXX. (d) LXX.

Quin & Isaias ait: (e) Ego suscitabo eum cum justitia regem: & omnes viæ illius rectæ. Ipse ædificabit civitatem meam, & captivitatem populi mei convertet, non cum pretio, neque cum muneribus. Et iterum. (f) Dixit Dominus Sabaoth: Laboravit Ægyptus, & negotiatio Æthiopum, & Sabbæi viri excelsi ad te transibunt, & tui erunt servi, & post te sequentur vincti manicis, & transibunt ad te, & adorabunt te; quoniam in te Deus est, & non est Deus absque te. Quæ commemorat Vates, ut verum Deum esse Christum credatis.

(e) LXX. Ibid. 14. Isai. 45. 13. (f) LXX.

## CAPUT LVIII.

### *De Sabbatho Judæorum, & Dominica Christianorum.*

*JUd.* Quam ob rem vos honorem & gratiam Dominicæ tribuistis, quam apud nos Sabbatum habuit?

*Christ.* Certe multo æquius esse sanctam hanc Dominicam præ vestro Sabbato honorari, abunde est unde statuamus, non ex nostris solum sacris voluminibus, sed ex ipso adeo divino opificio. Nam si requietem colimus, quanto magis operum exordium? Neque enim propterea honorandus est Adamus, quod violando præcepto mortem incurrit (nam id quidem est extremum) sed quod primum Dei manibus factus est, atque formatus. Nam ecce hæc quidem est conformatio divina; altera vero transgressio humana.

Jam quanto hominibus sine comparatione præstant divina, quantoque est principium fine honoratius (siquidem illud molitionis caussa est, hic rerum molitarum dissolutio) tanto est quoque Sabbato illustrior & augustior Dominica. Præterea constituto principio cogit necessitas finem consequi: at finem esse principio non extante, insolens est & inauditum. Præstat igitur Sabbato Dominica, idque ex iis, quæ dicimus, erit apertius.

Vicesimâ quintâ mensis Nisan (ut vos Hebræi vocatis, nobis verò Martius est) Deus opificium cœpit; tricesimâ universum hoc omne perfecit, tricesimâ primâ, quæ à cœpto opificio numeratur septima, requievit. Ac videte sane exitum veritatis. In hac Israelitarum ex Ægypto fuga, & in Chananæam transitus contigit, in hac promissæ terræ sortitio & ingressus fuit: In hac Gabriel Archangelus Virgini ac Deiparæ læti nuncii verba attulit, quæ extemplo & Christi pro nobis sine semine conceptus & arcana Incarnatio est secuta, in hac ejus ex mortuis resurrectio; ac verisimile est, in hac & communem omnium nostrûm resurrectionem futuram, cum in vitam restitutis Christus iterum se tremendum præbebit, & incorruptum judicium exercebit, simulque grandis arcani inspectores ac præcones divini Apostoli, in duodecim sedibus judicandis duodecim Israeliticis tribubus sedebunt. Ceterum desiturum quandoque Sabbatum, Deus Abrahamo vestro parenti aperuit, in hæc verba. *Tu ergo custodies pactum meum, & semen tuum in generationes suas.* Et iterum: *Circumcidetur ex vobis omne masculinum in generationibus vestris.* Ibidem: *Infans octo dierum circumcidetur: eritque pactum meum inter me & inter vos, in generationibus vestris.* Videtis cum ortu fœderis etiam interitum? Non enim dixit: *Hoc erit signum inter me & inter vos in pactum* (g) *sempiternum.* Neque id semel dixit, sed ter quaterque. Unde constat judicium hoc neque in alteram ætatem, neque ad extrema usque statuendum; sed quandiu animo meo collubebit, posteritatem vestram rectores atque reges habere. Ob id præsagit Israel: (h) Non deficiet dux ex Juda, & princeps de femore ejus, donec veniant, quæ reposita sunt; & ipse erit expectatio gentium. At ubi venit Christus, non jam amplius huic generationi circumcisionis statutum fœdus durat, non vaticinium, non

Gen. 17. 9. Ibid. 11. (g) & semen ibid. dicitur bis. v. 7. & 13. & 70. (h) LXX. Gen. 49. 10.

Digitized by Google

non regnum, non pontificium, non sabbatum, non jejunium, non libamentum, non pascha, non festum. Merito igitur octavo die instituta circumcisio est, ceu sancto atque mundo: Nam in Levitico octavus, sanctus atque mundus vocatur, alteram novi fœderis à Christo patrandi legem designans, (a) Septem dies tibi & bos, & jumentum, & mancipium servient, octavo libera erunt. En octavum diem libertatis, quæ sanctam Dominicam prænotat; qua Deus noster Christus orbem terrarum à diaboli fraudibus liberavit. Sæc. XIV. Anno 1310. Lev. 23. 36. sed non ita lat. Bib. (a) m. s.

Jam verò Universum hoc septem ævis durare jussum est, autore Salomone: *Da partem septem, nec non & octo.* Id quod & magnus ille Apostolus Paulus, Christi os, qui in tertium usque cœlum conscendit, testatur in hæc verba: *Cum tradiderit regnum Deo & Patri Filius, tum & ipsa creatura liberabitur à servitute.* Igitur nondum cognito die octavo, jure septimus colebatur, ut feriatus; nam & instante illa, at nondum præsente ætate octava, septem duntaxat hominibus ætates putantur. Eccl. 11. 2. 1. Cor. 15. 24. Rom. 8. 21.

Quemadmodum autem ævo illo octavo (quod futurum est, & nunquam finietur) non jam porro septem præcedentium memoria ulla agetur, sic Dominicà, qui octavus libertatis dies est, præsente, Sabbati actione opus est nulla. Siquidem cum servituti subjaceret genus humanum, necessario & Sabbato opus erat, fessis exiguam requietem ferente. At ubi jam dies octavus libertate omnia donavit, ecquis deinceps usus sit septimi? Ac si lubet, considerate diligenter quemadmodum cum parentes vestri Manna in deserto vescebantur, ut ait David: *Panem Angelorum manducavit homo*; ceteris diebus frugi & utilis erat mannæ collectio, non in crastinum pro Judaica ingluvie manens, sed quæ satis esset diurno alimento: quod si Sabbato quis collegerat, inutilem prorsus sentiebat operam. Cæterum ex quo cœlestis ille panis, quem ut carbonem Isaias perspexit, & à (b) Cherubino, qui forcipe eum ex ara sumpserat, contactus, abs Domino Deo exercituum audivit: *Ecce tetigi hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur*: ex quo inquam cœlestis ille panis benignitate æterni Patris, & sancti Spiritus ope in terram descendit, uti de se ipse clamat: *Ego sum panis, qui de cœlo descendi*: ex eo nec Sabbatum sit, nec quies, nec tenuis & exigua vita, nec moderata partitio, sed omni hora Christus æternam ac perennem vitam suis famulis largitur. Ps. 77. 25. (b) Seraphim. Isai. 6. 7. Joan. 6. 41. 51.

## CAPUT XII.

*Panis propositionis, &c. typus corporis Christi.*

QUin & panis & vinum, quæ proferebat Melchisedech, & panis propositionis, quos soli sacerdotes edebant, corporis ac sanguinis Christi sacrificium præsignabant. Nam etsi majores vestri panem illum, qui umbra quædam & exemplar esset comederunt, at nihilominus eorum membra acciderunt, in solitudine, qui vero hoc pane vescitur, quid à se accepturus sit, ipsemet Servator docet in hanc sententiam: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Quam ob rem clamat Isaias. (c) Et erit in die illa, radix Jesse, & qui consurgit, ut princeps sit gentium, in ipso gentes sperabunt: & erit requies ejus honor. Et quæ alia autem ei requies erit, atque honor, quam ad arcana illa divina & munda cum timore & horrore accessus, & perceptio (eorum?) Idem alibi. (d) Periit princeps, qui conculcabat terram: scilicet qui nos supplantat malignus, de quo & meus Dominus ait: *Venit princeps mundi hujus, & in me non habet quicquam.* (e) Dirigetur cum misericordia thronus ejus: honor videlicet lapsi Adami. Est enim thronus honoris signum: At quo pacto dirigetur? *per viscera misericordiæ Dei nostri.* Et sedebit super illum cum veritate in tabernaculo David: id est, consors tribus ac gloriæ perennis sedebit; judicans & exquirens judicium, (f) & faciens misericordiam. Zacharias: (g) Venient populi multi, & gentes plurimæ, ut quærant faciem Domini. In die illa, dicit Dominus, (h) disperdam nomina idolorum de terra, & non erit ultra eorum memoria. Et Isaias, (i) Die illa fidens erit homo in eo, qui fecit eum: oculi autem ejus in sanctum Israel intuebuntur. Gen. 14. 18. Ex. 25. 30. Hebr. 3. 17. Joan. 6. 56. (c) LXX. Isa. 11. 17. Isa. 16. 4. (d) LXX. Joan. 14. 30. (e) LXX. Isai. 16. 5. Luc. 1. 78. Ibid. (f) m. s. (g) LXX. (h) LXX. Zach. 8. 12. & 23. 2. (i) LXX. Isa. 17. 7. (k) LXX.

Atque hæc sancta œconomiæ Christi arcana notabant, quibus percipiendis ipsum Servatoris Christi sacrum corpus, pretiosumque sanguinem percipimus, ut ab eo edocti sumus: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Rursum ad discipulos. *Accipite & comedite: hoc est corpus meum. Hoc facite in meam commemorationem.* Similiter & de calice dicit: *Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus novi Testamenti, qui (k) pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Sed hæc satis sunt de principe ac regina dierum; nunc orationis axem ad resurrectionis disputationem convertamus, ac rursum præ cæteris omnibus Davidem contemplemur. Joan. 6. 56. Matth. 26. 26. Ibid. 27. 28. (l) m. s.



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1310.

## CAPUT LX.

*De Christi à mortuis resurrectione.*

Psal. 101. 14. 17. TU exsurgens misereberis Sion, *quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.* Et ibidem: *Ædificabit Dominus Sion, & videbitur in gloria sua: respexit in orationem humilium.* Quorum? qui ob flagitia mancipati, divinâ misericordiâ opus habent. *Et non sprevit precem eorum.* Neque enim ullum scelus est Dei benignitatem superans. Et post pauca: *Et populus qui creabitur*, scilicet per Evangelicam doPs. 84. 16. ctrinam, *laudabit Dominum.* Idem rursum: *Veruntamen Deus redimet animam meam de manu inferi, cum acciperet me*, id est, cum assumpto meo temperamento, & in corpore, mortem sustinens, meam quoque animam ab inferis, ut ceterorum, vindiIsai. 26. 19. cabit, pro quo & Isaias facit: (a) Resurgent mortui, & expergiscentur, qui in mo(a) LXX. numentis, & lætabuntur, qui sunt in terra. Prænuncians publicam resurrectionem princeps Christus Dominus, ex mortuis factus est primogenitus.

Ibid. Lætabuntur, inquam, qui sunt in terra: Ros enim, qui à te, sanatio est. Et quis alius autem ros medicina est nobis, quam sacri baptismi aqua, unde expiamur, & illustramur? Terra autem impiorum cadet. Impiorum terra, rebus terrenis delenita vis & natura est, quæ spretis divinis jussis à Deo separata, cum inferorum principe habitare est damnata: quæ & Deum hominem coràm præsentem neque agnovit, neque adoravit. Nam Christus in terris, & apud nos homines agens, non omnes omnino servavit, sed eos qui se Deum agnoscerent ac profiterentur. Ita & apud inferos, se agnoscentes, atque ut Deum veneratos, sospitavit, in vitamque restituit: qui id minime fecissent, eos cum Orcinis spiritibus reliquit. Itaque & David sic effatur.
Psal. 9. 18. *Convertantur peccatores in infernum, omnes gentes, quæ obliviscuntur Deum.* Et per
Ezech. 37. 12. 13. Ezechielem mortuis ait Deus: (b) Ecce ego aperio memorias vestras: & reducam vos
(b) LXX. de sepulchris vestris, populi mi; & introducam vos in terram Israel: & cognoscetis quoniam ego sum Dominus vester; cum aperuero sepulchra vestra; ut educam de
Psal. 57. 7. sepulchris populum meum: Et dabo spiritum meum in vobis, & vivetis. Quin & Orci direptionem, & vastitatem prævidens clamat David: *Deus conteret dentes eorum*
(c) LXX. *in ore ipsorum: molas leonum confringet Dominus.* Et Job: (c) Tibi Domine aperiunJob. 38. 17. tur metu portæ mortis, & janitores inferni videntes te timuerunt. Isaias: (d) Domi(d) LXX. ne Deus glorificabo te, laudabo nomen tuum, quoniam fecisti admirabilia, consilium
Isai. 21. 1. & seqq. antiquum verum: quia posuisti civitates in tumulum, civitates munitas, ut caderent
(e) M. S. fundamenta earum, civitates impiorum in æternum (e) vastabuntur: propterea bene(f) M. S. dicet tibi populus pauper, & civitates hominum injuriam sustinentium, (f) te timentium. Fuisti enim omni civitati humili auxiliator: Impios, opinor, dæmones vocat, oppida munita, Orci regiam, & mortis domicilia; à quibus inopes, & non pleniffimi moribus cum virtute conjunctis detinebantur ac possidebantur. Inopes enim sunt omnes, qui virtutis opes non obtinent. Itaque vates gratulabundus, non Orco solum à Christo direpto, sed etiam munimentis ejus funditus eversis ait: fuisti auxiliaPs. 50. 19. tor omni civitati humili, id est, animæ contritæ, quod & David profitetur: *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Nam Christo ad inferos descendente, non sanctorum animæ tantum liberatæ sunt inde; sed omnes adeo prius in diaboli errore, & simulachrorum cultu servitutem servientes, aucti agnitione Dei, salutem sunt consecuti: quare & gratias agebant, Deum laudantes. Jam & Dei Patris per Isaiam, hæc
Isai. 49. 8. sunt ad Filium verba: (g) Tempore accepto exaudivi te, & in die salutis auxiliatus
(g) LXX. sum tui; & dedi te in testamentum gentium, ut constitueres terram, & possideres hereditates desertas: desertas hæreditates inferos significans, quos omnino desertos atque
Ibid. 9. vastos habuit Christus. Quin ut orationem exploratam redderet, subjungit: (h) Dicens his,
(h) LXX. (i) Osee. 6. 2. qui in vinculis sunt, exite; & his qui in tenebris, ut revelentur. Oseas addit, tanquam se
* m. s. biblia non habent. hortarentur & impellerent invicem dicentes: (i) Eamus & revertamur ad Dominum Deum nostrum, quia ipse fecit nos * sanctificabit nos post dies duos. Sentitis Prophetam? primum divinam naturam innuens ait: * ipse fecit nos: tum autem corporalem Christi mortem præsagiens; post duos dies, inquit, sanctificabit nos: illud omnino ut præteritum, hoc ut futurum: denique ut utrunque ostenderet, audacter addit: in die tertio
Ezech. 37. 1. & seqq. resurgemus & vivemus cum eo. Ezechiel etiam declarans Dei magnitudinem, ac quemadmodum sua sibi paranda resurrectione polleat, non de Christo modo, sed de omnibus quoque cum eo simul redivivis est vaticinatus. Ceterum qui multos suscita-
(k) LXX. tare potest, quanto magis seipsum poterit? Igitur diserte clamat. (k) Facta est super me manus Domini: & eduxit me in spiritu Domini, & posuit me in medio campi: & hic erat plenus ossium hominum: & circumduxit me super ea per gyrum in circuitu: & ecce multa nimis super faciem campi, arida vehementer. Et dixit ad me: Fili homi-

Digitized by Google

minis, si vivent ossa hæc? Et dixi: Domine Domine! tu nosti hæc. Et dixit ad me: Fili hominis! propheta super ossa ista, & dices eis: Ossa arida, audite verbum Domini: Hæc dicit Dominus ossibus istis: Ecce ego affero super vos spiritum vitæ, & dabo super vos nervos, & inducam super vos carnem, & extendam super vos pellem, & dabo spiritum meum in vobis; & vivetis: & cognoscetis, quoniam ego sum Dominus. Et prophetavi, sicut præcepit mihi. Et facta est vox, cum ego prophetarem; & ecce commotio: & accedebant ossa invicem ad junctúram suam, Et vidi: & ecce super ea nervi, & carnes oriebántur; & ascendebant super ea pelles desuper: & spiritus non erat in eis. Et dixit ad me: Propheta super spiritum, propheta fili hominis, & dic spiritui: Hæc dicit Dominus: A quatuor (a) spiritibus veni, & insuffla in mortuos istos, & vivant. Et prophetavi, sicut præceperat mihi. Et ingressus in eos est spiritus; & vixerunt: & steterunt in pedibus suis, congregatio multa nimis. Et locutus est Dominus ad me, dicens: Fili hominis, ossa hæc omnis domus Israel est: & ipsi dicunt: Arida facta sunt ossa nostra: periit spes nostra: dissonuimus. Propterea vaticinare, & dic: Hæc dicit Dominus: Ecce ego aperio memorias vestras: & reducam vos de sepulchris vestris, populo mi, & introducam vos in terram Israel. Hoc Ezechielis vaticinium compleviſſe meum Jesum, docet Evangelista, in hæc verba: *Et ecce terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus, venerunt in sanctam civitatem, & apparuerunt multis.* Isaias quoque ostendens Hierosolymam post excidium rursum illustrem futuram, sacram, auctam thesauro, Dei hominis Jesu sepulchro, clamat: *Aperientur portæ tuæ semper: die ac nocte non claudentur, ut introducant ad te fortitudinem gentium, & reges earum, qui adducendi sunt.* Gentes enim & reges, qui non servient tibi, peribunt, & gentes solitudine desolabuntur. Videtis ut de Christo vaticinium sit? Quæ enim gens, aut qui rex Hierosolymæ servivit, aut supplex accidit? Addit: *Et gloria Libani ad te veniet in cypariſſo, & pino, & cedro simul, ut glorificetur locus sanctus meus: & locum pedum meorum glorificabo.* Explicato, quod Hierosolyma maneret, beneficio, aperit & autorem; quasi diceret: Cum in pinu & cedro, ac cupresso, ex quibus fabricata erat crux, Deum hominem Jesum videritis, tum ab eo hæc omnia fient. Ac videte superiorum ex iis, quæ sequuntur, sententiam: Et ibunt ad te timentes filii eorum, qui te humiliaverunt. Intelligitis accuratam Prophetæ diligentiam? Nam quod dicit, hujusmodi est: Romanorum, qui te pridem afflixerunt, posteri, formidolosi ac trementes modo ad te confluent. *Et adorabunt vestigia pedum tuorum, qui* (b) *detrahebant tibi*, (& irritabant te.) Nam tum quidem ob Christi necandi scelus incolæ tui implóratum Romanorum prætorem ad insaniam magis instigarunt: at nunc posteaquam vitæ fontem in pectore scaturientem tenes: *adorabunt vestigia pedum tuorum qui irritabant te.* Et vocaberis civitas Domini, Sion sancti Israel: pro eo, quod fuisti derelicta & odio habita. Observate propheticam mentem. Cum ob interfectum Christum captiva ac deserta fueris, tum merito magis Dei urbs vocabere, quod vitalem mortem in te Deus homo Jesus dormierit. *Et non erat qui auxiliaretur tibi:* præter me scilicet, qui in te sum exanimatus. Et ponam te exultationem æternam, gaudium generationum generationibus. Idem & Deiparens David ostendens, ait. *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam. Et suges lac gentium*, collaudationem ac fidem gentilium vates innuit, & *divitias regum comedes.* Opus regum, aut ab aliis allata munera, aut confractionem & simulachrorum ejectionem Propheta significat. *Et scies, quia ego Dominus, qui salvo te, & qui eruo te Deus Israel.* Quandoquidem me, inquit per Jeremiam, beneficiis affecti non cognoverunt, captivi, & servitute multati cognoscent. Jacob vero ita loquitur. (c) Recumbens dormisti, ut leo, & quasi catulus leonis: quis suscitabit eum? Et de confectis mœrore animis scribit David: *Clamaverunt ad Dominum cum tribularentur; & de necessitatibus eorum eripuit eos: sedentes in tenebris & umbra mortis: vinctos in mendicitate & ferro*, inopiâ Dei notitiæ; ferro simulachrorum, cultus duritie, & ibidem: *Portas æreas contrivit, & vectes ferreos confregit:* & Isaias velut à Divinitate ad copulatum cum ea corpus: Sic dicit Dominus Deus Christo meo: (d) apprehendam dexteram ejus, & exaudiam eum; ante faciem ejus gentes, & fortitudinem regem disrumpam: aperiam ante eum januas, & civitates non claudentur. Ego ante te ibo, & montes complanabo, portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam. Et de animarum ex inferis liberatione ita Nahum: (e) Portæ civitatum apertæ sunt: & regalia conciderunt, & (f) substantia revelata est (scilicet Dei hominis Christi) & ancillæ ejus ducebantur, sicut columbæ (animæ sanctorum Dei hominis Jesu divinitate affectæ) quibus addit Isaias. Qui habitatis in regione & umbra mortis, lumen lucebit super vos. Lucem appellans Filium, ut & ex Evangelista didicimus, ex persona Christi dicente: *Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Quin Chri-

(a) *m. s.* πνευμάτων.

(b) παροξύνοντες.

(c) LXX.

(d) *m. s.*

(e) LXX.



SÆC. XIV. ANNO 1310.

*Matth.* 27. 51. 52.

*Isai.* 60. 11. 12. 13.

*Ibid.* 15.

*Psal.* 126. 1. *Isai.* 60. 16.

*Gen.* 49. 9.

*Psal.* 106. 13. 19.

*Ibid.* 10.

*Psal.* 106. 16.

*Isai.* 45. 12.

*Nazianz.* 2. 6. 7.

*Isai.* 9. 2.

*Joan.* 8. 12.

Digitized by Google

Sæc. XIV. Anno 1310. Psal. 15. 10.

ſtus ipſe per Davidem velut à corpore ad Deum & Patrem clamat: *Quoniam non derelinques animam meam in inferno: nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Agite vero, quid de hoc Sancto cenſetis? ecquid enim Sanctus omnis corruptelam non ſenſit? Apage ſis. Unus duntaxat vere Sanctus, & à Deo electus, & qui corruptionem non viderit, Chriſtus eſt.

## CAPUT LXII.

### *Chriſtus mortuus corruptionem effugit.*

(a) διαφθορὰν κατὰ φθορὰν.

*Jud.* Nos quidem neminem hominem mortalem, (a) corruptionem aut interitionem effugiſſe remur; ſin vos tenetis, doceri petimus.

*Chriſt.* In hæc tria humanam naturam partita eſt Dei providentia; in ſemen, augmentationem, ſeu neutritionem, & in ſtatum conſiſtentiæ. Quam ob cauſſam tria quoque ex nata conſequuntur contraria; mors, corruptio, interitio. Quæ res evidens eſt ex funeralibus, quas obimus, feriis. Nam in morte ſepulturam, in corruptela, tertias, quas vocamus ferias, in tertia quadragenarias obimus. Novendiales enim animarum inſtaurationi excogitatæ ſunt. Igitur quidam ante legem, & in lege, & poſt legem, ob præſtantem in Deum amorem ſupra naturam luctati, corruptionem non ſenſerunt, mortem paſſi.

Ceterum meus Salvator atque Deus mortem paſſus eſt propter corpus, quod expuro Virginali ſanguine, teſtandæ omnino humanæ ſuæ naturæ, contraxit. Nam ſi ob peccatum in orbem terrarum mors invaſit; expers autem peccati Chriſtus eſt, non habuiſſet in eo locum mors, niſi juſſa paruiſſet; corruptionem vero aut perniciem nequaquam ſenſit Dominicum corpus, cum nec ſatus quidem & corporea voluptas præceſſerit; neque in vitiis conceptus, neque in peccatis enixus, ut ait David: ſiquidem ubi hæc ſunt, neceſſario & corruptio & pernicies conſequantur. Servator autem mundi volens benigne humanum genus ſervare, ultro ſubiit interitum, id quod de ſe ipſe teſtatur: *poteſtatem habeo ponendi animam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam*, atque id factum eſt, ut omnibus omnino Adami poſteris, quantum in eo eſſet, libertatem quæreret ſoluta corporis damnatione, in ipſo corpore extincta morte.

Joan. 10. 18. Nazianz. in Epiphan. 235. 52.

## CAPUT LXIII.

### *Chriſtum poſt reſurrectionem ediſſe, & in cœlos aſcendiſſe.*

*Jud.* Quam ob rem verò, quove pacto Chriſtum redivivum, & incorruptum, neque jam caducis egentem cibis, rurſum comediſſe, ac in cœlos aſſumptum dicitis? Itan' homines quoque poſt reſurrectionem publicam epulati in cœlos denique conſcendent?

*Chriſt.* De his ſane meus Servator certam ſententiam dixit. Nam majoribus veſtris quærentibus eum de quibuſdam ſeptem fratribus, qui omnes unam uxorem duxerant, ut fratri ſemen excitarent ſecundum legem, cujus ex ſeptem eſſet, in reſurrectione? *Erratis*, inquit, *neſcientes Scripturas, neque virtutem Dei: in reſurrectione neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei in cœlo.* Ceterum quod dubii ſcire quæritis, quo pacto poſt reſurrectionem comederit, facile atque explorate ex iis quæ tenetis, & quæſtionem expediam, & ſcrupulum diſſolvam. Nimirum ut epulata eſt ſancta Trinitas, invitata ab Abrahamo Patriarcha, ut ejus facultates abſumpſit ignis, cum quidem ſolidas hoſtias diſſecuit medias, & in fruſta redegit; aves non diſſecuit, ſed cœlitus ignis delapſus conſumpſit: quemadmodum & Eliæ memoriâ cum incendiarias victimas, & ligna, & aquam in ſcrobe & humum lambit ignis. Jam verò ut in cœlos aſcenderit, & immortali Patri dexter ſedeat, rurſumque in carne judicandis vivis ac mortuis venturus ſit, Prophetæ hîc quoque, non ego, vobis prodent veritatem. Igitur Iſaias Chriſti, cum corpore, aſcenſum videns, & rei magnitudinem ſtupens ac demirans, clamat. (b) *Quis eſt iſte, qui venit de Edom, rubor veſtium de Boſor? ſic formoſus in ſtola?* Intelligitis vatem? Cum in Chriſti humanitatem intueretur, ruborem veſtium ejus, & de Boſor, dixit, quod erat carnis. At ubi in divinam naturam perſpicaces mentis oculos rejecit, ait, *ſic formoſus in ſtola?* Tum autem ut apertiorem orationem redderet, velut à Deo homine, addit: (c) *Ego qui loquor juſtitiam, & judicium ſalutaris.* Juſtitiam (loquor) ut qui ad hominum ſalutem homo factus ſim, qui à ſimulachris abſiſtentes, & iis præſtitam religionem atque honorem ad verum Deum tranſtulerunt. Judicium ſalutaris, ut qui Deus exiſtens, omnibus venturus judex ſim, unumquemque pro ſuis factis remuneratus. Cui ſententiæ conſonant illa Davidis: *Speciosus forma præ filiis hominum.* Et iterum: *Deus judex, juſtus,*

Matth. 22. 29. Gen. 18. 3. 4. &c. 3. Reg. 18. 38. (b) LXX. Iſai. 63. 1. Pſ. 44. 3. Pſal. 7. 12.

Digitized by Google

*justus, fortis, & patiens.* Sed Isaias volens insuper apertissime ostendere, nequaquam alium esse, qui de cœlo descendens, passus & sepultus inferos spoliasset, & alium qui è terra in cœlos eveheretur, interrogationem facit ad Servatorem: *Quare rubra sunt vestimenta tua, & indumenta tua sicut de calcato torculari,* (a) *pleni percalcatæ?* (b) *Quare ergo est rubrum indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* Atque ille quidem rogat in hunc modum, imitatusque Christum Dominum, qui sibi ipsi & sacrificus, & sacrificium fuit, rogans respondet, orationem fingens, quasi ille responderet. Ergo ait: *Torcular calcavi solus, & de gentibus non est vir mecum.* Nam ut ei tempore passionis non opus erat duodecim legionibus Angelorum (poterat enim vel solus se propugnare, & mortem effugere, si voluisset, quantumvis humanum quiddam loqueretur: *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste: veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu*) ita hic quoque torcular calcavit solus, nullius è gentibus opus habens. At in ascensu, quod idem (c) Isaias rursum testatur, decies centena millia, & millies centena millia serviliter ei ministrabant. Deinde Christi præpotentiam, rerumque gestarum magnitudinem miratus infert: (d) Non legatus, non Angelus, sed ipse Dominus salvavit eos. Zacharias: Hæc dicit Dominus: Ecce dies venit: & stabunt pedes ejus in die illa super montem olivarum. Pedes verò Dei nominans, non actuosam, quæ à pedibus manat, Dei facultatem intelligit, quemadmodum David eam, quæ à manibus proficiscitur, manus appellavit his verbis: *manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me,* sed corporeos pedes significavit; nam eam ob rem, & diem, & Oliveti montem commemoravit, ut humanam & velut circumscriptam Christi naturam indicaret. David quoque Christi à mortuis resurrectionem, ac post eam in cœlos ascensum, & ejus quasi restitutionem in integrum volens quam liquidissimè ostendere, inter se dubitantes copias cœlestes inducit; carmenque per interrogationem simul ac responsionem detexens sic effatur: *Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ.* Igitur hi ascendentem cum corpore glorioſum Deum conspicati, & insolenti spectaculo perculsi, rogare. *Quis est iste rex gloriæ?* illi contra respondere: *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio,* contra mortem, inferos, & diabolum, calcata enim morte, direptis inferis, fracto diabolo, ut Deus fortis nunc ascendit, ergo *attollite portas principes vestras.* Angelicarum potestatum Domino, glorioſoque rege intraturo, id est, cum corpore Deo & Patri à dextris assessuro. Idem rursum de eodem ascendente: *Exaltare super cœlos Deus: & in omnem terram gloria tua: quoniam magnificata est usque ad cœlos misericordia tua, & usque ad nubes veritas tua,* quasi diceret: nunc jam omnes vatum præsagitiones sunt completæ. Ante enim tuus in terram adventus, è Virginali sanguine corporis assumptio, miracula, Judæorum ludibria, Crux, supplicium, mors, sepultura, Orci direptio, mortis internecio, post triduum ex mortuis resurrectio, nunc te glorioſè redivivo, misericordia tua usque ad cœlos magnificata est, & usque ad nubes veritas tua. Unde & lætus gratum carmen Domino Propheta decantans ab humana natura (erat enim illa misere paradiso exturbata, nunc egregia Christi benignitate revocanda, & ad majestatis dextram æterni Patris collocanda.) *Quis loquetur,* inquit, *potentias Domini, & auditas faciet omnes laudes ejus?* Et iterum: *Ascendit Deus in jubilo, & Dominus in voce tubæ.* Alibi: *In sole posuit tabernaculum suum,* cum corpore assumptionem significans. Et paulò pòst: *A summo cœlo egressio ejus, & occursus ejus usque ad summum ejus.* Quibus verbis duplicem descensum è cœlis in terram, & sub terram, rursumque ex iis in cœlos ascensum, & (e) gloriæ potestatisque traditionem notat: ita enim & dilectus ille Evangelista ait: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo. Filius hominis, qui est in cœlo.* Et de sanctarum animarum ex inferis liberatione, atque Unigeniti ascensu, & sessione ad dexteram Patris vaticinans, & ob curam honoremque humano generi præstitam ab opifice & totius universi procuratore vehementer exultans ac gavisus inquit: *Dominus regnavit, decorem indutus est;* excellentiam corporis ex interitu, & post interitum, ejus immortalitatem ita vocans.

SÆC. XIV. ANNO 1310.

(a) *m. s.* (b) *varia lect. ex.* *Isai. 63. 2.*

*Ibid. 3.*

*Matth. 26. 39.*

(c) *Dan. 7. 11.*

(d) *LXX. Isai. 63. Zach. 14. 4.*

*Ps. 118. 73.*

*Ps. 23. 7. 9.*

*Ibid. 8. 10.*

*Ps. 56. 12. Ps. 107. 6.*

*Ps. 105. 2.*

*Ps. 46. 6.*

*Ps. 18. 6. 7.*

(e) ἀποκατάστασιν. *Joan. 3. 13.*

*Ps. 92. 1.*

Atque id ita esse ex sequentibus verbis planiorem habebitis dictorum sensum ait enim: *induit Dominus fortitudinem, & præcinxit se virtute.* Ac videte, ut hæc de inseparabili assumpto dicat, neque nunc aut pridem viribus induta est Divinitas, neque in posterum induetur, sed ante secula, & nunc, & cunctis insuper futuris seculis induta est. Neque ipsa solum per se valida est, sed omnibus aliis quoque eadem ut valeant, largitur. Qua de re Danielis sententia hæc est. (f) Et ecce quasi visio filii hominis: & erexit me super genua mea, & super vestigia pedum meorum: & dixit ad me: Viriliter age, & confortare: & dum loqueretur mecum, confortatus sum. Hæc ille: Nos psalmorum carmina repetamus. *Parata est sedes tua ex tunc,* quando? ex quo moliendæ atque fabricandæ omnia creaturæ Patri consors factus es. Siquidem Oeconomiæ tuæ arcana ab omni æternitate præstituta, extremis temporibus sunt perfecta.

*Dan. 10. 16. 18. 19.*

(f) *m. s.*

*Ps. 92. 2.*



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1310.

fecta. Addit, ut orationem illustret: *A seculo tu es.* Et paulò pòst: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*, id est, fixa & irrevocabilia tua præcepta, quale est, quod (a) Deuteronomio Mosi ait Deus; *Descende & contestare populum*, ut accurate observent mysteriorum, seu præceptorum rationem. *Domum tuam decet sanctitudo in longitudinem dierum.* Domum Dei intellige divinitate affectum Christum assumptum: sanctitudo & longitudo dierum, est perennis æternaque duarum naturarum unio, quæ discidium sit passura. Idem rursum: *Annunciaverunt cœli justitiam ejus, & viderunt omnes populi gloriam ejus*, & adorantibus Filium Angelis, ait: *Adorate eum omnes Angeli ejus:* At Filio, qui adoretur: *Sedes tua, Deus, in seculum seculi, virga directionis, virga regni tui. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis*, & tu, qui nunc carne vestitus ad cœlum regrederis: *Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli: ipsi peribunt tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent. Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.*

(a) Exod. 19. 21. Psal. 92. 5. Psal. 96. 6. Ibid. 8. Psal. 44. 7. 8. Psal. 101. 26.

Prophetæ Amos hæc sunt verba: *Qui ædificat in cœlo ascensionem suam*, & (b) *securitatem suam super terram fundat: qui vocat aquam maris, & effundit eam super faciem terræ, Dominus omnipotens nomen ei.* Est autem quod dicit ejusmodi: Deus ille omnipotens, universitatis Architectus, qui reductas totius terræ aquas in conceptacula quædam coëgit, (c) degentibus in terra, ipse in carne degens, securitatem suam, quæ vera est religio, molitus fuit; solium vero suum in cœlo fixit, notans assumptionem (qua assumptus in cœlum sedet ad Dei Patris dextram.)

Amos. 9. 6. (b) M. S. (c) imperfectus & obscurus sensus.

## CAPUT LXIV.

### *De Christi secundo adventu.*

Consentanea sunt illa: *Et ascendit super Cherubim, & volavit super pennas ventorum.* Atque alibi: *Exaltare Domine in virtute tua, cantabimus & psallemus virtutes tuas.* Porro autem de secundo Christi adventu per Michæam Filio ait Deus: (d) Surge & tritura: quia cornua tua ponam ferrea, & ungulas tuas ponam æreas: & comminues populos multos. Et iterum: (e) Surge judicare apud montes: & audiant colles vocem tuam. Audite montes judicium Domini, & valles, & fundamenta terra; quia judicium Domino adversus populum suum; & cum Israel judicabitur. Per Isaiam verò Deus sic: (f) *Justitia mea non elongabitur: & salutem, quæ à me est, tardare non faciam.* Sophonias: *Timete à facie Domini Dei, quia prope est dies Domini.* Zacharias: Hæc dicit Dominus Omnipotens: *Ecce Vir, Oriens nomen ejus:* & (g) ab inferioribus ipse orietur, & sedebit super throno suo. Isaias vero iterum: Indutus est justitiam quasi loricam, & posuit galeam in capite: & circumdatus est vestimento vindictæ, & pallio Zeli, quasi retributurus retributionem opprobrium adversariis suis, & vindictam hostibus suis: insulis vicem reddet. Et timebunt qui ab Occidente, nomen Domini, & qui ab ortu Solis nomen ejus inclytum. Veniet enim quasi fluvius violentus ira ejus: veniet cum furore. Et veniet ex Sion qui liberat, & avertet impietates à Jacob. Dixit Dominus omnipotens. Et David: *Exsurge Domine in ira tua, & exaltare in finibus inimicorum* (h) *tuorum: & exsurge Domine Deus meus in præcepto quod mandasti, & Synagoga populorum circumdabit te: & propter hanc in altum regredere: Dominus judicat populos.* Vide ut apta & composita sit sententia. Explicata primùm his verbis ex inferis resurrectione. *Exsurge Domine in ira tua*, id est, furore gloriæ tuæ ad Judææ internecionem: subjungit: *exaltare in finibus inimicorum tuorum:* in cœlo unà cum Angelis super nubes conscendens: *Et exsurge Domine Deus meus in præcepto quod mandasti*, quando? cum in terra corporatus visus es, & inter homines versatus. Gemina sunt autem & illa Evangelistæ verba: *Tunc sedebit Filius hominis super sedem majestatis suæ: & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis:* quod idem est cum illo prophetico: *& Synagoga populorum circumdabit te.* Ceterùm ut æternum ac perenne tempus significet, addit, *& propter hanc* (caussam, ob verum nempe judicium) *in altum regredere:* ostendens alium justum judicem esse nullum, nisi te solum, qui prius ad hominum salutem, post ad judicium è cœlo descendisti, rursumque in cœlos ascendisti. Ideoque charus ille discipulus tonat: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo.* Jeremiæ quoque hæc sunt verba: (i) *In tempore illo vocabunt Hierusalem Solium Domini: & congregabuntur omnes gentes ad eam.* Quin & Salomon ait: (k) Repelle iram à corde tuo, & aufer malitiam à carne tua: usquequo non obtenebrescat Sol & Luna, & stellæ non dabunt lumen suum: iis verbis secundum Christi adventum innuens, cum universum hoc omne mutabitur, & quasi

Psal. 17. 11. Psal. 20. 14. (d) LXX. Mich. 4. 13. (e) LXX. Mich. 6. 1. (f) LXX. Isai. 46. 13. Soph. 1. 7. Zach. 6. 12. (g) m. s. Isai. 59. 17. 18. & seqq. Psal. 7. 7. 8. (h) m. s. Matth. 25. 31. 31. Joan. 3. 13. (i) LXX. Jer. 3. 17. Eccl. 11. 10. & 12. 2. (k) LXX.

Digitized by Google

quasi refingetur. Et David: *Quoniam ecce Reges terræ congregati sunt, convenerunt in unum: ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos: ibi dolores, ut parturientis.* Et (a) Michæas. (b) Ecce dies Domini venit ardens ut clibanus: & comburet: erunt omnes impii & peccatores, sicut stipula; & succendet eos dies veniens: & non relinquetur ex eis ramus, neque radix. Aggæus: Adhuc semel ego commovebo omnes gentes. Isaia: Induam cœlum tenebris, & quasi cilicium ponam operimentum ejus. David: *Deus, deorum Dominus, locutus est, & vocavit terram à Solis ortu usque ad occasum: ex Sion species decoris ejus: Deus manifeste veniet.* Non ut ante, mansuetus, quasi mitis agnus, quasi gutta leniter in vellus defluens, quasi ovis ad cædem pertracta, & quasi agnus innocens ducendus ad victimam. Sed glorioše veniet, id est, regie, atque ut Deum decet, augustis stipatus Angelis, cunctisque copiis cœlestibus comitatus, ab omni æternitate, in omnemque æternitatem, & insuper regnans. Igitur: *Veniet Deus noster, & non silebit: ignis in conspectu ejus exardescet, & in circuitu ejus tempestas valida. Advocabit cœlum desursum, & terram discernere populum suum. Congregate illi sanctos ejus, qui ordinant testamentum ejus super sacrificia.* Et alibi: *Semel locutus est Deus; duo hæc audivi;* quænam illa? in terra Deus, in cœlis homo. Addit orationem confirmans: *Quia potestas Dei est: & tua Domine misericordia: quia tu reddes unicuique juxta opera sua,* Eumque secutus Paulus vociferatur: *In eo enim, in quo passus est ipse, potens est & eis, qui tentantur, auxiliari.* Et per Sophoniam Deus Pater confirmat. *Et tribulabo homines & ambulabunt ut cæci, quia Domino peccarunt.* Videtis? non dixit: quia *mihi peccarunt*, sed, *Domino:* charissimo enim Filio pœnas irrogarunt, secundum assumptum. (c) Ideo: Effundam sanguinem eorum (d) sicut pulverem, & carnes eorum sicut stercora boum: & argentum eorum, & aurum eorum ventilabo tanquam pulverem: & non poterit eruere eos in die iræ Domini: quoniam in igne Zeli ejus consumetur omnis terra.

Observate sane, non ait: *in die iræ meæ*, sed, *in igne Zeli ejus:* Unigenito judicii potestatem tribuens. Itaque & meus Servator ait: *Neque Pater judicat quenquam: sed omne judicium dedit Filio.* Et de Filio David: *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus.* En ut Deus iterum veniet corporatus: Nam quas alias inimicitias Christo potuerunt homines objicere, secundum divinam ejus & immortalem naturam, nisi humana supplicia, quæ à Judæis sustinuit? Quapropter væ illius inimicis ea die. Idem rursum: *Annunciabunt cœli justitiam ejus: quoniam Deus judex est.* (e) Ezechiel vero sic habet: Consurgant, ascendant omnes gentes in vallem Josaphat; quia ibi sedebo, ut judicem omnes gentes in circuitu. Emittite falces, quoniam maturavit messis, introite, calcate; quia plenum est torcular, redundant torcularia, quia repleta sunt mala eorum. Sonitus exauditi sunt in valle justitiæ: Sol & Luna obtenebrabuntur, & stellæ occidere facient splendorem suum: Dominus autem de Sion clamabit, & de Hierusalem dabit vocem suam: & movebitur cœlum & terra: Dominus autem parcet populo suo. Et Moses: *Judicabit Dominus populum suum: & in servis suis consolabitur. Servos* appellans *sanctos*, qui & meditantur justitias ejus, & faciunt mandata ejus. *Populum* vocat impios & nocentes peccatores: unde hos judicabit, in illis consolabitur. Isaias hæc ita prosequitur: *Ecce Dominus sicut ignis veniet, & sicut procella currus ejus, reddere in furore ultionem suam, & increpationem suam in flamma ignis; in igne enim Domini judicabitur omnis terra.* David: *Lætentur cœli, & exultet terra: commoveatur mare & plenitudo ejus: gaudebunt campi, & omnia quæ in eis sunt. Tunc exultabunt omnia ligna sylvarum à facie Domini, quia venit: quoniam venit judicare terram. Judicabit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate sua.* Itane Vates? cum mortales omnes horrere atque ad Dei aspectum tremere alii prophetæ prædicant, tu cœlum, terram, saltus, atque colles gaudere ac ovare canis? Sanè inquit: Nam veniens Deus iis, qui se ut Deum agnoverint, & præcepta servaverint, immortalitatem, perennem vitam, atque regnum largietur, dicet enim: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Quod si omnes campi, cunctæque arbores silvestres gaudebunt & ovabunt; at in priore adventu, tunc enim gaudium, & ovationem omnia nacta sunt. Ceterùm in secundo justi duntaxat iis potientur. Siquidem execrabiles, atque in exteriorem ignem abeuntes, ingentem, intolerabilem, acerrimam ustulationem sentient. Quare cum dicit: *quia venit:* priorem adventum significat: cum repetit: *quoniam venit judicare terram:* alterum repræsentat, quo non libertas atque salus, sed damnatio ac supplicium agetur. Nam creator & Dominus cum inclinans cœlos descendit, ac benignitatem suam probavit; tum de humanitate, tum de judicio testatus est: de illa cum ait: *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet: & omnis qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum:* tandem alibi declarat benignitatem: *Non veni vocare justos sed peccatores ad pœnitentiam.* De judicio agens ita loquitur: *Si non venissem, & locu-*

SÆC. XIV. ANNO 1310.

(a) Malach. 4. 1.
(b) LXX. Ag. 2. 23. Isai. 50. 3. Psal. 49. 1. Ibid. 3. 4. Psal. 61. 12. 13. Hebr. 2. 18. Soph. 1. 17.
(c) LXX. Ibid. 18.
(d) LXX.
Joan. 5. 22. Psal. 69. 3. Psal. 49. 6.
(e) Joel. 3. 12. 12. & seqq.
Deut. 32. 36. 2. Machab. 7. 6. & Psal. 134. 14. Isa. 66. 15. Psal. 95. 11. 12. Matth. 25. 34. Joan. 11. 25. 26. Matt. 9. 13. Joan. 15. 22.

SÆC. XIV. ANNO 1310.

*& locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Et rursum: *Qui me negaverit coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.* Atque id verum esse ostendit Vates: *Confundantur omnes qui adorant sculptilia, & qui gloriantur in simulachris suis.* Idemque de perditis scelcratis: *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine. Erubescant & conturbentur in seculum seculi: & confundantur & pereant.*

*Psal. 96. 7.*
*Isa. 82. 17.*

Docent autem pœnarum finem fore, & piaculari igne peccata consumptum iri existimant, ac sic denique ad perennem vitam atque voluptatem transire expectant, interpretatione illius Pauli sententiæ: *Quia in igne revelabitur; & uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit: Si cujus opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Sed (a) enim neutiquam *suppliciorum finem hæc adstruunt, sed contra potius eorum augmentum:* (b) ( *& id quidem semper fore, & peccatorem in æternum*) *comburendum servatum iri.* Et id quidem integrum mansurum, & peccatorem in æternum comburendum reservatum iri. Licet ipsi illud quod (c) non confumat, & semper in flamma retineat, argumentum salutis & remissionis arbitrentur. Si verò dictis sancti Pauli sic adversantur, &, ut non oportebat, contradicant, tamen à sancto Davide redarguuntur. Si enim ipse docuit aperte, confusionem, & conturbationem, & in infernum conversionem sempiternam fore, mendax est illorum expectatio alicujus vel leviſſimæ cessationis. Et alio Psalmo quidem dicit: *Quoniam probasti nos Deus: igne nos examinasti sicut examinatur argentum: induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro; imposuisti homines super capita nostra. Transivimus per ignem & aquam, & induxisti nos in refrigerium.* Sed hîc tantum. Non enim nisi solam præsentis vitæ inæqualitatem, & humanarum rerum conversionem, ac cissitudinem iis verbis declaravit. Hic eorum perniciem exploratius demonstrans, subdit: *Et cognoscant quia nomen tibi Dominus: tu solus Altissimus in omni terra.* Tu solus supremus es, qui solus è supremis descendisti, soluſque citrà peccatum homo factus, ab omni æternitate Dominus & totius universi rex atque Deus es. Consonat Davidi de æterno supplicio & Isaias: *Veniet omnis caro, ut adoret in conspectu meo in Hierusalem: Dicit Dominus. Et egredientur, & videbunt cadavera hominum, qui prævaricati sunt in me. Vermis enim eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur: & erunt in visionem omni carni.* Daniel quoque in eundem modum de æternitate suppliciorum: *Multi de his qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt; alii in vitam æternam, & alii in opprobrium & confusionem æternam. Et intelligentes fulgebunt quasi splendor firmamenti: & de justis plurimi, quasi stellæ in secula, & ultra.* Quod si hæc vaticina dicta insane ardebunt evertere, Domini certè exploratis verbis continebuntur, negantis majorem esse hero servum, aut præstare discipulum magistro. Ille enim proprie & verè magister est, qui Dei & Patris voluntatem, cui est potestate, & honore, atque natura par, non tantum auditu edoctus discipulis prodidit. Quæ est autem liquida Servatoris sententia? *Et ibunt hi in supplicium æternum:* (de fontibus loquens) *justi autem in vitam æternam.* Et (d) Michæus: *Ecce venit, dicit Dominus omnipotens: & quis sustinebit diem adventus ejus: aut quis ferre poterit ut aspiciat eum? quia ipse ingreditur, quasi ignis conflatoris, & quasi herba lavantium. Sedebit conflans, & emundam sicut argentum, & sicut aurum.* Quod illi Davidis geminum est: *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus* Salomon ita rem proponit: *Tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt, & qui abstulerunt labores eorum. Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis.*

*Isa. 66. 23. 24.*
*Daniel. 12. 2. 3.*
*Matth. 25. 46.*
*(d) Malach. 3. 2.*
*Psal. 96. 3.*
*Sap. 5. 1.*

(a) interpres omisit 12. lineas.
(b) τὸ σῶον
(c) vel forte consumat.

Ceterum David non judicium modo, sed locum adeo judicii prodidit, in hæc verba: *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus: Stantes erunt pedes nostri in atriis tuis Hierusalem: Hierusalem, quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum; illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini, testimonium Israel, ad confitendum nomini Domini: quia illic sederunt in judicio, sedes super domum David.* Et Isaias: *Tunc stabit in judicio Dominus, & statuet ad judicium populum suum. Ipse Dominus ad judicium veniet cum senioribus populi, & cum principibus ejus.* Et rursum: *Hæc dicit Dominus. Die illa illucescet Deus in consilio cum gloria super terram, ut exaltet & glorificet residuum Israel. Et erit, quod reliquum fuerit in Sion, & quod remanserit in Hierusalem, sancti vocabuntur omnes scripti ad vitam in Hierusalem. Abluet enim Dominus sordem filiorum & filiarum Sion, & emundabit sanguinem de medio eorum in spiritu judicii, & spiritu combustionis.* (Ubi per duo judicia requietem atque pœnam significat.) *Et veniet Dominus, & erit omnis locus montis Sion, & omnia quæ in circuitu ejus sunt, obumbrabit nubes per diem, & tanquam fumo, & luce ignis ardente per noctem, & omni gloria protegetur. Et erit in umbram ab æstu per diem, & in protectionem, & in absconsionem ab asperitate & pluvia. Et humiliabitur homo, & dehonorabitur vir, & oculi sublimes humiliabuntur; &*

*Psal. 121. 1. 2. 3.*
*Isai. 3. 13.*
*Isai. 4. 2. 3. & seqq.*
*Isai. 5. 15.*

exal-

*exaltabitur Dominus Sabaoth in judicio, & Deus sanctus glorificabitur in justitia.* Et alibi: *Prope est dies Domini, & contritio à Deo veniet. Propter hoc omnis manus dissolvetur, & omnis anima hominis formidabit. Turbabuntur Legati, & dolores eos tenebunt, quasi mulieris parturientis: & condolebunt alter ad alterum, & stupebunt, & faciem suam quasi flamma, mutabunt. Ecce enim dies Domini venit insanabilis, furoris & iræ, ad ponendum orbem terræ desertum, & peccatores perdendos ex eo. Stellæ enim cæli & Orion, & omnis ornatus cæli, non dabunt lumen; & obtenebrabuntur oriente Sole: & Luna non dabit lumen suum. Et mandabo universæ terræ mala, & impiis peccata eorum: & perdam superbiam iniquorum, & contumeliam superborum humiliabo. Et erunt qui derelicti fuerint, honorati magis quam aurum incoctum: & homo magis honoratus erit, quam lapis de Suphir. Cœlum enim indignabitur, & terra concutietur à fundamentis suis, propter furorem iræ Domini Sabaoth, in die illa, qua supervenerit furor ejus.* Alio loco sic idem istæc prosequitur: *Consurget Dominus Sabaoth in valle Gabaon: cum furore faciet opera sua, amaritudinis opera: & furor ejus alieno utetur, & amaritudo aliena & vos nolite lætari, neque confortentur vincula vestra: quia consummatas & abbreviatas res audivi à Domino Sabaoth, quas facturus est super omnem terram.* Et capite sequenti hæc habet: *Cum viderint opera mea, sanctificabunt nomen meum, & sanctificabunt sanctum ipsius Jacob & Deum Israel timebunt.* Amos hæc reliquit: *Qui ædificat in cœlo ascensionem suam, & securitatem suam super terram fundat: qui vocat aquam maris, & effundit eam super faciem terræ.*

SÆC. XIV. ANNO 1310.

*Isai.* 13. 6. 7. & seqq.

*Isai.* 28. 21. 22.

*Isai.* 29. 23.

*Amos.* 9. 6. *Supra* 5. 8.

Notate diligenter conceptam inverso ordine sententiam. Nam quod dicit, hujusmodi est: Omnipotens ille, & universi molitor Deus, qui maris aquas in totius terræ solum effundit, ad extremum in terram suam stabilitatem defigens, id est, citra peccatum homo factus (nam stabilitas sit Filii corpus) incarnatus, & contracto corpore inter nos servos versatus, suos in cœlo gradus ædificavit. Joel: *Sol convertetur in tenebras, & Luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & illustris. Et erit: Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Et per Sophoniam Deus: *Tribulabo homines, & ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt.* Equidem non dixit Deus; quia mihi peccaverunt, sed Domino, scilicet charissimo Filio. Itaque & Dominus meus majores vestros alloquens ait: *In judicium ego in hunc mundum veni: ut qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant.* Jeremias: *Aspexi super terram: & ecce nihil: & in cœlum; & non erant lumina ejus, & vidi montes; & ecce erant trementes, & omnes colles turbatos à facie Domini.* Et David: *Vidit, & commota est terra: montes & omnes colles sicut cera fluxerunt: quia venit Dominus, quoniam venit judicare terram. Judicabit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate sua.* Veritas autem est ipsius Unigenitus, ut in Evangelio ipse confirmat. *Ego sum via, veritas, & vita.* Et Isaias iterum: *Exaltabitur Dominus solus in die illa; & arguet populum multum.* Quorum verborum hic est sensus. Veniet Christus in sublimi, inque sua divina majestate, qui condemnabit non omnes, sed refractarios, & cum non reveritos. Et per Ezechielem Deus: *Unumquemque in viis suis judicabo vos domus Israel:* Vivo ego, dicit Dominus. Quid ait Vates? Itane ut vitæ autorem vivere profiteare, qui spiritum & vitam cunctis viventibus inspiraverit. Sane inquit, non secundum divinam naturam Deum vivere confirmo, nihil minus (nam ea immortalis est ac perennis) sed secundum humanam. Factus enim est propter nos homo ille hominum amantissimus, & corruptelæ permissum corpus ad extremum immortale & incorruptum reddidit, ac perpetuo victurum produxit. Et quis verò est, qui eum peremit? Israëlis genus, qui Pilatum sic aggressi sunt: *Domine recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens; Post tres dies resurgam. Jube ergo custodiri sepulchrum, usque in diem tertium: ne forte veniant discipuli ejus, & furentur eum nocte, & dicant plebi: Surrexit à mortuis: & erit novissimus error pejor priore.* Quapropter velut ex ejus persona clamat Ezechiel: Equidem non sum, quod falsò remini Judæi, mortuus, sed ita vivo, ut pro suis quemque moribus sim judicaturus. Vere enim glorioſum videbitis, ut cum divino Zacharia loquar, quem confixistis. Salomonis quoque hæc sunt verba: (a) *Dominus corda omnium noscit: & qui figuravit spiritum omnibus, ipse novit omnia, qui reddit unicuique juxta opera ejus.* Unde & Dominus meus Salomonis sententiam confirmans in Evangelio ait: *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio.*

*Joel.* 2. 31.

*Soph.* 1. 17. *supra.*

*Joan.* 9. 39. *Jer.* 4. 23. 23.

*Ps.* 96. 4. 5. *Ps.* 95. 13.

*Joan.* 14. 6.

*Isai.* 2. 11. 4.

*Ezech.* 38. 20. 11.

*Supra.*

*Matth.* 27. 63. 64.

*Zach.* 12. 10.

(a) *LXX. Proverb.* 24. 12.

*Joan.* 5. 22.

Ceterum, ut firmiorem eorum quæ diximus, veritatem statuamus, veniat ad partes & Daniel ille admirabilis, vir gratiosus, & quæ corporatus adhuc obiens in terra, ingentia, supraque humanum captum posita, conspexit, edat. *Aspiciebam,* inquit, *in visione noctis: & ecce cum nubibus cæli, quasi filius hominis veniens; & usque ad antiquum dierum pervenit; & obtulit se in conspectum ipsius: & datus est illi principatus, & honor, & regnum. Et omnes populi, tribus, & linguæ ipsi servient. Potestas ejus, potestas sempiterna, quæ non pertransibit: & regnum ejus, quod non corrumpetur.*

*Dan.* 7. 13. & seqq.



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1310.

*Horruit ſpiritus meus, in habitu meo, & ſenſus meus, & cor meum turbatum fuit. Et acceſſi ad unum aſſiſtentium, & veritatem quærebam ab eo diſcere de omnibus his. Et dixit mihi veritatem, & interpretationem ſermonum notam mihi fecit. Et, in tempore illo conſurget Michael princeps magnus, qui ſtat pro filiis populi tui. Et erit tempus tribulationis tribulatio qualis non fuit, ex quo factus eſt homo ſuper terram, uſque ad tempus illud. Et in tempore illo ſalvabitur populus tuus omnis, qui ſcriptus fuerit in libro: & multi de his qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt, alii in vitam æterna, & alii in opprobrium & confuſionem æternam. Et intelligentes fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti: & de juſtis plurimi, quaſi ſtellæ in ſecula, & ultra. Et tu Daniel claude ſermones, & ſigna librum uſque ad tempus conſummationis, donec doceantur multi, & multiplicetur ſcientia.*

Dan. 12. 1. 2. & ſeqq.

Atque in hunc modum nos quoque contra Eccleſiæ lupos, velut ejus alumni decertavimus. In quo ſi pro dignitate diximus; habendæ Deo grates, ſin minus, etiam ſic habendæ grates inenarrabili & incomprehenſæ ac præſtanti ejus divinitatis gloriæ, quam non humana ſolum ac terreſtris natura, ut meretur laudare nequit, ſed ipſæ adeo cæleſtes virtutes id aſſequi non poſſunt. Si enim vel Angeli ægrè ad tantam dignitatem aſſurgant, inquit Gregorius ille Theologiâ excellens; quin addit; ſiquidem illis etiam ad ſummas & extremas laudes fas ſit contingere. Nos quidem certè (illius clementiâ perſpectâ) veritatis ſtudium, quaſi vidua illa duos teruncios, ſanctum & ſacrum eſſe juſſimus. Nam ex ſacra Scriptura id Deo gratum eſſe didicimus, quod pro vifili elaboratum eſt. Igitur Regi ſine principio, & immortali ſeculorum autori, ſoli ſapienti Deo, gloria, poteſtas, honor atque cultus, cum Unigenito, & ejuſdem naturæ, ac comperenni Filio, & ter ſancto, bono ac vivifico ſpiritu, nunc & ſemper, atque in omnem ſeculorum perpetuitatem, Amen.

*Nazianz. in S. Paſcha.*

NOBI-

Digitized by Google

# NOBILISSIMI GUILIELMI DE BALDENSEL,

EQUITIS AURATI HIEROSOLYMITANI,

# HODOEPORICON

AD

# TERRAM SANCTAM.

ANNO 1336.

Ab ipso scriptum, rogatu

THALAYRANDI Comitis PETRAGORICENSIS,
S. R. E. Presbyteri Cardinalis.

UNA CUM

# EPISTOLA

AD

PETRUM ABBATEM AULÆ REGIÆ
Cistercienſis Ordinis, Dioecesis Pragenſis.

Editum

*Ex m. ſ. Codice*

Admodum Reverendi & Cl. V.

*Matthiæ Eberſpergeri, S. Theologiæ Doctoris & Eccleſiæ Collegiatæ aa SS. Jacobi & Tiburtii Straubingæ Decani.*



Digitized by Google

Sæc. XIV. Anno 1336.

# JACOBI BASNAGII IN ITINERARIA DE BOLDENSLEVE ET DE FRAMEYNSPERG OBSERVATIO.

1. *Guillelmus Boldensleve*

BIni hìc ſubjiciuntur authores ejuſdem ſæculi, qui Terram Sanctam deſcripſerunt. Prior fuit olim *Otto de Rienhuzz*; hoc enim ipſi fuiſſe paternum nomen legitur in Chronico Mindenſi, quod *Meibomius* edidit. Sed cum mater nobili proſapiâ gauderet, & ex illuſtri quondam *Boldenſlevorum* ſtirpe eſſet oriunda, derelicto Paterno nomine, maternum ſibi vindicavit *Baldenſel*, hôcque voluit tum apud ſuæ ætatis, tum apud poſteros inſigniri. Peccatur in titulo circa nomen ejus; non enim *Baldenſel*, ſed *Boldenſleve* debuit appellari, quippe maternum fuit nomen, quod ipſe ad calcem hujus opuſculi appoſuit.

Fuit Nobilis divesque, utpote qui cum equitatu ampliſſimo iter longum ſuſceperit, ſacerdotesque ſibi proprios habuerit in comitatu; quemadmodum ex ipſius narratione patet. *Ludovici Bavarici* Imperatoris partes primum foverat; ſed vel Religione, vel aliqua ratione non facile nobis divinanda, impulſus, fidem datam violavit, Pontificemque Romanum adiens, tanquam *Apoſtata* pœnitentiam egit, ab eoque pœnis ſolutus Terram Sanctam peragrandi licentiam habuit. Quæ fuerit illa licentia, cujus ope Sacerdotes ejus Miſſas in Judæa celebrabant, non aperit. Summum pietatis in ea peregrinatione gradum poſuit, ſibique Chriſtum, eaſdem oras peragrantem imitari videbatur. Ideo nullum omiſit locum, quin attente ſcrutaretur.

Ipſo reverſo, Sarraceni cum ſuperiores in Terra Sancta Chriſtianis evaderent, *Benedictus* XII. crucem adverſus illos prædicavit anno 1336. Nomen dederunt *Philippus* Galliarum Rex, tum & *Arragonius*, qui tunc temporis Avenioni degebant. Inter Cardinales cruce ſignatus eſt *Talayrandus*, qui *Boldenſlevio* curam, Terras, quas peragraverat, deſcribendi commiſit, ut facilius ipſi innoteſcerent. Functus eſt operâ ſibi demandatâ *Boldenſleve*, quamquam fruſtra; quippe illud iter nequaquam ſuſcepit *Talayrandus*; de quo mox. Utilitati publicæ tamen conſuluit. Quantumvis enim menda in hoc opuſculo plurima, tum ab ipſo authore, tum etiam ab amanuenſibus irrepſerint; eo tamen tempore ſæculisque ſequentibus, quibus accuratiores Terræ Sanctæ delineationes deſiderabantur, multis inſervire potuit hæc deſcriptio; Et revera tantæ utilitatis videbatur, ut

mox

Digitized by Google

mox gallico idiomate redditus sit ille Tractatus, & postmodum a celeberrimo viro *Johanne Flamel*, in usum Ducis Biturigum Arvernorumque, descriptus. Habetur ille codex sive Gallicana versio manuscripta in Bibliotheca Regis Gallorum, numero 8392. hæcque verba leguntur, ut monet eruditissimus Baluzius. Sæc. XIV. Anno 1336.

„ *Explicit un traitiet de la Terre Sainte & aussy*
„ *en Partie d'Egypte, fait par noble homme Guillaume de Boldesele, Che-*
„ *valier de Allemaigne. fait l'an de grace* 1336. *environ la Penthecouste &*
„ *translaté par Frere Jean d'Ypre, moyne de St. Berlin, en Saint Aumer*
„ *l'an de grace* 1351. *accomplis.*

Peracto hoc opere reditum ad suos meditabatur *Guillelmus Boldensleve* anno 1338. Pacem vero cùm Imperatori negaret Pontifex, â Germanis *Antichristus* est habitus, ejusque Acta rescissa sunt tam ab Imperatore, quam â Proceribus, quibus Imperii libertas curæ erat; expectavisse igitur videtur *Boldensleve* mortem Imperatoris, quæ anno 1346. contigit. Ipse vero revertens in patriam obiit Coloniæ apud Fratres Prædicatores.

II. Alter qui Judæam descripsit, è Bavaria oriundus, Landshuetæ natus erat. Miles fuit, *Radulphus*que dicebatur. De ætate ejus constat, cum asserat se Terram Sanctam petiisse anno 1346. Pauca de ipso opere nobis sunt observanda; utpote qui Palæstinam transvolaverit Author potius quam peragrans. Intra aliquot menses confectum est ejus iter; nec nisi trecentos & quinquaginta florenos cum famulo consumpsit, quorum quatuor habuit cum Landshutum venit. Fabulas plerumque refert, nec nisi fragmenta brevissima totius operis supersunt. II. *Radulphus de Framelnsperg.*

---

# EPISTOLA
# GUILIELMI DE BALDENSEL
## AD
# PETRUM,
## ABBATEM AULÆ REGIÆ.

*PEramantissimo Patri, ac Domino suo, Domino* Petro, Abbati Aulæ Regiæ, Cistercienſis Ordinis, Pragensis Diœcesis, Guilielmus de Baldensel, Miles in Cœlesti Hierusalem, *jocundari perpetuò unà secum.*

*Accepti beneficii immemor esse nolens, mente revolvo sedula beneficiorum & curialitatum opera, quæ in anno præterito in domo vestra,* Aula Regia, *hilariter & benignis affectibus, plus quàm duobus mensibus, mihi & meæ familiæ ostendistis. Et volente Domino eisdem exhibitionibus, cùm ad vos reversus fuero, gratuitè & omni studio respondebo.*



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1336.

*Et nunc quidem apud Dominum meum*, *Dominum* (a) Thalayrandum Petragoricum, Tituli S. Petri ad Vincula, Presbyterum Cardinalem, In Curia Ammonis *moram facere me adhuc oportet amplius, quàm* (b) *eò quòd Dominus meus multum fuit de meo adventu, de ſua gratia, jocundatus, & negotia mea omnia, de quibus apud vos exiſtens dixeram vobis, ad finem jam diſponit & ordinat præoptatum.*

*His finitis, per* Coloniam Agrippinam, *propter quædam negotia ibidem determinanda, rediens ad vos, in* Aulam Regiam *revertar, (volente Domino) perpetuò permanſurus. Trahit me ad vos amor veſtri: allicit me dulciſſima habitatio domus veſtræ, & præcipuè veſtrorum devotio filiorum, & nil me retrahere poterit, niſi mors ſola.*

*Veruntamen libellum meum, quem ad inſtantiam præfati Domini mei* Cardinalis *de ſtatu* Terræ Sanctæ *compilavi, vobis, ut rogaſtis, & ego promiſi, per* Franciſcum Chriſtam, de Praga, *ſervitorem meum, tranſmitto, in ſignum maximi mei deſiderii & amoris, ut interim de Terra Sancta aliqua legatis in litteris; & ego cùm venero, ubi neceſſe fuerit, verbis luculentius explanabo.*

*Chriſtus vos cuſtodiat in æternum. Datum Ammoniæ. Anno Dom. M. CCC. XXXVII. in die S. Michaëlis.*

(a) Aliqua de *Talayrando* inferius habet *Caniſius* ex Ciaconio. Sed Cardinalem ætate ſua celeberrimum ſi quis accuratius multo noſcere voluerit, is pervolvat notas ad Paparum Avenionenſium vitas, a Baluzio ſumma cum diligentia conſarcinatas. Nos unum hic oculis Lectorum obſervandum ſubjiciemus: Virum hunc a *Petrarcha* laudatiſſimum contra a *Villanio* convitiis obrui, non modo ob ſuperbiam ipſi ex nobiliſſima ſtirpe innatam, ſed utpote qui multa admiſerit crimina. Cum enim *Andreas*, Rex Siciliæ, nefario ſcelere præfocatus fuiſſet apud Averſam, ſuſpicionum pars maxima incidit in *Talayrandum* Cardinalem, utpote cui in votis eſſet, ut Regina Liberis orbata decederet, ſicque Corona juſque regnandi ad ipſius avunculum devolveretur. Quæ tamen vix conciliare poſſis cum diſpenſatione matrimonii, quam a Pontifice obtinuiſſe dicitur ab eodem, ut Regina Ludovico, Tarentino Principi, conſanguineo nuberet. Innocentium VI. Pontificem elegi curavit, veritus ne Birellus, Carthuſianorum Prior Generalis, Cardinalium faſtui luxuique modos poneret, ſi, ut intentum fuit Cardinalibus, ipſi committeretur Eccleſiæ Regimen. Denique Avenionenſium Nobilium plurimorum cædem patraſſe anno 1357. aſſeritur. Ab altera parte *Petrarcha* præter Pontificem, ſupra *Talayrandum* in Eccleſia militante neminem videt, & *ne hunc quidem, aliquanto enim altius videtur Papas facere, quam Papam eſſe. Adfirmant enim omnes, duos ex Ordine Romanos creaſſe Pontifices.* Vereor ne *Petrarcha* debeatur *adulatoris infamia* quam declinare tentabat. Superior enim; quidquid dici poſſit, Cardinale Pontifex. Invitusque alios eligi paſſus erat *Talayrandus.* Innocentii electio ipſius laudi verti non debet, utpote qui Reformationem Eccleſiæ Borellique mores auſteros reformidaret. Urbani V. alterius Pontificis, quem indicat *Petrarcha*, promotio debebatur Cardinali Cæſar-Auguſtano, Guillelmo de Agrifolio. Contendebant de Pontificatu *Talayrandus* & Guido de Bolonia, renitentibus ſcilicet cæteris Cardinalibus; Ut contentioni finis imponeretur, factum eſt, ut nullus Cardinalium eligeretur. Eaque ratione Grimoaldus, Abbas Maſſilienſis, creatus eſt Pontifex obſtrepente *Talayrando.* Hoc unum conſtat, intricatiſſimas ſui temporis Eccleſiæ Regumque controverſias agitaſſe, diſſidiaque ſæpius feliciter compoſuiſſe. BASN.

(b) *Forte, centum dies, nam deſiderari videtur aliquid, nihil autem in m. ſ. intercedit inter vocabula* quam, *& eò quòd.* CANIS.

INCI-

Digitized by Google

# INCIPIT PROLOGUS IN LIBRUM

SÆC. XIV. ANNO 1336.

## De quibusdam partibus ultramarinis, & præcipuè de TERRA SANCTA.

SIcut audivimus, sic & vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri, Deus fundavit eam in æternum. *Psal.* 47. Quamvis Domini sit terra & plenitudo ejus, orbis terrarum & universi, quiqui habitant in eo; *Psal.* 23. tamen *Hierusalem* civitas Dei specialiter dicitur, & termini ejus, hæreditas Domini singulariter appellatur; quia privilegio gratiæ salutaris hæ partes à *Deo* præelectæ sunt, filiis ab ipso adoptatis hæredibus à principio repromissæ, & tandem devotæ, tanquam paterna hæreditas, liberè possidendæ.

Elegit enim Dominus Sion: elegit eam in habitationem sibi; in tantum, ut expresè subjunxerit; Hæc requies mea in sæculum sæculi; hîc *Psal.* 121. habitabo, quoniam elegi eam. Quia licet spirituales substantiæ loco non circumscribantur, & insuper Deus nec loco terminetur: illic tamen potissimum esse dicuntur; & ideò partes ipsis maximè deputantur, ubi, & in quibus operationes & effectus virtutum ipsarum magis contigerit apparere.

Unde quia divinitatis opera, tàm tempore juris naturalis, quàm Mosaicæ legis, & gratiæ Evangelicæ in prædictis partibus ultra naturæ cursum humano generi ad salutem proficua, gratiosè à Deo sunt exhibita; ita ut non immeritò nomen hæreditatis sortitæ sint; & ipsas inhabitasse Deum singulariter, & inhabitaturum etiam mirabiliter in fine seculi, profitemur.

Cùm igitur tantò perfectiores simus, quantò magis Dei imitatores sumus, & præcipuè Christi Jesu, qui ad hoc missus est, ut ipsius, quantum possibile est, vestigia sequamur facta; civitatem prædictam & terram, in qua verbum caro factum est, filius quoque *Dei* visus est, & cum hominibus conversatus est, ex corde præ cunctis aliis terris affectuosissima electione prædiligere debemus, & cum Propheta continuè dicere, ad ipsam devotius aspirantes: Adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus. *Psal.* 131.

Unde multi gentilium ante Christi adventum, & post eum infideles, qui ex scriptura, vel universali fama aliquid discere potuerunt; prædicta loca, tanquam singularem Dei domum, & electum habitaculum devotissimè visitârunt, & continuè visitant, & quasi opinantes quod in his terris nostram salutem Deus ab initio figuraliter inchoavit, & in fine temporum, velo abducto figuræ, ipsam feliciter consummat; Christo, Dei filio hoc attestante, in cruce, cùm diceret: Consummatum est; cùm *Joan.* 19. nihil circa nostram salutem omitteret, sed singula ad ipsam opportuna remedia convenientissime adhiberet.

Et cùm patria, tanquam generationis principium, ab omnibus naturaliter diligatur, & in tantum diligi debeat, ut secundum sapientis auctori-

Digitized by Google

Sæc. XIV. Anno 1336. ctoritatem, pugna pro ſalute ipſius ſit utiliter & laudabiliter aſſumenda; non immeritò quilibet Chriſtianus tenetur *Terram Sanctam*, & à Deo prælectam, ampliori amore, quàm propriam patriam diligere. Quia ſicut unius cujuſque ex ſua propria patria proceſſit generatio in Eſſe naturæ; ſic ex illa omnium noſtrûm proceſſit generatio in Eſſe gratiæ, nobiſque obeſſet generatio, ſi regeneratio non adeſſet.

Unde commune eſt Chriſtianorum, ut diligamus communiter Chriſtianos, ſcientes, quòd commune bonum divinius appetibilius exiſtit affe-
*Pſal.* 121. ctui ordinato. Unde Propheta nos ſingulariter hortatur, ut rogemus, quæ ad pacem ſunt Hieruſalem, & cætera, quæ ſequuntur.

Hanc benedictam terram nobis Chriſtus moriens mortis teſtamento
*Luc.* 24. reliquit, & aſcendens in cœlum elevatis ſuper eam manibus, tanquam veris filiis Abrahæ, quòs Deus ad hanc terram venire, & inhabitare juſſerat, confirmavit.

Ipſam igitur, tanquam patriam & hæreditatem, ex fide Chriſti mihi quodammodo debitam, à pueritia viſitare deſideravi, ut viderent teſtes
*Pſal.* 47. oculi, quæ propoſita ſæpius erant auribus, ut cum Propheta, verba primò propoſita poſſem dicere confidenter; ſicut audivimus, ſic & vidimus.

Illa igitur, quæ vidi, & ordinem locorum, quem mihi curſus peregrinationis meæ obtulit, divina permittente clementia, vobis Pater ac (*a*) *Domine Reverendiſſime*, fideliter exprimam, ut à me veſtra præclara ad Deum, & ad terram ipſius devotio requiſivit.

(*a*) Alloquitur Cardinalem Thalayrandum, qui quis fuerit, accipe ex Alfonſo Ciacconio: Thalayrandus Comes Petragoricenſis, Gallus, ex Epiſcopo Antiſiodorenſi, Presbyter Cardinalis S. Petri ad vincula tt. S. Eudoxiæ, poſtea Epiſcopus Albanus à Clemente VI. creatus, legatus in Gallias bis, primùm cum Guidone Portuenſe, deinde cum Nicolao Capoccio Cardinale, pro pace inter Reges Francorum & Angliæ, Avunculus Caroli Dyrrachii Ducis, Joannis Regis Roberti fratris filii, quem Mariæ, nepti Regis Roberti, Joannæ reginæ, ſorori matrimonio jungi procuravit, diſpenſatione à Clemente VI. obtenta. Hæc Ciacconius lib. de Pontif. geſtis in Joanne XXI. fol. 691. ubi plura. Canis,

NOBI-

Digitized by Google

# GUILIELMI DE BALDENSEL, HODOEPORICON AD TERRAM SANCTAM.

Sæc. XIV. Anno 1336.

I. EGressus igitur de *Alemannia*, terra nativitatis meæ; & pertranſiens *Lombardiam*, ad littus maris Mediterranei, propè civitatem, quæ *Naulum* dicitur, in ripariis *Januæ* ſituatam, proſperè perveni. Ubi galæam benè armatam aſcendi, & ad proſequendum iter Ultramarinum, nautæ remis & velo ſollicitè inſiſtebant.

Dicitur hoc mare, *Mediterraneum*; quia principalibus mundi partibus, ſcil. *Aſiæ*, *Africæ*, & *Europæ* interjacet; ipſas, ſe, & ſuis brachiis ab invicem ſeparans & diſtinguens. Habet enim ab occidente & ſeptentrione *Europam*, & ad Orientem *Aſiam*; ad Auſtrum *Aphricam*: & uno brachio ejus, quo attingit *Hiſpaniam*, & ſtrictum (*a*) *Demorach* vulgariter dicitur.

Continuatur hoc mare Mediterraneum cum Oceano, mari ſcilicet maximo, quod orbem circumfluit: altero verò ejus brachio, quod *Helleſpontus* dicitur, ſeu *Brachium S. Georgii*, continuatur, quodque nullam habens inſulam, unde & majus nuncupatur.

In hoc mari *B. Clemens Papa* ſubmergitur prope *Cherſonam*, & habitaculum ejuſdem martyri Angelicis manibus præparatur, in modum templi marmorei.

Eſt autem mare verſus Orientem ultra civitatem *Sara*, quam tenet *Tartarus de Ammonia*, quod *Caſpium* dicitur. Hoc nec *Oceano*, nec mari *Mediterraneo*, nec *Pontico*, aliquo apparenti brachio copulatur. Aſſerunt tamen quidam, quod per gurgitem ſubterraneum, mari *Pontico*, quod ſibi propinquius eſt, & per conſequens cæteris maribus continuetur. Hoc *Brachium S. Georgii* dicitur, quod dividit *Europam* & *Aſiam* minorem, quæ majoris Aſiæ provincia eſt. Hoc brachium vulgariter *Butta Conſtantinopolitana* dicitur, eò quòd ſuper ipſum in littore *Europæ*, egregia civitas *Conſtantinopolis*, quæ & *nova Roma* dicitur, ſituata ſit. *vide Leunclavium in pandect. hiſt. Turcic. c. 118.*

Hæc civitas ſolenniſſima in optimo mundi loco, tàm ratione aëris, quàm terræ conſtructa eſt; portum habet maximum, & optimum, muris fortiſſimis cingitur; figuram habet trianguli, cujus duo latera verſus mare ſunt; tertium verſus terram. Conſtantinopolis.

In hac civitate multæ ſunt Eccleſiæ, & fuerunt plures, ſupra modum pulchræ, opere Moſaico, marmoribus, & ſingulari modo conſtruendi mirabiles: pluraque ſunt palatia pulcherrima in eadem. Tenet tamen principatum in ipſa civitate Eccleſia *S. Sophiæ*, id eſt, Sapientiæ, quæ Chriſtus eſt; quam *Juſtinianus* SS. Imperator fundavit, & immutabiliter ſingularibus prærogativis decoravit. Credo, quòd ſub cœlo, poſtquam mundus creatus eſt, non fuit tale ædificium completum, quod huic poterit in nobilitate & magnitudine, cæteris paribus, comparari.

Coram iſta pretioſiſſima Eccleſia, ſtat imago Imperatoris *Juſtiniani* æquiſſimi, de ære fuſa, imperiali diademate coronata, tota deaurata, maximæ quantitatis, manu ſiniſtra *Pomum*, quod orbem repræſentat, *Cruce* ſuperpoſita, tenens; dexteram contra Orientem levans ad modum principis minas rebellibus imponentis. Statua, ſuper quam imago poſita eſt, altiſſima eſt, ex petris magnis, & cæmento fortiſſimo conglutinata.

In hac ſacra urbe vidi ex mandato Domini Imperatoris magnam partem *Crucis* Dominicæ, *Tunicam* Domini inconſutilem; item *Spongiam*, *Calamum*, & unum *Clavum* Domini: Corpus *B. Chryſoſtomi*, & plures alias Sanctorum *Reliquias* venerandas.

(*a*) Hunc locum explicatu difficilem emendaverat olim Caniſius, quippe ſic diſtinguebat, quo attingit *Hiſpaniam & ſtrictum, Demorach vulgariter dicitur.* Demorach autem interpretatur vir celeberrimus de Majorica. Ab eo tempore feliciter incidit Baluſius, his in rebus verſatiſſimus, in Codicem Bibl. Regiæ, de quo ſuperius a nobis actum eſt, animadvertitque ſervari debere lectionem antiquam. Interpres eſſim Gallicus reddidit *a nom le eſtroit de Maroch*, vocatur ſcilicet Strictum illud *de Maroch*, & revera, cum agatur de freto Gaditano inter Hiſpaniam & eam Africæ partem, quæ Regi Marochiano fuit ſubdita, nulla ſupereſt difficultas. Niſi tamen pro Demorach levi litterarum immutatione legere malis: & Strictum *de Maroch* dicitur, quod mihi multo ſatius videtur, mirorque Baluſium non advertiſſe. BASN.



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1336. Ubi verò hoc brachium derivari incipit à mari Mediterraneo ſuper littus Aſiæ minoris, fuit *Troia*, illa antiqua & potens civitas conſtituta. Pulcherrimum locum habebat, & planum, & aſpectum verſus mare latitudine generoſum. Portum bonum non videtur habuiſſe, ſed in quodam fluvio, mare circa ipſam influente, aliqua navigia poterant conſervari. Propter vetuſtatem temporis tantæ civitatis veſtigia vix apparent.

Sic igitur proſpero navigio, annuente Deo, ad has partes *Troiæ* perveni, poſtquam de civitate *Nauli* procedendo perluſtravi littora *Lombardiæ*, ac *Tuſciæ*, *Campaniæ*, *Calabriæ* & *Apuliæ*, & tranſivi famoſas *Italiæ* inſulas, *Corſycam*, *Sardiniam*, *Siciliam*. Et poſtquam tranſivi ſinum, ſeu mare *Adriaticum*, quod hodiè *Gulfus Venetiarum* appellatur, qui ſinus tempeſtuoſus eſt, dividens *Italiam* & *Græciam* in hac parte.

Et poſtquam circa littora ipſius Græciæ navigando luſtravi *Achaiam Athenarum* provinciam, Philoſophiæ matrem, ac *Macedoniam*, cæteraſque *Græciæ* partes, quæ *Romania* vulgariter nuncupatur.

Poſthæc procedens de *Troiæ* partibus, inſulas *Græcorum*, *Aſiæ*, & littora minoris *Aſiæ* diligentius perluſtravi. Deinde ad inſulam *Chio*, ubi maſtyx creſcit, & ut dicitur, nuſquam aliàs. Gummi eſt fluens de arboribus parvulis, punctuatur punctura inſtrumenti in cortice apertis tempore opportuno.

Poſthæc perveni ad inſulam *Pathmos*, ubi ab illo dilectiſſimo Chriſti diſcipulo, liber *Apocalypſis* ſcribitur, dum in ipſa inſula vir ſanctiſſimus eſſet exilio relegatus.

Epheſus. Poſthæc perveni in *Epheſum*, ubi beatiſſimus Apoſtolus & Evangeliſta *Joannes* deceſſit & ſepultus eſt. In quo loco ſupra monumentum ejus pulcherrima & magna Eccleſia conſtructa eſt, plumbo cooperta, ad modum *Crucis* extenſa, opere Moſaico & marmoribus ſolenniter decorata.

Eſt autem civitas *Epheſina* in loco pulchro, forti, & fertili collocata, diſtans à mari ad pauca milliaria. *Saraceni* qui *Turci* appellantur, tenent ipſam, & quaſi totam majorem *Aſiam*, *Chriſtianis* inde expulſis, occiſis, & in ſervitutem redactis; Eccleſiis, (de quibus in Apocalypſi fit mentio) pulcherrimis deſtructis; niſi quòd Eccleſia *B. Joannis Evangeliſtæ*, in qua ſepulchrum ejus vidi retrò majus altare, integra conſervata, ipſam ſuo prophano cultui ſecundum legem *Mahometi* applicârunt.

Et poſtquam minor *Aſia* à *Turcis* eſt capta, nomen priſtinum perdidit, & generaliter *Turcia* ab iniquis ejus inhabitatoribus nominatur.

Inde procedens, multis inſulis hinc inde luſtratis, (quia valdè multæ inſulæ in hac parte maris ſunt, quondam benè habitatæ, & divitiis abundantes, & nunc per *Turcos* plurimùm deſertæ) perveni in ipſa minori *Aſia* propè maris littus ad urbem *Pataram*, unde *B. Nicolaus* traxit originem, & poſt in *Myrrhæam* civitatem, ubi divino nutu poſtea fuit in Epiſcopum electus & ordinatus. Hanc provinciam ille B. Confeſſor miraculis innumeris illuſtravit.

Poſthæc vidi *Cretam* famoſam inſulam, atque *Rhodum* inſulam, *Fratrum Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani*, quàm vi armorum *Conſtantinopolitano* imperio abſtulerunt; ubi nunc majorem conventum ſuum tenent, & ipſam caput Ordinis ſtatuerunt. Locus eſt ſanus atque delectabilis, non multum à *Turcia* maris brachio ſeparatus.

Cyprus. Inde proceſſi verſus *Cyprum*. Hæc inſula optimi vini ferax eſt; unde ſponſa in canticis ſponſum botro *Cypri* in vineis *Engaddi* voluit comparare. (*a*) Hæ vineæ ſunt in *Cypro*, propè civitatem *Nicomoſam*, & hodiè *Engaddia* ab incolis nominantur.

Vina *Cypri* creſcunt rubea, & poſt annum albeſcunt; & quantò veteriora ſunt, tantò magis albeſcunt, & redolent; ſana ſunt, & fortiſſima, & ſine multæ aquæ appoſitione potui vix apta. Eſt in *Cypro* in quodam alto monte apud Monachos *S. Benedicti*, *Crux boni Latronis*, & pars *Clavi* Domini, & aliæ *Reliquiæ* venerandæ.

Item in *Cypro* eſt corpus *B. Hilarionis* ſub cuſtodia Regia in caſtro quod *Gedamors* dicitur; & alius ſanctus, qui (a) *Zozonion* appellatur, in ipſa inſula, in magna habetur reverentia; cujus caput in capella regia conſervatur.

(a) *al. Zozomion.*

Sanctus etiam *Barnabas* de civitate (*b*) *Salamina*, ſive *Conſtantia*, nunc deſtructa, propè *Famaguſtam*, in *Cypro* natus eſt.

Sunt etiam in *Cypri* montibus oves ſilvaticæ, in pilis ſimiles capreolis & canibus, quæ nunqam aliàs eſſe perhibentur. Multum velox eſt animal, bonas carnes & dulces habens. Plures capi vidi exiſtens in venatione, canibus, & maximè domeſticis leopardis de Cypro.

In

(*a*) *Sequitur ſententiam, quæ tertia eſt apud Delrium in Cantica c. 1. ſect. 1. in litera, qui quid ſentiendum, luculenter docet.* Can. (*b*) Σαλαμὶς *Ptolemæo Cypri urbs, quæ Plinio & Polyæno, Salamina. Stephanus eam Conſtantiam dici ſcribit. Idem D. Hieron. tradit, & addit eam Trajani Imp. tempore à Judæis deletam, interfectis omnibus ejus accolis Anton. Curchimus dicit eam ſub Eraclio Imp. à Saracenis captam, funditusque exciſam, neque poſtea unquam habitatam. Euſebio authore lib. de prap. Evang. Koperveia antiquiſſimis temporibus vocata fuit. Hodie Famagoſta dicitur, ut Niger autumat, noſter Guilielmus Famaguſtam propè ponit. Vide Ortelii theſ. Geograph.* Can.

Digitized by Google

In die *Natalis* perveni in *Syriam*, me vento prospero permajore salubriter prose- SÆC. XIV. ANNO 1336.
quente.

*De Syria Phœnicis, ac terra Philisthiim, & civitatibus maritimis, usque ad desertum, quod dividit Syriam & Ægyptum.*

PErveniens, *Dei* favente clementia, in *Syriam*, applicui ad portum *Tyri*, qui nunc (a) *Sur* vulgariter appellatur. II.

Est autem *Tyrus* antiquissima civitas. Nobilissima & famosissima quondam fuit; nunc verò quasi destructa & deserta. Portum verò ejus *Saraceni* custodiunt diligenter. In corde maris sita est, ex omni ferè parte mari circumdata, versus terram erat turribus & muris fortissimis communita. Tyrus.

Hujus civitatis meminit Propheta in Psal. dicens: Filiæ *Tyri* in muneribus, & ab alio Propheta: Institores ejus Principes, negotiatoresque ejus, incliti terræ dicuntur, & in pluribus locis sacræ paginæ hujus civitatis fit mentio, per quæ perpendi potest de facili ejus antiqua nobilitas singularis. *Psal.* 44. *Esai.* 23.

Propè (a) *Tyrum* est fons hortorum, & *Puteus Aquarum Viventium*. De Libano profluentes aquæ limpidæ & sanæ, ipsius hortos & territorium irrigantes. (a) *De Tyro & puteo aq. viu. Adrichomius in theatro terræ sanctæ in Aser* 67. & 84. Can.

Locus etiam ibidem ostenditur, ubi Dominus fideli *Chananeæ* misertus est, & propè, eo loquente ad turbas, sibi dictum est: Beatus venter, qui te portavit, &c. *Matth.* 15. *Luc.* 11.

De Tyro, in uno die veni per terram (b) Sidon, quæ (c) Suri vulgariter dicitur.

(d) Hîc famosa civitas, & pulchra planitie, situata est supra mare, quæ quondam Christianorum fuit, & antiquitus dicebatur (e) *Ptolomaida*, cujus meminit liber *Machabæorum*. Per *Saracenos* destructa est: posset tamen de facili (f) recuperari. Convenientem portum habet; per ruinas tamen civitatis aliquantulum destructus est. Et est villa in *Syria Phœnicis* sita, & non in terra promissionis; sicut & *Tyrus*. Per effusionem tantam sanguinis *Christianorum*, in expugnatione ejus pro fide Christi morientium, consecrata est, tanquam sacer locus meritò veneranda.

Deinde in diebus 4. per terram veni in *Gazam*, civitatem quondam (g) *Philisthiim*; quia circumjacens terra *Philisthinorum* erat, & dicebatur antiquitus *Palæstina*, in qua sunt aliæ quatuor civitates Philistinorum, quorum meminit liber Regum; nunc in Casalia parva, mutatis quodammodo nominibus, sunt redactæ.

Inter *Accon* verò & *Gazam* prædictam; prope *Accon* xIx..... (h) or milliaria supra mare, à dextris est mons *Carmeli*, non multum altus, oblongus, desuper planus, multum speciosus & fertilis, habitatio *S. Heliæ* Prophetæ, ubi & ordo *Carmelitarum* sumpsit exordium, plures devotas Ecclesias continens & heremitoria generosa.

In hujus montis pede civitas erat, quondam Christianorum, (i) *Caiphas* nomine, nunc destructa.

Inde transivi *Cæsaream Palæstinæ*, famosam quondam civitatem, & castrum peregrinorum famosum, à Christianis olim constructam.

Item civitatem *Ascalonem*, quondam vigorosam.

Item urbem *Joppensem* vetustissimam; quàm *Japhet*, filius Noë, creditur condidisse.

Hæc loca in ripa maris optimè situata à *Saracenis* miserabiliter sunt destructa.

Propè *Joppen* intra terram est pulchra civitas, nomine (k) *Rama*, quæ optimè habitatur, locus delectabilis atque sanus.

Propè hanc villam à sinistris est civitas *Diospolis*, quæ similiter habitatur, & in (l) Actibus Apostolorum *Lidda* dicitur, ubi *S. Georgius* decapitatus asseritur, & locus peregrinis advenientibus demonstratur in Choro Ecclesiæ quondam pulchræ, non multum à monte *Carmeli*.

A sinistris est villa (m) *Saffram*, in quodam monte, ubi beati Apostoli *Jacobus* & *Joannes* nati dicuntur; & in loco nativitatis ipsorum pulchra est Ecclesia constructa, quam etiam peregrini visitare devotius consuevere.

(a) *Tyrus Sarra vocabatur Gellio & Festo testibus. Hinc ostrum Sarranum Virgil. Sacra litera Sor vel Tzor nominant. Postea Suri vulgò dicebatur, Postello & Nigro teste. Vide Ortel.* CAN.

(b) *fort. Sida quæ inter Tyrum & Ptolemaidem est. Adrichom. ibid.* 76. Can. (c) *Sidon cur potuerit Sur dici, hic non video. Sida potuit; quia propinqua Tyro, Tyrus autem Sur dicebatur, & inde fortè totus tractus Tyrius usque ad Ptolemaidem, Suri dicebatur.* Can. (d) *vitiosè m. f.* Hæc *Lego:* Hîc, *id est, non longè à Sida.* Can. (e) *Vide Adrichom. ibid.* 66. *Est autem anno* 1291. *à centum quinquaginta millibus Saracenorum solo æquata.* Can. (f) *anno* 1104. *Balduinus cepit Ptolemaidem, Tyrius* 10. *bell. sac.* 28. *Et iterum anno* 1191. *Philippus Franc. & Richard. Angl. tertio obsidionis anno. Vitriac. & Herold.* Can. (g) *De Gaza una ex S. Satrapiis Philistinorum, Adrichom. in Simeon* 46. Can. (h) *non lego hanc vocem. Josephus Carmelum à Ptolemaide, quæ & Accon dicitur, ait abesse stadiis* 120. *Vide Adrichom. in Isachar* 19. Can. (i) *Tyrio Porsina & Porphyria, à Caipha Pont. ædificata. Adrichom.* 16, 17. Can. (k) *Ramatha Sophim, Adrich. in Ephraim* 79.

(l) *Act.* 9. *Hieron. in loc. Hebr. Tigrida ait vocatam. Justinianus hic S. Georgio templum ædificavit. Vide Adrich. in Ephraim* 64. Can. (m) *Saffa vel Saffra civitas in monte sita, à Nazareth tribus distans miliaribus, patria Zebedæi, Alphæi & Jacobi atque Joannis Apost. in quorum nativitatis loco pulcra visitur Ecclesia. Joan. de Montevilla c.* 4. & 20. *Joan. Pasch. in peregrin. die* 173. *Adrich. Zabulon* 83. Can.



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1336.

His visis perveni in *Gazam*, quam prius dixeram civitatem esse satis magnam, & benè populatam, à mari aliquantulum elongatam. Hæc illa est civitas, cujus *Samson* portas asportavit, cùm in ea captus est, super unum monticulum civitati propinquum, & ubi tot millia *Philisthinorum*, palatii columnis concussis, & seipsum post excæcatum mirabiliter occidit, sicut in libro Judicum legitur.

Post hæc veni ad Castrum (*a*) *Darum*, quod ultimum occurrit procedentibus de *Syria* in *Ægyptum*.

Et notandum, quòd eundo de *Accon* per viam hanc, dimisi civitatem sanctam *Hierusalem* à sinistris vix ad 20. milliaria, volens prius videre *Ægyptum* & *Arabiam*, ut obtentis *Soldani* litteris, possem in reversione commodius & securiùs terræ promissionis loca sanctissima visitare.

## *De Deserto, quod dividit Syriam & Ægyptum; & de Ægypto.*

III.

DE Castro ergò, quod *Darum* dicitur, processi versus *Ægyptum* per (*b*) desertum arenosum, in septem diebus, in quo deserto est aquæ penuria, portanturque victualia, & alia necessaria in camelis. Sunt tamen ordinata per *Saracenos* cuncta secundum dietas, hospitia; ibique inveniuntur necessaria competenter.

Posthæc veni in *Ægyptum*, ubi sunt Casalia pulcherrima, infinita, omnibus bonis temporalibus abundantia, præterquam in terris *Saracenorum*.

Per *Saracenos* vineæ non coluntur, nec porcos nutriunt; hoc ei lege, quæ in libro, quem *Alcoranum* vocant, scribitur, strictiùs inhibetur.

Et primò procedens versus *Babyloniam*, veni ad villam famosam, & magnam, quæ (*a*) *Belbeis* nominatur.

(*a*) *Tyrius testatur Damiatam dictam etiam Belbein. Vide Adrich. in Pharan* 71. *fol.* 121. C.

Posthæc, dimissis super ripam maris, *Alexandria* famosissima civitate, & *Damiata*, propter convenientem portum navigantibus benè nota, perveni ad (*b*) *Cadro* & *Babyloniam*, metropolin *Ægypti*, ubi est sedes *Soldani* in uno castro pulcherrimo, propè *Cairum*.

Soldani sedes.

Hoc castrum in monte est, non alto, sed petroso, longum est, & valdè pulchris palatiis decoratum.

(*b*) *lege Cairo. Memphis enim, seu Babylonia è regione Cairi est, interfluente Nilo.*

Dicitur, quòd continuè pro diversis ipsius *Soldani* servitiis, & custodia ejus, morentur in ipso castro circa sex millia personarum, quibus quotidiè victualia de curia ministrantur; cæteri verò armati, hoc est, capitanei & regentes armorum, equites, in maxima multitudine sub castro in civitatibus commorantur, ordinati sub millenariis, centenariis, quinquagenariis, & decanis, secundum quod visum fuerit expedire, quibus per *Soldanum* secundum gradus suos stipendia dispensantur.

Sunt autem *Cairum* & *Babylonia* duæ civitates multùm magnæ, parùm distantes, & quasi contiguæ; major tamen est *Cairum*, quæ est versus desertum *Syriæ*, parùm distans à fluvio Paradisi *Nilo*.

Babylonia.

*Babylonia* verò sita est super ipsum fluvium, sine medio prædicto. Duæ villæ populosæ, pulcherrimis ædificiis constructæ, plus intus, quàm deforis apparent; quia generaliter consueverunt, non deforis, sed intrinsecus ipsarum hospitia marmoribus, tàm in pavimentis, quàm in parietibus, & opere Mosaico mirabiliter decorare.

Et sciendum, quòd hæc *Babylonia*, de qua nunc fit mentio, non est illa antiqua Babylonia, in qua regnavit Nabuchodonosor, & ad quam filii Israël captivi ducti sunt; sed hæc est nova *Babylonia*, antiquam in nomine, & quodammodo in operibus imitatur.

Quia, ut de cæteris taceam; sicut antiqua filiis Israël tunc fidelibus maximè fuit infesta; sic & nobis Christianis, veris Israelitis, hæc nova *Babylonia* cum suo capite, quod *Soldanus* est, maximè opponitur inter cæteros infideles, utpote principalis propugnator & dilatator est impiæ perfidiæ Mahometi.

Mahometes.

Cujus de dominio ille nequam traxit originem; ibidem primò prædicavit, scilicet in deserto *Arabiæ*, hominibus bestialibus & indoctis, legemque diabolicam ipsis imposuit, & serpentina astutia decepit, falsisque miraculis, sibi & patri falsitatis ac mendacii colligavit, corpusque ipsius perditissimi Pseudoprophetæ sub *Soldani* diligentissima custodia in civitate, quæ *Mecha* dicitur, sita in deserto *Arabiæ*, de *Babylonia* circa 25. dietas, pro maximo sanctuario conservatur in pulchra ipsorum Ecclesia, quam *Mulscket* vulgariter dicunt.

Quòd verò pendeat in aëre, per virtutem petræ, quæ ferrum trahit, id falsò divul-

* Ezechiel 20. 46. apud LXX int.

(*a*) *Daron meminit Ezechiel* *, *quod Symmachus vertit in Africum. A Christianis autem castrum fuit exadificatum. apud Torrentem, qui dicitur Ægypti, & primum quidem ab Amalrico, postea ab aliis auctum suburbiis. Hieron. in loc. Hebr. Wilh. Tyrius* 20. *bell.* 20, 21, 22. *&c. Adrich. in Pharan.* 32. *fol.* 119. Can. (*b*) *desertum Pharan, de quo Adrich. ibid. fol.* 116. Can.

Digitized by Google

vulgatur: Est quidem aliàs in tumba elevata & preciosa, ad majorem ipsius mortui damnationem perpetuam positum, quò *Saraceni* ex omnibus mundi partibus confluunt, peregrinationem ibidem ad suum Prophetam devotissimam & solennissimam miseri reputantes. Et ob hoc *Soldanus* maximus advocatus & defensor à *Saracenis* ipsorum perfidiæ tenetur hujus novæ *Babyloniæ*, quæ perfida *Christianæ* fidei super omnes errores exiitit maximè inimica. SÆC. XIV. ANNO 1336.

Distat verò antiqua *Babylonia* ab hac inter Septentrionem & Orientem circa 35. dietas in *Chaldæa*, & illius partes dicuntur, qui nunc est *Chan*, *Imperator Tartarorum de Persia*. Dicunt quòd civitas, quæ nunc (a) *Baldatum* dicitur, sit ipsa antiqua *Babylonia*, quæ sita est super fluvium *Eufratem:* Alii asserunt propè *Baldatum* ipsam fuisse destructam, hoc per ruinas de propè maximè approbantes. (a) *fort. Baldach. Vide Ortelii Thes. geogr. v. Babylon.*

Turris etiam *Babel* à filiis *Noe* incepta fuisse in loco propinquo asseritur, ubi humanum labium confusum est. Locus nunc desertus dicitur, & quasi inaccessibilis propter ferarum crudelium, & venenosorum animalium ibidem commorantium multitudinem innumerosam. CAN.

Hæc dicta sunt, ut habeatur discretio veteris & novæ Babyloniæ, in hoc opere principaliter recolendæ.

Fluvius igitur *Paradisi* novam *Babyloniam* præterfluens, ac terram *Ægypti* irrigans & fœcundans, & omnibus bonis abundare faciens, *Gion*, (ut in Genesi dicitur) appellatur.

(a) Quidam tamen dicunt, quod *Gion* & *Phison* in superioribus *Æthiopiæ* conjungantur, & sic conjuncti unum alveum contineant & servent.

Insulas tamen plures in *Ægypto* habet prædictus fluvius uberrimus & deliciosissimus, & iterum recollectus in mare Mediterraneum in partes divisus, incidit propè *Alexandriam*, de qua fecimus superius mentionem.

Prædicti fluvii aqua sapida est, & saniissima ab bibendum; cibos digerit, bonos pisces habet in magna copia.

Inveni in eo & circa eum, lignum *Aloe*, & diversi coloris lapides *Carneoli*. In *Cairo* & *Babylonia* sunt plures *Ecclesiæ Christianæ* valdè pulchræ, inter quas magis famosæ sunt, Ecclesia in *Babylonia B. Virginis*, ubi ipsa cum *Christo Jesu* & *Joseph*, quando in *Ægyptum* de *Judæa* fugerat, metu *Herodis*, aliquandiu dicitur habitasse.

Item alia Ecclesia *B. Barbaræ* Virginis, in qua corpus ipsius in parvo monumento marmoreo conservatur.

Et sciendum, quod *Ægyptus* oblonga patria est; & in aliquibus sicca, propter desertum siccum, latera ipsius ambiens & comprimens, de cujus natura, & ipsa *Ægyptus* est, nisi in quantum exuberante fluvio, vel artificialiter, vel naturaliter conducto, imbibitur, fertilis efficitur, & delectabilis hominum usibus coaptatur.

Parùm pluit in ea, quod regio multum de se sicca, & fortiter ardor solis humores consumit super eam faciliter elevatos. Unde in longum protenditur ab *Æthiopia* secundum cursum fluvii usque *Alexandriam*, & mare Mediterraneum, tantum habens latitudinis, prout fluvius secundum dispositionem terræ & hinc inde, & hominum diligentia poterit elargiri.

Vidi in *Cairo* tres elephantes vivos. Est autem Elephas animal valdè magnum, pellem habens duram, ad modum squammarum piscis, disciplinabile, ad sonum instrumenti musici chorizat & saltat: dentes de ore exeunt, ad modum apri, valdè longi, super os habet proboscidem longam ad modum * vaccæ rotundam, peracutam, cartilaginosam, ad omnem partem flexibilem, qua utitur loco manus, cibum per eam sumit, & incurvando, infrà subtus os mittit, eaque plura recipit, & distribuit, solaciatur, & non lædit; se prosternit, & se elevat; verum enim non est, quòd jacens se denuò erigere non possit, ad perceptum magistri sui, advenientibus alludit, caput inclinando, genua flectendo; terram quoqe osculando, quòd hic modus honorandi hospites, hominibus in illa patria communiter est consuetus. Elephantes. * *forte* falcis.

Vidi etiam animal in *Cairo Indiæ*, *Jerafam*, multum elevatum in anteriori parte, longissimum collum habens, ita ut de tecto domus cujusvis altitudinis possit comedere, retrò est ita depressum, ut dorsum ejus manu tangi possit; non est ferox animal, sed ad modum jumenti pacificum, colore albo & rubeo, pellem habens ordinatissimè decoratam.



(a) Errat hic turpiter scriptor, quippe Ægyptiacam Babylonem non alluit Gihon, longe ab iis regionibus dissitus. Phison Hieronymo Josephoque fuit Ganges, aliis Gihon dicitur Araxes; sed Hieronymum Josephumque deceptos nemo negabit. Noti sunt hodierno die fluvii illi Paradisum terrestrem irrigantes, ut patet ex descriptione accuratissima quam nobis exhibuit ab aliquot annis Huetius, Præsul doctissimus, quem facile consulas. Plura si velis, adhibeas etiam noviissimam Paradisi terrestris delinationem D. van Til, in Lugdunensi Batavorum Academia Theolog. Professoris. Ibi enim plura circa fluvios Gihon & Phison hîc non describenda, observanda tamen reperias. Nobis hos indicasse sufficijat. BASN.

Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1336.

Vidi plures baburnos coctos, mammones, psittacos mirabiliter instructos, gestibus suis homines mirabiliter ad deductionem provocantes.

Invenitur psittacus, qui pro 100. aureis non daretur; quia in his partibus sunt homines delicati, supra modum delectationem & corporalia solatia requirentes.

In superioribus *Ægypti* est una *Smaragdina*; unde ibidem *Smaragdi* meliores, & in meliori forma, quam in aliqua mundi parte, habentur.

Sunt in *Syria* & *Ægypto* poma oblonga, quæ *Paradisi* nuncupantur, optimi saporis, mollia, in ore citò dissolubilia: per transversum quotiescunque ipsa incideris, invenies *Crucifixum*, in tantum, ut aliquoties faciei, & aliorum membrorum lineamenta possis perpendere competenter: diu non durant, unde per mare ad nostras partes duci non possunt incorrupta.

Saccarum optimum ibi crescit, & alia terræ nascentia, apud nos inconsueta; & consueta tamen, quæ apud nos in hortis humano studio nutriuntur, ut ruta, salvia, & hujusmodi, sola naturæ operatione in campis, & aliàs oriuntur, & marcescunt; multò amplius virtuosa.

Est autem in *Cairo* domus ampla, & ad modum stubæ demissa, in qua sunt multæ fornaces etiam demissæ, super quas in palea ponuntur ova, quanta quilibet voluerit apportare, & sine gallinarum cubatione naturali, excocto temperamento ignis in fornacibus materia fœtus maturatur in ovis, & pulli exeunt suo tempore, arte effectum naturæ mirabiliter prosequente, statimque ut pulli exeunt, & ex testis ovorum erumpunt, dantur dominis, quorum ova fuerunt, asportanturque & nutriuntur. Unde & in his partibus est maxima copia gallinarum. Hoc mirabilius reputo omnibus, quæ in his locis vidi.

Homines & fœminæ venduntur in his partibus, sicut alterius fidei & sectæ, quàm ementes & vendentes, & sic in servitutem rediguntur, & secundum juventutem, fortitudinem, artem, sanitatem, pulchritudinem, æstimantur.

Infra *Babyloniam* est quædam terra singulariter fertilis, pascuis uberrimis opulenta, quæ dicitur terra *Gessen*, quam filii *Israël*, consensu *Pharaonis*, ob merita *Joseph*, & patris ipsius Patriarchæ *Jacob* instantiam, inhabitârunt, dum divina dispensatione peregrinati sunt in Ægypto.

Quæ miracula & magnalia Deus in *Ægypto* operatus sit, in libris Moysis satis patet.

*De horto Balsami ad Heliopolim Adrich. in Neptalim 48 fol. 120. Baron. anno 1. nu. 46.* CAN.

Propè *Cairum* versus plagam deserti est hortus *Balsami* singularis, non multùm magnus, nec forti sepe circumdatus, nec muro, de quo plurimùm admirabar, locum tàm nobilem non fortius communiri.

Arbusta Balsami grossa non sunt, aut alta, sed ad modum vitis palmitum ramusculi mediocres. Irrigatur hic hortus quodam fonte parvo, in ipso existente, in quo virginem *Mariam* puerum *Jesum* balneasse sæpiùs, ac vestes panniculosque ejus lavisse asserunt *Christiani*; & ex hoc dicunt fontem virtutem contraxisse, ut terra, hujusmodi aqua irrigata balsamum germinet, & producat.

Ultra *Babyloniam* & fluvium Paradisi, versus desertum, quod est inter *Ægyptum* & *Aphricam*, sunt plura antiquorum monumenta, figuræ pyramidalis, inter quæ sunt duo miræ magnitudinis & altitudinis, de maximis lapidibus & politis, in quibus inveni scripturas diversorum idiomatum. In uno inveni hos versus Latinos petris insculptos:

Vidi pyramidas sine te, dulcissime frater,
Et tibi, quod potui, lachrymas hîc mœsta profudi,
Et nostri memorem luctus, hanc sculpo, querelam,
Sic nomen decimi anni pyramide alta
Pontificis, comitisque tuis (a) Trajane triumphis,
Lustris sex intra censoris, consulis esse.

(a) *m. f. Trayne, neque corrigere possum, nam hi tres versus in mendis sunt.* CAN.

Horum versuum obscura expositio aliquantulum me tenebit.

Dicunt simplices, hæc maxima monumenta fuisse granaria *Pharaonis*, & sic ea appellant, quod verum nullo modo est. Quia nec ad imponendam, nec ad servandam annonam, aut frumentum locus in ipsis pyramidibus aptus deprehenditur, maximè, quia à summo usque deorsum plenæ sunt maximis lapidibus, sibi invicem benè unitis; nisi quod porta parvula à terra benè elevata remansit, & via stricta ac tenebrosa, per quam descenditur ad certum spatium in eisdem, nulla in ipsis reperta latitudine spatiosa: verùm quod monumenta sint, versus scripti attestantur, & multa ipsas præsentialiter intuenti.

De

Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1336. IV.

*De itinere versus montem Sinai ac Arabiam, & locis sanctis in ea, usque ad initium terræ promissionis.*

DE *Cairo* inde & *Babylonia* recedens, partibus *Ægypti* lustratis, in *Arabiam* properavi, venique ad montem *Sinai* eques in decem diebus. Via media tota deserta est.

Asserebant *Monachi* montis *Sinai* veteres & veraces, se nunquam vidisse illuc venisse *Christianum*, equitem peregrinum, præter me, quia in camelis consueverunt venire cæteri peregrini. Camelus namque comedit spinas & tribulos, quos invenit in deserto, sine potu aliquotiens per duos dies integros usque in tertium permanens; fabasque siccas portant Camelarii per desertum; & dum camelos volunt benè reficere, dant ipsis de hujusmodi fabis in modica quantitate, & sic onusti graviter tota die laborando, in itinere perseverant.

Equus tali labore & victu deficeret, unde pabulum conveniens & aqua ne deficeret, feci portari pro equis meis, sicut & meæ familiæ in camelis. *Soldanus* namque *Babyloniæ* fecit mihi singularem gratiam, *Dei* mediante favore, dans mihi literas, quibus me omnibus subditis recommendabat, ut me ad *Loca Sancta* per totum ejus dominium liberè ire permitterent, sine omni tributo, exactione, telonio, & me, meos, ac mea salvarent, honorarent, ab omni offensa & injuria quorumcunque custodirent, propter quod securus per totam terram *Soldani* ivi cum mea familia, & pluribus scutiferis pari veste indutis, & habitu militari, gladiis, calcaribus, cultellis, ac si in terra *Christianorum* securissimè processissem.

Existens in itinere, singulis noctibus dormivi in campis sub tentorio, quod mecum portavi; & *Saraceni* ad hoc deputati per officialem loci, ad quem veni, excubabant, me, & meos custodientes solicitè & attentè à nocturnis periculis.

*Hinc potentia auctoris & nobilitas*, CAN.

Multi iverunt ultra mare, magni & parvi, nobiles, & ignobiles; sed hujus temporis nullus hoc modo; quod reputo singularem gratiam & donum gratuitum *Salvatoris*. Quocunque perveni, & illis quorum intererat, literas *Soldani* monstravi; statim se levabant, literas osculabantur, super caput ponebant, me honorabant, aliquoties victualia gratis præsentabant, & se mihi ad beneplacita benevolos exhibebant. Sic igitur recedens de Cairo, primò perveni ad *Mare Rubrum* in deserto, quod est quoddam brachium *Oceani Indici* strictum, versus plagam *Ægypti*, sed plus & plus versus mare magnum incipit elargiri.

Supra ipsum mare rubrum, veni ad locum, ubi filii Israel sicco vestigio transierunt, divino miraculo, in ipso submersis *Ægyptiis* insequentibus eos, sicut in Libro Exodi clariùs reperitur.

*Vide Pererium in Exodum.*

In hoc loco, mare hoc longum est, sed judicio meo vix latitudo transitus, ad quinque milliaria se extendit.

Non est autem mare rubrum in hac parte, nec fundus rubeus, sed in omnibus assimilatur cæteris maribus: potest tamen esse, quòd in aliqua ejus parte, alibi sit gleba ejus rubea, & ob hoc (*a*) totum illud brachium mare rubrum seu rubeum appellatur.

In littore hujus maris processi per triduum, & circa ipsum in itinere plurimùm delectabiliter; quia refocillabar plus quàm in deserto alio, ventorum dulci refrigerio moderato.

(*a*) *Exod.* 15. *Num.* 33. *Adrich. fol.* 121.

Circa hoc mare invenitur corallus albus in abundantia, in ramis multùm pulcher, sed parùm valet, quia nimis est fragilis: inveni tamen sine ramis, duas vel tres pecias ad modum eboris relucentes.

(*b*) *Elim. Exod.* 15. *Num.* 33. *Tyrius* 11. *bell. sacr.* 29. *Adrich. fol.* 119. *Hic Israëlis mansio sexta.*

Recedens de mari rubro veni ad fontem, qui in scriptura dicitur (*a*) *Marath*, ubi tempore transitus filiorum *Israel* amaræ erant aquæ, quæ in permixtione ligni à *Deo* monstrati *Moysi*, dulces & potabiles sunt effectæ.

Deinde veni in (*b*) *Helym*, locum valdè delectabilem in deserto, ubi sunt 12. fontes, & 70. palmæ, & est una de stationibus Israel, ut in Exodo reperitur.

Post hoc veni in desertum, ubi est mons *Dei* (*c*) *Synai*, seu *Oreb*, quem in hoc deserto finaliter requirebam.

(*c*) *Adrich. in Pharan* 92. *fol.* 124.

In

(*a*) Male omnino scriptor noster. Verum equidem, multos autumasse mare rubrum ita dictum ob colorem aquarum. Indeque somniarunt appellatos Phœnicas, maris rubri primum incolas, a puniceo colore maris rubri, sed ignorarunt illi quemadmodum author noster, Erythræum sive Rubrum mare nomen suum usurpasse ab Erythra Rege, qui Hebræis est Edom; ideoque de colore aquarum vel glebæ alicujus non agitur. Illud convenit tantum mari mortuo sive Asphaltitæ lacui, quem mare rubrum appellavit Hesychius ob bitumen coloris rubei quod inde educebatur. Phœnices quidem narrat Herodotus ex mari Rubro propter motum terræ fugientes mediterranei maris littus appuliisse ibique sedes fixisse proprias. At illud hauserat non ex Phœnicibus, quamquam cum ipsis aliqua esset Tyris consuetudo, sed ex Persis, vix ante Cyrum notis, quique res antiquissimas testimonio suo firmare non poterant. Quidquid sit de Phœniciorum nomine, si qui Phœnices maris rubri littus incoluerunt illi fuere potius Tyriorum Coloni, à maris mediterranei patribus transmissi. Sunt qui per Phœnices ab Herodoto indicatos, Judæos potius intelligant, quos ab illis oris Judæam petiisse neminem latet. BASN.

Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1336.

In pede hujus montis est ille locus sancti Spiritus, ubi Moyses vidit rubum ardentem non consumi flammis, & Deum in rubo loquentem, nostræ salutis ordinem figuraliter convenientius inchoantem.

(a) *A Justiniano Im. constructum ubi* 9000. *descriptorum monachorum corpora sepulta. Vide Wilh. Tyr. 14. bell. sacr. 12. Vitr. c. 56. Exod. 3.*

(a) In hoc loco pulchrum est monasterium satis magnum, plumbo coopertum, & clausstrum Monachorum, benè firmata porta ferrea clausum. Et Monachi *Arabes* & pauci *Græci*, simul numero multi, devotissimè & sanctissimè viventes, *Archiepiscopis* ejusdem loci ac ordinis, & cæteris prælatis suis valdè obedientes, vinum non bibentes, nisi in paucis festis anni, & tunc certa mensura, modicæ quantitatis: pisces rarò comedunt; oleribus, dactylis, leguminibus vitam certis locis & horis simul quietissimè sustentantes; divinum officium secundum ipsorum consuetudinem peragunt, Ecclesiam intrinsecùs mundissimè tenentes, & valdè multis lampadibus ac luminaribus illustrantes.

Ad locum *Rubi* retrò majus altare discalceati intrant peregrini, nosque intrantes discalceari jubent, propter hoc, quod Deus *Moysi* dixit ibidem existenti: Solve calceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, terra sancta est.

Diebus plurimis apud eos fui, & in clausstro loco commodo assignato, me benignissimè pertractaverunt.

In hoc monasterio aqua est, quam percussione virgæ præcepto Dei jussit *Moyses* emanare; aqua est optima, & saniissima ad bibendum.

In hoc monasterio propè altare majus à dextris, in loco aliquantulum eminenti est una capsa marmorea alba, non longa aut alta, in qua caput, & membrorum ossa non ordinatè posita, sed mixtim, de summitate montis *Synai* hûc translata beatissimæ virginis & martyris (a) *Catharinæ* sunt recluса; & vas Prælati dicti monasterii cum instrumentis, cum debita solennitate, devotissimè peregrinis aperiunt, sacras intus jacentes *Reliquias* ostendentes.

*Prælatus* verò major cum instrumento argenteo ad hoc facto, ossa sanctissima fricat, & liquorem exsudantem ab eis divino miraculo, devotè petentibus impertitur, modicæ tamen quantitatis, quia per modum sudoris consuevit liquor sanctus, modicè tamen ex ossibus emanare; qui liquor obdurus aliquantulum existit, & verè meritis *B. Catharinæ* donum *Dei* creditur, quia nec balsami, nec olei, nec alterius humoris naturalis speciem sortitur, quo donum transcendens naturam meritò comprobatur.

In hoc etiam *Monasterio* plures diversæ nobis aliæ *Reliquiæ* sunt ostensæ.

Intra septa hujus monasterii nec *Muscæ*, nec *Pulices*, nec aliæ hujusmodi immunditiæ possunt esse; tamen extra desertum undique molestant plurimùm transeuntes, & non minus utique homines habitantes.

De quò cùm mirabar, & oculis vidissem, quòd hujusmodi animalia importata moriebantur; informatus fui, quòd olim orationibus sanctorum in eodem loco commorantium, qui in tantum hujusmodi animalibus vexabantur, quod etiam locum cogitabant dimittere, à pio Deo impetratum est, ut nullus tali tædio deinceps in dicto loco aggravaretur.

*Monachi* etiam dicti loci, dant de victualibus, quibus ipsimet utuntur, quamdiu in ipsorum monasterio, & iterum pro itinere versus *Syriam*, secundum numerum dietarum, æqualiter omnibus, ita parvo, sicut magno, competit; omninò omne pretium, etiamsi oblatum fuerit, penitùs respuentes.

*Vide Adrich. in Pharan. 92 fol. 124. & 69. fol. 122.*

Super hunc sacrum locum, de quo multa jam dixi, eminet mons *Synai* satis altus, gradibus multis ad ejus summitatem ascenditur, in qua summitate una est capella *Heliæ*, altera *Moysis*, ubi gloria Domini apparuit, legem dedit, & multis miraculis coruscavit.

Foramen etiam in petra durissima ostenditur ibidem, in quo Deus *Moysen* posuit, & dextera sua protexit, cùm ipsum in majestate pertransiret, posteriora sibi ostendens, cùm faciem ipsius nullatenus potuerit intueri.

De hoc & aliis magnalibus Dei in locis his factis, ex libris S. scripturæ quilibet poterit plenius informari.

Figura corporis *Moysis* videtur quodammodo petræ dictæ, tanquam ceræ impressa, cùm tamen adeò sit dura, ut instrumentis ferreis fortissimis, vix mei familiares potuerint aliquid de ipsa ad modum pulveris acquirere.

In cacumine alterius montis multum altioris, valle profunda existente, corpus *B. Catherinæ* ab *Angelis* portatum, & ab hominibus repertum esse dicitur, à monachis & incolis illarum partium, & devotè ob hanc rationem, etiam à Christianis hæc summitas laboriosius visitatur.

In

(a) Catharinam illam Hecaterinam olim, post Baptismum immutato nomine si Baronio fides esset, Dorotheam appellatam, nullam fuisse, fuse probavimus in Historia ecclesiastica a nobis editâ. Ejus Historiam fabulis refertam rejicit nobiscum Valesius, vir cujus autoritas apud eruditos primum valere debet. BASN.

Digitized by Google

In hac ſummitate nulla Capella eſt, aut habitaculum, ſed petris, & (a) talibus tabulis locus inventi corporis eſt ſignatus. SÆC. XIV. ANNO 1336.

Oratio dicit (b) Eccleſiæ, quòd in eodem loco & lex ſit data, & corpus B. Catharinæ ſit ab angelis collocatum.

Dici poteſt, quòd in eodem loco, non numero, ſed ſpecie. Vel cùm divina majeſtas nullo loco determinata ſit, modò de uno, modò de alio montis apice *Moyſi* loqui poterat; & nunc de longè, nunc de propè ipſum de his, de quibus eum ſcire voluit, informare. Et ſic identitas localis non ſumitur, quantum ad legem datam, & *S. Catharinam* ſepultam; ſed quantum ad legem dantem & ſepelientem; cujus auctoritas in ſummitate montis *Synai* eadem ſede non determinata, reſplenduit in utriſque.

De monte igitur *Synai* deſcendens, verſus *Syriam* proceſſi per deſertum in tredecim diebus.

Hoc deſertum totum eſt illud, de quo prius memini, inter *Cairum* & montem *Synai*, *Arabiæ* nominatur, quod latiſſimum eſt, in quo moratur infinita multitudo *Arabum*, qui dicuntur alio nomine *Ridilbim*, (c) in locis ſepoſitis, ubi aquam habere poſſunt, de fontibus, rivulis, aut puteis, ſaltem in modica quantitate, quia magna eſt ibi aquæ penuria, ita ut ad duas dietas, vix poſſit aliquoties reperiri, & ubi uno tempore invenitur, alio exſiccatur. Morantur autem hi homines ſub tentoriis, de filtris & pellibus, & vivunt maximè de Camelis & Capris: non ſerunt, neque metunt, agris carentes; pane non utuntur, niſi portetur aliquoties de *Syria* & *Ægypto*. (d) Bruni homines ſunt, fortes, & veloces; pro armis, ſcutum & lanceam portantes, Camelis ambulantibus inſident, quos *Dromedarios* dicimus; uno die multum itineris valdè, ſi volunt, peragentes. Caput & collum involvunt panno lineo longiſſimo, nec generaliter utuntur arcubus, ut cæteri *Saraceni*; parùm curant *Soldanum*; ipſe tamen Capitaneos eorum trahit ad ſe muneribus, & hujuſmodi; quia, ut dicitur, quando cultores hujus deſerti vellent, & eſſent unanimes, poſſent *Soldanum* ejicere, *Ægyptumque* & *Syriam* de facili occupare.

(a) *æqualibus.*
(b) *Deus qui dediſti legem Moyſi in ſummitate montis Sinai, & in eodem loco per ſanctos angelos tuos corpus B. Catharinæ virg. & mart. tuæ mirabiliter collocaſti, &c.* Can.
(c) *An Rathalalhagá apud Thenetum hùc pertinet? Vide Ortel. theſ. geogr. v. Arabia Petræa.*
(d) Braun.

## *De initio terræ promiſſionis, quod eſt Berſabeë, verſus Arabiam, & locis ſanctis ad civitatem Hieruſalem.* V.

PRocedens inde de *Arabia* veni in *Berſabeë*, terræ *Promiſſionis* initium, verſus *Auſtrum*, quondam fuit villa competens, pulchras habuit Eccleſias, quarum adhuc aliquæ perſeverant, pulcher valdè locus eſt, & delectabilis, atque ſanus. *Vide Adrich. in Simeon 28. fol. 133. & alibi.*

In hac *B. Abraham* diu moratus eſt, altare ædificavit, contemplationi ſtuduit, nomen Domini devotius invocando, vocatuſque à Deo mandatum accepit, ut filium immolaret.

Deinde procedens in media die veni in civitatem (e) *Hebron*, quod aliis nominibus, *Vallis Mambre*, & *Cariatharbe* in Biblia vocatur, ubi *B. David* regnavit, pro tempore, ubi ſepulti ſunt ſanctiſſimi Patriarchæ, (f) *Abraham*, *Iſaac* & *Jacob*; (a) *Sara* quoque, *Rebecca* & *Lya*, in ſpelunca agri duplici, quem emit *Abraham* in ſepulturam, ut in Geneſi reperitur.

In declivio montis hic locus eſt, in quo ſupra monumenta ipſorum Patriarcharum pulchra Eccleſia conſtructa eſt, ad modum caſtri munita, de magnis lapidibus ac politis, quam *Saraceni* in reverentia habent, ob merita parentum ſuorum, quos dicunt fuiſſe prædictos Patriarchas. In eam intrare non permittunt aliquem *Chriſtianum*; quod ſi voluerit, ad oſtium Eccleſiæ poterit adorare.

In hac ſancta valle *Hebron* locus eſt, ubi *Abraham* in oſtio ſui tabernaculi ſedens, in ipſo fervore diei, tres vidit, & unum adoravit, charitate *Dei* inflammatus, & à paſſionum mundialium turbine quietatus, in Deitate *Trinitatis* & unitatis myſterium ineffabile recognoſcens. *Gen. 18. 8.*

In hoc etiam loco ipſe vir ſanctus angelos *Dei* hoſpitio recepit, prandium ipſis acceptabile, prompta devotione mentis præparari juſſit de hœdis; repromiſſionem de veterana conjuge promeruit, quod ſecundum naturæ curſum incredibile videbatur.

Propè hunc locum *Abrahæ* pœna *Sodomorum* revelatur, orationeque rationabili ſalutem *Loth*, & ejus familiæ impetravit.

(e) *De Mambre Adrich. in Juda 145. fol. 49. & de convalle Mambre. fol. 51. 52.*
(f) Gen. 23.

(a) Sunt qui dicant, Kiriath-arbe ſignificare *urbem quatuor virorum*, quia ibi ſepulti ſunt, ut ſcribit Baldenſel, Abraham, Iſaac & Jacob, quibus additur Adam, primus Generis Humani parens. Sed ſubtilis nimis hæc conjectura quam tuetur Adrichomius. Ignoratur Adami ſepultura. Certius eſt ex ſacræ ſcripturæ contextu, Arbat fuiſſe inter Giganteos homines, a quo dicta eſt hæc civitas, ſeptem annis Soano apud Ægyptios celeberrima vetuſtior. Mamre autem fuit Regulus, qui nomen valli dedit. Societatem iniit cum Abrahamo, cum quo adverſus Kederlahomerum feliciter pugnavit. BASN.



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1336.

Deinde in una die veni in civitatem sanctam *Bethlehem*, quæ utique in principibus *Juda* non debet minima reputari. Via media multùm est delectabilis, & aliquantulum nemorosa. In hac beata civitate versus Orientem, ultima ejus parte, diversorium erat, in quo puer natus est nobis de Virgine, & filius *Dei* datus, patris etiam secreta pandens nobis miseris indigentibus, angelus magni consilii destinatur.

Bethleem. *Adrichom. in Juda* 58. *fol.* 41.

In loco nativitatis solis justitiæ *Christi*, *Dei* nostri, ibidem orti, devotissima & pulcherrima Ecclesia constructa est, satis magna, plumbo cooperta, marmoribus & picturis *Genealogiam Christi* exprimentibus, egregiè ordinata.

*Gen.* 18. 8.

Apparet mihi, quod nunquam magis (*a*) generosam Ecclesiam viderim in hoc mundo. Erat benè turribus, muris, ac propugnaculis communita.

In ipsa Ecclesia propè Chorum à dextris descenditur, per paucos gradus, ubi est locus præsepii, artis ministerio, marmoribus, & opere Mosaico pulcherrimè decoratus. In hoc loco hujus præsepii panis Angelorum nobis proponitur, quò magis in virtutibus & in Angelorum quodammodo honoris gratia divina collocati, non immutemus cibum hujusmodi in nostræ carnis substantiam, sed potiùs in ipsum vivaci deifica similitudine transmutemur.

In hoc loco pauperculæ *Virginis Infantulus* à *Magis* adoratur, mysticis muneribus honoratur, stella ductore ostenditur, in mobili, naturæ immobilis demonstratur, ab angelis & pastoribus cœlestibus & humanis præconiis attollitur evidenter.

Ex hac etiam sancta civitate, *David* duxit originem, in qua, & ejus finibus, occisi sunt beatissimi Innocentes, primitiæ Filii, quos *Deo* patri obtulit, postquam in hoc exilio peregrinari voluit, seipso ad patriam ducere peregrinos.

Beatus *Hieronymus* in hoc loco diu moratus est, & tandem defunctus; aliique plures sancti, pro loci reverentia devotissimè sunt conversati.

Est autem *Bethlehem* civitas parvula, quantitate loci, sed non virtute mysterii; oblonga est & stricta, à lateribus suis, profundis vallibus benè naturaliter communita; habitatores ejus sunt communiter *Christiani*, quamvis *Schismatici*, quorum cultui territorium *Bethlehemiticum* boni vini copiam administrat.

NB. *Pro auctoritate authoris.* C.

In felici loco *Nativitatis Christi*, pulchram feci cantari *Missam*, *Puer natus est nobis*, & devotam, per *Sacerdotem*, quem per totum *Sanctum iter* mecum duxi; & potuit in his locis licite celebrare, quia de licentia (*b*) summi Pontificis hæc loca sanctissima visitavi.

De *Bethlehem* processi versus *Hierusalem*; & est via intermedia (*c*) vix quatuor milliarium, (*d*) in qua via à sinistris est monumentum *Rachelis*, matris *Joseph*, sanctissimi Patriarchæ, quæ in partu *Benjamin* moriens, à *Jacob* in via, quæ ducit *Ephrata*, id est, *Bethlehem*, est sepulta, & lapides, quos secundum numerum filiorum Israel, sepulchro suppositi, apparent usque hodiè; quod etiam historia Geneseos attestatur.

Est circa hanc viam locus, ubi pastoribus super gregem vigilias noctis custodientibus, exercitus angelorum apparuit, decantantes in *Salvatoris Nativitatem: Gloria in Excelsis Deo.*

(*e*) Dicitur etiam circa hanc viam esse (*f*) *Cisterna Vetus*, in quam *Joseph* missus est per fratres suos, venditus postea mercatoribus euntibus in Ægyptum.

Et breviter in hac via sunt plura Christianorum monasteria gratiosa.

## VI. *De Civitate sancta Hierusalem, & locis sanctis in ea. Et primò de Templo Domini, & quibusdam aliis.*

Jerusalem. VIsitatis ergò locis prædictis, annuente *Domino*, civitatem sanctam *Hierusalem* intravi, die *Jovis* post *Inventionem S. Crucis.*

Hæc est civitas *Dei* Regis magni, de qua glorioſa dicta sunt, maximè pretiosissima, agni immaculati *Christi* sanguine salutifero præparata.

Est autem *Hierusalem* Metropolis terræ promissionis, in monte sita, juxta illud Psal.

(*a*) Novo inauditoque plane sensu usurpatur hic illa vox; quid enim sibi vult generosa ecclesia? Scripsit forte autor gratiosam. BASN.

(*b*) Sed quid sibi vult hic author cum Licentia summi Pontificis, cùm ejus bullas autoritatemque non suscipiant schismatici Bethlemitici? Vide quæ ipse Baldensel de schismaticis Hierosolymitanis confitetur. BASN.

(*c*) *Sex miliariis ab Hierusalem distare scribit Sev. Sulpitius qui ibi sex mensibus fuit cum S. Hieronymo.* Can.

(*d*) Variant hic Geographi. Hieronymus quidem scribit Bethleem distare a Jerusalem sex milliaribus & esse ex tribu Juda. Alii tamen credunt ex Samuelis c. 10. 2. fuisse Tribus Benjamin; quasi ex sepultura Rachelis, quam hoc in loco terræ mandaverat Jacob, secundum Judæorum Gentiliumque ritus, mortuos circa vias excelsaque loca sepeliendi, ut de mortalitate cogitarent viatores, jus aliquod posteris manaverit. Deinde vero sex milliaria Hieronymi conficiunt duas Leucas. Aliter Justinus Martyr, qui triginta sex stadiis, hoc est, Leuca cum quadrante Bethleem Hierosolymis distare dixit. BASN.

(*e*) *Quinto miliario ab Hierusalem, in loco qui à LXX. vocatur Hippodromus. Temporibus Bredenbachii adhuc adrant isti duodecim lapides. Vide Adrich. in Benjamin.* 101. *fol.* 19. CAN.

(*f*) *Cisterna vetus non procul à Dothain in campo juxta viam, quæ in Ægyptum ducit Broc. itin.* 4. *Breid. it. Adrich. in Zabulon* 36. & 40. *fol.* 138. Can.

Digitized by Google

Pſal. Fundamenta ejus in montibus ſanctis, non parva, vel magna, ſed virtutis me- SÆC.
dium amplectens. XIV.

In ſereniſſimo aëre collocata eſt, rivis & fontibus carens intrinſecus aquam non mi- ANNO
niſtrantibus, artificialiter aquæ ductus ac ciſternæ plures ſunt in civitate, aquam pro 1336.
neceſſitatibus tribuentes. Conducitur autem aqua in *Hieruſalem* de partibus circa *Hebron*, & propè viam euntibus in *Hebron*, ipſe conductus aquæ hujuſmodi ſatis patet. In hac civitate ſanctiſſima, ut de prioribus per ſe, prius incipiam, eſt templum Domini in area ornata *Jebuzæi* ad orientem; non quidem illud, quod *Salomon* conſtruxit, quia hoc penitus dirutum, ſcriptura atteſtante; ſed à Deo in eodem loco reſtauratum eſt, rotundum figura, ſatis longum & latum, in circuitu, nulla ſibi de competenti ſpatio manſione alia propinquante.

Eſt autem ipſum atrium non coopertum, ſubtus autem albo marmore benè ſtratum. *Saraceni* in maxima habentes reverentia mundiſſimum tenent, nudis pedibus intrant, & deoſculantur, genu flexi multotiens, non permittentes aliquem *Chriſtianum* atrium vel templum intrare, dicentes ſuum locum, quem domum Dei ſingularem aſſerunt, non debere à Chriſtianis vel Judæis, quos canes & infideles reputant, maculari.

Sanè in hoc loco templi, plurima ſingularia & mirifica *Dei* opera facta ſunt, ſcripturâ tàm veteris, quàm novi Teſtamenti, teſtante; quæ per ſingula tangere, longum eſſet.

In hoc loco Dei Sacerdos *Melchiſedech* creditur panem & vinum *Deo* myſticè primitus obtuliſſe.

Dicitur etiam hic locus *Abrahæ* oſtenſus, ut filium immolaret, quo vero, præcepto angeli, illæſo permanente *Iſaac*, arietem hærentem cornibus in vepribus, *Abraham* loco filii immolavit.

Dicitur etiam hic locus eſſe, ubi *B. Patriarcha Jacob* vidit ſcalam erectam cacumine cœlum tangentem, & angelos Dei aſcendentes, & deſcendentes, hujus loci ſanctitatem inculcantes.

In hoc etiam loco vidit *David* angelum cædentem populum, impoſuiſſe cruentatum gladium in vaginam.

In hoc etiam loco *Salomon Deo* amabilis, orationem devotam & loco convenientem ad *Deum* emiſit, ac ipſum cum Sacerdotibus & miniſtris præcelſa ſolennitate, inſtinctu Dei attentiſſimè dedicavit.

In hoc etiam loco *B. Virgo* ante deſponſationem ejus dicitur Deo fuiſſe oblata à parentibus, ut templi pannos abluendo, rupta conſuendo, acu ornando, & hujuſmodi muliebria officia ac virginalia diligentius exhiberet.

In hoc loco *Mater Virgo* poſtmodum *Deo* patri ſuum filium primogenitum præſentavit, ſecundum legis præceptum pro eo Domino redemptionem primogeniti maſculi offerendo; ubi etiam *B. Symeon Chriſtum* in ulnas recipiens, & *B. Anna* Prophetiſſa *Salvatorem* mundi veniſſe, clara voce, ſancto inſtigante ſpiritu, promulgavit.

Ex hoc loco *Chriſtus* vendentes & ementes ejecit.

In hoc loco ſæpius docuit, puerulus diſputavit, quærentibus dulcem reſponſionem retulit, multa mirabilia fecit, locum plurimum commendavit, quæ ſacris Evangeliis lucidiùs continentur.

Supra pinnaculum hujus templi Dei filius miſſus eſt, & tentatorem Dei clara voce animo virili repulit, & ut decuit, tanquam Dominus omnium potitus eſt ſacro miniſterio angelorum.

Juxta hoc templum *Jacobus Minor*, qui & *Frater Domini* dicitur, perticâ fullonis excerebratus, felix martyrium conſummavit.

Juxta hoc templum à ſiniſtris eſt illa vetus *Porta Aurea*, & civitas, & atrii templi, de qua Scriptura facit commendabilem mentionem.

Propè Templum à dextris, eſt Eccleſia oblongo plumbo cooperta, quæ Scola Salomonis vulgariter dicitur.

Quidam dicunt ibi fuiſſe quoddam habitaculum & pretioſum porticum *Salmonis*.

Non longè verſus Septentrionem eſt illa *Probatica Piſcina* curatorum debilium, ſecundum Evangelium motu angeli deſcendentis. Et Eccleſia *B. Annæ*, aviæ Chriſti, ſatis pulchra, eidem piſcinæ eſt contigua, ubi *B. Virgo* concepta & nata fuiſſe dicitur, ſepulturaque *Joachim* & *B. Annæ* parentem ejus, in quadam crypta ſubterranea, oſtenditur, & non longè eſt Eccleſia ubi Chriſtus invitatus cum Phariſæo diſcubuit, illaque peccatrix mulier beatiſſima *Magdalena*, inverecundè verecunda ad convivium intrans, pedes Domini lachrymis lavit, capillis terſit, & remiſſionem peccatorum meruit obtinere.

Eſt etiam *Hieroſolymis* locus, ubi Chriſtus flagellatur, conſpuitur, & colaphizatur, illuditur, comprehenditur, ſpinis coronatur, crucis arbore oneratur, & paſſiones pro nobis innumeras ſuſtinet, ipſe impaſſibilis patienter.



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1336.

De Templo Domini versus Meridiem est ille benedictus mons *Sion*, intra civitatem *Hierusalem*, cujus portæ super omnia tabernacula Jacob à Domino diliguntur. Qui quidem mons parùm altior est cætero situ civitatis, de civitate ad ipsum ascendentibus; verùm ab extrinseco profundis vallibus communitus. Est tamen fortior locus urbis, civitas David à scripturis sæpius nominatus, in quo cæteri Reges Hierusalem postmodum habitabant, in quo David & Salomon plurimique Prophetarum ac Regum Hierusalem, corpora requiescunt.

In pede hujus montis versus civitatem *Soldanus* castrum fecit, & à deputato Castellano & servientibus custoditur.

Breviter, in hoc monte sanctissimo frequentatione Christi & benedictæ matris ejus ac discipulorum plura loca sanctificata sunt, præcipueque in certo loco hujus montis filius Dei Pascha cum discipulis suis celebrat, sanctissimum corpus & sanguinem consecrans, discipulis tribuit, novum Testamentum instituit, proditorem sententiando.

Dilectissimus ille discipulus supra pectus Magistri discubuit, ubi secretorum cœlestium hausit sententias. Postmodum credentibus fideliter & cautissimè, secundum salutis nostræ exigentiam detegendas.

In hoc monte humilis magister & Dominus pedes discipulorum lavit, linteo præcinctus tersit, exemplo salutifero nos docuit, sermonem Dominicum fecit in charitate, fundamentum, & consummationem fidei solidavit.

In hoc monte post mortem *Christi*, discipuli cum matre *Jesu* in orationibus devotissimè persistebant.

In hoc monte post *Resurrectionem Christus* discipulis apparuit, clausis januis, & *Thomæ* se palpabilem præbuit, non credenti.

In hoc etiam monte, die *Pentecostes Spiritus Sanctus* in discipulos venit, linguis igneis dispartitis in ipsos inauditorum operum dona distribuens charismatum divinorum.

In hoc monte post Christi ascensionem beatissima *Dei Genitrix* morata est, & tandem ibidem decedens, in thorale solium cœleste à filio est assumpta.

Item in monte *Sion* lapis ille magnus ostenditur, qui advolutus erat ad ostium monumenti.

In monte etiam *Sion Jacobus Major* decollatur, ubi pulchra est Ecclesia *Armenorum*; & hæc sola Ecclesia est notabilis, ad fidem *Romanæ Ecclesiæ* spectans, cùm tamen *Hierosolymis* sint multæ Ecclesiæ Christianorum schismaticorum, *Summo Pontifici* non obedientium: & inter se diversis hæresibus, & schismate sunt divisi.

Sectæ multæ sunt Christianorum undique in his ultramarinis partibus, ritibus & diversis nominibus discrepantes. Sunt enim ibi *Græci*, *Syriani*, *Nestorini*, (a) *Jacobitæ Christiani*, *Decentuani*, *Nubiani*, *Æthiopes*, *Indi*, *Presbyteri Joannis* fidem tenentes, & *Georgiani*, quorum fidem modumque vivendi ac errores describere, longum esset.

(a) L. Nestoriani, qui ibi frequentes sunt. B.

Cæterùm pauca, quæ in *Hierusalem* & Terra Sancta, ab initio usque nunc, Dei dispensante providentia, facta sunt, & ostensa, plus tamen notabilia, ob legentium devotionem hîc narro. Singula verò magnalia *Dei* qui scire voluerit, convenit, ut latas S. historiæ paginas perscrutetur.

## VII. *De Monte Calvariæ, & sepulchro Christi, ac Ecclesia sepulchri.*

LOcis inde prædictis in Hierusalem lustratis; restat ut de monte *Calvariæ*, & *Sepulchro Christi* finaliter prosequar, quæ in hac civitate finaliter requirebamus.

Sunt igitur prædicta loca intra civitatem *Hierusalem*, quamvis tempore *Crucifixionis* extra civitatem essent; quia post *Hierosolymæ* eversionem per *Titum Vespasianum* factam, in resurrectione ejus postmodum per *Ælium Adrianum* loca *Crucifixionis* & sepulchri intra civitatem inclusa sunt, in urbe ad Septentrionalem plagam quodammodo dilatata.

Super hæc loca à *Christianis* pulchra fabricata est Ecclesia, figura rotunda, choro versus Orientem in longum, figura addita circulari, quæ devotissima Ecclesia plumbo cooperta ad Occidentem de sectis lapidibus pulcherrimam turrim habet; in summitate verò, ipsa Ecclesia versus cœlum cooperta est circulo magno patulo existente, cœlestis luminis clariùs receptivo.

Sub hoc circulo, in medio scilicet Ecclesiæ, parvula domuncula est, in quam propter portæ demissionem, versus Orientem intrare oportet corpore incurvato: suprà verò testudinata est ad modum semicirculi, opere Mosaico, auro & marmoribus decornata nullam habens fenestram, candelis lampade illustrata.

In hujus domunculæ parte dextra locus est *Dominicæ Sepulturæ*, attingens extremitates prædictæ casæ in longum, scilicet ab Oriente versus Occidentem, cujus longitudo novem communium palmarum est, latitudo verò tàm monumenti, quàm spacii

Digitized by Google

cii cæteri ipsius domunculæ, residuum in latitudine circa sex palmas communes utrobique se extendit; circa 12. palmas potest esse altitudo domunculæ supradictæ. SÆC. XIV.

Illud verò advertendum est, quod monumentum (a) illi sanctissimo loco superpositum, non est illud, in quo corpus Christi sacratissimum exanime primitùs est immissum; quia sacro attestante eloquio, monumentum Christi erat excisum in petra viva, scilicet, quomodo antiquorum monumenta, & præcipuè in his partibus fieri communiter consueverunt; illud verò ex petris pluribus est compositum, de novo conglutinato cæmento, minus artificialiter, & minus quàm deceat, ordinatè. ANNO 1336.

Locus etiam ipse monumenti *Christi*, fuit per infideles longo tempore possessus ante tempora *Latinorum*, & prophanatus, qui nihil in ipso dimiserunt, quod devotionem fidelium posset de hujusmodi provocare.

Quando etiam *Hierusalem* capta est ultimò à *Saracenis*, per certa pacta & tractatus civitatem sanctam dimiserunt, & assultu capta non fuit; nec verisimile est, posito, quòd in loco sepulchri aliquid fuisset de vero monumento, Christiani dimisissent aliquid ibidem ab infidelibus conculcandum, cùm etiam nunc fideles studeant eadem loca visitantes, de petris & terra, quantum possunt, portare, & si possent, utique totam asportarent, vestigiis Christi consecratam.

Veruntamen quicquid sit de hoc, ipse locus sepulchri Christi formaliter moveri non potest, sed remansit, & remanebit immobilis in æternum.

In quo loco sacratissimum corpus *Christi de Cruce* levatum, per *Joseph ab Arimathia* missum, mulieres & *Apostoli*, & constantiùs prima peccatrix diligentissima, quod vivum dilexerant, mortuum diligentes, hunc locum devotissimè visitarunt.

(b) Cœlestes cives illuc sunt infideles credentes fideles dulci alloquio (a) consolatos. (b)

(a) *visi.* CAN.

Hic locus est omni devotione meritò reverendus, ubi corpus Christi sacratissimum inter iniquos est crudeliter deputatum, anima reassumpta immortalitatis primitiis gloriam.....

(b) Obscura periodus, quæ deleri posset, vel saltem legere debemus, consolati. B.

Sæpè dictæ domunculæ parte sinistra contra sepulchrum eminet extra cæteros lapides, lapis quidam albi coloris, grossus, ad modum capitis hominis, benè ad septem palmas à terra elevatus, quem Christianos illarum partium præ cæteris vidi devotiùs osculari, de quo cùm mirarer, & quare hoc esset, sollicitè interrogarem; per authenticas personas per interpretem ibidem responsum est, quòd ille lapis sit de vero *Monumento Christi*, qui à *Christianis* ibidem positus est, ut peregrini advenientes possint ipsum tangere, & videre, ut ad devotionem ampliùs excitentur.

Supra *Sepulchrum Christi*, pulchram feci de *Resurrectione Domini Missam* celebrari; & aliqui de meis sociis *Corpus Christi* devotè susceperunt.

Post *Missam* feci duos *Milites Nobiles* supra *Sepulchrum*, *gladios accingendo*, & alia observando, quæ in professione *Militaris Ordinis* fieri consueverunt; quia (c) adjuratus in *Hierusalem* mihi *Clavem* dedit ad *Domum Sepulchri*, neminemque intra Ecclesiam sepulchri ire permisit, nisi quem nominatim expressi, & intrare volui, ut quietius possem devotioni vacare, & ea facere in Ecclesia, quæ mihi ad honorem *Dei* videbantur expedire; & in his, & aliis se mihi idem *Capitaneus* gratiosum in omnibus exhibebat.

NB. *Pro auctoritate auctoris.*

(c) *Admiralis.*

Circa locum *Sepulchri* in eadem Ecclesia, ubi tunc *Hortus* erat, post *Resurrectionem Mariæ Magdalenæ* apparuit Christus in specie hortulani, & se resurrexisse, per eam discipulis annunciat: sed sicut illo tempore hujus loci custodes infideles velut mortui sunt effecti: sic (heu) hodiè, *Deo* permittente, custodes tàm sacri loci sunt infideles, & virtute mortui, *Saraceni*.

In eadem Ecclesia versus Orientem de sepulchro ad manum dextram, propè Chorum Ecclesiæ est ille locus, ad quem ascenditur per gradus non multos, qui parùm altus est, omni memoria & laude dignissimus, scilicet *Golgotha Calvariæ* monticulus, de una petra albi coloris, rubeo quodammodò immixto, naturaliter elevatus, ubi dilectus fidelis animæ candidus & rubicundus, electus ex millibus, cujus colorem etiam ipse locus visibiliter, & fortè non casu refert, pro salute humani generis, patri cœlesti obediens filius, acceptabilis hostia immolatur. Cujus hostiæ figuram prætulit agnus Paschalis, & cætera cuncta holocausta, sacrificia, libamina legalia, sacro velamine circundata, unde & in ejus morte velum templi scissum est; ad designandum, quòd sacrificiorum figura cessante, illuxit veritas *Dei* filii crucis patibulo immolati; & usque in finem seculi in altaris Sacramento mirabili, quotidiè immolandi.



(a) Aliter omnino Bartholomeus a Saligniaco, quamquam Scriptore nostro multo recentior, utpote qui anno 1525. Itinerarium suum Terræ Sanctæ publici juris fecerit. Is autem sepulchrum montemque Calvarium perlustrans omnia singulatim ad passionem Christi sepulchrumque pertinentia, ne excepto quidem foramine crucis, vel lapidibus, in quibus Magdalena & Christus sedentes colloquebantur, observavit. Hunc legere possis. Vide etiam Willibaldi Hodœporicon ad an. 765. hîc editum. BASN.

(b) Locus hic forte ita restituatur: *Cœlestes cives illic illuxerunt*, (*illucescunt*), *infideles torrentes*, *fideles dulci alloquio consolantes*.

Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1336.

Et quis homo hunc locum videre poterit sine lachrymis, tremore cordis, alta consolatoria compassione mentis? ubi impassibilis patitur, vita moritur, & supersubstantialis communicativa bonitas pro nobis peccatoribus, cum impiis deputatur.

In hoc loco latroni serò pœnitenti culpæ dimittitur, mater discipulo commendatur, & discipulus pro filio, matri, miserabili concambio, subsituitur, Christus denudatur, crucifigitur, clavatur, lanceatur, & tandem sitiens, & altè vociferans spiritum pretiosissimum emittendo naturæ mortalis debito misericordissimè satisfecit.

In hoc loco feci celebrari *Officium* de die *Parasceves*, & quidam ex nostris de gra-
NB. tia *Dei*, devotionis cumulis ibidem sunt dulcissimè permolliti.

Sub sacratissimo monte *Calvariæ* in eadem Ecclesia locus est, ubi *S. Helena*, *Constantini* mater, *Lignum Dominicæ Crucis* invenit, sub terra diutiùs occultatum.

Circa hunc locum sunt quædam columnæ marmoreæ aquam continuè distillantes; & simplices dicunt, quòd plangant & defleant mortem Christi; quod verum non est: quia ubi natura sufficit, non est ad miraculum concurrendum. Est autem certa species lapidis in genere marmorum, quæ *Enidios* appellatur, cujus natura per magistros mineralia conscribentes, talis asseritur, quòd ex frigidissima naturali ejus complexione aërem circumstantem ingrossando transmutat in aquam: in habentibus enim similitudinem facilis est transitus aquæ in aërem, subtilisando, & aërem in aquam inspissando, quò fit, ut aërem, aquam factum, & petræ circumpositum, necesse sit naturaliter distillare.

NB. Unde in *Constantinopoli*, in veteri palatio Imperiali, sub terra quasdam conchas marmoreas vidi de simili lapide, quæ plenæ existentes aqua, evacuabantur aliquoties, & revoluto anno sine omni humano studio, plenæ inveniuntur aqua, ita ut undique effluant; quod à vulgaribus maximum miraculum reputatur. Sed ego, hoc videns, naturam lapidis consideravi, circumstantiam loci adverti, admirato domino Imperatori causam naturalem exposui, cui plurimùm placuit, & me ex tunc in singularem amorem & honoris gratitudinem recollegit.

In hac sancta Ecclesia sepulchri morientes peccato, crucifigamur mundo, resurgamusque virtute cum *Christo*, ut ab ipso assumi in cohæredes æternæ gloriæ mereamur.

Et sciendum, quòd civitas *Hierusalem* versus Septentrionem & sepulchrum Christi, minorem habet fortitudinem, & planitiem competentem, muris tamen, propugnaculis & fossatis posset commodè defensari. Ab Oriente verò valle *Josaphat*, & meridie ac Occidente aliis coadiacentibus vallibus continuis & contiguis profundis est plurimum naturaliter communita. Distat autem à mari Mediterraneo ipsa sancta civitas per unam dietam communem cum dimidia, magis propinquum habens portum *Joppensem*, de quo feci in præcedentibus mentionem.

## VIII. *De Locis sanctis in circuitu Hierusalem, & locis sanctis usque ad fluvium Jordanis.*

CIvitate sancta *Hierusalem* diligentiùs perlustrata, processi versus Occidentem ad montana *Judææ* circa quinque milliaria ad locum, ubi *B. Virgo* post conceptionem *Salvatoris* nostri, cognatæ suæ *Elizabeth* ad 6. menses gravidæ de præcursore Domini, occurrit congratulans, salutationem dulcissimam emittendo, qua *Joannes* divinitùs excitato materno utero, gesticulis infantilibus exultando, virginalem conceptum *Dei* filium nunciat, matresque utræque hinc inde devotione humili *Dei* præconia intulerunt; hæc *Dei* genitricem; illa verò præcelsa genitrix verbis apertissimis *Dei* magnificans salutare.

In hoc loco est competens Ecclesia, ubi *Sepulchrum Præcursoris Domini* ostenditur.

Ac propè à sinistris est castellum *Emaus* apparitione Domini consecratum.

Propè est locus ubi arbor vivificæ Crucis venisse dicitur, pulchrâ Ecclesiâ signatus, & competenti clausiro, ubi religiosi Christiani, *Georgiani* nomine, schismatici commorantur.

De hoc loco redii non multum de *Hierusalem* ad sepulchra plurimorum *Prophetarum*, me quodam benè literato *Judæo Teytonico* ducente. Quæ sepulchra *Judæi* consueverunt visitare.

Et procedens redii pertransiens iterum *Civitatem Sanctam*, exiensque de porta ejus *Bariola* supra *Vallem Josaphat*, veni ad locum, ubi *S. Protomartyr Stephanus* lapidatur, & à *Saulo* vestes lapidantium conservantur. Ibi *B. Stephanus Christum* à dextris *Dei* cernit, qui pro lapidantibus orando, spiritum moriens Christo commisit.

Inde descendi ad vallem sanctissimam *Josaphat*, supra quam situata est civitas sancta sine medio, in qua torrens *Cedron*, quondam fluxit suis temporibus, ex aquis pluvialibus coaccrescens: juxta quem in pede montis *Oliveti* erat hortus, quem *Dei* filius intrare consuetus fuerat. Postquam à discipulo traditus est: ibidem à traditore improbè

Digitized by Google

bè oſculatur, capitur & ligatur, auricula *Malcho* amputatur, & ſanatur; tanquam ovis ad victimam innocens ducitur, diſcipulique electi fugiunt, beneficiorum *Dei* immemores, illumque ſolum relinquunt, qui ſi ipſos mundumque relinqueret, pariter in nihilum deciderent, nec in ſe poſſent perſiſtere ad momentum. SÆC. XIV. ANNO 1336.

In hujus vallis principio à ſiniſtris eſt Eccleſia beatiſſimæ *Virginis*, in quam deſcenditur per plures gradus lapideos, quia pro majori parte ſub terra eſt: quod credo etiam ruinis civitatis *Hieruſalem* vallem replentibus accidiſſe.

Hæc Eccleſia non pulchra, ſed devota eſt, cujus medio in parvo tugurio *Sepulchrum Matris Dei* oſtenditur, (*a*) in quo ab *Apoſtolis* aſſeritur tumulata. NB.

Supra ſepulchrum ejus pulchram feci celebrari *Miſſam De Aſſumptione* ipſius *Virginis Glorioſæ.*

Hic locus omni devotione reverendiſſimus fidelium animis attollitur, ubi templum *Dei*, ſacrarium ſpiritus ſancti, monſque ſolemniſſimus, de quo exciſus eſt lapis angularis, ſine manibus ponitur, recipitur, &, quamvis pauco tempore, continetur. Non enim diu corpus illud ſanctiſſimæ Virginis ibi dimiſſum eſt, ſed ſtatim anima reaſſumpta, reſurrectionis & immortalitatis dotibus, æterniſque præmiis gloriatur.

Propè hanc Eccleſiam ſub (*b*) rupe locus eſt, ubi Dei filius proſtratus in terram, ſudore ſanguineo decurrente, acerbitatem mortis, humana conditione, quam Dei verbo unita prænoverat, naturaliter abhorrente, quò manifeſtè edocuit, ſe naturam noſtram veram, ſine culpa tamen humanibus paſſionibus ſubditam, in omnibus aſſumpſiſſe.

In hac etiam valle, in pede montis, ſuper quem ſancta civitas conſtituta eſt, ſub terra quodammodo ſunt *Natatoria Siloe*, fons ſcilicet Chriſti Evangelio non ignotus.

Ex oppoſito ejus ſtatua quædam lapidea bonæ magnitudinis, & artificioſa cernitur, quam, ut dicitur, *Abſalon*, ob memoriam ſui, fieri præcepit, & in l. Regum *manus Abſalon* appellatur.

Super vallem *Joſaphat* verſus Meridiem eſt ager ille *Aceldema* in ſepulturam peregrinorum; pretio Chriſti ſanguinis comparatus, ubi multorum corpora ſanctorum requieſcunt, ſub quo in petris exciſa ſunt multorum Chriſtianorum habitacula, & oratoria gratioſa.

In hac S. valle *Joſaphat Chriſtus* ad judicium venturus creditur, poſt finalem reſurrectionem corporum, auctoritate judiciaria, unicuique ſecundum opera, quæ egit, mercedem propriam redditurus.

In prædicta etiam valle locus oſtenditur, ubi *Petrus* verè pœnitens amarè flevit, de eo, quod noviſſe ſe, denegaverat *Salvatorem.*

Propè etiam locus oſtenditur, ubi ille miſerrimus *Traditor* impœnitens pœnitend, miſericordiæ infinitæ, tanquam alter *Cain*, horribiliter deſperatione, obſtruxit oſtium, laqueo mortis ſe ſuſpendens, ſeipſum vita corporis & animæ nequiter ſpoliavit.

His viſis, conſcendi ad *Montem Sanctum Oliveti*, ab olivis nomen habentem. Nam olivæ in ipſo & circa ipſum plures ſunt.

Inter ipſum montem & civitatem ſanctam ſolum intereſt vallis *Joſaphat*. Et quia prædictus mons altior eſt, quàm civitas, & mons *Sion*, & vallis etiam intermedia non eſt multùm lata, de ipſo monte civitas intrinſecus in magna parte poteſt proſpici & templum, quod à turri de ipſo quilibet poterit clariùs intueri.

Mons iſte præclarus ad Orientem ex oppoſito civitatis, & templi, eſt pulcherrimè ſituatus, in quo *Dominus* cœlis aſcendit, diſcipulos ad evangelizandum miſit, baptizandi formam dedit, credentibus æternæ ſalutis præmium repromiſit, ſuis finaliter benedixit, viſione Angelica confortavit: de ſecundo ejus adventu judiciario certos fecit. Hunc etiam montem Dei filius antè hæc opera, cum diſcipulis frequentius viſitavit.

In monte *Oliveti Veſtigia* quædam apparent in petra, quæ ſunt, ut dicitur, *Domini* aſcendentis; in quo loco pulchra fuit Eccleſia, ſed (heu) nunc plurimùm diſſipata.

Propè eſt *Betphage*, unde Dominus diſcipulos in civitatem miſit, ut aſinam & pullum adducerent, quibus, ut Deus magnificè receptus à populo, Evangelica hiſtoria memoratur.

Poſthæc veni in *Bethaniam*, in clivo montis *Oliveti*, verſus Orientem ſitam, domum *Marthæ* & *Lazari* fratris ejus.

Hic fuit ſingulare hoſpitium *Domini* uſitatum, ubi *Chriſto* felix *Martha* ſolicitè miniſtrabat, *Maria Magdalena* pedes Domini non relinquens, divinitatis myſteria dulcius hauriebat.

Hic

(*a*) Willibaldus in Hodœporico aſſerit, Mariæ corpus raptum ab Angelis, dum Apoſtoli illud ſepelirent, tumulumque ejus tantum ob memoriam virginis ſervari, cenotaphium, ſcilicet, eſſe. BASN.

(*b*) Hieronymus ſic habet: Getſemane locus, ubi ſalvator oravit ante paſſionem, eſt autem ad radices montis oliveti nunc eccleſia ſuper ædificata. BASN.

Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1336. Hic dulce Dominus, pietatis fons, lachrymatus est, misericordiæ rivulum necessitatis tempore non obstruens, sed devotè pœnitentibus ipsum distribuit copiosè. Hic quatriduanus *Lazarus* mortuus resuscitatur, futura resurrectione, tàm facti evidentia, quàm *Marthæ* confessione, lucida visione comprobatur.

De hoc sancto loco parva dieta est ad *Jordanem*, deserto quodam montoso medio existente, quo semivivus relictus à latronibus, *Samaritani* misericordia relevatur.

In fine hujus deserti mons altus est, in quo 40. diebus & 40. noctibus *Dominus* dicitur jejunasse, & illuc ductus à *Spiritu Sancto*, ut à dæmone tentaretur; cujus tentationem ibidem auctoritate divina, virili animo superavit.

In altitudine hujus montis fuit Ecclesia, & circa medium ejus excisum eremitorium valde gratum, *Georgiani Christiani* tenent *Schismatici*, qui me receperunt plurimùm gratiosè.

Infra hunc montem versus planitiem *Jordanis*, est hortus & fons pulcherrimus atque magnus, circa quem *B. Abraham* de *Chaldæa* præcepto Dei veniens, aliquandiu dicitur habitasse; ubi & altare ædificavit, nomenque Domini invocavit. Unde hodiè *Hortus Abrahæ* nuncupatur.

Posthæc veni in *Hiericho*, quæ in ipsa valle *Jordanis* sita est, & nunc casale est, olim fuit fortis civitas & amœna, quam *Josue Dei* famulus miraculosè cepit.

Inter omnes civitates terræ promissionis primò funditus præcepto Domini ipsam destruxit, ac renovantem fundamenta, in perpetuum maledixit.

De hac tamen civitate sola *Raab* meretrix, quæ nuncios receperat, & occultaverat, incolumis cum sua progenie conservatur.

Propè hunc locum à dextris, vix ad tria milliaria, est *Mare Mortuum*, circa 40. milliaria in circuitu habens, fœtens & horridum, locus detestabilis, & abjectus, vindictæ *Dei* manifestum indicium, in cujus loco *Sodoma* & *Gomorra* cum aliis duabus civitatibus naturaliter delinquentes, supernaturali acerrimè cœlesti caumate sunt submersæ.

Ad quem locum cùm ire proponeremus, *Saracenus* interpres mihi dixit: Pro locis, quibus Deus benedixit, peregrinus venisti: non debes ad loca accedere, quæ maledictionem Domini promeruerunt. Quo verbo ædificatus, & rationabiliter retractatus, directum iter ad *Jordanis* fluvium prosequebar.

Circa mare mortuum à dextris versus montes Israel, uxor *Loth* contra mandatum Dei respiciens miraculosè in statuam salis versa est; utrum aliquid de ipsa manserit, pro certò non potui informari.

Et propè est civitas parvula, *Segor*, quæ oratione *Loth* salvata est, cui mons supereminet, in quo cum filiabus incestum egit *Loth*, quæ de patre inebriato per eas, concipientes, *Moab* & *Ammon* filios genuerunt.

Quæ patria, *Idumæa*, sive mons *Seir*, seu *Edom* dicitur in scripturis.

1. Reg. 25. *Cadesbarne* quoque ad *Austrum* contra *Mare Rubrum* situata est; infra quam *Carmelus* est, in quo *Nabal* in deserti confinibus habitabat.

Ultra *Mare Mortuum* versus Orientem, extra fines terræ promissionis, est castrum fortissimum in montanis, quod Latinè *Mons Regalis* dicitur, in *Arabico* autem *Trackh*, olim fuit *Christianorum*, nunc verò est *Soldani*, ad quod in periculis confugit, thesaurumque, ac prolem ibidem aliquoties conservari,.... quia munitissimus locus est totius *Syriæ* & *Soldani* dominii.

(a) locus vitiosus. CAN. In hac parte dicitur, quòd sub castro in villa, quæ Solackh dicitur, (a) in terminis est Christianorum schismaticorum, circa 40. milliaria commoretur de illis partibus mundi.

## IX. *De fluvio Jordanis, & locis sanctis, quæ sunt in itinere versus Galilæam, & in Galilæa de mari Tiberiadis.*

PRædictis inde locis diligentiùs visitatis, ad sacrum *Jordanis* fluvium perveni, in quo more solito balneatus sum cum cæteris peregrinis.

Hic fluvius non est magnus, nec multùm profundus, limosum fundum habens, & bonos pisces, dulcis saporis aquam continens.

Versus septentrionem circa quatuor dietas de hoc loco in radice montis *Libani*, scaturiens ex duobus fontibus *Jor* & *Dan*, collectus-re & nomine trahit originem, propè per locum, ubi *Christiani* communiter balneantur, in *Mare Mortuum* prædictum dilabitur, & non apparens ulterius, inibi absorbetur.

Ach, quòd tàm sacer fluvius & delectabilis, tàm detestabili lacui admiscetur!

In hoc sanctissimo fluvio Dei filius ab altissimo præcursore baptizatur, vox Dei Patris auditur, Spiritus sanctus in specie columbæ descendens cernitur, lavacrum regenerationis efficitur, undis naturalibus supernaturale Dei donum ad ablutionem peccaminum erogatur.

Hunc

Digitized by Google

Hunc fluvium ſicco veſtigio filii *Iſrael* tranſierunt, 12. lapides de ipſius fundo ſecundum numerum duodecim tribuum aſſumentes, & totidem aliundè ſumptos in ejus medium deponentes, in memoriam miraculi perpetuò recordandi. Sæc. XIV. Anno 1336.

Undâ hujus fluvii *Naaman Syrus* à lepra curatur. Et breviter, pluribus præmiis hic fluvius divinitùs inſignitur. Circa quem beatiſſimus *Joannes Baptiſta* moratus eſt, & baptiſmum pœnitentiæ prædicavit, diſcipulos collegit, *Chriſtum* indice demonſtravit; agnum Dei, peccata mundi tollentem, aſſeruit, & veraci teſtimonio comprobavit.

Circa hunc fluvium plurima *Monaſteria* ſunt, ſcilicet *B. Joannis*, & alia devota, ubi *Chriſtianis*, *Schiſmatici* tamen, vitam ducunt.

Et propè eſt civitas *Hai*, per *Joſue* expugnata.

In his partibus plures ſunt leones ſilvatici, aliquoties in pecoribus & jumentis damna habitantibus inferentes.

De his locis proceſſi verſus provinciam *Galilææ* per mediam *Judæam* & *Samariam* in tribus diebus. Et primò in hoc itinere dimittens *Civitatem Sanctam* à ſiniſtris, perveni in *Ramatham Sophim*, in montem *Ephraim* altum, ubi *Helcana* & *B. Anna Samuelis* mater, commorati ſunt; ibidemque ſanctus Propheta natus & defunctus.

Et ſciendum, quòd in hac media peregrinatione non ſemper ſecutus ſum publicas vias & vulgares; ſed pro viſitandis *S. Locis*, hinc inde voluntariè multotiens devians.

Sic igitur procedens ulterius veni in *Sylo*, locum ſanctum atque amœnum, ubi *Arca Dei* ſub *Heli* ſacerdote longo tempore ſervabatur, ſicut aſtruit liber Regum.

Hîc vota & ſacrificia populi Domino reddebant. *Samueli* primò Deus hîc locutus eſt, & ſibi inter cætera de mutatione ſacerdotii intimavit, & revelavit.

Propè à ſiniſtris eſt *Gabaon*, & ex oppoſito *Gabaa*, de propinquo *Rama Benjamin*, quorum locorum ſacra hiſtoria recordatur.

Inde procedens veni in *Sichem*, vel *Sichar*, ubi eſt provincia *Samaritanorum*. Vallis eſt pulcherrima, ac fœcunda, civitaſque bona, quæ nunc *Nicopolis* appellatur; juxta quam circa viam verſus *Judæam*, *Dominus* cum muliere *Samaritana*, propè puteum loquebatur; qui adhuc ibidem oſtenditur, ſed aliquantulum obſtructus eſt; ſupra quem locum olim pulchra erat Eccleſia, nunc plurimùm diſſipata.

Non longè eſt ſepulchrum beatiſſimi *Joſeph* Patriarchæ, cujus oſſa de *Ægypto* ſunt ad ipſius præceptum à filiis *Iſraël* tranſportata. Hunc locum *Judæi* plurimum reverentur.

In prædicta civitate *Dina*, filia *Jacob*, rapta eſt; ſed crudelis vindicta urbis habitatoribus à duobus Jacob filiis poſtmodum eſt illata.

In hac provincia *Samariæ*, eſt quædam ſingularis ſecta hominum, qui *Samaritani* ſpecialiter nominantur. Hi nec legem *Chriſtianorum*, aut *Judæorum*, aut *Saracenorum*, ſed nec *Paganorum* ſectantur. Sed unum Deum dicentes, opiniones, ritus colendi, ac modos vivendi mirabiles tenent, ſe ſolos reputantes de numero ſalvandorum, & etiam in habitu ab aliis diſtinguuntur; quia tamen in his partibus habitantes generaliter involvunt capita linteis longiſſimis, *Chriſtiani* quidem flavis, *Saraceni* albis, *Judæi* glaucis; horum capita rubeis involvuntur: qui ſe dicunt Dei dilectiſſimos inter omnes.

De *Sichem* inde proceſſi verſus *Samariam*, quondam famoſam civitatem, caput hujus provinciæ, quæ eſt *Samaria*, ab hac nominatur civitate, nunc *Sebaſte* dicitur, & multum aſſimilatur civitati ſanctæ in ſitu.

In hac fuit caput & ſedes regni decem tribuum, poſtquam ſub filio *Salomonis*, ſe à tribu Juda & Benjamin diviſerunt; ſucceſſores quidem ſecundum ſanguinem *David*, regnantes in *Hieruſalem*; Reges *Juda*: regnantes verò in *Samaria*, per 10. tribus; Reges *Iſrael* dicebantur.

Hæc egregia civitas deſolata eſt, & deſtructa, in monte valdè pulchro ſita, aliquas *Eccleſias Chriſtianorum* adhuc, & præcipuè unam valdè pulchram habuit, cujus adhuc apparent veſtigia, ubi caput beatiſſimo *Joanni Baptiſtæ* abſcinditur, & corpus acephalum à diſcipulis tumulatur.

Qui ſacer locus illius effuſione ſanguinis conſecratus, quo inter natos mulierum nemo major ſurrexit, hoc ipſa veritate, quæ *Chriſtus* eſt, atteſtante. Hujus civitatis ruinæ magnæ nunc apparentes, multitudo columnarum marmorearum, innumeroſitas monumentorum mirabilium, in ipſa, & circa ipſam adhuc exiſtentium, antiquam nobilitatem ejus, & excellentiam indicant evidenter.

Inde procedens, montanis dimiſſis, veni in planitiem *Galilææ*. Eſt autem *Galilæa* provincia terræ promiſſionis melior & fertilior, planis montibus atque vallibus multum grata, coruſcatione, veſtigiis, ac miraculis *Salvatoris* multum illuſtrata, in cujus planitie ac declivis montium, hæc loca ſancta ſunt ad memoriam meritò revocanda; videlicet, *Naim*, civitas *Capharnaum*, *Bethſaida*, *Cana Galilææ*, &c. ubi, quæ prodigia Dei filius fecerit, hic differere non oportet; cùm hæc ſacra Evangelia elucident,



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1336. in Eccleſiis quotidiè recitata. Confert ſupra modum homini, loca hæc ſanctiſſima videre: quia devotio excitatur, & videtur, quòd vita *Chriſti*, ac *Apoſtolorum*, quodammodo oculis inſpiciatur corporeis, & ex hoc in corde fundamentum fidei firmius ſtabilitur.

Circa fines *Galilææ* à dextris, ſunt montes *Gelboe*, ubi gladiis infidelium primus *Rex* populi *Iſraël*, *Saul*, & ejus filius *Jonathas* ceciderunt, ſuper quorum morte piiſſimus Rex *Dæid* planxit notabiliter, verba exprimens convenientiſſima, ſigna cordis amicabilis ac ſinceri.

Ex quorum ſententia ſubtiliter trahitur, quantùm amor amicitiæ major eſt amore concupiſcentiæ, naturali amori inter mortales maximè coæquatus. Qui amor videtur eſſe, quem ad filium unigenitum fert indiſſolubili glutino *Genitrix* virtuoſa.

In prædictis montibus ſubacto fideli populo, *Arca Dei* ducitur captivata.

E contra eſt mons *Hermon*, circa quem dilabitur torrens *Cyſon*, circa ipſam *Galilææ* planitiem, quæ campus *Eſdrelon* appellatur.

Nazareth. His viſis, quodam monte tranſito, dimiſſa planitie *Galilææ*, veni ad ſacratiſſimam civitatem *Nazareth*, quæ nunc villa campeſtris eſt, (*a*) immunita, domibus & habitaculis non collectis, ſed ab invicem diſtantibus & diſperſis.

Eſt autem *Nazareth* ſita in valle parvula, plurimùm gratioſa, montibus undique circumcluſa; hæc eſt propria civitas Redemptoris, unde ſecundum carnem traxit originem, unde & dicitur *Nazarenus*.

In hoc loco florido initium noſtræ ſalutis effloruit, dum *Deus*, *Dei* filius, ex caſtiſſimis ſanguinibus virgineis carnem aſſumens, humanam naturam divinæ hypoſtaſi ineffabiliter conjunxit, quo virtute Spiritus ſancti fœmina originalis peccati eradicavit ſurculum, qui per fœminam ſuaſione maligni ſpiritus in ſalutis perniciem diutius germinavit.

Mens non concipit, lingua tabeſcit, ſcriptura titubat hujus prærogativam inæſtimabilem enodare; ubi *Archangelus*, optimi nuncii bajulus, *Virginem* glorioſiſſimam ſalutando, cœleſti Patri procatur ſponſam, ut conſenſu requiſito & debitè adhibito, dignè à Deo prælecta puella fieri Dei genetrix mereretur.

Breviter: in hoc loco conceptio *Chriſti*, omnium operum Dei mirabilior, in virginali utero celebratur, & obumbratione ſancti Spiritus fœcundatur, fructu nobiliſſimo, curſum naturæ ordinem ac limites excedente.

In hoc loco pulchra fuit Eccleſia, atque magna, ſed (heu) quaſi deſtructa eſt; parvulus tamen locus in ea coopertus eſt; & à *Saracenis* diligentius cuſtoditur; ubi circà quandam columnam marmoream, aſſerunt eſſe perfecta *Conceptionis Myſteria* veneranda.

In *Nazareth* ſunt peſſimi *Saraceni*, & videtur, quòd fuerint ab antiquo; ut rationabiliter dictum ſit in Evangelio: A *Nazareth* poteſt aliquid boni eſſe? Ad infinitam ſiquidem *Dei* bonitatem pertinet, ut ex malis bona eliciat & ex peſſimis optima diſpoſitione ſuaviſſima proferantur.

In prædicto loco, *Chriſti infantia* peragitur, à parentibus educatur, proficit ætate & gratia, ac pro nobis parentibus ſubditur, cujus nutui obediunt univerſa.

Fons ibidem oſtenditur, ubi puer *Jeſus* balneatur, veſtes quoque per *Matrem Virginem* abluuntur, de quo & portare aquam ad hoſpitium, pro humanis neceſſitatibus, tàm mater, quàm filius conſueverunt.

In loco *Conceptionis* pulchram feci celebrari *Miſſam* de *Annunciatione Glorioſæ Virginis*.

Propè ad unum milliare locus eſt, qui *Saltus Domini* appellatur; ubi *Chriſtus* ductus eſt, ut præcipitaretur de montis cacumine; tranſiens per medium illorum ibat, Evangelio atteſtante. De hoc loco proceſſi verſus montem *Thabor*, in media die. Hic mons formoſus eſt, & benè altus, in quo quondam erat civitas fortis, ubi & apparent aliquæ *Chriſtianorum* Eccleſiæ, devotione congrua venerandæ.

Ibi enim *Chriſtus* frequenter diſcipulos docuit, arcana ſecretorum cœleſtium revelavit, ut ex hoc non immeritò ſingularis ſchola Domini nuncupetur, cœlum Empyreum repræſentans, ubi *Dominus* noſter transfiguratus eſt, vox patris audita eſt, *Moyſis* & *Helias* viſi ſunt à tribus diſcipulis, ad hanc viſionem aſſumptis, felicitatiſque æternæ dulcedo ibidem quodammodo eſt prægustata. Unde Petrus Domino dixit confidenter: Domine bonum eſt nobis hic eſſe, &c. quæ ſequuntur.

De hoc loco veni ad mare *Galilææ*, & ad *Tiberiadem* civitatem, ſupra ipſum mare ſine medio ſituatam.

Eſt autem mare lacus non multùm magnus, ſcilicet, forſitan circa 40. milliaria in cir-

(*a*) Eſt autem uſque hodie in Galilæa *viculus* contra legionem, in quinto decimo ejus milliario, ad orientalem plagam, juxta montem Thabor, nomine Nazara inquit Hieronymus, de locis Hebr. BASN.

Digitized by Google

circuitu continens, per cujus medium fluit *Jordanis*, bonos piſces habet; in magna copia, & aqua ejus dulcis eſt, ac amabilis ad bibendum. Civitas verò ipſa *Tiberiadis* parùm valet; & parùm valuiſſe videtur etiam ab antiquo. Sunt tamen bona balnea naturalia apud ipſam. SÆC. XIV. ANNO 1336.

Sanè ſupra mare *Galilææ* prædictum *Chriſtus* ſiccis pedibus ambulavit, ipſum tempeſtuoſum ac ventis agitatum, tranquillum eſſe juſſit; *Petrum*, dum in ipſo mergi cœpiſſet, erexit; poſt reſurrectionem ſuam ibidem diſcipulis apparuit; ipſos piſcari juſſit, eorumque retia magnis piſcibus adimplevit.

In hoc mari *Dominus* ſæpè navigavit, circa ipſum *Petrum* & *Andream* vocavit, multaque millia hominum paucis panibus & piſculis ſatiavit; & ſua frequenti præſentia partes has dignas fecit, pariter & devotas.

In capite hujus maris, verſus *Septentrionem* eſt forte caſtrum ac altum, *Japhet* nomine, ac villa ejuſdem nominis delectabilis, atque magna. Hoc fortalicium ſecundum gradum tenet poſt *Trackh*, cujus ſupra meminimus in his partibus. Verùm intra terram promiſſionis, huic caſtro aliud in fortitudine & ædificiis non æquatur. *Aphec.*

Non longè ab hoc caſtro circa 30. milliaria eſt civitas *Dan*, alter terminus terræ promiſſionis in longum verſus *Septentrionem*, quæ & *Velena*, & *Cæſarea Philippi* dicitur; in pede montis *Libani* delectabiliter ſituata: & vocatur hæc regio intermedia *Galilæa* ſuperior, aut *Saltus Libani*, aut terra *Roob*, vel *Decapolis*, in ſcripturis.

Et ſciendum eſt, quòd terra (a) promiſſionis in longitudine, (a) ſcil. à *Dan* uſque *Berſabee*, de plaga *Septentrionali* verſus *Auſtralem* protenſa, tenet circa 140. milliaria: in latitudine verò, ab Oriente in Occidentem, ſcilicet à finibus *Hiericho* uſque ad *Joppen*, parùm ultra 40.

Unde cùm ſit à *Deo* ſuis terminis coarctata; admirabilis numeroſitas populi *Iſrael*, nobilitatiſque magnitudo, potentiæ divitiarumque ipſius ſingularis excellentia, meritò debet attribui miraculorum operatrici divinæ potentiæ, & non humanæ induſtriæ, curſuique uſitato naturæ, quâ patientia ac Dei gratuita providentia, ipſi filii Iſrael prædictas partes conquirere, inhabitare, ac uſque ad præfinitum tempus meruerunt, ſecundum incomprehenſibilia Dei judicia, poſſidere.

(a) *Secundum Brocardum & Salmeronem latitudo terræ promiſſionis non excedit 26. leucas. ejus verò longitudo, quæ ſumitur ab Aquilone ad Auſtrum vix continet 120. leucas.* CAN.

## *De Damaſco & terminis ejus, ac montibus Libani, ac de fine peregrinationis.* X.

TErrâ igitur ſanctâ promiſſionis in longitudine, latitudine ejus, ac in circuitu ſolicitè perquiſitâ, *Jordanem* tranſivi ponte in eo loco, ubi ipſe fluvius ſe à mari *Galilææ* ſeparat: deinceps fluenta proprii alvei, ex terræ ſanctæ lateribus uſque ad voraginem lacus mortui conſervando.

In hac terra ultra *Jordanem* duæ tribus & dimidia poſſeſſionem hæreditariam ſortitæ ſunt, mandato Domini, ſicut textus ſacræ paginæ atteſtatur, ubi eſt terra Regis *Baſan*, à terra *Geraſenorum*, *Cedar* quoque, ac villa *Corozaim* circa *Jordanem*, & in circuitu maris *Tiberiadis* collocata.

Inde procedens, in tribus diebus veni ad *Damaſcum*, civitatem nobilem ac formoſam.

Hæc regio intermedia, quæ eſt à monte *Hermon*, majoris plagæ, ſcil. Septentrionali partim, & orientali, uſque ad mare *Galilææ*, vocatur regio *Traconitidis*; & partim terra Hus, beatiſſimi *Iob* habitatio memoranda.

Et ſciendum, quòd tota regio, quæ eſt inter deſertum *Ægypti* & *Arabiæ* protenſa de Auſtro in Septentrionem uſque ad *Ciliciam*, *Armeniam* & *Chaldæam*, & ab Oriente deſerto magno uſque ad Occidentem, mare Mediterraneum, generali vocabulo *Syria* appellatur, in plures ſpeciales provincias ſubdiviſa.

Partes namque ejus ſunt, *Syria Phœnicis*, *Palæſtina*, *Judæa*, *Galilæa*, *Meſopotamia Syriæ*, *Syria Libani*, ac *Syria Damaſcena*, & alia hujuſmodi, quas ſigillatim diſtinguere longum eſſet.

Cæterùm propè *Damaſcum*, verſus terram promiſſionis locus eſt, ubi *Saulus* divinitùs proſternitur, *Paulus* erigitur, *Chriſto* informanti conſentit, & de perſecutore vas electionis fit, annuente clementia *Salvatoris*.

In *Damaſco* ipſe *Paulus* tribus diebus non videns, permanſit, nullo cibo corporali penitus

(a) Miror ita dictum; quippe Brocardus Judææ longitudinem ab urbe Dan uſque Berſabee facit 66. leucarum ſive milliarium unius horæ. Aſſerit Joſephus, Hieroſolymam conditam fuiſſe in meditullio Judææ: aſſerunt ex Thalmude Judæi, extremos Regionis limites triduano itinere Hieroſolymis fuiſſe remotos, quid ſi undecim leucas unicuique diei aſſignes, erit procul dubio longitudo Judææ ſexaginta ſex leucarum, quemadmodum voluit Brocardus. Et revera Judæi diarium ponunt ultra triginta milliaria Romana, hoc eſt, decem leucas; ſed infra quadraginta milliaria; fuerit igitur undecim vel ſaltem duodecim leucarum. Latitudo Judææ paulo incertior; quippe non conſtat, quantum ultra Jordanem excurreret; attamen plurimi quadraginta leucas computant. BASN.



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1336.

penitus recreatus. Quo triduo ad tertium cœlum rapitur, arcana verba audiens, quæ non licet homini loqui, ut ipse de se loquens, in epistola manifestat.

Dicit B. Aug. in l. de videndo Deum, & super Genesin ad literam, quòd in hoc raptu triduano Paulus Deum per essentiam viderit, in carne scilicet vivens, sensibus tamen carnis minimè quoad hanc visionem utens; oculis namque corporalibus, quanquam cognitiva virtute oculo corporeo alligata, nullo modo divina essentia ab aliquo poterit intueri; sed solus intellectus videre ipsum divinum esse poterit ..... quadam, lumine gloriæ illustratus. Et D. Aug. ibidem dicit, quòd nulli in hac vita datum est, Deum per essentiam videre, nisi primis duobus Doctoribus; *Paulo* quidem Gentium, & *Moysi Judæorum*.

O quanta profunditas Sapientiæ infinitæ, quæ seipsa, clarè & immediatè primos magistros divinæ veritatis voluit informare, ut irrefragabilibus fundamentis disciplinæ innixi, docerent instantius, rivis beatificis humana corda arida irrigando, quos rivos à primo veritatis fonte, clara visione noverant effluxisse!

Est autem *Damascus*, cujus antè memini, antiquissima, pulcherrima, & ditissima civitas, omnibus mercationibus & victualibus præabundans. Species namque *Indicæ*, petræ speciosæ, sericum plurimum, aromata infinita, illuc de *Baldaco*, & cæteris partibus Orientis, *Persia* & *India*, & à majori *Armenia* in camelis & aliis sameriis adducuntur; & inde per mercationes ad alias mundi partes longè & latè undique disperguntur.

Distat autem *Damascus* à mari tres dietas, multùm delectabilis existens aquis fluentibus mediocribus quantitate, fontibusque præclarius intus & extra irrigata, in circuitu sui hortos habens, ut dicitur, circa 40. milliaria, arborum amœnitate, & utilitate fructuum, ultra quàm credi potest, humanis solatiis & refocillationibus adaptatos. Dicitur, quòd quilibet hortus custodibus ex æquo divisis, ad minus habeat tres custodes: quod si verum est, ex ipsis consurgit in summa personarum maxima multitudo.

Ipsa civitas in se multum populosa est, artifices mechanicos diversi generis optimos habens, & præciptè Medicos excellentes.

De *Damasco* processi ad *Imaginem B. Virginis* in *Sardany*, ubi est locus fortis supra petram, ad modum castelli muratus in circuitu, in quo satis pulchra est *Ecclesia*.

Retrò majus altare ipsius in muro tabula quædam retrò nigra & humida cernitur, in qua imago glorioſæ *Virginis* olim depicta fuisse asseritur, sed propter vetustatem nihil de lineamentis figuræ distinguitur in eadem, nisi quòd aliqua parte color rubeus mihi videbatur aliqualiter apparere. Hæc tabula mediocris quantitatis, super vas quoddam marmoreum posita intra muros, cancellis ferreis præmunita, de ipsa visibiliter oleum quasi continuè stillat, quòd *Monachi* recipientes de vase marmoreo, quod subtus est, per cancellos immisso cochleario peregrinis distribuunt satis largè: per omnem modum videtur esse oleum olivæ.

Dicitur, quòd aliquando de hac imagine oleum miraculosè fluxit; sed si hoc quidem modo fluit, divino fluat miraculo, rationabiliter dubito, & etiam multi alii de veritate hujus facti non immeritò altercantur.

Monachi & Moniales in prædicto claustro sunt degentes.

In casali pulchro, quod sub monasterio est, Christiani schismatici commorantur, bono vino satis abundantes.

Hic locus à *Damasco* sejungitur ad mediam diurnatam.

Inde recedens, dimissis à dextris *Antiochia*, quæ quondam *Abbata* dicebatur, olim magna & multum nobili civitate, & *Tripoli* famosa, quæ olim *Christianorum* fuerunt, nunc verò per *Saracenos* desertæ sunt & destructæ, processi versus *Brutim* in tribus diebus, in via media transita valle *Bockhar*, quæ fertilissima & pulcherrima est inter montes hinc inde protensa, rivis, pratis, piscibus, pecoribus prædita, ac *Saracenis* habitatoribus benè plena, veni ad montes *Libani* gratiosos, qui in longum protenduntur, versus *Austrum* à *Cilicia*, quæ nunc *Armenia* minor dicitur, propter *Armenos*, qui eam vi ceperunt, & tenent omnibus habitatoribus subjugatis usque ad *Dan*, terræ promissionis initium; de quo feci superius mentionem.

Hi montes pleni sunt pulcherrimis casalibus, habitatoribus, fructibus, fontibus, ac cæteris opulentiis temporalibus, cedris, cypressis, ac pluribus hujusmodi odoriferis non carentes.

In parte *Libani* propè *Tripolim*, quæ vulgariter *Montanea Nigra* dicitur, commorantur circa viginti millia *Christianorum*, ut dicitur, boni sagittarii, ac viriles homines, Passagium Latinorum plurimum affectantes, à jugo *Soldani* plus, quàm alii *Christiani* desiderant relevari.

Sicque *Latitudine* Libani transcensa, perveni ad *Brutensium* splendidissimum oppidum supra mare optimè situatum, arboribus, hortis, fructibus, fontibus prædecoris.

Hujus

Digitized by Google

Hujus in Prologo *Digestorum* meminit *Imperator*.

Supra *Brutum* versus *Ciliciam* est locus fortis, qui *Biblium* nominatur, supra mare; & propè ex alia parte est *Sidon* civitas, atque *Sarepta Sidoniorum*; quorum locorum sacra pagina recordatur. SÆC. XIV. ANNO 1336.

Existens ergò in *Brute*, quæ nunc *Saracenorum* est dominii, peregrinatione mea, annuente *Deo*, prosperè peracta, desideravi multùm recedere; & ad portum *Christianorum* navi pertingere, ut post laborem, aliquali quietis commodo recrearer. Spiritualiter, portus *Christianorum* Christus est, ad quem post laborem hujus viæ & in labore præsentis miseriæ, nos convenit attentius aspirare, ad ipsum accedendo continuè non passibus corporeis, sed desideriis puræ mentis.

Navim igitur cordis extra pericula fluctuationum, & tempestatum celeumata, in ipso firmare & statuere cupientes, erigamus velum affectus, dirigamus nos gubernaculo intellectus, corrigamus remigando virtuosis operibus, ut finaliter prora fidei, dimissis, ac progredientibus funibus spei, charitatis anchora in æterna felicitate mereamur Dei favente gratia feliciter stabiliri. Quod nobis præstare dignetur, qui est benedictus in secula seculorum, Amen.

Explicit tractatus de quibusdam Ultramarinis partibus, & præcipuè de Terra Sancta, compilatus per nobilem virum Guilielmum de (a) Boldensele, ad instantiam Reverendi Patris & Domini, Domini Thalayrandi Petragorici, tit. S. Petri ad vincula Presbyteri Cardinalis, Anno 1336.

(a) *al. Baldensel.* Lege potius Boldensleve. BASN.



Digitized by Google

# ITINERARIUM
## NOBILIS VIRI
## RUDOLPHI DE FRAMEYNSPERG, &c.
## IN PALÆSTINAM, AD MONTEM SINAI, ET IN ÆGYPTUM.

ANNO DOMINI M. CCCXLVI.

A Caniſio publici juris factum.

*Ex M. S. Cod. Monaſterii S. Magni ad pedem pontis Ratisponenſis.*

---

# HÆC INVESTIGATIO,
## ET LOCORUM
# DISTINCTIO FACTA EST
## PER
## RUDOLFUM MILITEM DE FRAMEYNSPERG, &c.

SÆC. XIV. ANNO 1346.

RUdolfus miles de Frameynſperg civitatem Landtshutam exivit Anno Dominicæ incarnationis milleſimo trecenteſimo quadrageſimo ſexto, feria tertia poſt Dominicam *Reminiſcere*, reverſusque eſt in prædictam civitatem Lanzhutam in die ſanctæ Catharinæ Virginis eodem anno præſcripto. Item expenſæ ipſius cum uno famulo trecenti & quinquaginta floreni, de quibus ſolummodo quatuor florenos Lanzhutam reportavit. Item in exitu veniendo civitatem Venetenſem, & in reditu Alexandriam civitatem, utrobique in duabus civitatibus præſcriptis transfretando ſe gratiæ omnipotentis Dei commiſit humiliter, viriliter & devotè.

Hieruſalem exeundo verſus montem Sinai tranſeundo per deſertum per magnum milliare noſtrum, apparet villa à dextris, ferè habens centum manſiones: ab Jeruſalem duabus diætis finitis poſita eſt civitas Gaza, majoris Lantshut magnitudinis, ibi Rex regit, qui eſt ſub Rege Babyloniæ, & ab hac civitate uſque montem Moyſi ſunt novem diætæ.

Item in pede montis Moyſi fundatum eſt clauſtrum Ordinis ſancti Benedicti, in quo ſunt centum Monachi Græci, quod ædificatum eſt per Regem Babyloniæ. Item corpus ſanctæ Catharinæ in ſummitate montis Sinai quingentis annis requievit, quibus finitis ad idem clauſtrum eſt tranſlatum, de quo corpore caput Catharinæ cum duobus membris brachii in *truca* lapidea hodierna die reperitur. Item in eodem cœnobio ſita

eſt

Digitized by Google

est Capella, in qua Moyses (a) dicitur esse sepultus, quæ est continua choro monaste- SÆC.
rii versus Aquilonem, & introitus ejusdem Capellæ tam Monachis ibidem, quam ad- XIV.
venis, sit solummodo pedibus nudis. Item in Ecclesia principali ejusdem monasterii ANNO
sunt solum duæ parvæ campanæ, nec plures etiam per totam Græciam itineris hujus 1346.
reperiuntur. Item circa eandem Ecclesiam versus partem Occidentalem fundata est Capella in honore sanctæ Mariæ Virginis, quadam altitudine super testitudinem erecta, pretiosis ornamentis decorata, in qua etiam multa ova struthionum in cathenis ferreis sunt appensa. Item à prædicto monasterio & capella Moysis versus plagam Aquilonis, situm est templum Idolorum rotundum, ad quod nullus Christianorum ingredi permittitur. Item ibidem tres putei sunt aquæ optimæ. Item ibidem omnibus supervenientibus per triduum ministrantur expensæ satis lautæ, & in exitu unicuique decem panes porriguntur, quorum quilibet sufficere poterit homini per unum diem.

Item ab hoc cœnobio eundo ad montem Moysi duplex via est. Prima ascendendo montem Moysi, & à pede ejusdem montis ascendendo per distantiam tantæ altitudinis, quanta est altitudo montis in (a) Pogen ex parte Danubii, usque ad monasterium sanctæ Mariæ, per directam lineam considerando posita est Capella una & prima. Item alia & secunda Capella ejusdem distantiæ montis ascendendo posita est. Item tertia Capella in vertice ejusdem montis posita: æqualis distantia est à secunda, qua & secunda à prima, & secundum hoc consideratur altitudo montis Moysi circa triplicem altitudinem montis in Pogen. Et istæ tres Capellæ sitæ sunt montem ascendendo à sinistris, & istarum Capellarum unaquæque murata est cum testitudine, & omnes cum luminibus statutis temporibus procuratæ, & etiam seratæ. Item in vertice ejusdem montis ex opposito tertiæ Capellæ per distantiam quatuor hastarum, à dextris est spelunca saxosa, in qua Moyses habitavit, quæ spelunca introeundo arcta est, sed intus in sua cavitate est quatuor hominum sedentium receptiva. Item descendendo eundem montem ex alia parte ejusdem montis Sinai versus montem eundem, pomerium magnum in medio montis Moysi & montis Sinai plantatum est, in quo Capella posita est cum una mansione, in qua descendentes montem Sinai cum cibariis à claustro præmisso transmissis, propter fatigationem montis Sinai ascendendo & descendendo, reficiuntur.

(a) *Pogen, locus in Bavaria, non procul Straubingo, D. Virgini sacer.* CAR.

Item secunda via à Cœnobio prædicto versus montem Sinai plana est, circumeundo montem Moysi, & à sinistris relinquendo, quæ via plana est usque ad Capellam in pomerio prædicto positam, per medium milliare nostrum æstimatur.

Item mons Sinai in sua summitate per totum est saxosus, quæ saxa rubro & albo colore divisim sunt colorata in modum marmorei lapidis, excepto loco in quem corpus S. Catharinæ per Angelos fuit collocatum. Idem locus est integer lapis albus, in quo apparent omnes dimensiones corporis sanctæ Catharinæ virginis per impressionem velut materiam liquidam, & ille lapis respicit montis Meridionalem, & ab extremitate montis Sinai distans paulo minus vel magis in longitudine unius hastæ. Item idem lapis de superficie montis circa altitudinem quatuor digitorum est elevatus.

Item altitudo montis Sinai est in duplo altior monte Moysi. Item latitudo montis Sinai à parte Orientali in partem Occidentalem se extendit ad quartam partem arcus sagittæ; longitudo verò ejusdem montis à plaga Meridionali versus Aquilonem continet unius arcus sagittam mediam.

Item ab hoc Cœnobio Babyloniam eundo, quinque diebus vel diætis finitis, in deserto mare rubrum à sinistris apparet, circa quod mare rubrum tres diætæ procedendo finiuntur, & à mari rubro uno diæta peracta ædificatus est puteus muratus à Rege Babyloniæ, qui hauritur per unum hominem & bovem extrahendo aquam cum catena ferrea, qui per successionem perpetuò sunt dotati.

Item ab isto fonte una diæta finita apparet fons Moysi, fluens de terræ quadam altitudine quasi ad mensuram quinque pedum elevata. Circa quem fontem vermiculi venenosi, minoris parvarum formicarum quantitatis, homines mordentes, albi coloris inveniuntur.

Item à fonte Moysi una diæta finita apparet puteus muratus cum omnibus conditionibus putei prioris, excepto quod hauritur cum fune, & isti duo putei ædificati sunt per Regem Babyloniæ, ut omnes de Babylonia venientes versus (b) Machmet idolum adorare, potum sumant ex eisdem.

(b) *Mecha.*

Item ab isto fonte una diæta finita devenitur in Babyloniam civitatem, & circa introitum civitatis est castrum Soldani Regis, situm est à sinistris, & per plateam publicam à civitate segregatum, & hæc civitas ex parte nostri sita est, in littore aquæ

(a) De Catharina sæpius alias. Mosis sepulchrum qui sibi vindicant, viatoribus imponunt, quippe à Deo sepultus est Moses, nec cadaver ejus repertum fuit, ne idololatræ fierent Israelitæ, Legislatorem suum Religioso cultu suscipientes. Vide Historiam sacram Mosis & Judæ epistolam. BASN.

Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1346.

aquæ dulcis de Paradiſo fluentis, & longitudo civitatis circa duo milliaria noſtra ferè ſe extendit. Item in hac civitate eſt Capella in qua beata Virgo Maria cum Jeſu Filio ſuo iram Herodis Regis, pueros occidentis à bimatu & infra, fugiebat, in qua Presbyteri Chriſtiani divina celebrare mittuntur, & in eadem Capella eſt una crypta ſubterranea, ad quam introitus eſt à parte Meridionali, & in eadem crypta ſunt duo Altaria: primum in angulo contra Meridiem & introitum directò ſituatum. Secundum Altare verò verſus Aquilonem in Angulo ex oppoſito poſitum eſt. In quem locum Maria cum puero fugiſſe dicitur propter majorem januæ diſtantiam & ſecuritatem, & illa crypta à nulla diei luce illuminatur. Item in hac civitate cum Rege Soldano ſunt octoginta millia militum, quibus diebus ſingulis victualia cruda ab Officialibus miniſtrantur, & omnes homines ejuſdem civitatis tam mulieres quam viri alba ſyndone ſunt amicti. Item in eadem civitate vigiles nocturnales ſtatutis noctibus ſunt conſtituti (a) generationum Herodum proclamantes ad ſpeciei continuationem. Item Chriſtiani Babyloniam venientes in hoſpitio Venetenſium hoſpitantur. Item aqua dulcis fluens eſt magnitudinis ſicut (b) Iſra, & eſt turbida, & in fluxu tarda magis, quam Danubius, carens omni ponte in Babylonia.

(a) *locus corrupt.*

(b) *Iſara Landishuetum prætorlabitur.*

Item à Babylonia in aqua dulci deſcendendo quinque diætis finitis in Alexandriam civitatem devenitur, quæ ſita eſt in angulo aquæ dulcis & maris, quæ civitas majoris magnitudinis Ratiſpona.

Item à Jeruſalem per directam viam Babyloniam ſunt undecim diætæ. Item in omnibus iſtis diætis nulla eſt hominum habitatio, cryptis excluſis.

Item ab Jeruſalem uſque ad montem Sinai ſunt undecim diætæ, & procedendo à Jeruſalem ad montem Sinai via reſpicit medium inter ortum Solis & partem Meridionalem.

Item à monte Sinai in Babyloniam iterum ſunt undecim diætæ, quæ via inclinata eſt cum deſcenſu Solis in partem Occidentalem.

Item à civitate Bobylonia in aqua dulci deſcendendo uſque in Alexandriam civitatem ſunt quinque diætæ. Item quælibet diæta continet ſex milliaria noſtra ad minus, &c.

*Cætera deſunt.*




BAR.

Digitized by Google

# BARLAAMI
DE
# SEMINARIA,
EPISCOPI GYRACENSIS,
# EPISTOLÆ AD GRÆCOS,
DE
# UNIONE CUM ROMANA ECCLESIA
ET
# PROCESSIONE SANCTI SPIRITUS.

In lucem editæ

*Ex codice manuscripto Bibliothecæ Bavaricæ Serenissimi Principis, &c.* Maximiliani.



Digitized by Google

# DE BARLAAMO,

harum Epistolarum Auctore,

# CANISIUS.

SÆC. XIV. ANNO 1350.

*Dum quæsivimus, quisnam Barlaam iste fuerit, quando vixerit, & cujus civitatis Episcopatum administrarit: licet enim & in Codice Bavarico nominetur Episcopus* Gyracensis; *à qua tamen urbe appellatio hæc desumpta esset, nobis minimè liquebat. Confugimus tandem more nostro, ad clarissimum dignitate juxta ac eruditione* Marcum Velserum *Duum-Virum Augustanum; ad quem ex Italia hæc perscripta sunt, & quidem petita ex elogiis Octaviani Paschæ Genuensis, Episcopi Hieracensis, duos fuisse Hieracis Episcopos, Barlaami nomine insignitos: Alterum Anno Christi* 1303. *tenuisseque sedem illam annos novem sub Bonifacio octavo, Benedicto undecimo & Clemente quinto. Secundum Anno Christi* 1342. *creatum à Clemente sexto, rexisse Ecclesiam illam annos octo, patria Neapolitanum ex Peloponneso. Additur & hoc, prioris Barlaami patriam ab Octaviano non annotari, quod fortè reperiri non potuerit. Uter Auctor harum Epistolarum, & Ethices, quam Epistolis subjungimus? Equidem non dubito, priori illi has lucubrationes tanquam parenti adscribendas esse; vel ea de caussa, quod singulæ Epistolæ scriptæ sunt ad amicos in Græcia, & Peloponneso: quorum salutem & cum Romana Ecclesia concordiam toto pectore expetebat.*

Sed si Barlaamus ex Peloponneso est, *inquit Velserus*, unde cognomen Seminariæ adhæsit? An suspicabimur de Seminaria dictum, quod mansio ante Episcopatum Seminaria aliquandiu fuerit? Neque enim id absurdum videatur. *Forsan & hoc dici posset, natum esse in Peloponneso parentibus ex Italia oriundis, quibus à* Seminaria *cognomentum fuerit. Notum enim est, integras Italorum familias non raro sedem suam in Græciam transtulisse; cujus multæ urbes imo & Provinciæ Italorum imperio parebant. Cæterum Cod. Bavaricus nominat Episcopum* Gyracensem. *Corrige*, Hieracensem. *De tempore, quo floruit, ipse satis certus index est in prima Epistola. Omnia in priorem Barlaamum ut cunque conveniunt. Mortuus est enim Basilius Macedo Anno Domini* 886. *inde usque ad annum* (a) 1342. *paulò plures sunt, quàm quadringenti anni. Sed quid mirum; si Barlaamus Chronologiam acu non tetigerit. Et quamvis quispiam Epistolas has ad primum Barlaamum referre nollet, tamen tempora ad amussim non concordabunt. Nam ab obitu Basilii usque ad annum Domini* 1303. *plures etiam sunt quam quadringenti anni.*

(a) Hac de re suo loco. B.

*Porro quod ad ipsas Epistolas attinet, pereruditæ prorsus sunt, dignæque lectu, & de Romani Pontificis potestate & auctoritate, deque Azymis & processione Sancti Spiritus egregiè disserunt. Si minus culte, quid tum? Ignoscendum est homini Græcæ fortassis quàm Latinæ linguæ peritiori: Potest Barlaamus noster in Peloponneso natus uti defensione S. Irenæi, qui hæc pro se in præfatione sui operis.* Non artem requires à nobis, qui apud Celtas commoramur, & in barbarum sermonem plerunque avocamur, orationis artem, quam non didicimus, neque vim conscriptoris, quam non affectavimus, neque ornamentum verborum, neque suadelam, quam nescimus; sed simpliciter, & verè & idioticè ea, quæ tibi cum dilectione scripta sunt, cum dilectione percipies, & ipse augeas ea penes te, ut magis idoneus quàm nos, quasi semen & initia accipiens à nobis: & in latitudine sensus tui, in multum fructificabis ea, quæ in paucis à nobis dicta sunt, & potenter asseres iis, qui tecum sunt, ea, quæ invalidè à nobis relata sunt. *Hæc S. Irenæus pro se & Barlaamo.*



Digitized by Google

# JACOBI BASNAGII
## DE
# BARLAAMO
## OBSERVATIO.

Sæc. XIV. Anno 1350.

1. CEminos post Velserum *Barlaamos* fecit Canisius; eosque coætaneos, & ejusdem sedis præsules; quippe priorem contendunt Hieracensem Episcopatum tenuisse anno 1303. alterum vero an. 1342. Hanc sententiam amplexus est *Salmasius*, qui tamen, cum Barlaami tractatum de Primatu Papæ Græco-Latinum vulgavit, quis & unde fuerit Barlaamus ille, quando vixerit, & quid scripserit, juxta scire cum ignarissimis ingenue confitetur. At illum tamen latere non debebant tot epistolæ Barlaami jam ante à Canisio editæ. Eruditissimus *Spanhemius* dum Papissam Johannam tueretur, duobus potissimum nitebatur argumentis. Prius, quod *Barlaamus Calaber*, qui Latinorum partes propugnavit, nusquam meminerit operum adversus Latinos editorum. Deinde vero, quamquam in Bruttiis Episcopatum sit adeptus, ab eo tamen palinodiam exegisse Pontificem Romanum nulli constat: quod a solito Paparum more abhorret. Ab aliis partibus stat *Allatius*, qui plura habet de Barlaamo, tum ubi de perpetua consensione agit, tum ubi nullam fuisse Papam fœminam probat. Nugasque agere putat, quicunque duos Barlaamos sibi fingit. Vereor ne aliquid præjudiciis hac in re detur. Habetur apud Barlaamum a Salmasio editum locus, quo Johannam fœminam fuisse probatur. *Si quis*, inquit ille, *impudicæ illius mulierculæ, quæ Papa fuit, causam velit agere, dicat, quandoquidem nulla ante eam fœmina Papa fuit, ne ipsam quidem fuisse; quæ cum sana ratione quo pacto cohærent?* Diruitur hoc testimonio, vel saltem infirmatur, objectio validissima, quam adversus Papam fœminam eliciebant Latini ex silentio Græcorum. Omnem ideo movet lapidem Allatius, ut hoc argumento se liberare possit. Primo suspicatur scriptum a Barlamo λεγομένη, non γενομένη, ita ut asserat, à Barlaamo tantummode *dictam* fuisse illam fœminam Pontificem, non vero *factam*. Sed si verba pro libitu immutantur, vix genuina scriptorum eruetur sententia. Fallitur hîc Allatius! Nec enim verisimile fit, objecisse Barlaamum *dictum* aliquod incertum, ut inde probaret, Papas errare posse: quod cum Francisco contendebat. Ut bene procedat oratio, necesse fuit Barlaamum credidisse, *Johannam* olim Romanam sedem tenuisse. 2. Objecit Allatius, Barlaamum hanc fabulam refutasse, dum *Benedictum Leoni* successisse narrat, ubi de Pontificum serie agitur. Quæ itidem nulla sunt. Nam quod laudat Allatius, a Latino cum Græco disputante dicta videntur. Deinde, quidquid aliàs egerit vir summæ levitatis, suffecerit tamen hoc ejus testimonium proferre. Hoc eo libentius profitemur, quod Papissæ Johannæ partibus nullatenus simus addicti, & Criticos hîc solum agamus. *Spanhemius* vero, qui Barlaamum testem suum induxit, ægre patitur ipsius famæ detrahi; ne si testis ille sibi parum constet, sæpiusque sententiam mutaverit, minus valeat argumentum ex ejus autoritate elicitum. Alia tamen mihi foret sen-

1. An duo fuerint Barlaami.

Salmas. præf. ad Nilum & Barlaam.

Spanh. de Papa fœm. pag. 269.

Barlaam de Prim. pag. 121.

Allatius Confut. fab. de Papissa. pag. 249.



Digitized by Google

Sæc. XIV. Anno 1350.

tentia, quicquid enim de Barlaami levitate dixeris, manebit invictissimum Spanhemii argumentum ex ejus testimonio ductum; quippe si Latinorum principiis innutritus fuerit *Barlaam*, ex ipsorum Latinorum in Italia commorantium ore didicit, quæ de Papissa fœmina narravit, ideoque major ejus auctoritas: Nec mirandum, si mutatis postea partibus rem, Ecclesiæ Romanæ pudendam, silentio involvere sit conatus. Sic enim quæ adversus Primatum scripserat, retractavit, non seipsum refellens, sed alia plane diversaque a priori sententia chartis committens. Nos vero nullis, ut quidem arbitramur, præjudiciis abrepti, reque pensitatâ arbitramur unum fuisse *Barlaamum*. 1. Quippe quum nullus fuerit unquam inter coætaneos vel subsequentes scriptores, qui duos recensuerit. Debuerunt Græci, quemadmodum Nicephorus Gregoras, totaque Palamitarum factio, veterem illum Barlaamum, Græcorum adversus Latinos opinionibus addictissimum, objicere Barlaamo aliquatenus recentiori, qui in aliena castra transiverat: quod tamen omissum fuit. 2. Uterque Hieracensis apud Latinos Episcopus dicitur eodem sæculo, ille ineunte, hic medio: Cum nullum supersit hujus rei argumentum, vix credi potest. 3. Facile conciliari possunt, quæ diversa, imo plane opposita, leguntur apud eundem Barlaamum; quippe constat apud omnes, tum Græcis tum Latinis, prout gloriam aut quietem hac ratione sibi comparari posse putavit, faviisse: 4. Nec mirum, si ille, quem facti levitatisque tantæ pudere debuit, nequaquam priorum operum meminerit; quippe ea oblivioni, quantum fieri potuit, mandare studuit. 5. Denique si arte utebatur apud Græcos, fraudisque conscius, ut ajunt, fuit Pontifex Romanus, nullam ei recantationem debuit imponere. Sed quamvis bona fide egerit, perire potuit illa recantatio, quam exegerunt Latini: quemadmodum pleraque Barlaami scripta diu latitarunt, aliqua vero & hactenus non sunt edita. Fuit igitur unus Barlaamus, origine Calaber, ex Salaminia urbe, Latinorum Scholis Religionique innutritus, qui apud Orientales dum versaretur, eorum sententiam tuebatur, apud Occidentales reversus, Græcos impugnavit.

II. Barlaami inconstantia.

II. Fuerunt eo tempore in Calabria Monachi plures qui Græcorum statuta, ritus, dogmata profitebantur: Alii vero, quamquam ejusdem, Basiliani scilicet, sodalitii, Latinorum partes fovebant. Barlaam vitæ Monachalis tædio captus, Constantinopolim petiit, ibique Græcis consensit. Andronico Imperatori adulatus est, & plurimum apud ipsum potuit. Missus est ab Imperatore in Gallias, ut Pontificem Benedictum, qui tunc Avenioni degebat, urgeret ad pacem cum Græcis ineundam. Concilium, ubi controversiæ agitarentur ab utraque parte, quod à Pontifice Romano indiceretur, voluit convocari. Postulata negavit Pontifex, qui novum hac de re judicium ferri nolebat. Apud Græcos redux Barlaam, ut Græcis placeret, Monachorum Hesuchastarum errores stultitiamque revelavit. Accensi furore Monachi, quorum Antesignanus fuit *Palamas*, ipsi bellum indixere. Mortis periculum ab ipsis sibi imminere videns, ad Patriarcham Constantinopolitanum confugit, cujus ope Concilium convocari causamque agi publice postulavit. Convocato Concilio, præsente Imperatore Barlaam quæstiones quamplurimas voluit agitare: reprehensus ideo, chartis ipsius adversus Monachos perlectis, damnatus est, veniamque petiit; sed, referente Nicephoro Gregorâ, qui tunc Constantinopoli degebat, „ sub vesperam spectaculo illo absoluto, Barlaamus, ignominiam illam „ gravissime ferens, plenis velis in Italiam abiit.

Niceph. Greg. l. XI. p. 392.

III.

Digitized by Google

III. Hæreticus à Prateolo, quem sequuntur alii, habetur. Narrat quippe, illum damnatum fuisse anno Christi 1313. præsente Beatissimo Imperatore *Michaele Andronico Palæologo*, ejusque filio *Johanne*, imperante tunc temporis apud Germanos *Henrico* VII. Pontifice *Johanne* XXII. Quæ omnia a vero sunt alienissima, Prateoloque Barlaamum ignotum fuisse demonstrant. 1 enim, quanquam damnatus à Concilio, non debuit inter Hæreticos reponi, quippe qui melius de lumine Thaboritico sentiret, quàm Monachi *Hesucastæ*, qui in stultissimum errorem inciderant. 2. Concilium Constantinopolitanum non habitum est an. 1313. sed anno 1341. quo obiit Andronicus Imperator, quo præsente omnia sunt confecta. Narrat enim *Nicephorus Gregoras*, testis oculatus, ipsum ex oratione ad Patres Concilii habita, & ex morbo splenis fatigatum incidisse in somnum lethalem, quo aliquot post diebus ad plures abiit. 3. Imperator ille non fuit *Michael Andronicus Palæologus*, sed *Andronicus Junior*, qui anno 1325. adversus Avum rebellans, Imperium abdicare tandem coëgit. 4. Huic filius fuit *Johannes*, quem male Prateolus *Michaeli* vindicat. Novennis tantum fuit, cum Hesucastarum causa dicebatur in Concilio. 5. Nec Andronicus potuit dici Beatus homini Latino; quippe si pax cum Romano Pontifice fuit ipsi in votis, confecta tamen non est. Convenit ille titulus *Michaeli Palæologo*, sed ille anno 1283. obierat. 6. Denique errat Prateolus, qui ea ætate *Henricum* Germanis imperantem faciat; quippe fuit *Ludovicus Bavarus*. Hæc adversus Prateolum circa hæresim Barlaami.

III. Prateolus qui ipsum inter Hæreticos recenset, refutatur. *Prateol. Elench. Haret.*

IV. Ut autem superius dicta evidentius pateant, & res intricata viris eruditissimis procedat ordine suo, tria nobis incumbunt probanda 1. Barlaamum Latinis infensum, Græcorum sententiam adversus eos propugnasse. 2. à tribus Conciliis damnatum apud Græcos, profugum in Italiam reversum esse. 3. Ibique dogmata Latinorum adversus Græcos, quorum partes deseruerat, probasse. Unde concludetur facillime, Barlaamum fuisse *Ecebolum & salem infatuatum*, qui pedibus proculcari debuit, ut de se ipso loquebatur *Ecebolus*.

IV. Tria probari debent ad elucidationem dictorum.

V. Probatur prius ex plurimis opusculis, quæ de processione Spiritus Sancti & adversus tum Primatum, tum infallibilitatem Pontificis ediderat Barlaamus. Viginti tria numerat *Allatius*, quæ legisse testatur. Quædam tantum sumus indicaturi ex *Lambecio*, cujus Bibliotheca Vindobonensis non omnium manibus teritur, & qui ex ms. codicibus plura excerpsit.

V. Barlaamus pugnavit adversus proces. Spiritus Sancti. *Allat.* de consensu Eccl. lib. II. p. 827. Lambec. Comment. de Bibl. Cæs. l. III. l. IV. & l. V.

Primo Scripsit Barlaam *adversus Legatos Papæ* demonstrationes binas, de processione Spiritus Sancti, quarum prima incipit his verbis: Βαρλαὰμ μοναχῶ, πρὸς τὸ πάπα πρεσβεῖς ἀπόδειξις ὅτι ὑποκειμένε ἐκ μόνε πατρὶς ἐκπορέυεσθαι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. εἰδὲν ὅλως ἀδύνατον ἔπεται, εἰδέ τι τῶν ὁμολογεμένων τῇ ἐκκλησίᾳ ἀναίρεται δογμάτων. ὁ θεῖος ἀπόστολος ἐν τῇ πρὸς γάλατας ἐπισολῇ τὲς τὸ Θέιε καὶ ζωαρχικὸ πνεῦματος καρπὲς ἀπαριθμέμενος &c. quæ sic Latine reddimus: *Barlaami Monachi demonstratio ad Legatos Papæ, Spiritum Sanctum ex solo Patre procedere, nec aliquid omnino impossibile dici, neque ullum ex dogmatibus in Ecclesia receptis tolli: Quippe divus Apostolus Paulus in Epistola ad Galatas scripsit, fructus, sive sancti & vivificantis Spiritus operationes enumerans &c.* In altera probat, non modo esse Hypothesin non inutilem, quam de processione Sancti Spiritus a solo Patre posuit; sed necessaria plane est, ut omnes Deum colere volentes illam profiteantur. ὅτι ἐκ ἁπλῶς ὑπόθεσις τὸ νομίζειν ἐκ μόνε πατρὸς ἐκπορέυεσθαι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἀλλὰ ἀνάγκη πᾶσι τοῖς ἐυσεβεῖν αἱρεμένοις. Tres alias edidit dissertationes adversus Pontificis Legatos:



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1350.

quod vehementissimum demonstrat ejus odium in Pontificios; quinimo scripsit de *Trinitate* adversus *Thomam Aquinatem* binas demonstrationes. Et denique *Orationem contra Latinos*, ex variis Gregorii Nazianzeni & Basilii Magni fragmentis consarcinatam.

VI. Et adversus primatum Papæ.

VI. Primatum Papæ quod attinet, supersest tractatus à *Salmasio* editus in quo pares Apostolos, nec Petrum ipsis superiorem fuisse contendit: denique fabulam de Joanne Papissa, testimonio suo fulcire conatur. Fert ille tractatus varios titulos, secundum varias doctorum præjudicatas opiniones; quippe qui in codice ms. Bibliothecæ Cæsareæ legatur τῦ ματαιοτάτυ Βαρλαὰμ τῦ ἐκ τῆς Καλαβρίας περὶ τῆς τῦ πάπα ἀρχῆς. *Insanissimus* hìc vocatur Barlaam, qui scripserit de Primatu Papæ. Observat bonâ fide *Lambecius*, vocem ματαιοτάτυ *insanissimi*, alii cuidam voci, ibidem erasæ, superinscriptam fuisse, & ut opinatur, à *Busbekio* sic corradi solebant codices. In alio vocatur Barlaamus *Hæreticus*. Apud Salmasium σοφωτάτυ Βαρλαὰμ λόγος περὶ τῆς τῦ πάπα ἀρχῆς, *Sapientissimi* Barlaam tractatus de Primatu Papæ. Sic variant tituli & nomina. Denique scripsit Epistolam πρὸς τὸν ἀρχιεπίσκοπον Νικολάον περὶ τῦ πάπα, Ad Archiepiscopum Nicolaum de Papa, in qua ejus tum Primatum, tum infallibilitatem convellit. μὴ τῦτο οἴῃ, σεβάσμιε πάτερ, ὅτι τῦ πάπα τῶν ὀρθῶν ἐκπεσόντος δογμάτων τὸ πᾶν ἀπώλετο τῆς ἐκκλησίας, καὶ ἡ τῦ θείυ Πέτρυ πίςις ἐξέλιπε, καὶ ὐκ ἔτι Βικάριος τῦ χριςῦ ἔσαι ἐν τῇ γῇ, ἕκασος γὰρ τῶν ὀρθοδόξων ἐπισκόπων βικάριος ἐςὶ τῦ χριςῦ καὶ τῶν ἀποςόλων διάδοχος, Quæ sic se habere debent idiomate Latino: *Ne credas, venerande pater, quod si Papa ab orthodoxis dogmatibus exciderit, perditam fore totam Ecclesiam, vel fidem divi Petri ut & Vicarium Christi in terrâ deficere; nam* UNUSQUISQUE EPISCOPORUM ORTHODOXORUM EST CHRISTI VICARIUS ET SUCCESSOR APOSTOLORUM.

Lib. III. p. 194.

Nemo miretur, Monachum in Calabria natum, quippe *Calaber* in fronte opusculorum semper denominatur, Græcorum partes acriter ita foviisse, & in Romanæ sedis vicinia commorantem, non modo Legatos, sed ipsum Pontificem oppugnasse. Nam tantâ libertate fruebantur Monachi Græci, qui in regno Neapolitano plurima occupabant monasteria, ut quanquam à Latinis penderent, eorumque ope sæpius vitam sustentarent, addictissimi tamen dogmatibus & schismati Orientalium pertinaciter remanerent. Deinde talem fuisse Barlaamum, demonstrant opera superius laudata.

VII. Barlaamus à tribus Conciliis damnatur.

VII. Probandum nunc est, ipsum a tribus Conciliis damnatum fuisse. Sic rem aperit *Johannes Cantacuzenus*, ipsi inimicissimus: *Monachus quidam e Calabria profectus, Latinorum moribus & legibus educatus, nomine* Barlaamus, *acutus alioqui & perspicax, & ad intelligentiam explicandam disertissimus, insuper in Euclide, Aristotele, Platone, volutatus, & ob id illustri fama, ad calamitatem Romani Imperii, Thessalonicam advenit*; MULTIS ENIM MAGNISQUE SEDITIONIBUS ECCLESIAM PACATAM IMPLEVIT. *Qui cum se Latinorum dogmata profligaturum simulasset, libellis adversus illos compositis conclusione rationum demonstrabat, eos in Religionis doctrina hallucinari ac labi, nostrisque gaudebat institutis & legibus, & a se Latinorum dogmata & cæremonias ex animo damnari, dabat indicia,* UT APPAREBAT. *Ob hanc igitur sacram & illam aliam civilem eruditionem Imperator honore & amore eum dignabatur, & Magnus quoque Domesticus diligebat, nec illi quidquam ad felicitatem deerat.*

Joh. Cantacuz. Histor. lib. II. c. XXXIX. p. 329.

VIII. Palamæ & Hesychiastarum errores.

VIII. Huc usque fortuna favebat Barlaamo, qui apud Imperatorem & μεγάλον δομεςικὸν maxima pollebat autoritate. Sed incidit in Monachos Hesucastas, aut *Quiescentes*, qui novas vitæ solitariæ ac obedientiæ leges

Digitized by Google

ges sibi faciebant *præcipue tranquille precationibus intenti, exultatione animi & divina quadam inexplicabilique voluptate perfundebantur, & oculis corporeis se circumfulgentem lucem aspiciebant.* Hic primus fuit ritus, qui ob controversiam inde natam explicandus est autoritate & verbis scriptoris, qui has leges dederat: „ Attende ut facias quod tibi dico, clausis foribus „ sedeas in angulo quodam, mentemque abducas ab omni re fragili & ca- „ duca. Deinde mentum tuum pectori innixum inhæreat, moveasque „ oculum sensibilem cum mente tua tota in medio ventris, in umbilicum „ scilicet, (*inde vocabantur umbilicarii* ὀμφαλόψυχοι) quin etiam constringe „ attractionem spiritus narium, ut non facile spires: Inquire intus in vi- „ sceribus, ut reperias locum cordis, ubi animæ facultates morari solent: „ & primum quidem invenies tenebras & crassitudinem minime ceden- „ tem. Ubi vero perstiteris, ac dies noctesque in in hoc opere consumpse- „ ris, Oh rem mirandam! percipies lætitiam, quæ nullo puncto temporis „ intermittit, quam primum enim mens locum cordis reperit, statim vi- „ det quæ nunquam sciebat, siquidem viso aëre, qui inter spatium cor- „ dis extat, se totam lucidam & discernendam præbet. ” SÆC. XIV. ANNO 1350. Ibid. pag. 330. Apud Allat. p. 830.

Secundo autumabant illi Monachi, lucem, quæ in *Monte Thabor* fulsit transfigurationis tempore, esse æternam increatam, ipsosque illam se circumfulgentem videre corporeis oculis.

Tertio distinguebant operationes divinas ab ejus substantia, & suppositâ *distinctione* disputabant, an illæ essent creatæ vel increatæ. V. Petav. dogm. Theol. l. I. c. 13. p. 13.

IX. Barlaam non potuit sibi temperare, quin Solitarios infectaretur, eosque *impostores mendaces, Massalianos, germanorumque dogmatum corruptores appellaret*, palam testificans, omnes ab eorum consuetudine refugere debere, *qui seducerent & seducerentur.* IX. Damnatur Barlaam à tribus conciliis.

Hinc illi prima mali labes fuit; nam *Palamas*, bini ejus fratres, & Monachi plurimi, qui morum austeritate & assiduâ meditatione tum plebi, tum Imperatori imponebant, hunc in partes suas traxerunt. Joh. Cantacuz. l. II. p. 330. V. Labbe Con. an. 1341.

Distingui debent Concilia trina: Prius habitum fuit anno 1341. ut superius monitum, imperante *Andronico Juniore*, qui postmodum obiit. Disputatum est vehementissime de æternitate luminis Thabor, & quomodo increata lux possit oculis percipi. Sed victoriam retulit *Palamas*, damnatis *Acyndino* & *Barlaamo*, quos ut hostes Ecclesiæ redarguebat. Joh. Cantac. l. IV. c. 23.

Cum in tanta Monachorum deliria invehere pergerent, secunda Synodus convocata fuit Constantinopoli in Palatio Imperatorum apud Blackernas anno 1351. Titulus Synodi sic habet: *Tomus compositus a divina & sacra Synodo, convocata contra eos qui sapiunt cum Barlaam & Acyndino, sub imperio* &c. Τόμος ἐκτεθεὶς παρὰ τῆς θείας καὶ ἱερᾶς συνόδου τῆς συγκροτηθείσης κατὰ τῶν φρονούντων τὰ τοῦ Βαρλαὰμ &c. ἐπὶ τῆς βασιλείας τῶν εὐσεβῶν. &c. Illi autem Imperatores, qui suscripserunt rubris litteris & manibus *divinis*, οἱ ἐρυθρῶν γραμμάτων τῶν θείων χειρῶν fuere *Johannes Cantacuzenus* & *Johannes Palæologus*, & post Imperatores Κάλλιστος ἐλέῳ θεοῦ ἀρχιεπίσκοπος Κωνσταντινουπόλεως καὶ οἰκουμένης πατριάρχης *Patriarcha œcumenicus* cum *humilibus* Metropolitis ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης Ἡρακλείας &c. In eo Concilio *Barlaamus* & *Acyndinus* à *reliquo corpore Ecclesiæ, ut membra morbo insanabili infecta, nulliusque correctionis post mortem*, ob errorem scilicet, *capacia, manifeste amputati. Eadem Synodus Ephesi & Gari Episcopos ordine movendos decrevit &c.* Lamb. l. V. Johan. Cant. p. 799.

Tertium deinde Concilium fuit ab iisdem Imperatoribus convocatum & tertius tomus subsequens factus est, quem, Callisto Patriarchâ in templo

*di-*

Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1350.

*divinæ Sapientiæ* σοφίας cum reliquis Episcopis Missæ sacrificio fungente, Cantacuzenus, omni Imperatorio ornatu excultus, intra adyta, Patriarchæ & reliquorum Episcoporum ordini tradidit. Postea *Barlaami* & *Acyndini* discipuli ab Imperatore & Patriarcha jussi sunt de dogmatis nihil dicere neque scribere, ne sinceriores suis fallaciis perverterent. Hæc refert *Johannes Cantacuzenus*, ex Imperatore postmodum Monachus. Itaque patet, damnatam trinis Conciliis sententiam Barlaami, sed in posteriori nec adfuisse, nec voluisse illam tueri, utpote qui jam fugam arripuisse potuerat. Tempus autem tertii Concilii incertum. Redux apud suos Barlaam, & sorte sua non contentus, priorem sententiam ejuravit. Homo versatilis ingenii: quod tertium nobis probandum fuit, ad illustrandam Historiam, quæ intricata videtur.

X. Redux in Italiam pro Latinis adversus Græcos pugnat.

X. Illud demonstrari potest ex opusculis editis. Ille enim expulsus ex Oriente & apud Latinos profugus, eorum dogmata tueri cœpit, scriptisque quam plurimis Græcos confutavit, hos non modo Schismaticos, sed Hæreticos esse probans, ut patet ex ejus Epistola ad Alexium, quæ hîc editur. Primatum Petri Ecclesiæ tribuit Romanæ: quam, quantum fieri potest, extollit, contraria iis quæ prius scripserat, chartis committens. Utebatur *Decretalibus*, indeque argumenta velut certissima depromebat, quas numquam perlegisse, suspicioneque laborare, merito dicebat Alexius. De processione Spiritus Sancti accuratius multò loquitur. In partes suas aliquot Græcorum videtur traxisse, ideoque novum iter apud Orientales confecit, ut facile probatur ex Demetrii Thessalonicensis ad eum Epistola, quam cæteris inseruit Canisius. In mercedem laborum tantorum Præsul Hieracensis, quæ civitas *Locri* fuit in regno Neapolitano, factus est.

XI. An fraude, an ingenue?

XI. An bona fide in omnes partes flecteretur versatile ingenium: an vero fraude uteretur, dubium est. Illum velut fraudulentum damnant plerique; quinimo fraudis artifices faciunt Latinos, ita ut apud Græcos animi sententiam plane texerit, ut eos in Latinorum partes facilius pelliceret. At ego facile credam, sententiam mutasse prout res postulabant: Nec mirum, à Græcis perfidiæ crimen objectum, quos puderet, ab illo dejeratos. Ambitione laborantem Barlaamum, teste *Nicephoro Gregorâ*, gloriamque summa animi contentione aucupantem quis stupeat, Imperatori devotum fuisse, ejusque fidei addictissimum, dum sibi favebat: Quis deinde miretur, alia plane scripsisse a Græcis damnatum, expulsumque his ab oris, ubi maximâ gaudebat olim famâ? Ea fuit hominis levissimi indoles, qui gloriam, non fidem nec Religionem curabat! Nec omnes Græci eum fraudis incusabant. *Demetrius* enim Thessalonicensis ab eo postulatur, quomodo, quaque ratione eo devenerit, ut, qui processionem Spiritus à filio negaret, postea pro ea tam acriter certaverit: mediaque ipse exponit, queis facile fidem habere possis. Non igitur fraudis, sed inconstantiæ crimen ipsi debet impingi, & quæ in animo habuit diversis temporibus, scriptis suis mandavit.

EPISTO-

Digitized by Google

# EPISTOLÆ DOMINI BARLAAMI, EPISCOPI GYRACENSIS.

## DE UNIONE ROMANÆ ECCLESIÆ, ET PROCESSIONE SPIRITUS SANCTI.

### *Epistola (a) prima D.* BARLAAMI *Episcopi ad amicos suos in* GRÆCIA *constitutos de unione sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ.* I.

QUia, ô amici & fratres, nihil est propter quod magis nos communiter contristari oportet, quàm propter hanc divisionem Ecclesiæ, & pro quo magis *Deum* deprecari, quàm ut ipsi finem imponens, fines orbis sibi conjugat: sermone ad hæc persuadenda minimè mihi indigere videtur. Nullum enim eorum qui mentem habent, æstimo, non ita de his sapere. Quoniam verò, & à Deo hujus mali solutionem postulare oportet; & ea, quæ ex nobis sunt conferre; Lex enim hæc est divinæ providentiæ, nullum eorum bonorum, quæ in nobis sunt, perfici posse, nisi concurrat simul cum divino beneplacito, etiam nostræ electivæ voluntatis assensus: necessarium est, omnes quidem mentis indagatione, hujus schismatis causas, & prima principia inquirere; & utrum solius communis inimici malitiæ hoc est malum; an etiam ambæ divisæ partes culpandæ sunt, an altera tantùm in causa est: singulum verò credentem, se hujus mali causam invenisse, non pigere suam partem ad curationem conferre, dictando, disputando, consulendo, impellendo, & prout unusquisque adeptus est ordinem vel facultatem. Si enim & communiter pro hoc Deum orabimus, & singulariter quilibet, quod ex se est, conferre studebit: spes non parva erit horum malorum liberationis. SÆC. XIV. ANNO 1350.

Ego itaque quemadmodum facta hæc examinando, quam schismatis causam inveni, & ad quam perveni conclusionem: communicare vobis amicabili modo, quoniam cuilibet ad verba venire nequeo, nullâ pigritia recusabo. Deprecans unumquemque vestrum, ut propter commune bonum, & communiter expediens, non pigeat eum, si potest, idipsum facere. Et mihi sic volenti, spiritualis gratia utilitatis, rem communicare.

Itaque si schismate mox inchoato, quæ ex tunc subsequuta sunt, accidentia utrique parti; quæcunque divini beneplaciti, & quæcumque permissionis Dei, & indignationis manifestissimæ esse videntur; consimilia viderem, vel parùm dissonantia: certè aut ambas partes differentiæ hujus caussarem æqualiter, aut neutram. Nunc autem cùm maxima sit accidentium differentia; cogor, unam partem innocentem dimittens, ad alteram tantùm, totam culpam transferre.

Duabus enim existentibus partibus, una quæ sub Ecclesia Romana constituta est: altera verò, quæ ab illa divisa est; quatuor maxima signa *Dei* beneplaciti in illis possunt videri, penè voce magna clamantia, illi Ecclesiæ *Deum* acquiescere: oppositæ verò illis, æqualia numero, divinæ permissionis & indignationis, & quasi ultionis evidentissima signa existentia, in reliqua parte videntur.

Et ut à minimo quatuor exordiar. Primùm universa illa gens legibus, quibus etiam

(a) Habes has Epistolas apud Bzovium Annal. tomo XIV. qui eam ex Canisio hauserat. Extant etiam in Bibl. Max. Patr. Lugduni edita. T. 26. BASN.



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1350.

tenuissima accidentium hominum communitati distincta sunt, regitur & administratur. Nihil indeterminatum apud eos est. Nihil inordinatum; sed qualiter oportet se gerere, & dominantes inter se, & cum suo principio, & cum his, qui tantummodo subditi sunt, atque commune principium cum omnibus inferioribus, in quolibet accidentium; & ipsos subditos inter se, & cum majoribus; & quid à quolibet exigendum est, quomodo delicta punienda sunt, & benefacta præmianda, & quis horum examinationis modus. Hæc omnia & quæcumque alia hominum inter se societatem & communitatem in pace maximè conservare valent, legibus apud singulos membratim instituta & custodita sunt. Ex qua legum æquitate, etiam secundum *Deum* velle vivere, & Evangelica servare mandata, facilius à pluribus fit.

Hic autem totum contrarium. Et ne singula dicam. Lex est in singulis, potentiorum licentia & voluntas. Ut enim quilibet dominantium ad prudentiam se habet & bonitatem: ita & facta subditorum contingunt. Ex quo, quot adversa subsequuntur, non tantùm Rempublicam subvertentia, & civilem vitam lædentia, verum etiam Evangelicam, quid opus est apud scientes recitare? Unum quidem hoc tale est.

Secundum verò, quod & majus, quòd in illis quidem Evangelica doctrina ubique viget, currit, & multiplicatur, & omnibus divinus sermo prædicatur: non solum, quòd quàm plurimi omnia secunda reputant, erga sacram scripturam studii, & meditationis & disciplinæ; sed quod & ubique multitudinibus per civitates, villas, oppida & castella, & in sacris templis, & ubicumque inveniuntur simul multi aggregati, & præsertim festivis diebus, qui sciunt divina eloquia, prædicant congruenter, audientium habitui & loquelæ, aperientes eis per totum annum & historiale, & narrativum, & sententiale & morale divinæ scripturæ veteris pariter & novæ. Et quis erat ante incarnationem Domini, hominum status, quæ verò hujus sacramenta, & quid boni ex ea nobis effectum est: Quæ præcepta & quæ consilia: & cum his sanctorum vitas in natalitiis, & si quod alterum ad pietatem & virtutem spectat, & ad nostram salutem: ita quod illorum illiterati, mares simul & fœminæ, nihil minùs ab his, qui in litteris studeant, habent: certè in his, quæ in promptu sunt, & ad salutem necessaria, nostræ religionis & fidei; sed verbo studiosi, in superfluis, non in necessariis à reliquis differunt. Ex quo contingit, ut gens illa moribus, ut plurimum sit simplex & aperta, veritatis amica, fraudis inimica, constans in suis judiciis, stabilis, in conventis inter se fidelis, non vertibilis & facilè mutabilis, ad perjurium tardissima, & fide, quæ in Christum est firmissima & ferventissima. Et pro hac etiam ipsâm vitam, si hoc opus fuerit, prodere paratissima. Hîc autem quid? studiosi quidem discendi nimis pauci sunt. Horum adhuc pauciores, qui sacram scripturam pluris faciunt, plurimis paganorum scientiis libentius operam dantibus. Turba verò illiterata omnis in communi propositæ salutaris sermonis doctrinæ inexpers remanet. Quare pro uno qui sciat substantialiora secundum nos pietatis: multa millia reperiri possunt eorum, qui penitus ignorant Christianismi virtutem. Ex quo contingit, contrario more illis hanc gentem affectam esse.

Tertium autem post hæc, nihilo minus prædictis, illud considero, quòd cum divina providentia, nihil eorum, quæ secundum beneplacitum illius in universo efficiuntur, inordinatum dimittat, omnisque multitudo ordine per se careat, nisi reducatur ad unum principium. Pluralitas enim principiorum & carentia principii, similis sunt inordinationis. Hujus quidem gentis universa multitudo sub (*a*) uno est ordinata principio, Ecclesia videlicet Romana & ejus præsule, quem omnes honorant & metuunt: non tanquam armis & vi dominantem, nec tanquam humana lege vel generis successione, vel multitudinis rumore dominium sumentem; sed tanquam ab ipso domino Christo ordinatum, & in terris vices gerere ab eo constitutum. Itaque illius mandata, cum omni reverentia, omnes non tanquam Apostolica tantùm, verum etiam Dominica scripta recipiunt & adorant: & nihil ita durum ab eo jubetur, ut non quietè parati sint ad implendum, & omnes ab illo corrigi sua, & retractari suscipiunt, omniumque sacerdotium ab eo dependet. Et ipse cum circa se synodo, cum grandi auctoritate & potestate, nullo prohibituro existente, corrigit omnia, retractat, confirmat, irritat, statuit, inhibet; mittit ad universas partes Doctores, visitaturos singulas provincias, & eos qui in eis animabus præsunt, & examinaturos, quis modus illorum doctrinæ, quo modo sacra tractant mysteria; quomodo se gerunt cum grege domini, quomodo secundum se vivunt: ut horum relatione facta, & quod deficit, ab illa Sede suppleatur, & quod peccatur, corrigatur. Et horum quodlibet facillimè fit. Nemo enim est, qui non putet, Ecclesiæ illi adversari, periculum inferre animæ saluti. Ita quidem facta illorum ordinata sunt.

In

(*a*) Aliter plane Barlaam disputans adversus Primatum Papæ, apud Salmasium. Hunc consule tractatum ut plenius dignoscatur sententiarum diversitas. BASN.

Digitized by Google

In altera verò parte, non ſingularitas principii; ſed pluralitas principiorum, & carentia principii honorata eſt. Quinque enim exiſtentibus patriarchis; *Bulgarenſi* connumerato, & adhuc (a) *Triballenſi* Archiepiſcopo; ſub quibus penè omnes hujus partis ſunt; nullus horum ſex, vel de jure, vel de facto talis eſt, ut reliqui quinque ipſum, ut ſuum caput habere velint, & ab ipſo & ejus ſynodo corrigi, & retractari patiantur: & ad omnia ejus juſſa ita obedientes ſint, ut tanquam divinas voces, illius recipiant mandata: & periculum ſalutis credant, illum reſiſtendo offendere. Et quid dico de aliis? ſed neque quicunque, ſub quolibet ſunt horum ſex, ita devotè ſe habent ad ſuum caput, ut metu non corporalis damni; ſed animæ perditionis illius mandata velint implere. SÆC. XIV. ANNO 1350.

Pontificatus verò cujuslibet, quomodo *Bulgarenſis*, dependet à principe illius gentis. Et *Triballenſis* ſimiliter à ſuo principe. *Antiocheni* verò patriarchæ, *Armeniorum* Rex dominatur. *Hieroſolymitani* autem & *Alexandrini*, *Ægyptiorum* impiiſſimus princeps. Nullus enim horum pontificatum recipit, non probante & decernente & conſentiente ſuo ſæculari principe. Magis, autem, ut plurimum, & omnibus, ad quæ ſpectat electio, voluntate renuentibus, & cum principe diſcordantibus: neceſſarium eſt finaliter, eum, quem vult princeps, pontificem effici.

Itaque, cùm ſit impoſſibile, longi temporis progreſſu, prava conſuetudine paulatim multa protrahente, non multa contingere, quæ deſiderent generalem correctionem; generalitérque aliquid corrigi ſine generali concilio difficillimum ſit: hæc quidem pars poſſe communem aggregare ſynodum, principalioribus ejus partibus, ad unum convenientibus, penitus amiſit: cùm non ſit videlicet in ea caput tale, quod poſſet neceſſitate alios compellere, convenire. Latinis verò neque hoc difficile eſt. De Tertio quidem hæc dicta ſint.

Venio autem ad Quartum, quod & ſtupefio conſiderans. Cùm enim Dominus noſter *Jeſus* Chriſtus prædixiſſet afflictionem habituros ſuos fideles, & odium ab omnibus & perſequutionem paſſuros: Chriſtianorum genus ex tunc, uſque ad imperium *Conſtantini* Magni, affligebatur quidem ut plurimum, & odio habebatur, & perſequutionem patiebatur. Sed quod erat maximum miraculum: ipſi qui odio & perſequutionibus affligebantur, de ipſis affligentibus & perſequentibus & odientibus multiplicabantur: ipſis affligentibus continuè ſeſe ad afflictos convertentibus. Nam etſi aliqui, metu tormentorum, recedebant à fide; ſed tamen è converſo multò plures ad fidem omnibus ſententiis convertebantur.

Præſentia verò quomodo? quam miſerabiliſſimè. Ut enim antiquiora omittam, ex quo factæ unioni ſub primo Palæologorum, acquieſcere hujus partis noluerunt: innumerabiles ex ea multitudines ad deteſtabiliſſimam Machometicam ſectam converſæ ſunt: non ſolum his qui teneræ ætatis erant, neceſſitate ad captivantium & ementium ſuperſtitionem converſis: verum etiam perfectioris ætatis per animi mollitiem fidem aſpernatis. Quamvis ſi affligeretur hæc gens & non minueretur; vel ſi minueretur; ſed per mortem, & non ad impietatem ſe convertendo: poſſet utique hoc paternæ caſtigationis eſſe putari. Tot verò multitudines permitti, ita ſubito ad captivantium impietatem mutari: hoc non paternæ diſciplinæ; ſed omnimodæ deſertionis manifeſtiſſimum ſignum eſt.

Facta verò Latinorum è contrariò ex tunc non modicum creverunt: non ſolùm quòd *Armenii* relictis paternis erroribus illis ſe addiderunt, & alii Orientalium gentium, qui per horum prædicationem ſimiliter his ſemper conſentiunt: ſed & copioſiſſimæ in Occidente civitates *Machometicæ* ſectæ, per Regem *Hiſpaniæ* captæ ſunt: ex quibus non parvæ multitudines, fide in Chriſtum ſuſcepta, Latinis additæ ſunt. Et Græcorum adhuc non pauca millia ad illos adducta, illorum fidem ſponte receperunt: ut etiam & hi, qui ad *Perſas* converſi ſunt.

Hæc igitur ego in me ipſo vertens animo, minimè credere valeo, hos ab illis, rationabili aliqua cauſa diviſos eſſe; tanquam illis in aliqua hæreſi & mala fide exiſtentibus. Si enim pars illa Chriſtianorum, quæ concorditer ad conſtitutum Dei decreto ab initio totius Eccleſiæ principium ordinata eſt, quæ legibus regitur & Evangelico ſermone, & multitudine ſemper creſcit, hæc quidem eſt in hæreſi: Quæ verò pars ab hac juſtè diviſa eſt, per omnia ſana eſt: hæc neque legibus vivit, neque ad unum ordinata eſt principium, & ſemper ſecundum multitudines, ad alieniſſimam Dei gentem convertitur; & in ipſa prorſus, quantum ad illiteratos, Evangelicus extinctus eſt ſermo. Deſeruit ergo *Deus* omnimodè Chriſtianiſmum? Sed nullo pacto hoc fieri poteſt. Verax enim eſt promiſſio dicentis, *nobiſcum fore uſque ad conſummationem ſæculi: & portas inferni minimè prævalituras adverſus Eccleſiam eſſe: Et Petri fidem nunquam deficere:* quod etiam de omnibus *Petri* ſucceſſoribus in conſequentibus temporibus,

(a) Triballenſes fuere ipſi Bulgari, populi ſcilicet Mœſiæ vel Myſiæ Europeæ, quorum Ternobum, hodie Ternova, fuit Metropolis. BASN.



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1350. intelligi dignum est dominica oratione. Siquidem oportet credere magnum aliquid esse, quod ex ea effectum est.

Ex his igitur & hujusmodi rationibus, non possum æstimare, quòd Latinis in hæresi non existentibus; rationabiliter hi illorum devitant communionem. Si enim hoc esset, justa itaque divina providentia existente; oportet prædicta quatuor, vel principaliora eorum è converso contingere. Et cum caput totius Ecclesiæ ab initio constitutum cecidisset; oporteret utique dominum, alterum caput suscitare sanæ parti Ecclesiæ: ne sine capite & inusitatum, & deordinatum & deforme magnum & mysticum corpus Christi remaneret! Sed venio ad specialiora.

Hæc gens, propter duo, ut ita dicatur, Latinos accusans, æstimat oportere ab eis se dividi. Unum & principalius, quod ajunt. Spiritum sanctum ex Patre Filioque procedere. Secundum, quod per azymos panes sacratissimam celebrant hostiam.

*Hinc colligere licet, quo tempore vixerit Barlaam.* CAN. Male, ut videbitur inferius. B.

Ego autem tempora examinans, video quòd schisma quidem nondum quadringentorum est annorum. Sub *Basilio* enim *Macedone*, & *Fotino* (a) Patriarcha, ut aiunt incepit; à quibus nondum prædictorum annorum numerus est completus. Ecclesia verò *Romana* ante inchoatum schisma, pluribus quàm septingentis annis per azyma conficiebat sanctissimam (b) *Teletam*. *Alexander* enim Romanus Pontifex, qui sub *Adriano* glorioso Martyrio vitam finivit, hostiam de (c) azymo Ecclesiæ *Romanæ* statuit. Post quem non paucos *Romanos* Pontifices, *Deus* virtute & martyrio, & miraculis glorificavit: ut etiam utræque partes in sanctis eos connumerarent. Similiter Spiritum sanctum ex Patre Filioque, tanquam ex uno principio procedere, videtur Ecclesia Romana tenere, ante inchoatum schisma, pluribus quàm quadringentis annis. Beati enim illi viri, divinus *Augustinus*, *Ambrosius Mediolanensis*, & *Hieronymus*, qui claruerunt circa tempori *Theodosii* Magni; ex quo præterierunt usque nunc plures quàm octingenti anni; quos Latinorum Ecclesia doctores & regulas, pietatis duces habuit. Hi divinam aperientes scripturam, multis locis suorum operum manifeste notant, quòd Spiritus sanctus ex Patre Filioque, tanquam ex uno principio procedit.

(a) *Photio.* (b) *Missam.* (c) de azymis vide quæ Mabillon præf. ad sæc. Ben. & Bona in Liturguis habent. B.

At verò Romanus Pontifex Beatus *Gregorius*, qui dicitur fuisse sub *Justiniano*, ante schisma, pluribus quàm trecentis annis, superiores suos & ipse sequens, eandem de Spiritu sancto tradit sententiam. Quare si rationabile esset, propter has causas à Latinis dividi: oporteret utique ab initio hoc facere; & neque sanctos hoc sapientes & azyma immolantes putare, neque communia concilia cum eis pati facere. Nunc autem post unà cum eis celebrata septem concilia generalia, & multos azyma sacrificantes, & prædictam de Spiritu sancto sententiam in suis scriptis manifestè prædicantes, sanctos & ab ipsis Græcis reputatos, propter eadem ipsa, post multos annos, velle ab eis dividi, quomodo non caret omni ratione? quamquam de Spiritu sancto, si soli illius linguæ patres hoc traderent, nolle credere nondum tantum esset malum.

De processione Spir. S.

Nunc autem & Græcæ linguæ patribus, idipsum prædicantibus: scilicet *Magno Basilio* in (d) Antireticis, sancto *Athanasio*, multis locis; sancto *Cirillo*, sancto *Gregorio* (e) *Niceno*; quomodo non absurdum est, eos, qui eadem nunc illis sapiunt hæreticos reputare? Ego quippe non habens hujus rei demonstrationem, tanquam existentis super demonstrationem; & videns tantum exercitum Patrum hoc sapientium, atque decreto *Dei* matrem Ecclesiarum id ipsum determinantem; non tutum esse cognosco aliter sapere. Quamquam si contrarii demonstratio haberetur, & res hujus esset perceptiva: neque sic oporteret piam considerationem, tantorum patrum, ac Sedis Beati *Petri* sententiæ humanam demonstrationem anteponere. Multa enim demonstrationibus (f) dissonantium nostra docet religio.

(d) ἀντιῤῥητικοῖς. (e) *Nysseno.* (f) *Fortè dissonantia.*

De Azymis.

At verò & de Azymis cum manifestum sit, quòd in sacra scriptura panis nominetur, sive fermentatus sit, sive azymus, & quod serò illius sacræ cœnæ, prima, ut ajunt tres Evangelistæ, azymorum erat: in qua non tantùm comedi panem fermentatum à quoquam Judæo, non licebat, sed neque omnino in domo Judæi inveniri. Et quod duo discipuli missi sunt ad præparandum in cænaculo legale & assuetum pascha, & quòd, ut aiunt Evangeliorum expositores, omnibus, quæ secundum legem erant, consummatis: Salvator pane accepto, cœlestia tradidit sacramenta: qui panis intelligitur esse ex illo, qui tunc propter legale pascha præparatus erat in mensa, & divino *Chrysostomo* dicente, in octogesima homilia super *Matthæum*; nihil contrarium legi sero illo salvatorem fecisse. Et quòd si esset panis ille fermentatus, manifestè utique hoc contrarium esset legi. Ex his omnibus indubitanter concludi video, per panem azymum, sua tradidisse dominum mysteria.

Quoniam rursus Apostoli, eadem nobis tradentes mysteria, non distinxerunt, sive fermentatum, sive azymum; Sed Orientalis Ecclesia, continuò incepit *fermentatum*. Occidentalis verò azymum; eò quòd gerit imaginem puritatis & sinceritatis & veritatis. Utraque ego quidem similiter adoro & colo. Latinos verò, in tantum pruden-

Digitized by Google

dentiores æstimo, quòd illi quidem minimè hostiam de fermentato vituperant; sed similiter venerantur. Horum autem multi non timent in sancta blasphemantes. SÆC. XIV.

Adhuc autem multi dicunt se scandalizari, quia multa contra Apostolorum canones & septem generalium Conciliorum vident in Latinorum Ecclesia fieri. Me autem neque hoc scandalizare valet. Quare? quia primum quidem discurrens & ipse eosdem canones, & ad præsentia respiciens, multa invenio, & in hac gente contrario modo, quàm ut canones jubent facta: & plura & majora, quàm illa quæ ajunt Latinos transgredi: ut non sint secundum hoc ipsi meliores illis. ANNO 1350.

Deinde & hoc considero, quòd omnium quæ in canonibus comprehenduntur, aliis existentibus dogmaticis, & de quibus oportet credere: aliis verò in actione, quæ agendum, & non distinguunt: & horum rursus aliis dependentibus à Dominico & Evangelico mandato; aliis verò non: quæ singula à studiosis notata sunt. Canonum verò de fide, & quorum est dominicum mandatum, nullum unquam Ecclesia Romana mutavit, neque potest hoc ostendi. Quos verò mutavit vel revocavit: hi sunt illorum canonum, qui neque de fide sunt, neque à dominico pendent mandato. Hoc autem nullum est inconveniens. Quæ enim ita se habent, etiamsi sint per generale Concilium determinata; sed rebus consequentibus temporibus cadentibus & humanis dispositionibus mutatis: potest Ecclesia ipsa, grâtia melioris, mutare. Ut multa talia reperiuntur, etiam in ipsis Conciliis posterioribus, multa priorum Conciliorum decreta, cum eodem spiritu, vel omninò irritantibus, vel omnino ad melius convertentibus.

Sed quia illa, quæ hujusmodi sunt, propter velocem humanarum rerum mutationem frequentius contingunt: in quolibet verò non est possibile, vel non est facile generale aggregare Concilium: Sed neque est quodlibet tantæ difficultatis, ut generali deliberatione indigeat: non oportet turbari, si mater Ecclesiarum, cum sola circa se synodo, quæ hujusmodi sunt, suis temporibus Apostolica auctoritate corrigit & mutat vel irritat. Non enim eò quod sit majoris auctoritatis, & magis possit generale Concilium, quàm Apostolica sedes, generalia aggregantur Concilia; sed quia incidentes Quæstiones difficiliores sint, & majore indigeant discussione.

Ex his igitur omnibus, novissima mea conclusio est illa; Quod Ecclesia Romana est summè Orthodoxa, & nullam unquam causam alicui dedit, ut rationabiliter ab ea dividatur. Et quòd qui ei sunt uniti & obedientes, & mandata Dei custodiunt, in statu salutis sine dubio sunt. Itaque & quicunque spretis his, quibus placet in schismate perseverare, ad ipsam toto animo accedunt: hoc salubriter de se, & deliberare, & agere puto.

## *Ejusdem Domini* Barlaami *Episcopi ad eosdem amicos suos Græcos, & de primatu Ecclesiæ Romanæ, & de processione Spiritus Sancti.* II.

QUod in primo ad vos misso sermone, ô amici & fratres, sine aliqua probatione tanquam manifestum sumptum est: Ecclesiam videlicet Romanam principali Dei voluntate, matrem esse catholicæ Ecclesiæ: proprio sermone nunc tentabo vobis demonstrare. Deprecans vos, ut sicubi me videritis cogitationibus deceptum; non pigeat vos verbo vel scripto, errantem ad rectam revocare viam.

Incipiam igitur inde. Deus nullam multitudinem in entibus, dimittit inexpertem virtutis unius: per quod infinitum multitudinis & indeterminatum, termino & ordine formari valeat; sed semper multis superstatuit unum commune principium, non solùm longinquum & alterius generis, & multa alia non ejusdem generis comprehendens; sed etiam propinquum & cum multis ejusdem generis. Et hoc si quis incipiendo à Deo, qui est commune omnium principium, voluerit mente transire; per supercœlestes, & cœlestes & inferiores naturas: & cum his videre veteris testamenti facta, & quæcumque alia providentiæ acceptantis sunt in universo opera: indubitabiliter ita se habere in omnibus inveniet. Et convenienter. Ut enim ait Theologus in primo de filio Sermone: pluralitas principiorum, & carentia principii, initia sunt inordinationis. Ex hac autem oritur solutio. Solutio verò omnino est Dei alienum. Quapropter & factus propter nos homo, & duodecim eligens viros; quos sapientia decorans, missurus erat ad nostri generis reconciliationem: his principem & caput superstituit *Petrum*, primum aliorum eum constituens: per ea, quamvis communiter omnibus data; singulariter ipsi & manifestius tradita. Ligandi enim & absolvendi potestatem, atque pastorale ministerium; quæ & ante resurrectionem & post, per communia & alia verba omnibus dederat, specialiter & expressius *Petro* dat, ipsi dare pollicens claves regni cœlorum, & super eum Ecclesiam suam firmissimè ædificare, & ejus fidem nunquam deficere, & suos ipsum fratres confirmare, & adhuc pascere totam Ecclesiam ter ei præcipiens. Quia enim per hæc, caput ipsum aliorum Apostolorum constituebat dominus, & hoc intendebat; multa hujus argumenta esse possunt.



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1350.

Primum enim: si nihil differentius ab aliis, per ea *Petrus* accipiebat; non facilè invenietur alia causa, ob quam, nihil frustra faciens Sapientia, hæc singulariter Petro loquebatur. Deinde & Evangelistæ & in Evangeliis & in Actis, ubicumque commorant *Petrum* cum aliis, vel omnibus, vel aliquibus: semper & ubique ipsum aliis præordinant. Quod non utique observanter facerent, nisi scirent, eum primum aliorum à Domino constitutum. Invenio etiam Apostolos, illi, ut suo primati semper cedentes. In Actibus enim, aliis Apostolis pariter cum eo existentibus, ipsum video semper sermonem inchoantem, aliòs verò sequentes. Deinde & illud considero, quod cum ea quæ sacramenti incarnationis magis sunt necessaria; sicuti est crux, passio, mors, resurrectio, & per quatuor Evangelistas plenius scribantur: ea verò quæ in tantum non sunt necessaria, ab aliis omittantur, & ab aliis dicantur: Illa per quæ *Petri* primatus ostenditur: tanquam existentia illorum, quæ magis sunt necessaria, & à quatuor conscripta sunt, tanquam valde necessarium sit, omnes scire, cui Ecclesiæ principatus à domino creditus est.

Petri Primatus.

At verò & divinus *Dionysius* in tertio de divinis nominibus *verticalem Theologorum summitatem*, Magnum *Petrum* nominat: & ex tunc universa Ecclesia, addito ipsi divino *Paulo*, summos Apostolorum *Petrum* & *Paulum* nominat, illum similiter præordinans. Quare undique manifestum est, ab ipso Domino Christo, ipsum accepisse aliorum principatum. Et hoc valde decenter. Quoniam enim oportebat eum, qui erat propriè & vere aliorum Apostolorum princeps, non semper eis corporaliter adesse, sed secundum corporalem præsentiam relinquere eos: unum de duodecim vice sua principem aliorum præponit, hominem hominum; ut facta dispensationis, neque in hoc aliis providentiæ operibus appretianda sunt. Sed videamus reliqua.

(a) *videtur deesse dicunt, scribunt, vel simile quid.*

Multi nostrorum doctorum (a) Pontifices quidem locum obtinere duodecim Apostolorum: presbyteros verò, septuaginta. Ergo primi Pontificum Apostoli sunt. His adhuc prior quidem primitus Christus. Secundo verò & ab omnium primo constitutus, ad habendam principandi rationem ad alios, beatus *Petrus*. Quid igitur? oportet-ne, pontificale quidem ministerium, non in ipsis Apostolis circumscribi; sed etiam successoribus ipsum tradi, usque ad fines sæculorum, ut semper in mundo sint Pontifices successores eorum; pontificatus verò primatum in ipsis oportebat finiri, ut quemadmodum in illis factus est aliquis decreto *Dei* primus, quem alii pro capite suo ducebant; hoc nequaquam ad reliquos transeat, ut alii aliquem unum suum principem putent; sed omnes per omnia coæquales sint? Et ex qua differentia hoc deberet contingere, ut pontificale quidem ministerium transeat ad successores: principandi vero officium, secundum pontificatum minimè, cum utraque similiter essent à Domino ostensa, & similiter multitudini fidelium necessaria existant? Vel quomodo totaliter providentiæ opus esset, omnia sapienter administrantis, Apostolis quidem providere, ut habeant primatem: quos ita gratia erat perfectura, ut non indigeant in multis ducem hominem habere: post illos verò multitudines fidelium inprincipatas & inordinatas deserere ferre? Ego enim contrarium credo: ideo *Petrum* principem aliorum constitutum fuisse, ut secundum eandem formam semper in Ecclesia ad unum reducantur omnes principium. Sed quoniam pontificatum quidem ad multos transire impossibile erat; ideò licet multi in diversis locis, & orbis partibus Episcopi à beato *Petro* creati fuerunt, ut de eo Chronica indicat: & omnes possibile est nominari successores ejus, secundum utraque, pontificatum ajo, & primatum solus Beatus *Clemens*, successor ejus ab ipso substituitur.

Ipse enim in quadam ad *Jacobum* epistola ita (a) narrat: quod divinus *Petrus* ante paucos dies sui corporalis finis, convocata tota Romana Ecclesia, constituit eum coram omnibus vice sua illis Episcopum, dicens ad illum quidem: Tibi do omnem traditam mihi à Domini potestatem: ad plebem verò, ut in omnibus illi tanquam sibi attendant. Itaque ex tunc aliarum quidem civitatum pontifices, invenies, nihil ut plurimùm æstimantes oportere curiosius agere, ultra illa quæ ad suam diœcesem pertinebant. Romanos verò pontifices à Beato *Clemente* incipiendo; tanquam totius orbis prælaturam & curam habentes, universalia administrare mox ordientes, ad universas (b) regulares Epistolas mittentes, & quæ ubique peccabantur corrigere nitentes, & quod agendum erat omnibus statuentes: ut potest hoc sciri, si quis regulares Epistolas Romanorum Pontificum à Beato *Clemente* usque ad sanctum *Sylvestrum* discurrere voluerit: in quibus non pauca inveniet contenta, etiam eorum, quæ nunc Ecclesiæ Græcorum facit ab illis Pontificibus instituta & originem habentia. Unde quod in machina universi contingit, quòd quæ longinquius à *Deo* distant, procliviora sunt ad peccandum, & minùs determinata & mutabiliora: quæ verò propinquiora sunt,

(b) *Canonicas decretales.*

(a) Nititur Barlaam epistolâ Clementis ad Jacobum, quæ eo facilius spuria probatur, quod scripta fuerit non nisi post mortem Petri, cum longe ad superos evasisset ille Jacobus, cui inscribitur. BASN.

Digitized by Google

sunt, eadem in bono permanentiora, & stabiliora, & magis determinata: Idem etiam in Ecclesia profectò contingit. Plurimæ enim & deterrimæ hæreses in partibus magis à Romana distantibus ortæ sunt: *Romæ* verò vel prope, auctores hæresum facti non sunt. Matre enim Ecclesiarum omnibus veritatis radios enitente, profectò contingebat propinquiores magis quàm longinquiores, clarius illuminari: Cùm autem divina providentia, respublica ad Christianos venisset: piorum Imperatorum legislatores, *Constantinus* & post eum *Justinianus*, consequenter superiori traditioni & possessioni, legibus & decretis ejusdem Ecclesiæ primatum statuunt, in parte pietatis hoc facientes; manifestè determinantes *Romanam* Ecclesiam oportere habere rationem ad reliquas omnes; & ipsi convenire omnium dominari, & omnia retractare; & quæ ubique de fide & dogmatibus dubitantur, ad ipsam referri, & ibi convenientem examinationem & definitionem consequi: atque *Sardicensis* Concilii canones, omnium aliorum Pontificum sententias judiciales, si quis ad ipsam appellaverit, ipsam oportere retractare, & confirmare, vel irritare, similiter statuunt. Et generalia quædam Concilia, novæ *Romæ* Episcopum honorare volentia, oportere ipsum habere decernunt primatum post Episcopum antiquæ *Romæ*. Et quod omnium maximum est, quod & in canonibus & legibus nullius Ecclesiæ Sedes Apostolica nominatur, nisi tantum Romanæ. Unde multi magni viri de Orientali Ecclesia arbitrantes, se injuriam esse passos, ad Sedem illam refugerunt: Magnus *Athanasius*, sanctus *Maximus*; sed neque Beatus Chrysostomus suum ignoravit caput. Passus enim maximas injurias, ad tunc sanctissimum Papam omnia refert. Qui quantum in se erat, manum auxiliatricem dare injuriam passo, nullo modo neglexit. Sed & *Agapetus* sanctissimus *Papa*, cùm advenisset novam *Romam* tempore *Justiniani* Imperatoris: quoniam vidit *Antimum* Patriarcham quandam hæresim defendentem: illum quidem deponit de Sede: *Menam* verò, virum orthodoxum, in Patriarcham creat. Et cùm aliquando quatuor Patriarchæ cum Imperatore adversus venerabiles imagines impiè gessissent, non paucisque annis huic hæresi perseverassent, atque ad delendas honorabiles figuras communia quædam Concilia, quæ generalia esse & nominari probabant, celebrassent; & suis decretis Beatum *Stephanum* se subscribere cogere voluissent: repudiat eos ille sanctus; non ex alio, nisi quod non habebant consentientem Romanum Pontificem, dicens: hujusmodi synodum non debere generalem nominari, illo absente: quo sine non licet fieri generale Concilium; & si fiat, robur non habere. Quanquam *Ephesinum* Concilium nihil impedivit generale & esse & nominari, neque *Antiocheno* Patriarcha præsente, neque *Constantinopolitano* assentiente. Et *Calcedonense* similiter, *Alexandrino* Patriarcha non assentiente.

Sæc. XIV. Anno 1350.

Neque igitur generale Concilium, neque aliud quidquam ad universi utilitatem, unquam celebratum est, sine illa Sede. Et ex illa quidem Ecclesia, nulla hæresis superioribus temporibus ortum habuit: nulla verò aliundè ortarum occidit, sine illius providentia. Omnibus quidem modis, quibus justè aliquid possideatur, totius Ecclesiæ illa primatum obtinuit Sedes; scilicet divinâ sententiâ, Apostolorum institutionibus, synodorum canonibus, sanctorum decretis, multitudinis assensu, temporis præscriptione, ab omnibus consensu: & quod omnibus superioribus temporibus piè & rebus communibus utiliter dominium exercuit. Nam etsi aliquis semel illorum Pontificum alicui hæresi assensus est; sed non in longum, aut de longo hujus remedium. Statim enim eadem Ecclesia, adversata ei, illorum oratione, sede simul & vita privatur. Quid autem si decus ipsum & utilitatem quæramus? nonnè videbitur decentius esse, & per omnia, ut ita dicatur, utilius, & Dei erga nos pietate dignius, ut illi genti totius orbis prælatura atque cura credatur; quæ legibus & civili doctrina maximè omnium gaudet: quæ omnem infinitatem, & inordinationem, & inæqualitem, & violentiam, & injuriam & detractionem de Republica, ab initio consuevit extirpare, quàm alteri cuicumque.

Quæ enim alia causa inveniri potest, ob quam etiam ante incarnationem Verbi, quatuor secundum *Danielem*, magnorum illorum regnorum, soli novissimo & Romanorum, totus orbis à providentia Dei commissus est? nisi quod Romani humanius & civilius, & legalius, & æqualius subditis utebantur.

Quia verò Romanorum Ecclesiam principem esse aliarum Ecclesiarum, opus est omnia decorantis & utiliter disponentis providentiæ, certum est ex illo: Si quis enim considerando hominum dispositiones & voluntates, & naturales eorum passiones, quæcumque communiter omnibus accidunt, & quæcumque aliis aliter contingere possunt, atque humanarum rerum, sive illarum quæ in nobis non sunt, velocem mutationem: & cum his olim ortas hæreses atque temporalis dominii in tot serationem, animò velit videre, quænam tetra subsequuta essent, si omnes Ecclesiæ ita prorsus divisæ essent, ut altera alterius non dominaretur: inveniet, pro certò infinities melius esse, & ad decus & ad utilitatem, alias sub aliis ordinatas esse, & postremò omnes

Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1350.

nes sub una, quàm si aliter se haberent. Ego enim arbitror, quòd cum multis aliis adversis, quæ possent contingere, illud certissimè contigisset; quòd neque accensæ hæreses extinctæ essent, & aliæ tot hæreses & errores vigerent, ut divisis ita ab invicem Ecclesiis, coæquales essent, qualibet videlicet ex multa potestate suam defendente. Quo nihil esset Ecclesiis fœdius, & pernicioſius. Ergo si qua nunc est Ecclesia habens & faciens quæcumque oporteret & habere & facere eam quæ ex Deo esset aliarum dominatura: hæc est quæ divinitus dominium habet, & cui ritè convenit dominari, atque aliis ei credere.

At verò Ecclesia Romana videtur in integrum & habere & facere, quæcumque oporteret eam, quæ ex Deo esset aliarum dominatura, & habere & facere.

Primum enim oporteret dignè omnium dominaturam ex viris collectam esse, qui quantum dominio, tantum sapientiâ & morum virtute excellerent alios. Hoc verò abundanter illa habet: si quis enim voluerit videre sacrum illum circa Papam senatum, & eos qui circa illum sunt, inveniet Ecclesiam illam non solùm ad unamquamque aliarum comparando, sed simul ad multas, & multitudine elegantium virorum, & scientiæ specie omni, & morum benignitate & honestate, quàm plurimùm aliis præeminentem.

Item oportet benè omnium dominaturam, nullo modo subditam esse temporali dominio. Quoniam enim facta Ecclesiæ correspondent animæ; temporale verò dominium corpori: & est condecentius animam dominari corpori, quàm è converso. Congruum utique est & conveniens, Ecclesiarum dominium nullo modo subditum esse principum hujus mundi dominio.

Etiam utile, ut neque metu ullius dominii aliquid minus rectum facere vel concedere; neque aliquis contra voluntatem de jure electorum insiliat Sedi. At verò Romana Ecclesia, olim hoc bono ditata est, & ipsa liberata omni mundana tyrannide, & suis membris omnibus, eandem impartita est libertatem.

Tertium verò & maximum, oporteret immortalis Ecclesiæ principatum in aliquo incorruptibili suum robur & firmitatem habere, & non corruptibili; ne hoc corrupto res Ecclesiasticæ labantur. Quod ut plurimum Regibus contingit; quibus in pecuniis & exercitibus & virorum consiliis, & humanis legibus, & alia civili virtute, suam virtutem habentibus: subditæ eis civitates, rebus mutatis, cùm vident & possibile sibi, & sine periculo, & suis rebus expediens, servitutis jugum excutere, non verentur hoc facere. At verò illa, in quibus firmitas Romanæ Ecclesiæ consistit, cœlo & terra sunt permanentiora. Virtute enim verborum Domini ad *Petrum*, subditæ ei gentes contremiscunt eam & metuunt, & ab ipsa discedere, à Deo discedere esse, virtute illorum verborum omnes putant.

Item si perquiratur, quænam sint congrua opera divinitus omnium dominantis Ecclesiæ: inveniet eadem ipsa & Romanæ. Oportet enim primo nutu divino omnium dominantem plurimùm esse sollicitam, ut ubique & omnibus & semper Evangelicus prædicetur sermo: ut & si non aliud; sed ea quæ in promptu sunt, & efferri possunt sacramenti nostræ religionis & salutaria domini præcepta & consilia, & quid à quolibet exigendum est: nullus qui magno nomine censetur & divina luce signatus est ignoret. Item schismaticos, & per epistolas & per nuncios, niti ad se revocare, redarguendo, increpando, admonendo, hortando, vel rogando, afflictis Christianis pro posse auxiliari pecunia, si habet, & per se petentes adjuvare hortando, & injuriam passos & ad eam refugientes defendere, omnium peccata quoquo modo corrigere conari.

At hæc omnia, & si quod alterum legaliter principanti congruit, summè Romana Ecclesia facere videtur. Alia verò orbis Ecclesiarum nulla est, quæ habeat & faciat, quæcumque oporteret divinitus dominaturam habere & facere.

Quoniam ergo movens meas cogitationes, undique invenio per omnia melius esse, ut sit aliqua Ecclesia, sub qua aliæ ordinatæ sint, & has perquirens, solam video Romanorum, & habentem & facientem, quæcumque oporteret, divino beneplacito, omnium dominaturam & habere & facere; non possum, providentiam esse credens, Romanæ Ecclesiæ majestatem, & sublimitatem fortunæ & casui dare, & non in maximis providentiæ operibus & solennissimis, & hoc computare.

Ex his igitur primatum illius Ecclesiæ sufficienter demonstratum esse puto. Venio rursus ad Paracleti processionem.

## *De processione Spiritus sancti.*

QUoniam multis annis post septem generalia Concilia, vidit eadem Ecclesia, aliquos eorum, qui denuò consueverant, in hæreses frequentius delabi, asserentes Spiritum sanctum ex solo Patre procedere, & minimè ex Filio, & sermonibus per-

Digitized by Google

persuasibilibus ex humana mente hoc dogma affirmantes: propinquiorem verò sibi multitudinem, & ad hæreses semper tardiorem à principio sapientem Spiritum sanctum à Patre Filioque procedere: quid eam quæ semper consueverat, hujusmodi controversiis finem congruum imponere, & unitatem omnibus monstrare, oportuit facere? silentióne rem præterire, & ordinem suum deserere? Sed non erat hoc ejus. An ad Aristotelicas methodos, & Platonicas divisiones, & Mathematicas demonstrationes, & cogitationes humanas recurrere, & ex illis quæsitorum veritatem perquirere? sed neque hoc decrevit facere; sciens profectò hanc rem transscendere omnem humanam & mentem, & methodum, & demonstrationem. Quid igitur fecit? ad suos doctores, quos longis sursum temporibus pro sanctis habuit, recurrit, beatos, *Augustinum*, *Ambrosium*, *Hieronymum*, & *Gregorium*, & horum scripta perscrutata, videt eos tanquam ex uno ore, multis locis & frequentius Spiritum sanctum ex Patre & Filio procedere asserentes. Et neque usque ad hoc stat. Sed & Orientalis Ecclesiæ Patres perquirit, & videt horum similiter plures & principaliores, id ipsum sapientes: reliquos verò minimè omnium dicentes: præter unum scilicet *Damascenum*, qui videtur contrarium dicere. Quamquam non dicit ipse, quod Spiritus sanctus non est ex Filio; sed quia non dicitur ex Filio. At verò videtur & ipse dicere Spiritum sanctum à Patre per Filium emanare, & imaginem esse Filii Spiritum. Et ad Patrem ita se habere Filium & Spiritum, quemadmodum ad Solem se habent radius & illuminatio: quæ utraque ex Sole quidem sunt; sed per radium ait illuminationem nobis dari. Ex quibus videtur & ipse non penitus contrarium tenere. Ipsum enim illuminationem & ex Sole per radium esse dicere: & rursus ex Sole & radio, verum est: quemadmodum & in Trinitate. Quorum enim est communiter auctor Pater & Filius, hæc & utroque modo dici verum est, & ex Patre per Filium: & ex Patre, & ex Filio.

Damascenus processionem non probat.

Tantorum itaque Patrum concordiam cùm vidisset, & propter rei magnitudinem adhûc his non contenta, convocat ad se universos Ecclesiarum prælatos, ad inquisitionem communicandam. Uno itaque verbo his, qui voluerunt interesse simul congregatis, & omnibus post factam rei congruam inquisitionem, ad idem consentientibus denique Apostolica auctoritate, hoc esse quod oportet credi, declarando determinat, & contrarium dicentes in portione hæreticorum decernit.

Quæ igitur erit nunc mea excusatio, si noluero quietè obedire; sed tantorum Patrum & Matris Ecclesiarum sententiæ, de re vincente vires naturalis cogitationis præposuero meam cognitionem? neque illud valens considerare, quod indignum erat penitus divinâ providentiâ, non solùm illam Ecclesiam sublimare, & caput Catholicæ Ecclesiæ à principio facere, quam novit insanabiliter casuram, & infinitas multitudines secum dimissuram; sed & cum à rectis cecidit dogmatibus, adhuc magis magnificare, & omnibus bonis ditare. Eam verò quæ rectè ei à principio restitit, contrarium pati permittere?

Ego verò & aliud cogito, quod portas inferi nunquam adversus Ecclesiam prævalituras esse, cùm sit verissimum, olim portæ inferi adversus Ecclesiam Dei prævaluerunt, siquidem Romana Ecclesia cecidit. Nam si Ecclesia soli quidem hujus partis sunt, ut secundum multitudines eos ad se convertant, nullo penitus existente, qui publicè prædicando populum confortaret in fide perseverare, & **Persæ* ita adhuc se habent, ut in primo misso ad vos sermone recitavi; jam adversus Ecclesiam *portæ inferi* prævaluerunt. Sed hoc falso existente, cogor Romanam Ecclesiam orthodoxam in omnibus putare, & hanc solam esse cum sibi subjecta multitudine, *unam*, *sanctam*, *Catholicam*, & *Apostolicam* Ecclesiam; in quam credere jubemur, & adversus quam *portæ inferi*, neque prævaluerunt, neque unquam, Deo ipsam tanquam novum *Israelem* regente, prævalebunt.

* *f.* per se, *aut*, res.

## *Epistola* Alexii Calocheti *ad Dominum* Barlaamum, *Episcopum* Gyracensem, *petens ab eo quorundam librorum latinorum translationem, propter bonum unionis.* II.

TUas communiter ad amicos missas epistolas, cùm vidissemus; ego & nostræ civitatis tui amici: horum quibus rectè contradici possit, nihil in eis invenimus. Ignota verò penitus à nobis multa vidimus. Ais enim in secunda epistola, signum esse ejus, quod Romana Ecclesia à principio omnium dominabatur: quia Romani Pontifices, à beato *Clemente* incipiendo, tanquam totius orbis curam gerere debentes, universalia administrare mox ceperunt: ad universos *regulares* Epistolas mittentes, & ubique peccata corrigere nitentes & agendum statuentes. Ex quibus Epistolis, multa eorum quæ nunc etiam in Ecclesia Græcorum fiunt, principium habuerunt.

Nos verò neque has Epistolas vidimus, neque putavimus in Græca lingua ipsas



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1350.

nunc esse. Item ais beatum *Ambrosium*, *Gregorium* & *Hieronymum* dicere in suis scriptis, Spiritum sanctum & ex Filio procedere: quæ scripta nos similiter non vidimus. Item ais, quod Romana Ecclesia de eodem ipso convocavit universos Ecclesiarum Prælatos, ad communicandam hujus inquisitionem: & his qui voluerunt interesse simul aggregatis, & omnibus post convenientem factam inquisitionem, ad idem consentientibus: ipsa postremò declarat, ad ipsum oportere credi, & contrarium dicentes, in portione hæreticorum ordinari decrevit: In his quasi generale Concilium ais factum esse de proposito; quod nondum usque nunc audivimus. Rogamus itaque te communiter omnes, per Deum ipsum, ut siquidem tibi possibile est, & prædictas sanctorum illorum Pontificum epistolas, & sermones dictorum trium beatorum virorum, in quibus proposita quæstio continetur, & adhuc acta prædictæ communis congregationis, convertens ad linguam Græcam, transmittas nobis ipsa. Nam si his visis, de quibus dicis, informabimur, benè scito, quod controversiæ nostræ cum Latinis, ex maxima parte solutæ erunt.

III. *Epistola sapientissimi & doctissimi Viri* Demetrii Thessalonicensis *ad eundem Dominum* Barlaamum, *Episcopum* Gyracensem: *in qua ponens omnia dubia sua de processione Spiritus sancti petit ab eo doceri, quibus modis adductus sit credere Spiritum sanctum, & ex Filio procedere.*

CUm olim tu, partibus nostris dimissis, ad Occidentem abiisses, ibique de cætero commorari voluisses: nos qui radiis tuæ sapientiæ illustrati, multis ignorantiæ tenebris liberatos nos esse putabamus: rursus tuæ absentiæ tenebris incidentes, tanquam in nocte vitam ducebamus: sicut solis occidentis, & amplius non oriri sperati, privationem lugentes. Sed nuper fama quadam subitò audita, & ubique circumeunte, & splendidè clamante, te non post multum ad novam *Romam* adventurum, conversi nos; quis dignè explicabit, quanta lætitia repleti fuimus? Quoniam verò non in longum quidem venientes ad nos de *Byzantio*, applicuisse te jam illuc pro certo annunciabant: non amplius sobriis hominibus similes esse ex gaudio videbamur: ita furentes erga te amor nos effecit. Verè enim matutina lætitia videbatur, ad vesperam demorato fletui, succesisse rursus in Oriente, tanquam splendido Sole relucente, & jucundissimum manè nobis efficiente.

Itaque præparamus nos quotquot amici tui, quàm velocissimè ad te venire. Sed omnibus ad iter necessariis præparatis, & nobis proponentibus immediatè inde recedere: veniunt quidam, rursum illinc recessisse te de civitate, & ad nigrum (a) Pontem abiisse nunciantes. Quo auditu perculsi nos, & ad profundum tristitiæ demersi, vix potuimus nosmet resumere, philosophiâ mutabilitatem rerum humanarum considerantes, & nosmet ipsos consolantes. Verùm dicebant se à te audisse talia, quod omnis necessitas sit confiteri, Spiritum sanctum ex Patre Filioque procedere. Quod qui negant, necessariò sunt hæretici, & schismatici. De his itaque præ omnibus æstimarem ipsum te audire, & tecum de omnibus perquirere: non propter aliquam contentionem, ut aliquis putaret: sed quoniam non est verisimile te, quem differenter novimus virtutem & veritatem per vitam colentem, & de nulla re, litigiosis verbis gaudentem, neque victoriæ avidum, cuiquam unquam disputantem irrationabiliter, sic ex opinando, ex solo Patre procedere Spiritum sanctum, conversum esse ad prædicandum, quod etiam ex Filio: nisi aliqua idonea necessitas ad hoc te impulisset, quæ philosophanti animæ satisfacere posset, ut amplius alio non indigeret. Libenter vellem tuo conventu à te discere, quidnam fuit illud, quod te ad hoc necessitas perduxit. Quod ego semper plurimi faciens, ad aliquid certum de his venirem. Et multa à multis audiens, & his, qui ad solum Patrem Spiritum sanctum referunt; & his, qui ad Patrem & Filium: nondum usque ad hodiernum diem de verbis illorum intelligere valui aliquam necessitatem, qua altera dictarum opinionum stabilisset mihi sufficienter mentis motum. Ergo si quod te ad hoc coegit, est aliquid eorum quæ scriptura tradi possunt; precor te per amicitiæ custodem, ut quoniam ad verba tibi venire Deus non dedit, hoc mihi per scripturam significare nullo modo neglexeris. Si verò divinitus tibi ad hoc facta est aliqua occulta illuminatio: primum quidem rogo, ut sanctis pro amicis orationibus idipsum nobis à Deo petas. Deinde ut etiam per scripturam nos admoneas, quibus exercitiis principale nostrum purgantes, talis illuminationis capaces efficiamur.

(a) *Pontum.*

Ut igitur magis valeas scire, quo modo nos curare te oporteat; necessarium mihi videtur, & particulariter exponere, quomodò usque nunc neutrorum, verba potuerunt me cogere eis assentiri. Et primum dicendum est de Latinorum opinione.

Argumenta Latinorum.

Quatuor sunt genera argumentorum, per quæ illi semper conantur suam fortificare conclusionem.

Quorum

Digitized by Google

Quorum primum est, quod per substantialem & naturalem Patris & Filii identitatem argumento communem facit. Supponatur enim, tanquam ab omnibus concessum, Patrem & Filium unum esse Deum, & unam substantiam, sive naturam, sive essentiam; ex hoc syllogisticè ad propositum veniunt. SÆC. XIV. ANNO 1350.

Secundum est, quod ex personali Filii & Spiritus sancti differentia, quæsitum invenire tentant. Aut enim quærentes quomodo possit personaliter Spiritus à Filio distingui: aut duarum emanationum differentiam distinctè expressam supponentes, & ordine per media procedentes suam assequuntur conclusionem.

Tertium est, quod ex dictis divinæ scripturæ idipsum conantur colligere.

Quartum est, quòd per naturâ nobis insitas notiones, demonstrare propositum putant.

Primi quidem generis argumenta non cogunt me ad hanc causam. Duos esse modos accepimus eorum, quæ de Deo prædicantur. Alia enim eorum sunt naturæ & substantiæ, & quasi substantialia: quæ videlicet & divisim de qualibet trium personarum prædicantur, & simul de tribus singulariter, ut *Bonum*, *Sapiens*, *Omnipotens*, *Veritas*, & alia. Non enim dicimus Patrem, Filium & Spiritum sanctum tres esse sapientes, vel bonos, vel omnipotentes vel alia: sed tres unum esse *sapientem*, & *omnipotentem*, & *bonum*, quemadmodum & unum *Deum*. Alia verò sunt personalia & significativa personarum inter se relationis; quæ videlicet nullo modo possunt singulariter de tribus simul prædicari. Non enim tres unus est Pater, vel unus Filius, vel unus Ingenitus. Talium igitur est, & spirare Spiritum & principium esse hujus. Non enim tres personæ unus spirator est. Quare hoc suppositum esse in sola ingenita persona, non faciet differentiam substantialem ejus & Filii, nec corrumpet eorum secundum substantiam identitatem. Nàm cùm ingenita persona habeat æqualiter & *generare* & *spirare*, & non magis alterum quam alterum: licet ab altero, tanquam à magis noto, nominetur Pater: quemadmodum substantialis identitas ejus & spiritus sancti non cogit spiritum, ut & ipse generet; sed etiam non generante ipso, salvatur ejus secundum substantiam ad ingenitam personam identitas: ita certè substantialis identitas ejus Patris & Filii non coget & Filium spirare Spiritum; sed etiam, ipso non spirante ipsum, salvabitur utique ejus ad Patrem substantialis identitas. Quapropter nihil magis moveri possum per hujusmodi argumenta.

Sed venio ad secunda, quæ videlicet ex personali differentia Filii ad Spiritum faciunt syllogismum. Certum est, quod ex re penitus ignota, & neque intelligi, neque dici potente, nihil syllogisticè concludi & inveniri potest. At verò præclari nostrorum sanctorum doctorum testimonio, quamquam personaliter differre Filium à Spiritu confitentes: tamen interdixerunt nobis investigare hujus differentiæ modum, dicentes, penitus impossibile esse, à quoquam in carne viventium hujusmodi differentiam distinctè intelligi & exprimi. Quare quid ex ea concludi possit?

Video rursus nonnullos Latinorum, ita apertè & distinctè exprimentes differentiam, qua differt Spiritus sanctus à Filio, ut etiam per quoscumque homines, si solum quantulacumque ex parte mente utuntur, possit intelligi. Ergò cùm nihil videatur, propter quod hi fide digniores & majoris auctoritatis illis in tantis rebus æstimentur: nequeo magis his quàm illis credens, quæ exinde concludunt recipere. Et ideo neque per hujusmodi argumenta persuaderi mihi potest.

Eundum igitur sit & ad illa, quæ ex divina Scriptura argumentantur. Primum quippe de his illud communiter consîdero, quod si esset impossibile cuilibet, propositorum per eos dictorum sensum alium pium & sufficienter se habentem coaptare: ita solum necessarium esset, quod ipsi ex eis concludunt. Quoniam verò non magis ut ipsi intelligunt, quàm ut alii, possunt eadem intelligi, neutrorum sermones cogere me valent. Nam hoc ipsum quod Spiritus sanctus multis locis scripturæ dicitur esse Filii, propter solam quam habet cum eo secundum substantiam unitatem: quia una est eorum substantia, virtus, voluntas, sapientia & actus: & propter hæc sola dicitur esse hic ejus. Quemadmodum è converso Dei Verbum, *gladius* dicitur secundum Apostolum *Spiritus*.

Alius rursus dicat; quia non solum propter quæ tu dicis; verum etiam ut ex hoc intelligamus Spiritum sanctum, & ex ipso Filio procedere: ego cogitans, quod etiam secundum illum sensum tantum sufficienter posset Spiritus sanctus Filii esse, hæsito & non habeo, cui magis assentiar.

Similiter mittitur multis locis scripturæ Spiritus à Filio. Ergo si unus dicat, quod quemadmodum Filius, propter in carne ad nos manifestationem & adventum dicitur mitti etiam à Spiritu sancto, ut in Esaia scriptum est: ita & Spiritus sanctus, quoniam in aliquibus signis nobis manifestatus est, & ad nos venisse temporaliter dicitur: quæ signa significabant quidem solummodo ipsum Spiritum: facta verò erant à tota Trinitate; propter hoc tantum, & non propter aliud, dicitur & à Filio mitti.



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1350.

Alius item dicat, quòd non solùm propter hoc; sed ut cum his adhuc & illud intelligamus, quia Spiritus & ex Filio procedit: Perpendens ego rursus, quod etiam si non procedat Spiritus & ex Filio; tamen & secundum illum sensum tantum sufficienter utique diceretur ab ipso mitti: eadem similiter detentus sum dubitatione.

Rursus in sacra scriptura, ex Filio accipere dicitur Spiritus, & ab ipso *insufflante* dari. Ergo si unus dicat, quoniam ipse Dei Filius magna quædam dixerat de Spiritu sancto: quia adversus eum blasphemia irremissibilis est, & quia ipse omnia docebit & annunciabit & diriget ad omnem veritatem, & simpliciter charismatum distributionem ipsi attribuerat: ut non æstiment Apostoli, vel post eos fideles, majoris dignitatis ac potentiæ esse Spiritum quàm Filium: ideò solùm & non propter aliud dixit, quod Spiritus sanctus ex eo accipiet, quæ nunciabit, & insufflando ipsum dare ostendebat, ut neque majorem eo Spiritum putemus, & nos deificantia charismata communia esse Filii & Spiritus sancti credamus.

Alius rursus dicat, quia & propter hoc, & adhuc ut intelligamus, & ex ipso Filio processionem Spiritus: Cogitans ego, quod & secundum illum sensum tantum sufficienter se posset habere scriptura, non video causam, ob quam magis Latino credam.

Item Patrem & Filium unum esse in scriptura scriptum est, & omnia quæ sunt Patris, etiam & Filii esse. Et ex hoc concludunt illi suum dogma. At verò si quis dicat: ô Latini, nihil magis ex his necessarium est Filium principium esse Spiritus: quia etiam ex persona Spiritus sancti dici posset: Ego & Spirator unum sumus, & omnia quæcumque habet Spirator, mea sunt. Sed nihilo magis ex his Pater esset Spiritus sanctus. Ergo si quis hæc dicat, quid magis Latini persuasibiliora dicent? ego enim non perspicio.

Item ubi dicit Apostolus: Dominus *Jesus* interficiet Antichristum Spiritu oris sui: illi ipsi Spiritum sanctum dictum esse ibi credentes, id ipsum concludunt. At etiam hîc potest dici: quoniam nos nihil ita facilè efficimus, quàm illa quæ insufflando solum facimus; volens Apostolus ex nostra translatione ostendere, quàm facillimum est Christo interficere Antichristum, & nullam habens ei difficultatem, Spiritu oris ejus dixit apostatam interficiendum, minimè ibi Spiritum sanctum intelligi volens.

Hæc ergo si quis dixerit, hæsitandum mihi videtur omnino, cui magis concedendum sit.

Item ubi scriptum est, *Deum* charitatem esse, & charitatem ex Deo: illi charitatem dici Spiritum sanctum accipientes; illam videlicet, qua Pater diligit Filium, & Filius Patrem, concludunt, alia quædam per medium addentes, ex utroque ipsum procedere: mihi nihilo magis ex his persuadentes. Quare? primum, quia non nimis certum est, utrum Spiritum sanctum ibi intendebat Beatus Johannes: nihil enim impedit, & ita exponere dicentem, ubi dictum est: *Deus* charitas est, ibi de ipso Trino Dei ipsam charitatem prædicari, illo modo, quo ait *S. Dionysius*, etiam omnium entium nomina posse de Deo secundum causam prædicari, & maxime nobiliſſima & diviniſſima, ſicuti eſt, *Bonitas*, *Vita*, *Pulchritudo*, *Lux* & ſimilia. Ubi verò dicitur charitas ex Deo eſt; ibi ipſum charitatum affectum, quo Deo & nobis invicem unimur, ex ipſo Trino Deo nobis dici adeſſe illo modo, quo & omne bonum & honeſtum ex Deo nobis eſſe dicimus.

Deinde ſi quàm maximè ipſum Spiritum ſanctum in illis nominat charitatem Apoſtolus: Unde patet, utrum illam charitatem (a) ipſum intelligit, qua Pater diligit Filium, & Filius Patrem: ſed non magis indifferenti modo, & ſimili, ipſum charitatem nominavit: ſicut etiam Filius vel Pater, vel tota ſimul Trinitas, charitas nominatur: quemadmodum & alia chariſmata attribuuntur ſingulariter Spiritui ſancto: quæ nihil minus & toti Trinitati eodem modo congruunt. Cæterum & Filius ſapientia quidem Patris nominatur, ſed non ita illa ſapientia eſt, qua Pater intelligit Spiritum ſanctum, & hic Patrem: ut ex hoc concludatur, ipſum Filium ex Patre ſimul & Spiritu ſancto generatum eſſe.

(a) *ipſe.*

Ego itaque, ut ad te explicem paſſionem animi mei, multo difficilius habeo ad recipiendum, quod Patre & Filio diligentibus invicem eorum dilectio conſtituit alteram perſonam ipſum Spiritum ſanctum; quàm ad recipiendum, quod Spiritus ſanctus, & ex Filio procedit. De hoc enim ejus veritatis cupiditate cogitanti, nullæ mihi ſuſpiciones intrant, ne fortè ſit verum illud Ariſtotelis: quanto magis perquiro & cogitatione volvo, tanto incredibilius mihi videtur: nam de divina ſcriptura non ita patet, ut animam per ſe verum quærentem, ab omni removeat ambiguitate. Si verò à ſacra ſcriptura, & fide nobis traditis, penitus recedentes, ad naturalem rationem recurrere velimus; miror ſi unum Deum ſimpliciſſimum in tribus perfectis perſonis, per ſolam naturalem rationem, tanquam aliquid eorum, quæ mathematicè demonſtrantur, invenire poterimus.

Age ergo fidei ratione complectentes videamus quæ neceſſitas ſit, ut Patris & Filii cha-

Digitized by Google

charitas, sit illo modo Spiritus sanctus. Itaque si idem simpliciter est Patri generare Filium, & diligere Filium; & generatio ergo est idem simpliciter quod charitas: qua Pater diligit Filium, & per consequens, ipsa Filii generatio, Spiritus sanctus est: quod non modicum mirandum est. Et maxime si genitum, principium est suæ generationis. Si verò aliud est Patri generare Filium, & diligere vel intelligere ipsum, adhuc magis est mirandum, quomodo generatio quidem qua Pater generat Filium, non constituit aliam personam: neque intellectio, qua Pater intelligit Filium. Diligere verò ipsum non potest, nisi dilectio illa tertiam constituat personam: & maximè cùm sit possibile dicere, quod Spirator diligit & intelligit Spiritum, & Spiritus diligit & intelligit Patrem & Filium. Ex qua dilectione vel intellectione, nulla alia constituitur persona. Sæc. XIV. Anno 1350.

Item unitatem & annexum Patris & Filii dicere Spiritum, ita ut ex utroque esse concludatur: neque ipsa scriptura cogit me, & naturalis ratio mihi magis persuadet recipere, principiata uniri per principium: quam principia per principiatum. A quo enim multa habent esse, ab eodem etiam habere unum, rationabile mihi videtur. Dicere verò, quod principiata habent ex principiis esse: principia verò habent ex principiatis unum esse, omninò mihi videtur carere ratione. Si vero est alia ratio de his meâ verior, quam ego nunc non intelligo; tamen quamdiu illam non intelligo, necesse est me teneri ab hac, quam nunc intelligo. Dicta quidem Scripturæ, quæ allegant, penè prædicta sunt. Ego verò neque ex his, neque ex aliis quibuscumque possum ad hoc intelligere indubitabilem omnino necessitatem, & penitus stabilientem meam mentem eorum adesse conclusionem.

Restat ergo quartum genus videre, quod ex communibus notionibus argumentationem propositi facit. Hæ quæ dicuntur communes notiones, sive, ut *Aristoteli* videtur, de sensibilibus per sensus imprimuntur animo, sive, ut *Platoni* videtur, ipsæ sunt substantia intellectualis animæ: utroque modo de his rebus sunt, quarum intelligendo dominati apprehendimus eas & tangimus, & quas intelligentes ipsa intellectione comprehendimus & circumplectimur. Proinde & illa, quæ ex eis ostenduntur, indubitabiliter demonstrata esse putamus. At vero quæ de Deo sunt, ea super substantialia, & super intelligentiam, & incomprehensibilia esse dicimus: & maximè ea, quæ de trino personarum dicuntur, credita quidem sacræ scripturæ traditione: naturales verò nostras intelligentias fugientia, eò quod nullus videatur in his, quæ à nobis intelliguntur, modus Trinitatis: indifferenter per omnia se habens illi super intellectum Trinitati.

Quis ergo est ita tardus mente, ut putet, hujusmodi communes notiones, quæ correspondent his, quæ à nobis perfectè intelliguntur, rebus, omnes simpliciter etiam illis, quæ super nostram intelligentiam sunt, congruere? ubi neque quòd sunt in naturalibus verè, jam etiam Mathematicis conveniunt, vel è converso; neque quòd Arithmeticis vel Musicis rebus correspondent, jam etiam Geometricas, vel perspectivas attingunt. Multò ergo minus putandum est super substantialia eisdem necessitatibus servire cum his, quæ sub intelligentia nostra sunt. Non ergo necessarium est, omne quod prædicatur affirmativè vel negativè de illa re, quæ nostra intelligentia comprehenditur, hoc etiam de illa re, quæ transcendit nostram intelligentiam, similiter prædicari.

Ergo aut nulla hujusmodi communium notionum usque ad illam supersubstantialem & incomprehensibilem essentiam pervenit: aut aliquæ, ita & aliquæ non. Sed & hoc sufficit. Ergo & hoc concesso, quoniam aliqua discretione necessaria non habeo conspicere, quæ earum, quæ in entibus veræ sunt, notiones, & ad superficiale & superintelligentiam transferendæ sunt, & quæ non; cum audio Latini ex hujusmodi propositionibus, de proposita quæstione syllogismum; etiamsi sint in omnibus entibus propositiones veræ, attamen nequiens satis discernere cujus generis sunt: utrum illius quod ex entibus ad supereſſentiale conscendere valeat, an non; penitus ambigo & dubito, conclusioni hujusmodi syllogismi assentiri. Generaliter quidem ita à me ostensum sit, ob quam causſam per eorum verba nondum mihi persuasum eis credere. Non erit pejus fortè & aliquos particulares syllogismos eorum commemorare.

Audivi aliquando quosdam Latinos ita syllogisantes: Supponentes enim tanquam minorem propositionem, quod Spiritus sanctus realiter differt à Filio, & addentes tanquam majorem, quod omnia quæ sine materia ab invicem differunt, aut sicut contraria differunt, aut sicut habitus & privatio, aut sicut affirmatio & negatio, aut sicut relativa. Deinde ostendentes, quod horum tres præcedentes modi illis divinis personis minimè congruere valent; concludebant ergo, quod secundum relativa tantum Spiritus sanctus potest distingui à Filio, & ita per ordinem procedentes, veniebant ad finalem conclusionem. Sed me minimè per hoc moverunt. Ventum enim ad angelos & animas, & mathematicos numeros & horum maximè superficiales &



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1350.

solidos, multa vidi & sine materia *plura intellecta, & nullo prædictorum quatuor modorum ab invicem discreta. Quamvis & si in omnibus entibus videretur major propositio: adhuc restaret ambigere, utrum illarum est propositionum, quæ & in entibus & in supereſſentiali verificari possunt, an non. Sed differt quidem Spiritus personaliter à Filio, non tamen secundum aliquem à nobis cognitorum in entibus modorum. Et estne vera illa Patrum sententia, quod in hac vita impossibile est distinctè & expresè cognosci illud, quo Spiritus differt à Filio? non enim illud erit ausus aliquis dicere, quod necessarium est, aut sciri hujusmodi differentiam, & ad aliquam à nobis notarum reduci; aut nequaquam esse.

*/puiè.

Item & talem audivi syllogismum, in quo tanquam minor propositio supponebatur: Quia sicut se habet spirare ad procedere; ita se habet generare ad generari. Tanquam verò major assumebatur: quia generaliter in omnibus entibus, si sit ut primum ad secundum, ita tertium ad quartum: & permutatim sumptis, est sicut primum ad tertium, ita secundum ad quartum. Et ex his concludebatur, quod sicut se habet spirare ad generare: ita se debet habere & procedere ad generari. Et quia dicebant spirare & generare concurrentia simul in una persona, scilicet patre, non faciunt differentiam personalem. Non ergo procedere & generari ipsa per se differentes efficient personas. Et ita aliam aliquam personalem differentiam Spiritus ad Filium quærentes postremo veniebant ad concludendum, & ex Filio ergo Spiritum procedere. Me neque hos sequi valente; perquirens enim in me ipso entia, inveniebam in multis majorem propositionem falsam, multis visis; & in substantiis & in quantitatibus, & in relativis. Sed primam positionem primi ad secundum, secundum verò primi ad tertium, & secundi ad quartum, non servantibus proportionalitatem: quamvis ut paulo ante dixi, & si in omnibus quæ infra mentem nostram sunt, videretur hujusmodi esse verum: incertum adhuc esset, utrum & in illa re, quæ omnem mentem excellit, verum sit.

Item & sic quidam argumentantur: Omnia sunt communia Patris & Filii, præter illa, quibus adversatur eorum inter se relatio. At verò spirantem potentiam non adversatur Patris ad Filium, vel Filii ad Patrem relatio: spirativa ergo potentia Patris & Filii. Ego verò neque huic syllogismo assentior; propter quod utique habet vitium: quod enim quæritur, sumitur ut manifestum: in majore enim propositione per communia & alia verba latenter petit principium.

Nullus enim eorum qui de conclusione ambigunt, majorem concedet propositionem. Cum enim illa persona, quæ ita est ut à nullo sit, æqualiter habeat & generare & spirare: quæritur, utrum ex utraque hæc propria sunt ejus simpliciter: neque Filio, neque Spiritu ea habentibus. An ad Spiritum quidem propria sunt ejus; ad Filium verò non ambo, sed solum generare; spirare verò commune habet cum eo.

Hoc itaque, cum quæratur, sumere simpliciter, quod Pater generare quidem habet solus, spirare verò cum Filio: quid aliud est quàm petitio principii, etiamsi non apertè ponat qui sumit, sed per communiora verba eundem occultet sensum?

Cæterum quid prohibet supponentem similiter, quod omnia sint communia spiratoris & Spiritus, præter illa, quibus adversatur eorum inter se relatio; per similia media concludere: quòd & Spiritus sanctus genitor est? Ergo sicut hoc, ita etiam illud paralogismus est.

Item alias cum audivissem sumentem quendam ut manifestum, *Deum* Patrem intelligere & velle, & ex intelligendo producentem Filium; de volendo autem Spiritum, & per quædam media alia, quæstionem concludentem: initio quidem penè credidi, tanquam benè esset dictum: paulò verò post animadvertens, quia, quomodo intelligit & vult Pater, eodem indifferenter & Filius, & Spiritus sanctus, & tota Trinitas intelligit & vult, & nihilo magis ex eis aliter Filius, vel aliter Spiritus emanat: nihil necessarium illum dixisse putavi, sed potius multa inconvenientia perspexi de hujusmodi sermone orientia.

Causæ quidem, per quas non mihi videtur necessarium esse, per verba eorum sciri vel credi Spiritum sanctum & ex Filio procedere, hæ sunt.

Volo autem tibi ostendere, & qualiter me habeo erga dicta sanctorum nostrorum Patrum, qui id ipsum quod ajunt Latini in suis scriptis dicunt. Ego quidem inveni multos, qui hoc sapiunt, scilicet sanctum *Augustinum*, sanctum *Gregorium* (a) *Nicenum*, sanctum *Cyrillum* in dictis suis thesauris & in aliis suis dialogis; sanctum *Athanasium* & quosdam alios. Sed illud arbitror me rectè cogitare; quod omnium quæ hi docent, illa tantum necessitatem habemus recipere: quæ vel ex ipsa sacra scriptura, apertissimè & indubitabilissimè ostenduntur: vel per Concilium generale expresè examinata & determinata adepta sunt sententiam, ut debeant omnes ea admittere; vel etiam per nostram naturalem rationem satis demonstrari valent. Quæ verò non talia sunt, non mihi videtur debitum esse ea admittere: neque periculum, non credita & spreta

(a) *Nyſſenum.*

Digitized by Google

& spreta nobis inferre. Non enim penitus illius auctoritatis æstimamus illos esse, cujus Prophetas & Apostolos, ut simpliciter quemadmodum illis, ita & his per omnia debeamus parere. Argumentum autem est, quod Prophetæ quidem & Apostoli de nulla re sibi secundum rem ipsam contraria dicunt. Post hos verò Doctores nimis in multis & non parvis, & exponendo scripturam, & dogmatisando, contraria sibi invicem, secundum rem ipsam dicunt: ut sine periculo nobis jam fiat, cui volumus assentiri. At verò Spiritum sanctum & ex Filio procedere, neque per naturalem nostram rationem comprehensibile mihi esse videtur; neque ex ipsa sacra scriptura, sine omni ambiguitate certissimè ostendi, neque adhuc per generale Concilium, quod sciam, ratificatum est. Ergo etiamsi à multis sanctis id ipsum dicitur, nolle assentiri, nullum periculum mihi videtur esse. Restat ergo considerare auctoritatem Romanæ Ecclesiæ, ne necessarium sit, quoniam mater est, & prima omnium Ecclesiarum, credere simpliciter, quodcumque ipsa semper de Deo dogmatisat.

SÆC. XIV. ANNO 1350. Patres errant.

Sed ad hoc evenit mihi rursus hæsitare, ne fortè in dogmatibus fidei, quibus fidelis ab infideli distinguitur, non idonea sit illius Ecclesiæ auctoritas; sed requirenda etiam universalis Ecclesiæ. Hoc autem dubito ex multis.

Autoritas Ecclesiæ Romanæ negatur.

Primum, quòd in symbolo fidei non dicimus credere in Romanam Ecclesiam; sed in Catholicam. Quamquam quid prohibeat etiam illud nos dicere, si satis esset?

Deinde olim in diversis orbis partibus, cùm multæ ortæ fuissent hæreses & quæstiones, & de Filio, & de Spiritu sancto, & de incarnatione: non referebantur quæsita ad Romanam Ecclesiam, ut ibi examinata & determinata omnibus tradantur: neque alii ad hoc solum respiciebant, quidnam illa Ecclesia de eis determinaverit: sed generalia aggregabantur Concilia, & totius Ecclesiæ cognitio & sententia de dubitatis vocabatur: cùm hoc esset multò difficilius quàm illud. Et quod magis est: neque jussu Papæ illa Concilia aggregabantur, sed prout apparet & per chronicas & imperiales epistolas, & per allocutiones ipsorum Imperatorum ad eos qui in illis Conciliis erant, imperialibus celebrabantur jussis. In quibus Conciliis, licet primum locum Papa obtinebat, vel ejus legati: tamen Canones & determinata dogmata non sunt expositа singulariter ex persona Papæ; sed ex persona totius Concilii.

Ad hæc igitur mihi respicienti, nimis necessarium videtur, & in præsenti quæstione, ut concurrat simul cum Romana Ecclesia, etiam totius Ecclesiæ auctoritas, atque cognitio. Siquidem & hoc ex debito necessitatis erit credendum. Quid igitur? ad credendum ne ex Filio procedere Spiritum sanctum dico me hæsitare, ex solo verò Patre ipsum procedere, quod multi dicunt, arbitror rectè dictum? Multum deficio. Sed si potest dici, multò adhuc dubitabilius & incredibilius ad hoc me habeo.

Primùm enim per communes & naturales notiones ipsum demonstrari, per easdem utique, quas & prius dixi causas, impossibile mihi videtur. Deinde & in tota sacra & divina scriptura nullum invenitur dictum tale, per quod, non dico apertè demonstrari; sed vel conjectura & suspicione percipi possit, quod ex solo Patre Spiritus sanctus procedit. Neque enim quoniam dixit Dominus, qui à Patre procedit; ideò statim putari debet, quia non ex ipso quoque procedit. Assuetum enim est ipsi salvatori, sua & Patris communia Patri ut plurimum attribuere, non addentem verbo & se. Ut in illis: Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur, & nemo potest venire ad me, nisi Pater meus attrahat ipsum. Quamvis, quis negare præsumpserit, & ipsum Filium non plantare in pietate fidelium mentes, & ad salutem attrahere eas? Quare restat & de proposito ambigere, ne fortè simile sit illis; quæ Patri attribuuntur quidem, sunt autem aliis communia. Multa enim talia in Evangeliis reperiuntur: ubi etsi distinguendo dixisset, qui à solo Patre procedit: neque sic tolleretur omninò quærere, nè & ex eo procedat. Nam alio loco ait: Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum; quamvis & ipse verus Deus existens. Et illud: Nemo cognoscit Filium nisi Pater: & Patrem nemo cognoscit, nisi Filius: quamvis & Spiritu sancto similiter cognoscente, & Patrem, & Filium. Quare & in illo si similiter dictum fuisset, posset utique ambigi, nè forte ipsum tale esset, soli quidem Patri attributum, nihilo minus autem & Filii existens. Adhuc autem etsi apertè fuisset dictum: Qui non à me; sed à Patre procedit; & ita nil minus ambigi posset. Multa enim communium dixit neque se habere, neque facere. Mea doctrina, ait, non est mea, sed Patris: &; non veni facere voluntatem meam; sed voluntatem ejus qui misit me. Et, sedere à dextris & à sinistris meis, non est meum dare vobis, sed his quibus paratum est à Patre meo: & horam illam, neque Filius novit, nisi solus Pater. Quare si & illud similiter fuisset dictum, esset adhuc locus ambigendi; ne fortè cum his sensu dictum fuisset, quamvis commune.

Ubi igitur & assuetum est Christo communia Patri attribuere, & neque distinguendo dixit, qui à solo Patre procedit: neque, Quod non à me: dubitabile prorsus & ambiguum efficitur, quomodo dixit hoc Salvator: utrum ut intelligatur id solius Patris

Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1350.

tris proprium esse, an volens commune, id est, sibi & Patris intelligi: quemadmodum & alia quæ similiter ab eo dicta sunt. Similiter & in symbolo fidei, quod Nicænum Concilium inchoavit, & *Constantinopolitanum* consummavit, legitur quidem ita simpliciter: Qui ex patre procedit. Sed utrum ideò non addiderunt, & ex Filio, quoniam neque sapiebant hoc ipsi synodorum illarum Patres, nullatenus mihi certum patet.

Primum enim præter ea dogmata, quæ in symbolo sunt, multa sunt & alia nimis necessaria ad fidem dogmata, & de *Deo*, & de providentia, de duabus naturis & voluntatibus & operationibus, de una persona, de pœnitentia, de sacramento Eucharistiæ, de non esse præexistentiam animarum, vel principium substantiale malorum, & de multis aliis.

Circa quæ illos quidem Patres, verisimile erat rectè sapere, in symbolo tamen ipsa non posuerunt. Quare restat ambigere, ne forte & hoc illorum sit, quæ in symbolo quidem non dicuntur, aliter verò ab his creduntur. Quamquam sanctus *Athanasius*, & magnus *Basilius*, & frater ejus; qui dicuntur interfuisse prædictis Conciliis, manifestè videntur idipsum, quod Latini dicunt, sapientes. An dicet aliquis corrupta esse horum scripta? sed ego & hoc incerto existente, merito utique ambigo.

Deinde neque hoc servaverunt omnino in symbolo, ut communia trium personarum vel duarum, assignent ut communia: propria verò sola unicuique attribuant; sed è contrario in multis propter compendium, ut æstimo, fecerunt. Nam Omnipotens cum esset commune, Patrem omnipotentem dicentes, Filio vel Spiritui hoc non dederunt. E converso verò de Domino fecerunt, Filium & Spiritum Dominum dicentes: item *Factor* quidem omnium Spiritus sanctus est: sed hoc Patri & Filio tribuentes, de Spiritu nihil horum dixerunt. E converso verò vivificantem esse, & locutum esse per Prophetas, cùm essent communia, non Patri vel Filio; sed Spiritui reddiderunt. Rursus esse lumen de lumine, & *Deum* verum de *Deo* vero; communia sunt Filii & Spiritus: illi verò de Filio, non de Spiritu hæc dixerunt. Quis igitur novit, quod non similiter commune Patris & Filii sapientes esse, quod ex eis Spiritus sanctus procedit, satis putaverunt hoc ponere in Patre. Ego enim ex hoc neutrum concludi considero, neque quod ex solo Patre, neque quod ex Filio procedit. Sicut neque de illo superius commemorato Evangelico dicto.

Testimonia Patrum contra processionem.

Sed & nimis miror de illis, qui certum aliquid putant se ex his habere: de scriptis verò sanctorum nostrorum Patrum, quæ ad meas manus pervenerunt, trium vidi dicta, quæ videntur præbere ad propositum aliquam difficultatem: sancti *Dionysii Areopagitæ*, & sancti *Gregorii*, & sancti *Joannis Damasceni*. Ubi sanctus quidem *Dionysius* ait solum esse fontem supersubstantialis Deitatis Patrem. Theologus verò geminum radium Patris nominat Filium & Spiritum sanctum.

*Damascenus* verò dicit, quòd Spiritus non dicitur ex Filio. De quibus illud primum considero, quod etsi apertissimum esset, ipsos per hæc dicta sapere, quòd Spiritus sanctus ex solo Patre procedit, & non, & ex Filio; nondum hoc per Concilium generale expresè examinato & confirmato, nullum esset propter eandem utique, quam & prius dixi, causam, nolle credere periculum: & cum his pluribus sanctis contrarium dicentibus, & explicantibus, & latius problema discutientibus: sicut sanctus *Augustinus*, & sanctus *Cyrillus*, multaque habentibus de sancta Scriptura dicta, non minimam suspicionem præbentia hujus dogmatis. Et adhuc matre omnium Ecclesiarum, quæ nunquam superioribus temporibus deprehensa est aliquam hæresim defendere, idipsum affirmante. Quid potius his tribus credendum erit, semel hoc dicentibus & scripturarum testimonia hujus ipsius minimè habentibus?

Deinde hujusmodi dicta penitus sunt ambigua. Et ut primum de primo dicam, quoniam si Spiritus sanctus procedit & ex Filio, Filius hoc habet ex Patre, & Pater est Fons, qui non ex alio habeat, ut sit Fons, vel ex alio emanat: Filius verò sit veluti fons de fonte, quemadmodum & principium de principio dicitur, incertum prorsus fit, quo sensu hoc dixit ille Sanctus; utrum sapiens, quia ex solo Patte procedit Spiritus: an & ex Filio quidem ipsum sapiens. Dicens verò illud verbum, ac si diceret, solus fons supersubstantialis Deitatis, qui non emanat ex alio fonte, & ex quo alius habet, ut sit Fons, Pater est, apud quem est Fons Filius, vitæ, scilicet Spiritus. Ad utrumque enim sensum satis se potest habere illud verbum.

Rursus de gemino radio. Primo quidem dubitatur ille sermo, in quo hoc scriptum est, utrum sit Theologi, multum enim distat ab ejus stilo: deinde nihil prohibet & utraque intelligi, & geminum radium esse Patris Filium & Spiritum, in quantum perfectè & ambo ex Patre habent *Esse*. Et rursus Spiritum & ex Filio procedere, eadem una & simplici processione, qua & ex Patre procedit, una existente in Patre & Filio spirativa potentia; nullo mirando, si in visibilibus radiis hujus exemplum non videtur. Incertum ergo fit ex hoc verbo, quidnam qui hoc dixit, de proposito sentiebat. Et

maxi-

Digitized by Google

maximè quod ipse Theologus dicens de Filio, quòd solus de solo; de quo nemo erat suspicaturus, nè forte secundum Deitatem, non ex solo sit Patre. De Spiritu sancto nusquam ait: solum de solo. Ex quo non parvam suspicionem præstat, ne forte & ex Filio sentit ipsum. Sæc. XIV. Anno 1350.

*Damascenus* verò penè videtur sola voce discrepare ab his, qui dicunt ex Filio Spiritum sanctum procedere, non tamen & re. Ita se habere ad Patrem, Filium & Spiritum, quemadmodum ad solem se habet radius & illuminatio: quæ utraque quidem sunt ex sole. Per radium verò nobis illuminationem tradi ait. At verò idipsum penè est, & quod sentiunt, qui & ex Filio Spiritum sanctum esse dicunt. Sicut enim radius simul procedit de sole, & accepit ex eo, ut emitteret, illuminationem: ita & Filius, ut ajunt, simul natus est ex Patre, & accipit ab eo spirare Spiritum. Et sicut sive dicatur illuminatio ipsa & ex sole esse, & ex radio, sive ex sole per radium, non tanquam ex duobus principiis sole & radio, illuminatio esse dicitur: ita & ipsi minimè ajunt tanquam ex duobus principiis Spiritum sanctum procedere ex Patre Filioque; sed tanquam ex uno. Quare & eadem penè videtur sentire his & *Damascenus*.

At sine hoc radii & illuminationis exemplo, dictum illud per se, quo dicit: Spiritus non dicitur ex Filio, ambiguum est. Non enim idem est dicere; hoc non dicitur, & hoc non est: in multis enim dissonat, cùm sint multa quæ non dicuntur, & sunt. Velut si quis dixerit, Spiritum sanctum non dici in scriptura *Deum verum de Deo vero*. Ergo quoniam *Damascenus* non dixit, quòd Spiritus sanctus non est *ex Filio*; sed quod non dicitur *ex Filio:* incertum utique est quid de hoc sentiebat: utrum tantum neque ente, neque dicto; an tanquam non dicto, at ente. Sed de his satis sit.

Videamus ergo & fortissimos ad hoc eorum syllogismos. Exponam autem eos non mea eruditione; sed ut de verbo ad verbum eos exponit quidam nostratum sapientum, in suo contra Latinos tractatu. Ait enim sic. Si Spiritus sanctus procedit & ex Filio, ut ajunt Latini; contingit necessariò, aut duo principia esse in Deitate; aut Patrem & Filium unam esse respectu Spiritus personam. Duas enim scimus differentias eorum, quæ de *Deo* dicuntur.

Alia enim sunt eorum substantialia & naturalia, quæcumque & divisim de qualibet persona prædicantur, & singulariter simul de tribus; ut *Bonum*, *sapiens* & similia, Alia sunt personalia, quorum singulum, aut de una sola persona prædicatur: aut si prædicatur divisim de pluribus; impossibile tamen est, simul singulariter de eisdem prædicari. Ut emanare ex alio, cum sit personale, prædicatur & de Filio, & de Spiritu: & est, & Filius emanans, & Spiritus emanans; non tamen hi duo unus emanans est, sed duo emanantes. Vere enim impossibile est, unam personalem proprietatem de duabus personis, etiamsi sint ejusdem substantiæ, singulariter prædicari.

Quamvis enim aliqui duo idem audiunt, vel vident, vel intelligunt, vel volunt, vel quodcumque agunt: non tamen possumus dicere, quod unus audiens, vel videns, vel intelligens, vel volens est; sed duo. Ergo quoniam esse principium Spiritus, & spirare Spiritum, non est substantialium proprietatum; sed personalium: non enim prædicatur de Spiritu, siquidem, ut ipsi ajunt, & de Filio prædicatur: necessarium est, dicere Patrem & Filium duos Spiratores, & duo principia esse Spiritus sancti. Quod pro certo inconveniens est.

Si verò dicit aliquis, quoniam uno & simplici & eodem modo ex utroque procedit, ideò unus est simpliciter spirator Spiritus sancti Pater & Filius: ille necessario incidit in alterum inconveniens. De quibus enim una numero personalis proprietas seu differentia singulariter prædicatur: illa utique secundum unam numero prædicationem eadem numero sunt. Quare? quia spiratorem esse personalis est proprietas seu differentia, aggregantur Pater & Filius secundum id ipsum quod sunt unus Spirator ad unam personam. Pater ergo & Filius in quantum ad invicem referuntur, duæ personæ sunt. Per id verò quod unus Spirator sunt, una persona sunt.

Si verò dicit aliquis, quòd sicut Pater & Filius unus Deus est & unus æternus, ita & unus est spirator Spiritus sancti: Respondebitur, quod sicut *Deum* esse, & æternum esse & alia substantiali singulariter de Patre & Filio prædicata, repræsentant eorum unam substantiam & essentiam: Magis autem per id quod eorum est simpliciter, & summe una substantia: contingit & hæc substantialia singulariter de eis prædicari, ita & esse spiratorem; cùm sit personalis proprietas seu differentia & singulariter prædicetur de Patre & Filio, assignabit eorum unam esse secundum hoc personam. Magis autem ex eo, quod esset secundum spirare eorum una persona; contingeret hoc singulariter de eis prædicari. Si verò hoc impossibile est, & illud ex quo ortum hoc est impossibile.

Hoc est illius argumentum, quod multi ajunt in nullo deficere (a) ad necessitatem

(a) *scilicet*: *Nugæ Græcanicæ.*



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1350.

à Geometrica demonstratione. Totum verò robur ejus pendet ex duabus communibus notionibus; una quæ ponit impossibile esse, unam personalem proprietatem de duabus personis singulariter prædicari. Altera verò quæ sumit, de quibus una numero personalis proprietas singulariter prædicatur; illa secundum idem eadem esse numero. Et verè si scirem pro certo, has notiones communes veras esse & in supersubstantiali essentia, reciperem utique & conclusionem. Sed ego hoc nimis ignoro. Et eadem mihi eveniunt hæsitare, quæ ad Latinorum syllogismos superius dubitabam. Nam etsi concedatur in his rebus, quæ sub mente nostra sunt, quarum videlicet intelligendo dominamur, & quas tangimus & comprehendimus, veras esse dictas communes notiones, quod etiam ipsum multas potest habere contradictiones, quæ necessitas est, ut etiam in dissimilibus & aliter se habentibus rebus & nostras infirmas intelligentias infinities infinitè fugientibus, & ideo incomprehensibilibus; & superintelligibilibus eædem sint veræ? Si enim verè superius dicebamus, non omnes in entibus veras communes notiones, & usque ad supersubstantiale posse conscendere: unde pro certò sciemus, hæc quarum sunt, utrum earum, quæ usque illuc extenduntur, an non? Neque enim in notis rebus à nobis reperiuntur alia duo, quæ per omnia ita se habent inter se, sicut ibi Pater & Filius, inter sese habent. Fortasse enim & unus est spirator Spiritus sancti Pater & Filius, & Deitate transscendente etiam duas dictas communes notiones, nullo modo contingit unam personam esse Patrem & Filium respectu Spiritus. Et qualiter non contingit hoc, nullum miraculum est nos ignorare illud quo processio à generatione distinguitur. Item cùm necessarium sit, aut credentem & in divinis veras esse prædictas communes notiones, deceptos putare, & S. Augustinum, & *S. Cyrillum*, & alios, qui manifestè dicunt Spiritum sanctum & ex Filio procedere: aut his assentientem credere *Deum* superiorem etiam esse prædictis duabus communibus notionibus. Hoc mihi multo tutius & religiosius videtur.

Videamus si placet & aliud ejusdem argumentum; quoniam, ait, Pater & Filius sunt & unum, sunt & duo. Aut procedit Spiritus ex Patre & Filio, in quantum unum sunt, aut in quantum duo sunt: Sed si in quantum duo sunt; erunt duæ processiones & duo principia: si verò in quantum unum sunt: quoniam hoc unum est substantia & natura & Deitas; Pater ergo & Filius, per id quod una sunt substantia & natura & Deitas, spirant Spiritum. At verò secundum id quod spirant Spiritum, & differunt ab eo. Pater ergo & Filius secundum unam, quam habent substantiam & naturam & Deitatem, differunt à Spiritu. Non ergo Spiritus ejusdem est omnino cum Patre & Filio substantiæ & naturæ & Deitatis; quod contra fidem nostram est. Est autem hîc paralogismus, per id quod sumit *simpliciter*, quod *secundum quid* conceditur. Latini enim neque per id quod duo sunt Pater & Filius, ajunt ex ipsis procedere Spiritum. Neque secundum quod simpliciter unum sunt; sed secundum id quod aliquid unum sunt, scilicet secundum unam, quam habent spirativam potentiam. Quid igitur? illi secundum aliquid concedunt: iste simpliciter sumens *paralogismum* fecit, Est autem ejusdem & tale argumentum.

Nos, ait, Filium & Spiritum à solo Patre dicentes habere essentiam, quod per omnia entia convincitur verum esse dicimus. In omnibus enim unitas dualitatis est principium. Illi verò Spiritum ex Patre & Filio esse dicentes, omnia entia contradicentia habent. Nusquam enim dualitas est principium unitatis. In his primum quidem videtur numeri superficialis ab unitate progressum conspicere, non tamen & linealis numeri progressum. In illo enim duo immediatè ex uno progrediuntur: in hoc verò & duo ex uno procedunt: & tertia unitas ex prima & secunda procedit.

Sed ego neque propter fantasma superficialis numeri, ex solo Patre dicam Spiritum sanctum procedere; neque propter fantasma linealis numeri, & ex Filio affirmabo. Neque enim tutum neque religiosum puto, hujusmodi nostris imaginationibus tanquam regulis in supersubstantialibus uti.

Deinde Latini non ajunt dualitatem principium esse unitatis; sed Patrem & Filium, per id quod aliquid unum habent, unum esse principium, non duo unius. De syllogismis quidem illorum hæc dicta sufficiant. Hi enim sunt eorum quos vidi, qui videntur esse fortissimi. Cogito autem & ita: Quoniam Spiritum à solo Patre procedere, neque sensibile est, ut possit per sensum percipi: neque naturale, vel aliquid contingentium, ut possit ea quæ propriè dicitur opinione & imaginatione cognosci; sed est super sensum & sempiternum: necessarium est, ut sit rectè ei assentiendum, aut scientia aut fide hoc facere. Sed ego putare hoc esse scibile & demonstrabile & communibus nostris notionibus comprehensibile; carentis scientia arbitror esse. Restat itaque fides.

At verò illa talium dogmatum dicimus nos rectè credere, quæ dicente aliquo ingentem auctoritatem habente, & cui credere quidem est salutare; non credere verò peri-

Digitized by Google

periculosum, nos recipimus. Cui igitur tali ego credens non temerè mihi videbor hoc facere? sacræ-ne scripturæ? at nihil tale ipsa loquitur. An generalibus Conciliis hoc determinantibus & dogmatisantibus? sed neque hoc. An multis sanctis exponendo sacram scripturam hoc apertè & per multa tradentibus, & ex illa hoc habere asserentibus? & quomodo hoc possit dici? an postremò matri Ecclesiarum? at verò hæc contarium dicit. Non-ne ergo summæ erit dementiæ, dicere quidem credere aliquid de *Deo*, non habere autem assignare, cui credens rectè hoc admittit. An dicet aliquis, quod reliquum est, illuminatione quadam occulta & divina se hoc sensisse? sed ego nondum hanc adeptus sum. SÆC. XIV. ANNO 1350.

Habes & causas, per quas neque necessarium, neque tutum, neque alicujus prudentiæ æstimo esse, & hujusmodi assentiri dogmati. Quoniam verò superius dixi: adhuc incredibilius me ad hoc habere, quàm ad illud quod Latini dicunt: volo tibi & hanc compassionem ostendere.

Primum quidem video majoris esse audaciæ, negare non procedere & ex Filio Spiritum, quàm oppositum. Sancto enim *Dionysio* dicente, in ipso de divinis nominibus: non audendum totaliter de Sancta Trinitate intelligere aliquid vel dicere, præter ea, quæ divinitus nobis per ipsa expressa sunt sacratissima eloquia. Illi qui dicunt à solo Patre procedere Spiritum sanctum, audaciæ hujus utique rei sunt. Quod enim per sacratissima eloquia ostendi minimè potest, hoc ausi sunt ipsi de Deo intelligere.

Latini verò multis in sacra Scriptura dictis non parvam suspicionem præstantibus, & ex Filio Spiritum sanctum procedere, ipsi ut credo, putantes, ex illis hoc significari, erga sacram Scripturam, reverentia & religione, & volendo ad ipsam obedienter se habere, hoc recipiunt. Quare multum differt hoc ab illo. Nullius enim, vel minimæ audaciæ videtur esse.

Item non mediocris & audaciæ & præsumptionis procul dubio est, in dogmatibus de summa Trinitate, suam cognitionem sanctorum & magnorum Doctorum cognitioni præponentem. At verò qui dicit ex solo Patre procedere Spiritum sanctum, multis & magnis Sanctis, & præcipuè *S. Augustino*, & *S. Cyrillo*, qui latius & apertius oppositum docent, se ipsum necessariò putat sapientiorem & religiosiorem. A Latinis verò nihil hujusmodi peccatur, nullo sanctorum à solo Patre procedere apertè & indubitabiliter tradente. Latinorum quàm Græcorum causa potior.

Deinde supponens in parte utrumque falsum esse, & perquirens, utrum falsum existens, majoris sit periculi, invenio dogma Latinorum multò tutius. Hoc enim etiamsi sit falsum, tamen addit ibi aliquid velut Deo dignum, nihil adimendo. Spiritui enim nihil detrahit. Non enim ex hoc minoris dignitatis, quàm Filius fit. Filio verò nihil auferens, (a) de his quæ habet, detrahens, addit, quod non solùm ipse perfectè est Spirator, verum etiam spiratorem genuit. Illud verò, quod Græci dicunt, siquidem falsum est, papæ, quam magna blasphemia est? addens quidem nihil, detrahens verò, Filio quidem spirare Spiritum, Patri verò generare spiratorem. Et est simile, ut si quidam *Scriptura tradentes erga quatriduanum *Lazarum* Domini miraculum unus diceret, non obiisse illum; sed passionem quandam circa cor ei accidisse, & visum esse mori. Dominum verò quarto die, passione illa ipsum liberasse. Alius rursus diceret triginta dierum mortuum, vel adhuc ultra, resuscitatum fuisse à Domino. Utraque enim falsa essent. Sed unum detrahit, aliud addit illi miraculo, ut non sit æquale peccatum.

(a) *nec patri.*

* *f.* Scripturæ addentes.

Consequenter rursus perquirens, utrum falsum existens rationabiliores possit habere in judicio excusationes? invenio multum interesse. Latinus verò, siquidem falsum dicit, reddendo hujus rationem, multa poterit habere bona refugia. Quòd in divina scriptura multa fuissent, quæ videbantur hoc concludere, & ipse voluisset reverenter ad ipsam se habere: quòd ex fide, zelo, devotione, amore ad ipsum dominum credebat adversus eum se blasphemare, nisi crederet ex ipso Spiritum sanctum procedere. Quod multi sanctorum, qui in ipso judici placuerunt, hoc apertè & per multa tradidissent, quod mater Ecclesiarum semper hoc docuisset. Et verò qui alterius partis est, siquidem errat, neque aliquid horum convenire ad excusationem in judicio invenio: neque aliud, ut ita dicatur, quicquam ratione dignum.

Item quoniam homines multa contra ea, quæ opinantur ex aliqua contentione, vel sui amore, vel alia quadam passione dicunt, perquirens ego, quos magis virisimile est à principio ex aliqua tali passione commotos dicere: utrum Latinos, quod ex Filio; an Græcos, quòd hæresis & error hoc est; invenio rursus eandem differentiam. In multis enim his nostris subditis illi Ecclesiæ, & multis hic æstimando se à (b) matribus injuriam pati ad ipsam refugientibus, illaque excommunicatione & aliis justis & omni modo coercere, hic majores ab injuria conante: & hoc, ut verisimile est, his non parum displicente, istis quidem ex diffamando illam Ecclesiam in dogmatibus

(b) *majoribus.*



Digitized by Google

Sæc. XIV. Anno 1350.

peccare, ſuæque hoc perſuadendo, videbatur advenire magna malorum liberatio: & videlicet omnia ſecundum beneplacitum ſuum facientibus nullus de cætero recurrere velit, atque illi rationabiliter videantur, juſſis Papæ nolle obedire.

Itaque Imperatori hoc provenit, quod prius non habebat, Patriarchas confirmare & proponere, & nullam relinqui Eccleſiam, quæ valeat ipſi in aliquo reſiſtere. Ipſi verò Patriarchæ novæ *Romæ*, ut univerſalis nominaretur, & non ſecundus poſt primum, ſed ipſe primus in Eccleſia à conſecratoribus æſtimetur. Neutrum enim horum ante ſchiſma erat. Latinis verò ex dicendo, ex Filio Spiritum ſanctum procedere; neque aliquorum malorum liberatio, neque non præſentium bonorum acquiſitio accedebat. Quare ex paſſione à principio commotos dicere magis Græcis quàm Latinis videtur poſſe contingere.

Ex his igitur & talibus, licet nondum viſum eſt mihi fidem adhibere Latinorum dogmati, tamen multò videtur mihi rationabilius eſſe, non credi, quod Græci dicunt, quam illud. Tuum de cætero ſit, quod & in principio precatus ſum, te nobis in ſcriptis revelare & ſignificare velle, quidnam eſt illud, quod tibi perſuaſit, & ex Filio Spiritum ſanctum procedere, pro certo credere: & ex hoc hæreticos & ſchiſmaticos eos, qui non hoc ſapiunt, nec confitentur putare. Amici omnes ſalutant te. Et epiſtola hac lecta coram eis, eadem & ipſi hæſitare, & à te petere ſe dicunt.

*Epiſtola Domini* Barlaami, *Epiſcopi* Gyracenſis, *ad eundem* Demetrium Theſſaonicenſem, *reſpondens ad petita*; *hortatur eum ad unionem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ.*

*Cum* accepiſſem, ô amicum mihi caput, tuam ingenuam & admirandam & diſertiſſimam epiſtolam; legiſſemque & intellexiſſem, ut arbitror, quæ in ea ſunt: ita tibi ad interrogata reſpondeo.

Ego neque prius ſciebam, utrum à ſolo, an non à ſolo Patre procedit Spiritus ſanctus, neque nunc arbitror me ſcire. Puto enim hujuſmodi problema & nunc & tunc, quemadmodum & tu in epiſtola optimè dicere mihi videris, ſuper omnem eſſe humanam & ſcientiam & mentem, & methodum & demonſtrationem. Sed & prius credebam, quod à ſolo Patre, & nunc rurſus credo, quod etiam ex Filio. Receſſi verò ex illa credulitate per eaſdem cauſas & eaſdem cogitationes, per quas & tu per multa oſtendiſti in eadem epiſtola, non debere te credere putaſti his, qui à ſolo Patre dicunt; ſed multò incredibiliores hos aliis eſſe debere diſcernis.

Quæ autem me ad firmiter credendum & ex Filio procedere Spiritum ſanctum duxerunt, tria maximè ſunt. Quorum duo & in tua epiſtola continentur: ſcilicet, quod multi noſtrorum Patrum, & magnam opinionem habentium, ſacram & divinam exponendo Scripturam, ex ipſa ajunt ſe intellexiſſe, & ex Filio Spiritum ſanctum procedere. Et ideò apertiſſimè & per multa in ſuis ſcriptis hoc docent, ſicuti S. Auguſtinus, S. Cyrillus. Et ſecundum quod etiam Romana Eccleſia, quæ & dignitate & dominio, & erga Scripturam diligenti ſtudio ſuperat omnes, quæ ſemper recta defendit dogmata, idipſum à principio docet & tenet. His enim duobus, ô amice, tertium additum, quod tu videris adhuc ignorare; quia etiam generale Concilium, de eodem ipſo celebratum eſt in Lugdunis: quod hoc affirmans, contradicentes omnes pro hæreticis haberi ſtatuit. Hoc, inquam, ab omni ambiguitate remanens, totum facit hujus dogmatis. Ab hac enim ſynodo, & habente & faciente, quæcunque oporteret habere & facere generalem ſynodum, examinato & determinato, & ex Filio procedere Spiritum ſanctum: Qui hoc non recipit, tanquam jam Catholicæ Eccleſiæ auctoritatem & dogma contemnens, juſtè utique & meritò ſchiſmaticus & hæreticus habebitur. Et credo, quod ſi fuiſſes de hac ſynodo informatus, non adhuc videretur tibi non neceſſarium eſſe, hoc recipere dogma. Et nunc quidem tranſmitto tibi determinationem hujus ſynodi, in fine epiſtolæ ſcriptam. Poſtmodum verò, ſi *Deus* voluerit, mittam tibi & hujus acta: ex quibus ſcire poteris, & quod generalis fuerit, & quod nihil eorum, quæ debebat habere & facere, omiſit.

Concil. Lugdunenſe œcumenicum.

De expoſitione verò nonnullorum dictorum ſcripturæ, ex quibus Latini ſuum concludunt dogma, de quibus dixiſti, propter quod poſſunt habere duplam expoſitionem, te ambigere & non habere cui magis aſſentiaris: potes utique & illud cogitare, quod illi quidem, qui exponunt ipſa, ita ut concludant & ex Filio Spiritum procedere, divini viri ſunt: Sanctus videlicet inter alios *Auguſtinus* & Sanctus *Cyrillus*. Alios enim Latinorum Sanctorum, qui ſimiliter eadem expoſuerunt, omitto. Videris enim eos minimè inveniſſe. Illi verò qui eadem ipſa aliter exponunt, addentes id ipſum, minime poſſe eſſe alium eorundem præter hunc intellectum, Græci ſunt: qui poſt ſchiſma Latinis contradicunt. Quoniam antiquiores Græci, qui ſimiliter modernis Græcis eadem exponunt, nullo modo addunt, impoſſibile eorundem & alium eſſe ſenſum. Scis quippe, quod nimis in multis poteſt fieri, eorundem diverſos eſſe intel-

Digitized by Google

tellectus, non repugnantes ſibi, & non omnes ab omnibus aperiri; ſed alios ab aliis. Quales ſunt repugnantes intellectus, & tu oſtendiſti in pluribus dictis & magis ad concludendam neceſſariis ex eis Latinorum concluſionem. Admittentes enim Latini integrè, & illum, quem dixiſti, eorundem poſſe fieri alium ſenſum, ita ſuum habuerunt. Quare cum ſancti & beati viri, qui utroque modo hujuſmodi dicta intelligunt, & ex Filio procedere Spiritum ſanctum ex ipſis concludunt: non tales verò ſint illi, qui prout volunt, eadem intelligentes, illum ſenſum, per quem proceſſio Spiritus ſancti & ex Filio concluditur, negant: non debemus æqualem utriſque fidem adhibere. Quamquam illam per inſufflationem Spiritus donationem, ſi parum diligentius conſiderabis; invenies ſecundum Latinos ſenſum ſolum, & minimè alium, poſſe habere: niſi quis omnino coactè & ſophiſticè idipſum exponere voluerit. SÆC. XIV. ANNO 1350.

Attende enim ita. Dixiſti, aliter exponentes dicere, velle ex hoc ſcripturam nos intelligere, quòd Spiritus non eſt major Filio, & quod deificantia chariſmata, communia ſunt & Filii & Spiritus. At vero ad hæc intelligenda vel credenda, ſufficiebat tantum dicere: Accipite Spiritum ſanctum: inſufflare verò nihil ad hujuſmodi ſenſum confert. Neque enim ipſa Spiritus ſubſtantia, neque ejus ipſa gratia erat ille corporaliter de ſancto ore exiens flatus, neque Apoſtoli abſorbentes illum, gratiam acceperunt, cùm aliter non poſſent. Quid igitur volebat ſibi inſufflatio illa? ſiquidem & dicente ipſo tantum: *accipite*, vel, *do vobis Spiritum ſanctum*, habet quod Græcorum vult expoſitio? an certè, ut ait *S. Auguſtinus*, quemadmodum in multis ſcriptura de ſenſibiliter, & in tempore vel factis vel dictis, reducit nos ad intelligibilium & ſempiternorum contemplationem, ita & ſignum hîc aliquod hoc præbuit Salvator, reducens nos ex ipſo ad intelligendam vel credendam intelligibilem, magis autem ſuperintelligentiam, & ex ſe ſui conſubſtantialis Spiritus proceſſionem? Ergo ſi hoc ſolummodo rationabile eſt intelligi, rationabile certè quoque credere eſt.

De ſyllogiſmis verò ipſorum & argumentis, quæ ais, non de neceſſitate concludere propoſitum, neque poſſe animæ *inquiſitivæ* ad plenum ſatisfacere; non enim hoc mirandum. Scis quippe, quod in multis, vera concluſione exiſtente, nimis pravè ad eam ſermones fiant, non ſemper ex imperitia dicentium hoc contingente; ſed aliquando ex ipſa propoſitæ rei natura, non abundante melioribus atque fortioribus ſermonibus. Aliquando verò arbitrante ipſo dicente, per hujuſmodi ſermones audientibus maximè perſuaderi poſſe. Sæpè enim contingit ea per quæ aliis perſuadetur, apud alios ridicula putari. Item neque per quæ cuiquam eſt perſuaſum aliquid, per eadem ſemper aliis perſuaderi nititur; ſed qua ſequi eos æſtimat, hac & ducere tentat. Ita igitur & Latinos noli putare his ſyllogiſmis & argumentis credentes tenere, quod dicunt: Ipſi enim hoc credunt ex tribus illis, quibus dixi & me ad id ipſum credere: re verò exiſtente ſuper rationem, & multis nolentibus ex dictis tribus ſimiliter hoc credere, ſed potius argumentis & ſyllogiſmis humanis & *Deo* condignis oppoſitum oſtendere conantibus: ipſi cupientes ad ſe hos convertere, quæ utique cogitant ſemper de propoſito accommodata eſſe, ad refellendos eorum ſyllogiſmos, & ipſis fortaſſe perſuadendum recipere, quod quæritur, hæc & dicunt: minimè, ut dixi, per eadem ipſi idem credentes; ſed propter aliorum incredulitatem, ac per ſimiles ſyllogiſmos contradictionem, hujuſmodi coguntur uti ſermonibus, per quos non eſt incredibile & multis perſuaderi.

Cauſſa eſt igitur ejus, quod ad acutum & inveſtigativum tuæ *Deiformis* animæ defectuoſi videntur eorum ſyllogiſmi, ſublimitas propoſitæ quæſtionis, efficaciores non ſuſcipiens ſyllogiſmos: & quod eos faciunt ad habitum, uti conjectant, non credentium, & per ſimiles ſyllogiſmos oppoſitum defendentium: ut etiamſi non ad plenum eis perſuadetur; attamen multum confidere ſuis ſyllogiſmis, eis auferatur: & his qui ſunt adhuc ad fidem infirmiores, auxilium quoddam præſtetur; ne moveantur per ſimiles ſyllogiſmos. Ceterum ſi omnes ſentirent, ita diſpoſitos, ut ego te ex tua epiſtola video, non utique talibus uterentur ſermonibus. Attende autem & ſic.

Ecce humana mente ratiocinari de illa re, de qua ait ſanctus *Dionyſius*, magis verificari omnium quæ dicimus, quæque intelligimus, negationes quam affirmationes: commune jam eſt & Latinorum & oppoſitum defendentium Græcorum. Fides verò nequaquam communis eſt; ſed Latini quidem habent aſſignare quæ dixi tria, maximam habentia auctoritatem & dignitatem & magnitudinem ad fidem: quibus utique religioſè credentes ajunt Spiritum ſanctum & ex Filio procedere. Illi verò qui dicunt ex Patre tantum procedere Spiritum ſanctum, ad nihil tale ſe reducere valent. Quare ſyllogiſmis omnibus circumſcriptis, Latinis quidem remanet fides: his verò & fides & obligatio ablata eſt. Neque putes Latinos credentes Spiritum ex Filio procedere, ejuſdem Spiritus proceſſionem vel ſimilem putare Filii generationi; vel differentem quidem: aliqua verò penitus nota differentia, differre à generatione Filii. Et in hoc enim idipſum cum ſanctis noſtris Patribus, & ipſi credunt: ut quo differunt ibi, gene-



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1350.

ratio & proceſſio, non omnimodo notum eſſe hominibus. Si verò in diſputationibus ad Græcos, ut tu ais in Epiſtola, non videntur hoc ſervare: ſcito hoc eos facere, ſicut & ipſi Patres veſtri faciunt: qui dicentes multis locis, nullum eſſe exemplum, vel in ſenſibilibus, vel in intelligibilibus ſummæ Trinitatis Sacramentum: ad multa condeſcendunt exempla. Ita & hos aliorum incredulitas & infirmitas evocat, ad condeſcendendum ad aliquas notas ſimilitudines, propter quas videntur diſcernere proceſſionem à generatione: ut ex his ad concluſionem, quam fide oporteret teneri, perveniatur; non putantes abſurdum, ſi eos, qui per ſimpliciter ſanativa curari non valent, per aliis nociva ipſos ad ſanitatem poſſint revocare. Sed de his quidem ſatis.

Neceſſarium autem arbitror adhuc & illud tibi oſtendere, quod licet tria dixi ſuperius eſſe, quæ coëgerunt me credere & ex Filio Spiritum ſanctum procedere, hoc eſt, multos magnorum Sanctorum hoc apertiſſimè tradere, matrem Eccleſiarum hoc ſemper dicere, per generale etiam Concilium hoc fuiſſe affirmatum: tamen quodlibet horum, ſine aliis per ſe * viſum non habens, reliqua duo oppoſita ſatis ſe habere conſidero, ut idipſum credatur. Et tu qui adhuc videris ignorare, utrum de hoc factum fuiſſet generale Concilium, ſi volueris tuas in epiſtola cogitationes, inter ſe conjungens advertere, quid ex ipſis neceſſariò contingit, invenies valde neceſſarium, & ex ſola auctoritate Sanctorum, quos dixiſti: vel ex ſola Eccleſiæ Romanæ te credere, quod etiam ex Filio Spiritus ſanctus procedit. Adverte autem ſic.

* *f.* vim.

Dixiſti te ſcire multos magnorum ſanctorum exponendo divinam Scripturam tradidiſſe per multa, quod etiam ex Filio. Item dixiſti, quod hujus oppoſitum, ſcilicet ex ſolo Patre, neque ratione potes intelligere, neque de ſacra Scriptura concludere: & quod neſcis ullos ſanctos hoc apertè tradidiſſe, vel generale Concilium hoc determinaſſe, & quod ſcis matrem Eccleſiarum minimè hoc dicere.

At verò ſi quid de Deo multi & magni Sancti, exponendo divinam Scripturam dicunt: cujus oppoſitum neque ex ipſa Scriptura oſtenditur; neque per rationem demonſtratur, neque per ſanctos apertè traditur, neque per generale Concilium determinatur, neque per matrem Eccleſiarum docetur: hoc credi nimis neceſſarium eſt. Si verò hoc ambigis & dubitas, utrum ſit neceſſarium: ſed illud minimè dubitabis, ſine periculo penitus quod tale eſt, poſſe credi. Si quidem non dubitas in ſanctis eſſe eos, qui hoc crediderunt, docuerunt, & ſcriptura tradiderunt; ergo cum hoc ſit ſine periculo; vide quale ſit dicere, quod ex ſolo Patre procedit. Ais enim, quod hoc neque auctoritas, neque demonſtratio compellit te recipere. Et multi magnorum Sanctorum cum matre Eccleſiarum apertè oppoſitum docent. Ergo ex volendo hoc tenere, ſuſpicio mox aliqua periculi conflatur. Ergo cùm hoc ſit pro certo periculoſum, illud verò omnino ſine periculo: duæque ſint ſolæ partes Eccleſiæ: una quæ tenet, quod penitus eſt ſine periculo: alia verò quod manifeſtè periculoſum eſt: atque alia Eccleſia non ſit collecta ex talibus hominibus, qualem tu adhuc ais te eſſe, neutrum extremorum tenens; in omnibusque, cæteris paribus, eligendum ſit magis, quod ſine periculo eſt, quam quod periculoſum: nonne jam ex tuis cogitationibus vides concludi, nimis neceſſarium eſſe, Latinis eadem velle de propoſito ſapere: eodem verò modo; viſa ſimiliter Romanæ Eccleſiæ auctoritate per ſimilia media tranſiens, pervenias neceſſario ad eandem concluſionem. Quare etiamſi nondum fuiſſet factum de hoc generale Concilium, tamen neceſſarium eſt recipere, quod Spiritus ſanctus ex Patre Filioque procedit: & hoc negantes, nequaquam tanquam partem Eccleſiæ; ſed tanquam omnino abſciſſos ab Eccleſia, & ad rationem ſchiſmatici cadentes putare. Quid autem? ſi oſtendatur, quod primi illorum Græcorum, qui ſe ſeparaverunt à Latinorum communione, non ratione; ſed quadam irrationabili paſſione hoc paſſi ſunt, nonne & ita patefactum erit, hos eſſe ſchiſmaticos? at verò nihil ita apertum fieri poteſt. Conſiderare enim ita oportet, ad evitandum rationabiliter matris Eccleſiarum communionem, duo oportebat neceſſario occurrere: Unum, tunc primitus incipiſſe Romanam Eccleſiam aliquid de dogmatibus fidei ſapere & dogmatiſare, quod prius neque docebat, neque ſentiebat. Secundum eſt illud, noviter dogmatiſatum ita ſe habere oppoſitè & repugnanter aliquid eorum, quæ vel in ſacra Scriptura apertè dicuntur, vel in generalibus Conciliis expreſsè determinata ſunt, ut cum hoc ſit, nullo modo poſſit illud eſſe: & cùm illud ſit, minimè hoc locum habeat. Rationabiliſſimum enim eſſet à talia dogmatiſantibus dividi. (*a*) Neutrum enim horum contingente, irrationabile velle omninò dividi relinquitur. At verò neutrum horum in exordio ſchiſmatis Eccleſiæ Romanæ contigit. Nam de proceſſione, & ex Filio Spiritus ſancti, ſancti illi, quibus Eccleſia Romana mox credens, hoc tenet, facti ſunt ante inchoatum ſchiſma, alii trecentis, alii quadringentis, alii verò & quingentis annis. Et ut unum præ omnibus dicam; qui non tranſitoriè, ſed de eodem ipſo principaliter loquens, apertiſſimè id docet: magnum, inquam, *Auguſtinum*. Hic

(*a*) *Neutro.*

circa

Digitized by Google

circa tempora *Theodosii* Magni claruit, annos videlicet ante schisma & ultra quingentos: cujus ex tunc Ecclesia utique Romana scripta habuit, cùm esset ejusdem linguæ, & dogmata veneratur. SÆC. XIV. ANNO 1350.

At verò dicere & ex Filio, nihil oppositum est, ad dicendum ex Patre. Non enim si procedit & ex Filio, tollitur procedere & ex Patre; sed potius illo prius concesso, & ex Patre procedere necessario sequitur. Quæ vero ita se habent inter se, repugnantia non sunt. Ergo & divina Scriptura prius dicente, ex Patre procedere Spiritum sanctum; & postmodum Conciliis idipsum dicentibus, Ecclesia Romana dicens & ex Filio, non dogmatisat aliquid illis repugnans, & dicta illorum interimens; sed potius tale: quo concesso, illud necessariò confertur. Nam sicubi adhuc dictum non fuisset, quod Spiritus procedit ex Patre, & crederetur Ecclesiæ Romanæ, quod ex Filio procedit: ex hoc utique concluderetur necessariò illud. Nam si procedit ex Filio, qui omnia quæ habet, ex Patre habet: procedit ergo & ex Patre. Quare non tolluntur ex hoc, quæ prius credebantur; sed adhuc magis roborantur. Ergo si in principio schismatis, nihil novum vel repugnans alicui eorum, quæ à tota Ecclesia credebantur, dogmatisare cepit Ecclesia Romana: quomodo non omnino extra rationem ejus illi refutarunt communionem, vel quomodo non ex aliqua elatione & superbia, vel ambitione & avaritia, vel tali aliqua passione ipsi hoc passi sunt? neque enim illud, quod multorum est, dici potest, quod synodico canone prohibente, adimere aliquid vel addere fidei symbolo, illi ab ausa aliquid addere meritò discesserunt.

Primum enim nullus talis Canon in Conciliis invenitur. Deinde non ante schisma, non in hujus principio, non paulo post, sed multis post hoc annis, Ecclesia Romana, cùm per multas prius legationes, de eodem Græcos admonuisset & hortata fuisset à deterrimo schismate discedere, ut non habuit obedientes, denique Concilium super hoc sibi obedientibus celebrari faciens, hoc in symbolo non immerito addidit. Quoniam si similiter tanta Christianorum gens negasset non esse Filium omnipotentem, vel vivificantem: & multæ adderentur quotidie huic hæresi: certè non careret ratione, si de hoc sani Christiani ad refellendam hæresim in symbolo id ponerent. Nulla itaque præcedente rationali caussa, ob quam primi illi à matre Ecclesiarium se segregaverunt; certum est, quod & illi & omnes qui illos sequuti sunt, procul dubio schismatici sunt. Nullos enim alios appellamus schismaticos, nisi illos, qui principalioribus & dignioribus in Ecclesia dogmatizantibus (a) oppositis se habens, ad aliquid eorum, quæ vel in sacra Scriptura apertè dicuntur, vel in generalibus Conciliis expressè determinata sunt, vel à tota Ecclesia communiter creduntur, à debita illis credentia & communione, propter quandam aliam passionem discedunt: sive multi sive pauci sint: nihil enim interest, quoniam non multitudine & paucitate; sed prædicta ratione schismaticus notatur, quoniam & hi complentes jure, & hoc nomine digni habiti erunt. Aut igitur ostendant, quid Latinis dicentibus contingit ex sermone ipsorum, necessariò Spiritum sanctum non procedere ex Patre, ut ita tollatur, & quod in symbolo, & quod in Evangelio dicitur, & à tota Ecclesia creditur; aut si hoc impossibile est, sciant se extra Catholicam Ecclesiam esse, & nullo à schismaticis differre.

Additio symboli.

(a) *oppositè se habentes.*

Quoniam verò ipsi undique coarctati, postremò ad Evangelium & ad septem generalia Concilia refugientes, putant ex illis excusationem schismatis sibi invenire: dicendum est ad eos: quod si quidem, ò amici, matre Ecclesiarum peccante vel in Evangelium, vel in Concilia, ipsi ab ea receditis, rectè facitis: si verò illa nihil peccante, vel in Evangelium, vel in Concilia; ipsi nihilo minus ejus recusatis communionem, nullum certè vobis vel ex Evangelio, vel ex Conciliis suffragium penitus est. Ergo perquirendum est diligenter, quid est in Evangelium, vel in Concilia peccare? quod si putabitis, peccare in hæc esse, simpliciter dicere aliquid & dogmatizare de *Deo*, quod utrumque non invenitur vel in Evangelio, vel in Conciliis, sive contrarium est alicui eorum, quæ ibi manifestè feruntur, sive non; hoc modo etiam omnes qui de Deo scribunt sancti in eadem peccant. Non solùm enim innumerabilia de *Deo* dicunt & dogmatizant; quæ verbo in Evangelio, vel in Conciliis non inveniuntur: verum etiam multa dicunt, quæ neque per sensum eorum, quæ ibi sunt, concludi valent. Non ergo peccare est in illa simpliciter dicere, quæ ibi qualitercumque non inveniuntur; sed addendum est, si sint & repugnantia illis. Quare peccare in illa est, dicere aliquid oppositè se habens alicui eorum, quæ ab illis dicuntur, ut alterum per alterum necessariò tollatur. Et hoc solum est, quod paradogmatizare appellamus. Ita enim solummodo peccare in dogmata, in paradogmatizare definito, omnes qui unquam aliquid de Deo dixerunt, inculpabiles dimittemus.

Quando recedendum ab ecclesia.

At verò Romana Ecclesia, & ex Filio procedere Spiritum sanctum dicente, nihil penitus per hoc tollitur, vel eorum quæ in Euangelio continentur, vel eorum quæ in toto

Ecclesia Romana non peccat circa fidem.

Digitized by Google

Sæc. XIV. Anno 1350.

toto ſymbolo dicuntur, vel eorum, quæ per aliquod ſeptem Conciliorum expreſsè determinata ſunt. Quare & quomodo idipſum non concluderetur per aliqua ſacræ Scripturæ dicta, neque per Sanctos aliquos traderetur: ſed quoniam eorum quæ in Evangelio vel in Conciliis ſunt, non deſtruit quidquam hoc dogma: certè Romana Eccleſia hoc dicens, neque in Evangelium, neque in Concilia peccat. His ergò qui à communione ejus Matris exiſtentis diſcedunt, nulla vel ex Evangelio, vel ex Conciliis excuſatio hujus acquiritur. Neque ergo aliunde proveniente eis alia excuſatione, neceſſarium eſt, ſchiſmaticos ipſos eſſe, & à Catholica cecidiſſe Eccleſia. Sed ut apertiſſimum id fiat, ponendæ ſunt juxta ſe cogitationes, & ſermo ita ſit concludendus.

Peccans eſt circa pietatis dogmata, quem & paradogmatiſtam & hæreticum vocamus: qui ſapit & docet aliquid ita oppoſitè ſe habens, ad aliquid eorum quæ vel in ſacra Scriptura apertè dicuntur, vel per aliquod generalium Conciliorum expreſsè determinata ſunt, ut cum hoc ſit, illud tollatur: & illud cùm ſit, hoc non poſſit eſſe. At verò Eccleſia Romana, nihil hujuſmodi ſapit vel docet. Non ergo circa pietatis dogmata peccat. Quare neque paradogmatizat, neque aliquam hæreſim incurrit, & digniſſimum & dominantiſſimum & principaliſſimum & ſummum & primum locum in tota Eccleſia habente: nunc Orientales minoris & humilioris exiſtentes in tota Eccleſia & dignitatis & gradus & ordinis, à debito illi honore & obedientia, & communione diſcedunt. At verò omnes quicumque in Eccleſia minoris & humilioris exiſtentes dignitatis, gradus & ordinis, dignioribus, dominantioribus, principalioribus, prioribus, ſuperioribus in Eccleſia, nihil in pietatis dogmatibus peccantibus, nullam hæreſim incurrentibus, à debita illis reverentia, obedientia, & communione diſcedunt: proculdubio ſchiſmatici ſunt. Contingit ergo hos neceſſariò ſchiſmaticos nunc eſſe, quod eſt, ſeparatos eſſe à Catholica Eccleſia.

Sed fortaſſe dicet aliquis ambigens: ſi amiſit ſuam integritatem & perfectionem Eccleſia, & hoc non ex minima parte: Siquidem quinque ejus principaliorum partium, à quibus tanquam ſenſibus quibuſdam, univerſum ejus corpus completum erat; quatuor lapſæ ſunt: prima verò tantum remanſit; quomodo de cætero non exiſtens integra, catholica eſt: vel cujus amplius corporis Eccleſia Romana caput eſt, ex quo illud quod initio unitum erat ei, diſceſſit ab ea, vel quomodo totaliter viva eſſe poteſt?

Græci ſoli orthodoxi.

Ad hæc primum quidem oportet conſiderare, quod ſi quis eadem ipſa objiceret ad ipſos Græcos, qui dicunt ſe ſolos in fide vivere, & ex ſe ſolis completam eſſe Catholicam Eccleſiam, capite perdito, quæ utique ipſi ad ſimiliter ad eos objecta reſpondiſſent, hæc nobis multò rationabilius ad hæc dicere conveniet.

Deinde ſiquidem animalis exemplum ſequi voluerimus, non utique verum eſt, propter horum ſchiſma univerſum Eccleſiæ corpus à capite dicere diſceſſiſſe. Caput enim Eccleſiæ eſt, non totus Occidens & Septentrio; ſed ſolius urbis Romanæ Eccleſia hanc habet dignitatem. Tot verò & tantæ aliæ Eccleſiæ Occidentales & ſeptentrionales, & alia genera purorum Chriſtianorum terræ firmæ & inſularium cum ea remanſerunt: ut hi quidem omnes correſpondere valeant reliquo animalis corpori, & continuo capiti unito. Hi verò Patriarchæ, qui eam reliquerunt, manuum vel pedum proportionem habeant: quæ abſciſſa à corpore, ipſa quidem de neceſſitate mortua ſunt: corpori verò non ſemper interitum ferunt. Item, neque ſicut in animalibus, loco corruptorum membrorum, caput alia condere nequit: ita quoque in Eccleſia eſt: ſed ſemper capiti, loco labentium, licet alia condere, ut ſemper ipſum ſit cum integro corpore. Scimus enim, quod Papa quidem poteſt creare Patriarchas. Patriarchæ verò Papam creare non poſſunt. Et ideò hi quidem nunquam hoc tentaverunt: Romani verò Pontifices ante ſchiſma videntur & deponentes & promoventes Patriarchas.

Ergo quoniam nihil oppoſitè ſe habens Evangelio, vel Conciliis ſapit vel docet, prout oſtenſum eſt, non amiſit utique creandi Patriarchas poteſtatem & virtutem.

Ergo cum hi Patriarchæ abſque ulla ratione diſceſſiſſent ab illo, & in eorum diœceſibus habitarent multi Chriſtiani uniti illi, illo ſingulis horum à principio habente hujus juſtam poteſtatem conſtituendi congruum Patriarcham, Eccleſia quidem Romana capitis rationem habens, & loco labentium membrorum alia ſemper condens; & viva utique eſt, & integrum reliquum corpus unitum ſibi habet: eos verò, qui eam deſeruerunt, ſine capite de cætero & mortuos eſſe neceſſe eſt. Quare ſi putas neceſſarium eſſe generalibus Conciliis ad totius complementum, & quatuor intereſſe Patriarchas, & audias poſt ſchiſma generalia aliqua Concilia per Papam eſſe facta: noli quærere, utrum & ſchiſmatici Patriarchæ illis interfuerunt: ſed ſi eorundum Patriarchārum fide viventes & uniti ſuo capiti Patriarchæ interfuerunt. Non oportet plus hoc quæri. Generalia enim Concilia non ex hæreticis & ſchiſmaticis; ſed ex orthodoxis & Eccleſiæ unitis colligi debent. Hæc tibi, ô amicum mihi caput, reſpondere *Deus* dedit. Det autem ipſe tibi reliqua.

*Epiſtolæ*

Digitized by Google

*Epiſtola ejuſdem Domini* Barlaami *ad* Alexium Calochetum, *in qua oſtendit Græcos non obedientes Romanæ Eccleſiæ eſſe non ſolum ſchiſmaticos, verum etiam hæreticos.*

*Audivi* te admirari de me, quoniam eos, qui non communicant Eccleſiæ Romanæ ſchiſmaticos appello. Ego verò puto me rationabilius admirari de te, quoniam admirandum putas, ſi qui illo nomine vocantur, cujus definitionem perfectè ſuſcipiunt. Nam ſi volueris videre, quæ eſt ſchiſmatici ratio, invenies hanc iis, qui à me ſchiſmatici vocantur, nihilo minùs quàm hominis rationem congruere. Ergo hoc ſit oſtendendum. Schiſmaticorum definitio.

Cùm itaque in Eccleſia alii aliis ſint dominantiores, principaliores, & ſuperiores: illi, qui minoris & humilioris exiſtentes ordinis, & quibus convenit ſub dominio aliorum eſſe, & ſequi alios, de nulla hæreſi habentes juſtè accuſare majores, dividunt ſe ab illorum in religione ſocietate; mox in ſe ipſis ſchiſmatici condunt rationem: Nam & ipſi ad nullam aliam, quàm hanc definitionem aſpicientes, eos qui evitant apud ſe majorem communionem, ſchiſmaticos appellant; quales & tu non paucos ſcis in regnante civitate, eodem nomine, propter nunc aſſignatam rationem, ab aliis vocari. At verò Romana Eccleſia *ſeniſſimum*, principaliſſimum, & ſummum in Catholica Eccleſia habente gradum; hi minoris exiſtentes & inferioris ordinis: in tantum fugiunt illius communionem, quod neque ejus ſacerdotium putant verum eſſe ſacerdotium, neque in Eccleſiaſticis Sacramentis, volunt illi communicare: atque plures eorum etiam ſimul comedere ſimpliciter cibum cum quoquam Latinorum verentur: ergo ſi Eccleſia illa incidente, quod abſit, in hæretici rationem, hi ab ea abſtinent; irreprehenſibilis eſt ſeparatio, & ſchiſmaticorum rationis imperceptibilis. Si verò illa nulla hæreſi conjuncta hi fugiunt ejus communionem, pure in rationem ſchiſmatici incidunt. Ergo quærendum eſt, quem nominamus hæreticum, cui communicare in aliquo delictum eſt: in nullo verò communicare, non ſolum irreprehenſibile eſt, verum etiam neceſſarium: & quem poſt primam & ſecundam admonitionem oportet ſecundum Apoſtolum ad *Titum*, nos evitare. Illius igitur, qui ita dicitur hæreticus, quærenda ſit ratio, ut ſciamus, utrum convenit aliquid ejus Romanæ Eccleſiæ. Cùm verò idem ſit hæreticum eſſe & paradogmatiſtam, & peccare circa pietatis dogmata: quærendum eſt, quis eſt paradogmatiſta? & quis peccat circa pietatis dogmata?

Itaque cùm tria ſint, à quibus habemus hujuſmodi dogmata, unum, divina Scriptura, ſecundum, univerſalia Concilia, tertium, Sancti noſtri Doctores, qui poſt Apoſtolos ſacram nobis expoſuerunt Scripturam: ſi illum vocabimus hæreticum, qui quodcumque vel de *Deo*, vel de alio quovis ſapit & dicit: quod neque in ſacra Scriptura, neque in Conciliis, neque in doctorum ſcriptis totaliter invenitur: non benè nominabimus; quia per hanc rationem etiam multi noſtrorum ſanctorum Doctorum hæretici eſſent: *Areopagita*, *Theologus*, *Nyſſænus*, ſanctus *Auguſtinus*: qui non ſolùm talia dicunt, quæ neque per ſenſum aliis conveniunt: alia penitus exiſtentia, licet non oppoſita. Non ergo hac ratione hæreticum cognoſcimus, cujus communionem fugiemus: ſed & eum, qui alia, præter omnes alios, de quavis re dicit, dum contraria & oppoſita ſuppoſitis non dicit, nondum tanquam hæreticum admonebimus. Neque enim peccat in manifeſta dogmata, qui ea non tollit. At verò & ſi quis nihil penitus eorum, quæ in ſacra Scriptura vel in Conciliis ſunt, commovens, tamen alicui ſanctorum Doctorum de quovis diſſonat, hunc audacem quendam & præſumptuoſum, & elatum & talia nominabimus; hæreticum minimè. Quoniam per hanc quoque rationem, multi Sanctorum eſſent hæretici, qui in multis & magnis ſibi invicem contraria dicunt. Nam de ipſa proceſſione Spiritus ſancti, ipſi ajunt, quod *Damaſcenus*, ubi dicit, ex Filio Spiritus procedere non dicitur, ſapit, quod nullo modo ipſe eſt ex Filio. Hæretici quinam ſint.

Sanctus verò *Cyrillus*, qui multis annis ante eum fuit, in ſermone de Spiritu, in dictis ſuis theſauris ſepties ait Spiritum ſanctum ex Filio & eſſe & exiſtere, & prodire: aſſignans & dicta Scripturæ, ex quibus id ipſum intellexerat. Sanctus verò *Auguſtinus*, adhuc antiquior hoc exiſtens, in ſuo de Trinitate negocio, & nimis longum de hoc protendit ſermonem, & in quarto, & in quinto, & in quintodecimo libro ejuſdem negotii. Quid igitur? hæreticum nominabunt *Damaſcenum*, illis ſuperioribus ſe ſecundum ipſos contradicentem: vel potius & ſe ipſos iiſdem ſanctis tantis rebus contradicentes, an minimè? poteſt ergo fieri, quod is qui ſanctis de Deo diſſonat, nondum ſit hæreticus.

Quis ergo hæreticus eſt & paradogmatiſta? quem poſt binam admonitionem fugiemus? an certè ille, qui ſapit & dicit aliquid in dogmatibus, ita oppoſitum alicui eorum, quæ vel in ſacra Scriptura apertè dicuntur, vel in generalibus Conciliis expreſsè



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1350.

determinata sunt: ut cùm hoc sit, tollatur illud: & cùm illud sit, non possit hoc esse: atque talis ad illa repugnantia est ex ea, quæ vituperatur hæresis. Ille verò qui tale aliquid neque loquitur neque sapit, in alio verò quovis peccat, admonendus est quidem, alio nomine nominatus, non tamen tanquam hæreticus fugiendus.

Igitur cùm hæc sit illa ratio qua hæreticus notatur, videamus qualiter se habet ad eam Romana Ecclesia,

Duo sunt, quæ ejus accusantes justè ajunt se ab ea dividi. Unum quod dicit Spiritum sanctum procedere & ex Filio. Aliud quod per azyma conficit. At per primum nihil eorum, quæ in Scriptura vel in Conciliis sunt, tollit. Dicente enim sacra Scriptura, quod ex Patre procedit Spiritus sanctus, & Conciliis omnibus id ipsum dicentibus, Romana Ecclesia dicens & ex Filio, non oppositum aliquid illi dicit, neque ejicit illud. Non enim si procedit & ex Filio, contingit necessariò, minimè procedere ex Patre; sed potius necessariò confertur. Nam si procedit & ex Filio, qui omnia quæcumque habet, ex Patre habet: procedit ergo & ex Patre. Non ergo tollitur, quod simul trahitur.

At verò neque aliud eorum, quæ in sacra Scriptura vel Conciliis sunt, tollitur, ex eo, quod dicitur, & ex Filio procedere Spiritum sanctum. Non ergo secundum hoc incidit in hæreticorum rationem illa Ecclesia. At neque per azymum.

Primum enim nulli Concilio per hoc adversatur; quoniam nullum de hoc aliquid determinavit. Deinde neque sacræ Scripturæ per hoc repugnat. Et non hoc nunc dico, quia panis ille, quem sacrificavit Dominus, azymus erat; & azymum in Scriptura gerit imaginem sinceritatis & veritatis; sed illud sufficit nunc, quod divina Scriptura panem nominante & azymum & fermentatum, & nusquam jubet hoc vel illud distinctè: certè neuter Scripturæ pugnat, neque *azymita*, neque *fermentarius*. Non enim quod nonnullorum est stultorum dicemus: quod ille est inanimatus. Omnis enim panis sua ratione inanimatus est, & nullus animatus: divina verò virtute conversus nequaquam inanimatus, vel totaliter substantia panis; sed viva caro viventis Christi, qui carnem & animam rationalem & intellectualem ex nobis pro nobis assumpsit. Neque ergo per processionam Spiritus, neque per azymum illa Ecclesia cadit in schismatici rationem: quoniam per neutrum tollit quidquam manifestorum. At verò propter hæc sola, & non propter aliud, ajunt se dividi ab illa. Non erga illa Ecclesia hæretica est per illa, propter quæ ipsi dicunt se divisos esse: quia secundum ea in definitionem hæretici non cadit. Restat ergo hos schismaticos esse necessariò, quoniam definitionis schismaticorum nihil omittunt. Quapropter hoc, ut puto, non amplius miraberis.

Ut autem neque si audiveris me hæreticum vocare eum, qui ex solo Patre asserit procedere Spiritum sanctum, admireris: volo tibi & hujus rationem assignare.

Dicebamus superius, hæreticum esse eum, qui in dogmatibus pietatis sapit aliquid & dicit, oppositè se habens, vel ad divinam scripturam, vel ad generale Concilium. At verò sacræ Scripturæ pugnari dupliciter est: vel cum aliquis rectè intelligit, quod ait Scriptura, & id ipsum proponit contraria illi dicere, æstimans illam mentiri; quod minime est Christiani. Vel asserens Scripturam omninò se venerari, dicta ejus, quibus contradicit, aliter quàm veritas se habet, intelligit & exponit, quod solum est hæretici. Ergo cùm inveniamus aliquem talem, pugnantem quidem divinæ Scripturæ, non pugnare verò asserentem, ad quod nos judicium referentes, indubitanter sciemus, quod pugnatur & justè post binam admonitionem ipsum devitabimus? An ad plures? Sed qui melius & diligentius intelligunt sacram Scripturam, pauciores sunt. An ad hos, qui in divinis sapientiores & magis eruditi sunt? sed fortasse ille unus est omnium sapientissimus: & potest fieri ut id ipsum verissimè omnium ipse intelligat. An ad digniores & dominantiores & principaliores? sed ait Scriptura; si fuerit revelatum novissimo, sileat primus. Unde non semper necessarium est verius intelligere eum, qui primus est. An ad eos, qui nunquam aliàs hæresim aliquam incurrerunt? sed unaquæque Ecclesia, quæ primitus in aliquam hæresim incidit, superioribus temporibus Catholica semper erat. Quare potest fieri eam, quæ prius semper orthodoxa erat, postmodum in hæresim cadere. An ad sanctos nonnullos, qui prout nos dicimus, Scripturas exponunt? Sed fortasse & hic cui contradicimus, sanctus est. Et quemadmodum in illis alii aliis contradicentes, tamen hæretici non sunt, ita & hic. Restat ergo ad judicium generalis Concilii recurrere. At si viderimus illum ipsum sensum determinans quorundam dictorum Scripturæ, cui repugnantem sensum hic dogmatizat & tenet, indubitabile omninò fit ipsum hæreticum esse. Ergo si quis tale in dogmatibus dicit, ut non unum vel duo, sed omnia supra dicta, & generale Concilium in contrarium concurrant, ac in præjudicium simul omnium appareat ipsum sacræ Scripturæ pugnare: hic est omnium manifestissimus hæreticus. Sed qui dicit ex solo Patre procedere Spiritum sanctum, talis est.

Et

Digitized by Google

Et ut per prædicta omnia tranſeamus: Primum ſi quis quærit & proponit plurium judicium, ſiquidem plures dicit, non rudes & illiteratos, ſed legentes ſacram Scripturam & intellectum lectorum utcumque ſequentes, non utique inveniet hîc tot tales, quot centenæ talium in illis inveniri poſſunt. Sæc. XIV. Anno 1350.

Si verò ſapientiorum in divinis & magis eruditorum judicium præfers, in illis quidem infiniti invenientur, ita in fine exercitati erga ſacram Scripturam, ut audito aliquo ex ea dicto, habeat quilibet eorum ſtatim aſſignare, & ex quo libro & capitulo eſt, & quis hujus dicti ſenſus, & adhuc promptus ſit ad omnia dubitanda probabiliter reſpondere. His cùm locutus fuiſſem ſæpè ſapientiſſimis eorum, nondum aliquem talem inveni. Puto autem neque eſſe eorum talem aliquem. Si verò digniores & principaliores & dominantiores quæris; Eccleſia Romana eſt, quæ habet in univerſali Eccleſia ſummum & digniſſimum locum. Si verò eos, qui nondum aliàs in hæreſim ceciderunt; ipſa ſola eſt, de quinque Eccleſiis, quæ jure poteſt hoc gloriari. Si verò Sanctos; invenies ſanctum *Cyrillum* & ſanctum *Auguſtinum*, dicta ſcripturæ exponendo, planiſſimè tradentes & ex Filio Spiritum eſſe. Si verò generale Concilium; & hoc. Quia enim hi Patriarchæ Apoſtolicam deſeruerunt Sedem, & imperialibus propoſitionibus ſe ipſos potius dederunt, & in ſchiſmatici rationem, ut oſtenſum eſt, ceciderunt: primum quidem Eccleſiarum mater, ne hujuſmodi Sedes vacent, legitimis Pontificibus & canonicè ſacerdotium habentibus conſtituit & ordinat cuilibet earum ſuum Patriarcham. Deinde poſt multos annos generale Concilium celebrans, de eodem ipſo omnium aſſenſu declarat, hoc per Scripturam concludi, Spiritum ſanctum ex Patre Filioque, tanquam ex uno principio, procedere. Quapropter, qui hoc negat, & contrarium ſapit, generalis jam Concilii judicio ſacræ Scripturæ pugnat. Et propterea in hæretici definitionem manifeſtè incidens, purus hæreticus eſt. Græci Hæretici ſunt.

Hæc autem & ad te ſcribo, & ad alios dico, non malevolentia aliqua, & contumeliosè, ſed cupiditate, ut Eccleſia Chriſti uniatur, & ad ſeipſam redeat, & omnes Chriſtiani in fide & veritate idipſum ſapiant, & charitatis vinculo ſibi invicem copulentur: quod ut puto non in longum eveniret, ſi hæc ſola, quæ tibi ſcribo, in mentem omnibus venirent. Nam ſi perſuaſum fuiſſet eis in quo malo ſunt, facile utique & hujus liberationem quærerent. Quare nihil, ut æſtimo, benevolentius pro omnibus communiter fieri poteſt, quàm ſi talia ad eos dicantur & ſcribantur.

### *Ejuſdem Domini* Barlaami, *Epiſcopi* Gyracenſis, *probatio per ſacram Scripturam, quod Spiritus ſanctus & ex Filio eſt, quemadmodum & ex Patre.*

*Domino* noſtro *Jeſu Chriſto* jubente nobis perſcrutari Scripturas, duo hinc intelligimus. Unum, quod pietatis dogmata non ſola ſunt illa, quæ ex verbis ipſis immediatè à Scriptura traduntur: Verum etiam ſunt alia, quæ per ſenſum dictorum perſcrutantibus nobis eluceſcunt. Aliud eſt, quod debitores ſumus, non ſola quæ verbis promptè ſignificantur tenere, verùm etiam illa, quæ per ſenſum eorum emergunt. Nam ſi præter ea, quæ verbo ſignificantur, non apparent & alia ex dictorum ſenſu ſimiliter illis exiſtentia ad fidem neceſſaria, non utique dixiſſet; perſcrutamini ſcripturas. Ad facienda enim ea, quæ verbo immediatè ſignificantur, illaque ſola tenenda, non perſcrutatione; ſed lectione ſola opus eſſet. Quare dixiſſet, *legite ſcripturas*. Idipſum intelligimus, & Apoſtolo ad Corinthios dicente: *Littera occidit, Spiritus autem vivificat:* Litteras dicente id, quod promptè in Scriptura per vocem ſignificatur: Spiritum verò id, quod per debitam *ſcrutationem* in Scriptura per ſenſum conflatur. Ergo ſi quid eorum, quæ de *Deo* intelliguntur, ita ſe habet in Scriptura, ut id quidem recta facta inveſtigatione per omnem appareat Scripturam: Ejus verò oppoſitum neque ex voce, neque ex ſenſu Scripturæ neceſſariò concludatur, & adhuc ſanctorum noſtrorum Doctorum ſint nonnulli, qui exponendo divinam Scripturam idipſum manifeſtè concludant & tradant; manifeſtum, quod neceſſarium eſt hoc admitti & credi: ut, inquam, in divina Scriptura Spiritus ſanctus neque quod ſubſtantia eſt, neque quod accidens eſt, ſcriptum eſt; ſed eſſe illum ſubſtantiam, ex omnibus de eo dictis in Scriptura concluditur: Eſſe verò illum accidens, nullatenus concludi poteſt.

Præterea ſacri noſtri Doctores, exponentes ſacram Scripturam ajunt, concludi ex ea, non tantùm ipſum ſubſtantiam eſſe, verùm etiam increatam ſubſtantiam, & conſubſtantialem Patri. Ergo neceſſarium eſt, & nobis hoc credere & confiteri. Simile igitur huic eſt, & quod Spiritus ſanctus habet eſſe ex Filio, ſicut ex Patre. Hoc enim per ſacram Scripturam legitimè inveſtigantibus eam, apparet: & multi ſacrorum noſtrorum doctorum exponentes Scripturam, manifeſtè id ipſum enunciant: ſicuti Sanctus *Auguſtinus* in multis ſuis ſcriptis, & ſanctus *Cyrillus* in dictis ſuis The-



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1350.

sauris, prout potest quicumque vult inspectis eorum operibus videre quod dico. Hujus verò oppositum, quod est, ex solo Patre procedere Spiritum sanctum, & non ex Filio, nullatenus per scripturam concludi potest.

Illi enim qui hanc defendunt opinionem, credunt se habere potissimum illud quod Dominus ait. Qui à Patre procedit, minimè verò per hoc concluditur, quod ex solo Patre: nimium enim interest dicere aliquid simpliciter, & dicere id ipsum distinguendo, *quod solum*. In multis enim unum est verum, aliud falsum; utpote si dicatur Filium esse *Deum* verum de *Deo* vero, verum est. Si verò dicatur solum Filium esse *Deum* verum, de *Deo* vero, falsum est. Id ipsum & in aliis plurimis invenies. Non ergo dicto, quod ex Patre procedit Spiritus, continuò per hoc necessariò concluditur, quod ex *solo*: sed quantum per hoc, reliquum incertum est. Neque igitur ex dicto verbo, neque ex alio sacræ Scripturæ concluditur; quod ex solo. Quia verò & ex Filio est Spiritus, omnis divinitus inspirata scriptura testatur. Incipiendum autem sit inde.

*Argumentum primum.*

DE ingenita persona, duabus personis habentibus esse, quæri potest: quidnam causæ est, quod ipsa principalis persona, in quantum est auctrix unius principatarum personarum, adepta est proprium nomen, & vocatur ad eam Pater, in quantum est verò principium alterius personæ, nullum nomen consequuta est, quemadmodum postmodum expositores nominaverunt Patrem, Spiritorem sancti Spiritus. Ipsa verò sacra Scriptura nullum nomen exposuit, quo oporteat Patrem respectu Spiritus appellari. Et non hoc quæro, utrum alio modo habeat Verbum esse de ingenita persona, alio verò Spiritus: nam & differentem esse modum, per quem uterque habet esse, ex communi principio credo. Et quid interest inter duos hos modos, ignotum esse hominibus minimè dubito. Sed illud quæro: cur unus modus habet speciale nomen, & vocatur secundum ipsum principalis persona Pater: secundum verò alium modum, quo est eadem persona principium Spiritus, nomen in Scriptura non est? hoc autem arbitror me non irrationabiliter quærere. Sed ad illud aspiciendo, quod apud nos Pater, Filius, generatio, generatum, & hujusmodi nomina propriè quidem de animalibus dicuntur & maximè de hominibus: ego verò vocibus prætermissis, ipsas res secundum ea, quæ nobis tradita sunt, contemplans, ac modum illum, quo Dei verbum habet esse ex Patre, comparans Filiorum apud nos generationi: video illum plurimum ei dissimilem: Quam verò similitudinem apprehendo illius ad hanc, eandem indifferenter video esse & modi, quo Pater principium est Spiritus. Attende enim. Ut primum de dissimilitudine eorum dicam.

*Seth* non ex solo est *Adam*; sed ex eo & *Eva*: & non simul, neque per eundem modum. Verbum verò illic ex solo Patre est. Et *Seth* non est totus ex toto *Adam*, sed id quod emissum est primitus ex *Adam*, neque homo neque animal est, sed semen per quod in vulva matris *Seth* conditus est, neque ex toto *Adam* prodiens. Illic verò totus Filius ex Patre toto.

Et hic natus *Seth* de temporali *Adam*, non est sibi contemporalis. Ille enim præcessit, hic supervixit. Illic verò natum verbum de sempiterno Patre, coæternum est ei. Et hic is, qui natus est, non est in generante: neque qui genuit in generato; neque duo unus homo est; neque voluntas eorum semper una; neque virtus & actio una; neque eadem scientia. Illic verò Filius in Patre, & Pater in Filio, & duo unus *Deus* est, & una eorum & voluntas & virtus, & scientia & extrinseca actio. In quo ergo divina illa generatio similis est huic humanæ? an certè sicut hic est homo de homine, & consubstantialis de consubstantiali: ita illic verbum ex Patre est consubstantiale de consubstantiali, & *Deus* de *Deo*? At verò & Spiritus sanctus id ipsum *Deus* de *Deo* est, & consubstantialis de consubstantiali. Ergo in quo Filii generatio similis est hominum generationi: in eodem & Spiritus processio similis est eidem. Magis autem in quo Spiritus processio dissimilis est hominum generationi: in eodem & Filii generatio dissimilis est eidem: quamquam inter se differre credantur. Cur ergo illius dicitur Pater, istius verò nihil? an certè quoniam ingenita persona duarum personarum existens principium, unius est sola, alterius verò non sola? ideo cujus quidem sola ipsa est principium, ad illam habet specificatum nomen, per quod maximè consubstantialitas eorum intelligatur, & vocata est ejus Pater: cujus verò non sola est principium, ad illam nomen non habet, ne commune proprium putetur. Et contingit secundum nomina è converso se habere in *Deo* quàm in *Adam*, & *Eva*, & *Seth*. In his enim *Adam*, cujus personæ solus causa est, ad illam nomen non habet, quo ejus principium est, scilicet, *Evæ*. Cujus verò non solus; sed cum *Eva* auctor est; illius nominatur Pater: Spiritu sancto hujusmodi permutationem nominum dispensante nobis

pro-

Digitized by Google

providendo, ne carnales copulas, & fluxus, & abſciſſiones, & partus imperfectos, & hujuſmodi paſſiones in Trinitate imaginemur. SÆC. XIV.

Propterea ergo & ne commune proprium putetur, ingenita perſona, habentis quidem perſonæ ex ea ſola eſſe, nominata eſt Pater, ad illam verò perſonam, quæ non ex ea ſola habet eſſe, nomen non habet. Ego quidem hoc credo; qui verò nititur contradicere his, dum non oſtendit aliam rationabiliorem cauſſam, propter quam unum eſt nominatum & aliud innominatum; arbitror eum nihil ad rem dicere. ANNO 1350.

*Secundum Argumentum.*

IN omnibus entibus, de quibus propriè dicimus imaginem & exemplar, cum ſemper imago inferioris rationem habeat ad exemplar, & in nullo æqualiter exemplari veniat: in Patre verò & Filio illic per omnia exiſtat æqualitas & ſubſtantialis identitas: quî vult Scriptura divina, quod Filium quidem nominat imaginem Patris, Patrem verò minime imaginem Filii? an certè propter principii rationem? quoniam Filius ex Patre eſt, non Pater ex Filio. Quemadmodum & omne exemplar principium eſt ſuæ imaginis. Imaginem itaque divina Scriptura nominans Filium inviſibilis Dei, ſimul oſtendit, & quod ex eo eſt, & quod ſimilis ei eſt: minoritate videlicet prætermiſſa, tanquam minimè conveniente. At verò, quemadmodum Filius dicitur imago Patris, non Pater imago Filii: ita Spiritus ſanctus in eadem Scriptura dicitur imago Filii: non Filius imago Spiritus. Dicit enim Apoſtolus ad Romanos: *quos enim præſcivit & prædeſtinavit, conformes fieri imagini Filii ſui.* Rom. 8. Et ad Corinthios: *ſicut portavimus imaginem terreſtris: portemus & imaginem cœleſtis*, cœleſtem dicens Filium. 1. Cor. 15. Et iterum: *nos autem omnes revelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eadem imagine tranſformamur de gloria in gloriam, ſicut à Domini Spiritu.* 2. Cor. 3. Quod autem imago Filii dicitur in his Spiritus ipſe ſanctus, habemus per ſanctum *Cyrillum* in theſauris: in quibus ex eiſdem verbis concludit ipſe, quod Spiritus eſt & ex Filio. Ergo & nos id ipſum per eadem concludentes, & ex eo quod dicitur, Spiritus imago Filii: ex ipſo etiam ſecundum ſuperius aſſignatam rationem intelligentes, rectiſſimè & intelligimus, & concludimus, & dicimus.

*Tertium Argumentum.*

ITem cùm *Deus* ſit incorporeus, & membra corporalia non habeat, quid eſt, quod Spiritus ſanctus, ſpiritus oris ejus dicitur? ait enim: *verbo Domini cœlo firmati ſunt; & Spiritu oris ejus, omnis virtus eorum.* Pſal. 32. An certè, ut ex hoc intelligamus Spiritum ſanctum ex eo tanquam ex principio eſſe? ſed ſicut dicitur Spiritus oris Patris; ita idem ipſe in eadem Scriptura dicitur Spiritus oris Filii. Ait enim *Eſaias* de Filio: *& percutiet terram virgâ oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium.* Iſai. 11. Et Paulus ad Theſſalonicenſes; *quem interficiet Dominus* Jeſus *Spiritu oris ſui.* 2. Theſſ. 2. Joannes verò in Apocalypſi propter occidendi rationem tanquam gladium ancipitem eundem vidit. Ait enim de Filio: *& ex ore ejus procedebat gladius anceps, ut in eo percutiat gentes.* Apoc. 19. Et poſt pauca: *& reliqui interfecti ſunt in gladio ſedentis ſuper equum procedente ex ore ejus.* Ibid. Ergo divina Scriptura nominans Spiritum ſanctum, Spiritum oris Filii & gladium procedentem ex ore ejus: quid aliud nos docet per hujuſmodi ſigna; niſi quod Spiritus ſanctus ex Filio eſt, ſicut ex Patre?

*Quartum Argumentum.*

ITem Filius, ſecundum *Eſaiam*, *brachium* Patris dicitur: Spiritus ſanctus in Evangeliis *digitus Dei.* Iſai. 53. Nam beatus *Matthæus* narrat dixiſſe Chriſtum: *ſi autem ego in Spiritu Dei ejicio dæmonia, utique pervenit ad vos regnum cœlorum.* Matth. 12. Sanctus verò *Lucas* in eodem ait: *ſi verò in digito* Dei *ejicio dæmonia, utique pervenit ad vos regnum cœlorum.* Ergo digitus *Dei* Spiritus ſanctus dictus eſt. Prætermiſſis igitur his quæ Trinitati ex his congruere non poſſunt: ſcilicet, quod aliud eſt totum, aliud pars: & aliud propinquius, aliud longius à communi principio: quid reliquam eſt intelligendum per has nominationes, niſi quod Filius quidem tanquam brachium eſt ex ſolo Patre: Spiritus verò ſanctus tanquam digitus eſt ex Patre, Filioque?

*Quintum Argumentum.*

ITem in *Jordane* Pater deſuper teſtabatur Filio: ipſe verò Filius ſubtus baptizabatur, Spiritus autem ſanctus deſuper deſcendens in ſpecie columbæ, non obliquè de la-



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1350.

tere Chriſti ſtetit: quod eſſet utique ſignum Filium & Spiritum ex ſolo Patre habere eſſe, tanquam æque diviſos; ſed ſuper eum ſtetit in medio videlicet duorum; quod eſt ſignum, communem ipſum eorum eſſe. Communis autem non utique eſſet, niſi tanquam ex ambobus procedens, & id quod videbatur deſuper columba à Patre deſcendens ad Filium, ſignum faciens: quod licet ab æterno Spiritus eſt ex Filio ſicut ex Patre: tamen Filius hoc habet ex Patre: non Pater ex Filio. Nihil autem obſtat huic ſpeculationi quod dictum eſt, columbam manere ſuper Filium. Nam manere in eo, & eſſe ex eo contraria non ſunt. Sicut enim ſimul & in Patre eſt, & ex Patre: ita ſimul & in Filio & ex Filio.

## *Sextum Argumentum.*

CUm ſit una ſubſtantia, virtus & actio Patris & Filii, & omnia quæ fiunt, non magis à Patre quàm à Filio ſint: quidnam cauſſæ eſt quod Pater in divina Scriptura dicitur facere res Filio, & per Filium: Filius verò nihil dicitur facere Patre vel per Patrem? *Verbo* enim *Domini* ait Pſalmiſta *cæli firmati ſunt*. Et Evangeliſta: *omnia per ipſum facta ſunt*. Et Apoſtolus: *Unus Dominus* Jeſus Chriſtus, *per quem omnia, & nos per ipſum*. Et alibi, *in noviſſimis autem his diebus locutus eſt nobis in Filio, quem poſuit hæredem omnium, per quem etiam ſæcula fecit*. Quia verò è converſo fecit Filius aliquid per Patrem, vel Patre; nuſquam ſcriptum eſt. Quamquam neque inſtrumentum Patris Filius eſt, ut dicatur Pater tanquam per inſtrumentum facere aliquid per ipſum & ipſo. Neque rurſus quæ fiunt immediatè & propinquè fiunt à Filio: mediatè verò & longius à Patre; ut ſecundum hunc ſenſum dicatur Pater facere per Filium: nam immediatè à Patre & Filio, tanquam ab uno conditore, uno & ſimplici actu omnia fiunt: cur ergo illo modo ſcriptura de eis diſputat? an ut intelligamus principium & quod ex eo eſt, quia eſſe eorum unam ſimplicem ſubſtantiam, virtutem & actionem & omnia eſſe communia, ex Patre tanquam ex proprio principio, adeſt Filio; ſed non ex Filio Patri: ſed ad hujus ſpeculationis intellectum, Pater dicitur in Scriptura facere Filio & per Filium; huic verò è converſo nuſquam Scripturæ ſcriptum eſt. Similiter autem cùm ſit Patris & Spiritus ſancti una ſimplex ſubſtantia virtus & actio, & neque inſtrumentum Patris ſit Spiritus: neque illa quæ fiunt, propinquius à Spiritu quàm à Patre fiant; ipſum quidem Spiritum ſanctum facere aliquid Patre vel per Patrem, nuſquam Scripturæ ſcriptum eſt. Quia verò Pater facit res Spiritu, & per Spiritum, per omnem fertur ſcripturam. Spiritu enim Deus, ſecundum pſalmiſtam, cœlos fortificat, & animas noſtras noſtras confirmat. Et Apoſtolus ad Romanos: *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis:* & iterum: *qui ſuſcitavit* Jeſum Chriſtum *de mortuis, vivificabit & mortalia corpora noſtra, per Spiritum ſanctum, qui habitat in nobis*. Et ad Corinthios: *nobis autem revelavit* Deus *per Spiritum ſuum*. Et ad *Titum: ſed ſecundum miſericordiam, ſalvos nos fecit per lavacrum regenerationis Spiritus ſancti:* Et ad Hebræos: *Conteſtante Deo ſignis & portentis & variis virtutibus, & Spiritus ſancti diviſionibus*. Et beatus *Lucas* in Actibus: *Domini qui Spiritu ſancto per os patris noſtri* David *pueri tui dixiſti*. Et rurſus: *quomodo unxit eum Dominus Spiritu ſancto & virtute*. Et multa talia invenies in Scriptura quærendo: hujus verò è converſo minimè. Et eſt certum, quod eſt eadem cauſſa, ut ita de eis Scriptura diſputet, quod eſſe communes & eaſdem ad creaturas actiones Patris & ſancti Spiritus. Ex Patre tanquam ex principio adeſt Spiritui ſancto, & non Patri ex Spiritu ſancto.

Pſal. 32. Joan. 1. 1. Cor. 8. Hebr. 1.

Rom. 5. Rom. 8. 1. Cor. 2. Tit. 3. Hebr. 2. Actor. 4. Actor. 10.

Ut enim hoc intelligamus, Patrem ait Spiritu & per Spiritum facere, Spiritum vero nunquam ait Patre vel Patrem facere aliquid. At verò ſecundum eundem modum, quod Filius facit aliquid per Spiritum & Spiritu, omnis divina Scriptura plena eſt: quod verò Spiritus aliquid facit Filio per Filium, nuſquam Scripturæ dicitur. In Evangeliis enim Spiritu ſancto dicitur Chriſtus baptizare, & dæmonia ejicere: & Apoſtolus ad Romanos: *non enim auſus ſum dicere aliquid eorum, quæ per me non fecit Chriſtus in obedientiam gentium in verbo & operibus, in virtute ſignorum & miraculorum, in virtute Spiritus ſancti*. Et ad Theſſalonicenſes: *quem interficiet Dominus* Jeſus *Spiritu oris ſui*. Et ad Hebræos: *quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſe ipſum obtulit immaculatum Deo*. Et in Actibus: *uſque ad illum diem, in quo præcipiens Apoſtolis per Spiritum ſanctum quos elegit; aſſumptus eſt*. Et *Eſaias: & Spiritu labiorum ſuorum interficiet impium*. Itaque quoniam Spiritus ſanctus non eſt inſtrumentum Filii, ut per hoc dicatur Filius facere eo & per eum: neque rurſus quæ fiunt, propinquius à Spiritu quàm à Filio fiunt. Uno enim ſimplici actu, & immediatè à Filio & Spiritu ſancto, magis autem à tota Trinitate omnia fiunt. Quid vult Scriptura, quod Filium quidem dicit facere Spiritu & per Spiritum: Spiritum verò Filio vel per Filium facere aliquid nuſquam dicit? an certum eſt, quod ſecun-

Rom. 15. 2. Theſ. 2. Heb. 9. Act. 1. Iſai. 11.

dùm

Digitized by Google

dùm superius assignatam rationem consona sibi existente Scriptura causa est ut hæc ita scripta sint? Quoniam esse communes & easdem ad creaturas Filii & Spiritus sancti operationes: ex Filio tanquam ex principio adest Spiritui, sicut & ex Patre, & non Filio ex Spiritui: aut ergo est Spiritus & ex Filio; aut minimè seipsam Scriptura sequitur. SÆC. XIV. ANNO 1350.

*Septimum Argumentum.*

ITem Filius dicitur Verbum Patris, & ex hac nominatione intelligimus eum, & coæternum Patri, & ex eo habere esse. Sicut autem Filius dicitur Verbum Patris, ita Spiritus sanctus, dicitur Rema Filii. Ait enim Apostolus ad Hebræos de Filio: *qui cum esset splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus, portansque omnia Remate virtutis suæ.* Hebr. 1. Quod autem in his Rema virtutis Filii ipsum Spiritum sanctum nominat, patet ex aliis partibus Scripturæ. Certè enim quo Filius purgat animas, ejicit dæmonia, signa & portenta facit; eodem & portat omnia. At verò scriptum est, illa facere Spiritu sancto: ergo & Spiritu sancto omnia portat. Dicitur autem in proposito dicto Remate suæ virtutis portare omnia, Spiritus ergo sanctus & Rema virtutis Filii idem est. Patet autem id ipsum & inde. Cui trium personarum ut plurimum in Scriptura vivificare attribuitur? sancto Spiritui. Ait enim Dominus: *Spiritus est qui vivificat.* Joan. 6. Et Apostolus ad Romanos: *qui suscitavit* Jesum Christum *ex mortuis, vivificabit & mortalia nostra corpora per Spiritum suum qui habitat in nobis.* Rom. 8. Ibid. Iterum: *si Spiritu opera carnis mortificaveritis, vivetis.* Quis autem de tribus procedere dicitur? certè Spiritus. Quis adhùc dicitur esse os Patris? Spiritus. At verò ipse Dominus comprehendens simul vivificationem, processionem & os, ait: *non in solo pane vivet homo: sed in omni Remate procedente per os Dei.* Matth. 4. Ergo omne Rema procedens per os Dei in quo vivimus, ipse Spiritus sanctus est. Manifestissimum autem hoc fecit Apostolus ad Ephesios dicens: *& galeam salutaris accepite, & gladium Spiritus, quod est Rema Dei.* Ephes. 6. Nam cùm in lingua Græca gladius esset fœminini generis, & Spiritus neutri: non dixit *quæ est Rema Dei*, ut intelligatur gladius. Sed *quod est Rema Dei*, ut exinde intelligatur Spiritus: ac si diceretur in lingua Latina: *qui Spiritus Remi Dei est.* Rema ergo virtutis Filii, quo omnia portat, ipse Spiritus est. Et sicut ubi Filius dicitur, splendor gloriæ Patris, circumlocutivè dictum est pro eo quod dicatur Patris; ita & Spiritus sanctus dicitur esse Rema virtutis Filii, pro eo quod dicatur Rema Filii. Ergo ex hac nominatione quid aliud potest intelligi, nisi quod Spiritus ex Filio est? quoniam & omne Rema ex illo est, cujus esse dicitur.

Notandum verò est & illud, quod cum logos dicatur in lingua Græca, & in voce & in corde, rema tantum in voce & ore: Spiritus quidem sanctus dicitur Rema per os Dei procedens, & Spiritus oris Dei: Filius verò logos quidem cordis Dei dicitur. Psal. 44. *Eructavit enim*, ait, *cor meum logon bonum*, quod ex persona Patris dictum esse sanctus *Dionysius* testatur: logos autem oris Dei non dicitur. De quibus vocibus tanquam mysticis quibusdam notis illud intelligimus, quod sicut cordis logos est ex sola mente; Rema verò vocis est ex mente & logo, qui in corde est: Ita Filius quidem ex solo Patre est; Spiritus verò sanctus ex Patre Filioque.

*Octavum Argumentum.*

SPiritus sanctus dicitur in scriptura esse & Patris & Filii. Ait enim Apostolus ad Romanos: *si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Rom. 8. Et ad Galatas: *misit Deus Spiritum Filii sui.* Gal. 4. At verò, quæ sunt communia Patris & Filii, non aliter sunt Patris & aliter Filii, sed similiter & eodem modo: quod Dominus ostendit in aliquibus. Ait enim: *quæcumque Pater facit; eadem & Filius similiter facit.* Joan. 5. Et iterum, *sicut Pater suscitat mortuos & vivificat: ita & Filius quos vult vivificat.* Ibid. Sicut ergo facere & vivificare commune existens Patris & Filii, similiter est amborum: ita & si quid aliud commune est Patris & Filii, eadem ratione & modo duorum est: salva videlicet illa distinctione, qua intelligimus communia duorum ex Patre adesse Filio, non ex alio Patri: & idipsum significat Dominus dicens: *sicut Pater habet vitam in semetipso.* Ibid. Ergo habere vitam in semetipso commune existens similiter amborum: tamen ex Patre ab æterno Filius hoc habet. Quapropter quia Spiritus sanctus & Patris est & Filii, illo videlicet distincto tantum, quod Filius hoc habet ab æterno ex Patre, ut ejus dicatur Spiritus.

At verò ideo dicitur Spiritus sanctus, Spiritus Patris, quoniam ex eo. Si enim alius existens quàm Pater, non esset ex eo, non utique diceretur ejus esse. Significant autem & hoc Evangelistæ. Illi enim qui dicunt Spiritum Patris, non dicunt Spiritum ex Patre: *Joannes* verò solus, qui post omnes Evangelion scripsit, Spiritum

à Pa-

Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1350.

à Patre procedentem dicens, ſpiritum Patris in ſuo Evangelio minimè dicit. Putáſne ignorabant vel illi, utrum ex Patre eſt Spiritus: vel hic, utrum Patris eſt? minimè. Sed certum eſt, quod & illi dicentes eſſe Patris Spiritum, per hoc ſignificare volebant, quod ex Patre eſt: & hic dicens ipſum à Patre, eodem ipſo & quod Patris eſt ſignificat. Ergo ſi neceſſarium eſt Spiritum ſanctum ita eſſe Filii, ſicut eſt Patris: eſt autem Patris tanquam exiſtens ex eo; eſt ergo & Filii tanquam exiſtens ex eo. Eſt autem idipſum manifeſtum, & quia non convertitur: multis enim in Scriptura nominibus Filius, cùm eſſet nominatus, in nullo eorum dicitur eſſe Spiritûs, ſicut ipſe Spiritus dicitur eſſe Filii. Non enim ubi ait Apoſtolus *gladium Spiritus*, Filium nominat gladium; ut quidam intelligunt. Patet autem ex ſuperioribus. Cùm enim dixiſſet: *induimini & ſumite armaturam Dei*, ac per hoc Patrem ſignificaſſet; deſcendens infert: *& galeam ſalutaris accepite*, ſalutare nominans ipſum incarnatum Filium. *Videbit enim*, ait, *omnis caro ſalutare Dei. Et quia viderunt oculi mei, ſalutare tuum.* Deinde conſequenter dicit. *Et, gladium Spiritus.* Per hæc duo nomina, ipſum Spiritum ſignificans. Meritò autem armaturam quidem attribuit Patri, galeam verò & gladium Filio & Spiritui. Quoniam enim armatura eſt genus vel totum, galea verò & gladius, ſunt ſpecies vel partes: & ſemper totum & genus principii rationem habet ad partes & ſpecies. Eſt autem & Pater principium Filii & Spiritus ſancti. Jure armaturam quidem habentem principii rationem attribuit principaliſſimæ Patris perſonæ: galeam verò & gladium, quorum eſt armatura principium, Filio & Spiritui, quorum eſt Pater & principium. Non quia ibi genus & ſpecies & totum & partes ſunt; ſed ſolummodo ſecundum rationem principii, & eorum quæ ex eo ſunt. Et quoniam caput principii habet rationem ad manum: capitis quidem arma attribuit Filio, manus verò Spiritui: ut exinde intelligamus Filium principium eſſe Spiritus. Sed quod ſermo cepit dicere, illud eſt, quod Filius ſecundum nullum ſuorum nominum dicitur Spiritûs, ſicut ipſe Spiritus dicitur eſſe Filii. Ergo ut verba non convertantur, cauſa eſt, quod res non convertuntur. Siquidem in Scriptura conſona rebus verba redduntur. Non autem convertentur, ſi Spiritus eſt, & ex Filio. Manifeſtum enim eſt, quod Filius non eſt ex Spiritu: Remate autem ſecundum hunc modum non convertente, meritò neque verba in Scriptura convertuntur. Sed Spiritus dicitur eſſe Filii, Filius verò non dicitur eſſe Spiritûs.

*Ephes. 6.*

*Joan. 3. Luc. 2. Ephes. 6.*

### *Nonum Argumentum.*

*Mittit* in Scriptura Pater Spiritum ſanctum. Hic autem Patrem non mittit. Unde quæri poteſt, quomodo qui ubique eſt, & omnia implet, mittitur alio? Ubi enim non eſt, ut illic mittatur? vel quomodo cui inſeparabiliter eſt unitus, ab eo aliò mittitur? vel qui penitus immutabilis eſt, & inalterabilis, quomodo in tempore aliquid patitur? Si verò dicet aliquis, quod ipſa quidem Spiritus perſona non mittitur: ſed gratia ejus miſſa ipſe dicitur mitti? primum quidem dubitandum eſt, utrum gratia Spiritus ſancti ita mittitur, ſicut ea quæ de loco in locum moventur? deinde ſi alia non eſt gratia Spiritus quàm Patris? una enim trium perſonarum eſt ſimpliciter gratia: & nullam habet Spiritus gratiam, quæ Patris ſimiliter non eſt. Quid familiarius & congruentius, communi gratia miſſa, Spiritus dicetur mitti à Patre, quàm Pater à Spiritu? nam ſi ſcriptum fuiſſet, quod Spiritus miſit Patrem, poſſemus ſimiliter dicere, quod ipſe quidem non mittitur; gratia verò ejus miſſa dicitur ipſe mitti.

Quid ergo vult Scriptura, ut introducat Patrem mittentem Spiritum; miſſum verò à Spiritu, minimè? an quia ille qui mittit ad illum qui mittitur, in quantum mittit, principii habet rationem? eſt autem & Pater principium Spiritus, mitti quidem Patrem à Spiritu incongruentiſſimè diceretur. Spiritum verò à Patre mitti, congruentiſſimè dictum eſt: ut per hoc Pater principium eſſe Spiritus ſignificetur. Et eſt utique Patrem ad nos mittere Spiritum, nihil aliud, quàm certum nobis facere, quod ex ipſo intemporaliter eſt Spiritus: quia eſt quidem Spiritus intemporaliter à Patre. Nos autem hoc non intemporaliter cognoſcimus, vel credimus, ſed in tempore. Igitur quoniam in tempore hoc nobis manifeſtatur; ſcriptum eſt, ipſum Spiritum à Patre mitti ad nos, quod eſt manifeſtum nobis fieri ab eo, quod ex eo eſt. At verò ſimiliter Patri & Filius mittit Spiritum, & non mittitur ab ipſo. Licet enim dicat *Eſaias* ex perſona Filii: *miſit me Dominus & Spiritus ejus.* Et iterum *Spiritus Domini ſuper me, propter quod unxit me, Evangelizare pauperibus miſit me:* tamen qua natura convenit Filio vocare Patrem Dominum, illa utique & mitti à Spiritu ſe ait, Non enim dixit Spiritus Dei, vel Patris; *ſed ſpiritus Domini miſit me.* Dominum verò Patrem, non ſecundum ſuam deitatem, ſed humanitatem. Secundum ergo humanitatem in propoſitis dictis intelligitur mitti à Spiritu, & non ſecundum deitatem, quia

*Iſai. 48. Iſai. 61.*

Digitized by Google

quia humanitas ejus est, quæ Deum Patrem Dominum suum vocat, & non deitas. Sæc. Ergo quoniam commune est Patris & Filii mittere Spiritum, & non mitti ab eo: XIV. qua utique ratione mittit Pater Spiritum, eadem & Filius mittit ipsum. Mittit au- Anno tem Pater Spiritum, ostendens nobis, quia ex eo est. Mittit ergo & Filius Spiritum 1350. significans nobis, quia ex ipso Filio ipse est. Aspice autem & Apostoli de hoc capitulo alibi diligentiam. Quia enim scivit Filium quidem ex solo Patre, Spiritum verò ex Patre Filioque: ideo de Filio quidem dicit ad Galatas: *misit Deus Filium suum*; Gal. 4. de Spiritu verò post pauca non ita dixit; *misit Deus Spiritum suum*, ne ex ipso solo significetur. Sed quomodo? *misit Deus Spiritum Filii sui.* Per utrumque ambo significans; nam & dicendo, *misit Pater Spiritum*, significat, quod & ejus est, & ex eo: & dicendo, *Spiritum Filii sui* significat, quod & ex Filio est, & ab eo mittitur.

## *Decimum Argumentum.*

DAt hominibus Deus Pater Spiritum. Ait enim Dominus in *Lucæ* Evangelio: Luc. 11. *quanto magis Pater vester cœlestis dabit Spiritum bonum petentibus se?* & Apostoli Act. 5. in actibus: *nos sumus testes horum verborum, & Spiritus sanctus, quem dedit Dominus omnibus obedientibus ipsi.* Et iterum: *quis ego sum, ut impediam Deum dare Spiritum sanctum, credentibus in nomine* Jesu? & Joannes in prima: *in hoc cognoscimus, quia in eo manemus, & ipse in nobis, quod ex Spiritu suo dedit nobis.* Et Apostolus ad Galatas: *qui igitur dedit vobis Spiritum & operatur virtutes in vobis.* Et ad Ephesios: *Pater gloriæ det vobis Spiritum sapientiæ & revelationis.* Et ad Thessalonicenses: *sed Deum, qui & dedit Spiritum sanctum suum in vobis.* Quia verò Spiritus sanctus dat Patrem, nusquam scriptum est, ergo inseparabilis & indivisibilis cum esset Trinitas, dubitabile profectò efficitur, quomodo una persona aliam dat, vel quomodo possibile est à nobis accipi Spiritum sanctum; non accipientibus simul & Patrem? si verò nihilo minus Patrem, quàm Spiritum accipimus, quando Spiritum accipimus quæ ratio est, ut non similiter & Patrem à Spiritu dari scribatur? si verò dicet aliquis, quod accipere Spiritum sanctum, cum nos ab eo accipimur, & aliquam spiritualem operationem patimur ab eo, & spirituale aliquod donum ab eo accipimus, vel sapientiam, vel linguam, vel prophetiam, vel potestatem solvendi & ligandi, vel aliquid tale: & hoc est quod nos accipimus ipsum; quia è converso accipimur & bene patimur ab ipso, inalterabili & immutabili eo manente:

Act. 1. 1. Joan. 4. Gal. 3. Ephes. 1. 1. Thes. 4.

Est quidem, pro ut credo, Spiritus acceptio benè expressa, quod verò quæritur, nihilo magis inventum est, vel dubium solutum. Nam si nihilo magis à Spiritu sancto accipimur, & beneficium patimur, & dona accipimus, quàm à Patre: æqualiter enim & si militer à tribus personis hujusmodi beneficia nobis eveniunt: Quæ causa est, ut cum hujusmodi beneficia æqualiter à Patre & Spiritu accipimus, Pater quidem dicatur dare nobis Spiritum sanctum, huic verò è converso minimè scribatur: an certè, quoniam semper ille, qui dat aliquid, in quantum dat, principii rationem habet ad id quod datur? Est autem & Pater principium Spiritus sancti. Dici quidem Patrem dari à Spiritu sancto; absurdissimè diceretur. Quia verò Pater dat Spiritum, congruentissimè dicitur, ut exinde intelligamus, illum quidem tanquam principium; hunc autem tanquam ex eo; & ita dicta in tempore datio Spiritus sancti, reducit nos ad sempiternam ejus ex eodem processionem. At verò & Filius dat in Scriptura Spiritum sanctum. Insufflavit enim, & dixit discipulis: *accipite Spiritum sanctum.* Et Joan. 20. in prima Catholica Epistola ait beatus *Joannes* de Christo: *in hoc cognoscimus, quia* 1. Joan. 3. *manet in nobis de Spiritu quem nobis dedit.* Quia verò Spiritus sanctus dat Filium, nusquam scriptum est. Quoniam ergo dare Spiritum & non dari ab eo, commune est Patris & Filii; Communia verò indifferenter sunt communia: Similiter utique intellecta datione & acceptione in Filio & Spiritu; sicut in Patre & Spiritu; necesse est ex eo ipso intelligere nos, quod Filius principium est Spiritus, & Spiritus intemporaliter est ex ipso.

## *Undecimum Argumentum.*

EFfundit in Scriptura sacra Pater Spiritum sanctum. Ait enim: *Effundam à Spiritu* Joel. 2. *meo super omnem carnem.* De quo quis meritò dubitabit, quomodo effunditur, quod non est humidæ naturæ vel defluentis? vel quomodo patitur aliquid, quod penitus est impassibile? ac si vera est Patris & Spiritus sancti operatio; & est effundere operatio quædam: & ipse ergo se ipsum effundit. Sed quomodo cùm esset simplicissimus ipse ad seipsum facit, & à se ipso patitur? si verò dicet aliquis, quod effundi



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1350.

ipse dicitur: eo quod ejus gratia effunditur, ut scriptum est in actibus, *quod & in gentibus gratia Spiritus sancti effusa est:* hoc autem propter copiosam & abundantem donorum distributionem ad multos subitò transeuntem: sed cùm eadem sit gratia Patris & Spiritus sancti: quid magis communi gratia effusa, Pater dicitur effundere Spiritum, quàm Spiritus Patrem? hujus autem solutio eadem utique est, quæ & priorum. Quoniam enim ille qui effundit, ad id quod effunditur, in quantum effundit, principii habet rationem: Est autem & Pater principium Spiritus: Meritò communi gratia effusa Pater quidem dicitur effundere Spiritum; Spiritus verò Patrem non, ut ex hujusmodi vocibus dirigamur ad intelligendum, quod Pater principium est Spiritus. Necesse enim est, ut sempiterna per ea quæ temporaliter in scripturis dicuntur; tanquam per quædam signa, secundum aliquam similitudinem significentur. At verò & Filius dicitur in Scriptura effundere Spiritum. Ait enim Apostolus ad *Titum: secundum suam misericordiam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti, quem effudit ad nos copiosè per Jesum Christum Salvatorem nostrum.* Effundi enim ait Spiritum per Filium; quoniam id ipsum ut effundat Spiritum, habet Filius ex Patre, quod significatur ex alia Scriptura. Scriptum enim est in actibus, *promissione Spiritus sancti accepta à Patre, effudit hoc quod nunc videtis & auditis.* Quod verò Spiritus effundat Filium, scriptum non est. Quare & ex hoc Filium principium esse Spiritus concluditur.

Act. 10. Tit. 3. Act. 2.

## *Duodecimum Argumentum.*

Act. 2. Joan. 16. Ibid. Ibid. Joan. 15. Joan. 16. Ibid. Act. 1. Joan. 16.

ACcepta ait *à Patre promissione Spiritus sancti, effudit hoc quod nunc videtis & auditis.* Hoc autem ait, non quia habet aliquid Pater, quod Filius non semper habet, & postmodum idipsum accipit à Patre. Nam intemporaliter cùm esset à patre natus, hoc ipso quod intemporaliter ex eo natus est, ab æterno habens ex Patre omnia quæcumque habet, dicitur accipere à Patre; non quæ prius non habebat, sed æternaliter quæ ex eo existens habet. Quare quod scriptum est, accipere ipsum à Patre significatum est æternaliter ex Patre ipsum esse, & habere quæcumque habet. At verò sicut Filius dicitur accipere à Patre, & effundere Apostolis; ita Spiritus sanctus dicitur accipere ex Filio, & annunciare eisdem. Ait enim: *De meo accipiet, & annunciabit vobis.* Quare & hoc similiter significatum erit, quod ipse Spiritus sanctus ex Filio æternaliter est, & habet quæcumque habet: sicut & ex Patre. Hoc autem patet & per præcedentia verba: dixit enim: *cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Deinde quoniam per hoc quædam diminutio posset putari ejus Filio: siquidem docere Apostolos omnem veritatem, rem tantam, ipse quidem non fecit: Spiritum verò sanctum hoc ait facturum fore. Infert: *non enim loquetur à semetipso; sed quæcumque audiet, loquetur: & quæ ventura sunt, annunciabit vobis.* Ac si diceret, quod ille vos ducat ad omnem veritatem, & annunciet vobis ventura: gloria mea est. Quoniam sicut ego accipiens à Patre effundam vobis; ita ille accipiens ex meo annunciabit vobis. Hoc est, sicut ego intemporaliter existens ex Patre ab eo intemporaliter habeo quæcumqne habeo & facio: ita Spiritus de me intemporaliter existens, de meo habet omnia quæcumque habet & facit. Quare ducere vos in omnem veritatem, de meo acceptùm intemporaliter habet. Quoniam in his quidem verbis ostenditur Spiritum sanctum esse ex ipso. Superius verò dixerat esse illum ex Patre, ubi ait: *qui à Patre procedit*; volens adhuc manifestius ostendere, quod commune est Patris & ipsius esse, videlicet, ex ambobus Spiritum inducit. *Omnia quæcumque habet Pater mea sunt. Ideò dixi: quia de meo accipiet,* ut superius dixerat; sed permutans tempus verbi, ait: *quia de meo accipit*: ut id ipsum quod accipit Spiritus ex Filio, nihil aliud significet, quàm esse intemporaliter ex ipso. Et aspice Scripturam scripturæ coaptando, admirandam analogiam. Filius accipiens à Patre, effundit Apostolis: Spiritus sanctus accipiens de Filio, annunciat Apostolis. Item Apostoli accipientes à Spiritu sancto annunciant mundo. Ait enim alia Scriptura: *accipietis virtutem ex alto supervenientis Spiritus sancti super vos; & eritis mihi testes in* Jerusalem, & *universa* Judæa & Samaria, & *usque ad terminos terræ.* Id verò, quod dictum est, *de meo accipiet*, pro eo dictum est, quod dicat *de me, vel ex me.* Ut per hoc intelligatur ipsa Filii persona, pro ut testantur Evangeliorum expositores, sanctus *Joannes Chrysostomus*, & beatus *Cyrillus.*

## *Tertiumdecimum Argumentum.*

Apoc. 21.

AIt *Joannes* in Apocalypsi: *Et ostendit mihi fluvium aquæ vivæ clarum tanquam Crystallum procedentem de Sede Dei & Agni.* In his fluvium aquæ vivæ Spiritum sanctum est nominari, agnum verò Filium Dei, quoniam verò procedit Spiritus sanctus

ctus & ex Filio, non in quantum homo est Filius; sed in quantum Deus est, & ejusdem sedis Patri: Ideò ait procedere fluvium de Sede Dei & Agni: quod est de natura illa, qua est Agnus synthronus Patri, ut per hoc significetur, Agnum auctorem esse in quantum ipse Agnus Deus est. Sæc. XIV. Anno 1350.

### *Decimumquartum Argumentum.*

ITem ait *Joannes* in Evangelio de Christo: *insufflavit & dixit discipulis: accipite Spiritum sanctum.* Sed quomodo datur vel accipitur Spiritus sanctus, vel ejus dona? & quid est eum dari & accipi? & ad quales Deo decentes intelligentias per hujusmodi voces oportet nos reduci, superius apertum est. Nunc autem insufflatum tantum examinandum sit. Certum est enim, quod dicens Dominus: *accipite Spiritum sanctum*, non jubet Apostolis accipere illum corporeum & humanè de pretioso ore ejus prodeuntem Spiritum, ut illum absorbentes possint dimittere, & tenere peccata. Ergo si sine insufflandi actu, dictis solummodo reliquis verbis, eandem Apostoli reciperent gratiam: quid volebat sibi insufflare? an ille quidem corporeus Spiritus sumptus extitit tanquam signum Spiritus sancti, sicut prius columba? Domini verò corpus tanquam symbolum deitatis, cui personaliter unitum erat? temporalis verò & corporalis de ore ejus flatus illius motus tanquam signum seu figura intemporalis & incorporeæ, & inseparabilis processionis Spiritus sancti, ex deitate Filii, ut per hoc intelligamus Spiritum à Patre procedentem etiam ex Filio similiter procedere? Hujus autem duæ sunt probationes. Una, quod etiam sanctus *Augustinus* ita explanat & reducit istum locum Scripturæ. Alia verò, quod nisi ita aperiatur ille insufflatus, relinquitur absque ratione factus; quod est impossibile. Procedit ergo & ex Filio Spiritus sanctus: ideò enim prius insufflavit, deinde dixit; *accipite:* ut ostenderet, quod temporaliter hominibus dare Spiritum sanctum habet ipse, ex eo, quod æternaliter ex ipso procedit: quoniam illius est dare ipsum, qui quidem est principium ejus substantiæ. Joan. 20. Ibid.

### *Decimumquintum Argumentum.*

OPortet autem post hæc comparare huic factæ per nos demonstrationi, de processione Spiritus sancti, & ex Filio, sermones eorum, qui oppositum ostendere nituntur, & videre quantum intereſt. Illi enim aut contumeliis & blasphemiis nos percutientes, & tali specie sermonum utentes, aut supponentes verba nostra, vel quorundam dictorum expositiones, vel argumenta, non sicut nos intelligimus & dicimus, & exponimus; sed sicut ipsi dicere nos & intelligere putant; aut etiam fingentes ipsi nostra verba, prout eis facilè sit destruere, ita adversus nos sermocinantur.

Dictorum autem sacræ Scripturæ, per quæ nihil commiscentes eis nihil forinsecæ scientiæ possent ostendere, ex solo Patre esse Spiritum sanctum, nullam consequuntur facultatem. Nos autem in exposito hoc sermone contumelia omni abstinentes, & nihil calumniosè supponentes, per ipsa sacra eloquia nihil vanæ scientiæ assumentes, ostendimus, quod ex Filio procedit Spiritus sanctus. Quare si quis non sufficere putat hanc nostram demonstrationem; sed adhuc dubitat & veretur conclusioni assentiri: multò magis talis debet dubitare & timere recipere, quod ex solo Patre Spiritus est, cùm hujus nulla talis possit esse demonstratio. Nam timentem admittere id, quod per multa ostenditur, audacter affirmare, quod per nullum dictum sacræ Scripturæ apparet; passio est ratione penitus carens.

### *Decimumsextum Argumentum.*

QVia verò, sicut potest aliquid ostendi per divinam Scripturam eorum quæ verbis ipsis non dicuntur; per sensum verò diversimodè dictorum concluduntur; & præsens quæstio benè & sufficienter ostensa est: inde manifestum. Spiritus sanctus increatus & consubstantialis Patri & Filio esse creditur. Hoc non verbis ipsis divina Scriptura dicente; sed per multa alia diligenter eam legentibus idipsum significante. At verò si quis voluerit illis demonstrationibus, per quas ostenditur de Scriptura, increatum & consubstantialem Patri & Filio esse Spiritum sanctum, comparare has, per quas ostendimus Spiritum ex Patre, Filioque procedere: inveniet in nullo illis inferiores, sed ferè fortiores: divina Scriptura majorem facultatem ad has, quam ad illas, præbente; ut demonstrabo.

Omnium dictorum divinæ Scripturæ, per quæ Patres ostendunt increatum *Deum* esse Spiritum sanctum: hæretici adinveniebant aliam expositionem, licet non veram; sed ita persuasibilem, & tantam apparentiam habentem, ut eos qui non perscrutaban-



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1350.

tur Scripturas, neque ab ipso Spiritu juvabantur, satis decipiant, blasphemiæ consentire. Sed horum per quæ nos ostendimus Spiritum sanctum & ex Filio esse, nulla alia expositio potest inveniri ita opposita adversus nostram, ut illa credita, hæc necessariò excludatur. Habet enim se res ita: In quibus divina Scriptura de Filio & Spiritu disputat, quæ inter ipsos sunt tradens, decem quædam ponit non convertentia, ut ostensum est; quæ per hoc nihil aliud significant, quàm Filium principium esse Spiritus. Utpote: (Nihil enim prohibet ea resumendo juxta invicem ponere.)

Scriptum est, quod Filius brachium est Dei, & Spiritus digitus est *Dei*. Cumque omnis digitus dependet de brachio, hujus è converso scriptum non est.

Item, scriptum est, quod Spiritus sanctus est oris Filii & rema ejus. Sed Filius, quia logos est Patris, scriptum est: quia verò rema Spiritus, vel oris Spiritus, nusquam scriptum est.

Item dicitur in Scriptura Spiritus sanctus esse Filii & imago ejus, sed Filius quia Patris est, & imago ejus scriptum est: quod verò Spiritus vel simpliciter vel imago, minimè scriptum est.

Item in Scriptura mittit & dat; & effundit Filius Spiritum: mitti verò vel dari vel effundi à Spiritu non dicitur Filius. Quamquam in Scriptura missus & datus à Patre dicatur.

Item Spiritu & per Spiritum facere Filius dicitur Deo decentia opera. Filio verò & per Filium, quia Pater facit scriptum est: quia verò Spiritus, minimè.

Item accipit in Scriptura Spiritus sanctus de Filio. Sed Filius ex Patre quidem accipere dicitur: ex Spiritu verò non scribitur.

Ergo ut hæc non convertentia videantur in Scriptura, si quis non dicat causam esse, quod Filius principium est Spiritus, nullam aliam causam inveniet: quærens & cum his processionem fluvii aquæ vivæ, de sede Dei & agni; & post resurrectionem insufflatus; nihil aliud significare possibile est, quàm Spiritum ex Filio esse.

Item contemplor etiam illud, quod qui olim contra pugnatores Spiritus certabant, non poterant reducere se ad seniores Doctores; qui communiter per ambas partes pro Sanctis haberentur, & Deum increatum esse Spiritum sanctum in suis scriptis aperte traderent, ut illorum testimonio hæreticos compellant à blasphemia discedere. Nos autem nunc habemus sanctum Augustinum, beatum Cyrillum, sanctum Athanasium & plures alios: qui & primis honoribus ab his qui nobis contradicunt, ducuntur, & Spiritum sanctum & ex Filio esse apertè testantur. Quare multis modis nobis facilius est ostendere, quod ex Filio Spiritus est; quam antiquis Patribus ostendere, quod Deus increatus Spiritus est.

Potest autem id ipsum ostendi & inde: Certum est enim, quod semper incertiora & obscuriora quærendorum per certiora & clariora nata sunt ostendi. Beatus verò Cyrillus in thesauris adversus hæreticos disputando prius per Scripturam ostendit & concludit, & ex Filio esse Spiritum sanctum. Deinde per hoc concludit consubstantialem ipsum esse Patri & Filio. Quare in ipsa divina Scriptura hoc est apertius & clarius illo.

Certum autem idipsum est, & per opposita. Nam & ostensiones eorum, qui conantur ostendere, ex solo Patre esse Spiritum, multò sunt infirmiores illis, quibus pugnatores Spiritus utebantur.

Illi enim non pauca verba habebant de Scriptura, quæ non debitè lecta & intellecta, videbantur blasphemiæ eorum suffragari. Sicuti illa, quod Spiritus sanctus mittitur, datur, effunditur, & à seipso non loquitur; sed quæcumque audit, & desiderat: & pro sanctis inenarrabilibus gemitibus interpellat: & talia quæ non debitè examinata, servilis videntur esse naturæ. Hi autem, qui ex solo Patre affirmant, nullum penitus de Scriptura subsidium habent: non dictionem, non dictum, non symbolum seu figuram, non aliud, per quod, vel per quæ, eorum opinio stare posset. Quare nullum dubium est, quod nostra sententia bene per scripturam demonstratur, & hi, qui ea non credunt, hæretici sunt & à Catholica fide alieni.

*Finis Epistolarum D.* Barlaami, *Episcopi Gyracensis, de unione Romanæ Ecclesiæ, & processione Spiritus sancti, contra* Græcos.

ETHICA.

Digitized by Google

# ETHICA.

## SECUNDUM STOICOS.

PER

# D. BARLAAMUM

## DE SEMINARIA,

## EPISCOPUM GYRACENSEM

Compoſita ſub compendio.

*Edita ex Bibliotheca Bavarica.*

---

# ETHICA

## SECUNDUM STOICOS.

Compoſita per

# D. BARLAAMUM

## DE SEMINARIA EPISCOPUM GYRACENSEM

*Ex pluribus voluminibus eorundem Stoicorum ſub compendio.*

### PARS PRIMA.

### CAPUT I.

*Beatitudo quid dicatur?*

SÆC. XIV. ANNO 1350.

*Hominum* alium alio, ſecundum quod Homo eſt, melius vivere putamus. Et ſtatuum hominum alium eligibiliorem, alium minus eligendum arbitramur. Ergo cum natura noſtra ſit finita, & non ſit infinitæ bonitatis capax; aliam alia meliorem vitam ratione ſumentes, non ad infinitum procedemus, ſed perveniemus poſtremò ad aliquem terminum bene vivendi, quem jam tranſcendere natura noſtra de ſui conditione minimè valeat. Quamvis enim non habeamus, quem aſſignabimus, purè ad eum perveniſſe: tamen quia ſubſtantiam & vitam natura limitatam habemus, neceſſe eſt etiam, ſummum gradum noſtræ perfectionis, & optimum ſtatum vivendi, ſecundum quod proportionalitas noſtra exigit, eadem natura præfixum & notum eſſe. Nam opinari finitam naturam ad infinitum proficere, & perfici, ſuos non excedendo limites, poſſe; non ſolum eſt contra communes notiones; ſed etiam tollit omnem appetitum. Siquidem expetendorum extremum non eſt, ubi ſe appetitus noviſſimè figat. Hunc igitur terminum, & hanc opti-



Digitized by Google

Sæc. XIV. Anno 1350.

optimam, pro ut possibile est, hominis vitam, uno verbo, sicut & alii, beatitudinem appellantes; quæramus quid sit, & in quibus consistat. Inde autem suscipiamus exordium.

## CAPUT II.

### *Vera Beatitudo Hominis, ut Homo est.*

*Veram* hominis beatitudinem quærimus: talis autem non potest esse, nisi sit hominis ut homo est. Nam si assignabimus hominis beatitudinem, quæ non erit hominis, ut homo est; non erit vera. Ergo oportet ut constet ex omnibus illis bonis, quæ sunt hominis, in quantum homo est. Quia si ex aliis, & non ex talibus; non habebimus, quod quærimus. Etenim si non ex omnibus hujusmodi bonis constabit, non erit summum bonum, Quia si qua est beatitudo, cui desunt aliqua hominis, in quantum homo est; manifestum est, quod illis additis augebitur. Sed quod augeri potest, summum non est: Beatitudinem verò, quam quærimus, summum hominis bonum esse volumus.

Igitur ex omnibus dictis bonis constabit, ac verò ex solis. Quia si qua sunt alia bona hominis: non tamen ut homo est: manifestum est, quod illa addita illi beatitudini, quæ constat ex bonis hominis, ut homo est; non augebunt eam, ut propterea sit magis beatitudo hominis, ut homo est: quia in tali etiam compositione tota ex utriusque generis bonis complexio non diceretur, nec intelligeretur, nec esset beatitudo hominis, ut homo est, nisi ex parte illorum bonorum hominis, quæ essent bona hominis, in quantum homo est.

## CAPUT III.

### *Vera beatitudo augeri non potest.*

*Vera* ergo beatitudo additis illis augeri non potest. Et meritò: nulla enim aggregatio augeri potest additione aliarum rerum genere diversarum. Nec enim lineæ additis punctis; nec superficies additis lineis; nec solida additis superficiebus; nec diversorum humidorum commixtio additis coloribus vel saporibus augentur.

## CAPUT IV.

### *Beatitudo hominis, ut Homo est, ex quibus potissimum constet?*

*Ergo* si bona hominis, ut Homo est, genere diversa sunt ab illis, quæ non sunt hominis, ut Homo est; manifestum est, quod beatitudo, quæ constat ex bonis hominis, ut Homo est, non augebitur adjectione illorum bonorum, quæ non sunt hominis, in quantum homo est. Itaque perfecta & summa hominis beatitudo ex illis solis constabit; ut jam possimus formam hujus beatitudinis brevissimè comprehendentes, talem ejus definitionem, ad quærenda & demonstranda supponere.

## CAPUT V.

### *Quid est Beatitudo hominis vera, & quid ejus Miseria?*

*Veram* Beatitudinem hominis esse cumulatam complexionem omnium bonorum hominis, ut homo est: ac per consequens: summam miseriam hominis esse cumulatam complexionem omnium malorum hominis, ut homo est: ut cui hoc inest miserrimus homo dicatur. Est autem beatitudo per se expetenda, & miseria fugienda.

## CAPUT VI.

### *Virtus quid?*

*Supponatur* etiam & Virtutis definitio, quæ talis secundum omnes philosophantes est.

Virtutem esse optimam affectionem animi, ex qua proficiscuntur bonæ & laudabiles voluntates, sententiæ, actiones: quarum quælibet suo loco optima est; quæ & eos, in quibus est, bonos & laudabiles efficit.

CA-

Digitized by Google

## CAPUT VII.

*A Beatitudine hominis, ut Homo est, omnes artes excluduntur.*

His præmissis, patet, quod omnes & universæ opificum artes excluduntur ab illis bonis, quæ ad formam beatitudinis pertinent. Sicut enim in omnibus aliis illa bona intelligimus uniuscujuscumque rei, ut illa res est, quæ ipsam rem bonam & laudabilem faciant, & à quibus ipsa res jure laudatur, & bona appellatur: Ita & hominis bona, ut Homo est, illa tantum intelligimus, quæ ipsum hominem bonum, & laudabilem faciunt, & à quibus jure laudatur, & bonus appellatur.

## CAPUT VIII.

*Vera beatitudo Hominis, ut Homo est, in quibus potissimum sita?*

Sed beatitudo hominis, sita est in illis bonis tantum, quæ sunt hominis, ut Homo est: sola ergo illa formaliter perficiunt beatam vitam, quæ hominem verè bonum & laudabilem faciunt: & propter quæ jure laudatur, & bonus appellatur. Sed ex nulla opificum arte hæc homo meretur. Quantumcumque enim est Homo faber bonus, aut cerdo, aut scriptor: non tamen ratione hujus artis bonus appellatur; velut sapiens homo, aut prudens, aut intelligens simpliciter laudatur. Ergo ad formam beatitudinis opificum artes minimè sunt vocandæ.

## CAPUT IX.

*Scientia in bonis Hominis minimè locanda.*

Similiterque scientiarum, quarum finis est non extrinsecus effectus; sed intrinseca visio veritatis; licet in bonis ipsius mentis, ut mens est, omnis scientia computetur: tamen quæcumque tales sunt, ut ab eis non possit homo simpliciter bonus appellari; vel ut Homo sapiens & intelligens, aut prudens jure laudari: non sunt in illis bonis habendæ, quæ beatitudinem ipsius hominis, in quantum homo est, constituunt. Hominem enim non ipsam mentem aut rationem appellamus, sed animal rationis & mentis particeps: cujus nunc beatitudinem quærimus; rem videlicet, qua optimè, dum vivitur, vita ejus ducatur.

## CAPUT X.

*Quæ Hominibus & bestiis communia, non in bonis hominis, ut Homo est, collocanda.*

At verò, nec quæcumque sunt, aut esse possunt, communia hominis & bestiarum; in illis bonis sunt habenda, ex quibus hominis beatitudo constat. Illa enim omnia, ut prædefinitum est, sunt bona hominis, ut homo est. Sed illa quæ sunt, aut esse possunt communia hominis, & bestiarum; & per consequens quæ gratia istorum requiruntur, ut effectiva, aut conservativa, & si quæ eorundem virtutes esse dicuntur, non sunt bona hominis, ut homo est, & ideò nec in illis bonis sunt habenda, quæ ad beatitudinem pertinent.

## CAPUT XI.

*Miserrimi definitio, aut qui verè Miser dicatur.*

Item, quia miserrimus Homo nec ille est, qui nusquam est; nec ille, qui homo non est: Equus enim non dicitur homo miserrimus: manifestum est, quod sunt aliqua communia hominis beati & miserrimi. Cùm verò miserrimus dicatur, qui habet omnia mala hominis, ut Homo est, ita ut nihil boni hominis, ut homo est, ei relinquatur: sequitur nihil eorum quæ sunt, aut esse possunt communia Beati & miserrimi, quæque gratia eorum requiruntur, bonum esse hominis, ut Homo est. Quare nec in illis hujusmodi sunt habenda, quæ definitione beatitudinis comprehenduntur.



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1350.

## CAPUT XII.

*Quæ in bonis Hominis jure habenda censeantur.*

ITem, si illa bona tantùm faciant per se hominem beatum, quæ ipsum hominem, ut ostensum est, bonum simpliciter & laudabilem faciunt, & propter quæ jure laudatur, & homo bonus appellatur: Omnia verò hujusmodi sunt voluntaria, & in potestate hominis jacentia, & amitti invitis nequeuntia: Nullum erga fragile, & caducum, & extraneum, in nostra potestate non existens, & extingui, & amitti potens invitis, habendum est in eo genere, quod vita beata complectitur.

## CAPUT XIII.

*Bona corporea externa ad beatitudinem hominis, ut Homo est, non pertinent.*

PAtet igitur ex conclusis; quod nec indolentia, nec corporea voluptas, nec omnino aliquid eorum, quæ dicuntur corporea bona & externa; ad beatitudinem, quam quærimus pertinet. Horum enim alia sunt communia hominis & bestiarum: alia, beati hominis, & miserrimi. Et omnia communiter sunt extra nostram potestatem, & fragilia, & caduca, & extingui, & amitti invitis possunt. Et nec omnia simul, nec aliqua illorum sua præsentia hominem bonum faciunt, vel ab eis homo jure laudatur, & bonus appellatur. Ergo cum hujusmodi omnia exclusa essent à beatitudine: & ipsa corporea & externa necessario excluduntur.

## CAPUT XIV.

*Qua forma beatitudinis includantur?*

ITaque circumscriptis omnibus aliis, de quibus dubitari possit, ne in forma beatitudinis includantur; relictis verò solis animi virtutibus, & eorum laudabilibus actionibus, quæ videlicet nec hominis, & belluarum; nec beati & miserrimi communes esse possunt: & amitti invitis nobis non possunt; quæque verò hominem bonum & laudabilem faciunt, & à quibus homo jure laudatur, & bonus appellatur: manifestum est, quod in sola vita virtuosa beatitudo consistit; & virtus se ipsa est contenta, ad benè beateque vivendum.

Reliquorum verò, nihil ad veram beatitudinem pertinet; sed dum homo virtutibus est imbutus, & omnes suas cogitationes & actiones, & vitam virtutibus regulariter & moderatur, & dirigit: omnibus aliis rebus nascentibus & cadentibus, & quoquo modo se habentibus; nil adimitur aut additur ei, quo magis, minúsve sit beatus.

## CAPUT XV.

*Secunda & tertia, quæ vocantur, num formæ quærendæ beatitudinis includi debeant.*

DE scientiis quidem & artibus, nulli Philosophorum dubitant, utrum necessarium sit aut omnes scientias, aut aliquas artes, in forma quærendæ beatitudinis includi. De dictis verò corporeis bonis & externis; quæ secunda & tertia vocantur, magna est quæstio.

Quidam enim nil præter virtutes, hominis bonum esse, in quantum homo est, non dubitant, sed adimentes prædictæ definitioni, postremam additionem, & simpliciter ponentes beatitudinem, complexionem esse bonorum hominis: nituntur aggregare ad beatam vitam explendam, & corporea omnia, & externa; quasi sine istis nequaquam illa integra valeat esse. Qui vehementer errare convincuntur, ex his quæ communiter & naturaliter de beata vita sentimus. Beatitudinem enim tanquam summum bonum omnes intelligimus; quo ipsa res summè bona suo genere efficitur. Ergo & summum hominis bonum intelligendum est, cujus præsentia homo summè bonus homo efficitur. Solæ ergo virtutes Beatitudinis obtinent principatum.

## CAPUT XVI.

*Beatus qualis esse debeat.*

ITem volumus illum, quem perfectè beatum intelligimus, tutum esse, inexpugnabilem, septum, munitum, suis bonis inerrabiliter confidentem, semper habere quod vult,

Digitized by Google

vult, & nunquam, quod non vult: nunquam dubitare, utrum adeſt ſibi integrè beatitudo, an non; nunquam timere, ne invitus amittat eam; forti, & robuſto, & excelſo, & magno animo eſſe, ſemperque in animo tranquillitatem, & ſecuritatem, & placidiſſimam pacem, & conſtantem hilaritatem habere, & terroribus & angoribus, & mœſtitia vacuum eſſe. Sæc. XIV. Anno 1350.

## CAPUT XVII.

### *Quid in ſe contineat Beatitudo?*

HÆc autem omnia continet ſententia confectæ concluſionis. Nam ſi quis, cùm ſit virtuoſus, ita concluſam de beatitudine ſententiam, vivam & efficacem habet, & totum animum per omnes partes penetrantem, ut & omnis appetitus ſit conſonus illi, & aliqua repugnans opinio non ſit in animo latens, quæ poſſit aliquando ad contrarium appetitum animum diſtrahere: Hic cùm nihil habeat in bonis niſi virtutem, & quod ea agatur: reliquarum verò rerum, nihil ſibi bonum vel malum reputet; videatque quod ſolum bonum novit, ſemper ſibi totum præſens, & amitti invito non patiens, neceſſe eſt ut omnia illa ei contingant; quæ expoſuimus communiter verè de beato intelligi. Talis enim tutus eſt, inexpugnabilis, inerrabiliter illis quæ ſua bona ſcit, confidens: ſemper habet quod vult, & nunquam, quod non vult. Vacat enim vitiis, quæ non vult habere, & ſi terrores, & mœſtitiæ, & angores, & aliæ perturbationes, quæ contingunt hominibus, propter corporeas & externas res: quia putant eas malas vel bonas eſſe, & pertinere ad ſuum bonum vel malum ſtatum; manifeſtum eſt, quod ſi quis hujuſmodi opinionem & appetitum ab iiſdem rebus penitus removerit; nihil quoquo modo acciderit, terrere & perturbare eum valebit, aut angi, & à conſtantia egredi, & mœrere faciet. Et ideò ſemper erit tranquillus ſibique placatus. Propterea fortis, magnanimuſque, ſemper invictus, à nullo frangi, & demitti animo patiens. Maximè enim ſcit humanas res contemnere, & ab eis nec efferri, nec frangi: qui eas nec bonas nec malas ſui gratia judicat. Similiter & quæcumque alia de beato intelligentes, prædictæ concluſioni plenè concurrunt.

## CAPUT XVIII.

### *Ad perfectam beatitudinem num ſecunda & tertia ſint neceſſaria?*

SI verò ſupponamus aliquem cum bonis animi etiam quæ dicuntur bona corporis, & externa omnia habere, & ſit ſibi illa in animo ſententia inſita, & appetitus ſententiæ congruus, quod iſta ſecunda & tertia ad perficiendam plenam beatitudinem ſunt neceſſaria: impoſſibile eſt ei omnia illa concurrere, quæ de beato intelligimus. Et ideò per conſequens, cum credat habere ſe omnia quæ ſuppetant ad beatam vitam, non erit tamen beatus. Nam cum ſciat vires, valetudinem, ſanitatem, velocitatem, venuſtatem, integritatem ſenſuum, vacuitatem doloris, denique vitam ipſam; præterea regna, imperia, magiſtratus, dignitates, honores, facultates, copias, opes, potentias, divitias, ſubditorum benevolentiam, optimorum amicorum & conſanguineorum ſocietatem: hæc omnia caduca natura ſua eſſe; & ſimul invito amitti poſſe, & eorum contraria evenire: quo modo beatus erit, ſi tot bonis, ſine quibus non reputat integram beatitudinem ſibi poſſe adeſſe, non confidit? Et tot quæ reputat eſſe mala, & beatitudinem violantia ſibi impendere videt? Ita enim ſapiens & intelligens, & illa bona permanere ſibi, & non delabi appetens, cum vult eſſe ſemper beatus: quomodo non ſemper terrorum, & angorum, & ſollicitudinis plenum animum habebit? At verò nec contemnere, & deſpicere res humanas facilè poterit, qui ad beatitudinem vel miſeriam aliquod pondus eas habere crediderit. Sed ſine deſpicientia rerum humanarum, fortitudo & magnanimitas & excelſitas non videntur poſſe in animo generari: quibus virtutibus inſtructus virtuoſus in omni fortuna æquabilitatem conſervat. Carebit igitur qui beatum ſe eſſe putat, iſtis virtutibus.

Ac etiam poteſt contingere caſus; in quo, quum ſalva ſint ſibi omnia bona externa: tamen ipſe ignoret, utrum ſalva ſint, necne; dubitabit ergo, utrum adeſt ſibi integra beatitudo. Ergo non habebit quod vult: vellet enim non dubitare. Concutietur ergo tranquillitas & pax animi iſtius à conſtantia ſua. Non ergo tutus, ut dominus bonorum ſuorum: non inexpugnabilis, non quietus; nec beatus ergo. Sententia ergo illa, quæ corporea & externa aggregat ad beatitudinem, quem ſupponimus eſſe beatum, facit non eſſe beatum: falſa ergo eſt: nihil enim verum eſt, ex quo impoſſibile oritur. Magis autem dignitas & ſplendor ſententiæ, quam defendimus, inde apparebit.



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1350.

## CAPUT XIX.

*Collatio duorum non Beatorum.*

SUpponantur duo non Beati, similem defectum in animo, in corpore, & in externis patientes: & illa quæ videntur esse excellentiora corporis, & externorum, nequaquam habentes, & aliquorum ex eis, quæ desunt, desperata sit acquisitio, & ita omnibus quæ mentis, quæ naturæ, quæ fortunæ sunt, per omnia adæquatis, sit uni illorum persuasum, quod tota beatitudo in virtutibus animi vertitur: Alii verò tripartita illa sententia; & habeant parem appetitum beatitudinis; manifestum igitur est, quod primus minus ægrè, & minus anxiè, & jucundius, & tranquillius ducet suam vitam, quam secundus; tribus ex causis; quod minora sibi videt deesse ad plenam beatitudinem: & quod non est desperata sibi illorum acquisitio: & quod eorum quæ habet, tanquam pertinentia ad beatitudinem, non existimat aliqua esse in potestate fortunæ; quibus delapsis miserior ipse sit. Ille verò non modo plura deesse sibi ad explendam beatitudinem videt, & de illis, quæ habet, aliqua sentit posse delabi, quo ipse sit miserior, sed etiam ad integram provenire aliquando beatitudinem, desperatum est penitus sibi.

## CAPUT XX.

*Virtutum acquisitio utri difficilior?*

AT verò & acquisitio virtutum plures habet in isto difficultates, quam in illo. Prima enim difficultas est, posse cognoscere, quantum bona animi, ad complendam beatitudinem, excellunt bona corporis, & ista externa; & proportionaliter dispartiri, & compensare istis appetitum beatitudinis. Ille verò noster, cum beatitudinis sententiam, & totum appetitum ad solas virtutes mittat: nil ei hujusmodi difficultatis est; quin etiam vehementiorem appetitum ad virtutes habet; quam ille qui aliquas partes paris appetitus, corporeis tribuit & externis. At & hoc manifestum est, quòd quanto amplius diliguntur corporea & externa: tantò magis impeditur ad acquirendas virtutes. Facilior est ergo nostro virtutum acquisitio.

## CAPUT XXI.

*In virtutum acquisitione uter fortior?*

NEc illud dubium est, quin ille affectus animi, qui ita sit constructus & firmus, ut possit in omni casu & fortuna, æquabilitatem conservare; ita quod nec adversitatibus frangatur; vel molle aliquid & abjectum, & effæminatum & anxium patiatur: nec secundis rebus effusa lætitia gestiat, levitateque ad arrogantiam & superbiam se efferat: Iste, inquam, affectus melior & beatior sit, quàm ille, qui non tantæ constantiæ est: Sed manifestum est, quod duorum suppositorum virorum nostro facillimum est, exercitatione & consuetudine adjuncta, pervenire ad ejusmodi affectum. Illi verò tripartito, aut impossibile, aut difficillimum est. Ergo si nostra ista sententia in meliore omnimodè conditione facit esse hominem: quàm illa tripartita; non dubium est, quæ magis est approbanda.

## CAPUT XXII.

*Virtutum actio in quibus potissimum bonis consistat?*

AT verò, nec illum errorem oportet incurrere, quod actiones virtutum, in solis bonis corporis & externis versantur: in contrariis verò non: ut si beatè vivere est virtuosè agere: hoc autem non potest esse, nisi in bonis corporis & externis, necessariò concludatur, quantò ista dilabuntur, tantò vitam beatam defici. Nam non est casus in vita, nec fortuna, nec tempus, in quo non possit vir bonus virtuosè agere. Decenter enim & rationabiliter cogitare, jacere, sedere, stare, ambulare, tacere, loqui, tribuere corpori necessaria, videre vel audire aliquid, membra corporis movere, alicui assentire & parere; vel pro conservanda constantia & fide dolores & damna non recusare: quibus non potest virtuosus ullo tempore omninò carere: actiones virtutum sunt, & à virtute proficiscuntur. Omitto dicere quod fortitudo, & magnitudo, & excelsitas animi, in adversis rebus totam suam vim habent, scireque benè adver-

Digitized by Google

versitatibus uti, summæ prudentiæ est. Nec non multa, quæ videntur esse negationis, locum habent summarum actionum. Cùm enim * virtuosus, pauper & ignobilis, deformis, & claudus & infirmus, nobiles & divites admiretur, potentesque & sanos: & se miserum, & illos beatos, & fælices reputet, & ideo odio eos habeat, & invideat iis, cupiditateque immensa ardeat, & angore & tristitia & mœrore tabescat, & deprimatur, divinamque providentiam, opinionis errore, aut nullam, aut injustam esse existimet: vir bonus & totus nostræ sententiæ, cum in simili casu est, nil istorum patitur, nec reputat illos in meliori esse conditione, quàm se. Et ideò tranquillo vivit animo, & minimè turbulento, & ad interiores actiones, & si quæ sunt exteriores, maximè expedito. Tali igitur firmitati & constantiæ animi, actiones, quas possint agere virtuosi divites & potentes, non sunt postponendæ. Dum ergo bonus vir vivit & est, non vacat virtuosis actionibus. Quare nec isto modo corporis quæ dicuntur & externa bona, veræ beatitudinis partes erunt.

Sæc. XIV. Anno 1350. * *f.* vitiosus.

## CAPUT XXIII.

*Divisio bonorum & corporis, & quæ externa vocantur.*

UT autem non videamur de nomine tantum laborare velle, commoda nominantes, quæ omnes bona appellant: ut vocabuli mutatione à beatitudine videantur segregari; ita sit procedendum.

Omnium, quæ bona corporis & externa dicuntur, alia referuntur ad nostram ipsam substantiam. Quæ quidem ita se habent, ut sine illis esse & vivere non valeamus.

Alia verò ad hoc habent suam vim, ut minus molestè & delectabilius vitam ducamus. Quæ quidem ad indolentiam ultimò & voluptatem, quæ per corporeos sensus percipitur, referuntur.

## CAPUT XXIV.

*De membro primo.*

ERgo ut de primo membro prius dicatur; quia substantia nostra & ipsum esse nostrum bonum quidem nobis est: Tale verò bonum, ut non sit aliqua pars formæ beatitudinis; sed ut communiter tam summæ miseriæ, quàm beatitudini subjiciatur. Differt enim hominem esse, & beatum hominem esse, & miserum hominem esse: ut ipse homo utrique subjici valeat: sequitur necessariò, quod & ipsa bona corporea & externa, quæ, ut simpliciter simus & vivamus, requiruntur, similiter sint & nominentur bona. Ut videlicet, non in forma beatitudinis ponantur, sed tanquam communia miseriæ beatitudini submittantur. Itaque sicut nostrum esse refertur quidem ad beatitudinem, non tamen ut pars; sed ut subjectum, sine quo forma non existit: simili modo & illa bona, quæ ad ipsum nostrum esse referuntur, mediante ipso nostro Esse, ad beatitudinem referenda sunt. Igitur sicut qui est, in quantum est, non est beatior illo, qui non est: ita & qui habet plura, de hujusmodi bonis, non ideò est magis beatus, quàm qui habet pauciora. Beatus enim & minus beatus homo efficitur, additione & subtractione illorum bonorum, quæ sunt partes formæ beatitudinis. Nostrorum verò Esse, & bona, quæ ad ipsum referuntur, non sunt partes formæ beatitudinis, prout ostensum est. Sed videatur, si placet, reliquum membrum præmissæ divisionis.

## CAPUT XXV.

*Secundum membrum. Indolentia & Voluptas, non Beatitudo.*

ET primum ostendendum sit, quod Indolentia & Voluptas corporis in forma beatitudinis poni minimè possunt. Nec enim cum virtutibus beatam vitam explere possunt, nec sine virtutibus. Quod si sine virtutibus, in summa sede ponerentur; contingeret vitiosissimum hominem & penitus depravatum & corruptum animum habentem atque impium & inconstantem, beatum esse: quod est contra communes notiones. At verò nec cum virtutibus beatitudinem efficere possunt; cum enim beatitudo sit optimus totius vitæ status, oportet, ut constet, non ex discrepantibus interdum & repugnantibus; sed ex concordibus semper & consonis. Bona enim omnia amicitiâ & concordiâ semper gaudent. Sed inter Indolentiam & Voluptatem, & virtutes magna repugnantia ut plurimum est. In plerisque enim impossibile est Indolentiam & Voluptatem consequi, nisi omittamus honestum & decorum, & committamus turpe & indecorum. Nam si ubique velimus, quæ ratio Fortitudinis, Justitiæ, Tem-



Digitized by Google

Sæc. XIV. Anno 1350.

perantiæ, & omninò natura honesti exigit, consequi: necessarium est, non solum voluptates postponere; sed etiam magnos subire labores, & acerbos sustinere dolores. Et è contrario, si hoc statueremus in nobis, ut omnibus modis voluptatem corporis, & indolentiam sequeremur; nullum scelus esset, nullum facinus, nullum denique malum, ad quod suscipiendum, licentiâ propositâ, non impelleremur. Nec ergo cum virtutibus, nec sine, voluptas & indolentia in forma beatitudinis valent connumerari. Et ideò omnia corporea bona & externa, in quantum referuntur ad ipsam indolentiam & voluptatem, segreganda sunt à forma beatitudinis. Ostensum est autem esse hoc idem etiam, in quantum referuntur ad ipsam essentiam. Penitùs ergo segregantur ab illis bonis, quæ formam beatitudinis constituunt.

## CAPUT XXVI.

### *De bonis & commodis quæ tripliciter eveniunt.*

ISta itaque, quæ præter virtutes vulgò bona dicuntur, & à Stoicis commoda appellantur, & contraria incommoda, triplici modo eveniunt. Ex virtute, ex culpa, ex neutro.

Ex virtute, (ut à commodis incipiam) ut quæcumque homini ab hominibus propter virtutem tribuuntur. Vel, si quis optimum filium habet; cùm ipse eum benè educavisset: Vel, res familiaris ex prudentia, sine injuria acquisita & amplificata: Vel, sanitatis & virium ex abstinentia & diligenti regimine conservatio, & si qua similia.

Ex culpa, ut si quis ex adulterio bonum genuerit Filium. Aut detrahendo injuriâ suas res augeat, & si qua hujusmodi.

Ex neutro, ut quæcumque natura, fortuna, casu, successione, divinitus, vel quoquo modo alicui sine opera sua eveniunt.

## CAPUT XXVII.

### *Incommodorum divisio.*

ITem de incommodis eadem divisio est. Nam ex virtute contingunt, ut quæcumque damna doloréque alicui inferuntur, propter justitiæ instantiam. Vel, si quis pauper est, cum suas facultates ad opera justitiæ & liberalitatis transtulisset, vel delabi eas, studio meliorum rerum, dimisisset.

Ex culpa contingunt, ut quæcumque alicui incommoda inferuntur, propter ab eo anteactas injurias; & si ipse aliqua perturbatione concitatus, aut non propulsavit interitum à charissimis cum posset; aut ipse intulit eis interitum. Aut rei familiaris, pigritiâ, inertiâ, ignaviâ delapsus; & corporis commodorum, voluptate devicto, ex pravo regimine amissio, & multa talia.

Neutro. Quæ nec virtute, nec vitio, nec penitus ex aliqua opera contingunt: ut corporeorum naturales defectus, & quæcumque incommoda casu, fortuna, vel ab hominibus injuriâ commotis inferuntur.

## CAPUT XXVIII.

### *Commodum ex virtute veniens, expetendum est, & quare?*

EX tribus igitur modis, primus, quo virtute commoda vel incommoda, cum evenerint, suâ præsentiâ augent per se beatitudinem; sed propter eorum, circa eorum sumptionem, virtuosam dispositionem & actionem.

Secundus modus, quo ex culpa commoda vel incommoda sumuntur, fugiendus & miserabilis est; propter similiter circa eadem vitiosam dispositionem & actionem.

Tertius modus, quo nec virtute, nec culpa, eadem contingunt, nec ad beatitudinem, nec ad miseriam aliquid ponderis habet: sed cum sint sumpta quoquo modo commoda vel incommoda, qualiter est eis utendum, dicetur, ubi de virtutibus tractabitur.

## CAPUT XXIX.

### *Non commoda; sed affectus erga ea faciunt ad beatitudinem vel miseriam.*

NUnc autem illud sit manifestum, quod nec commoda beatitudinis, nec incommoda miseriæ partes sint; sed affectus, & actus, & usus virtuosus vel vitiosus, circa utraque acquirenda, sumenda, tuenda, ferenda, utenda, & amittenda ad beatitudinem vel miseriam pertinet.

Sunt

Digitized by Google

Sunt itaque commoda acquirenda, & tuenda, & utenda, dum licet rectè hæc fieri, & minimè rejicienda; nisi aut ad comparandas, vel gerendas res meliores: aut ad serviendum hominum, quorum decet, utilitati. E contra verò incommoda aut sunt rejicienda, aut æquo animo ferenda, nisi aut ad declinanda incommodiora & pejora: aut ad consulendum decenter hominum utilitati: sed ad reliqua pergamus. Sæc. XIV. Anno 1350.

## CAPUT XXX

### *Honestum quid?*

*Positum* est in principio quod beatitudo per se expetenda. Et est ostensum, quod vita beata, idem est, quod virtuosa: vita ergo virtuosa per se est expetenda. Est autem & laudabilis, ut situm est in definitione virtutis. Sed quod est ita bonum, ut detracto omni emolumento, jure laudari & expeti per se ipsum possit: illud est, quod honestum sentimus. Vita ergo virtuosa, eadem est honesta. Et quia vita bona & beata, eadem est virtuosa: Vita ergo bona & beata, eadem est honesta. Et quia quod honestum est, idem esse bonum nemo dubitat: concluditur è converso, quod quæ honesta vita est, eadem est bona, & beata, & virtuosa.

Ac etiam, si decorum est, quod consentaneum est hominis excellentiæ, in eo, in quo natura ejus à reliquis animantibus differt; & ipsum decorum, & quod decet, idem virtuti & honestati efficitur.

## CAPUT XXXI.

### *Utile, & Inutile, Quid?*

*Deinde* de Utili & Inutili dicendum sit. Duplici igitur modo utrumque dicitur. Uno, ipsa commoda vel incommoda, ut domus, equus, servus, vires & similia: quæ videlicet ad idem cum honestis, vel inhonestis non veniunt. Nullum enim commodorum aut incommodorum honestum vel turpe, quoad hominis beatitudinem, est.

Alio modo Utilia & Inutilia dicuntur ipsæ hominis actiones, quæ sunt circa commoda vel incommoda sumenda, utenda, disponenda, ferenda, vel rejicienda. Quæ utilia vel inutilia, eadem sunt quæ honesta & turpia. Nam si omnis turpis actio à defectu virtutis proficiscitur; defectus verò virtutis lædit beatitudinem; ac nemini utile potest esse, quod sit contra suam beatitudinem: nemini ergo turpis actio utilis est. Porrò quod sine turpidine utiliter fit, idem rationabiliter & rectè fit. Sed quod rationabiliter & rectè fit, etiam honestè fit. Ex quibus concluditur, quod omnis utilis actio honesta est. Ac etiam si illud, quod honestum factu est, & ad beatitudinem pertinet; summæ utilitatis est; conficitur, quod omnis honesta actio utilis est. Sola ergo honesta & virtuosa vita, utilis vita est. Et sola inhonesta & vitiosa inutilis. Igitur sex hæc: Bonum, Beatum, Virtute confectum, Honestum, Decorum & Utile: Adde, si vis, Rectum, Rationabile; ad idem veniunt, & idem ferè sonant. Et ideò opposita eorum, scilicet, malum, miserum, vitiosum, inhonestum, indecorum, turpe, inutile, peccatum, irrationabile: Adde, si vis, pravum, flagitiosum, fœdum, tetrum, detestabile: omnia hæc ejusdem sunt calamitatis. Ex omnibus itaque superioribus fit denique finalis conclusio, pro qua omnia in hac ratione præcesserunt, hæc:

### *Conclusio.*

*Quod* si quis vitam ducit virtuosam & honestam, quomodocumque commoda & incommoda huic contingunt, modo non sua culpa: nihil deest illi ad veram beatitudinem: & per consequens, si quis est ita depravatus, & corruptus, ut nec vestigium aliquod virtutis & honestatis in eo existat, huic, quamquam omnibus abundet commodis, nihil deest ad summam miseriam.

## CAPUT XXXII.

### *Beatum nullum in hac vita, secundum Platonicos.*

*Hic* quidam Platonici, immortalitati animorum operam dantes, & eorum quandam excellentem felicitatem imaginantes, eique vitam hanc comparantes: impossibile asserunt, in hac vita beatum hominem esse. Quibus multi assensum præbentes, nos à veritate reputant deviare. Est autem inter nos & ipsos non in re controversia; sed in nomine tantum. Non enim eandem rem utrique beatitudinem appellamus, ut de eodem negatio & affirmatio sit. Namque nos optimam vitam, quæ maxi-



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1350.

mè compoſito competit, ſecundum quod hominis natura capax eſt, beatitudinem appellantes, & nil alienum vel incongruum ei addentes: hanc homines conſequi poſſe aſſerimus,

Illi verò ſeparatorum animorum beatitudinem conſiderantes, meritò ad illum hominem in hac vita exiſtentem, negant pervenire poſſe. Ergo utrumque verum eſt. Nec enim nos illa beatitudine, beati effici, vi naturali, dum vivimus, poſſumus. Nec illis noſtra congruit, vel ſufficit beatitudo.

Ac etiam iidem Platonici, multa bona, naturam, & artem, & conſuetudinem excellentia, homines divinitus conſequi poſſe affirmant: ſicut ipſe Plato de Poëtica & Divinatione, & Amore in Phædro tradit. Non tamen ideò prohibitum erit, ultimum terminum, ad quem aſcendere poteſt vis naturalis, beatitudinem appellari: præſertim cum ita ſit hoc vocabulum apud plures uſitatum, & non naturâ nomina rebus poſita; ſed utentium beneplacito.

## CAPUT XXXIII.

### *Beatitudinis diviſio.*

ITaque prima ſit Beatitudo, ipſe optimus vitæ ſtatus; quem ultimò aſcendere poſſumus, transſcendere verò vi naturali non valemus, de qua beatitudine in his libris tractatur.

Secunda ſit, quæ primâ ſuppoſitâ adhuc comprehendit quæcumque excellentia bona acquirere homo etiam in hac vita, divina aſpiratione poteſt, ut Plato in Phædro docet.

Tertia ſit, quæ ſuſcipit poſt mortem ſapientes, ut idem Plato in Phædone tradit.

Igitur quia illi ſecundam & tertiam merentur, qui primæ participes extiterunt; meritò de prima tantum hunc laborem duximus ſuſcipiendum.

## CAPUT XXXIV.

### *Naturalia bona, quomodo in nobis perficiantur?*

NOtandum verò ſit & illud, quod ſecundum eundem Platonem, nec ipſa naturalia bona perfici in nobis poſſunt, ſine divino auxilio. Nam ex quo omnia habent eſſe, ex eodem & ſuam perfectionem habere neceſſe eſt. Omnia verò ſecundum Platonem ex Deo habent Eſſe. Item in Timæo, cum propoſuerat de natura mundi, & ortu, & connexione omnium à primo principio dicere: oravit, & divinum ad propoſita imploravit adjutorium: quamquam in illis nil excellens naturale noſtrum ingenium dicturus erat: ſed non putat ſe illa conſequi poſſe divinitus non adjutum. At ſi ſecundum eundem in illo ſummo bono, totius bonitatis, perfectionis, & beatitudinis inſtar eſt; ita noſtra ſubſtantia perficitur, ita beatificatur; ſi ad illud tendit, illud reſpicit, & illud imitetur.

*Partis primæ Finis.*

ETHICÆ.

Digitized by Google

# ETHICÆ SECUNDUM STOICOS, DOMINI BARLAAMI DE SEMINARIA, EPISCOPI GYRACENSIS,

## PARS SECUNDA.

### CAPUT I.

*Animi vis quotuplex?*

*Duplex* est vis animi nostri. Una qua intelligimus & verum inquirimus, & à falso discernimus, & à dubiis ad manifesta transimus: & in eis quid consequens, quid repugnans conspicimus. Et in agendis, quid utile, quid inutile; quid bonum, & quid malum; & cui, & quantum, & quale inquirimus & judicamus. Quæ vis cum sit intellectiva, Mens appellari solet. SÆC. XIV. ANNO 1350.

Alia est, qua bona vel mala in agendis judicata placent, vel displicent nobis. Et illa quidem acceptamus, amplexamur & amplectimur. Contraria verò aspernamur & fugimus, quæ vis, Appetitiva appellari solet. Hujus autem motus vel actus in animo & benè & malè potest contingere. Quod ut discernatur, distinguenda sunt prius aliqua, quæ ad istum locum pertinent.

### CAPUT II.

*De vera & falsa opinione Boni & Mali.*

*Falsa* opinio in agendis bonis vel malis, multis modis accidit. Nam si quis opinatur, non bonum, bonum esse, vel è converso. Aut an sit bonum, minus tamen vel majus, quàm est illud, esse existimat. Aut per se bonum cum sit, ad aliud tantum, & hoc fortasse minùs bonum valere illud reputat. Aut cui bonum est, ignorat.

Similiter & de malo falsa est opinio ejus. Vera autem sententia & verum judicium, circa eadem est; cum in nullo prædictorum peccatur. Nam si & quod est bonum, bonum existimat; & quantum, & quale, & cui, non ignorat; similiter & malum; verum, & sanum esse hujusmodi judicium omnes concedent. Est itaque falsum de quolibet judicium simpliciter malum & vituperandum: Verum autem simpliciter bonum & laudandum.

Item sicut in corporeis oculis interdum contingit aliquid tale, ut acies videndi obtundatur, & ex aliquo motu quædam obumbratio, seu caliginatio, & obscuratio oculo accidat; ita quod, aut non possit, aut minus clarè, obscuriusque & deterius possit visibilia videre & discernere. Et hoc cum contingit huic sensui: pro malo ipsi reputatur. Bonum enim ejus est, semper manere in suo vigore, & aciem videndi inviolatam & expeditam conservari. Alioquin conditio visus deterioratur. Ita menti hominis accidit nonnunquam aliquid tale. Ex quo quandam obumbrationem & obscurationem ipsa mens incurrit, & acies intelligendi ita obtunditur, ut munus intelligendi & judicandi aut minus, aut obscurius tardiusque consequi possit: & à re gerenda aut omnino abducatur; aut in jubendo & monendo hominem ad exteriores actiones,

Digitized by Google

Sæc. XIV. Anno 1350.

nes, decus & honeſtatem in eis aut non poſſit, aut difficilius & moleſtius conſervare poſſit. Quod accidens malum eſſe menti, quis mentem habens non intelligit? Ex ſimilitudine igitur oculorum, docendi cauſa, adpelletur hujuſmodi accidens Obumbratio mentis, ſeu Caliginatio, vel potius Obſcuratio.

Cùm autem mens ita ſtabiliter ſuum conſervat vigorem; ut nihil de prædictis ei contingat, ex quo acies intelligendi deteriorari quoquo modo poſſit: hujuſmodi ſtatus, cauſa ſimiliter docendi, appelletur Æqualitas.

Eſt itaque manifeſtum, quod obſcuratio mentis eſt malum menti & vituperandum: Æquabilitas verò eſt bonum & laudandum.

Item cum animus noſter habet appetitum, vel committendi quod non decet; vel omittendi quod decet; appelletur Malefica voluntas. Cum autem appetitus tendit ad agendum quod decet, & relinquendum quod non decet; appelletur Benefica voluntas.

Eſt itaque manifeſtum, quod Malefica voluntas eſt ſimpliciter malum & vituperandum: Benefica autem voluntas eſt ſimpliciter bonum & laudandum. Ex tribus tamen ſegregatis malis, ſi oportet unum ſine duobus eſſe in animo: minimum malum eſt Mentis obſcuratio. Quamquam enim ipſi menti, ut mens eſt, malum eſt, tamen aſſociata cum vera in agendis ſententia & benefica voluntate, quoad exteriores actiones, & maximè, in quibus continetur hominum ſocietas; ſi tantum adſit eis Mediocritas: non modo non malum; ſed magnum bonum eſt.

Majus verò malum eſt, opinionis in agendis error. Hoc enim non tantùm ipſi animo per ſe malum eſt; ſed etiam ſine obſcuratione mentis & malefica voluntate teterrimas exteriùs actiones, & maximè in puniendo, gignere poteſt.

De notatis verò tribus peſſimum eſt, ſeparatum ab aliis, Malefica voluntas. Quæ enim ita malefica eſt, ut inhæreat animo, etiam ſine repentino & turbido motu mentis, atque falſa opinione, ut allegare ignorantiam nequeat; omnium malorum eſt peſſimum, & minus aliis ſanabile.

## CAPUT III.

### *Malefica Voluntas, quotuplex?*

*Duplex* quidem eſt Malefica Voluntas. Aut enim cauſatur à repentina obſcuratione mentis. Qua ceſſante, recedit & illa, ſicut in ira ſæpe contingit. Aut inſita eſt, in animo, & ſine repentina mentis caligatione, quæ multò tetrior eſt; quàm illa; quæ ſimul obſcurationi mentis oritur, & interit. Quare ſi oportet de malis minima eligere; multo eligibilior eſt Obſcuratio mentis cum Benefica voluntate, quàm Malefica voluntas ſine Obſcuratione mentis.

De notatis autem bonis, unum comparando ſine aliis, minimum bonum eſt, mentis æquabilitas. Hæc enim licet per ſe bonum ſit menti, ut mens eſt: tamen ſeparata à vera de agendis ſententia & benefica voluntate, quoad exteriores actiones, nullum bonum eſt.

Verum autem judicium de bonis & malis aliquantulum majus bonum eſt, ſeparatum à reliquis duobus bonis. Nam etiam exterius aliquid boni, interdum per accidens efficit. Omnium verò optimum eſt Benefica voluntas. Et per ſe enim bonum eſt animo, & ſeparata à reliquis duobus bonis, multas tamen bonas actiones exterius gignere poteſt.

## CAPUT IV.

### *Benefica voluntas quotuplex?*

*Est* autem duplex Benefica voluntas: Una quæ cauſatur ab aliquo repentino, caliginioſove animi motu: quæ ſimiliter oritur & occidit, ſicut in lætitiis miſericordiisque ſæpè accidit. Alia eſt animo inſita & permanens, & à viva atque efficaci ratione pendens: quæ de tribus propoſitis optima eſt.

## CAPUT V.

### *Num tria prædicta, Verum judicium, Æquabilitas mentis & Benefica voluntas ſimul in animo, aut appetitiva vi, concurrere poſſint.*

*Cum* itaque ex ſuperioribus diviſionibus tria ſint notata ſimpliciter bona, & laudanda in animo noſtro: ſcilicet Verum judicium bonorum & malorum, & Æqualitas mentis, & Benefica voluntas: poteſt fieri, ut cùm appetitiva vis ſit in agendo; ſimul

Digitized by Google

simul prædicta tria bona in animo concurrant: ut quod placet, vel displicet, & verè judicatum sit, & mens aliquam Caligationem non incurrat, & Benefica voluntas in animo sit. Quod cùm fit, Constantia appellatur. Potest autem fieri, ut opposita istis contingant: ut & malè de objectis sentiat, & acies mentis obumbratione obtundatur, & voluntas malefica insit. Potest vero fieri, quod duo sint ex malis & unum ex bonis: quod tripliciter variari potest, vel è converso: duo ex bonis, unum ex malis: quod similiter tripliciter fit.

SÆC. XIV. ANNO 1350.

## CAPUT VI.

### *Prædictorum septem Complexiones.*

PRæter igitur Constantiam septem horum fiunt complexiones. Constantia nempè, quia æquabilitas mentis in actu appetitivæ, cum vera objecti sententia, & benefica voluntate, non dubium est, quin simpliciter bonum & laudabile sit. Et quia sicut in prima parte prædefinitum est, beatitudo est cumulata complexio omnium bonorum hominis, ut homo est: Est autem & ipsa constantia, secundum assignatum sensum, bonum hominis, ut homo est: Ille ergo quem quærimus, quem perfectè beatum intelligimus, nequaquam carebit constantiæ bono. Semper igitur constans erit.

## CAPUT VII.

### *De perturbationibus: & quæ perturbationes appellentur?*

DE septem complexionibus illæ, quibus comprehenditur obscuratio mentis, quod quadrupliciter contingit, perturbationes appellantur. Quarum quidem pessima est, cùm ita placet, aut displicet nobis aliquid: ut cum obscuratione mentis sit in animo & falsa opinio objecti, & malefica ad agendum voluntas. Minus verò mala est, quando cum obscuratione mentis, unum reliquorum malorum inest, & alio animus vacat. Quod dupliciter fit; Illa verò perturbatio minimum malum est, in qua obscuratio mentis cum vera sententia illius quod placet vel offendit, & benefica ad actionem voluntate, conjuncta est. Quare si quis, cum esset ita dispositus, ut incurreret illam pessimam perturbationem; mutavit suam ejusmodi dispositionem ad hanc perturbationem, quam minimum malum esse dixi: non parùm melioravit suum animum.

## CAPUT VIII.

### *Tres Complexiones reliquæ ad quid utiles?*

REstant tres complexiones, præter constantiam & quadripartitam perturbationem. Una, cum æquabilitas mentis sit associata cum falsa opinione & malefica voluntate, quæ appellatur Elythiotes. (*Vesania.*)

Secunda, cum æquabilitas mentis falsa opinione caret; malefica verò voluntate non: quæ appellatur Malitia.

Tertia est, cùm æquabilitas mentis caret malefica voluntate: habet tamen de objecto falsam opinionem; quæ dicitur Afelia. (*Simplicitas.*)

## CAPUT IX.

### *Perturbationum divisio.*

DE perturbationibus autem, quoniam quadrupliciter variantur, ut dictum est; prima sit, quæ est obscuratio mentis, cum vero judicio objecti boni vel mali, & benefica voluntate. Quæ quantum ad exteriores actiones: si modò in eis conservet mediocritatem, magnum bonum est.

Secunda sit, quæ est obscuratio mentis cum falsa opinione & benefica voluntate.

Tertia sit, quæ est obscuratio mentis cum vero judicio, & malefica voluntate.

Quarta sit, quæ est obscuratio mentis cum falsa opinione & malefica voluntate. Quæ omnium perturbationum est pessima, sicut supra notatum est.



Digitized by Google

SÆC. XIV. ANNO 1350.

## CAPUT X.

### *Earundem divisio altera.*

*Item* secundum aliam divisionem, quatuor genera perturbationum sunt. Quia enim omnis perturbatio est obscuritas mentis, suscepta ex opinione boni placentis, vel mali offendentis: Bona verò vel mala, quæ homini eveniunt; aut sunt jam præterita, aut præsentia: aut futura: Illa quidem perturbatio, quæ percutit & caliginat animum ex opinione præteriti, vel præsentis mali; dicitur Ægritudo. Quæ si nimia est, dicitur Angor: si verò ex opinione suscipiatur futuri; dicitur Metus vel Timor.

Item, si opinione præteriti vel præsentis boni contingit: multa quidem nomina, parùm differentia, ut Lætitia, Jucunditas, Delectatio & alia, sed sumatur Lætitia: si verò ex opinione futuri boni, dicitur Cupiditas, & Libido vel Desiderium. Vertitur etiam in opinatis bonis Dilectio & Amor.

## CAPUT XI.

### *Perturbationum definitio.*

*Definiantur* igitur ista quatuor genera sic: Ægritudo est perturbatio animi, ex opinione præsentis vel præteriti mali, mordens animum & demittens. Metus, est perturbatio animi ex opinione impendentis mali, humilitans atque frangens animum, & recessum quendam & fugam animi efficiens, & ad declinandum illud quod metuitur, hominem impellens. Lætitia est perturbatio animi ex opinione præteriti vel præsentis boni; quasi cum animus effusè exultat, quædam voluptas gestiens & elata, perfusam hilaritatem efficiens. Libido est perturbatio animi, ex opinione futuri boni, cum ad id, quod videtur bonum, inflammata rapiatur. Sunt igitur singulorum generum multæ & variæ species: quas non est necessarium præsenti opere discutere; sed tantum in eis notandum sit, quod sunt quædam quæ non possunt variari, per quatuor gradus superius assignatos; sed in unum tantum cadunt, in quo obscuratio mentis est associata cum falsa opinione & malefica voluntate; qui modus omnium erat pessimus. Tales perturbationes itaque sunt, ut in genere Ægritudinis, Invidentia, & Obtrectatio: & in genere Lætitiæ, Malivolentia, Jactatio, & Superbia: In genere Libidinis, Inimicitia, Discordia. Hæ enim ex opinionis errore, semper, & malefica voluntate animum perturbant.

Sunt item aliæ, quæ per omnes variantur gradus: ut Misericordia, Pœnitentia, Ira, Amor, & innumerabiles aliæ. Nam, ut pro omnibus de una dicam, cum sit Misericordia ægritudo animi ex opinione miseriæ alterius injuria laborantis, potest fieri, ut qui perturbatur, nec verè opinatus sit de malo alterius; nec beneficam ad adjuvandum, cum posset, voluntatem habeat. Potest autem fieri, ut in opinione illius quidem quod perturbat, non falsetur in opinando, habeat tamen ad adjuvandum beneficam voluntatem. Potest verò fieri, ut obscuratio mentis, in hoc accidenti, & ex vero judicio pendeat, & bonæ voluntati conjuncta sit. Quod si in actione valeat mediocritatem conservare: magnum bonum est. Idem de Ira, de Pœnitentia, de Amore, & de aliis intelligendum est. Nam quælibet, si obscuratio mentis, nec ex erroris opinione concitatur, & malefica vacat voluntate; & in actione mediocritatem consequitur: magnum bonum est. Habet enim in animo duo bona; scilicet, veritatem de objecta re, & ad actionem beneficam voluntatem, gignitque extra optimam actionem. Cur verò non dixi, maximum esse bonum; sed magnum: apparebit cum de constantiis dixero.

## CAPUT XII.

### *Constantia quid?*

*Constantia* itaque, quia est tranquillitas & æquabilitas mentis in eo quod judicata bona vel mala acceptantur, & placent, vel displicent cum vera sententia, & benefica voluntate: varias & ipsa secundum temporalem varietatem bonorum & malorum, & nonnullas alias eorundem differentias partes habet. Non tamen propriis nominibus omnes assignantur; sed ut plurimum eisdem cum perturbationibus. Nam si mala, quæ constanter displicent, præterita sunt, & à se commissa, dicitur similiter Pœnitentia: si ab alio, dicitur Ira: si verò mala præterita vel præsentia aliis evenerunt, & passi fuerunt, vel patiuntur: dicitur Misericordia. Si ipse passus est, vel patitur

Digitized by Google

titur mala; si animi, dicitur similiter Pœnitentia vel Misericordia: si corporis & externa, dicitur Patientia. Si verò futura & impendentia sunt, dicitur Cautio vel Metus & Timor æquivocè. Non autem differt, si in istis, quæ incommoda Stoici dicunt, malà usu communi appellantur: nihil enim ista distinctio interest propositæ quæstionis. SÆC. XIV. ANNO 1350.

Item cum animus noster sentit se constanter fruitum vel fruentem aliquo bono, vel vehementer acceptat aliorum bonum: dicitur Contentio, Placabilitas, Gaudium; ac etiam æquivocè dici possunt, quæ in tertio genere perturbationum dicebantur. Si autem constanter appetitus tendit ad futurum bonum, dicitur Voluntas, vel Desiderium æquivocè, in quibus est & Spes. Est autem in bonis similiter Dilectio & Amor; Charitas verò species est voluntatis.

## CAPUT XIII.

### *Perturbationum & Constantiarum differentia.*

UT autem pateat, quid interest inter constantias & perturbationes æquivocas; sumatur unum pro omnibus, ut Amor. Ametur igitur primo aliquid; ita ut verè judicatum sit bonum, & acies mentis ad intelligendum non obtundatur, & benefica voluntas sit in animo; quam dicebamus esse appetitum faciendi quod, & non committendi quod non decet. Et iste amor dicatur primi gradus desuper incipientibus; postmodum relictis in animo vera sententia & benefica voluntate, caligationem quandam & obscurationem mentis in amando incurrat: & hic amor secundi sit gradus.

Item relicta in amando benefica voluntate, insit in animo, cum turbido motu mentis, etiam falsum judicium, de eo, quod amatur: & sit hujusmodi amor tertii gradus. Si verò in amando judicium quidem sanum est, de illo quod amatur; sed cum obscuratione mentis, etiam inest ad agendum malefica voluntas, quæ erat appetitus omittendi quod decet, & committendi quod non decet: dicatur hujusmodi amor quarti gradus. Si verò & in tribus animus amando deficit, cum est in animo obscuratio mentis, & malefica ad agendum voluntas, & falsum judicium de eo quod amatur: sit hujusmodi amor quinti gradus. Manifestum itaque est, quod primi gradus amor, est simpliciter bonus & omnium optimus, & cadit in assignatam superius constantiæ definitionem. Reliqui verò quatuor graduum; quoniam in quolibet ponitur obscuratio mentis: comprehenduntur in genere perturbationum, secundum quod perturbatio superius definita est.

Est igitur omnium perturbationum optima, quæ secundo gradu posita est: deficit tamen à constantia in tribus: uno, quod non conservat claritatem mentis in suo rigore; sicut constantia.

Secundo, quod constantiæ quidem facilè est, propter mentis claritatem, imponere exteriori actioni mediocritatem: ipsi verò perturbationi, propter mentis turbidam commotionem, idipsum ita facile non est.

Tertiò superat constantia, quod in ea benefica voluntas, cum à claritate mentis & viva ratione pendeat, est in animo insita & permanens; & ideò efficacior: & quod ab ea prudenter proficiscitur, nunquam ad pœnitentiam adducit: illa verò benefica voluntas, quæ est in perturbatione, cum à repentino & turbulento motu causetur, sedata mente sæpe cessat & ipsa. Non enim insita est, nec vinculis rationis constringitur. Et ideò sæpe contingit, ut quod rectè & laudabiliter factum fuerit, cum nubes recesserit, pœniteat hominem hoc idem feciisse: sicut in misericordiis nonnunquam accidit.

Quintus verò, qui positus fuit gradus, est simpliciter malus, & omnium pessimus. Nihil enim in eo boni est. Tertius & quartus, secundum quod participes sunt boni vel mali, sunt laudandi vel vituperandi: Si verò oportet à pessimo expositorum graduum perturbationis, gradatim & non repentè ad constantiam ascendere: primò subtrahatur malefica voluntas, vel falsa opinio: & istis prius detractis, postremò subtrahatur mentis obscuratio: & immediatè hac subtracta, eluceat in animo constantia; in qua cum æquabilitate mentis, & vera est sententia, & benefica voluntas. Nam si à pessimo gradu perturbationis, primò subtracta obscuratione mentis, dimittantur in animo falsum judicium, & malefica voluntas: augetur potiùs malum, quam diminuitur; & animus deterior fit. Exit enim à genere perturbationum, & incidit in malitiam, *Elythiotem & Apheliam, quæ in agendis malis multò excellunt perturbationes, & minus sanabiles sunt.

*Vecordiam & simplicitatem.

Quinque igitur graduum assignatorum, primus gradus, qui solus erat constantiæ, est summum bonum: secundus, magnum bonum, latet enim quod habet malum:



Digitized by Google

Sæc. XIV. Anno 1350.

tertius & quartus, ſenſibilem jam mixturam patiuntur. Quintus totaliter opponitur primo, & eſt ſimpliciter malum. Itaque cum & Ira, & Miſericordia, & Deſiderium, & Metus, & reliqua, quæ æquivocè in genere conſtantiarum, & in genere perturbationum dici poſſunt, ut ſuperius oſtenſum eſt, per quinque quodlibet ſimpliciter gradus, poſſit variari: ut primus ſit conſtantiæ; quatuor verò perturbationis: manifeſtum eſt ex ſupra dictis, quantò melius & præſtantius eſt quodlibet iſtorum; cum conſtanter contingit, quàm id ipſum ſi fieret turbulenter. Quod tamen cum ita contingit, quando magnum bonum eſt, quoad actionem: & quando ſenſibiliter commixtum, & quando peſſimum malum: ſatis & hoc, ut arbitror, ſuperius eſt explicatum. Sed quia, ſicut prædefinitum eſt in primo libro, Virtus eſt optima affectio animi, optime animum ad agendum diſponens: Nulla ergo virtus ad hoc habet ſuam vim, ut faciat aliquid malo animo contingere. At oſtenſum eſt, quod Obſcuratio mentis, malum eſt ipſi menti: nulla ergo virtus ad hoc habet ſuam vim, ut obſcurationem & tenebras inferat unquam menti, & obtundat ejus aciem intelligendi. Sed nulla perturbatio eſt, ſine mentis obſcuratione; ſegregandæ ergo ſunt perturbationes à choro virtutum. Quod & ita oſtendi poteſt.

Demonſtratum eſt ſuperius, quod beatus, quem intelligimus, ſemper eſt conſtans; ſed perturbationes omnes adverſantur conſtantiæ: vacabit ergo beatus perturbationibus: ſed virtute aliqua non caret: nullius ergo virtutis perturbatio eſt.

Item, ſi conſtanter miſereri multò melius eſt, quàm ſi idipſum turbulenter fieret, ut oſtenſum eſt: illud verò, quod à virtute proficiſcitur ſuo loco & caſu, optimum eſſe volumus: Virtus eſt ergo quærenda, quæ ſtabilitam conſervet conſtantiam: non perturbationis infirmitas: ſeparantes tamen à choro virtutum perturbationes, non illud volumus, ut ad Apheliam & Elythiotem, & malitiam incidat animus; ſed ut bonum conſtantiæ conſequatur. Illis enim qui claram & vivam, & expeditam, & efficacem rationem expetendarum atque fugiendarum rerum non habent, non penitus inutiles ſunt perturbationes: aliarum enim rerum cupiditate, vel metu, lætitia, vel ægritudine commoti, multa bona in vita conſequuntur, & mala evitant: ſed ita diſpoſiti ſimulacra virtutum, non ipſas veras virtutes æſtimandi ſunt habere. Itaque ſi nomine paſſionis velimus nominare, tam conſtantias, quàm perturbationes, manifeſtum, quod dicimus, paſſionum alias eſſe ſimpliciter bonas; alias, ſimpliciter malas: alias magis bonas quàm malas; & è converſo: alias æqualiter commixtas, conſequenter quadripartitæ diviſioni, non generum, ſed graduum perturbationis. Si autem paſſionem in animo velimus nominare nihil aliud, niſi mentis ipſius obſcurationem, & turbidam motionem, & obtuſionem: cum ſemper ſit bonum menti tranquilla claritas, & vigens acies intelligendi, non dubitabimus dicere, omnes paſſiones eſſe animo extirpandas, & penitus evellendas: duntaxat nec inſita malefica voluntas, vel ad neceſſarias & honeſtas actiones tarditas in animo remaneat, nec opinionum temeritas, ut ad conſtantiam purè perveniatur.

Theophraſto quidem, poſt Ariſtotelem Peripateticorum principi, non videtur omnem perturbationem adverſam eſſe conſtantiæ. Sed ſicut fames & ſitis, & hujuſmodi naturales contingunt homini ſine falſa opinione, ſine malefica voluntate, ſine mentis obſcuratione, & ſimpliciter minimè mentis conſtantia læſa: Ita ait, & in animo ſecundum infirmas ejus partes contingit nonnunquam ex aliquo caſu turbida commotio, nec à falſa opinione pendens; nec maleficam voluntatem excitans; nec menti obſcurationem inferens. Cujus commotionis ſigna etiam in ore, in vultu, in oculis, interdum apparent. Hæc cùm ſit perturbatio, minimè tamen conſtantiæ adverſatur.

Ad quæ reſpondendum eſt; quod iſta non adverſantur ſecundum rem, ſuperioribus noſtris de perturbatione rationibus. Nam ſi conſtantia una definitione comprehenſa eſt, ſi definitio ejus per non æquivoca verba eſt aſſignata: manifeſtum eſt, quod perturbatio quæ conſtantiæ adverſatur, de qua ſuperiùs tractabamus, per quatuor gradus eam variantes, atque in quatuor genera dividentes: & illa perturbatio Theophraſti, quæ conſtantiæ mentis non adverſatur, æquivocè perturbationis nomine fruuntur: ac etiam ſuperior quadripartita perturbatio, qua obſcurationem menti infert, prædicatur de mente. Eſt enim verum dicere, in illa paſſione mentem hominis eſſe perturbatam. Perturbatio verò Theophraſti, quia deſcriptam ſuperius æquabilitatem mentis non lædit: non poteſt verè de mente prædicari. Dum enim æquabilitas mentis manet illæſa, non eſt dicendum, mentem hominis eſſe perturbatam. Ergo & ex hoc patet earum æquivocatio. Itaque terreſtris canis definitione aſſignata, poteſt dici audacter, omnem canem eſſe animal mortale, vel animal quadrupes: ita quadripartita perturbationis deſcripta definitione, per quam neceſſariò diſtinguitur, à quacumque alia æquivoca perturbatione; veraciter poteſt dici nullam perturbationem ſine mentis obſcuratione eſſe, omnem-

Digitized by Google

omnemque constantiæ adversari, & simpliciter esse animo evellendam. Si qua enim est animi commotio, de qua hæc dici non possunt, illa in his libris non appellatur perturbatio. SÆC. XIV. ANNO 1350.

## CAPUT XIV.

### *De perturbatione Theophrasti Quæstio duplex.*

NEmpe de perturbatione Theophrasti, quæ non adversatur constantiæ, duo sunt quærenda. Unum. Utrum contingit homini aliquando, an nunquam? aliud. Utrum cadit in beatum, an non? nam cùm definitiones Obscurationis & Æquabilitatis mentis superius sint descriptæ: jure dubitabit aliquis, utrum potest contingere in animo turbida commotio, quæ nec definitioni Obscurationis mentis in aliquo communicet, nec definitionem Æquabilitatis mentis in aliquo non lædat? An impossibile hoc est? Cujus quæstionis veritatem magis arbitror posse intelligi, si quis passiones animi sui respiciet, quàm si per demonstrationis verba sequatur.

Ad secundum verò manifestum est procul dubio, quod si qua est commotio animi constantiæ mentis non repugnans: sive passionem, sive perturbationem velit quis eam appellare; nullo modo beatitudinem lædit. Sed si voluntaria non est, sicut fames & sitis, secundum Theophrastum: nec ad virtutes, nec ad vitia penitus pertinet. Quasi dicatur: si nimia est, vitio danda est; si mediocris, virtuti: cujus enim voluntas nostra domina non est, illud qualitercumque contingit, nec beatum, nec miserum facit; ut in primo libro ostensum est. Si verò voluntaria est, & contingit in eo, quod aliquid placet vel displicet, pendetque à vera objecti sententia & benefica voluntate, atque acumen mentis in aliquo non deteriorat; nec tranquillitatem concutit, etiam sic Theophrastus nomine tantùm discrepat à Stoicis: illam enim rem, quam nos laudabilem putamus, & pertinere ad beatitudinem arbitramur, & constantiam appellamus; eandem ille perturbationem abusivè appellat. Nam sæpè contingit, quòd, cum differentes aliqua de aliquo universaliter prædicant affirmativè vel negativè, auditores si viderint prædicata non omnibus, quæ sub nomine subjecti sunt, congruere, putant illos mentiri; ipsi magis decepti: ignorantes usum verborum differentium. Nam si disputantes, ad illas tantùm res nomen subjecti extendunt, quibus prædicata conveniunt; veram esse eorum sententiam necesse est.

Ut igitur talem deceptionem in istis nostris legendis aliquis non incurrat; danda sit talis regula: In quacumque universali propositione videbitur alicui, non omnibus, quæ nomine subjecti significantur, prædicatum congruere: sciat nos more Stoicorum in illis tantùm rebus uti nomine subjecti, quibus prædicatum ferè coaptatur: Si plures verò res, eodem nomine, secundum alios significantur, quibus prædicatum inesse non potest: nihil ad Stoicos! sicut nec ad Geometras est aliquid, si alia res, præter ab eis definitam, circulus appellatur.

## CAPUT XV.

### *Perturbatio an omnino evellenda?*

RE*sumentes* igitur, de perturbationibus dicimus: quoniam illam commotionem perturbationum in his appellamus, in qua mens à constantia egreditur, & obscuratur, & acumen intelligendi obtunditur: manifestum est, quòd non est resecanda vel moderanda; sed penitus evellenda. Nam in illis rectè mediocritas quæritur, in quibus utrumque vituperandum est, & nimis abundare, & penitus carere. Sed perturbatione vacare, & minimè à constantia egredi, & acumen mentis illæsum conservare, magnæ laudi dandum est. Conatus ergo noster, non ad amputandam perturbationem; sed omnino extirpandam dirigendus est.

## CAPUT XVI.

### *Perturbationes, num extirpari possint?*

QV*ia* verò possibile est, deinde ostendendum sit. Duplex est opinio, quæ perturbat animum. Una, qua opinatur, aliquid transeuntium, & noviter imaginationi incidentium, bonum vel malum esse, cum suis circumstantiis: quæ ut plurimùm



Digitized by Google

Sæc. XIV. Anno 1350.

mùm falſa eſt: aut enim non bona, bona: aut, quæ parva ſunt, magna æſtimantes. Similiter & de malis ut plurimum perturbantur. Alia eſt, qua videtur rectum eſſe, ut perturbetur: quæ nunquam vera eſſe poteſt. Sive enim bonum eſt, ſive malum quod incidit: nulla ratio eſt, ut ideò tantùm malum menti inferatur: neque rectum ullo pacto eſſe poteſt, ut propter alia quæcumque mala vel bona, turpificetur, quod in nobis præſtantiſſimum eſt. Bonis enim cuſtodiam; malis remedia non mala, & præcipuè quibus mens læditur, admovendum eſt. Igitur quoniam falſæ opiniones ſunt, quæ animos ſolent perturbare; de quibuſcumque verò falsè opinamur, impoſſibile eſt rectum & verum habere judicium: Manifeſtum eſt, quod deletis animo illis opinionibus, & ſententia totaliter mutata, nihil relinquitur, quod animum valeat perturbare. Poſſibile ergo eſt perturbationibus vacare.

FINIS.



Digitized by Google

# EPITOME BELLORUM,

Quæ à

## CHRISTIANIS PRINCIPIBUS

Pro Recuperatione

## TERRÆ SANCTÆ

Suſcepta ſunt:

In qua etiam deſcriptio PALÆSTINÆ; & multa de MAHOMETE.

A B

*Incerto Auctore conſcripta,*

Et in lucem prolata,

*Ex M. Cod. Monaſterii Sancti Magni ad Pedem Pontis* RATISPONENSIS.

LECTO-

Digitized by Google

# LECTORI CANISIUS.

SÆC. XV. ANNO 1422.

LEctu *injucundus non est hic abbreviator: quisquis ille fuit; qui ætatem suam extremis verbis indicat: nempe annum Domini* 1422. *quo hoc* (a) *compendium conscripsit, oculatus Terræ Sanctæ testis & inspector. Quod si quando à linea excidere videtur; ut homo ab hominibus veniâ donandus erit; animusque advertendus non ad nævos, sed ad ea, quæ in hoc historiæ corpore nitent.*

(a) Anno 1373. scripsit. Scriv. not. ms. in Canis.

## In fine Tractatus Canisius sequentia adhuc monuit:

*Hic expressè dicitur Compendium hoc confectum esse Anno Domini* 1422. *Sed cum supra, paulo ante medium hujus compendii, nominetur annus* Christi *M. CCCLXXIII. quo libellus præsens conscriptus sit; Suspicor non unum, sed minimum duos hanc Epitomen consarcinasse.*

JA-

Digitized by Google

# JACOBI BASNAGII
## IN
# EPITOMEN
# BELLORUM SACRORUM
# OBSERVATIO.

OPtime quidem Canisius ad *minimum* duos Authores hîc indicavit; quippe hæc Epitome, quanquam unicum præferens titulum, nihil aliud est quàm consarcinatio indigestaque moles fragmentorum ex diversis plurimisque scriptoribus compactorum. Quinque, ut nobis videtur, scriptoribus debetur hoc opusculum qualecunque sit. SÆC. XV. ANNO 1422.

Prior continet Epitomen Bellorum Sacrorum & seriem Regum, qui inter Christianos Jerosolymis imperarunt. Brevissime quidem illa recenset; sed aliqua habet observanda circa sectas diversas, quæ suo tempore Palæstinæ Ecclesias occupabant. Miror Templarios equites tot laudibus cumulasse, cùm ipsi ob varia crimina deprædationesque internecione deleti fuissent, antequam huic libro manum admoveret Author an. 1373. vel, ut alibi ipse, anno 1374. fuit autem Italus origine, utpote qui Gallos Principes *ultramontanos* dixerit. Alius est plane scopus secundi nescio cujus Scriptoris, qui multa de Adriano tum Constantino tum Heraclio congerit, deinde ad Salomonem revertitur. Paginam tantum continet illud scriptum, ideoque tantum alteri additum mihi videtur, quod aliqua habeat adHierosolymam ejusque templum pertinentia; incipit autem ab his verbis *Anno centesimo decimo nono.*

Sequitur tertio Historica narratio de Mahumete, altera manu adjuncta. Quo enim referas hæc verba, quæ statim ab exordio leguntur: *Mortuo itaque Papa Gregorio.* Deinde vero originem Mahumeticæ perfidiæ, fraudesque, quibus plebi illusit impostor, refert ille. Sed illa nihil ad bella sacra pertinent.

Alterius etiam Authoris mihi videntur disputatio adversus Mahumeticam doctrinam, in qua explicantur impostoris dogmata, eruuntur multa ex Alcorano, refutantur plurima, ita ut hæc mihi sit præcipua pars hujus opusculi, quæ saltem aliqua minus nota contineat.

Coronidis loco occurrit quinta brevisque narratio, sed fabulis spurcissimis referta. Scribit Author ille, Cosrohem expugnatâ Hierosolymâ, raptaque Cruce sancta, thronum sibi construxisse, à dextris stitisse Crucem, à sinistris positum Gallum, qui Spiritum sanctum referret, seque Patrem Trinitatis voluisse nominari: quæ quàm parum conveniant Regi Persarum Solem ignemque adoranti, Heraclioque pacem neganti, nisi Crucifixum dejeraret; nemo non videt. Narrant tum *Theophanes* tum *Cedrenus*, Chosroëm a filio Siroë incarceratum, ibique fame necatum fuisse; consentiuntque omnes, præter Authorem nostrum, sibi fingentem, Heraclium Chosroï dixisse *quia lignum Crucis secundum modulum tuum honorasti, honora Crucifixum; si non autem, gladio te interficiam.* Quod cum negaretur a Chosroë, ipsum extracto gladio jugulavit Heraclius, filium vero ejus decem annorum baptizari fecit. At Siroë jam grandior natu fuit, qui pacem, occiso Patre, cum Heraclio pepigit, idololatriæ semper addictus. Alia habet idem scriptor circa Hierosolyma, quæ minus adhuc veritati consonant.



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1422.

# INCIPIT MEMORIALE SUB COMPENDIO ACQUISITIONIS SANCTÆ CIVITATIS JERUSALEM,

*Totiusque Terræ coadjacentis, per illustrem Principem Dominum Gotfridum de* (a) *Bolein, alios quoque per Reges Latinos, strenuos suos successores.*

(a) Bullon.

ACTA etenim prædecessorum non immerito scripturis commendantur, ut & posteri ipsa ruminando pertractantes ad eorum acta laudabilia ferventius excitentur. Unde Apostolus ad Rom. 15. *Quæcunque scripta sunt, &c.* Cum igitur non sine cordis amaritudine revolvere aut fari possim illud lamentabile dictum Propheticum; Threnorum 1. *Quomodo sedet sola civitas plena populo, &c.* propriis orbata liberis, fœcundata spuriis: alienata suis filiis, possessa servis adulteris, spoliata hæredibus, rabidis occupata incursoribus, privataque Christi fidelibus, & conculcata à canibus: imò ut amplius dicam: Jerusalem mater nostra jam servit cum suis liberis, quæ facta est nobis *quasi vidua domina gentium*, inimicis crucis Christi sponsa ad libitum, cumque universis fidelibus *facta est sub tributo:* Quapropter non sine gemitu os meum nunc ponam in pulverem, elevatis tamen oculis mentis in cœlum, quorundam inclytorum Patrum præcedentium felicis memoriæ gesta brevius recitando, qualiter quidam animosi Christi milites, nomen veræ militiæ usurpantes, seriemque vitæ non adulterantes, muros & parietes more (b) Modliorum armis suis non depugnantes, sed clypeis suis atque hastis contra hostes campos illustrantes: hanc sanctam Civitatem eripuerunt à canibus, & veris reddiderunt hæredibus. Hæc dico sperans quia scintilla adhuc latet in civitate. Si forsan sit spes, quod nostri moderni nobiles ipsorum opera pertractantes valeant aut timore aut mœrore ad peragendum similia provocari: Nam licet hæc civitas sancta, terraque vicina, Christi vestigiis dedicata, à tempore ejus passionis à fidelibus populis sparsim fuerit inhabitata, tamen à tempore Heraclii Imperatoris Christianissimi, videlicet ab anno Domini sexingentesimo tricesimo sexto, quo tempore ipsam cepit Homar Saracenus, discipulus seductoris sui Machometi, & post eum Principes Arabum, usque ad tempora Gotfridi de (c) Bolin, videlicet usque ad annum Domini millesimum nonagesimum nonum, hoc est, per quadringentos sexaginta tres annos, fuit à Christi fidelibus violenter alienata, & dominio Saracenorum subjugata. Vergente itaque plenitudine temporis, scilicet primo centenario super millenarium, misit Deus illustrem militem suum Gotfridum de (d) Bolin, Principem devotissimum, qui velut alter Josue Jebusæis expulsis spuriis, civitatem & terram sanctam, licet innumeris laboribus & prælis assiduis, veris hæredibus reddidit & restauravit. Omnipotentis itaque gratia, qui ad tempus dissimulare & dormire perhibetur: videns quorundam suorum corda, ad hoc disposita, immisit per quendam servum suum, abjectum à seculo, Petrum Heremitam simplicem, in cordibus suorum militum, scilicet Gotfridi illustris militis, domini Baldewini sui Germani, Waldewini de Burgo eorundem consanguinei: Domini Hugonis, Germani Regis Franciæ: Domini Ducis Normandiæ, Germani Regis Angliæ: Domini Ruberti Comitis Flandriæ: Domini Reymundi Comitis Tolosani: Domini Comitis sancti Egidii, Comitis Blesentiæ, Comitis Carnotensis, Comitis sancti Pauli: aliorumque honorabilium ultramontanorum militum: Nec non Domini Beamundi Principis Tarentini, Domini (e) Trangedi filii ducis Apuliæ, cum militaribus eorun-

Rom. 15.

Thren. 1.

(b) Forte moderno-rum.

(c) Bullon.

(d) Bullon.

(e) Tancredi.

Digitized by Google

eorundem Domini insuper Episcopi Bodiensis, diversorum aliorumque prælatorum Spiritualium, ad cultum Dei observandum sua corda disponentes animo ferventi, ut isti duces electi, à jugo duræ servitutis populum Domini liberarent: Hi omnes corde uno & anima una malentes vitam præsentem perdere, quàm molestias oneris suæ gentis ulterius sustinere, & loca sancta prophanare amplius permittere, zelo sanguinis Christi & amoris aspersi, hæreditatem animosè intendentes pro viribus veris filiis restituere: Anno ab incarnatione Domini millesimo nonagesimo sexto, præsidente Papa Urbano secundo, regnante Henrico Imperatore Romano, Græcorum honorando Cæsare Alexio, in Concilio generali apud Clarum montem ad istorum deliberationem cruce fuerunt signati. Secundo quidem anno turmatim & non simul per Hungariam pergere, propter hospitiorum strictura non potuerunt, sed continenter & continuè per Græciam & ultra per Asiam quasi Leones anhelantes ad prædam contra civitatem Jerusalem, gradanter viam arripuerunt: fuit enim numerus cruce signatorum (a) sexingenta millia hominum pugnatorum, quibusdam tamen ex eis relicto aratro retrospicientibus, quibusdam interfectis ab hostibus, multisque morientibus per viam diversis languoribus, residui quoque in itinere passi, calore & frigore, fame & siti, Barbarorum etiam & Bulgarorum variis perterriti resistentiis, & innumeris aliis infortuniis, abierunt & perierunt.

SÆC. XV. ANNO 1422.

(a) Sexcenta.

Anno tertio sequenti, scilicet millesimo nonagesimo nono, quinta decima die mensis Julii, tunc feria sexta, die passionis Christi, solum quadraginta millia, quorum quinque millia erant equites: triginta millia pedites, alia quinque millia pueri & mulieres, cum prædicto duce eorum Gotfrido Jerusalem pervenerunt, in qua quadraginta millia Saracenorum armatorum excepto alio populo ad bellum parato repererunt. Sed tunc Dux prædictus nobilissimus Gotfridus, armatus utique galea fortitudinis, & fervore Dei, cum fiducia propositum suum consequens, suosque confortans in Domino, aciem (b) duelli penetravit, quibusdam infidelibus fugientibus, & trucidatis resistentibus, glorioſe die & anno paulò ante præfato sæpe dictam civitatem & terram sanctam veris hæredibus plenius obtinebat. Quo facto omnes populi benedixerunt Benedictum in firmamento cœli. Loca sancta ejus vestigiis dedicata devote requirebant, Regem ac dominum civitatis sanctæ, & rectorem populi, ipsum inclytum Gotfridum omni honore dignum elegerunt unanimiter, & acclamabant. Qui licet ad multorum precum instantias regimen civitatis & populi nomenque domini invitus admiserat. Cum autem more solito coronari deberet, ubi Christus pro nobis fuit corona spinea coronatus, ipse corona aurea & Regni noluit coronari. Tandem piè devictus regimen populi sub nomine ducis recipiens: Deinde civitates, Ramam scilicet & Jafa, quæ & Joppen dicitur, Prophyriam sub monte Carmeli, Tiberiam super mare Galileæ: alia quam plurima opida & castra maximis præliis acquirens, sed & principem militiæ Soldani cum infinita multitudine devincens, solum per undecim menses post captionem civitatis supervivens, in Domino requievit. Sepultus sub monte Calvariæ Princeps nobilissimus & spectatissimus omnium Regum & Principum. Cujus animam sine dubio ipse, pro cujus amore terram hanc acquisivit, secum in terra viventium feliciter collocavit.

(b) Forte belli.

Anno Domino centeno, mense Junii & cæt. terra sancta remansit Christianis octoginta novem annis. Mortuo itaque sereniſſimo principe Gotfrido, cujus memoria non immerito inter universos Reges & principes obtinere debeat principatum, Primus itaque Latinorum Rex in Jerusalem ab omni suo populo ritè electus & coronatus de eadem stirpe nobili extitit germanus ejus, Baldewinus, qui honore Regio sublimatus in primo bello quod habuit cum ducentis sexaginta equitibus & nongentis peditibus, Principem militiæ Soldani Ægypti venientem cum quindecim millibus equitum, triginta millibus peditum, cæsis ex ipsis quinque millibus, viriliter effugavit.

In secundo suo bello immobilem gentem Ascalonitarum simul & Ægyptiorum cum inæquali aggressu & hominum paucitate viriliter superavit. In tertio quoque bello habens secum quingentos armatos, duo millia peditum, Principem militiæ Ægyptiorum cum viginti duobus millibus pugnantium, quatuor millibus ex ipsis occisis, Deo juvante superavit, & in fugam convertit. Domum Assur & Asetum oppidum bene munitum inter Jopen & Cæsaream, imo & ipsam Cæsaream Palestinæ metropolim: Acon, Barutum, Sydonem ex parte Boreali Jerusalem, & totam terram vicinam Christi fidelibus acquisivit: Sed & ad Orientem ultra Jordanem castrum firme communitum, quod appellavit Montem Regalem, suis sumptibus fundavit. Inter Tyrum & Accon aliud Castellum quod Scandalum dictum fuerat, eo quod ruborem & scandalum fecerat Saracenis, suis etiam expensis reformavit. Insuper & totam terram promissionis Christi fidelibus subjugavit. Hic Baldewinus per decem & octo annos regnans, Regni bona sicut decet augmentans, sicut Augustus gubernans, in Domino requievit, & ex op-



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1422.

posito sepulchri sui felicis germani sub sancto monte Calvariæ in Domino est tumulatus. Nota, in marmore monumenti ejus sculpta sunt hæc metra, ut patet infra.

*Rex Waldewinus, Judas alter Machabæus,*
*Spes Patriæ, vigor Ecclesiæ, virtus utriusque,*
*Quem formidabant, cui dona tributa ferebant,*
*Cedar & Ægyptus Dan homicida Damascus,*
*Prô dolor in modico clauditur hoc tumulo.*

Super sepulchrum germani sui juxta ostium à dextris in Capella Georgitarum sculpta est hæc prosa: *Hic jacet inclytus dux Gotfridus de Bullon, qui totam istam terram acquisivit, cujus anima regnet cum Christo.*

Tertius Dominus, & secundus Rex Latinorum in sancta civitate Jerusalem, eo quod venerandus Gotfridus Dominus, & ejus germanus Baldewinus sine liberis ab hoc seculo decesserunt, de fructu carnis corruptibilis minime curantes, extitit Dominus de Burgo, consanguineus eorundem, miles strenuissimus, à potioribus populi rite electus, & in Regnum postulatus. Hic in primo suo bello cum septingentis equitibus paucisque peditibus, Gatzi Principem gentis Turcorum cum immensa multitudine, cæsis ex primis quatuor millibus, fortior de campo dejecit. In secundo autem bello secum habens mille & centum equites, duo millia peditum, Regem Damasci cum quindecim millibus, & ex illis duobus millibus interemptis, fugam appetere coëgit. In tertio bello Regem Ascalonitarum cum ingenti populo Ægypti dorsum vertere fecit. In quarto bello Terquinum, Regem Damasci, in sua propria opinione excedens limites Regis Alexandri, projectis de ipsius exercitu duobus millibus, & de Christianis centum & quatuor viris, ipsum ad fugam potenter artavit. Quibus factis, ne forte nimium extolleretur in gratiis sibi datis, aut forsan propter peccata occulta aliunde provenientia, quinto anno Regni sui captus fuit in bello à Saracenis, & per duos annos in carceribus retentus: quo tempore dominus Patriarcha de consilio Reginæ cum assistentium nobilium terræ comitatu, concurrente duce Venetorum, nomine Dominico, cum quadraginta Galeis, (a) Turrim metropolim provinciæ Phœnicis, civitatem Jamniam & quasi inexpugnabilem, diutina obsidione magnaque sanguinis effusione in manu valida conquisierunt. Quod videntes Saraceni, & attendentes quia per Christianos, captione sui Regis magis se esse constrictos, quam in Rege capto recompensatos, ipsos amplius timentes, Regem justa redemptione, Regni sui anno septimo, liberum reddiderunt. Qui liberatus à vinculis, copiosius eos persequebatur, civitates quoque & castra plurima acquisivit, acquisita munivit. Tandem tredecimo anno Regni sui obiit in pace, in modica distantia à sepulchro Christi, juxta murum Chori, sub lapide requiescit tumulatus.

(a) *f.* Stratonis.

Quartus dominus & tertius Rex Latinorum Civitatis sanctæ, erat Comes Dominus Andegavensis; quia videns Rex præfatus Baldewinus, quod hæredem filium non haberet, & linea consanguinea honorandi Gotfridi in posteris hæredibus deficeret, ipso vivente misit pro prædicto Fulcone, cui filiam suam, nomine Milicendam, in uxorem tradidit, & post mortem simul & Regnum assignavit. Defuncto itaque Baldewino & illo ab omnibus in Regnum accepto, secundo anno Regni sui contra magnam gentis multitudinem de sinu Persico ebullientem, & in Christianos avidè sævientem, signata cruce audacter ad campum progrediens, tria millia de prædictis occidit, reliquos animosè fugavit, paucis ex suis cadentibus, laudabili cum Triumpho, ad propria remeavit. Hic more suorum prædecessorum Regnum prudenter gubernans, nihil diminuens, sed velut Augustus augmentans, undique hostes debellans. Contigit autem eventu, dum juxta territorium Acconem leporem infestaret, & jugiter cum canibus insequeretur, de equo cecidit, & conquassatus ad mortem, relinquens duos filios, scilicet Baldewinum & Albertum, undecimo anno sui Regni hoc infortunio de hac vita meavit, & in loco aliorum Regum piæ memoriæ tumulatur. Eadem Regina Milicendis sepulta est in descensu ad sepulchrum Beatæ Virginis à dextris in Crypta lapidea januis ferreis septa, altare habens vicinum.

Quintus Dominus & quartus Rex Latinorum fuit Baldewinus, primogenitus prædicti Regis Fulconis, qui sublimatus in Regem, licet adhuc juvenis ætate annorum, vir tamen potens gratia & providentia Dei, non tantum nomine, imo & re adhærens vestigiis Regum Baldewinorum. Nam nono anno Regni sui in primo bello innumerabiles Turcorum proceres ipsum adhuc juvenem, non expertum ad ardua facta, debellare intendentes, Dei nutu, interfectis eisdem quinque millibus, captis & fugatis cum totidem centenariis, fortissime expugnavit. In alio prælio Regem Damasci, nomine Naradinum, cum ingenti exercitu cum paucis viris fidelibus à campo prælii fugavit, ex ipsis quibusdamde potioribus captis, quibusdam interfectis, paucis evadentibus, victo-

Digitized by Google

ctoriam reportavit glorioſam. Hujus mater Regina, nomine Milicendis, tempore ſuo & ſui patris quaſi triginta annis regnum in œconomicis proſperè gubernavit, ut ipſi Reges liberius armis & rebus bellicis intendere potuiſſent. Hic Baldewinus viginti quatuor annis regnans, hoſtes debellans, terram Chriſticolis ſuppeditans. Anno itaque Regni ſui viceſimo tertio ſine liberis de hoc ſeculo migravit, ſuis cum paribus ſanctæ ſepulturæ honore Regio commendatus. SÆC. XV. ANNO 1422.

Sextus Dominus & quintus Rex Jeruſalem fuit Almaricus, quem * alio in loco diximus Albertum, & prædicti Baldewini germanus. Hic aſſumptus in Regem in primo bello in partibus Ægypti cum Dargan principe militiæ Ægyptiorum, facta ſtrage maxima, militarem victoriam obtinuit glorioſam. In ſecundo bello cum trecentis ſeptuaginta equitibus, paucis conjunctis peditibus, principem militiæ Damaſcenorum cum duodecim millibus de Turcis, & undecim millibus de Arabibus audacter invaſit, & centum de ſuis cadentibus, mille autem quingentis de hoſtibus, declinante die nocte ſuperveniente ab invicem diſcedentes, honorem campi & prælii ſibi triumphum & ſuis fortiter ſervavit. Hic Almaricus duodecim annis terram regens, undique hoſtes ab ea removens, anno duodecimo cum honore in Domino requievit. BASN.

* In præcedenti pagina, in qua recenſet binos Fulconis liberos, Balduwinum & Albertum.

Septimus Dominus & ſextus Rex Latinorum fuit in Jeruſalem quartus Baldewinus, præfati Almarici filius unigenitus: hic coronatus in Regem, qui ignota cauſa divinæ actionis, in adoleſcentia ſua lepra fuit percuſſus, ſuis tamen temporibus Regnum ab hoſtium incurſione ſtrenuiſſime conſervavit. Hujus temporibus Saladinus omnium Soldanorum inter Saracenos nominatiſſimus, ſurrexit, qui primus tum, Chriſtianorum ſceleribus exigentibus, totam Terram ſanctam abſtulit doloroſe, & tamen Baldewinus tertio anno Regni ſui ipſi Soldano & viginti ſex millibus ſui exercitus, cum trecentis ſeptuaginta equitibus, & paucis peditibus in partibus Aſcalone occurrens, interemptis ex ſuis quatuor viris, ab hoſtibus innumerabilibus, ipſum Soldanum cum ſibi relictis inſtanter fugavit. In alio bello juxta Tiberiam ſupra mare Galileæ, cum ſeptingentis equitibus & mille peditibus ipſum Soldanum cum vicenis millibus Saracenorum, & amplius mille eorum occiſis, ſic confuſibiliter repercuſſit, quod diebus illius Baldewini Regnum Jeruſalem nunquam infeſtare auſus fuit. Ille inquam temporibus ſuis Regnum ſtrenue defendit, hoſtes aſſiduè impugnavit. Cauſa tamen infirmitatis ſuæ uxorem ducere abnegavit, ſed ſorores ſuas quas habuit, nuptui tradere diſpoſuit, quarum primogenitam, nomine Sibyllam, copulavit nobiliſſimo militi Domino Wilhelmo de Longaſpata, Marchioni montis Ferrati, ſpondens ſibi & Regnum relinquere & filio ſuo maſculo, ſi quem Deus daret, quod & Wilhelmus pollicens, aſſenſit. Deo autem diſponente, qui ſæpe peccata vindicare differt & diſſimulat, prædictus Wilhelmus generans ex eadem Sibylla filium, & nomine ſui avunculi Baldewino ſibi impoſito, ante mortem ipſius Regis, vitam hanc finivit. Hoc audiens Rex infirmus, jam dolore, jam mœrore moleſtabatur, præcavens tamen imminens periculum, ne etiam hoſtes ſi ſuam ſcirent infirmitatem, audacius Regnum invaderent, ſororem eandem Sibyllam ſecundo marito cuidam militi adoleſcenti, nomine Guido de Liſiano deſponſavit, ut ipſe Regem languidum, puerum hæredem, & Regnum ſuo virili gubernaculo defenſaret. Qui uxorem Regiam ſuſpiciens, ſed paucis evolutis diebus ipſe Regis limites excedens, ipſum offendit, ſicque Rex eum à dominio paulò ante collato, totiusque Regni gubernaculo alienavit, & congregatis ſui Regni Baronibus, nepotem ſuum, puerulum ſeptennem, in Regem fecit ungi, ſed & eundem infantem & Regnum tutelæ Domini Bertrardi, tunc comitis Tripolitani, plenius committebat. Quo facto eodem anno Regni ſui octavo Rex morbidus ultima hujus lucis claudebat tempora, & more aliorum Regum defunctorum juxta Chorum ſancti ſepulchri contra montem Calvariæ traditur ſepulturæ.

Octavus Dominus & ſeptimus Rex Latinorum fuit, ut patet ex præmiſſis, quintus Baldewinus, filius Marchionis de montis Ferrati prædicti, qui eodem anno quo avunculus ſuus defungitur, abſque Regiis actibus, quaſi de utero tranſlatus, ad tumulum citius evolavit, & juxta ſuum avunculum in modico ſepulchro Regio eſt tumulatus.

Nonus Dominus & octavus Rex Latinorum & ultimus in civitate ſancta Jeruſalem extitit præfatus Guido de Liſiano, ſecundus maritus prædictæ Sibyllæ, qui forſan ſummitatem ſcalæ volando, non aſcendendo pertingere cupiens, Regiis habitibus meruit privari, unde mortuis prædictis Baldewinis, germano ſcilicet & filio, Sibylla Reginæ honore & nomine in ſe gaudere nitebatur, maritoque placere more fœminarum, ſic prudenter egit blandiens cum domino Patriarcha, Epiſcopis & aliis Regni nobilibus, quod mox ignorante comite Tripolitano præfato, cui Regni dabatur gubernaculum, ipſum Guidonem ſecundum ejus maritum in Regem fecit ungi, & in Regio ſolio citius ſublimari. Quod audiens Comes prædictus, ipſo non requiſito hoc opus factum fuiſſe, qui forſan & ipſe ad Regnum ſperans anhelaſſet, tantum concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Quia ſtatim cum Saladino & aliis circumquaque Sara-



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1422.

cenis treugas cepit excogitare occultas, & ut amplius Regi electo reſiſteret, cum domina totius Galileæ, quæ tunc vidua erat, matrimonium contraxit. Quo facto exorta eſt in Regno diſſenſio, quibusdam præfato Regi, quibusdam ipſi Comiti in augmentum diſcordiæ adhærentibus, quod viam dabat Saracenis Regem atque Regnum audacius invadendi. Læto itaque animo & occulto tripudio attendens Saladinus, quod Regnum eſt diviſum, ſperans ejus deſolationem, cepit mox fideles affligere & impugnare, ſub colore placito, quaſi Regi adhæreret, qui tamen Regem & omnes nobiles plagis inceſſabilibus ad prælia provocavit. Unde plurimis interfectis militibus, aliis ſponte ſe reddentibus, cunctisque lethaliter vulneratis, in quodam bello ſuper mare Tiberiadis, capto ipſo Rege, Magiſtro hoſpitalis Jeruſalem ac Templi militiæque totum Regnum infra annum obtinuit doloſè: His itaque modis Terram ſanctam, Chriſti ſanguine dedicatam, quam Dominus Gotfridus de Bullon, princeps inclytiſſimus, charus Deo & hominibus cum ſuis laude dignis militaribus anno Domini milleſimo nonageſimo nono, quintadecima die menſis Julii aſſiduis utique laboribus veris hæredibus acquiſivit: ille Rex Guido cum ſua uxore ſuiſque infortunatis nobilibus, ipſorum peccatis exigentibus, in ſenſualitate dominantibus, ſuperbia, avaritia, & luxuria, cunctisque nefandis, anno Domini milleſimo centeſimo octogeſimo ſeptimo perdidit, & à fidelibus alienavit.

Hæc queruloſè ſcribo Regibus univerſis & Principibus Catholicæ fidei, ſuisque militaribus ſingulis, non ſolum ſæcularibus, imo & Deo militantibus, qui occupant locum illorum, quorum ſonus exivit in omnem terram, ut & ipſi ſemine divini verbi, & iſti acie ſcindentis gladii præbeant iter, quia prope appetit æſtas. Quid dicam? Principes enim noſtræ fidei mutuo contrariantur, pugnant ad invicem, mordent, quod eſt gaudium omnium infidelium, ſcilicet per comitantiam, quia ab invicem conſumuntur, ut ait Apoſtolus ad Gal. VI. Sed & Paſtores Dominici gregis, qui abjecto nomine Paſtoris nunc Principes dicuntur, quia alio in loco canes latrantes vel etiam lingentes appellati ſunt, ſicut & Paulus, qui more canis perlinxit, &c. Et duos molares contrivit Legis ſcilicet & Evangelii. Hi, inquam, lingunt & curant illos, qui non egent medicamine, clamant & reclamant, prædicant, & increpant, in propriis foribus maxillis rubentibus: Lazarum autem languidum foris jacentem, vulneratum, cujus refocillatio eſt ex mica panis, non lingunt, panem non frangunt, ſicut docet Dominus, qui cognitus eſt in fractione panis, qui tamen in ſermone cognoſci non potuit. Unde Apoſtolus: *Evangelium*, inquit, *noſtrum non fuit ad vos in ſermone tantum, ſed in plenitudine multa.* Præterea præſumendum eſt, quia Deus permittit ut terra ſancta, noſtris exigentibus peccatis, à perfidis canibus calcetur. Nam militaris noſtri perditam civitatem Jeruſalem more peregrinorum non propter Jeſum tantum perluſtrantes, ſed vanitatem mundi in ea quærentes, non ſicut venerandus Gotfridus felicis memoriæ armis ſuis campos illuſtrant, ſed angulis parietum affigunt, putantes militiam ſe eſſe conſequutos & recedunt. Ex quibus ſatis liquet, quia qui populum Judaicum quamvis electum, ſuis tamen peccatis exigentibus, ipſum à Terra ſanctis expulit & rejecit, gentem etiam Chriſtianam ſua promerente vanitate de ejusdem etiam dominio penitus extirpavit. Quapropter fideles Chriſti nobiles animadvertite veſtigia ſæpe dicti Gotfridi, ut de manu inimicorum liberati in ſanctitate & juſtitia ſine timore ſerviamus illi, qui ſuo ſanguine pretioſo, & arduis veſtigiis hanc terram ſanctificavit, quam univerſæ Eccleſiæ perſonare non ſufficiunt. Ponite igitur in cordibus veſtris more inclytorum Principum ſibi vices refundere, ut ſanctam Jeruſalem quæ ſurſum eſt mater noſtra, poſſitis poſſidere.

*Gal. 6.*

*Luc. 24.*
*1 Theſ. 1.*

Notanda ſumma annorum, quibus Reges & principes Catholici in Terra ſancta dominabantur: fuit LXXXVI. annorum, duorum menſium, decem & novem dierum.

Anno illo quo perdita erat terra ſancta, & à Chriſtianis ablata, tunc civitas Jeruſalem non ſentiens defenſorem, prima die menſis Octobris dominio Saladini ſpontanea mente ſe libere offerebat. Ecce! quam parvo tempore Chriſtiani ſuam hæreditatem ſanguine Chriſti redemptam meruerunt poſſidere.

Anno Domini milleſimo centeno viceſimo, principabant Fratres militiæ templi, qui & Templarii dicebantur, de quibus in ſequentibus dicetur. Juxta exigentiam temporum ſuperius prolatam, cum ex omnibus mundi partibus, divites & pauperes, ſenes & juvenes, utriuſque ſexus loca ſancta viſitaturi Jeroſolymam pergerent; Latrunculi quidam & raptores, viarum publicarum prædatores, incautis peregrinis inſidiantes multos ex ipſis ſpoliabant, quosdam etiam trucidabant. Quidam autem Deo amabiles & devoti milites, charitate ferventes, mundo renuntiantes & Chriſti ſervitio ſe mancipantes in manu Patriarchæ Jeroſolymitani profeſſione & voto ſolenni aſtrinxerunt, ut à prædictis latronibus & viris ſanguinum defenderent peregrinos, & ſtratas publicas cuſtodirent, more Canonicorum regularium in obedientia & caſtitate & ſine proprio militaturi ſummo Regi. Quorum præcipui fuerunt viri venerabiles & amici

Digitized by Google

amici Dei: Hugo de paganis, & Galfredus de ſancto Aldemaro. In hoc etenim ſancto propoſito non niſi novem fuerunt à principio Clericalibus utentes veſtimentis, quales eis in eleemoſynis largiebantur fideles: novem enim annis in habitu ſeculari ſervierunt. Rex Baldewinus autem & ejus milites prædictis viris nobilibus, qui omnia pro Chriſto reliquerunt, compatientes, unà cum Domino Patriarcha de rebus propriis eos ſuſtentabant, quædam beneficia & poſſeſſiones eiſdem poſtea pro remedio animarum ſuarum conferentes. Et quoniam nondum propriam habebant Eccleſiam, neque certum domicilium, dominus Rex in quadam parte palatii ſui juxta Templum Domini ad tempus eisdem habitaculum conſeſſit. Abbas autem & Canonici templi Domini plateam, quam habebant juxta Regis ſcilicet Baldewini palatium, ad opus officinarum eis tradiderunt. Et quoniam juxta Templum Domini habitaculum habuerunt, Fratres militiæ templi poſtea, ut dicitur, appellati ſunt. Cum autem annis novem in hac profeſſione & ſancta paupertate communem vitam ducentes concorditer & quaſi unius moris in domo permanſiſſent, anno gratiæ milleſimo centeno viceſimo octavo, de mandato Honorii Papæ, & Domini Stephani Patriarchæ Jeroſolymitani inſtituta eſt eis regula & habitus ſine cruce. Hoc autem eſt factum in Concilio generali apud Trecas, civitatem Campaniæ, celebrato ſub Domino Albanenſe Epiſcopo, Apoſtolicæ ſedis legato, præſentibus Remenſi & Senonenſi Archiepiſcopis & Ciſtercienſibus Abbatibus, cum multis aliis Eccleſiarum Prælatis. Poſt hoc, tempore Eugenii, qui Papa fuit, circa annum Domini milleſimum centeſimum quadrageſimum quintum, cruces rubeas veſtimentis ſuis exterius affixerunt, veſtes quidem albas in ſignum innocentiæ deferentes; per cruces autem rubeas martyrium deſignantes, eò quod ſanguinem proprium ſecundum ſtatuta regulæ pro defenſione Terræ ſanctæ effundere ſunt profeſſi, & crucis Criſti inimicos viriliter expugnando à Chriſtianorum finibus propellere, & ad nutum & mandatum ejus qui præeſt militiæ, non impetuosè neque omni cautela ad prælia procedere, primi in progrediendo, in regrediendo poſtremi, nec enim eſt licitum terga dare fugiendo, vel ſine mandato reverti. Et quoniam ſtrenui & fortes Chriſti milites, tanquam alii Machabæi, de viribus ſuis non præſumentes, ſed in virtute divina omnem ſpem ponentes, corpora ſua pro Chriſto exponebant, ſic & Dominus cum ipſis & pro ipſis pugnabat. Unde adeo formidabiles facti ſunt, quod unus perſequebatur mille & duodecim millia, non quot eſſent, ſed magis ubi eſſent, dum ad arma clamaretur, interrogantes: Leones in bello, agni in domo, in expeditione milites experti, in Eccleſia velut Eremitæ & Monachi, inimicis Chriſti duri & feroces: Chriſtianis autem mites & benigni, vexillum bipartitum ex albo & nigro prævium habentes, eo quod Chriſti amicis candidi ſint & benigni, nigri autem & terribiles inimicis. Et quoniam religionis vigor abſque deſtrictione diſciplinæ non poteſt obſervari, viri religioſi & prudentes à principio ſibi præcaventes, & in poſterum providentes, tranſgreſſiones ſive negligentias delinquentium fratrum nullo modo diſſimulare vel impunitas præterire voluerunt, ſed quantitatem criminum & peccatorum circumſtantias circumſpecto examine diligenter ponderantes, à conſortio ſuo quodam tempore ejicientes, crucem rubeam auferentes, aliis ad condignam ſatisfactionem, de terra abſque mappa cibum tenuem ſumere coram omnibus imponentes, & ad ruborem majoris confuſionis, canes ſi ſecum irent ad manducandum non licet eos repellere: alios carceri & vinculis mancipando, ſi gravitas culpæ hoc requireret, Domino Patriarchæ Jeroſolymitano, a quo profeſſionis principium, & vitæ corporalis ſubſidium habuerunt debitam obedientiam & reverentiam humiliter exhibebant. Ex quo factum eſt, quod nomen honeſtatis & fama ſanctitatis eorum, quaſi cella aromatica redolens ſuavitatem odoris, diffuſa eſt per mundum univerſum, & repleta eſt domus ſanctæ Eccleſiæ ex odore unguenti, & memoria eorum in ore omnium fidelium, quaſi mellis dulcedo ſapiebat. Milites autem ex omnibus mundi partibus non ſolum mediocres, ſed Principes & Barones eorum exemplo mundi vincula dirumpentes, & omnibus pro Chriſto renunciantes ad eos confluebant, profeſſionis & religionis eorum cupientes eſſe participes, pompoſam mundi vanitatem & carnales delitias à ſe penitus relegantes, & tanquam ſtercora reputantes; Chriſti militiam & religionis humilitatem divinitus inſpiratam devotiſſimè amplexabantur. Unde modico tempore à Deo multiplicati ſunt, ita ut in conventu eorum plus quam trecenti equites erant, demptis ſervientibus, omnes Chlamydibus albis induti. Amplis etenim poſſeſſionibus tam circa mare quam ultra dilatati ſunt copioſè. Villas quoque & oppida & civitates, exemplo fratrum hoſpitalis ſancti Joannis, poſſidentes. Ex quibus certam ſummam pecuniæ pro defenſione terræ ſanctæ ſummo eorum Magiſtro, cujus ſedes principalis erat in Jeruſalem, mittebant annuatim; pari modo ſicut principali & ſummo magiſtro hoſpitalis ſancti Joannis Procuratores domorum, quos Præceptores nominant, certam pecuniæ ſummam ſingulis annis tranſmittunt. Fratres enim prædicti hoſpitalis ad imitationem fratrum militiæ templi armis materialibus utentes, milites cum ſervientibus in ſuo collegio acceperunt.

SÆC. XV. ANNO 1422.

*Sequens*

Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1422.

*Sequens Capitulum continet de religione fratrum hoſpitalis ſanctæ Mariæ Teutonicorum in Jeruſalem.*

QUoniam funiculus triplex difficile rumpitur, placuit igitur divinæ providentiæ prædictis duabus domibus addere tertiam, terræ ſanctæ admodum neceſſariam, quaſi ex prædictis duabus compoſitam. Poſſeſſiones enim & regulam & inſtitutionem fratrum militiæ templi tàm in bello quam in pace prorſus obſervant, infirmos & peregrinos, ſicut fratres hoſpitalis ſancti Joannis in hoſpitali ſuo, quod dicitur ſanctæ Mariæ fratrum Teutonicorum in Jeruſalem recipiunt. Eiſdem cum omni devotione & pietate neceſſaria ſufficienter miniſtrantes, Domino Patriarchæ, & aliis Eccleſiarum Prælatis humiliter obedientes. Hi autem quaſi à modico & tenui fonte principium habentes, in magnum fluvium excreverunt, beata Virgine Maria eorum Advocata: cui cum omni devotione & pietate & humilitate ſerviunt, ea tam in bonis perpetuis quàm temporalibus ſubſidia conferente, & incrementum largiente. Cum enim Civitas ſancta, poſt prædictam ejus liberationem, inhabitaretur à Chriſtianis, & multi ex Teutonicis & Alemannis, cauſa peregrinationis Jeroſolymam venientes, linguam, quam non noverant, audirent, inſpiravit divina clementia cuidam honeſto & religioſo Teutonico, qui in civitate cum conjuge ſua morabatur, quod cœnobium ſeu hoſpitale de bonis ſuis conſtitueret, quo pauperibus & infirmis Teutoniciſque peregrinis hoſpitalitatem exhiberet. Confluentibus autem ad eum ratione commercii, linguæ & voti ſui, de gente illa multis pauperibus peregrinis, quoddam compoſuit oratorium juxta prædictum hoſpitale, in honore beatæ *Dei* genitricis Mariæ. Longo autem tempore magna in egeſtate extitit hæc domus Dei, ſed de bonis ſuis & his quæ colligebat de fidelium eleemoſynis pauperes & infirmos recreabat. Quidem autem & maxime de gente Teutonicorum prædicti viri charitatem & meritum attendentes, omnibus pro Chriſto renuntiantes, ſe & ſua Deo & prædicto hoſpitali tradiderunt in miniſterio pauperum: depoſito ſeculari habitu, voto ſe aſtringentes. Procedente autem tempore non ſolum de ſimplicibus, ſed & de equeſtri ordine, & de nobilibus Alemaniæ viris utique Deo devotis prædicto ſeſe hoſpitali voto obligaverunt, paupertatem voluntariam & abjectionem in domo Domini magis quam habitare in tabernaculis peccatorum eligentes. Et ad hoc viſum eſt eis Deo gratum eſſe & meritorium, non ſolum pauperibus infirmis ſervire, ſed inſuper animas ponere pro Chriſto, & ab inimicis fidei Chriſtianæ terram ſanctam defendendo Chriſto tàm ſpiritualiter quàm corporaliter militare. Unde ſicut prædictum eſt, regulam & ſtatuta fratrum militiæ templi ita ſuſceperunt, quod opera pietatis & Deo amabilem hoſpitalitatem non reliquerunt, ſicut animalia ſancta habentia faciem hominis & leonis, & utrumque ſervitium ita religioſè & diligenter adimplentes, quod Dei & hominum gratiam promeruerunt & favorem. Ad differentiam aliorum cruces nigras chlamydibus aſſuentes. Inſuper quoque ad prolixa tempora in humilitate paupertatis & fervore religionis permanſerunt; Deus autem glorioſus, qui humiles exaltat, cujus varia ſunt dona, donavit quod in omnem terram exivit ſonus eorum.

De hoſpitali ſancti Joannis plura capitulo ſequenti.

*Nunc conſequenter dicendum eſt de multiplici genere Chriſtianorum terræ ſanctæ coadiacentium, quamvis Crucem honorent, & Chriſtiani eſſe ſe affirment, Papalia tamen ſtatuta non curant, nec alicui admittunt, ut ſequitur.*

Variæ Sectæ in Judæa.

SUnt etenim in terra ſancta Chriſtiani habitantes, fidei tamen concomitantiam non cuſtodientes; Suriani itaque à ſua civitate, quæ inter Syriæ civitates à primævis temporibus magnam obtinuit præeminentiam ſic appellantur: vel à Syria Y mutata in U. Qui in Scripturis Syri dicuntur, ſunt pro majore parte bilingues & doloſi, furtum pro peccato non reputantes, utentes idiomate Saracenorum, moreſque eorum imitantur, conjuges ſuas recludentes, filias & uxores linteaminibus undique, ne videri poſſint, involventes, barbas, ſicut omnes Orientales, non radunt, ſed diligenter amplificant & nutriunt, viros imberbes & effeminatos reputant, & inhoneſtos: Unde de quodam Baldewino Catholico Romano, qui filiam ducis Armenorum Græcæ fidei in uxorem duxerat, ut ipſe pauper à ſuo ſocero divite pecuniam poſſet extorquere, neceſſitate incumbente, dixit quod barbam ſuam, quam longo tempore nutriſſet, pro magna ſumma pecuniæ quibuſdam creditoribus obligaſſet: Socer autem dolens & admirans valde, opprobrium ſempiternum faciei ſuæ & totius generis ſui cupiens evitare, decem millia biſantorum, hac conditione dedit illi, quod de cætero nulla paupertate compellente, nullo caſu contingente, barbam ſuam præſumeret obligare. Utuntur autem Suriani in ſermone vulgari lingua Saracenica, in conventibus & aliis negotiationi-

Digitized by Google

tionibus, seu officia sua divina peragunt, idiomate Græco. Habent enim proprios Episcopos Græcos; Latinorum excommunicationes deludunt & subsannant dicentes, eosmet in sempiterna fore excommunicatione: Itidem hæsitant more Græcorum de sancta Trinitate, dicentes: Quia Spiritus sanctus à Filio non procedit, sed à Patre tantum. Cum igitur tam Græci quam Suriani omnes Latinos excommunicatos reputent, Altaria sua, supra quæ Latini celebraverint divina, prius quam ipsi in illis celebrent, abluere consueverunt. Sacramentis etiam nostris nullam exhibent reverentiam. Ipsi enim sicut & Græci ex fermento pane conficiunt Sacramentum. Quartas nuptias Græci & Suriani non admittunt. Sacerdotes & Diaconi matrimonia non contrahunt, utuntur tamen uxoribus cum quibus ante sacros ordines contraxerunt. Subdiaconatum ordinem non reputant sacrum. Diem Sabbati adeò solennem reputant, quod non licet alicui eorum ipso die jejunare, excepto Sabbato sancto Paschæ. Sabbato etiam solenniter, sicut in die Dominica celebrant, carnes in eo manducantes, à quibus feria quarta abstinent. SÆC. XV. ANNO 1422.

Sunt & alii in terra sancta Christiani, præsertim in partibus Orientalibus, Jacobini vel Jacobitæ appellati, à quodam magistro suo dicto Jacob, cujusdam Alexandrini Patriarchæ discipulo, sicut Saducæi, qui Saducum quendam magistrum legis sequuntur; resurrectionem corporum non admittunt, neque Angelos, neque Spiritus esse, sed animas judicantes interire cum corporibus. Hi tantum quinque libros Moysi recipiunt, oracula aliorum Prophetarum non attendunt. Sed prædicti Jacobini differunt ab illis, sequestrati sunt à Græcis; majorem partem Asiæ & totius Orientalis plagæ loca inhabitant. Quidam inter Saracenos, quidam segregati ab infidelium consortio proprias occupant sedes, sicut Indiani, qui contaminata Ægypto magnam partem Æthiopiæ, & plures regiones usque in Indiam citeriorem, plura regna possident: omnes enim sunt Christiani à Matthæo Apostolo, & aliis viris Apostolicis ad fidem Christi conversi. Sed postea super seminante inimico Zizania, errore decepti sic obtenebrati sunt. Parvulos suos more Saracenorum circumcidunt: confessiones suorum peccatorum non Sacerdotibus, sed soli Deo latenter faciunt, ponentes se juxta ignem, tanquam cum fumo peccata sua ascendant coram Deo. Errant miseri & pereunt ex defectu doctrinæ, ut supra dictum est de canibus lingentibus. Alius error prædictorum Jacobinorum & abusiva consuetudo, quia plures eorum cum baptisant parvulos suos, adurunt cum ferro candenti, & inprimunt cauterium, aspectus eorum signantes. Alii in modum crucis in fronte, alii in ambabus genis, putantes per ignem materialem eos expiari, attendentes quod Baptista Christi dixit: *Ipse vos baptisabit in Spiritu & igne:* Cum tamen omnibus fidelibus liqueat, quod in igne spirituali, hoc est, Spiritu sancto, fiat remissio peccatorum, & non in igne visibili. Ob hanc causam detestati sunt à Græcis & à consortio eorum omnino ejecti. Quidam enim perversè asserunt, Christum post humanam assumptionem, non ex duabus naturis existere, sed solum in eo divinam naturam permanere: Hunc errorem introduxit Eutyches, Constantinopolitanus Abbas: alii autem ex duabus naturis, unam in Christo esse naturam asserunt, Theodosius & Gajanus Episcopi Alexandrinorum, hujus erroris authores extiterunt. Constans est enim, quod secundum naturam humanitatis Christus esuriit & sitivit, mortem etiam in cruce pertulit, secundum autem naturam divinitatis mortuos suscitavit, & alias virtutes operatus est, secundum quod ipse dixit: *Antequam Abraam fieret ego sum.* Et iterum: *Ego & Pater unum sumus*; sed secundum humanam naturam idem ait: *Pater major me est.* Et iterum, de calice transferendo: *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Idem etiam Jacobini, uno tantum se digito signant, indice scilicet, dicentes, quod per hoc unitatem essentiæ profitentur in tribus personis: quidam eorum utuntur littera Arabica sive Saracenica; alii autem Chaldæa: Laici eorum secundum diversas nationes & provincias diversis utuntur idiomatibus. Linguam autem suorum Clericorum, qua in divinis scripturis utuntur, non intelligunt, licet enim littera utantur Saracenica, vulgare tamen Saracenicum hoc non repræsentat, sed quoddam proprium idioma, quod non nisi à literatis intelligi potest. *Matth. 3.* *Joan. 8.* *Joan. 10.* *Joan. 14.* *Matth. 26.*

Sunt aliæ nationes Christianorum extra terram sanctam seorsum in majori parte Indiæ habitantes, Nestoriani vocati à quodam hæresiarcha, Nestorio dicto, qui perversa sua doctrina Orientalem regionem pro magna parte infecit, & maxime illos, qui intra potentissimi Principis, quem Presbyterum Joannem vulgus appellat, commorantur, Hi omnes cum Rege suo Nestoriani sunt, qui cum Jacobitis longe plures esse dicuntur, quam Latini vel Græci. Ut enim de his qui seorsum habitant, quorum infinitus est numerus, taceamus, inter Saracenos non pauciores, ut creditur, Christiani sunt eisdem infidelibus commixti, & eorum dominationi subjecti, quàm sunt ipsi Saraceni: qui licet legem pestiferam Machometi recipere noluerunt, ab hæreticis tamen lamentabiliter sunt corrupti. Prædictus autem filius perditionis Nestorius Constantinopolitanus Episcopus & omnes sequaces ejus beatam Virginem Mariam negant esse matrem



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1422.

Dei, ſed Matrem hominis affirmant: aliam aſſerentes perſonam divinitatis in Chriſto, & aliam humanitatis, & ſecundum duas naturas, duas in Chriſto diſtinguentes perſonas, nec unum Chriſtum in verbo Dei & carne credunt, ſed ſeparatim atque ſejunctim alterum Filium Dei, alterum Filium hominis affirmant. Hæc hæreſis in Epheſina Synodo, quæ facta fuit tempore Theodoſiii ſecundi ſub Papa Cæleſtino, fuit condemnata, & incepit anno Domini 433. De iſta ſecta fuit Machometus à Sergio Monacho apoſtata inductus. Iidem Neſtoriani Chaldæa littera utuntur, & ex fermento, more Græcorum, Sacramentum conficiunt.

Sunt alii in Phœnice provincia circa montem Libani habitantes, numero pauci, arcubus & ſagittis edocti, Maronitæ nominantur à quodam magiſtro eorum Marone dicto. Qui unam voluntatem, & unam tantum operationem in Chriſto aſſerebat, cujus erroris author extitit quidam Antiochenus Macharius Epiſcopus: utuntur autem prædicti Maronitæ littera Chaldæa & lingua Saracenica ſive Arabica.

Gentes autem quæ in terra Armeniæ commorantur, Armeni dicti ſunt, ab omnibus Chriſtianis prædictis ritus habent ſingulares, & proprias obſervantias, habitu & geſtu ab omnibus diviſi, habent enim proprium Primatem, quem Catholicon dicunt, cui cum ſummo honore & reverentia, tanquam alteri Papæ, obediunt. Inter hos & Græcos diſcordiæ ſunt & diſſenſiones implacabiles, habent enim proprium idioma & ſpeciales litteras, & in vulgari ſermone divinas Scripturas pronuntiant, ita quod Sacerdotes eorum à laicis intelliguntur, ſicut dictum eſt de Græcis. Nativitatem Domini ſecundum carnem non celebrant, ſed in die Natalis Domini ipſi jejunant: in die apparitionis, id eſt, Epiphaniæ, etiam celebrant feſtum Dominici Baptiſmi; & eodem die feſtum ſpiritualis Nativitatis Dominicæ aſſerunt ſe celebrare. Quadrageſimam quæ eſt ante reſurrectionem Domini ita ſtricte jejunando obſervant, ut non ſolum à carnibus & lacticiniis abſtineant, imo etiam piſces non manducent: oleo non utuntur, vinum non bibunt, ſi jejunium ſit. Fructus autem & legumina quando eis placet in die manducant. Gravius illum peccare dicunt qui in Quadrageſima piſces comedit, aut vinum bibit, quam illos qui fornicantur. In hebdomada ſexageſimæ, ita ſtricte jejunant, quod in feria ſecunda penitus ab omni alimento abſtineant: feria tertia aliquid comedunt, ſine tamen oleo & vino: feria quarta iterum abſtinent: feria quinta ſemel comedunt: feria ſexta nil comedunt, Sabbato comedunt carnes. Infantes duorum menſium etiam Euchariſtia communicant. Poſt Paſcha comedunt carnes per omnes ſextas ferias uſque ad Pentecoſten: Vigilias & feſta Sanctorum non ſanctificant: Quatuor tempora neſciunt. In Quadrageſima non celebrant niſi diem Dominicum: dicunt enim hominem non jejunare, cum celebrat vel otiatur. Per circulum anni habent officia diebus hebdomadæ appropriata, unicuique diei ſuum officium, & illis continue utuntur, ſicut & nos habemus de Pſalmodia nocturnos ſingulos ſingulis diebus appropriatos, & ipſis uteremur, ſi non eſſet impedimentum de feſtis. De Purgatorio nil credunt; nec quod Chriſtus duas naturas habuerit: aquam cum vino non fundunt, ſed vinum ſolum conficiunt. Licet hi Romanæ Eccleſiæ obedientiam promiſerint, quando Rex eorum ab Imperatore Henrico terram ſuam recepit: ritus tamen veteres mutare noluerunt.

Præterea eſt in Regione Orientali quidam alius Chriſtianorum populus bellicoſus & Saracenis formidabilis, Perſis, Medis & Aſſyriis, in quorum confinio commoratur, & ab infidelibus populis undique clauditur. Hi homines Georgiani dicuntur, eo quod ſanctum Georgium in præliis ſuis contra gentem incredulam advocatum habent & patronum, & tanquam ſigniferum cum reverentia colunt, & in præliis ſuis ſpecialiter invocant. Utuntur autem idiomate Græco in divinis Scripturis, & Græcorum conſuetudines in Sacramentis obſervant. Clerici eorum rotundas habent coronas, laici vero quadratas. Alio nomine vocantur Chriſtiani de cinctura, ideo quia ſanctus Georgius anguem cinctura ligavit, & tradidit puellæ. Quotieſcunque ſepulchrum Dominicum viſitaturi adveniunt, abſque tributo Templum ingrediuntur: Vel poſſunt ideo Georgiani dici à Georgia, tali patria ſive terra, quæ ab antiquis temporibus Patriarchæ Antiocheno erat ſubjecta; ſimiliter Armenia & Cappadocia ſive Tarquia. Inter Georgianos & Armenos eſt maximum odium & implacabilis inimicitia, in tantum, quod dicit & docet Georgianus: Si quis noſtrum habuerit ſpinam pedi infixam tranſiens ante Armeniorum Eccleſiam, debet ſpinam ſuſtinere, nec ad pedem ſuum cauſa evellendi inclinare, ne videatur ante Armenorum Eccleſiam, ab omnibus Chriſtianis vilipendendam, inclinare, &c.



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1422.

*De constructione Ecclesiæ sanctæ Mariæ de Latina, & de hospitali sancti Joannis, de quo fratres nomen acceperunt : Sequitur capitulum.*

CVm civitas sancta sub dominio Saracenorum teneretur, multi tamen Christiani de gente paganica patriam suam deserere noluerunt, sed inter eos multum oppressi habitabant. Princeps autem Ægyptius, qui universas regiones à Laodicia Syriæ usque ad extremam civitatem Ægypti, Alexandriam possidebat, quartam partem Jerosolymitanæ civitatis ex parte Dominici sepulchri Surianis Christianis & Patriarchæ eorum sub annuali tributo ad inhabitandum concessit, alias vero tres partes habebant Saraceni. Unde ex Occidentalibus partibus cæterisque longinquis regionibus ad terram promissionis veniebant Christiani, quidam causa negotiationis, alii causa devotionis & peregrinationis, dato Saracenis tributo, loca sancta visitabant: inter quos quidam de Longobardis & maxime Almaphiani de Civitate Olympia septem millaria à Salerno distante, quia merces peregrinas offerebant, & Principem Ægyptiorum tributis & muneribus sibi benevolum & placatum reddiderunt. Et ideo apud eum optimas conditiones invenerunt, unde ab ipso facile obtinuerunt, ut in honore beatæ Mariæ prope Ecclesiam Dominici sepulchri, quantum jactus est lapidis, Ecclesiam Latinorum construerent, eo quod Suriani Christiani consuetudines Græcorum & statuta in divinis officiis observabant, unde usque in hodiernum diem prædictam Ecclesiam dicunt Beatæ Mariæ de Latina: Latinum enim Abbatem & Monachos more Latinorum divina celebrantes in ea instituerunt. Tempore procedente extra septa Monasterii prædicti, in quo mulieres peregrinas decenter reciperent, & ut Monachi ibidem continentius manerent, aliud ordinaverunt Monasterium in honore sanctæ Magdalenæ, quo sorores mulieres Religiosas, quæ peregrinis mulieribus Latinis in prædicto loco ministrarent, & eas ad hospitandum reciperent, statuerunt. Tandem confluente peregrinorum multitudine, ita quod prædicta Monasteria ad recipiendum omnes pauperes, infirmos & afflictos non sufficerent, juxta Ecclesiam prædictus Abbas & Monachi ad opus infirmorum & egenorum hospitale & capellam in honore sancti Joannis Eleemosynarii in eodem loco construxerunt. Hic vir sanctus & Deo gratus per omnia commendabilis, Cyprius natione fuit, & meritis sanctitatis exigentibus, ad Patriarchatum Alexandrinum fuit vocatus, ut qui in Eleemosynis & cæteris operibus pietatis fulgebat: Et quia à principio prædictum hospitale sancti Joannis redditus & alias possessiones non habebat, de fragmentis & reliquiis mensarum utriusque Monasterii, & de quibusdam Eleemosynis fidelium Abbas de Latina, ad quem spectabat illud, pauperibus & infirmis faciebat provideri. Postquam autem divinæ placuit pietati, ut ad civitatem redemptionis nostræ veniret Gotfridus, de quo superius dictum est, & alii fideles Christiani, qui eam ab impiorum manu & dominio liberaverunt, & eam restituerunt cultui Christiano, vir quidam sanctæ vitæ & probatæ Religionis, nomine Geraldus, qui longo tempore de mandato Abbatis in prædicto hospitali pauperibus devotè ministraverat, adjunctis sibi quibusdam & honestis & religiosis viris regularem habitum suscepit, in vestibus suis nigris Albam crucem exterius effigians in pectore, Regulæ salutari & honestis institutionibus, facta solenniter professione, seipsum obligavit. Cui etiam mulier quædam, Agnes nomine, ratione nationis, nobilis genere & opere, in Monasterio pauperum adjuncta, eundem humilitatis habitum votivè suscepit. Prædicti igitur fratres humiliter & devotè Domino servientes, & infirmis pauperibus de paupertate sua diligenter ministrantes, in agro Acheldemach mortuos suos sepeliebant. Abbati autem sanctæ Mariæ, qui prædicti hospitalis principium extiterat, & tam ipsos quam infirmos eorum de propria mensa diu sustentaverat; primum tamen protectorem beatum Joannem Eleemosynarium devotissimè venerantes, & ipsum dominum & advocatum suum profitentes: domino etiam Patriarchæ Jerosolymitano devote obedientes; de bonis suis decimas secundum præcepta novi & veteris Testamenti reddebant: orationi vacantes, vigiliis & jejuniis seipsos affligentes, operibus misericordiæ assidue adhærentes; parci sibi & austeri, pauperibus autem & infirmis, quos dominos suos appellabant, largi & misericordes existebant: panes de pura simila largiebantur infirmis, residuum vero cum furfure ad usus proprios reservabant. Si quis autem inter ipsos delinquebat in aliquo, nullo modo relinquebatur impunitum, ne facilitas veniæ præberet ansam delinquendi aliis, secundum quod culpæ reatus exigebat, ita puniebantur. Quidam signo crucis à vestimentis evulso, tanquam membra putrida ejiciebantur: alios vinculis & carceri mancipabant: alios ad pedes fratrum in terra cibum parcissimum usque ad condignam satisfactionem sumere decernebant. Et quoniam Deus erat cum eis, quia ab omnibus amabantur; unde factum est, quod in omnem terram Christianorum exivit sonus eorum. Insuper ex omni natione & lingua post terræ sanctæ liberationem, Christi fideles sepulchrum Domini visitaturi, Jerosolymis



Digitized by Google

Sæc. XV. Anno 1422.

lymis confluebant, largitione Principum & Eleemoſynis fidelium modico tempore adeo ditati ſunt, quod ab univerſis Occidentalibus provinciis reditus copioſos colligentes, caſtella ſibi & oppida, tanquam terræ principantes, ditioni ſuæ ſubjecerunt. Religio fratrum hoſpitalis ſancti Joannis Jeroſolymæ, de quibus nunc dictum eſt: incepit circa annum Domini milleſimum centeſimum triceſimum. Et fuit poſt captionem terræ ſanctæ factum per Gotfridum, ut ſupra dictum eſt; & fuit tempore Lotharii Imperatoris. Sequitur ex præmiſſis, quod à principio hujus religionis uſque ad tempus ſcripturæ præſentis libelli, ſcilicet milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo quarto, fluxerunt anni ducenti triginta quatuor, &c.

*Sequitur de Patriarchatu Jeroſolymitano & Metropolitanis, id eſt, Archiepiſcopis & Suffraganeis, id eſt, Epiſcopis ejus.*

PRimus Epiſcopus Jeroſolymitanus fuit beatus Jacobus minor, frater Domini. Poſtea uſque ad tempora Juſtiniani non niſi ſimplices habuit Epiſcopos. Temporibus verò Imperatoris prædicti in Synodogenerali apud Conſtantinopolim, ob reverentiam civitatis Sanctæ, in ea conſtituerunt Patriarcham, quoſdam ſuffraganeos ab Antiocheno & Alexandrino ſubtrahentes, eo quod in confinio & in limite horum duorum Patriarchatuum erat conſtituta. Patriarchatus itaque Jeruſolymitanus habet ſub ſe IV. metropolitanos: Primus eſt Tyrenſis, continens ſub ſe quatuor ſuffraganeos, ſcilicet Acconenſem, Sydonienſem, Berithenſem, & Paneadenſem. Eſt autem Paneas civitas illa, quæ nunc vulgariter Belinas nuncupatur ad radicem montis Libani ſita. Secundus Metropolitanus eſt Cæſarienſis, unum tantum ſuffraganeum habens, ſcilicet Sebaſtienſem, Sebaſtia enim alio nomine dicitur Samaria, quæ fuit caput regni Jeruſolymitani, ibi fuerunt Joannes Baptiſta, Heliſæus & Abdias. Civitas autem quæ Baiſa dicitur, ſive Porphyria, non habet Epiſcopum, eſt autem in propinquo Archiepiſcopus Cæſarienſis. Tertius Metropolitanus eſt Nazarenus, unum habens Suffraganeum, ſcilicet Tiberiadenſem Epiſcopum. Eſt autem Tiberias ſuper mare Galilææ ſita, frumenti, vini, piſcium ubertate redundans. Quartus Metropolitanus eſt Petracenſis, unum tantum Suffraganeum habens Epiſcopum Græcum in monte Sinai, in Eccleſia ſanctæ Catharinæ, & Monachis ejuſdem Eccleſiæ præfectum. Eſt autem Petra deſerta civitas munita, quæ vulgari nomine *Crach* dicitur. Habet etiam Patriarcha Jeruſolymitanus quatuor Suffraganeos ſibi ſubjectos, ſcilicet Bethlemitanum, Ebronenſem, Aſcalonenſem & Lidienſem: Fuit autem Lidia civitas, quæ Dioſpolis dicitur, nunc autem ad ſanctum Georgium dicitur.

Habet inſuper prædictus Patriarcha Abbates & Priores ſibi ſubſtitutos, baculos, mitras, annulos & ſandalia habentes, Patriarchæ aſſiſtentes in miniſterio. Patriarchalis ſiquidem Eccleſia, quæ eſt Dominici ſepulchri ſub monte Calvariæ, habet Canonicos regulares ſecundum habitum & Regulam beati Auguſtini viventes. Habent autem Priorem, ad quem cum prædictis Canonicis pertinet eligere Patriarcham, qui eſt eis loco Abbatis.

Notandum quod omnes Orientales Prælati, exceptis duntaxat Latinis, annulis & mitris Pontificalibus non utuntur, ſed baculos paſtorales portant in manibus, nec uſum habent campanarum, ſed percuſſis malleolo vel baculo tabulis populum ad Eccleſiam ſoliti ſunt congregare, ſicut Armeni & Maronitæ, Græci & Jacobitæ, &c. de quibus reſcriptum. In Eccleſiis autem templi Domini, ſcilicet, in monte Sion & monte Oliveti, ſunt Abbates & Canonici, ſecundum prædictam Regulam Deo ſervientes. In Monaſteriis verò de Latina & vallis Joſaphat, ſunt Abbates cùm Monachis nigris, ſecundum Regulam beati Benedicti Domino famulantes. In Bethania eſt Abbatiſſa & Moniales nigræ, ejuſdem Ordinis Regulam profitentes: hujus etiam profeſſionis eſt Abbatia ſanctæ Annæ matris beatæ Virginis, juxta probaticam piſcinam, prope portam beati Stephani ſita, in quo loco beata virgo nata fuiſſe perhibetur, in quo eſt Abbatia cum monialibus nigris, ſub beati Benedicti Regula Deo ſervientibus, tanquam cella aromatica caſtis & Deo devotis perſonis erat referta, quæ religionis diſtrictionem, vitæ honeſtatem, & caſtitatis fervorem nulla compellente adverſitate vel proſperitate mundi reliquerunt. In monte Thabor eſt Abbatia nigrorum Monachorum ſub Metropolitano Nazareno. Joppenſis civitas non habet Epiſcopum, ſed ſubeſt Priori & Canonicis Dominici ſepulchri. Civitas Neapolis, quæ in Evangelio Sichar dicitur, ubi eſt puteus Jacob, ſuper quem ſedit Dominus, caret Epiſcopo. Multæ aliæ ſunt civitates in terra ſancta, quæ licet ante tempora Latinorum proprios haberent Epiſcopos Surianorum & Græcorum; Latini tamen propter multitudinem & inopiam eorum, ne dignitas Epiſcopalis vilipenderetur, Epiſcopali dignitate eas privaverunt. Et duas Eccleſias quæ prius Epiſcopales non erant, propter dignitates eorum Epiſcopales fecerunt, ſcilicet Eccleſiam Bethlemiticam, quæ prius Canonicorum Regularium Prioratus

Digitized by Google

tus fuit, propter Dominicæ nativitatis excellentiam, Rex Baldewinus ipsam Cathedrali dignitate sublimavit. Similiter Ebronensis Ecclesia, quæ prius Prioratus extitit, propter loci dignitatem, in qua sepulti sunt quatuor sancti Patres, Adam, Abraam, Isaac & Jacob, ad temporalem dignitatem sublimata est. SÆC. XV. ANNO 1422.

Quidam Christiani Deo devoti, exemplo Domini spiritualiter ducti desertum illum desirabilem, qui Quarentana dicitur, ubi Dominus jejunavit, ut vitam ducerent eremiticam, præeligentes, in modicis cellulis Domino devotissime militabant. Alli verò exemplo Heliæ in monte Carmelo, & maxime in parte illa quæ supereminet civitati Porphyriæ, quæ nunc Caifa dicitur, juxta fontem Heliæ, non longè à Monasterio sanctæ Margaritæ vitam agebant solitariam in alvearibus modicarum cellularum rupium, tanquam Domini specialem dulcedinem mellificantes. Hic Carmelus quo conversatus est Helias, situs est in maritimis Accon. Sed alter est Carmelus trans Jordanem juxta desertum solitudinis, in quo latuit David fugiens à facie Saul, ubi erat habitatio Nabal viri stulti. Quamplures etiam habitabant in solitudinibus Jordanis, ubi beatus Joannes baptisavit, mortui enim mundo, ut viverent Deo, ibidem sepulturam sibi elegerunt. Ibidem non longè est Monasterium sancti Hieronymi, ubi fatetur se stetisse per quadriennium in vasta solitudine, quæ exurebatur solis ardoribus. Alii elegerunt sibi vitam solitariam in deserto illo, quod adjacet mari Galileæ, ubi Dominus multitudinem populi pavit, & variis miraculorum signis regionem illam illustravit. Alii in monte propinquo, in quo Dominus seorsum à turba consueverat solus orare. Nonnulli autem in monte Thabor, qui sublimis est & arduus, quo Dominus transfiguratus est.

*Sequitur de portis quæ erant in muro civitatis sanctæ Jerusalem, quas etiam recolit textus sacræ scriptura, & sunt octo in numero.*

*Prima* vocabatur porta David, & erat in latere montis Sion in angulo Occidentis, fuit autem sic dicta pro eo, quod turris David eidem imminebat. Dicta etiam fuit porta piscium, eo quod per eam fuit via de Joppe & Diospoli, & maritimis, etiam per eam veniebant negotiatores de Æthiopia & Ægypto, merces diversas adducentes: Hæc enim porta fuit in antiquo muro, & conjungitur ei adhuc hodie murus partis illius quæ fuit apposita propter sepulchrum Domini includendum. De ista porta procedebat via in tres partes divisa, una super agrum Fullonis, & una quæ erat sinistra, ducebat in Bethleem & Ebron. Inde alia dependebat ad dextram per vallem Raphaim sub castro Bethsura, quod est stadiis quinque à Jerusalem.

Secunda dicebatur porta vetus, & erat ab ista contra Aquilonem in muro veteri, & manserat à tempore Jebusæorum. Dicta etiam fuit porta judiciaria, quia judicia ibi exercebantur, & quæ judicata fuerant per sententiam definitivam ibi executioni mandabantur. Non longe extra hanc portam Dominus crucifixus est.

Tertia erat porta Effraim à superiori parte contra Aquilonem, per hanc erat via in montem Effraim & Samariam & Galilæam. Huic adhærebat murus, qui à turri David usque ad hanc portam erat factus, ad sepulchrum Domini includendum cum muro veteri: Dicta etiam erat porta Benjamin, quia in Anathot & ceteras urbes hujus tribus ducebat. De porta Benjamin require Hieremiæ vicesimo: Ista nunc dicitur porta Stephani, quia extra ipsam fuit lapidatus. *Hierem.20.*

Quarta porta fuit anguli, & erat à superiori Orientalis in angulo muri super torrentem Cedron. Unde in libris Regum legitur: Quod Joas Rex iste interrupit murum Jerusalem à porta Effraim usque ad portam anguli quadringentis cubitis ample. *4. Reg. 14.*

Quinta erat porta sterquilinii; per hanc tempore pluviæ descendebant sordes civitatis in torrentem Cedron: Per istam portam erat via in desertum quod est inter Jerusalem & Jericho.

Sexta porta erat vallis, & dicebatur porta gregis immolandi ad Templum, cui adjungebatur & quasi adhærebat probatica piscina, in qua hostiæ lavabantur. Huic portæ adhæret turris Ananael, quæ etiam nebulosa dicebatur. Unde illud: ædificabitur Domino civitas à turre Ananael usque ad portam anguli, quæ est Porta Benjamin: hanc turrem Herodes magnus instauravit, & appellavit Antoniam, ad honorem cujusdam Antonii; hæc ducit ad montem Oliveti & Bethaniam & Jordanem. *Hierem.31.*

Septima est porta aurea, hæc non ducebat in civitatem immediatè, sed in Templum per compendium de monte Oliveti per testudinem quandam factam per vallem Josaphat, & intra hanc erat porta Templi speciosa contra Occidentem.

Octava est porta aquarum, quia per eam portabantur aquæ de natatoria Siloë, erat autem facta in angulo, contra partem illam, ubi mons Sion & mons Moria, id est, mons herbarum conveniunt in angulo duorum murorum, scilicet monte Sion & muro qui cingebat domum Regis, ducebat autem ad fontem Siloë & ad vallem filiorum Ennon, & ad fontem Rogel, & ad agrum Acheldemach.



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1422.

Non credo quod plures portas ipsa civitas habuerit, quia secundum situm plures non potuerunt esse, forte aliqua de istis poterat alio nomine appellari. Celebriores tamen in his sunt tres exitus portarum, scilicet prima, tertia & quarta inter octo jam enumeratas. A meridie autem & Aquilone montis Sion supercilium supereminet civitati, & ea pars murorum circumpositis turribus nullas habere portas comprobatur. Ecce civitas Regis magni quam universæ Ecclesiæ personare non sufficiunt. In cujus murorum ambitu octoginta tres turres, & septem munita castra fuerunt, quorum vestigia maxime ad Aquilonem adhuc manifesta hodierna die.

*Sequitur de amissione Terræ sanctæ.*

SCripsi enim in præcedentibus mente lugubri de perditione terræ sanctæ, tempore Guidonis Regis in Jerusalem. Nunc autem flens dico, quia inimici crucis Christi non solum in Regnum Jerusolymitanum irruerunt, imo etiam plura loca sancta usque ad interemptionem contriverunt. Anno itaque ab incarnatione Domini millesimo centesimo octogesimo septimo, quarta die Julii, Christianus exercitus à Saladino Soldano Babyloniæ victus succubuit, Guidone Rege capto, Baronibus & populo vniverso. Et sancta Crux quam in exercitu boni deferebant, capta est & perdita, ita quod nunquam potuit inveniri usque in hodiernum diem, quam etiam ipsa Saladinus fecit inquiri, & non potuit invenire. Eodem anno secunda die Octobris civitas Jerusalem reddidit se Saladino Soldano Babyloniæ. Similiter & omnes civitates Regni Jerusalem libere se subjecerunt, excepto Tyro, quam Marchio montis Ferrati contra omnes Saracenos tam in mari quam in terra obtinuit animosè.

Anno Domini millesimo centesimo nonagesimo, Imperator Romanorum Fridericus primus, Philippus Rex Francorum, Richardus Rex Anglorum, venerunt ad terram sanctam pro ipsius liberatione de manibus Saracenorum, sed prô dolor, Imperator fuit intoxicatus in Cilicia, & in Antochia tumulatus. Sequenti anno prædicti Reges, scilicet Philippus & Richardus ceperunt civitatem Acconensem de manibus Saladini, undecima die mensis Junii, capta tamen prius Cypro.

Anno Domini millesimo centesimo nonagesimo tertio præfatus Rex Angliæ fecit Treugam cum Saladino, & recuperavit Joppen, (a) Arsuf, Cæsaream, Caifam; sive Porphyriam civitates Regni Jerusalem, & reversus est in Angliam. Eodem anno mortuus est Saladinus Rex.

(a) *Arsur.*

Anno milleno ducenteno decimo septimo, Rex Hungariæ venit cum duce (b) Arestiæ & magna multitudine populorum cruce signatorum Alemanniæ & Hungariæ ad terram sanctam.

(b) *Austria.*

Anno Domini milleno ducenteno decimo nono, Christianus exercitus cepit Damiatam quinta die Novembris: sequenti anno eandem civitatem perdiderunt, & multi de Christianis fuerunt capti, pro quorum redemptione restituta erat civitas Saracenis, tunc temporis beato Francisco in ea existente. Eodem anno quando capta erat Damiata per Christianos, Coradinus filius Soldani destruxit muros & turres, & extitit causa malevolæ vindictæ civitatis sanctæ, Templum autem & Ecclesiam Dominici sepulchri, & castrum David non tetigit, consilio super hoc accepto.

Anno Domini millesimo ducentesimo vicesimo nono Fridericus secundus Romanorum Rex Imperator fecit Treugam cum Soldano Babyloniæ nomine Olequemel: Et redditæ sunt Christianis civitates, scilicet Jerusalem & Nazareth, & tenuerunt eas annis quindecim. Fluxerunt autem à captura Jerusalem facta per Saladinum, usquequo fuit reddita Christianis ab Olequemel Soldano, anni quadraginta & unus.

Anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo quarto, Saraceni ceperunt civitatem Jerusalem, quæ Kudos, id est, sanctum, eorum lingua dicitur, & interfecerunt quinque millia Christianorum quos in ea invenerunt. Opera sumptuosa parietum & testudinum, & frontispicia Ecclesiæ sancti Sepulchri destruxerunt, & imagines penitus comminuerunt.

*Sequitur de adventu Regis Ludovici ad terram sanctam.*

ANno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo octavo, die decima septima mensis Septembris, beatus Ludovicus Rex Francorum applicuit Cyprum & per hyemem ibi pausavit. Sequenti anno penultima die Maji cedens abiit Damiatam. Et quinque diebus existens in itinere maris, quarta die Junii applicuit Damiatam: Quinta die ejusdem mensis possedit eam & tenuit per annum. Eodem anno erumpebat in meridie tanta tempestas aquæ, quæ fregit quinquaginta magna vasa in portu Accon, & in portu civitatis Damiatæ triginta naves collisit, ita quod omnibus diebus tunc temporis nunquam erat audita tanta tempestas maris. Sequenti anno, scilicet millesimo, ducentesimo

Digitized by Google

teſimo quinquageſimo fuit captus Rex Ludovicus à Saracenis in principio Aprilis, pro cujus liberatione iterum reddita eſt Damiata Saracenis pro ſumma mille centum marcarum argenti. Et ſic eodem anno venit Accon, firmans unam partem ſuburbii Accononenſis: Sequenti anno ivit ad fortificandum Cæſaream. Iterum ſequenti anno munivit Sydonem. Iterum ſequenti anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo quarto ipſe Rex Franciæ cum uxore ſua receſſit de Accon, in die beati Marci, cum octo navibus & quatuor galleis. Ex ſupradictis apparet, quod ab ultima perditione Damiatæ uſque ad tempus ſcripturæ præſentis libelli, quod fuit anno milleno tricenteno ſeptuageſimo tertio, fluxerunt anni centum viginti quinque. SÆC. XV. ANNO 1422.

Anno Domini milleſimo ducenteſimo octogeſimo nono, die decima ſeptima Martii, Melechmeſer Soldanus Babyloniæ obſedit Tripolim. Die autem viceſima ſexta Aprilis in craſtino beati Marci civitas capta fuit, quam ſuccendit & deſtruxit. Sequenti anno idem Soldanus in itinere quo veniebat ſuper Accon, veneno interiit. Et adjuravit filium ſuum, quod non ſepeliret corpus ſuum, quouſque caperet Accon & totam Syriam.

Anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo primo quinta die Aprilis, Melechſeraph Soldanus Babyloniæ, filius Melechmeſer, obſedit Accon, habens ſecum in exercitu centum quadraginta millia hominum, & erexit quatuordecim machinas contra civitatem, & fecit plures foveas ſub terra ad civitatem: die autem decimo octavo menſis Maii, feria ſexta, ceperunt civitatem, interficientes Chriſtianos ſingulos quos invenerunt, & in quatuor partibus civitatem accenderunt. Multi autem Chriſtiani ad mare fugientes, aliqui in barcis evaſerunt. Sed prô dolor tanta tunc fuit tempeſtas maris, quod barcas non potuerunt applicare, ac per hoc multi ſuffocati ſunt, qui etiam ad mare ſe miſerunt, ut natando pervenirent ad (a) vaſa. Ecce dies calamitatis & anguſtiæ. Aliqui collegerunt ſe in domibus Templariorum, ſperantes invenire auxilium, ſed deſiderio eorum fraudati, reddiderunt ſe Soldano, qui non ſervans eis pacta, multos occidit; aliquos in Sclavos & Sclavas reſervavit. Hoc audito, Tyrenſes & Sidonenſes relinquentes civitates eorum fortiſſimas effugerunt. (b) Barrutenſes verò credentes verbis pacificis Saracenorum, proditoriè detenti ſunt, & in Babyloniam miſſi. Et ſic tota Syria poſſeſſa erat per Saracenos. Ex prædictis patet, quod recuperata civitate Accon, poſt amiſſionem terræ ſanctæ, Chriſtiani tenuerunt eam annis quinquaginta ſeptem, & perdiderunt eam. Poſtea nota vindictam. Soldanus itaque Babyloniæ præfatus, qui ceperat Accon à ſuis interemptus fuit in venatione, anno ut ſupra diximus. Eodem anno etiam omnes (c) magis admirati orto inter eos ſchiſmate, mutuo interfecerunt ſe: major etiam pars illius infidelis populi illo anno fame interiit. (d)

(a) Id eſt naves. Vas, inde Gallis Vaiſſeau. BASN.

(b) Barachenſes.

(c) Locus videtur mendoſus.

(d) Deſinit hic prior tractatus, incipit aliud fragmentum incerti autoris; alius eſt enim plane ſcopus hujus ſcriptoris. BASN.

Anno Domini centeſimo decimo nono, imperante Ælio Adriano, duodecimo ab Auguſto, ſepulchro & monte Calvariæ extra civitatem exiſtente, hic Imperator civitatem à Tito & Veſpaſiano deſtructam reparavit, vicos & plateas decenter ornavit, ductus aquarum conſtruens, quibus pluviali tempore civitas à ſordibus mundaretur, non tantum civitatem amplificavit, ſed & rogatu Chriſtianorum locum Dominici ſepulchri, & alia loca ſancta illi convicina infra murorum ambitum incluſit, in quo loco poſtea populus Chriſtianus fabricam mirandi operis dedicarunt. Apparet quod iſta deſtructio facta per Titum, filium Veſpaſiani, duraverit annis quadraginta ſex. Ideo, quia idem Titus expugnavit civitatem anno quinquageſimo à paſſione Domini; anno autem centeſimo decimo nono ab ejus Incarnatione reparata fuit, Ælio præfato favente: ſimiliter fabricatio templi in ea forma qua nunc eſt.

Quidam autem dicunt fuiſſe reformatum ſub Conſtantino Imperatore ab Helena matre ſua, ob reverentiam ſanctæ crucis ibi repertæ. Et ſi ſic eſſet, tunc deſtructum jacuiſſet annis ducentis triginta ſex & paulo plus, tot enim anni fluxerunt à tempore captionis civitatis Jeruſalem per Titum, uſque ad principatum Conſtantini. Dicendum eſt, ſi dubitatur de certo tempore reparationis Templi, tamen hoc eſt verum, quia prædicta Helena conſtitui fecit Baſilicam reſurrectionis, ob reverentiam crucis ibi inventæ. Conſtantinus regnare cepit anno Domini trecenteſimo nono, & imperavit annis 34. & ſex Menſibus: iſto intermedio curatus erat à lepra, & dotavit Eccleſiam. Helena autem mater ejus veniens Hieroſolymam, & inventa ibi cruce plures ædificavit Eccleſias, & indulgentias earundem Eccleſiarum impetravit à Papa Silveſtro. Quidam autem affirmant Templum ſepulchri fuiſſe reparatum tempore Heraclii Imperatoris, qui regnare cepit anno Domini 618. Nam in quinto anno ſui Imperii, Coſdroë Rex Perſarum cepit & evertit muros ejus, & Eccleſias deſtruxit. In ſeptimo verò anno ſurgens contra eum Imperator Heraclius ſuperavit & interfecit eundem Coſdroën; & recuperata ſancta civitate multas Eccleſias reformavit, ſimiliter & murum ampliavit, montemque Calvariæ & quædam plurima loca illi convicina intercluſit intra murum civitatis, ſicut antea fecerat Ælius Adrianus. Hic Heraclius poſt viceſimum annum ſui Imperii errans declinavit à fide Catholica, ex ſuggeſtione Cyri Epiſcopi Alexandriæ & Sergii Patriarchæ Conſtantinopolitani, qui prædicabant unicam fuiſſe in Chriſto naturam, ut ſupra dictum eſt. Viceſimo

Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1422.

simo anno Imperii hujus Heraclii incepit secta Saracenorum sub Machometo Propheta eorum, & fuit anno ab incarnatione Domini sexingentisimo tricesimo tertio. Vixit idem Machometus annis sexaginta tribus.

Salomon autem, ut legitur, cepit regnare ab egressione filiorum Israël de Ægypto (a) quadringenta septuaginta sex annos, & regnavit quadraginta annis. Quarto anno regni cepit ædificare Templum Domini in Jerusalem de marmore candido. In septem annis & sex mensibus illud complevit, Post hoc cepit ædificare domum suam regalem, & complevit in tredecim annis; deinde convertit animum suum ad construendos muros civitatis, & vias regias ad civitatem ducentes stravit nigro lapide. Tempore autem Sedechiæ Regis & Jeremiæ Prophetæ, venit Nabuchodonosor Rex Babylonis & Nabusardan Princeps exercitus ad Jerusalem, & comprehenderunt Regem, & populum Judæorum duxerunt captivum in Babyloniam, & Nabusardan Templum & civitatem incendit, & murum ejus destruxit, & vasa omnia transtulit in Babylonem. Nota, ab inceptione Templi prædicti usque ad ejus incendium fluxerunt anni quadringenti & quadraginta unus.

(a) *quadringentesimo septuagesimo sexto anno.*

(b) Tertius mihi videtur hic scriptor, qui novam exorditur narrationem de Mahometo, nec conveniunt quæ sequuntur cum iis, quæ mox narrabat author: *Mortuo itaque Papa &c.* BASN.

## (b) *De Machometo Pseudopropheta.*

*Mortuo* itaque Papa Gregorio successit ei Sabinus, & Sabino Bonifacius tertius; ad cujus preces Phocas Imperator donavit Ecclesiæ Christi Pantheon circa annos Domini sexcentos decem. Et ad preces ejusdem Bonifacii statuit Romanam sedem esse caput omnium Ecclesiarum. Nam Ecclesia Constantinopolitana se primam omnium Ecclesiarum scribebat. Hujus Bonifacii tempore, mortuo Phoca & regnante Heraclio, circa annos Domini ut supra, Machometus Pseudopropheta Agarenos sive Ismaëlitas, id est, Saracenos decepit, sicut legitur, & seduxit hoc modo: Clericus quidam valde famosus cum in Romana curia honorem quem cupiebat consequi non potuisset, indignatus, ad partes transmarinas confugiens, sua simulatione innumerabilem populi multitudinem ad se traxit, invenienque Machometum, cui pollicens dixit, quod ipsum illi populo præficere vellet, nutrienque columbam, grana & alia hujusmodi in auribus Machometi ponebat: Columba igitur super humeros ejus stans de auribus ejus cibum sumebat; sicque jam adeò assuefacta erat, quod quandocunque Machometum videbat, protinus super ejus humeros volitans rostrum in aurem ejus ponebat. Prædictus igitur Clericus populum convocans dixit, se illum sibi velle præficere, quem Spiritus sanctus in specie columbæ monstraret. Statimque columbam secreto emisit, & illa super humeros Machometi, qui cum aliis stabat, evolans, & rostrum in ejus aures apposuit. Quod populus videns, Spiritum sanctum esse credidit, qui super eum descenderet, ac in ejus aure verba Dei inferret. Et sic iste magus Saracenos decepit, qui sibi adhærentes, Regnum Persidis & Orientalis Imperii fines usque ad Alexandriam invaserunt. Hoc vulgariter dicitur, sed magis consonum est veritati, quod inferius habetur.

Machometus enim propriam legem conficiens, quam à Spiritu sancto, qui in columbæ specie super eum volabat, se recepisse mentiebatur, in qua de utroque Testamento quædam inseruit: qui cum in primævis suis temporibus mercimonia exerceret, & apud Ægyptum & Palæstinam cum camelis ad negotiationem pergeret, accidit sæpius, ut cum Christianis & Judæis conversaretur, à quibus tam novum quam vetus Testamentum profecit, unde secundum ritum Judæorum circumciduntur Saraceni, carnes porcinas non comedunt, & plures observantias Judæorum custodiunt. Asseruit etiam Pseudopropheta & docuit, quod Moyses fuit magnus Propheta, sed Christus major, natus ex Maria Virgine sine virili semine. Ait quoque in suo Alcorano, quod Christus dum adhuc puer esset, de limo terræ volucres porcreaverit. Ibidem dicit, quod Christus nunquam fuit passus neque resurrexit, sed alium hominem sibi similem hæc egisse & passum fuisse docet & affirmat. Quædam autem matrona, nomine Cadigan, quæ cum esset vidua, præfuit cuidam provinciæ nomine Coronica, videns hominem Judæorum & Saracenorum contubernio vallari, æstimabat in illo divinam latere majestatem, ipsum in maritum accepit. Et sic Machometus totius illius provinciæ obtinuit principatum. Ille autem suis præstigiis non solum eam dominam, sed etiam Judæos & Saracenos adeò dementavit, ut se Messiam in lege promissum publice fateretur. Accidit autem sæpius, quod Machometus cepit in Epilepticam cadere infirmatem, quod Cadigan cernens, plurimum contristabatur, eo quod impuro & epileptico homini nupsisset, quam ille placare desiderans, talibus eam sermonibus demulcabat dicens: *Gabrielem Archangelum frequenter mecum loquentem contemplor, & non ferens splendorem vultus ejus, in me deficio & tabesco*, quod sic esse mulier & cæteri crediderunt.

Alibi tamen legitur, quod fuerit quidam Monachus qui Machometum instruxit, nomine Sergius, qui in errorem Nestorianum incidens, dum à Monachis fuisset expulsus in Arabiam, & Machometo adhæsit, quem in utroque Testamento docuit. Machometus sub patrui sui cura tunc temporis regebatur, qui parente utroque orbatus, multo tem-

Digitized by Google

tempore cum tota gente Arabum idolorum cultui deservivit. Legitur in Alcorano suo quod testatur Deum sibi dixisse: *Orphanus fuisti & suscepi te, errore idololatriæ diu manssisti, à quo assumpsi te, pauper eras & locupletavi te*, universa enim gens Arabum cum Machometo Venerem pro dea colebant, & inde est quod adhuc feria sexta apud Saracenos in magna veneratione habetur, sicut apud Judæos Sabbatum. Sæc. XV. Anno 1422.

Machometus igitur, prædictæ Cadigan conjugis suæ locupletatus divitiis, in tantam prorupit mentis audaciam, ut regnum Arabum sibi usurpare cogitaret, sed cum videret, se hoc per violentiam consequi non valere, maxime cum à contribulibus suis, qui eo majores erant, despiceretur; Prophetam se fingere voluit, ut quos non poterat subjugare per potentiam, saltem per sanctitatem attraheret simulatam, prædictique viri Sergii consiliis adhærebat, qui ipsum absconsè manere faciebat, & ab eo omnia requirebat, & populo referebat, eumque Angelum Gabrielem nominabat, & sic Machometus totius illius gentis obtinuit principatum, omnesque sibi sponte & timore gladii crediderunt.

Prædictus igitur Sergius cum Monachus esset, noluit ut Saraceni Monachali habitu uterentur, sed ut ad instar Monachorum multas & devotas genuflexiones facerent, & interne valde orarent, & frequenter ad Austrum, sicut & nos Christiani versus Orientem. Sæpe namque se lavant more Judæorum, & maximè cum orare debent, verenda sua, manus, brachia, faciem, os & aures abluunt, ut mundius orare possint. Orantes autem unum Deum confitentur, ejusdemque sanctissimum Prophetam Machometum. In anno quoque integrum mensem jejunant, & nocturno tempore comedunt, ita ut ea hora diei, qua nigrum ab albo distinguere possunt, quod diluculum dicitur, usque ad Solis occasum, nemo comedere vel bibere, nec etiam uxori consedere audiat. Post Solis autem occasum, in crepusculo, usque ad sequentis diei diluculum, semper liceat eis cibo & potu & uxoribus uti. Infirmi autem ad hæc non obligantur. Semel autem per singulos annos ad domum Dei, quæ est in Mecha, ire præcipiuntur, & ibi adorare, eamque in consutilibus tegumentis circuire, & lapides per media femora pro Diabolo lapidando jactare. Quam domum dicunt Adam construxisse & Abraam, & omnibus filiis ejus & Ismaelis locum orationis fuisse: Demum Machometum eam domum sibi cunctisque gentibus tradidisse. Quatuor legitimas uxores insimul habere, ut ajunt, eis licet, & usque quamlibet tertio repudiare, & rursus recipere, ita tamen, ut quaternarium numerum non excedant. Emptitias-verò & captivas quotquot volunt, nisi aliqua illarum esset imprægnata. Conceditur eis etiam de propria cognatione habere uxores, ut sanguis prole accrescat, & fortius inter eos vinculum amicitiæ astringatur. Circa possessiones repetendas observatur, ut actor testibus probet, & reus juramento se comprobet innocentem. Si quis deprehensus fuerit cum adultera, pariter cum ea lapidatur, sed cum alia fornicatus, octoginta verberibus plectitur: Machometus tamen dixit, sibi à Domino, Angelo Gabriele nunciante, fuisse concessum, quod posset ad aliorum uxores accedere ut proles virtutis & Prophetas Dei generaret. Quidam autem de servis ejus cum pulchram haberet uxorem, & sibi inhibuit ne cum Domino suo loqueretur, intercedens quadam die ipsam cum eo loquentem invenit, & protinus eam à se ejecit, quam Machometus recipiens inter alias suas uxores connumeravit, timens tamen murmur populi, chartam de cœlo sibi allatam confinxit, in qua continebatur, quod si aliquis uxorem suam repudiaret, illius esset uxor, qui eam suscepisset, quod Saraceni usque hodie pro lege servant. Fur itaque prima & secunda vice verberibus plectitur, tertiò manus ei proscinditur; quartò pedis truncatione punitur. A vino semper abstinere jubentur.

Servantibus hæc & alia legis mandata Machometus promisit Paradisum, & hortum delitiarum, aquis fluentibus irrigatum, in quo sedes habebunt perpetuas, nec frigore nec æstu aliquo amplius affligentur, omnibus ciborum generibus vescentur, quidquid desideraverint, statim coram se invenient, sericis vestimentis colorum pulchriorum induentur, & virginibus speciosissimis conjungentur; In delitiis omnibus accubabunt, Angeli, more pincernarum, cum vasis aureis & argenteis deambulabunt; in aureis quidem lac, in argenteis vinum afferentes, & dicentes: *comedite & bibite in lætitia*: tria flumina, scilicet lactis, mellis & vini optimi cum aromatibus eos habere dixit Machometus in Paradiso, & quod pulcherrimos angelos sunt visuri. Non credentibus Deo nec Machometo, erit, ut asserunt, infernalis pœna sine fine. Quibuscunque autem peccatorum vinculis quisquam constrictus fuerit, si in ultima voluntate Deo & Machometo crediderit, die judicii Machometo interveniente, ut asserunt, salvus erit.

Hunc pseudoprophetam Saraceni spiritum prophetiæ super omnes Prophetas dicunt habuisse; & decem Angelos sibi faventes & eum custodientes habuisse credunt & prædicant. Ajunt quoque quod Deus, antequam cœlum & terram creasset, nomen Machometi in conspectu Dei astabat. Mentiuntur quoque de eo, quod Luna ad eum accessit, quam ille in sinu recipiens, in partes duas divisit & iterum conjunxit. Venenum etiam sibi in carne anguina oblatum fuisse dicunt, anguis autem locutus est ei, dicens:



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1422.

dicens: *Cave ne me ſumas, quia in me habeo venenum:* Et tamen poſt plures annos veneno ſibi dato interiit.

(a) *Omnia mandata tua veritas, iniqui perſecuti ſunt me, adjuva me*, verba ſunt Eccleſiæ militantis, quæ ſuſpirat & ingemiſcit onerata diverſis afflictionibus, à quibus divino auxilio liberari confidit. Primo namque paſſa fuit rabiem manifeſtæ perſecutionis à Tyrannis, paganis ſcilicet, à paſſione Chriſti uſque ad tempora Conſtantini, trecentis & decem annis, quando Romani Monarchiam mundi tenebant, & alii pagani per mundum innumeros ſanctos Dei occiderunt, quorum coruſcantibus miraculis ſubito facta eſt mutatio dexteræ excelſi, ita quod perſecutores facti ſunt Eccleſiarum fundatores. *Pſal.* 118.

Deinde ſurrexit perſecutio ſecunda, ſcilicet draconis lutulentiſſimi, de caverna fervens, frendens & fremens, & inſibilans diverſos errores Arrii, Sabellii & Macedonii, & aliorum hæreticorum, narrantes *fabulationes, ſed non ut lex tua*; ſed tunc illuminata erat Eccleſia per Doctores, qui ſacram Scripturam aperuerunt, ſcilicet per ſanctum Hieronymum, Hilarium, Auguſtinum & Gregorium, & per alios plures, qui tunc fuerunt ſucceſſive, per quos obſtructum os loquentium iniqua. *Pſal.* 118.

Poſtea tertia peſtis invaluit, in falſis fratribus, ut ſupra: Nam poſt tempora beati Gregorii, ut ſupra, intolerabilis tribulatio incepit, hominum mente corruptorum, *in hypocriſi loquentium mendacium*, fictiones & falſitates contra Eccleſiam Dei ſeminantes; zizaniaque ita exorta ſunt & creverunt, ut non ſit ſpes, quin durabunt uſque in ſenectam & ſenium, niſi clementia obſtiterit veritatis. 1. *Timot.* 4.

Nam tempore Heraclii, qui regnavit circa annos Domini ſexcentos decem, Bonifacio tertio vivente, ſurrexit quidam homo diabolicè inſtructus, primogenitus Sathanæ, homo lubricus & obſcænis actibus deditus, nomine Machometus, qui conſilio Sergii, & maximè auxilio Diaboli, qui mendax eſt & pater ejus, legem mendacem & nefariam compoſuit quaſi ex ore Dei, quam legem appellat Alcoranum, quaſi collectarium præceptorum Dei, in qua plures ſunt errores legis Saracenorum, quæ maximè legi Dei contrariatur, nam omnium hæreticorum feces, quas diabolus in multos ſparſit & ſeminavit, ſimul in Machometum evomuit. Ipſe enim cum Sabellio negat Trinitatem, ponit tamen in divinis quendam binarium, qui eſt numerus infamis. Introducit in Alcorano Deum pluraliter loquentem, per quod deſignat Eſſentiam Dei, & animam ejus. Ibidem ponit Chriſtum fuiſſe puram creaturam, licet excellentiſſimam, alterius eſſentiæ cum Deo, quia minor Deo & ei ſubjectus. Et hæc poſitio eſt Platonicorum, qui ponebant ſummum Deum & Creatorem omnium, à quo primitus effluxiſſe dicebant quandam mentem, in qua eſſent formæ omnium rerum, quam priſtini intellectum nominabant & verbum Dei. Sic & Arriani de Dei Filio ſuſpicati ſunt, quod eſſet quædam creatura ſupereminens aliis creaturis, qua mediante Deus omnia creaſſet. Sed & Machometus ponit Chriſtum hominem factum, imo & virtuoſiſſimum ſuper omnes homines; & ultra nominat ipſum verbum Dei, & iterum Spiritum Dei, & animam Dei; quod autem dicatur Deus homo, omnino deridet, ad quod confirmandum inducit hoc, quod ipſe Chriſtus de ſe nunquam aſſeruit, ſed contrarium dixit.

Summa igitur intentio Machometi eſt, quod Chriſtus nec Deus nec Filius Dei ſit vel fuerit, ſed homo quidam ſapiens & maximus Prophetarum, ſine Patre de Virgine natus. Et addit, quod Deus non poteſt habere Filium: In hoc convenit cum Carpocrate, nam ſi Deus haberet Filium, mundus eſſet in periculo, quia inter eos eſſet ſchiſma. Aſſerit etiam quod Judæi non occiderunt Chriſtum, nec crucifixerunt, ſed quendam alium ſibi ſimilem: & in hoc concordat cum Manichæo. Addit etiam quod Deus tranſtulit eum ad ſe, ſed apparebit circa finem mundi, & occidet Antichriſtum, poſtea Deus faciet eum mori. In his traditionibus claret, quod illud quod diabolus in mundo incepit per Arrium, & conſummare non potuit, poſtea tabeſcente in Eccleſia fervore, & creſcente malitia, per Machometum conſummavit, denique ad plenum confirmabit in fine ſeculi per Antichriſtum, qui ſuadebit mundo, quod Chriſtus non fuerit verus Deus, nec Filius Dei, nec bonus homo.

Cum igitur Machometus neget Chriſti paſſionem, negat & reſurrectionem & omnia Sacramenta, quæ ex ejus paſſione habent efficaicam, in quo convenit cum Donatiſtis hæreticis. Dicit etiam, quod dæmones poſſunt ſalvari per Alcoranum, nam & Origenes in quodam paragrapho non contradicit huic, quia dæmones adhuc ſalvabuntur.

Pſeudophropheta Machometus dicit, quod Deus miſit Angelum ſuum Gabrielem pro eo, & cum veniſſet ad eum, Deus impoſuit ſibi manum, cujus tactu tantam ſenſit

(a) Hic incipit diſputatio adverſus Mahometanos, in qua plurima acriter ventilantur: aliqua ex Alcorano ipſo eruuntur & refelluntur. Vix credam eſſe eundem qui mox Hiſtoriam Mahometi concinnavit. Diverſus plane ſtylus, diverſaque ſcribendi methodus. Hic doctus, alter ſimplicitate, quin dicam ignorantiâ in rebus notiſſimis laborat. Quartum igitur à cæteriſque diverſum mihi videretur fragmentum. BASN.

Digitized by Google

sit frigiditatem inter humeros, quod pervenit frigiditas usque ad medullam spinæ dorsi ejus: in hoc convenit cum Anthropomorphitis: qui ponunt Deum corporalem. Dicit etiam, quod Angeli ideo facti sunt dæmones, quia noluerunt ad præceptum Dei adorare Adam: in hoc neminem imitatur. Docet & affirmat in Alcorano, quod ultima beatitudo hominis est in comedendo, & in cæteris voluptatibus corporis, in vestibus pretiosis, & in hortis irriguis: In hoc convenit cum Cerintho hæretico & antiquis paganis. Etiam dicit circumcisionem omninò esse tenendam: in hoc convenit cum Judæis, & cum Ebione hærætico. Concedit pluralitatem uxorum & concubinarum & ancillarum, quot quisque ceperit in bello & poterit nutrire. Suadet etiam omnes esse occidendos, qui non credunt legem suam, nisi solvatur tributum, Videtur etiam concedere concubitum cum viro & cum muliere, licet ipsi pallient facetis expositionibus, tamen multo magis imitantur sensualitatem quam rationem, quia omnia ad quæ mundani homines proni sunt, sunt eis concessa, scilicet gula, rapina, luxuria. De virtutibus autem, puta de humilitate, abstinentia, charitate, patientia vel de ultimo fine, nihil omninò dixit, in quo ejus falsitas potest apprehendi, tam per vetus quam per novum Testamentum, quæ de virtutibus & ultimo fine tractant. Ipse autem mandavit, quod omnino nihil crederetur quod esset contrarium huic legi, & omnes contradicentes jubet occidi. Ad hæc omnia credenda non ostendit miraculum, sed nudavit ensem & dixit, se missum fuisse à Deo: qui tamen non misit quemquam in armis, sed in virtute, sequentibus signis. Sæc. XV. Anno 1422.

Nos enim invenimus legem Dei esse quandam catenam contiguam ab eodem artifice fabricatam, ut unum membrum alteri cohæreat, & correspondeat, & unus Propheta de alio prophetatur & mentionem facit, & omnes alii prophetaverunt de Christo. Si ergo lex Saracenorum esset lex Dei, & vocatio ad legem Dei, quomodo omnibus Prophetis latuit, quod nemo de ea dixit? sed neque Christus, quando dixit de Pseudoprophetis cavendis. Dixit etiam Christus quod *Lex & Prophetæ* fuerint *Usque ad Joannem*, ut mundus sciret, quod generalis Propheta non esset venturus post eum, qui silentium Prophetarum dicitur. Machometus autem dixit se esse generalem Prophetam, quod nos nescimus; sed hoc scimus, quod nunquam fuit aliquis in mundo, quem tot homines diversarum nationum sequerentur in tam brevi tempore. *Matth.* 11. *Luc.* 16.

Ad hoc respondent Saraceni: Moyses & alii Prophetæ prophetaverunt de Machometo, Christus autem expressius prophetavit, quia nomen ejus dixit cum loquebatur filiis Israel, dicens: *Evangelizo vobis de legato Dei qui veniet post me, & nomen ejus Machometus.* Et dicunt quod Judæi corruperunt legem Moysis, sicut & Christiani Evangelium, & quod non remanserit aliquid de veritate, nisi quantum est in Alcorano eorum.

Sed dicitur in capitulo de Josua: *Si fueritis in dubiis de hoc quod revelamus vobis, scrutamini ab illis qui legerunt librum prius quam nos.* Illi autem qui prius legerunt librum quàm Saraceni, sunt Judæi & Christiani, qui receperunt Pentateuchum & Evangelium. Ergo Machometus dicit Saracenis, quod petant à Christianis & Judæis de dubiis. At quomodo mitteret eos Machometus ad mendosa testimonia, si esset propheta veritatis, ut dicunt? Non igitur erant vitiati libri Judæorum & Christianorum tempore Machometi, nec possunt in veritate dicere, quod postea fuerint corrupti. Talis corruptio sive mutatio scripturæ, nec potuit esse generalis & manifesta, quia sic aliæ nationes sciviſſent, nec particularis & occulta, quia sic aliqui codices integri remansissent. Sed in omni lingua & in omni natione invenitur lex & Evangelium, eodem modo scripta; nam quatuor Evangelia non sunt scripta eodem tempore, nec in eodem loco, nec in eodem idiomate, nec ab eodem scriptore. Matthæus enim in Hebræo in Judæa; Joannes in Græco in Asia, Lucas in Græco in Achaia, Marcus in Latino in Italia. Et eorum translatio facta est in Latinum per sanctum Jeronymum in Judæa ante tempora Machometi, & remanserunt exemplaria in omnibus linguis. Ergo non potuerunt per aliquos falsarios vitiari, quin manifestè sciretur.

In fide Christiana magis arduum est, de incarnatione scilicet Dei, quod homo ille sit Deus, si iste stylus ablatus vel mutatus fuisset, quod absit, in Evangelio nostro, plures gentes conversæ fuissent ad fidem nostram. Unde & Romani & alii pagani propter hoc persecuti sunt Christianos trecentis annis continuè, & distulerunt recipere fidem & Evangelium, quia dicebatur quod homo ille erat Deus. Plures enim viri & mulieres tunc temporis Dii vel Deæ dicebantur, sed de licentia Romanorum. Sed quia Christus fuit Deus sine licentia Romanorum; si igitur istum Deum reciperent, cogebantur omnes alios Deos relinquere, quod erat contra pacta provinciarum, & consuetudines Romanorum.

Si autem omnino volunt dicere, quod Evangelium & & vetus Testamentum est corruptum, ostendant integrum, & accipiemus, & incorruptum, & maxime si sub conformitate ostenderint in omnibus linguis, sicut nos ostendimus eis.



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1422.

Patet ergo, quod Alcoranus non est lex Dei: Christiani enim ante adventum Machometi divisi fuerunt in diversas sectas, & præcipue Orientales, ut sunt Jacobini & Nestoriani. Nestorianos autem singulariter Machometus honorari mandavit, eo quod magis conveniant cum Saracenis. Quomodo igitur conformari potuerunt Nestoriani cum Jacobitis sive Jacobinis ad vitiandum Evangelium, qui tanto odio contrariantur, quod invicem sæpius occidunt? Legitur etiam & invenitur, quod utrorumque Evangelium est omnino unum & idem, sicut apud nos Græcum.

Item Alcoranus non est lex Dei, quia non habet stylum nec modum consonum legi Dei. Est enim metrica vel rythmica in stylo, & blanditoria in verbis, & fabulosa in sententiis. Saraceni & Arabes in hoc gloriantur, quod sermo legis eorum est stilus Rythmicus, & dicunt quod in hoc claret, quia Deus fecit librum illum, cum Machometus fuerit homo idiota, Deus revelavit sibi de verbo ad verbum. Sed contrarium manifeste apparet, quia in sacra scriptura non constat, quod Dominus Moysi nec aliis Prophetis locutus est Rythmicè vel metricè, quod sapientes & Philosophi homines dedignantur.

Est etiam lex blanditoria in verbis ultra quam dici potest, nam aliquando totum caput texit & intricat, in quo omnino nihil notabile ponit, nisi quod Deus est magnus & excelsus & sapiens & speciosus, & quod sua sunt omnia, quæ sunt in cœlo & in terra, & in mari, & quod judicabit justè, & ad omnia sermonem repetit, quod perturbat audientem, & continuè addit: *Credite in Deum, & nuntium ejus*, scilicet nuntium Dei antonomasticè dicit, ut supra diximus.

Manifestum est quod lex illa est fabulosa: dicit enim in capitulo Deltamar, quod interpretatur Luna: *Vergente hora facta est Luna*; Et exponunt doctores eorum, quod Machometus stabat cum suis sociis, & vidit Lunam appropinquantem conjunctioni: dixerunt sibi: *Ostende nobis aliquod prodigium.* Et ipse innuit Lunæ duobus digitis, scilicet indice & medio, tunc fracta est Luna in duas partes, una cecidit super montem Elheis, qui eminet civitati. Et cum sic esset fracta Luna ipse venit & intravit manicam camisiæ Machometi, & integravit ipse eam continuò, ut supra dictum est.

Item in capitulo, quod interpretatur Leo, dicitur, quod vermis indicavit dæmonibus mortem Salomonis, ubi dicit glossa eorum, quod dum Salomon staret innixus super baculum suum, subito tantus dolor arripuit eum, quod expiraverit, nec tamen corruit divino miraculo; Dæmones autem qui ei serviebant, videntes eum stare, credebant eum viventem. Tandem natus est quidam vermis de terra, & corrosit baculum cui innitebatur, fracto igitur baculo corruit Salomon. Nunquid non fabulosa est ista sententia?

Item Machometus in capitulo narrationum reddit causam, quare vino uti, illis sit illicitum; dicit enim, quod Deus duos Angelos misit in terram ut bene agerent, & justè judicarent, & fuerunt isti Angeli, Arroë & Maroche. Accidit autem uno die, quod mulier quædam invitavit eos ad prandium, & dedit eis vinum, quod Deus prohibuerat eis ne biberent, & cum inebriati erant, requirebant eam ad luxuriam, & consensit, munere tamen promisso, quia unus docuit eam ascendere in cœlum, & alius descendere. Et tandem ascendit. Cum autem Deus videret eam, audita causa, & modo, fecit eam Luciferum, ut esset ita pulchra in cœlo inter Angelos, sicut fuerat in terra inter mulieres. Dato autem arbitrio Angelis qui peccaverant, ubi vellent puniri, hîc aut in futuro, tunc elegerunt in præsenti puniri. Suspendit igitur eos Deus per pedes super puteum Babylonis cum catenis ferreis usque in diem judicii. Hæc & his similia multa continentur in Alcorano, quæ quilibet sapiens scrutari potest, quod nullo modo hæc sit lex Dei: Non enim est consuetudo Dei, loqui per tales fabulas.

Item animadvertenda est ficta visio quam Pseudopropheta composuit, quæ est expositio cujusdam verbi Alcorani, dicitur enim in capitulo Israël: *Laus ei sit, qui transire fecit servum suum una nocte ab oratorio Etharum, quæ est domus Melchiæ, usque ad oratorium remotissimum, quæ est domus sanctuarii Jerusalem, in qua nos benediximus.*

Expositio hujus fabulosæ sententiæ est, quod Machometes uno die psallebat horam matutinalem, qua finita dixit hominibus: *O vos homines intelligite & animadvertite. Sero postquam recessi à vobis venit ad me Gabriel post Psalmodiam vespertinam ultimam, dixitque mihi: O Machomete, præcipit tibi Deus, ut eum concitò visites. Cui dixi: Ubi eum visitabo? Et dixit Gabriel: In loco quo te præstolatur. Adduxit itaque mihi jumentum majus asino, & minus mulo, cui nomen Enguaralim, & dixit mihi: Ascende & equita usque ad domum sanctam. Cumque anhelarem ascendere, refugiebat jumentum, dixitque ei: Sta firmè. Respondit jumentum: nunquid missum est pro eo? Cui Gabriel ait: utique. Et dixit: Non permittam eum ascendere, nisi prius pro me rogaverit Dominum. Ego igitur servus Dei intercessi pro jumento, sicque insidente me gradiebatur tenui gressu, collocabatque ungulas pedum veloci meatu, & visus fui in Oriente, sicque veni ad domum sanctam in momento ictus oculi, aderatque Gabriel, &*

*duxit*

Digitized by Google

*duxit me ad rupem domus Domini in Jerusalem. Et dixit: Quoniam à rupe ascendes ad cœlum. Cumque ascendere pronus essem, Gabriel jumentum cum cingulo rupi affixit, & portavit me in humeris suis in cœlum. Cumque ambo venissemus ad cœlum, Gabriel pulsavit ad portam, dictumque est ei? Quis es? Qui respondit: Machometus. Et dixit portulanus: Nunquid missus fuisti pro eo? Respondit: Etiam. Aperuit igitur nobis portam, & vidi gentem magnam Angelorum genua flectentem, & fudi pro eis Orationem. Post hoc assumpsit me Angelus Gabriel, & duxit me ad cœlum secundum, distans à cœlo priori itinere quingentorum annorum. Et sicut in primo cœlo pulsavimus, & rursum audivimus, sic & in singulis cœlis usque ad septimum cœlum.* In quo Pseudopropheta describit se vidisse magnum populum Angelorum, quorum aliquis habebat mille capita, & in quolibet capite septingenta ora, & in quolibet ore mille millia linguas laudantes Deum septingentis mille millibus idiomatibus. Et respexit unum Angelum flentem, & quæsivit causam fletus sui. Et respondit ei, *culpæ sunt.* Ipse autem oravit pro eo. Sec. XV. Anno 1422.

Ulterius dicit Machometus: *Gabriel commendavit me alteri Angelo, & ille iterum alteri Angelo, & iste alteri, donec starem coram Deo & tribunali ejus. Tetigitque me Deus inter humeros, ut supra. Dixitque mihi Deus: imposui tibi & genti tuæ quingentas orationes. Cumque descendissem ad quartum cœlum, consuluit mihi Moyses, quod contra ascenderem ad alleviandum tantam orationis impositionem, quia populus meus tantum non posset sufferre. Et primo in reditu obtinui remissionem usque ad decem, sed in tertio reditu non remanserunt nisi quinque orationes. Cumque Moyses hoc facere non poterat, ego confidenter ascendens hæc impetravi.*

*Cui mentita est iniquitas sibi: rediit Abarac equitando.*

Tempus istarum omnium visionum, ut dicit, vix erat decima pars noctis. Cum autem hanc visionem aperuisset gentibus suis, multitudo ingentis populi à lege sua recessit, dicentes ipsum somnia phantastica concinnare, & blasphemias excogitare, & poëticè incedere. Et dixerunt: *Ascende nobis cernentibus, ut & nos videamus occurrentes Angelos:* Respondit: *destruxit Deus civitates illorum qui non crediderunt miraculis, nec & vos miraculis credetis, nisi per gladium.* Hæc sola fabulosa fictio hujus visionis sufficere deberet omnibus ratione utentibus ad confutandum quidquid dixit & fecit Machometus. Nam quandoque dicit se fecisse inaudita miracula, quandoque nullum fecisse miraculum. Aliquando dicit se esse hominem & nuntium Dei tantum, aliquando plus quam Angelum, quia pro Angelis sicut mendose testatur, intercessit. Sed indiguit jumento, ut supra dictum, de Mecha usque Jerusalem, qui de Jerusalem usque ad septimum cœlum sine asino & equo, ut dicit, transivit. Aut quomodo potuit tot splendores Angelorum sustinere in cœlo, qui ante conspectum unius Angeli cadebat in terram, spumans agitabatur, ut supra. Item nota jucundum ejus mendacium, quia non dicit, *Raptus fui in cœlum*, sed, *ascendi in corpore simul & anima*, cujus signum est eo quod dicit, *Deus tetigit me*, ut supra.

Christus Dominus noster Salvator mundi, verè filius Dei, non per Angelum, non per hominem, sed neque per jumentum, ut supra diximus, ascendit in cœlum, sed propria virtute. Ipse posuit ultimam felicitatem hominis in visione Dei dicens: *Hæc est enim vita æterna, ut cognoscant te Deum verum.* Joan. 17. Similiter & in veteri Testamento, nam Abrahæ factæ sunt promissiones cui specialiter promisit Deus dare terram promissionis, & benedictionem seminis sui. Moysi autem Deus tanta contulit, quod Deum in subjecta creatura audivit, considerans dignè quod non sufficiebat sibi, sed instantissime petivit gloriam Dei, &c. Machometus autem de virtutibus quasi nihil tractavit, sed de rapinis & immunditiis viam latam sibi & suis sequacibus filiis perditionis & mortis accepit. Philosophi etenim gentiles famosi multa virtuosa reliquerunt & scripserunt, nam Ethicorum 2. dicitur: *Virtus certior & nobilior est omni arte.* Ethic. 1. Item Philosophus: *Honor est præmium virtutis*, id est, honorandi sunt virtuosi. Ethic. 8. Sed Machometus de necessitante salutis nihil asseruit neque docuit, nisi quod Saraceni dicant; *Non est Deus, nisi Deus noster, & Machometus nuntius ejus:* De fine autem ultimo nihil ponit, quasi homo deficiens ratione, & insensualitate præditus esset, quod est brutorum proprium, quæ non discernunt inter sensum & intellectum. Ideoque suam posuit felicitatem in sensibilibus, id est, in commessationibus, & luxuriis, hortis irriguis, & vestibus splendidis. Etiam dixit se esse generalem Prophetam. Quomodo hoc stabit, cum tantum unam linguam noverit, scilicet Arabicam? Dixit etiam quod Abraam, Isaac & Jacob & filii eorum fuerint Saraceni, & tamen ipse dicit, quod mandatum est ei, quod esset primus Saracenus. Sunt igitur manifestæ contrarietates in Alcorano & aperta mendacia, igitur non est lex Dei, &c.



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1422.

(a) *De recuperatione S. Crucis, & reſtauratione Jeruſalem.*

ANno Domini ſexcenteſimo decimo quinto, permittente Domino, Coſdroë Rex Perſarum plura regna terrarum ſuo imperio ſubjugavit. Deinde veniens Jeroſolymam cum gente valida, evertit muros ejus, ut ſupra. Sed à ſepulchro Domini territus rediit. Sed tamen partem ſanctæ crucis, quam beata Helena ibi reliquerat, ſecum tulit. Volens autem ab omnibus coli tanquam Deus, fecit ſibi thronum aureum, in quo magnificè ſedit ſicut Pater. Crucem autem ablatam ſibi à dextris collocans, loco Filii, & Gallum à ſiniſtris loco Spiritus ſancti, ſe verò Patrem juſſit nominari. Tunc Heraclius Imperator copioſum exercitum collegit, & ad eum venit, interfecto tamen prius filio ejus juxta quoddam flumen, patre neſciente, dicens ad eum: *Coſdroë, quia lignum ſanctæ crucis ſecundum tuum modulum honoraſti; igitur & crucifixum. Si non autem, gladio te interficiam.* Cum igitur Coſdroë acquieſcere nollet, extracto gladio eum protinus jugulavit, filium verò ſuum decem annorum, cujus fratrem occidit baptiſari fecit. Sacram vero crucem, quam Tyrannus abſtulerat, Jeroſolymam reportavit. Cum autem de monte Oliveti deſcendens per portam quam Dominus paſſurus intraverat, in equo regio & ornamentis imperialibus ingredi vellet, repente lapides portæ deſcenderunt, & invicem quaſi unus paries ſe clauſerunt. Super quo cunctis ſtupentibus, Angelus Domini ſignum crucis in manibus tenens ſuper portam apparuit dicens: *Cum Rex cœlorum ad paſſionem per hanc portam intraret, non cultu Regio, ſed humili aſello ingrediens, humilitatis exemplum ſuis cultoribus relinquens.* Et his dictis Angelus Domini diſparuit. Tunc Imperator lachrymis infuſus ſeipſum diſcalciavit, & veſtimenta uſque ad camiſiam exuit, crucemque Domini accipiens uſque ad portam humiliter bajulavit. Mox duritia lapidum cœleſte perſenſit imperium, ſtatimque porta ſubruens liberum intrantibus patefecit ingreſſum. Odor autem ſuaviſſimus, qui à ſancta cruce per tam longa ſpatia terrarum fuerat elapſus, tunc rediit, omneſque mirabili ſuavitate refecit.

Anno Domini centeno decimo nono, Ælius Adrianus hanc civitem ſanctam à Tito & Veſpaſiano deſtructam reparavit, ductuſque aquarum & plateas ejus decenter reformavit, imo & ex rogato Chriſtianorum Dominicum ſepulchrum, & alia loca ſancta illi propinqua intra murorum ambitum incluſit, ubi poſtea Chriſtianus populus fabricam mirandi operis in ea forma, qua nunc eſt, dedicavit. Nec eſt verum quod quidam dicunt, ipſam ſanctam civitatem poſt deſtructionem alio in loco eſſe ædificatam, arguentes quia Chriſtus eſt paſſus extra portam civitatis, & nunc idem locus eſt intra mœnia civitatis. Si hoc argumentum eſſet verum, ipſa Jeruſalem abortivè diceretur *Filia Sion.* Notum eſt omnibus qui hanc civitatem rectè viderunt, ſicut & ego cum diligentia qua potui, ejus longitudinem & latitudinem per dimenſurationem paſſuum perluſtravi, quia in latitudine in cacumen collis contra Occidentem uſque ad turrem David eſt ampliata, ſed nihilominus civitas antiqua una cum Templo Salomonis priſtinæ formæ conformata, adhuc in latere montis Sion contra Aquilonem manet, ſicut ab initio fuit ædificata, ſecundum verba Pſalmiſtæ dicentis: *Fundatur in exultatione univerſæ terræ mons Sion latera Aquilonis, civitas Regis magni.* Sunt nonnulli qui loquuntur ſicut audiunt, quidam verò affirmant ſicut audiverunt & viderunt. Hoc autem verum eſt. Quia dixit Dominus, cum uno dierum, ſederet in monte Olivarum contra Templum: *Non relinquetur*, inquit, *lapis ſuper lapidem.* Ego tamen confidenter dico, quia Dominus has futuras anguſtias civitatis Jeruſalem ſynodochicè præfigurabat, ſicut & in aliis multis ſuis ſermonibus, loquitur de ſingulis generum, tanquam de generibus ſingulorum. Ergo minus juſtè dicunt hanc civitatem penitus eſſe deſtructam, & in alium locum tranſlatam, quia plura fortalicia, frontiſpicia, cum ſuis areis, tabulatibus, imò & multa ſumptuoſa opera parietum & teſtudinum à tempore Chriſti ab omni ruptura hucuſque permanſerunt. Nam prætorium Pilati, domus divitis, domus Zachariæ, & multæ areæ incorruptæ cum cancellis ad hanc diem & annum 1422. ſicut vidi, perſeverant.

Pſal. 47.

Matt. 13. Luc. 19.

*Finis Epitomes bellorum Sacrorum.*

HUS-

(a) Quinta hic occurrit narratio, fabulis referta: quæ de Choſroë narrat non conveniunt cum Theophane Cedreno, qui bellum illud Heracliique geſta ſcriptis mandavit. Imperite nimis negat dirutam fuiſſe penitus Hieroſolymam; quamquam enim teſtetur ſe ſuis oculis vidiſſe prætorium Pilati plurimaſque areas; nihilo minus certum fuit, ipſas olim funditus everſas. BASN.

Digitized by Google

# HUSSITICA,

## In quibus continentur

I. ORATIO JOHANNIS RAGUSINI,

Quâ in Concilio Basileensi respondit per octo dies ad articulum primum Bohemorum, *de communione sub utraque specie*, propositum à Magistro Joanne Rokyzana Hussita.

II. ORATIO ÆGIDII CARLERII,

Decani Ecclesiæ Cameracensis, qua respondit per dies quatuor, in Concilio Basileensi ad articulum secundum Bohemorum, *de corrigendis peccatis publicis*, quem proposuit per biduum Nicolaus Taborita.

III. ORATIO HENRICI KALTEISEN,

Dominicani, Professoris Sacræ Theologiæ in celeberma Colonienſi Academia, & hæreticæ pravitatis inquisitoris, qua in Concilio Basileensi, Anno 1433. per dies tres refutavit tertium articulum Bohemorum, *de libera Prædicatione verbi Dei*, quem proposuit per biduum Udalricus Presbyter Orphanorum.

IV. ORATIO JOHANNIS DE POLEMAR,

Archidiaconi Barcinonensis, Apostolici Palatii causarum Auditoris, qua in Concilio Basileano an. 1433. per dies tres refutavit articul. IV. Bohemorum, *de civili Dominio Clericorum*, quem per triduum proposuit *Petrus Payne*, Anglus.

V. DISPUTATIO CAPITULI ECCLESIÆ PRAGENSIS,

Cum Rokyzana, *de Hussiticis controversiis*, habita per dies quinque, Anno 1445. coram Gyrzikone, seu Georgio, Rege Bohemiæ. Primum è Manuscripto edita, & notis illustrata, ab Henrico Canisio SS. Canonum Professore Ingolstadii.

Omnia ex Manuscriptis edita

A B

HENRICO CANISIO NOVIOMAGO

*SS. Canonum Ingolstadii Professore.*

TRITHE-

Digitized by Google

# TRITHEMII TESTIMONIUM DE JOHANNE RAGUSIO.

SÆC. XV. ANNO 1433.

*Joannes de Raguſio, Ordinis Fratrum Prædicatorum, vir in divinis ſcripturis eruditus, & ſecularis literaturæ non ignarus, ingenio præſtans & clarus eloquio, in declamandis ſermonibus ad populum celeberrimæ opinionis: edidit ingenii ſui præclara quædam opuſcula, quibus nomen ſuum ad notitiam poſteritatis transmiſit. E quibus legi opus inſtructum ad Patres Concilii Baſilienſis.*

Contra Huſſitas lib. 1. Reverendiſſimi venerandiſſ. &c.

*De cæteris nihil vidi. Claruit in Concilio Baſilienſi perſonaliter, ubi dictum contra hæreticos tractatum pronunciavit publicè ad patres, ſub Alberto Imperatore, Anno Domini* 1438. *Hæc Trithem. de Scriptorib. Eccl.*

*Quæ verba Trithemii non ita intelligas, quaſi Raguſius anno* 1438. *dixerit in Concilio: cùm apertè conſtet dixiſſe anno* 1433. *ſed vult illum floruiſſe anno* 1438. CANIS.

---

# DE ÆGIDIO CARLERIO.

FUit Ægidius Carlerius inter legatos Pragam miſſos à Patribus Concilii Baſileenſis teſte Cochlæo lib. 6. hiſt. Huſſit. fol. 254. & lib. 7. fol. 262. Extat fragmentum orationis qua Carlerius Procopio Raſo reſpondit. *Moti hâc oratione*, inquit Cochlæus lib. 7. folio 165. *oratoribus Concilii in ſcripto dederunt informationem ſuam, de qua duo antiqui Codices concorditer ſic habent: iſta ſcedula fuit concepta per Magiſtros ſtudii Pragenſis, & data oratoribus ſacri Concilii in Bohemiam miſſis: ſpecialiter autem mihi Ægydio Carlerio Cameracenſi fuit porrecta.*

Alius autem Ægidius Decanus Cameracenſis eſt, de quo hæc Trithemius:

Ægidius Nettelet, Decanus Eccleſiæ Cameracenſis, vir in divinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, & ſecularis literaturæ non ignarus, ingenio præſtans, vita & converſatione præclarus & ſingulari devotione conſpicuus, edidit quædam præclara volumina, quibus nomen ſuum notificavit. E quibus extat opus celeberrimum, omni ſtatui neceſſarium, quod mirabili induſtria, pulcherrimaque conſequentia in unum comportavit ex Epiſtolis S. Hieronymi presbyteri lib. 4. Cætera me latent. Vivit uſque hodie ſub Maximiliano Rom. Rege clariſſ. & ſummo Pontifice Alexandro ſexto. Anno Domini 1494. Hæc Trithem. de Scriptoribus Eccleſiaſt. Quis enim credat Ægidium Carlerium tamdiu vixiſſe?



Digitized by Google

Sæc. XV. Anno 1433.

EX

# BOHEMICÆ HISTORIÆ FRAGMENTO

## Testimonium de quatuor his authoribus eorumque orationibus contra quatuor articulos Bohemorum.

*Postulavit idem Rockyzana, Bohemorum nomine, diem quo audirentur. Destinatus est eis itaque dies 16. Januarii, quo die ipse primum articulum, de communione sub utraque specie proponere cœpit, usque in tertium diem semper ante meridiem. Deinde Nicolaus Taborita secundum articulum, de corrigendis peccatis publicis, in medium protulit, per bidui spacium. Post quem Vldaricus presbyter Orphanorum, tertium articulum de libera prædicatione verbi Dei, duobus item diebus proposuit. Quartum verò articulum, qui erat de civili dominio clericorum, per triduum absolvit Petrus Payne Anglus. Fecerunt autem copiam suarum disputationum sacro Concilio in scriptis, & gratias egerunt, quod auditi fuissent. Quamquam posteriores tres satis inciviliter in nostros invexerant, ut nihil veriti fuerint, Joannem Wicleph & Joannem Hus vocare Doctores Evangelicos, quos jam pridem Ecclesia damnaverat. Exigebat res, ut Bohemis nonnihil responderetur. Itaque surgens Joannes de Ragusio, Dalmata, Theologiæ Professor, Ordinis Prædicatorum, Procurator Generalis (qui & Cardinalis postea factus est) petiit clara voce, in medio sacræ congregationis potestatem sibi dari, ut responderet privato nomine ad primum Bohemorum articulum. Asseruit Synodus, octoque diebus respondit ille, horis antemeridianis. Antequam verò incepisset respondere, Joannes Abbas Cistertiensis Orationem ad Bohemos habuit, ut se submitterent determinationi sanctæ matris Ecclesiæ, quam sacrum istud Concilium repræsentaret. Ea res Bohemos non parum offendit. Cumque Ragusinus, inter respondendum, crebrò hæreseos & hæreticorum vocabulum haberet in ore, non poterat hoc tandem ferre Procopius Bohemus. Quin surgens cum stomacho, de hac injuria apud sanctam Synodum publicè conquestus est. Coaterraneus (inquit) iste noster injuriâ nos afficit, hæreticos nos subinde vocans. Ad hoc Ragusinus, quia, inquit, conterraneus vester sum, lingua ac natione, propterea tam avidè cupio vos ad matrem Ecclesiam redire. Constat sanè Dalmatas in Bohemiam transgressos, ab occupata regione nomen accepisse. Parum autem abfuit, quin ob eam offensionem Basileâ Bohemi abirent, vixque placari poterant. Quidam etiam ex Bohemis nolebant Ragusinum ad finem usque disputantem audire. Deinde respondit ad secundum articulum insignis Theologus Ægidius Carlerius, Decanus Ecclesiæ Cameracensis, per quatuor dies. Ad tertium articulum, Henricus, cognomento Frigidum ferrum, Theologus, Ordinis Prædicatorum, dies tres. Ad quartum postremò Joannes Polemar, Archidiaconus Barcinonensis, auditor causarum sacri Palatii; tribus item diebus. Afficiebat autem Bohemos tædio, nostrorum (ut illis videbatur) prolixitas. Et quamvis accuratè respondissent nostri, nihilominus illi suos articulos adhuc pertinaciter defendebant, præsertim primum; adeo ut Joannes Rockyzana Responsiones Ragusini sex diebus fortiter impugnaret. Antè ista, cùm auditi fuissent Bohemi, piam ad eos orationem habuit Præsidens Concilii Julianus Cardinalis Legatus dicens: Audivit hæc sancta Synodus per decem dies, magna cum patientia, quatuor vestrorum articulorum propositiones, &c.*

Hæc Cochlæus libro 6. histor. Hussit. folio 551. ex antiquis Bohemicarum rerum Commentariis. Extant etiam apud Magistrum Ortwinum Gratium in fasciculo rerum expetendarum. Can. & *in Tom.* XII. *Concil. ex editione Labbæana, quâ hic utimur.* Basn.

JA-

Digitized by Google

# JACOBI BASNAGII OBSERVATIONES HISTORICÆ

## Circa BOHEMOS

Qui

## CONCILIO BASILEENSI

adfuerunt:

## ORATIONES in eo Concilio adversus eos habitas:

*Compactata Basileensia & Disputationem cum Rokizana coram Pogiebraco, Bohemiæ Rege.*

I. CAnisii Lectiones antiquas elucidaturi, qui contra Bohemos quatuor Theologos in *Concilio Basileensi* pugnantes inducit, & disputationem Capituli Pragensis cum Rokizana, præsente Pogiebraco, Bohemiæ Rege, primus edidit, plura tum de scriptoribus, tum de scriptis & ipsis controversiis, tandem de *Compactatis*, ut ajunt, disserere cogimur, omnia simul quæ separatim dicere poteramus colligentes, ut una rerum series, ordine haberi possit. SÆC. XV. ANNO 1433. I. Scopus Observationum.

Tres distingui debent Fratrum Bohemiæ, qui invitati *Basileensi Concilio* præsentes adfuerunt, ordines.

II. Primus fuit *Ordo Calixtinorum*, quorum dux præcipuus *Rokizana*, ita dictus à loco in quo natus erat, in vicinia Pragæ, ex parentibus pauperrimis. Illi fuerunt *Joannis Hussi*, in Synodo Constantiensi contra fidem datam combusti, reliquiæ, qui inter Reformatorum Martyres relatus est per bina sæcula & ulterius: Ajunt quippe Transsubstantiationem abjurasse. Sed probavimus nos ipsi ex scriptis quæ supersunt, quippe qui Religionis zelo præjudicatis opinionibus nos abripi non patiamur, ipsum, dum esset morti proximus, fidem Romanam circa Sacramentum Eucharistiæ professum fuisse. II. Calixtinorum ordo.

III. Attamen cum hic Criticum, non Controversistam agamus, fatemur, re melius perpensa, dubios hærere circa sententiam Joh. Huss, quippe qui vacillaverit sæpius. Circa Transsubstantiationem fidem habebat scriptis & argumentis Wiclefi, dum Pragæ morabatur, & sententiam suam profitebatur inter amicos; sed fides incerta nutabat, & forsan evanuit, cum mortis periculum immineret. Suspicione non debemus hic laborare nos, qui olim J. Huss. Transsubstantiationem docuisse sine tergiversatione diximus, & qui nunc conjecturam mediam, argumentis fultam, protrudimus. 1. Dicam falsitatis nunquam ausi sumus dicere Testibus, qui tum ex Pragâ advenientes, tum durante lite, nequidem excepto Cardinale Florentiæ, ipsum præsentiam Corporis Christi in Eucharistia sæpius impugnasse ferebant. 2. *Wiclefum* ut præceptorem qui sequebatur, vix potuit III. Joh. Huss. de Transsubstantione genuina nobis sententia. Hist. de la succ. des Eglise Ref. tom. 2.



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

Transſubſtantiationem ab eo impugnatam fortiter tueri. 3. *Jacobellus* Joh. Huſſ. amiciſſimus, cum plurimis audacius genuinam de Euchariſtiæ profitebatur doctrinam. Sed & Rokizana, Calixtinorum dux, & in Concilio Baſileenſi orator, aliquando mentem ſuam aperte profitebatur, alias metuens diſſimulabat, ſilentio ſeſe obvelans quantum potuit. Nos igitur pro more temporum illorum autumamus Joh. Huſſ. Transſubſtantiationem, ubi licebat, oppugnaſſe; ſed dubium in hoc articulo, quanquam cætera firmum, Transſubſtantiationem ſcripto in carcere tueri voluiſſe, ut ſi res ita ferre poſſet, ſupplicium igneum vitaret & Pragam reverſus, ut ajebat, *meliora doceret.* Hæc eſt nobis ſententia a cæteris aliena, quæ ſaltem probabilitate non caret, ut videbitur inferius, ubi de Rokeſanæ variationibus agetur. Diſſimulant enim ſæpius doctores ubi perſecutionem patiuntur, ut liceret præſentibus argumentis probare, ubi de Janſeniana cauſa agitur.

I V. Taboritæ.

IV. *Taboritæ* ſecundum conficiebant ordinem, qui Calixtinis ſuperiores & ulterius multo progredientes, eadem omnia quæ Reformati profitentur, dogmata tuebantur.

V. Orphani.

V. Tertia pars diſtinguebatur à Taboritis nomine tantum, ſcilicet *Orphanorum*; quia Ziſca mortuo, qui bellis atrociſſimis eos rediderat inclytos, & quem patrem appellabant, nullum ducem ei ſufficere voluerunt. Adverſus hos tres Bohemorum ordines diſputatum in *Concilio Baſileenſi* à ſcriptoribus quos edidit Caniſius.

VI. Cruciata adverſus eos a Juliano Card. promulgata.

VI. Deficiente ratione, vel ſaltem charitate, *Julianus*, Pontificis Legatus, Cruciatam promulgaverat adverſus Hæreticos, ut omnibus morti addictis, ne quidem eorum nomen ad poſteros transmitti poſſet. Omnes, ut vocant, *Bohemorum fratres* ad necem & ſupplicia damnati ſimul fœdus ineuntes, *Ziſca* duce hoſtes cruentos repellere conati ſunt. Fratrum ſanguinem vindicaverunt ſæpius cum immanitate quæ nemini probari debet; quanquam minus iniqua, cum vim vi repellere coguntur ii, qui liberam tantum fidei profeſſionem petunt & ideo ſicariorum crudelitati exponuntur. Ea fuit ſors Bohemorum, ut Romanus Pontifex, qui hanc gentem facile a Germanis ſuperari ſperabat, ipſe ſuperaretur, *nam noſtris ſæpius in fugam verſis, tantum omnibus vicinis terrorem incuſſerunt, ut nihil optaret aliud quam pacem Germania. Rebus itaque non ſuccedentibus, cum ſemper Bohemi ſuperiores eſſent; quanquam a novo jam Pontifice* Eugenio *damnati, optimum viſum, ſi Baſileam, ubi nuper indictum erat concilium, vocarentur.*

Enarratio quomodo &c. in Conc. tom. XII. p. 442.

VII. Deputati Synodi Baſileenſis in Bohemiam.

VII. Invitati Fratres Bohemi, attamen autoritate & exemplo fidei violatæ Hæreticis à Concilio Conſtantienſi territi poſtulaverunt, ut Legati Concilii Baſileenſis *Egram* venirent, ubi de *ſalvo conductu* ageretur.

Ibid. pag. 444.

Advenerunt, & conventus *duravit dies viginti & unum. Obſides poſtulabant Bohemi, non quosvis, ſed principes & nobiles. Id cum noſtris non placeret, cœpit vulgus apud Egram clamare, quo minus cum Bohemis procederet concordia, per Eccleſiaſticos & Principes ſtare.* Proinde pientiſſimi Principes, *Fridericus Marchio Brand.* & *Johannes Dux Bavariæ* ſeſe ſponte obligarunt. „ Verum Bohemi, quanquam audiſſent noſtros miranda „ pollicentes, adhuc non planè fidebant; quare elegerunt duos nuntios, „ qui Baſileam irent & cuncta diligenter explorarent.

VIII. Proficiſcuntur ad Concil. Bohemi.

VIII. Hi nuntii cum domum eſſent reverſi cum diplomatibus Concilii, indicaſſentque rem agi ſerio, nec ſubeſſe dolum, delecti ſunt oratores de Regno Bohemiæ ad Concilium &c. Cum jam Nurembergæ vicini eſſent, „ Matthias Chempezanus vexillum produxit, cujus u-

„ na

Digitized by Google

„ na pars crucifixi imaginem habebat depictam; *altera Calicem Eucha-* Sæc.
*riſtiæ;* ſicque Nurembergam ſunt *ingreſſi*, *ſed à noſtris moniti*, *id poſtea* XV.
*nuſquam fecerunt.* Porro nono die Januarii, cum Synodum acceſſiſſent, Anno
habuit orationem Card. Julianus de eo *quod quidquid uſpiam dubiorum eſt*, 1433.
*id autoritate Concilii definiri debeat*; *quandoquidem omnes mortales ju-* 1431.
*dicio ſanctæ matris Eccleſiæ*, *quam SS. Concilium repræſentat*, *ſe ſubmitte-*
*re tenentur. Quæ quidem oratio Bohemis omnibus non probabatur.* Ha-
buit & orationem *Rokizanus*, nomine Bohemorum diem poſtulans, quo
audirentur. Is fuit deſtinatus die 16. ejus menſis, quo die *Johannes Ro-*
*kizanus* pauca præfatus, primum articulum *de communione ſub utraque ſpe-*
*cie* proponere cœpit, uſque in tertium diem ſemper ante meridiem.

IX. Ab utraque parte fuerunt contendentes quatuor. Prior a parte IX. Quæſtiones agitatæ & de Rokizana.
Calixtinorum, qui communionem ſub utraque ſpecie poſtulabant, fuit Ro-
kizana, homo dubiæ fidei, quanquam rerum Theologicarum pro tem-
pore peritiſſimus. Jacobellum ab ineunte juventa audiverat, ſed famæ au-
cupandæ intentus Pontificiorum partibus inclinabat, ubi ſpes illuceſcebat
Pragenſem ſedem adipiſcendi. Deinde iratus ob violata promiſſa, *Po-*
*giebracum* cæteroſque Bohemiæ Duces ad bella & ſeditiones incendebat.
Ab altera parte Taboritis, quanquam multo minus diſſentientibus, fuit
infenſiſſimus, & inde emanabant cædes & bella, licet plurima cum ipſis
ſentiret. Objiciebatur enim ipſi in diſputatione hic edita, quod autorita-
tem Pontificalem ita vilipenderet, ut *Eccleſiam Romanam Scarioticam*
*beſtiam & meretricem* appellaret; inficiabatur vero illam unam Eccle-
ſiam, extra quam nulla ſalus eſt, poſſe eſſe Romanam, in qua creditur,
Corpus Chriſti manducari realiter in ſacramento: Baptizabat contra Ec-
cleſiæ Romanæ prohibitionem, compatres & parvulos compellebat ad
communionem, Sacerdotibus jus confirmationis concedebat: Pœnitenti-
bus abſque confeſſione dicebant ejus ſacerdotes *vade & noli amplius pecca-*
*re. Eheu! ſacerdotes ejus ordinantur in Italia*, *aut alias*, *ubi poſſunt*, *furti-*
*ve*, *extra tempora*, *extra ætatem*, *extra licentiam ſuorum*, *ſimoniace*, *a ſi-* Diſputatio cum Rokizana coram Pogiebrako declaratio Rok. coram Sigiſmundo an. 1436. apud Cochlæum.
*moniacis*, *à depoſitis*, *à ſuſpenſis* &c. denique objiciebant ſæpius adver-
ſarii, ipſum docere *ſubſtantiam Panis remanere poſt conſecrationem*, & dum
communionem impertiretur populo, dicere ſolitum: *Corpus Chriſti ſit vo-*
*bis in ſalutem!* deinde, *ſanguis ſit vobis in ſalutem!* quæ verba lethaliter Trans-
ſubſtantiationem feriebant. In tractatu de ſeptem Sacramentis fatebatur,
quod Chriſtus dixiſſet, *ipſe eſt Corpus meum*; & an. 1436. coram Imperatore
Sigiſmundo confeſſus fuerat ore rotundo, Chriſtum dixiſſe, hoc eſt Corpus
meum, id eſt: Hæc ſubſtantia quæ jam panis non eſt, ſed Corpus Chriſti,
in quod divina virtute Transſubſtantiatur; ſed ſe ſequi fatebatur Jacobum de
Miſa, ut hominem magnæ vitæ & profundum interpretem Scripturæ. At hic
Jacobus de Miſa fuit *Jacobellus Miſnenſis*, Thaboritarum doctor. Sic nu-
tabat ſæpius Rokeſanæ fides; non realiter, ut conjicimus, ſed arte & me-
tu periculi; quippe qui non potuit a partibus Jacobelli ſtare, & Transſub-
ſtantionem ſincero animo tueri.

Rokizanæ tract. de ſeptem Sacramentis ibid. pag. 474.

*Inſtabant doctores* ut confiteretur fidem *de venerabili Sacramento*, an
panis ibidem remaneat? *unde pulſatus* dixit: *Jam ego ſemel confeſſus ſum*
*coram Imperatore*, *non oportet quod plus dicam.* Moluets, cui confeſſio audita non placuerat, ſurgens dixit: *Adfui circa*
*illam confeſſionem!* & inſtabat, ut adhuc confiteretur. Sed dixit tantum-
modo: *Ad veſtram voluntatem hoc non faciam: habeo bonam fidem. Expel-*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

*le ſcandalum*, dicebant alii; ſed neutiquam voluit aperire mentem ſuam. Sic dubia erat fides, quam publice profiteri non audebat. Quod firmat quæ ſuperius dicta ſunt à nobis circa vacillationem Joan. Huſſ. Ex ſuperius allegatis probatur, eundem Rokizanam tenuiſſe partes Calixtinorum triginta duos annos poſt Concilium Baſileenſe coram Pogiebraco, & tunc fuiſſe Pragenſem Archiepiſcopum deſignatum; ideo cum infula & baculo ſepultus. Alias fuit in eadem Eccleſia tanquam præſul: dignitatem quæ fuit in ſummis votis, adeptus eſt, ſed ea revera frui non potuit. Ille autem oravit in Concilio, ut probaret, communionem ſub utraque ſpecie eſſe Laicis ſalutarem & neceſſariam.

X. Procopius Raſus Taboritarum Dux & Wenceſlaus Doctor.

X. Pro *Taboritis* adfuit *Procopius Raſus*, ductor eorum exercitus, qui multa in bello præclara geſſerat & ideo omnium oculos in ſe convertit. Sed cauſam egit *Nicolaus Wenceſlaus*, & ſecundum articulum *de corrigendis & eliminandis peccatis publicis in medium protulit per bidui ſpatium.* Hæc fuit ejus Theſis: *peccata mortalia publica & quantum rationabiliter fieri poteſt, privata, aliæque deordinationes legi Dei contrariæ in communitatibus Chriſtianorum & quolibet eorumdem, debite, juxta dictamen legis divinæ, per Chriſti fideles tam ſpirituales quam ſeculares, prout congruit utrisque, ſunt cohibenda, corripienda, caſtiganda & pro poſſe ab eiſdem propellenda.*

XI. Eorum dogmata.

XI. Cum deficiant nobis orationes Bohemorum, quas ſepeliri juſſerunt Pontificii, ex adverſariorum ſcriptis eſt elucidanda Wenceſlai ſententia, ut facile ſentiant Lectores controverſiam de qua tunc temporis agitabatur, quæque non ſatis aperte ex titulo patet. Quippe ex Theſi leviſſimum videtur diſcrimen inter Theologos Pontificios & Taboritas.

Primo. Cum clerus tunc temporis nonmodo ſummâ laboraret ignorantiâ, ſed turpiſſimis addictus vitiis maxima publice patraret crimina; volebant Taboritæ, ut ſacerdotibus pœnam infligere poſſent *ſeculares*. Pontificii vero clericos omnes ſubjiciebant Eccleſiaſtico foro, & inde nullæ emanabant pœnæ; graſſabatur ergo crimen, quod impunitate gaudebat. Agebatur igitur de jurisdictione Eccleſiaſtica & ſæculari.

Secundo. Hoc erat corollarium: Peccantibus *Rectoribus* tam *Spiritualibus* quam ſæcularibus, vel *aliis* cum ſuis ſtatus ſui *Superioribus*, *ſubditi* fideles licite poſſunt illos vel malitiam eorum caritative arguere, *hypocryſim* eorum detegere, & manifeſtis ſceleribus etiam coram aliis publice *contraire*: quod clericis intolerandum fuit.

Tertio. Nolebant Taboritæ ſacramenta confici à Sacerdotibus impuris: eorum fugiebant communionem & ab iis ſecedebant, utpote qui odio potius quam veneratione digniſſimos ſeſe exhibebant; inde rixæ, ſchiſmata, ſeditiones oriebantur.

Quarto. Adverſus indulgentias & abſolutiones Pontificias, quæ facile obtinebantur, inſurgebat Wenceſlaus: *abſolutiones à pœna & à culpa fictæ ſunt, & per Papam fiunt venales, & indulgentiæ non ſunt in lege Dei fundatæ.*

Quinto. *Peregrinationes per homines inventæ ſuperſtitioſæ ſunt, idololatriam ſapientes, & cleri avaritiam nutrientes*, inquit *Proponens*, hoc eſt, *Wenceſlaus.*

Sexto. Circa reliquias multa contingunt peccata, ut ſunt expoſitiones earum, venalitate facta, ſpoliatio pauperum horrenda, continuatio avaritiæ ſacerdotum & *ſimulata ſpes ponendi aliquid numinis in iiſdem.*

Septimo litteras confraternitatum & confeſſionales vituperabat *Proponens*; Inde quæſtus illicitos, deordinatos favores, audaciam peccandi, &

Digitized by Google

& multa alia mala sub hac pietatis specie patrari non diffitebatur Carler ejus adversarius. Sæc. XV. Anno 1433.

Octavo. Imagines, quas idola appellabat, destrui volebat. Denique substantiam panis remanere post consecrationem tuebantur Taboritæ, ut patet ex 23 articulis, quos Calixtinis opposuerunt.

XII. *Ulricus* vero *Orphanorum* legatus hæc tria potissimum tuebatur: XII. Orphanorum Dux & sententia.

Primo: *Tantæ perfectionis sunt verba Dei, quod eis non licet addere nec subtrahere.*

Secundo volebat non modo Præsules, sed Presbyteros & Diaconos conciones habere, ut plebem docerent. Et inde *reprehendebat*, quod essent *missantes* plurimi, *prædicantes* pauciissimi, & altaria in immensum multiplicata.

Tertio. Cum sæpius excommunicarentur Orphani & Taboritæ, contrarium docuit: Non obstante inhibitione aut prætensa excommunicatione, Sacerdos Domini *debet fideliter* & libere verbum Domini annunciare, quia plus debet Deo, quam hominibus.

XIII. Quartus denique Bohemorum defensor fuit Anglus, nomine *Payne*, qui præceptoris *Wicleſi* libros & sententiam in Germaniam contulerat, ibique tantam adeptus est famam non modo scientiæ, sed & integritatis, ut dissidentes *fratres* ejus judicio sese aliquando subjicere voluerint, ratum habere polliciti, quidquid definiverit. Hic quanquam extraneus & exul, ad Concilium Basileense delegatus, hanc propositionem publice propugnavit per triduum: *Sæcularis possessio, sicut & civile dominium, jure divino & humano, doctorum sanctorum sententiis, & ratione efficaci, tempore legis gratiæ prohibetur clero Christi.* XIII. Payne Anglus Taborit. doctor.

Hæc, quantum fieri potuit, à nobis compilata sunt, ut innotescerent omnibus quæstiones quæ agitabantur, quæque non satis patent e titulis, quatuor orationibus, quas hic edimus, præpositis. Alia multa habebant *Taboritæ* ab Ecclesia Romana plane diversa, cum Transsubstantiationem negarent. Sed cum loquerentur legati nomine Bohemorum sive fœderatorum religionis causa in hoc Regno, de illis silere coacti fuerunt, & ea tantum aperire, de quibus simul ante discessum convenerant, quæque singulis ordinibus erant communia. Nunc ad orationes Adversariorum properamus.

XIV. Prior insurrexit adversus Bohemos *Johan. de Raguſio*, origine Dalmata, unde a *conterraneo suo* tam vehementer exagitari querebantur. Hic Theologiæ professor, ordinis Prædicatorum procurator generalis, petiit clara voce in medio sacræ congregationis, potestatem sibi dari, ut responderet privato nomine ad primum Bohemorum articulum: Assentit Synodus, octoque diebus respondit, horis antemeridianis. A Concilio Basileensi, post habitam orationem, fuit delegatus ad Græcos, oraturus, ut Concilio vellent adesse tanquam *œcumenico*, & *Compactata Basileensia* reciperent. Veneranda in toto terrarum orbe fuisset autoritas Concilii, si Ragusii admonitionibus sese propinassent Græci; sed Papa, qui tantum autoritatis Concilio Basileensi detrahere conabatur, quantum illud sibi vindicare tentabat, Græcorum auribus insusurrabat, ne ipsum audirent. Ipse Johannes de Raguſio deficiens à Concilio, sese Pontificis partibus addixit, missusque ad Imperatorem Constantinopolitanum ei suasit, ut à Papa postularet auxilia. Convocato *Ferrariæ* Concilio, adfuit Joh. de Raguſio, ut Pontificis partes adversus Græcos sibi jam notos tueretur. XIV. Johannes de Raguſio orator primus in Concilio. Relatio Conc. XII. pag. 445.

Ajunt-

Digitized by Google

Sæc. XV. Anno 1433.

Ajuntque plurimi, tanta illi officia præstitisse, ut ad Cardinalitiam dignitatem sub titulo Sancti Xysti sit provectus; sed quidquid dicant alii argumentis destituti, cæteri his in rebus versatiores circa dignitatem inficias eunt.

Hæc sunt potissimum observanda in ejus oratione octiduana:

Primo. Transsubstantiationem tanquam fundamentum totius disputationis statuendo, docet species Eucharistiæ *frangi & dentibus masticari*. Accidentia subsistere sine subjecto, dicunt plurimi; sed ea masticari & frangi dentibus, quæ nihil sunt, vix concipi possum dictum fuisse in Concilio Basileensi, tot sæcula post abrogatam sententiam, quæ in damnatione Berengarii erronea visa fuit.

Secundo. Multum divagatur statim ab initio circa divinitatem, sufficientiam & interpretationem S. Scripturæ, qua potissimum nitebantur Calixtini, antequam accedat ab binas illas propositiones, quas probandas suscepit 1. *Communio sub utraque specie panis & vini non est necessaria toti credentium populo*: 2 Communio sub utraque specie, stantibus in oppositum *consuetudine & statuto Ecclesiæ*, non est multum utilis, nec saluti expediens, *imo est multum inutilis & nociva*.

Tertio. Confugit Johannes de Ragusio ad *Acta Petronillæ* & supposititia scripta, quæ nemini fucum faciunt, (a) quanquam ab ipso summa cum fiducia laudentur.

(a) Acta *Petronillæ S. Petri filiæ*, quæ, ut legitur in ejus legenda, *Corpus Christi* recepit, nulla mentione facta vini.

Quarto. Indicat ex testimonio Patrum orationis Dominicæ partem, in qua petimus à Deo *panem nostrum quotidianum*. Per panem, inquit, doctores intelligunt Corpus Christi, quod in Sacramento Altaris accipimus & cum Christus nullam mentionem fecerit de potu aut de vino, manifestum est, quod sufficit panis, *alioquin insufficienter Christus suos docuisset orare discipulos*. Cætera silemus, hæc enim sufficiant ad indicandum, quomodo Ragusius abutebatur patientiâ Patrum Concilii per octiduum, vel saltem patientiâ posteritatis, si talia ipsis argumenta poterant arridere.

Denique cum premeretur autoritate Scripturæ sacræ & Patrum Ecclesiæ, has subjicit regulas adversus testimonia quæ ipsi objiciebantur, & quæ singillatim refellere non potuisset.

1. In iis locis non imponi præceptum Laicis, tanquam ipsis foret communio necessaria sub utraque specie.

2. Si loca allegata habent vim præcepti, respiciunt tantum Presbyteros.

3. Restringenda sunt ad tempus illud, in quo mos ille in Ecclesia servabatur, sive ritus fuerit generalis & observaretur in tota Ecclesia, sive in aliqua parte notabili, utpote in una natione &c.

4. Ubi fit mentio corporis & sanguinis, intelligi debet, fieri communionem sub *utraque specie*, ubi recipitur Corpus Christi; quippe in eo fluit sanguis.

5. Debent intelligi *spiritualiter* exhortationes Patrum, quippe cum Sacerdos conficit Eucharistiam in altari præsente populo, & sumit sub duplici specie, populus assistens fide & devotione manducat & bibit Corpus & Sanguinem Christi *spiritualiter in sinceritate fidei, per recogitationes bonas & sanctas meditationes, masticando & hauriendo ore cordis*. Si quid ex eo argumento concludi potest, concluditur solam masticationem spiritualem ex visu Sacerdotis & per meditationes esse utilem & necessariam, & Laicos non debere communicare pani seu corpori potius, quam vino & sanguini.

XV. Se-

Digitized by Google

XV. Sequitur oratio *Ægidii Carlerii*, qui Cameraci natus, Lutetiam Parisiorum, studiorum causa, petiit, ibique Collegii Navarrensis socius, dein Theologiæ professor creatus est; inde forsan universitatem Parisiensem *almam matrem suam, Galliamque regionem suam* appellat, quanquam Belga. Non modo prælectionibus in sententias, sed concionibus ad populum claruit; ideoque Cameracensem Decanatum est adeptus an. 1431. Inde missus est ad Concilium Basileense, & ejus operâ sunt usi Patres congregati ad evocandos Bohemenses, quibus de fide Hæreticis servanda suspicionem recentissimam moverat Constantiense Concilium. Apud illos feliciter oravit, & cum adveniissent, præsente Concilio, Ecclesiæ Romanæ causam propugnavit. Mirabatur, quod *Nicolaus, Taborita, Johannem Huss* virum bonum, justum, Catholicum, à multis annis in regno nostro vita & moribus & fama probatum, laudaret, quem Concilium Constantiense damnaverat; nec patiebatur memorari *Wicleffum*, cujus errores, qui fuerunt *prius Pelagii, Manichæi, Donati, Berengarii, & Massiliani, pridem damnati fuerant.* Monendi sunt Theologi, qui lites aliis intentant, & vehementius odium conflare gestiunt adversariis, ne tot erroribus non modo diversis, sed toto cœlo oppositis, eos obruere conentur. Quis enim *Manetem*, necessitatis absolutæ fautorem, cum *Pelagio*, libertatis absolutæ defensore, confundat? Hieronymum Pragensem noverat Lutetiæ Parisiorum Ægydius Carler, ibique jam sua publice profitebatur dogmata, quippe qui illa propugnaverit coram expertis Doctoribus & Magistris almæ *matris meæ, universitatis Parisiensis, qui triduo verbositatem suam non modicam sustinuerunt. Ego tunc conflictum vidi, finem expectavi, confusionem suam vidi, ita ut recesserit insalutato hospite; & revera necesse sibi erat, alioquin minus bene dicta coactus fuisset revocare.*

Sæc. XV. Anno 1433. XV. Carlerii oratio adversus Bohemos.

Autumabat Ægidius Carler *salutem totius Orbis & Ecclesiæ* pendere a controversia quam agitabat, & quæ in titulo obscuratur, ut superius observatum. Plura haberet laudanda circa leges humanas, si ad rem facerent; sed secundum morem solitum, scholasticis distinctionibus inutilissimis a scopo sæpius aberrat. Hoc potissimum adversus pœnas quæ criminibus debent infligi, statuebat placitum: *Quamvis omnia peccata mortalia publica sint a quolibet fidelium detestanda, non tamen omnia possunt puniri lege humana.* Illud probabat exemplo meretricum, quæ non possint puniri, sed tolerari debeant. Verba refero, ne quis se credat decipi.

XVI. „ *Simplex meretricium tenetur* (lex) *pro posse restringere, puta,* „ quantum ad locum, ut meretrices non sint in loco honesto civitatis, sed „ in loco quasi sterquilinii, ubi sunt purgamenta civitatis: Nec sint in locis „ privatis, ne inverecundius peccetur, sed in loco publico: Et melius videtur fortasse, ut in suburbiis civitatum: Quantum ad progressum, ne „ currere permittantur per vicos & plateas civitatis, non tabernas aut „ commessationes cum viris frequentare: Quantum ad ornatum, ne preciosis utantur vestimentis, ne auro vel argento capita fulgeant, non intortis crinibus, non in extrinseca capillatura videantur ab hominibus, non „ tunicæ manicas ad terram habeant, non redimicula mitræ, ne, ut quidam „ loquitur, videantur Ideæ Berecynthiæ matris. Sicque per legem humanam „ civilem fieri debet, ut non sicut licitum hæc pestis maneat in urbibus, sed „ tanquam malum, licet minus, ad vitandum majora, ita ut quantum possibile est, insolentia reprimatur, nec in loco permittantur meretrices manere, ad quem pateat aliunde licitus accessus: propellantur ergo omnino à „ do-

XVI. Meretrices licitas esse probatur in Concilio.



Digitized by Google

Sæc. XV. Anno 1433.

„ domibus mechanicorum, ſtufarum, & locis Balnealibus, ne ſub prætex-
„ tu alicujus liciti, peccetur licentius: quinimò nec permittantur ſimili
„ habitu uti, ut honeſtæ mulieres.

*Deut.* 23. De meretricibus.

Et paulo poſt hæc habet: *Ad tertiam objectionem, de prohibitione meretricii, dico, quod lege divina, & olim & nunc meretricium eſt prohibitum in illo præcepto morali*, Non mœchaberis; *verùm, quod in lege veteri ultra hoc præceptum decalogi, erat datum judiciale de prohibitione meretricii: Nunc verò non prohibetur ab homine per judicium civile legis humanæ; ſed nec poteſt convenienter legem divinam prohibentem homo executioni demandare; non enim ſubeſt ei potentia huic legi adæquata. Nec eſt omnipotens, ut ſciat ex malo elicere bonum, ut Deus; ideò ne deterius contingat, tolerat, & permittit. Cur autem in lege veteri prohibebatur judicialiter hoc peccatum, non nunc lege humana; ratio eſt, ſecundùm aliquos Doctores, quia tunc permittebatur Judæis, repudiare uxores, & hoc, quia proni erant ad odiendum ex duritia cordis ſui, & occidendum eas. Ideò ſi improhibitè fornicari potuiſſent, magnum fomentum odii habuiſſent. Nunc autem non licet, nec permittitur uxorem repudiare, nec ſunt ita faciliter odioſi in uxores viri.*

Circa Reliquiarum venerationem multa contingere peccata non diffiretur. *Hoc unum dico, quod veneratio Reliquiarum non eſt improbanda, etenim de ſe honeſta eſt, licita & ſancta.*

(a) La veneratione que ſe deve à los ſanctos cuerpos. fol. 1611. en Madrid.

Quæ hic leguntur circa Reliquias multo ſunt tolerabiliora quam illa, quæ congeſſit *Don* (a) *Sancho d'Avila Epiſpo de Jean.* Ille enim probaturus venerationem quæ debetur corporibus ſanctis, tuetur Chriſtum ipſum veniſſe in Hebron, viſitaturum Reliquias Adami, Abram, Iſaac, Jacob, *con ſus ſantas mugeres*, & revera, inquit, conveniebat, ut ſecundus Adam veneraretur ſepulchrum primi, qui fuit ſponſor bonorum, quæ ipſius poſteritati debebant conferri: Veneratus eſt Chriſtus Reliquias Abrahami, cui Deus in Valle Hebron Trinitatis myſterium revelaverat, & cum angelus pollicitus foret Virgini, Filium ſuum regnaturum in domo *Jacob*, æquum erat, ut tanquam *hæres ipſius viſitaret & veneraretur ejus corpus.* An aliquis dixerit unquam, præter Epiſcopum à me indicatum, quod Chriſtus debuerit venerari reliquias Patriarcharum ſibi multo inferiorum, me penitus latet. Sed hæc ſatis! qui plura velit abſurdiſſima, reperiet in opere jam memorato.

XVII. Methodus oratorum.

XVII. De methodo, quam ſequebantur oratores Baſileenſes coram Patribus Eccleſiæ, judicium ferre facillime poterit Lector ex Commentario in Jeremiam, quem Ægidius Carler in exordio ſcripti ſui protulit.

*Jer.* 1.

„ Ut alter Jeremias, vidi ollam ſuccenſam & faciem ejus à facie Aquilo-
„ nis. Et quoniam intelligentia opus eſt, in tali viſione, dixi Deo:
*Pſal.* 118. „ *Revela oculos meos & conſiderabo mirabilia de lege tua*, Dicam tamen ut
„ intelligo, quænam ſit hæc olla, quæ ſuccenſio, quæ facies contra faciem
„ Aquilonis. Olla iſta hujus ſacroſanctæ Synodi, necnon & horum venera-
„ bilium oratorum Bohemiæ cogitatio eſt, in qua ut in olla, concepta &
„ aviſata reponuntur. Siquidem intellectus poſſibilis eſt omnia fieri, ut a-
„ gens omnia facere: ſuccenſio, ardor & zelus eſt; facies, quæ anterior pars
„ eſt capitis, intentio non incongruè accipitur. Aquilo regio frigida &
*Jer.* 1. „ ſicca, à qua, ut Jeremias Propheta teſtatur, panditur omne malum & pec-
„ cata, carent enim calore gratiæ & honore pietatis. Cogitatio itaque hu-
„ jus ſacri Concilii & præſentium venerabilium oratorum Bohemiæ ſuccen-
„ ditur, Et hujus cogitationis intentio verſa eſt contrà peccata. Igitur pec-
„ cata

„ cata in olla cogitationum veſtrarum, patres eximii & viri venerabiles, profecto comburuntur; quoniam adverſus ea zelus affectuum veſtrorum commotus eſt. Sed quemadmodum ignis in aliena materia urit & crepitat, ita quamdiu in peccata zelus accenditur, turbidus eſt & inquietus. Et ſicut ignis in propria materia jam non ignis, carbo, aut ignis flamma, ſed ignis lux eſt, non urens ſed lucens, non agitata, ſed quietus: ita cum zelus exuſtis peccatis in meditatione permanet, lucidus eſt, non urit, non laborat, ſed tamen in ardore creſcit, de quo Propheta. *In meditatione mea exardeſcit ignis.* Quis verò ſuccenſor & ollæ faber eſt, qui ſufflavit ſub ea prunas? Ipſe eſt venerabilis proponens articulum de punitione peccatorum: prunas rationum ſuarum & auctoritatum cum retulit, ſufflavit, quem creans Dominus ad vos miſit, ut ollam ardentem amplius ſuccenderet. De quo Eſaias. *Ecce ego creavi fabrum ſufflantem in igne prunas, & proferentem vas in opus ſuum.* adeo dilectus meus faber exſufflavit, prunas ſuccendit, ut olla ipſa pene reſoluta liqueſcat. Sed ſicut cum videt operarius flammam excreſcere, ut vas proferat in opus ſuum, aquam mittit in ignem, neque tamen ſuccendere deſinit: ita cum zelum venerabilis proponentis admodum vehementem viderem ad combuſtionem vitiorum, timens cum vitiis etiam ipſius ollæ uſtionem, aquam moderationis hujus ignei zeli, ut alter faber, mittere curavi; videram equidem quoniam flamma ultra fornacem effundebatur cubitis multis, & ſuccenderat eam valde, unde ego intelligens omnem exceſſum periculoſum, imò utile in vita eſſe, ne quid nimis, præterea quod malè miniſtrat omnia impetus, ſocius officio, differenti miniſterio, præparavi antidotum, aquam ad ignem attuli, ut aliquid ex ambobus nobis medium fieret.

SÆC. XV. ANNO 1433. Pſalm. 38. Eſa. 54.

Cæterum Ægidius Carler multa innovata ab Eccleſia nonmodo confitebatur, ſed probabat, oppoſitus plane methodo præſulis neoterici, qui *variationes* in Eccleſia nonmodo negavit, ſed leviſſimas apud Reformatos tanquam demonſtrationes erroris & damnationis probare conatus eſt.

XVIII. Tertius qui hic habetur ſcriptor, fuit *Henricus Kalteyſen*, quem vulgo *frigidum ferrum* vocant hiſtorici, ea ratione, quod ipſius nomen hoc ſignificet apud Germanos, apud quos natus erat. Coloniæ ſtudiis incubuit inter Dominicanos, ibi admiſſus Cruciatam adverſus Bohemos, ex mandato Summi Pontificis, prædicavit. Baſileæ in Concilio adverſus eosdem Bohemos disputavit, hoſque *Innominabiles novellos* appellavit. Fuerunt ii præcipue *Orphani*, quorum Anteſignanus Presbyter *Udalricus* nomine. Is Diaconis Presbyteriſque abſque licentia Epiſcopi prædicationis munus committebat. Plurima adverſus cum Papæ tum etiam Conciliorum infallibilitatem inſeruit, quæ de Hierarchia Eccleſiaſtica fuſe diſſerendi occaſionem Henrico ſubminiſtraverunt. Quamquam enim Pontificem circa fidem errare poſſe autumet, illi tamen ſummam tribuebat autoritatem. Apoſtolos Petri Cardinales, Petrum ipſum *prope Chriſtum*, a quo Pontifex fuerat creatus, collocavit. Multa ſubjecit circa Pontificem, quæ miror in eo Concilio dicta, in quo commota titubabat ejus autoritas; Regias enim leges non niſi Papali decreto firmatas valere affirmavit: Miſſas plures ab uno Sacerdote eadem die dici poſſe tenuit. Barbara ipſi fuit Latinitas, utpote qui *aviſandi*, *contentandi* ſimilibusque verbis uteretur. Excuſationi potuit eſſe, quod cum jam Bohemi in patriam feſtinarent, *morbo gravatus* ſcibere currenti calamo coactus fuerit. In ſeptimana, quam ipſe *penoſam* vocat, hanc habuit orationem, qua Udalrico, qui nonmodo viva voce, ſed

XVIII. Kalteyſen tertius orator.



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

scripto ipsi concredito disputaverat, responsum fecit. Septem post annis inquisitionem totius Germaniæ à Pontifice, cujus Palatii magister erat, suscepit. Deinde vero Nidrosiensis & Cæsariensis provinciarum in Norwegia sitarum Archiepiscopus a Nicolao V. creatus est. Obiit anno 1465. & in Patria, Confluentiis scilicet, sepultus est.

XIX. Ut aliquid de methodo scripti, quod hic inseritur, dicamus; Hæc habet author noster ab initio orationis ab eo coram Concilio habita:

„ Ut reor ex causa quidam, hæsitanti quid offerre posset Deo gra-
„ tissimum, edoctus est per Angelum, offerre civitatem lunæ, rotun-
„ ditatem solis, & primam partem rotæ: per quæ intelligi docuit, C per
„ curvitatem, O per rotunditatem, & R per rotæ primam partem seu
„ literam, quæ tria simul composita hoc nomen *cor*, efficiunt, hinc se-
„ cundùm Isidorum & Catholicon *cor* etymologisatur. c. custos. o. omnium.
*Jerem.* 30. „ r. rerum, quare hoc volens sibi Dominus præparare, clamat: *Quis est*
„ *iste, qui cor suum applicet, ut appropinquet mihi? eritisque mihi in po-*
„ *pulum, & ego ero vobis in Deum.*

Sacerdotes prædicandi jus non ex ordinatione, sed ex autoritate Pontificum habere tuebatur, eosque, quanquam pessimos, venerari debere populum, utpote qui per consecrationem soli Deum faciant è cœlo descendere. Patres ut Apostolos à Deo inspiratos autumabat, Pontificemque quanquam pessimum, nomine Beatissimi & Sanctissimi posse decorari. Beatæ Virgini devotissimus eam oravit his verbis: *Mediante Beatissima Dei Genitrice, cui non deest potestas, cum sit mater omnipotentiæ, nec industria, cum sit mater sapientiæ, neque adjuvandi voluntas, cum sit mater totius clementiæ & misericordiæ.*

XX. Polemar quartus orator adversus Bohemos.

XX. Postremus Concilii Basileensis orator fuit *Johannes Polemar*, Barcinonensis, quem *Pinius* appellat Bajocensem, errore typographorum, qui non debet tanto viro imputari: Asserit ipse, se origine Hispanum in Barcinone causam repetiisse, in qua aderant plusquam *quinquaginta Doctores & Licentiati.* Fuit postmodum *Auditor Palatii Apostolici.* Basileam à Cardinale Juliano evocatus, cum cæteris Concilii Legatis ad Bohemos missus est. Apud ipsos sæpius oravit, ut ad Concilium properarent. In Concilio orationem triduanam habuit circa *civile dominium Clericorum*, contra *Petrum Payne*, Anglum, qui ipsis penitus illud abstrahere volebat, tanquam voto paupertatis astrictis. Veritati semper litantes, absque præjudicio partium, duo confitemur: primo tantas Ecclesiæ divitias, quæ Religioni nocent & ab Apostolico genio sunt penitus alienæ, excitasse equidem apud Bohemos & Moravos scandala, quæ debebant emendari; sed ideo non debuit eripi jus omne Clericis, qui debent sacris occupati possidere reditus, sustentandæ vitæ & familiæ sufficientes, attamen hoc tertium est observandum Joh. de Polemar niti falsis plane argumentis, cum indicaret *Constantini donationem* & ipsum Imperatorem a Sylvestro lepra sanatum, & auderet Concilio præsente docere, *Papam Christi Vicarium universum esse dominum omnium dominiorum civilium; esse primum administratorem imo & dominum eo modo, quo dominia hominibus sub deo competunt.*

Pepercimus lectori, ni fallor, dum ea paulo fusius exposuimus, quippe cum in illis orationibus plurima occurrant, quæ nihil ad rem faciunt, nec tituli moneant satis lectores incertos, de qua re potissimum agatur; quæ majori videbantur observatione digna hic indicavimus; cætera Theologorum judicio subjicientes. XXI. Se-

Digitized by Google

XXI. Sequitur postmodum *disputatio cum Rokisana* coram Rege Pogiebraco: sed quædam sunt præmittenda circa *Compactata* à Concilio Basileæ congregato concessa, & postmodum Pragæ & Iglaviæ confirmata, quæ nullatenus fuerunt observata.

XXI. Occasio disputationis cum Rokizana.

Finitis orationibus, concionem habuit ad Bohemos *Julianus* Cardinalis & Concilii Præses, eosque ad pacem, quam optare videbantur, humaniter hortatus est. Attamen illis plura objecit: *Audimus enim præter hos articulos quatuor, quos proposuistis, multa alia vos habere dogmata peregrina, in quibus a nobis dissentitis. Necessarium est, si fraternitas inter nos sequi debet, ut omnia in hoc sacro Concilio propalentur, nec enim ex levibus conjecturis ista accepimus, partim enim à fide dignis personis audivimus, partim quidam qui hic sunt, propriis oculis in Bohemia viderunt, partim ex vestra relatione perpendimus, & revera, si Wiclef creditis evangelicum doctorem, consequens est; ut dicta ejus authentica reputetis. Si vero non ita putatis, æquum est, ut hoc nobis innotescat.* Eos deinde interrogare voluit circa omnes articulos à *Wiclefo* propugnatos, ipsosque per *credimus, vel non credimus*, unicuique articulo respondere jussit; sed denegarunt, obtendentes, se nomine Regni Bohemiæ & Moraviæ in mandatis habere, quatuor tantum supradictos articulos exponere & tueri: Denique cum sæpius *Hæretici* appellarentur Bohemi, metuentes ne, Hæreseos labe ipsis inusta, postmodum violaretur fides pacis & multo magis Reformationis pollicitæ, spe deperdita, & habitis per dies L v. disputationibus, præcipiti fuga in patriam sunt reversi. A Concilio Basileensi statutum est postmodum, ut ejus legati, quorum anteſignanus erat *Philippus Constantiensis*, in Neustria præsul, & *Polemar*, Pragam peterent, ibique cum Bohemis & Moravis collationem pacificam haberent. Advenientibus illis, post frequentissima inter utramque partem certamina, hæc fuerunt *Compactata*, Pragensia vel Basileensia dicta, eo quod Concilii autoritate per ejus legatos conciliarentur. Concessum dictis Bohemis & Moravis, suscipientibus Ecclesiasticam pacem, *realiter*; sed qui postulabant, *ut communicarent sub duplici specie*, hanc adjiciebant conditionem, quod Sacerdotes communicantibus dicant, quod ipsi debeant firmiter credere, quod non sub specie panis caro tantum, sed sanguis &c. Deinde vero pollicebantur legati, pro firmitate pacis *dare bullam Concilii & mandata ipsius Concilii ad omnes principes.*

Juliani oratio Concil. XXII. p. 446.

V. Littera Credentialis ad Regnum Boh. Cochl. l. 7. p. 259.

Compactata Pragensia. an. 1433. p. 272.

XXII. Pugna inter Orphanos & Calixtinos, prioribus funestissima.

XXII. Disidebant *Lupus* Orphanorum, & *Rokizana* Pragensium concionatores. Ex eo conflagrarunt odia, ut pugnatum sit in vicinia Pragæ. Aderant non tantum Orphani, sed & Taboritæ, quorum Dux *Procopius Rasus*, cum suos retinere non posset, inter confertissimos hostes delapsus cum cohorte lectissima, nonmodo eorum impetum retinuit, sed ipsis victoriam pene eripuit; illo vero cæso, ut & altero *Procopio*, quem *parvum* appellabant, omnes in fugam sunt conversi. *Maynardus* victor, convocato Procerum cœtu, tum Orphanos tum Taboritas neci damnavit, jussitque, ut omnes militiæ periti horrea intrarent, stipendia publica recepturi, donec regnum pacaretur. Clausa sunt confestim ostia, ignis immissus horreis, *quo fæx illa & colluvies hominum, ignominiosum agmen, post multa quæ patraverat scelera, exusta, contemptæ Religionis pœnas dedit,* sic loquuntur Historici, queis ferocissima Religio fecit præcordia.

An. 1434. Ibid. p. 278.

XXIII. Compactata Iglavensia Compactata Egræ. an. 1434. p. 279.

XXIII. *Coapibus, qui Thaboritarum equitatum ductabat*, evasit, & Thaboritæ, qui mitiores hac clade facti sunt, paci studentes convenerunt cum Pragensibus, ut judicio *Petri Payne* se subjicerent, & sic novum *com-*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433. *pactatum* fuit inter eos compositum: *Volumus & promittimus stare scriptis J. Hus & J. Wicleff & scriptis Magistris Petri Anglici in controversiis habitis inter Pragenses & nos, in materiebus Sacramentorum septem Ecclesiæ, invocationis Sanctorum, rituum, Missæ & purgatorii.* Eo suscepto opere *P. Payne* ex autoritate *Sigismundi* Imperatoris &c. sententiam pronunciavit cum assistentium acclamationibus. Biennio post confirmata sunt Iglaviæ compactata Pragensia ex mandato Sigismundi & legatorum Concilii Basileensis, quibusdam tantum verbis immutatis, unde *Compactata Iglavienſia* sunt appellata.

An. 1436. pag. 200.

XXIV. Compactatorum Historia.

XXIV. Laudem in eo merebantur tum Basileense Concilium tum ejus legati, quod autoritate, quæ vulgo superior rationibus evadit, minus observata, aliqua pacis studio Bohemis concesserunt, sed

*Naturam expellas furcâ, tamen usque redibit.*

Cochl. l. 8. Comment. Pii Papæ II. l. 7. p. 188.

Non eâ mens fuit cæteris Pontificiis, Compactata tuendi: plurima sumus omissuri quæ ab Historicis narrantur. Sed *Georgii Pogiebraci*, tunc temporis Bohemorum Regis, & Calixtinis addicti, legati Romam & *Æneam Sylvium*, sub *Pii secundi* nomine Pontificem, adiverunt, atque *oratione præcipiti & voce sonora* postulaverunt, ut compactata Bohemorum cum Concilio Basileensi Apostolica autoritate confirmarentur, *id regem cupere, id regnum expectare, id nisi concedatur, pacem inter Bohemos esse non posse. Accersito consistorio Pontifex pro tribunali sedit, ac de compactatis locutus, ea ex multis capitibus desiisse monstravit, exin non posse indulgeri sine magno periculo quæ peterentur.* Quæ fides haberi potest, ubi aliqua a Concilio, quod œcumenicum appellant, concessa, à Pontifice negantur?

XXV. Collatio coram Rege Bohemiæ. Disputatio cum Rokizana. an. 1465.

XXV. Ferveſcentibus odiis, ut animos subditorum ob illas controversias vehementissime agitatas conciliaret Bohemiæ Rex *Pogiebracus.* Convocavit Decanum Clerumque Pragensem & inter potiores Terrigenas ex parte Catholicorum quadraginta quinque, & totidem ex *parte Rokizanæ; qui ipse aderat cum Presbyteris suis, de civitatibus utrisque binos & binos* cum aliquot consiliariis Regis. Convocatis, oratione a Rege habita, conquestus est Rokizana, non observari à Catholicis compactata, inde bellum & strages oriri & Regnum florentissimum devastari. Decanus respondens dixit, Compactata propter ipsos facta non fuisse, quippe qui semper *sub obedientia* Pontificis remansissent, nec unquam sub utraque specie communionem postulassent: Concessa tantum pro tempore non debere observari mutatis temporibus & rebus. Deinde objiciebat Decanus Rokizanæ, eum Wiclefi opiniones fovere, quasi quadraginta quinque propositiones ejus iniquissime damnatæ fuissent, quarum una fuit, substantiam panis remanere in Sacramento. Hoc non diffitebatur Rokizana; Wikleff, inquiebat ille, damnatus est tanquam Hæreticus, quòd arguebat superbiam & concubinatum Cleri. Isti articuli, quos *Hylarius*, Clericus Pragensis, scandalosos & hæreticos appellat, sunt isti, bone Rex, quod decimæ sint eleemosynæ, quod Clerus non debet dominari civiliter &c. & minus juste damnatus est Wicleff: & Zwineck, Archiepiscopus Pragensis, *qui ejus combussit libros, hoc fecit sicut homo ignarus, imo de ipso fuit cantio.*

Aliæ inter eos agitabantur controversiæ, nempe quod Rokizana negaret autoritatem supremam Pontificis & obedientiam Ecclesiæ Romanæ. *Promisisti*, ajebat decanus, *promisisti obedientiam sacro Concilio & summo Pontifici, & tamen expresse prædicas contra illam in sermonibus tuis, ut Sacer-*

Digitized by Google

*cerdotes tui parvi facis dignitatem Pontificalem & de uno loqueris tanquam essent plures: quandam cantionem quo die permittis cantare, quæ continet aliquot Hæreses: Imo Ecclesiam appellas* SCARIOTICAM BESTIAM & *meretricem.* Arguebat deinde Rokizanam Decanus, quod Sacerdotibus chrisma conficiendi & conferendi facultatem daret, confessionem vero deprimeret, & peccatoribus pœnitentiam subire volentibus dicebat: Abi in pace & noli amplius peccare, ne pejora tibi eveniant; imagines vilifaceret & earum cultum abolere conaretur. Sed potissimum disputabatur de communione sub utraque specie, quam infantibus statim post Baptismum conferebant Rokizanæ discipuli. Objiciebant illi Gelasii decretum, quo vetat *Corpus Christi accipere sine sanguine*; sed reponebat Hylarius: *Scire debes, quod quilibet canon habet corpus & animam, corpus canonis est textus, anima vero intellectus secundum sensum Ecclesiæ; corpus autem sine anima est mortuum: non debet intelligi iste canon de Laicis, sed de Presbyteris conficientibus.* Sed si examini subjiciatur ille canon, patebit voluisse Pontificem omnes tam Laicos quam Sacerdotes sub utraque specie communicare, ut à Manichæis tunc numerosissimis distinguerentur. Ipse autem Decanus futilissimis nitebatur rationibus: primo, quia Christus refecerat populos ex quinque panibus, & nullibi legitur potasse, & tamen creditur, quod in illis panibus & piscibus fuerint *satiati & potati.* Secundo, loquitur Christus de specie panis & de suo corpore undecies, de sanguine quater, nullibi de *specie vini* & de utraque. Tertio, docens discipulos orare mandavit, ut peterent panem *nostrum quotidianum*, sine vino; at ille panis est corpus Christi. Quarto, hæc sunt Jobi verba: *Pulli aquilæ potabunt sanguinem.* Qui sunt illi *pulli* Regis avium, nisi Sacerdotes, quibus solis sanguinem potare licet? Denique distinguebat diversos potus, quorum potior est *Sacramentalis*, & fit sub utraque specie; sed ille *Sacramentalis* potus non respicit Laicos, sed Sacerdotes. Quasi Laici *Sacramentaliter* communicare non deberent? Hæc argumenta Cleri Pragensis non solum ut noviſſima, sed nequaquam probantia mirari debet lector.

SÆC. XV. ANNO 1433.

XXVI. Ritus Ecclesiæ Romanæ singularis.

XXVI. Utebatur singulari prorsus argumento *Malouetz*, unus ex Rokizanæ consecraneis: Die Paschatis, inquiebat, Papa communicat certas personas de populo sub utraque specie. Reposuit statim cancellarius, ut ritum plerisque inauditum aperiret: *Papa communicat certas personas in sede sua*, & Cardinalis Diaconus stans apud cornu Altaris *dat illi de calice*, cui Papa dedit Corpus Christi; *Et de hoc magna fuit disceptatio* usque ad feriam secundam, in qua cancellarius declaravit, se nescire, saltem non sibi constare, an sit *ibi vinum vel Sanguis Christi.* Tunc Rex ait: hoc habemus, quod in Ecclesia Romana continuata sit communio sub utraque specie, & quod pro eo, Dei gratia, non sumus schismatici.

Ad intelligentiam objectionis observandum, singulares ritus in usu fuisse tunc temporis in Ecclesiis, quanquam Romanæ subjectis: Prior fuit in *Missa præsanctificatorum*, quæ in die Parasceves a Latinis solet celebrari; quippe immittebatur in calice nonconsecrato Hostiæ particula: Sacerdos sumit, ut fert ordo Romanus, de sancta, & ponit in calicem, nihil dicens, nisi forte aliquid secrete: *Sanctificet autem vinum nonconsecratum per sanctificatum panem, & communicent omnes cum silentio.* Alter fuit ritus, quo infundebatur vinum ex calice consecrato in calicem nonconsecratum, in quo erat vinum, & tunc porrigebatur ille calix populo. Tertius denique paulum diversus fuit, infundi vinum ex calice nonconsecrato in calicem consecratum.

De

Digitized by Google

Sæc. XV. Anno 1433.

De Ritibus conſtat, ſed non conveniunt inter ſe doctores celeberrimi, an Hoſtiæ particula injecta calici die Paraſceves conſecret vinum, & eadem ratione, an vinum conſecratum, vino nonconſecrato permixtum, efficiat Sanguinem Chriſti? hæc poſtrema quæſtio agitabatur potiſſimum in diſputatione cum Rokizana, cujus diſcipuli affirmativam tuebantur, inde concludentes, Pontificem ipſum communicare Laicos ſub utraque ſpecie. Dubitabat vero cancellarius; *an vero ſit ibi Chriſti Sanguis, vel vinum illud, mihi non conſtat.*

Vide Mabillon. Comment. in ordinem Romanum. t. 2. p. LXXVII. Harduinum de Sacr. Altaris embolum ſecundum. op. p. 303. Dom. Claude La verit. explication des Rubriques de la Meſſe. p. 1. ch. 8. t. 3. p. 343. &c.

Apertius multo negaverat olim Durandus, dum ſic mentem ſuam aperit: *In quibusdam locis poſt ſumptionem Corporis & Sanguinis Chriſti aliquid de ipſo ſanguine reſervatur in calice, & ſuperinfunditur vinum purum, ut communicantes inde ſumerent; non enim decens eſſet tantum ſanguinem conficere, nec calix capax inveniretur: deinde vinum non fit ſanguis, niſi per hæc verba a Sacerdote prolata: Hic eſt ſanguis meus. Denique penetratur vinum a ſanguine, ſed non tranſmutatur.*

Nos oppoſitam plane tenemus viam. 1. Quia leguntur hæc verba in ordine Romano: *Sanctificatur autem vinum nonconſecratum per conſecratum panem.* Si autem Hoſtiæ particula vino immerſa illud conſecrat & ſanctificat; ſanguis qui infunditur calici, eandem debet habere virtutem. 2. Concilium Arauſionenſe primum ſic habet: *Calix admixtione Euchariſtiæ conſecrandus.* 3. Illud confirmat Micrologus: *Non eſt authenticum, quod quidam Corpus Domini intingunt, & intinctum pro complemento communionis populo diſtribuunt*; nam ordo Romanus contradicit, quia in Paraſceve vinum nonconſecratum *cum Dominica Oratione & Dominici Corporis immiſſione jubet conſecrare, ut populus plene poſſit communicare:* quod ſententiam noſtram probat apertiſſime. 4. Quis eſſet uſus immixtionis vini conſecrati vino nonconſecrato? *Acquiritur*, inquiunt, *ea ratione vino nonconſecrato nobilitas, virtus, dignitas, benedictio, conſecratio, vel ſaltem quædam conſecrationis ſpecies.* Sed hæc ſunt mera verba; Si enim ſanguine immixto natura vini non immutatur, remanetque vinum, ut fuit antea, nulla ipſi dignitas conciliatur, & ea decipiuntur arte Laici, qui *plene communicare* ſibi fingunt. 5. Denique ſi ſanguinis guttæ, vino nonconſecrato admixtæ, ſeparatæ remanebant, & tunc temporis illas guttas propinabat Sacerdos Laicis; qui eas hauriebant è calice, ea ratione Sacerdotibus fiebant æquales, & ſub utraque ſpecie communicabant, dum alii eâ privarentur gratiâ, quanquam ipſis conceſſam ſibi fingerent. Si vero illæ guttæ ſanguinis vino plurimo immiſcebantur, tunc omnes ſanguinem cum vino nonconſecrato ſorbebant. Sicque probatur, in ipſa Eccleſia Romana, præſente Pontifice, Laicos communicaſſe ſub utraque ſpecie, ut loquebatur Pogiebracus, vel ut alii, priſtini remanent veſtigia ritus: Quod nobis fuit concludendum.

Conc. Araus. I. Can. 17.

Cl. le Vert.

XXVII. De Pogiebraco Rege.

XXVII. De illo Bohemiæ Rege, qui pacem Eccleſiæ promovere conabatur, ideoque hanc Theologorum & Baronum Regni diſſidentium collationem habuit, pauca dicturi ſumus ex ipſius epiſtola, quam *Matthiæ* genero ſuo ſcripſit, & ab aliquot tantum annis fuit edita.

Epiſtola Pogiebraci ad Michaelem apud Dacherium Spicil. t. V. p. 404. an. 1466.

Erepto præmatura morte *Ladiſlao*, quem in regnum paternum & avitum introduxerat *Pogiebracus*, (a) qui tutelam ejus adminiſtrabat, ipſe regnum obtinuit, & *illud inteſtino malo preſſum, civilibus bellis lacerum reſarcire, coadunare & conſolidare totis viribus niſus eſt, neque*, ut aſſerit,

(a) Bohemicâ linguâ Podiebrac.

Digitized by Google

ſerit, *de ritu Euchariſtiæ ſumendæ, cæteriſque ſacrificiorum ritibus quicquam agitare, præterquam compactata, olim autoritate Concilii Baſileenſis facta, pro pace inducenda obſervare voluimus*; & facile tota Bohemia, Moravia, Sileſia, poſt longa bellorum diſcrimina, *in noſtram coîre ſententiam.* Et fatetur ipſe Cochlæus, ſi una defuiſſet Huſſiticæ ſectæ labes, inter optimos Reges commumerari poſſet: *quis enim fuit eo vel in conſiliis circumſpectior, vel in armis expeditior, vel in judiciis æquior, vel in Regia Majeſtate moderatior; quamvis enim Huſſitarum ſectæ adhæreret, Catholicos tamen imperio ſuo ſubjectos a Ritibus Eccleſiæ numquam arcuit, nec in ſectam ſuam coëgit.* SÆC. XV. ANNO 1433. Cochl. Hiſt. Huſſ. l. XII.

XXVII. Attamen cùm Rokizanæ partes foveret Rex ille, pacem promovere toto animo conaretur, ideoque compactata vellet obſervari; in eum inſurrexerunt Pontifices, qui nemini parcunt, nec aliam virtutem, niſi obedientiam ſedi ſuæ præſtitam agnoſcunt. Scripſit Pius II. acerbiſſimam ad Regem epiſtolam, ut de obedientia promiſſa, ſed non plene reddita illum increparet: Wratiſlenſes Regi rebellantes ipſe à Sacramento fidelitatis abſolvit, & in Eccleſiæ protectionem recepit: denique Friderico III. Imperatori declaravit, Pogiebracum inter Reges chriſtianos recenſeri non poſſe, & ideo adverſus ipſum, tanquam ab Eccleſia ſeparatum, arma moveri debere. Eo tamen tempore lis adverſus eum intentata Romæ, non fuit ad finem adducta. Quaſi toti penderent ab autoritate Pontificis Reges autoritate ſuprema gaudentes! XXVII. Pii ſecundi perſecutiones.

XXVIII. Sed multo ferocior adhuc *Paulus ſecundus* duobus Cardinalibus *cauſam ſuper relapſu adverſus nos*, inquit *Rex, commiſit, qui tamen de Hæreſi nunquam convicti ſumus: Ipſi animum ſuum in nos detegentes, ab injuriis & convitiis exorſi, tali forma verborum uſi ſunt.* „ Præfatum Georg. „ de Podiebrad citamus; quatenus centeſima & octogeſima die compareat „ procuratori fidei ſuper Hæreſis relapſu reſponſurus." *Numquid injurium eſt, Regem coronatum, taliter a Sede Apoſtolica recognitum, neque de jure, neque de facto privatum, ſuppreſſo Regio titulo, ſolo prænomine, humilis adjectione, nuncupare? Nunquid captatoria fuit hæc citatio, cui parere minime poteramus, ſine abdicatione Regiæ Majeſtatis? Nec expectato termino, nulla etiam in jus præmiſſa vocatione, ſexto idus decembris ſequentis, omnes noſtros & Regni Bohemiæ ſubditos ab omni ſubjectionis noſtræ vinculo, quantum in ſe fuit, abſolvit.* Hæc Podiebrac, qui hoc nomen ex caſtro avito habuit. Cætera ſunt notiſſima; *Matthias* enim *Hunniades*, quem Pogiebracus e carcere eduxerat, ut ipſi vitam ſervaret, & quem libertate donatum in familiam adſciverat, deſponſata ipſi filia: Hic *Matthias Hunniades* per ſeptem annos Socero bellum inflixit, ut eum Bohemiæ Regno, ipſi a Pontifice adjudicato, ſpoliaret: Sed *Pogiebracus* ſæpius victor obiit, cum regnaſſet annos XIII. Perſecutionem iniquiſſimam Pauli II. & Epiſtolam Pogiebraci, a cæteris omiſſam, hic indicavimus. XXVIII. Pauli ſecundi an. 1465. Pogiebraci epiſtola. p. 406.

XXIX. Cæterum hanc diſputationem cum Rokizana ab ipſo vel amico ſcriptam non fuiſſe, facile probabitur. Quidquid enim ſentiant alii, author ille convitiis Rokizanam ſæpius afficit, & nunquam ab injurioſis titulis abſtinet. Deinde ejus argumenta obiter & per tranſennam refert, dum argumentis Decani majorem afferre lucem conatur; Itaque ſi conjecturæ locus eſſet, putarem *Hylarium*, de quo ſæpius in ea diſputatione agitur, hanc ſcripto mandaſſe, quippe qui primas in ea partes tenuerit: ſæpius collegis præſentibus obloquebatur, cæteris enim doctrinâ, libertate dicendi XXIX. De ſcriptore diſputationis.



Digitized by Google

Sæc. XV. Anno 1433.

cendi & forsan audaciâ superior fuit, utpote qui in Regem ipsum invehatur, nulla autoritatis vel supremæ Majestatis habita ratione. Fuerat Hylarius ille ab ineunte juventute partibus Calixtinorum addictus, sed fidem dejeravit, motus, ut ipse loquitur, autoritate & exemplis D. Pauli & Augustini: postmodum ad decanatum Pragensem fuit promotus, & apud suos inclaruit.

XXX. Libri citati nunc perditi.

XXX. Ultimum monendum nobis supereſt, nempe, in hac disputatione laudari scriptores plurimos, quorum scripta nunc oblivione sepulta penitus ignorantur. Si quis illa, ad fidem faciendam, ex tenebris in lucem protrahere vellet, adire debet monasteria in Bohemia, Silesia & Moravia frequentissima, nisi prævaluerit a longo tempore monachorum ignorantia, vel supina negligentia, qui illa tineis & blattis corrodenda permiserunt.

Cæterum observari debet; Bohemos & eorum assecias non modo in Bohemia, Moravia, Silesia, Lusatia tunc temporis sub Regis autoritate commoratos fuisse; nam patet ex objectionibus, plurimos fuisse eorum fratres in Italia, & præcipue in vicinia Veronæ, ubi aliquando eorum discipuli ordinationes recipiebant, quod hîc ipsis opprobrio & crimini vertitur. Non equidem sequitur quatuor Orationes illa Rokizanæ disputatio, sed post aliquot pagellas illam reperiet lector, quia temporum & annorum seriem intervertere noluimus.

ORATIO

# ORATIO

QUA

# JOHANNIS DE RAGUSIO,

## ORDINIS PRÆDICATORUM. PROCURATOR GENERALIS,

*Respondit per octo dies*

Ad Articulum primum Bohemorum.

# DE COMMUNIONE

SUB

# UTRAQUE SPECIE,

*Propositum à* M. Joanne Rokkyzana 16. *Januarii.*

REverendissimi Reverendique Patres, Illustrissime Princeps, Regum & Principum, universitatum atque communitatum Ambasiatores Oratoresque egregii, utriusque juris divini pariter & humani Doctores eximii & Magistri, Comites, Barones, & nobiles, civesque insignes, & cæteri in Christo Jesu omnes Patres, Domini & fratres dilectissimi, qui huic sacræ congregationi divinoque certamini interestis! Post valdè utilem ac perneccssariam exhortationem Reverendi in Christo patris & domini mei singulariissimi, domini Cistertiensis (cujus exhortationis verba utinam tali fide, tali devotione, talique charitatis affectu fuissent à cunctis auditoribus accepta, quibus ab eodem patre prolata sunt) responsionem pro modulo meæ parvitatis, & ut Spiritus sancti gratia suggesserit, ad articulum de communione sacratissimæ Eucharistiæ, sub utraque specie, per Ambasiatores & oratores incliti regni Bohemiæ propositum, facturus, video me, necessitate compellente, in præsenti actu quatuor debere peragere. Et *primo* oportunas & necessarias excusationes præmittere. *Secundo* divinum auxilium implorare. *Tertio* necessarias & consuetas protestationes annectere. *Quarto* Catholicæ Romanæ Ecclesiæ consuetudinem in communione unius speciei, quod ad populum laicalem, firmare, stabilire & roborare, nec non & adversa, quantum fieri poterit & vires meæ debiles permiserint, propulsare. SÆC. XV. ANNO 1433.

*Quatuor præmittuntur & tractantur.*

1. *Necessaria excusatio.*

2. *Imploratio divini auxilii.*

3. *Consueta protestationes:*

4. *Confirmatio communionis sub una specie.*

*Sublimitas materiæ.*

*Primum* igitur prosequendo; triplici me intueor obrui difficultate. *Prima* est objectæ materiæ altitudo. *Secunda* est astantis hujus glorioisissimi ac celeberrimi & sacratissimi cœtus ingenii profunditas, & summæ atque incredibilis & penè divinæ sapientiæ magnitudo. *Tertia* est proprii ingenii vehemens insufficientia, inextricabiles tenebræ & profectò inexplicabilis hebetudo. Nam sic altam & profundam invenio, de qua ad præsens coram glorioisissimis conspectibus vestris sum prolocuturus materiam, ut profectò ad eam explicandam nedum me insufficientem intueor, verum etiam totaliter inhabilem & ineptum. Si enim Paulus Apostolus, divinorum contemplator & reserator arcanorum, immersus divinæ providentiæ irreserabili atque inattingibili & inperscrutabili profunditati, coactus fuit exclamare: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia* Rom. 11. *sunt*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

*Sunt judicia ejus & investigabiles viæ ejus!* quid ego miser dicere potero de hoc ineffabili sacramento? quod inter mirabilia opera Domini egregius Propheta David enumerat, ita dicens: *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus; escam dedit timentibus se.* Ibi enim Apostolus divinæ sapientiæ infinitate oppressus cogebatur exclamare: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei.* Ego verò in consideratione hujus divinissimi sacramenti, veluti manibus & pedibus triplici, quod difficile rumpitur, ligatus funiculo, nequeo me explicare. In hoc siquidem divinissimæ Eucharistiæ sacramento divina omnipotentia ostenditur, summa Sapientia explicatur, & immensa divinæ bonitatis benignitas declaratur.

*Psalm 110.*

Transubstantiatio explicatur.

Et quidem divina omnipotentia ostenditur, dum divino verbo ad elementum accedente, hæc terrena materies, remanentibus accidentibus, in Christi substantiam subito & in instanti convertitur, dum ipsa panis & vini accidentia, præter naturæ ordinem, absque subjecto relinquuntur, dum eis modus existendi substantiæ tribuitur, ita ut omnia possint agere & pati, sicut si eisdem adesset propria substantia, dum non mutans locum, nec cœlum deserens Christus totus, verus & integer, sub hoc incipit esse sacramento, & non solum totus sub toto, sed totus sub qualibet parte, & quantumvis speties dividantur, frangantur, *dentibus masticentur*, (a) sive in pluribus locis aut ubique terrarum multiplicentur, ipse tamen Christus totus & integer sub qualibet particula divisionis perseverat, idemque & unus in cœlo, & in omnibus locis, in quibus hoc sacrificium celebratur aut existit, non multiplicatus manet idem penitus, qui ex virgine natus, qui in mundo conversatus, qui in ultima cœna seipsum discipulis, hoc sacramentum instituendo, tradidit, qui in cruce pependit, qui mortem pro nobis pertulit, lanceam militis sustinuit, in sepulcro jacuit, tertio die de sepulcro glorioſus resurrexit, in cœlum ascendit, Apostolis Spiritum sanctum misit, sedetque nunc ad dexteram Patris, ipse unus, inquam, idem & totus, atque integer est & apud patrem in cœlo & nobiscum in altari, & ubicunque hoc divinum mysterium celebratur, & sicut non alius & alius hic & ibi Christus, sed unus verus & totus in omnibus altaribus; sic nec hoc aliud ab illo, sed hoc & illud & omnia unum verum & immaculatum sacrificium. Hæc & innumerabilia quæ in hoc continentur sacramento mirabilia fiunt omnipotenti virtute Dei, cum enim sacerdos Christi verba pronunciet; *Hoc est enim corpus meum & hic est sanguis meus*, panis & vinum in carnem & sanguinem convertuntur, illa verbi virtute, qua Verbum caro factum est & habitavit in nobis, qua dixit & facta sunt, mandavit & creata sunt, qua fœminam mutavit in statuam salis, & virgam Moysi in colubrum convertit, qua fontes mutavit in sanguinem, & aquam convertit in vinum. Nam si verbum Heliæ potuit ignem de cœlo ponere, verbum Christi non poterit panem in carnem mutare? quis hoc audeat opinari de illo, cui nullum verbum est impossibile, per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil? certe majus est creare quod non est, quàm mutare quod est; ac longe majus, quod non est, de nihilo procreare, quàm quod est, in aliud transmutare. Illud autem nemo est qui dubitat, & hoc aliquis dubitabit? absit. Omnino incomparabiliter majus est, quod Deus ita factus est homo, quod non desinit esse Deus, quam quod panis ita fit caro, quod non desinit esse panis, quia non annihilatur, sed in corpus Christi convertitur. Illud per incarnationem semel factum est; istud per consecrationem jugiter fit. Unde Ambrosius in libro de sacramentis: & habetur de consecrat. Distinct. 2. Cap. Revera. *Cognovisti præstantiora: potior est lux quam umbra, veritas quam figura, corpus auctoris quam manna de cœlo. Fortè dicis; aliud video: quomodo & tu mihi asseris, quòd Christi corpus accipiam? & hoc nobis adhuc superest ut probemus. Quantis igitur utimur exemplis, ut probemus hoc non esse quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit, majoremque vim esse benedictionis, quam naturæ, quia benedictione natura etiam ipsa mutatur? Virgam tenebat Moyses, projecit eam, & facta est serpens: rursus apprehendit caudam serpentis, & in virgæ naturam convertitur. Videt igitur prophetica gratia bis mutatam esse naturam serpentis & virgæ. Currebant Ægypti flumina puro meatu aquarum, subito de fontium venis sanguis cœpit erumpere. Non erat potus in fluviis, rursus ad Prophetæ preces cruor cessavit fluminum, aquarum natura remeavit. Circumclusus erat undique populus Hebræorum, hinc Ægyptiis vallatus, inde mari coneluſus, virgam levavit Moyses, separavit se aqua, & in murorum speciem congelavit, atque inter undas via pedestris apparuit. Jordanis retrorsum conversus contra naturam in sui fontis revertitur exordium. Nonne claret naturam vel maritimorum fluctuum vel fluvialis cursus esse mutatam? sitiebat populus patrum, tetigit Moyses petram, & aqua de petra fluxit. Nunquid non præter naturam operata est gratia, ut aquam vomeret petra, quam non habebat per naturam? Marath fluvius amarissimus erat, ut sitiens populus bibere non posset; misit Moyses lignum in aquam, & amaritudinem suam aquarum natura deposuit, quam infusa subito gratia temperavit. Sub Eliseo Propheta uni ex filiis prophetarum excussum est ferrum de securi, & statim mersum est; rogavit Eliseum qui amiserat ferrum, misitque Eliseus lignum in aquam, & ferrum nata-*

(a) Mirandum, hanc dentibus masticationem doceri post tot sæcula a Berengario & Gregorio VII. elapsa. BASN.

*Joan. 1. Psal. 168. Gen. 19. Exod. 4. & 7. 4. Reg. 1. Luc. 1. Joan. 1.*

*cap. 8. & 9. cap. 69.*

*Exod. 14. Jos. 4. Psal. 67. Exod. 15. 4. Reg. 6.*

*natavit, utique & hoc præter naturam factum cognovimus: gravior est enim ferri spe-* SÆC.
*cies, quàm aquarum liquor. Advertimus igitur majoris potentiæ esse gratiam, quàm* XV.
*naturam, & adhuc tamen Propheticæ benedictionis numeramus gratiam. Quod si tantum* ANNO
*valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicimus de ipsa consecratione* 1433.
*divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? Nam sacramentum istud quod accipis, Christi sermone conficitur. Quod si tantum valuit sermo Heliæ, ut ignem de cœlo deponeret, non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum? De totius mundi operibus legisti, quia ipse dixit & facta sunt: ipse mandavit creata sunt. Sermo igitur Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt in id mutare quod non erat? Non minus est dare, quàm mutare novas naturas rebus. Sed cur argumentis utimur? suis utamur exemplis, incarnationisque exemplo astruamus mysterii veritatem. Nunquid naturæ usus præcessit, cum Dominus JESUS ex Maria nasceretur? si ordinem quærimus; viro mixta fœmina generare consueverat, liquet igitur quod præter naturæ ordinem virgo generat, & hoc quod conficimus corpus, ex virgine est. Quid hîc quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cum præter naturam sit ipse Dominus JESUS partus ex virgine? vera utique caro Christi quæ crucifixa est, quæ sepulta est: verè ergo illius carnis sacramentum est. Ipse clamat Dominus JESUS: Hoc est corpus meum. Ante benedictionem verborum cœlestium alia species nominatur: post consecrationem corpus Christi significatur. Ipse dicit sanguinem suum: ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur; & tu dicis, Amen, hoc est, verum est: quod os loquitur, mens interna fateatur; quod sermo sonat, affectus sentiat.* Hæc Ambrosius. Sed diceret aliquis: Certus sum omninò quod Deus hæc valet, & majora; at non sum certus aliquo modo quod velit. Advertat ergo, quod Christus panem cum accepisset, benedixit & dixit: *Hoc est corpus meum.* Veritas enim hoc dixit, & ideo verum est omnino quod dixit. Quod ergo panis fuerat cum accepit, corpus suum erat cum dedit: panis itaque mutatus erat in corpus ipsius, & similiter vinum in sanguinem. Non enim ut hæreticus sapit, sed desipit, ita debet intelligi quod Dominus ait: *Hoc est corpus meum*, id est, hoc significat corpus meum, sicut quod dicit Apostolus: *Petra erat Christus*, id est, Petra significabat Christum: hoc enim potius dixisset de agno Paschali, quàm de azymo pane. Nam agnus Paschalis absque dubio figurabat corpus Dominicum, sed panis azymus corpus syncerum. Sicut autem Joannes Baptista qui dixerat: *Ecce agnus Dei*, per adjunctum determi- *Joan. 1.*
navit, *qui tollit peccata mundi*: sic & Christus quod dixerat: *Hoc est corpus meum*, per adjunctum determinavit; *quod pro vobis tradetur:* sicut ergo corpus Christi veraciter tradebatur, ita verè demonstrabatur, non in figura, quæ jam cessaverat, sed in veritate, quæ jam advenerat. Hæc Innocentius. Bene igitur omnipotens Dominus memoriam fecit mirabilium suorum, & talium, ad quæ nullius creaturæ potentia valet nedum actu aut opere, sed nec cogitatu attingere, ut meritò ratione hujus ineffabilis potentiæ dicatur ei id quod habetur Hester 13. *Domine Deus, rex omnipotens! in ditione tua cuncta posita, & non est qui possit resistere voluntati tuæ, si decreveris salvare Israël. Tu fecisti cœlum & terram, & quidquid cœli ambitu continetur. Dominus omnium es, nec est qui resistat majestati tuæ:* ac si dicat, ut inquit Dominus Albertus in tracta- *Albertus magnus de*
tu suo de officio Missæ, talem redemptionis nostræ cibum & pignus impossibile est *Euch. in*
humanæ infirmitati præparare, sed tibi Domine Deus rex omnipotens, nihil est im- *cap. de præ-*
possibile, quia tu verbo simplici tibi coæterno fecisti cœlum & terram, & omnia quæ *paratione*
in eis sunt contenta, & eodem verbo creaturas in id quod vis transmutas, quia domi- *sacramen-*
nus universorum ipse tu es, cujus magnificentiæ cuncta obediunt, & nihil resistit, & *tali hujus*
hoc est quod dicitur Sapientiæ 15. Subest tibi cum volueris posse: quia quamvis fides *cibi. pag.*
in omnibus articulis omnipotentiæ Dei innitatur; in sacramento tamen altaris, in quo *28. f. b.*
consistit fundamentum fidei, & totius Ecclesiæ communio, maximè innititur omnipo- CANIS.
tentiæ. Et hoc est quod in signo hujus sacramenti dixit ad Saram Angelus, Genes. 18.
ubi simul promissio (a) seminis facta est, & confectio cibi angelorum de tribus farinæ (a) *Albert:*
satis, quæ magna fuerunt, & non nisi ab omnipotentia Dei fieri poterant. Nunquid *habet:*
Deo quidquam erat difficile? quasi dicat, Non facile est enim Deo creaturas mutare *Sanguinis*
& transsubstantiare, quas fecit, & de cibis nobis consuetis, hoc est pane & vino, cor- *alter liber*
poris sui & sanguinis nobis dulcem cœnam præparare. Hinc est etiam quod Lucæ *scriptus*
primo Angelus dixit, cùm de perfectione & conceptione Dominici corporis & san- *nec sangui-*
guinis ageretur; Non erit impossibile apud Deum omne verbum: & persuadens vir- *nis, nec*
gini unde hoc fieri posset, dixit: virtus altissimi obumbrabit tibi, quod exponens Ori- *seminis*
genes, dicit, virtutem altissimi esse virtuosam potentiam patris, quæ umbram & imā- *habet.*
ginem sui ipsius perfecit in Maria virgine, de creatura vetustatis corruptæ novum ho- CAN.
minem secundum Deum creatum perficiens, & hunc non ad imaginem, sed ipsam *Luc. 1.*
imaginem faciens per unionem, in quo perfecta resultaret potentia patris. Hæc Albertus.



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

Summa etiam divina ſapientia in hoc diviniſſimo ſacramento Euchariſtiæ diſcernitur, dum juxta hominis naturalem conditionem hunc angelorum cibum in eis ſenſibilibus rebus præparavit, quibus communiter homines uti conſueverunt in cibo corporali, ut ſic per corporalia & ſenſibilia diſcernerent & diſcerent homines cœleſtium & divinarum rerum cognitionem devenire. Etenim neque poſſibile eſt aliter nobis lucere divinum radium, niſi varietate ſacrorum velaminum anagogicè circumvelatum, ut divinus ait Dionyſius primo capitulo cœleſtis hierarchiæ. Quemadmodum enim infirmi oculi ſolem nube tectum liberè conſpiciunt, qui coruſcum lumen ejus intueri non poſſunt; ſic & divinum radium lippientibus mentis oculis lucere impoſſibile eſt, niſi varietate ſacrorum velaminum circumvelatum & præparatum providentia paterna connaturaliter & propriè quæ ſecundum nos ſunt &c. Hugo de ſancto Victore ibidem in gloſſa. Unde Innocentius de officio Miſſæ ita dicit: Sapientia Dei quæ ſe per viſibilia manifeſtat, volens evidenter oſtendere, quod ipſa eſt cibus animarum, carnem aſſumptam propoſuit in edulium, ut per cibum humanitatis invitaret ad guſtum divinitatis, de quo Pſalmiſta: *Guſtate & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus.* Totum ergo ſe Chriſtus pro nobis exhibet in cibum, ut divinitate nos reficiat, quem *corporaliter ore comedimus*, ut ita de viſibilibus ad inviſibilia, de temporalibus ad æterna, de terrenis ad cœleſtia, de humanis ad divina nos transferat. *Ego ſum* inquit *panis vivus qui* de cœlo deſcendi, ecce cibus divinitatis: *& panis quem ego dedero, caro mea eſt*, ecce cibus humanitatis. Panis ergo angelorum factus eſt cibus hominum, ſecundum illud Propheticum: *panem angelorum manducavit homo*, quatenus qui ſecundum animam cibum divinitatis accipimus, etiam ſecundum carnem cibum humanitatis ſumamus: quoniam ſicut anima rationalis & caro unus eſt homo, ita Deus & homo unus eſt Chriſtus: & quia per guſtum homo mortem incurrit, per guſtum quoque vitam acquirit; quatenus ut unde mors oriebatur, inde vita reſurgeret. Dictum eſt quippe de illo: *Quacunque die comederis, morte morieris*, dicitur autem de iſto: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Cibus ille mortalis pependit in ligno ſcientiæ boni & mali. Cibus iſte vitalis pependit in ligno vitæ quod eſt in medio Paradiſi: illud fuit lignum inobedientiæ, ad quod homo manus extenderat ut fieret ſicut Deus, juxta quod ſerpens illi promiſerat: *Eritis ſicut dii ſcientes bonum & malum:* iſtud eſt lignum obedientiæ, in quo Deus manus extendit ut fieret homo, juxta quod dicit Apoſtolus: *Exinanivit ſemetipſum formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo: factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis.* Item Albertus Magnus in libro de officio Miſſæ ita dicit: *De ſapientia autem hunc cibum contemperante dicitur* ad Rom. 11. *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei &c.* Et ſubdit: *Quis enim dignè inveſtigare valeat, qualiter ex antiquo corpus incorruptum ſit innovatum, qualiter nova anima vivificatum, qualiter utrumque horum deitati ſit ſociatum, & in unam perſonam unitum & aſſumptum, qualiter in carne infirmitates carnis portaverit, qualiter in cruce mortuus ſit, & qualiter in corpus & ſanguinem principalia elementa eſculenti & poculenti humani mutaverit, & ſic ſe homini in cibum præbuerit. Hæ enim viæ ſapientiæ Dei ſunt nobis abſconditæ. Unde Proverbiorum trigeſimo dicit Salomon, hæc eſſe ſibi abſcondita, confitens: Tria ſunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro: viam aquilæ in cœlo, viam colubri ſupra petram, viam navis in medio mari, & viam viri in adoleſcentia ſua.* Quæ quidem quatuor idem Doctor pulchrè deducens, ac difficultates quæ in hoc ſacramento continentur proſequitur ibidem; quæ pro nunc cauſa brevitatis omittuntur: in quibus valde pulchrum eſt conſiderare qualiter cœleſtis altitudo conſilii diſpoſuit, ut ſicut tres ſunt perſonæ in unitate divinæ ſubſtantiæ, ſcilicet Pater, Verbum & Spiritus ſanctus, ita tres eſſent ſubſtantiæ in unitate perſonæ, ſcilicet divinitas, corpus & anima: & ſicut Chriſtus ſecundum naturam divinam tribus modis exiſtit in omnibus, per eſſentiam, præſentiam & potentiam, in ſolis juſtis per gratiam & gloriam, in homine aſſumpto per unionem: ſic voluit ut idem ipſe ſecundum naturam humanam tribus modis in rebus exiſteret, ſcilicet localiter in cœlo, perſonaliter in Verbo, ſacramentaliter in altari. Sicut enim ſecundum divinitatem totus eſſentialiter eſt in omnibus rebus, ita ſecundum humanitatem totus ſacramentaliter eſt in omnibus locis in quibus conficitur & celebratur. Similiter & in hoc eodem venerabili ſacramento immenſa divinæ bonitatis benignitas erga nos miſeros & pauperes copioſiſſime declaratur. Ut enim ſuam adverſus nos caritatem oſtenderet & noſtram erga ſe caritatem accenderet, qui dedit ſe pro nobis in precium, ipſe tribuit ſe nobis in cibum, ut per precium redimeret nos à morte, per cibum aleret nos ad vitam. *Unde qui manducat me & ipſe vivet propter me.* Quid amplius unquam pro nobis potuit efficere? Precium ſe dedit pro nobis in mortem, & cibum tribuit nobis ad vitam, ut mortem noſtram ſua morte perimeret, & vitam noſtram ſua vita nutriret. Panis iſte ſi dignè comeditur, impinguat. *Poculum tuum inebrians quam præclarum eſt?* Per hanc ergo ſacramenti virtutem univerſæ virtutes augen-

Pſal. 33. Joan. 6. Pſal. 77. Gen. 2. Joan. 6. Gen. 3. Phil. 2. Rom. 11. Albert. ubi ſupra. Joan. 6. Pſal. 22.

Digitized by Google

augentur, & omnium gratiarum fructus exuberant. Is enim in hoc sacramento sumi- SÆC. tur totus & integer, qui est fons & origo totius virtutis & gratiæ. Quapropter antonoma- XV. sticè respectu omnium aliorum sacramentorum Eucharistia dicitur græcè, quod latinè in- ANNO terpretatur bona gratia; cujus nuncupationis sex possunt causæ & rationes assignari; qua- 1433. rum *Una* est, quia non est nisi gratia, & non nisi gratia esse potest. *Secunda* autem, quia non datur nisi à gratissimo. *Tertia*, quia non nisi gratissimis administratur. *Quarta* autem, quia non nisi gratiam operatur. *Quinta*, quia gratia est super gratiam. *Sexta*, quia est omnis gratiæ contentivum, etenim cùm in omnibus sacramentis aliis gratiam ejus per partes participamus, in hoc sacramento totum quod videmus, quod tangimus, quod gustamus, est gratia. Unde Zachariæ quarto dicitur de hoc sacramento: *Exæquabit gratiam ejus*, quia quidquid in omnibus sacramentis & virtutibus sparsim in gratiis colligitur, totum simul hic in una gratia invenitur. Unde significatur per Gomor, quod est mensura mannæ, quæ unicuique sufficiebat. *Exodi* 16. mensura enim sufficiens homini ad salutem non est nisi quæ continet gratiam perfectam, in qua totus Christus continetur; Hæc est Urna aurea, continens manna, ad Hebræos nono, quæ intra sancta sanctorum collocatur, quæ ad unius cujusque sufficit capacitatem. Longum esset singulas bonitates, gratias & perfectiones hujus sacramenti enumerare, & immensam divinæ bonitatis benignitatem extollere pro præsenti, & potius mens & lingua, imò dies & tempora deficerent, quam materia. Etenim ut dicit Innocentius: *Per Eucharistiæ sacramentum Christus eripuit nos à potestate peccandi, liberat à peccandi voluntate. Nam Eucharistia si dignè sumatur, à malo liberat, & confirmat in bono, venialia delet, & cavet mortalia: unde cum præmittimus in oratione Dominica: Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie; statim adjungimus: Et dimitte nobis debita nostra, & ne nos inducas in tentationem: sed libera nos à malo: quia per panem istum cœlestem liberamur à malis præteritis, præsentibus, & futuris. Dedit ergo nobis hoc sacramentum salutis, ut quia nos cotidie peccamus, & ipse jam mori non potest, per hoc sacramentum quod in memoriam mortis ejus accipimus, remissionem peccatorum quotidie consequamur.* Hæc Innocentius. Verum etiam ut aliqua ex multis sub compendio proferamus: Primò hoc sacramentum dignè sumptum in nobis remissionem peccatorum operatur; deinde vitam gratiæ tribuit, & ne à gratia deficiamus, nutrit, augetque ad perfectionem gratiæ, unionem nostri ad Deum operatur, sumentes in Christum transformat. Præter effectus hos adhuc famem patientes satiat, inebriat sitientes, tenues impinguat, confirmat debiles, lætificat mentes, ignit affectum, illuminat intellectum, mitigat tentationes, affectum mortalium reprimit, firmat virtutes, à futuris præservat peccatis, pœnam minuit, subvenit vivis, proficit defunctis, Spiritum sanctum mittit, terret Dæmones, contra hostes etiam visibiles adjuvat, & tandem ad æternam vitam perducit. Nullum igitur est isto sacramento salubrius, quo peccata purgantur, virtutes augentur, & mens omnium Spiritualium charismatum abundantiâ impinguatur. Quid plura? Hæc pro exercitio & excitatione mentis nostræ de mirabilibus hujus ineffabilis sacramenti, quam breviter curavi perstringere, in quibus & omnipotentia Dei, summam sapientiam, & inenarrabilem erga nos divinæ dignationis & benignitatis bonitatem sedulo & grato animo contemplemur; & quamvis parum sit, quod à nobis aut intelligi aut exprimi possit, est enim supra omnem sensum & omnem intelligentiam, id tamen modicum etiam, quantulumcunque sit, debet esse magis amatum & desideratum à nobis omni cognitione quam habemus de rebus inferioribus, sic enim & Aristoteles ait in 11. de animalibus, quod quamvis parum sit quod de substantiis superioribus percipimus, tamen illud modicum est magis amatum & desideratum omni cognitione quam de substantiis inferioribus habemus. Et in 2. de cœlo & mundo dicit, quod cum de corporibus cœlestibus quæstiones possunt solvi parva & topica solutione, contingit auditori, ut vehemens sit gaudium ejus, & in 13. Ethicorum, cum Simonides cuidam homini prætermittendam divinam cognitionem persuaderet & humanis rebus ingenium applicandum, oportere, inquiens, humana sapere hominem, & mortalia mortalem; contra eum Philosophus dicit, quod homo debet se ad immortalia & divina trahere quantum potest: quod utique & nos Deo adjuvante in presenti altissima materia, quantum poterimus, faciemus: tali tamen à nobis sacrorum eloquiorum prædiffinita lege, ut non in persuasibilibus aut incredibilibus humanæ sapientiæ verbis spem ponamus, sed in demonstratione à Spiritu motæ Theologorum virtutis, secundum quam ineffabilibus & ignotis ineffabiliter & ignotè conjungimur, secundum meliorem nostræ rationabils & intellectualis virtutis & operationis unionem, ut divinus ait Theologus Dionysius, primo capitulo de divinis nominibus, erimusque circa hæc divina mysteria tractanda, ut idem Dionysius ait, temperantia & sanctitate constricti; sanctitate quidem divinis firmiter inhærendo ab omni nos errore immunes Deo duce observabimus, temperantia verò, dum ad divina perscrutanda mysteria non magis nos ingerimus, quam nobis datum de cœlo fuerit & ostensum: verum quia, ut vox testatur Apostoli,

Eucharistiæ etymologia. *Alber: cap. 1.*

*Alber: pag. 1.*

non

Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

non ſumus ſufficientes non ſolum aliquid agere aut operari, ſed nec cogitare quidem quaſi ex nobis, ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt, qui etiam omnia opera noſtra in nobis operatur; ideo ſecundo loco, ut verbis utar Platonis, agamus & deliberemus cepta, vocata, ut mos eſt, prius divinitate. Etenim ut idem ait in principio Timæi, omnibus mos eſt & quaſi quædam religio, qui vel de maximis vel de minimis rebus ſunt acturi aliquid, precari ad auxilium divinitatem, & ut dicit ſacer Theologus Dionyſ. 3. cap. de divinis nominibus, ante omnia ab oratione incipere eſt utile, ſicut nos ipſos tradentes Deo & unientes: hæ ſunt enim ſummæ intenſiones Dei gratiæ cum aguntur à mortalibus, ut inquit Trimegiſtus Mercurius in libro de Deo. Igitur ut ea dicantur à nobis quæ placent Deo, veritatem declarent, mentes noſtras illuminent, gignant concordiam, caritatem accendant, pariant unitatem & pacem: Primum cum eodem diviniſſimo Theologo Pariſiorum antiſtite, Areopagita videlicet Dionyſio 1. c. cœleſtis hierarchiæ, Jeſum primum lumen invocemus, quod eſt, quod verum eſt, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, per quem ad principale lumen, Patrem, acceſſum habemus. Etenim, ut idem ait Dionyſius Theologus, ſicut omnis à Patre motæ manifeſtationis luminum proceſſio in nos optimè ac largè provenit, ſic iterum vivifica virtus, quæ eſt Chriſtus Jeſus, reſtituens nos replet & ad congregantis Patris unitatem & Deificam ſimplicitatem convertit. Sicut enim divinum verbum per Paulum Apoſtolum teſtatur; ex ipſo & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, origo enim fontium, ut inquit S. Bernardus, & fluminum omnium eſt mare; virtutum & ſcientiarum eſt dominus Jeſus Chriſtus, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ Dei abſconditi, continentia carnis, cordis induſtria, mentis rectitudo, caſta conſilia, juſta judicia, ſancta deſideria ex ipſo manant. Si quis viget ingenio, ſi quis nitet eloquio, ſi quis moribus placet, inde ſcientiæ, inde ſapientiæ ſermo, quia gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt, de cujus plenitudine omnes nos accepimus gratiam pro gratia Joan. primo. Igitur in noſtris præcordiis fundamentis jactis humilitatis, te, Chriſte Jeſu, huic cœpto, penes quem hominum & omnium Sanctorum communi conſenſu maris & terræ regimen eſſe voluit, certiſſima ſalus patriæ, invoco, ut noſter præſens hic ſermo, noſtra hæc inſtans oratio, noſter hic tractatus, atque pium certamen fidelium devote flagitantibus tuam, Chriſte, veritatem fructus pariat ſalutares, utque noſter actus hic oportunum ſortiatur initium, progreſſum ordinatum accipiat, atque fine competenti & debito terminetur cum effectu ſinceræ & veræ unionis, Amen.

*Cap. 1.*

*Rom. 11.*

*Col. 1.*

*Joan. 1.*

Authoris proteſtatio.

SEd jam accedo ad tertium, mihi utique neceſſarium ſummè, & valde utile, ſcilicet ad conſuetas, debitas & laudabiles proteſtationes, quibus puro & ſincero corde inhærendo puto & ſpero me ab omni erroris periculo liberari, maximè cum per hujuſmodi proteſtationes, præcipuè quæ eſt omnis erroris mater & origo, præſumptio, evitetur; & omnium virtutum fundamentum ſtabiliatur, humilitas, cui ſemper præſto adeſt illuminator & illuſtrator cordium, Spiritus ſanctus, qui non niſi ſuper humilem & manſuetum requieſcit, docens ipſum omnem veritatem neceſſariam ad ſalutem. Proteſtor igitur inprimis, quod in præſenti actu & in quocunque alio, per me Deo concedente fiendo in poſterum, non intendo, ſicut nec unquam intendi, aliquid dicere, aſſerere, dogmatizare, aut pertinaciter defendere, quod ſit contra fidem Catholicam, ſacram Scripturam ſanè intellectam, determinationem ſacroſanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ ac Romanæ Eccleſiæ, quod ſit contra communem intentionem ſanctorum doctorum ab Eccleſia approbatorum, aut contra bonos mores, ſeu quod ſit quovis modo piarum aurium offenſivum. Quod ſi ex ignorantia, quæ in me maxima eſt, & inadvertentia, aut ex lapſu linguæ, aliquid me contra prædicta dicere aut ſcribere contingeret, quod Deus ſua pietate dignetur avertere, ex nunc, prout ex tunc & ex tunc prout ex nunc, revoco & annihilo, & habeo pro non dicto, ſubjiciens me & dicta mea atque ſcripta correctioni & emendationi Eccleſiæ ſanctæ Dei, & ſpecialiter hujus ſacroſanctæ generalis Baſilienſis Synodi in Spiritus ſancti gratia legitimè congregatæ, & univerſalem Eccleſiam repræſentantis, & omnium aliorum, ad quos hujuſmodi deviantes aut errantes pertinet ad viam reducere veritatis, & huic proteſtationi adhæreo pro præſenti, & adhærere intendo, quamdiu vitam duxero in humanis, & utinam ſimilem proteſtationem, quoad ſingulas ejus partes, feciſſent domini qui pro regno Bohemiæ propoſuerunt, quia & ſe ipſos & nos & univerſam Chriſtianitatem à multis laboribus anguſtiis & perturbationibus ſatis facilè potuiſſent & poſſent liberare, ſe determinationi Eccleſiæ Catholicæ Romanæ ſubmittentes, quod quandoque, imò nunc, & ipſis & nobis Deus ſua immenſa pietate dignetur concedere. Proteſtor inſuper toto & puro corde & ſincera intentione, quod in præſenti actu & tota collatione quam habiturus ſum coram hoc ſacro Concilio Baſilienſi publicè cum dictis Dominis ambaſiatoribus & oratoribus regni Bohemiæ, nihil etiam privatim, non intendo aliquid dicere aut facere nutu vel ſigno quomodocunque aut qualitercunque animo vel inten-

*Eſai. 66.*

Digitized by Google

intentione injuriandi, nec intendo uti terminis quibuslibet, in præjudicium & quovis modo in confusionem ipsorum vergentibus; semper tamen, manente veritate illibata, quam Ecclesia Catholica & Romana profitetur, in cujus defensione si aliquid me dicere contigerit, quod forte possit eisdem rationabiliter displicere, ex inadvertentia, vel ex lapsu linguæ; illud ex nunc habeo pro non dicto, & rogo eosdem Dominos, ut non capiant ad animum, offerens me usque ad condignam satisfactionem in omnibus, velintque recordari unius capituli in ipsorum salvo conducti inserti, sub tali verborum forma: Item liberum erit illis, sicut & nobis, salva pace & bona honestate, coram dicto Concilio, si placuerit, objicere sive accusare quoscunque status exorbitantes, defectus sibi invicem, quos senserint, modestè exponendo: velint etiam ad mentem Christi regulam reducere, qua dixit: In qua mensura mensi fueritis, eadem remetietur vobis. SÆC. XV. ANNO 1433.

FAteor insuper & protestor cum Beato Augustino, in libro, de utilitate credendi, circa principium, quia rogavi Deum & rogo, & spero ita fore, si mihi bene conscius sum, quod ad hunc stylum, actum & tractatum pio & officioso animo, non vani nominis appetitione ac nugatoriæ ostentationis accessi: scit enim, ut idem inquit doctor, Deus, cui nota sunt arcana conscientiæ meæ, nihil me in hoc sermone maliosè agere, sed ut existimo, accipiendum esse, veri probandi causa, cui uni rei vivere jam diu statuimus & incredibili sollicitudine. Non igitur de vani nominis appetitu, aut rancoris, aut malitiæ hodie sive in præsenti actu à vobis, præstantissimi patres, habear suspectus, nisi forsan elatio incastigati vultus aut verba rigida hæc depingant. Sed rogo, præstantissimi Domini mei, si hæc eveniant, recolite, quod corde profiteor, & date signis veniam, & si forsan interdum me contingat aliquid durius loqui, & à solita exorbitare mansuetudine, indulgete, rogo, fragilitati dicentis, & audacitati fideli. Non enim possum omnes alloqui pari corde, nec tamen si in me hujusmodi contingant defectus, debent contumelia reputari ab auditoribus, secundum quod idem gloriosissimus Doctor Augustinus declarat in consimili casu, in epistola ad Proculejanum, inter epistolas centesima septuagesima prima: Audivi, inquit, de memorato fratre nostro, te fuisse conquestum, quod nescio quid contumeliosè tibi responderit, quod quæso te, ne illam contumeliam deputes; quoniam certum mihi est non de superbo animo processisse; novi enim fratrem meum: Sed si quid in disputando, pro fide sua & pro caritate Ecclesiæ dixit, fortè ferventius, quam tua gravitas vellet audire, non illa contumacia, sed fiducia nominanda est. Proinde per viscera misericordiæ Dei nostri quemlibet hic assistentem rogo & obsecro, quatenus in inquisitione veritatis prædictorum quatuor articulorum propositorum studeat imitari atque servare, quod venerabilis Doctor Augustinus in primo libro de Trinitate, de se ipso ait: Non pudebit me, inquit, sicubi hæsito, quærere, nec pudebit sicubi erro, discere. Quisquis ergo hæc audit vel legit, ubi pariter certus est, pergat mecum; ubi pariter hæsitat, quærat mecum; ubi errorem suum cognoscit, redeat ad me; ubi meum, revocet me: ita ingrediamur simul caritatis viam, tendentes ad eum de quo dictum est: Quærite faciem ejus semper. *Cap. 1.* *Cap. 2.* *Cap. 2. & 3.* *Psal. 104.*

CUm denique coram Reverendissimis paternitatibus vestris, omni auctoritate & sapientia præditis, considero me tam alta & grandia tractaturum, dum coram acutissimis ingeniis illustrissimis & omnium literarum peritissimis, investigandæque veritatis divino amore flagrantissimis, me prospicio locuturum, profecto timor & tremor me taliter obruunt, ut potius silentio opus esset quam verbis, nec mirum, reverendissimi patres. Nam si quibusdam etiam constantissimis, dicturis in conspectu populi sudor erumpit, non aliter quam fatigatis & æstuantibus solet: quibusdam tremunt genua, quorundam dentes colliduntur, lingua titubat, labia concurrunt, ut Seneca ait 12. Epistola ad Lucillum; quid mirum, si & nunc & aliàs mihi loquenti, non in conspectu vulgi aut rudis populi, sed in præsentia glorioſissimi senatus totius orbis Christiani, prædicta mihi contigerint & contingant: inter hæc enim esse & ruborem scio, inquit idem Philosophus, qui gravissimis quoque viris subitus effunditur, magis quidem in juvenibus apparet, quibus & plus caloris est, & tenera frons: nihilominus & veteranos & senes tangit, & quidem nunquam magis, quàm cùm erubuerint, timendi sunt, quasi omnem verecundiam effuderint. Sylla tunc erat violentissimus, cum faciem ejus sanguis invaserat: Nihil erat mollius ore Pompeji: nunquam non coram pluribus erubuit, utique & in concionibus. Fabianum cùm in Senatum esset testis inductus, erubuisse memini, & hic illum mirè pudor decuit. Non accidit hoc ab infirmitate mentis, sed à novitate rei, quæ inexercitatos etsi non concutit, movet, naturali in hoc facilitate corporis pronos. Nam ut quidam boni sanguinis sunt; ita quidam incitati & mobilis, & citò in os prodeuntis, & cætera: hæc, ut dixi, nulla sapientia abigit; superius enim dixerat, postquam verecundiam adolescentis cujusdam descripserat; *Epist. 11. secundum edit. Rom. Mureti.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

rat; rubor hic illum, quantum suspicor, etiam cum se conformaverit & omnibus viciis exuerit, sapientem quoque sequetur. Nullà enim sapientià corporis aut animi vitia naturalia ponuntur: Quidquid infixum & ingenitum est, lenitur arte, non vincitur; alioquin haberet rerum naturam sub imperio, si omnia eraderet vicia: quæcunque attribuit condicio nascendi & corporis temperamentum, cum multum diuque se animus composuerit: hærebunt, nihil horum vitari potest. Et infrà: nihil adversus hæc sapientia permittit, nihil proficit, sui juris sunt: injussa veniunt, injussa discedunt. Hæc Seneca in eadem epistola. Quid plura? Etsi nunquam prædictis naturæ defectibus impedirer, quod, ut verum fatear, in primordiis dicendi nunquam arte quacunque ab ineunte ætate mea comprimere valui, nihilominus tamen attenta altitudine rerum & hujus sacratissimi cœtus ineffabili sapientia, meaque insufficientia atque inexperientia, tarditate ingenii, hebetudine sensuum, labilitate memoriæ, difficultate judicii, indiscretione rationis, intellectus imbecillitate, qui se habet ad ea quæ manifestissima sunt in natura, sicut vespertilionis oculus ad lucem diei, ut Philosophus dicit in principio suæ primæ Philosophiæ; honestior mihi fuga esset, quam quod tantillus in conspectu tantorum ac talium præsumam apparere: Grandes siquidem materias, ut glorioſissimus doctor noster Hieronymus ait, ingenia parva non sufferunt, & in ipso conatu ultra vires ausa succumbunt: quantoque majus fuerit quod dicendum est, tanto magis obruitur qui magnitudinem rerum verbis vult explicare: sed etsi vulgi similia & pedestris materiæ nos in præsenti dicere tractatu oporteret, in tam nihilominus conventu sacratissimo me profecto prolocuturum erubesco, quibus non nisi difficilia intellectu, alta mysteriis, & imperscrutabilia placent sacramentis. Neminem namque, ut nobilissimi oratoris testatur sententia, excelsi ingenii virum delectant humilia & parva, habet enim hoc optimum in se generosus animus, quod ad ardua concitatur & honesta, magnarum rerum species ad se vocat & attollit, atque igneæ flammæ comparatus, quæ surgens in rectum jacere ac deprimi potest non magis quàm quiescere. Vos potius, glorioſissimi patres, vos qui omni terreno caretis negocio, vos qui cœlesti abundatis ocio, lectione continua refecti, oratione assidua saginati, quorum sicut adipe & pinguedine repletur anima supernorum secretorum dulcedine, vos inquam, labiis exultationis deberetis animas esurientium reficere, sitientes potare & ex superabundante Spiritus vestri sagina cordium ariditatem impinguare, qui ejusdem panis verbo, quo vivunt Angeli, dulci ac ineffabili suavitate estis repleti, hæc quidem sunt, glorioſissimi patres, quæ me silere jubent, loqui non permittunt, & imposita ori custodia, ad taciturnitatem exhortantur: & revera, si mea res esset hæc, & non fidei & Ecclesiæ Catholicæ, cujus defensioni etiam usque ad sanguinis effusionem, specialiter in susceptione gradus magistralis, licet immeritus & indignus, juramento me astrinxi, longè altius pertimescerem: & licet naturalis affectus, quo ex affinitate linguæ inclito regno Bohemiæ tota cordis affectione & caritate afficior, me ab hoc certamine quam plurimum retrahat; tamen quia secundum utriusque Philosophiæ, divinæ pariter & humanæ doctrinam, duobus existentibus amicis, ut dicit Aristoteles, sanctum est præhonorare veritatem; sic enim & ipse erat solitus dicere, Amicus Plato, sed magis amica veritas, quod proverbium etiam ab ipso suo præceptore Platone acceperat, qui & ipse solitus erat dicere: Amicus Socrates, sed magis amica veritas; & in Evangelio dicit ipsa prima veritas: Qui non odit patrem & matrem propter me, non est me dignus, & multo magis qui non odit (a) patriam linguam & gentem: quod quidem odium non excludit caritatem, ex qua & ipsi pater & mater sæpe præcipueque propter fidei veritatem odio habentur, sic etiam & secundi Esdræ quarto capitulo dicitur, omnis terra veritatem invocat, cœlum etiam ipsam benedicit, & omnia opera moventur & tremunt eam, & non est cum ea quidquam iniquum, & infra: nec est apud eam recipere personas, neque differentias, sed quæ justa sunt, facit omnibus, & omnes benignantur in operibus ejus &c. Et hæc quoad primum, scilicet quoad excusationes necessarias & oportunas, dicta sunt cum omni humilitate & mansuetudine.

*Luc.* 14.

(a) *Propria.*

3. *Esdræ cap.* 4.

*An communio sub utraque specie sit utilis?*

*Status quæstionis.*

*Primò ponentur suppositiones.*

*Secundò conclusiones.*

*Tertiò responsiones ad objecta.*

His itaque humiliter præsuppositis, venio ad quartum & principale nostri actus præsentis intentum, videlicet ad responsionem articuli de communione divinissimæ Eucharistiæ sub utraque specie. Pro cujus rei executione proponitur quæstio sub tali verborum forma: Utrum communio divinissimæ Eucharistiæ sub utraque specie, panis scilicet & vini, sit utilis multum & saluti expediens, toti credentium populo necessaria, & à Domino præcepta salvatore. Omissis argumentis pro & contra, gratiâ brevitatis, in determinatione hujus quæstionis sic procedam, quia primò proponentur quædam necessaria ad intelligentiam dicendorum per modum suppositionum quarundam: secundo ponentur conclusiones ad quæstionem propositam, & tertiò respondebo ad objecta adversariorum & oppositum tenentium. Quantum ad primum, ponentur suppositiones quædam generales, fundantes omnem materiam, fidem & Ecclesiam Catholicam concernentem; quædam verò speciales & proprie ad propositam quæstionem & materiam pertinentes.

Pro

Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

Pro executione primæ partis, primò sciendum est & notandum, quod sicut in scientiis naturalibus oportet fieri reductionem ad principia, quæ per priora probari non possunt, sicut sunt indemonstrabilia & per se nota, quorum statim cognitis terminis, cognoscitur veritas, & per ipsa omnium aliorum quæ traduntur in scientia cujus sunt principia, veritas innotescit, cujusmodi in Mathematica sunt: Omne totum est majus sua parte, & si ab æqualibus æqualia demas, ea quæ remanent sunt æqualia, & cæteræ tales propositiones: Et in metaphysica: de quolibet est esse vel non esse: ita in doctrina & scientia fidei quæ supernaturalis est, sunt quædam principia indemonstrabilia & per se nota in lumine fidei, quæ per alia non probantur; sed omnia alia quæ in doctrina Theologiæ traduntur, habent notitiam & manifestationem per ipsa. Item sicut principia indemonstrabilia & per se nota sunt plura, & tamen omnia necesse est reduci ad unum universalissimum & primum atque commune omnium, quod est dignitas omnium dignitatum, sicut est illud: de quolibet esse vel non esse &c. ex cujus veritate & cognitione omnium aliorum notitia dependet & veritas, ut patet per Aristotelem quarto metaphysicæ: ita quamvis plures sint articuli fidei, tamen est unus inter eos, qui est janua & principium omnium aliorum, qui est simpliciter per se notus, quoad nos, vel nullo modo variabilis in aliquod aliud, quod sit notius quoad nos, in lumine fidei, per quod aut probari aut manifestari à priori quoquo modo possit in vita præsenti, & hoc est: credere sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam regi & gubernari à Spiritu sancto, nec eam posse ullo modo errare in his quæ fidei sunt & necessitatis ad salutem, & tangitur in symbolo cum dicitur: Credo in Spiritum sanctum, sanctam Catholicam Ecclesiam, quia per ipsum Spiritum sanctum, scilicet, Catholica Ecclesia sancta est & gubernatur ac dirigitur per eundem qui nec falli nec fallere potest. Quod autem prædictus articulus sit inter omnes alios primus, in quem omnes alii resolvuntur, manifestum est, quia si qua dubitatio circa alios articulos contingit, statim ad sacram scripturam veluti ad certissimam & inobliquabilem regulam communiter recurritur & secundum testimonium veritatis ejusdem, sublatis dubiis, veritas elucescit. In tali autem recursu ad sacram scripturam adhuc duplex dubium remanet, quia cùm sacra scriptura non procedat ex rationibus convincentibus & ligantibus intellectum, quemadmodum in scientiis naturalibus, & præcipuè Mathematicis proceditur; oportet quod modus suus procedendi sit ex auctoritate: quia, ut dicit Boetius, argumentatio fit duobus modis, vel ex ratione, vel ex auctoritate, & licet in scientiis humanis locus ab auctoritate sit debilissimus, nisi pro quanto fundatur in ratione, in scientia tamen divina locus ab auctoritate qui non in humana ratione fundatur, sed in divina revelatione, est firmissimus. Quæ autem scripturæ sint divina revelatione traditæ, ut earum auctoritati assentiatur, vel quæ non, sciri non potest nisi aliquo approbante, de cujus testimonio dubitari non possit, quod utique de nullo particulari homine dici potest, quia quilibet talis potest errare. Oportet ergo firmitatem scripturarum in approbationem resolvere Ecclesiæ, secundum quod gloriosissimus facit Augustinus, qui in pluribus locis ait: Non crederem evangelio, nisi me Ecclesiæ auctoritas commoveret. Quod si & ipsa errare posset, utique nil firmi in scientia divina remaneret. Deinde cum sacra scriptura in plerisque locis sit ad intelligendum difficilis, in solvendis hujusmodi dubiis circa fidem emergentibus, sæpe inter doctos accidit varietas & multiplicitas opinionum & inexterminabilis quodammodo difficultas. In hac ergo difficultate scripturarum & varietate opinionum, necesse est habere recursum ad aliquod metrum vel mensuram, per cujus applicationem verum à falso discernitur; quod utique non potest esse aliud in humanis, quàm ipsa Ecclesia sancta Catholica; quam præsupponimus errare non posse. Item sicut in scientiis Physicis contra negantem principia, & præcipue communissima, non est amplius disputandum, ad probandum ipsum à priori; quia non est aliquid prius, per quod possit probari, cum ponatur simpliciter primum, ut patet per Aristotelem in 4. Metaph. ita in doctrina fidei contra negantem articulos fidei, & sacræ scripturæ veritatem, & præcipuè Ecclesiam regi à Spiritu sancto & ita non errare, quod est simpliciter primum in doctrina fidei, non est amplius disputandum à priori, cum non sit aliquod prius in quod possit resolvi, ut dictum est. Item licet non sit disputandum à priori contra negantem principia, ad ipsa probandum, ut dictum est, tamen accipitur eorum experientia per sensum, & etiam, si adversarius concedat aliquod eorum, quæ in lumine naturæ nota sunt à posteriori, ex concessis potest ostendere defensor principiorum eorum veritatem, ducendo ipsum ad inconveniens aliquod, aut solvendo rationes, si quas contra veritatem ipsorum adducit. Si autem nihil concedat, tunc nec disputandum nec loquendum est cum ipso, ut patet per Aristotelem in 4. Metaph. prout etiam per se manifestum est: sic & in doctrina fidei à posteriori quidem manifestari possunt & declarari quoad nos in lumine fidei ipsius principia aliquo modo, ut per exempla, & alia, & contra negantem adversarium, si aliquod eorum quæ sunt fidei concedat;

*In omnibus scientiis oportet fieri reductionem ad prima principia indemonstrabilia.* CAN.

*Et tandem perveniendum ad unum principium quod est dignitas dignitatum.* CAN.

*Et hoc, in rebus fidei, est credere unam, sanctam, Catholicam & Apostolicam Ecclesiam regi à Spiritu sancto.* CAN.

*Aug. contra epistolas Manichæi cap. 5. & tom. 6. & lib. 28. contra Faustum c. 2. tom. 6.*

*Contra negantem principia non est disputandum.* CAN.

*Si qua tamen adversarius concedat, potest ostendi veritas principiorum ex concessis & à posteriori.* CAN.



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

ex conceſſis procedi, ut ſi adverſarius hæreticus negaret reſurectionem futuram mortuorum, & concederet reſurrectionem Chriſti, poſſet Catholicus ex reſurrectione capitis arguere reſurrectionem mortuorum. Sic & Apoſtolus ad Corint. facit Epiſtola 1. 15. cap. Si autem nil eorum quæ ſunt fidei concedat, ut paganus, tunc cum ipſo de negocio fidei nihil agendum eſt, quia talis longe erit à noſtra Philoſophia, ut Dionyſius ait in lib. de divinis nominibus: poterunt tamen fideles per exempla, manuductiones, & perſuaſiones aliquas, movere animos infidelium ad credendum, non eſſe impoſſibilia, nec divinæ potentiæ, ſapientiæ, majeſtati & bonitati inconvenientia ea quæ fides prædicat & affirmat, atque rationes naturales ex Philoſophia humana ſumptas, ſi quas in oppoſitum & in contrarium fidei mundi ſapientes adducerent, ſolvere & annullare; cum non poſſint eſſe demonſtrationes, ſed qualeſcunque perſuaſiones, quia in infallibili veritate impoſſibile eſt demonſtrare, contrarium eſſe verum.

QUia ergo in doctrina fidei univerſaliſſimum principium & primum eſt, Eccleſiam Catholicam credere à Spiritu Sancto dirigi & gubernari, ac per hoc non poſſe errare in his quæ neceſſitatis ſunt ad ſalutem, ut dictum eſt, & ex ipſo & per ipſum omnis hæreticorum nequitia eliditur: Idcirco licet non à priori, à poſteriori tamen ad ipſum declarandum & manifeſtandum inſiſtendum eſt. Verum quia hujusmodi declaratio atque manifeſtatio prædicti univerſaliſſimi principii & aliorum in hoc tractatu dicendorum, præcipuè & maximè ſumenda eſt ex auctoritate ſacræ ſcripturæ quæ ſuperficie tenus & in cortice intellecta, ſuperbis hominibus & elatis multam materiam præſtat erroris, ſicut patet intuenti omnes antiquas hæreſes & modernas, quæ in defenſionem ſui erroris, pluribus auctoritatibus ſacræ ſcripturæ male intellectis ſe muniunt & defendunt: Idcirco ut manifeſtius & clarius pateat veritas Catholicæ fidei, quam in præſenti, Deo auctore & directore, defendere ſuſcepimus, & omnium hæreſum falſitas & malicia: quædam generalia cenſuimus præmittenda, quibus in intellectu ſacrarum ſcripturarum, veluti quibuſdam regulis atque lineis, dirigamur.

*1. Omnis doctrina veteris & novi teſtamenti, edita eſt ex inſpiratione ſpiritus ſancti.*

IN primis igitur tamquam omnium fundamentum firmiſſimum ſtabiliatur, quod omnis ſcriptura veteris & novi teſtamenti contenta in volumine Bibliæ, ſit edita ab auctoribus ſuis Spiritu ſancto inſpirante. Et de veteri quidem teſtamento habetur 2. Petri 1. cap. ubi ait: *Non enim voluntate humana allata eſt aliquando Prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirante locuti ſunt ſancti Dei homines*, in nomine Prophetiæ tanquam in nobiliori parte includens cæteras partes ſcripturarum. De ſcripturis verò novi teſtamenti habetur, Matth. 10. cap. ubi Chriſtus mittens Apoſtolos & dans eis auctoritatem prædicandi & evangelizandi, dixit eis: *Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Conſtat autem Apoſtolos conſcripſiſſe & Evangeliſtas novum teſtamentum, & de Apoſtolo Paulo notum eſt, quia non ab homine, neque per hominem, ſed per revelationem Jeſu Chriſti, ut ipſe teſtatur ad Galatas primo cap. Ex quibus ſequitur; quod principalis auctor ſacrarum ſcripturarum eſt Spiritus ſanctus, qui eſt Deus: homines verò per quos editæ & conſcriptæ ſunt, fuerunt quaſi inſtrumenta & calami ejuſdem Spiritus ſancti. Unde Propheta: *Pſal. 44.* *Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis*, Scriba enim doctiſſimus in lege, ut ait Hier. eſt Spiritus ſanctus.

*2. Scriptura ſacra Canonica tanta eſt certitudo veritatis, ut nihil planè in ea falſum eſſe poſſit.*

SEcunda ſuppoſitio eſt: Tanta eſt certitudo veritatis ſacrarum Scripturarum, ut nihil in eis aſſertivè poſitum aut expreſſum poſſit eſſe mendoſum & falſum. Patet ex prima, quia autor ipſarum, Spiritus ſanctus, cum ſit prima & ſumma veritas, nec fallere nec falli poteſt aut mentiri. Et patet Matthæi 5. cap. *Amen quippe dico vobis, donec tranſeat cœlum & terra, jota unum aut unus apex non præteribit à lege donec omnia fiant.* & Lucæ 16. cap. *facilius eſt cœlum & terram præterire quam de lege unum apicem cadere*, quin videlicet propter infallibilem certitudinem ita eveniat, prout lege tactum eſt & expreſſum, juxta ſenſum quem intendit Spiritus ſanctus. Ad hanc veritatis regulam confirmandam ſunt quodammodo infiniti textus ſcripturarum tam veteris quam novi teſtamenti, quos adducere longum eſſet & tædioſum: quam regulam & Auguſtinus confirmat his verbis, in libro de videndo Deum: Fieri nullo modo poteſt, ut hæc ſacrarum literarum auctoritas ex aliqua parte ſui mentiatur, hoc enim omnium Catholicorum firma & inconcuſſa eſt ſententia: & oppoſitum dicere, eſt totius fidei noſtræ diruere fundamenta. Quamobrem tota ſacra ſcriptura debet conſiderari quaſi eſſet una propoſitio copulativa, ad cujus veritatem exigitur utramque propoſitionem & partem eſſe veram, connectens ſingulas partes, & unam affirmans, elucidans & exponens per alteram; alioquin ſi propoſitio aliqua ſacræ Scripturæ poſita aſſertivè per autorem ſuum qui eſt Spiritus ſanctus, eſſet falſa, tota Scripturæ ſacræ, ſicut dicit Auguſtinus. vacillaret auctoritas.

Ter-

Digitized by Google

TErtia ſuppoſitio. Sacram Scripturam à Deo dari hominibus, divinæ bonitati fuit congruum & humanæ ſaluti neceſſarium, patet, quia cum bonum de ratione ſua ſit communicativum, & Deus ſit non ſolum quoddam, ſed & omne, ſummè ac per eſſentiam bonum, utique congruum fuit & eſt, ut ſe communicet liberaliſſimè omnibus creaturis ſecundum unius cujuſque naturæ exigentiam, à quo ut Plato ait, porro invidia hominis longè relegata eſt. Neque enim divinum invidum eſſe convenit, ut Ariſtoteles ponit in primo metaphyſicæ contra Poetas, qui maxime in communicatione ſapientiæ Deum invidere hominibus aſſerebant, unde & Simonides quidam: Solus quidem Deus hunc habet honorem, inquit, virum verò non dignum eſſe quærere quæ ſecundum ſe eſt ſapientia: & ſecundum proverbium, ut idem Ariſtot. ait, multa mentiuntur Poetæ. Cum igitur rationalis creatura, homo ſcilicet, capax ſit ſecundum intellectum & voluntatem æternæ felicitatis, quia ad hoc ipſum idem Deus & Dominus produxit & creavit propter bonitatem ſuam, dicente Auguſtino in libro de doctrina Chriſtiana, & allegatur à Magiſtro ſententiarum li. 2. diſ. 1. quia inquit, bonus eſt Deus ſummus, & in quantum ſummus, bonus ſummus: ut ſi quæritur ad quid creata ſit rationalis creatura, reſpondetur, ad laudandum Deum & ad ſerviendum ei, & ad fruendum eo: in quibus proficit ipſa, non Deus. Deus enim perfectus & ſumma bonitate plenus, nec augeri poteſt, nec minui. Quod ergo rationalis creatura facta eſt à Deo, referendum eſt ad creatoris bonitatem & ad creaturæ utilitatem. Et iterum ibidem Magiſter dicit: fecit Deus rationalem creaturam, quæ ſummum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando poſſideret, & poſſidendo frueretur. Verum quia hæc fruitio non competit homini ſecundum naturam ſuam, licet inſit ei capacitas ad eam obtinendam & habendam à natura per gratiam Dei, idcirco ipſa divina bonitas ſicut ipſum hominem ad prædictam fruitionem, quæ comprehenſionem rationis humanæ excedit, ordinavit, ſecundum id Eſaiæ ſexageſimo quarto: *Oculus non vidit Deus abſque te, quæ præparaſti diligentibus te:* ita eidem ſua liberaliſſima communicatione ſcientiam & doctrinam ſacrarum ſcripturarum, omnem humani intellectus excedentem capacitatem revelavit, per quam ad hunc finem dirigeretur, oportet enim præcognitum eſſe finem hominibus, qui ſuas actiones & intentiones debent ordinare in finem, & hoc eſt valde homini utile & neceſſarium. Unde Apoſtolus 2. Timoth. 3. *Omnis ſcriptura divinitus inſpirata, utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia.*

3. *Eam hominibus dari à Deo, divinæ bonitati fuit congruum humanæ ſaluti neceſſarium.* 1. *Metaph.* c. 2.

QUarta ſuppoſitio. Sacra Scriptura in uno eodemque ſermone habet plures ſenſus, literalem ſcilicet & ſpiritualem, patet per Gregorium tertio libro moralium, ubi dicit, ſacra Scriptura omnes ſcientias ipſo ſuo more locutionis tranſcendit, quia uno eodemque ſermone habet plures ſenſus, dum narrat geſtum, prodit myſterium, quod S. Thomas prima parte q. 1. articulo 10. ita declarat: Auctor ſacræ Scripturæ Deus eſt, in cujus poteſtate eſt, non ſolum quod voces ad ſignificandum accommodet: quod etiam homo facere poteſt; ſed etiam res ipſas, & ideo cum in omnibus ſcientiis voces ſignificent, hoc habet proprium iſta ſcientia, quod ipſæ res ſignificatæ per vocem etiam ſignificant aliquid. Illa ergo prima ſignificatio qua voces ſignificant res, pertinet ad primum ſenſum, qui ſcil. eſt hiſtoricus vel literalis ſenſus. Illa autem ſignificatio qua res ſignificatæ per voces, iterum res alias ſignificant, dicitur ſenſus ſpiritualis, propter quod ſenſus ſpiritualis ſemper ſuper literam fundatur, & eum ſupponit. Hic autem ſenſus ſpiritualis trifariè dividitur, ſicut enim dicit Apoſtolus: Lex vetus figura eſt novæ legis: & ipſa nova lex, ut Dionyſius dicit in Eccleſiaſtica Hierarchia, eſt figura futuræ gloriæ. In nova etiam lege ea quæ in capite geſta ſunt, ſigna ſunt eorum quæ nos agere debemus. Secundum ergo quod ea quæ ſunt veteris legis, ſignificant ea quæ ſunt novæ legis, eſt ſenſus allegoricus. Secundum verò quod ea in Chriſto ſunt facta, vel in his quæ Chriſtum ſignificant, ſunt ſigna eorum quæ nos agere debemus, eſt ſenſus moralis, & dicitur tropologicus: prout verò ſignificant ea quæ ſunt in æterna gloria, eſt ſenſus anagogicus, ſicut exemplariter poſſet declarari in illo verſu Pſalmiſtæ: *Lauda Hieruſalem dominum.*

4. *Habet illa uno eodemque ſermone plures ſenſus.*

QUinta ſuppoſitio. Senſus literalis ſacrarum Scripturarum principalis eſt ille, non quem litera prætendit, ſed quem auctor earum, Spiritus ſanctus, intendit; patet exemplariter in ſenſu parabolico ſive figurativo, qui ſub literali ſenſu continetur. Nam in hujuſmodi locutionibus parabolicis per voces ſignificatur aliquid proprie, & aliquid figurative, nec eſt literalis ſenſus ipſa figura, ſed id quod eſt figuratum: ſic enim cum ſcriptura nominat Dei brachium non eſt literalis ſenſus, quod in Deo ſit membrum hujuſmodi corporale, quia Spiritus eſt Deus, ut dicitur Joan. 4. ſed id quod per hoc membrum ſignificatur, ſcilicet virtus operativa. Ex quo patet, quod ſenſui literali ſacræ Scripturæ nunquam poteſt ſubeſſe falſum, ut dicit S. Thomas ubi ſupra.

5. *Senſus literalis principalis eſt, non quem litera prætendit, ſed quem Spiritus ſanctus ſcripturarum author intendit.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

SExta ſuppoſitio: fides & omnia neceſſaria ad ſalutem tam credenda quam agenda, fundantur in ſenſu literali, & ex ipſo argumentatio ſumitur ad probandum ea quæ fidei ſunt, vel neceſſitatis ad ſalutem, & non ex his quæ ſecundum allegoriam vel alium ſenſum ſpiritualem dicuntur; ut Auguſtinus dicit in epiſtola contra Vincentium Donatiſtam, & nil ſpirituali ſenſu continetur fidei neceſſarium, quod ſcriptura ſacra per literalem ſenſum alicubi manifeſte non tradat, ut dicit S. Thomas in loco præallegato.

6. Ex ſenſu litterali ducuntur argumenta.

SEptima ſuppoſitio: ſacra ſcriptura in ſenſu litterali ſanè & benè intellecta, eſt infallibilis fidei regula & (a) ſufficientiſſima. Prima pars hujus ſuppoſitionis ex ſuperioribus manifeſta eſt: ſed probatur, quia cum intellectum, circa ea quæ fidei ſunt contingat errare, ut patet in hæreticis, neceſſe eſt eſſe regulam aliquam, per cujus deviationem aut conformitatem percipiat ſe intellectus errare vel non errare: Alioquin ſemper in dubio maneret, & ſemper fluctuaret, & cum fides ſit circa ea quæ humanam intelligentiam & rationem excedunt; ſecundum illud Apoſtoli ad Hebræos: *fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, argumentum non apparentium.* Et ſecundum Ambroſium: tolle argumenta, ubi fides quæritur: & ſecundum Gregorium: *fides non habet meritum*, ubi humana ratio præbet experimentum; patet, nullam humanarum ſcientiarum eſſe regulam fidei. Relinquitur ergo, quod hujusmodi regula fidei ſit ſacra Scriptura. Hæc regula eſt Joh. 20. cap. ubi ait: hæc autem ſcripta ſunt, ut credatis quod Jeſus eſt filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus, & Petri 2. primo capitulo *Habemus firmiorem Propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec dies illuceſcat, & Lucifer oriatur in cordibus veſtris.* Et Apoſtoli ad Rom. 15. *quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, ut per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus*, & patet quod prædictæ auctoritates ſunt ſacræ ſcripturæ, & de eadem ſacra ſcriptura loquuntur: & non de aliis ſcientiis humanitus adinventis. Secunda pars patet etiam, quia ſi ſacra ſcriptura non eſſet ſufficiens fidei regula, ſequeretur, quod Spiritus ſanctus inſufficienter tradidiſſet eam, qui eſt auctor ipſius: quod de Deo, cujus omnia opera ſunt perfecta, nullo modo eſt ſentiendum. Præterea ſi ſacra ſcriptura in aliquibus, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem, deficeret, tunc licitè & meritoriè ea quæ deficiunt poſſent aliunde ſuperaddi: aut ſi aliqua eſſent ſuperflua, diminui. Sed hoc eſt prohibitum à Joh. Evangeliſta Apocal. ult. ubi ita ait: *ſi quis apposuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas quæ ſunt in libro iſto, & ſi quis diminuerit de verbis libri Prophetiæ hujus, auferat Deus partem ejus de libro vitæ & de civitate ſancta & de his quæ ſunt ſcripta in libro iſto.* Ex quibus verbis Johannis Evangeliſtæ clare oſtenditur, in ſacra ſcriptura nihil diminutè, nihilque ſuperfluè contineri: quod utique congruit autori ipſius, qui eſt Spiritus ſanctus, ut dictum eſt, cujus omnipotentiæ congruit, ut nil diminutè; ſapientiæ, ut nil ſuperflue; & bonitati, ut ordine congruo noſtræ provideat neceſſitati ſalutis. Unde Proverb. 30. *Sermo Dei iguitus clypeus eſt ſperantibus in ſe, ne addas quidquam verbis illius, & arguaris inveniariſque mendax*, & loquitur de divina ſapientia. Sed pro declaratione ampliori hujusmodi regulæ pro iſta parte ſciendum eſt, quod ſufficientia alicujus doctrinæ neceſſario intelligitur dupliciter, uno modo explicitè; & hoc verum eſt in qualibet doctrina & ſcientia, quia nulla unquam doctrina fuit tam ſufficienter tradita, quod omnes concluſiones in ipſius principiis contentæ, explicitè & in propriis terminis fuiſſent traditæ & expreſſæ: & ſic eſt in propoſito noſtro: quia nihil eſt ad fidem & ad ſalutem quomodocunque & qualitercunque pertinens, quod non in ſacra ſcriptura ſufficientiſſimè explicitè aut implicitè contineatur. Unde Auguſtinus: Omnis veritas in ſcripturis continetur latens aut patens, quemadmodum & in aliis ſcientiis ſive moralibus & civilibus, concluſiones & determinationes in earum principiis continentur, quæ juxta exigentiam rerum, temporis & perſonarum atque occaſionum varietatem educuntur & explicantur, ut notum eſt cuilibet in Scholaſticis Diſciplinis erudito: quæ quidem eductio fit per modum illationis vel determinationis, ut in proceſſu hujus operis fortaſſe clarius eluceſcet. Item ſciendum, quod ad aliquam doctrinam addere aliquid, poteſt intelligi quatuor modis. Primo per modum explicationis aut declarationis, ſecundo per modum ſuppletionis, tertio per modum ampliationis, quarto per modum deſtructionis aut contrarii. Primus modus eſt neceſſarius in qualibet ſcientia & doctrina, & ſpecialiter in ſacra ſcriptura, non propter ſe ipſam, quæ ſufficientiſſima eſt & clariſſima in ſe, ſed propter nos: unde & declarantibus eam promittit præmium vitæ æternæ: *qui elucidant me*, inquit, *vitam æternam habebunt.* Eccleſ. 24. Secundus modus eſt neceſſarius ſcientiis ab auctoribus earum diminutè & inſufficienter traditis ad ipſarum ſupplementum; cujusmodi apud nos ſcientiæ ſeu Philoſophiæ naturali, quam aut Ariſtoteles non plene & ſufficienter tradidit, aut ſi perfectè tradidit, ad nos

7. Sacra Script. eſt ſufficiens.

(a) *Intelligge, explicitè vel implicite, ut ipſemet infra fol. 34. ſe explicat.*

CAN. *Hebr.* 11.

*Addere aliquid ad doctrinam 4. modis intelligitur.*

non

Digitized by Google

non pervenit complete aut perfecte: Albertus Magnus & alii Physicorum latinorum multos libros & tractatus ad complementum ipsius addiderunt. Tertius modus maxime, si non fuerit excessivus, sustinendus est & tolerandus, ad bene esse, licet non sit necessarius. Quartus modus potest addi in scientiis duobus modis: vel declarative, tanquam oppositum oppositio, ut verum ex suo contrario & oppositio, quod est falsum, magis eluceſcat, secundum quod Aristoteles posuit & communiter dicitur; *Oppositа juxta se positа magis eluceſcunt*, scilicet unumquodque in sua ratione; quia falsum oppositum vero, ejus falsitas ex comparatione veri manifestior fit; & è contrario veritas falsitati. Et sic iste modus ad primum reducitur qui est, utilis & laudabilis in qualibet doctrina: Vel assertivè pro conclusione tamquam verum, & sic cum destruat veritatem doctrinæ & corrumpat omninò, in qualibet doctrina tamquam venenum abjiciendum est, & tanto amplius, quanto doctrina certior fuerit & remotior à contradictione. Unde cum sacra doctrina sit certissima in veritate, ut patet ex secundo hujus, propter auctoritatem ejus qui errare non potest; omne contrarium ejus omnimodè est repellendum; alioquin sic apponens incurret plagas descriptas superius, per Joannem Evangelistam. Et hoc modo intelligendæ sunt auctoritates scripturarum quæ prohibent additionem, vel subtractionem ad sacram scripturam. Unde super illo Deut. 4. *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferatis ex eo*, glossa ordinaria dicit: docet normam æquitatis, & omnem hæresin percutit; vetat enim rectæ doctrinæ aliquid pravæ intentionis addere, vel aliquid veritatis subtrahere. Via enim regia incedendum est, non ad dextram vel ad sinistram, quia rectæ viæ Domini, & justi ambulabunt in eis. Unde Nicolaus de Lyra: Considerandum est, quod hic prohibetur additio depravans intellectum legis, non autem additio declarans aut elucidans, secundum quod scribitur Eccles. 24. *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt, &c.* Similiter super illo: sermo Dei ignitus &c. dicit glossa interlinearis: ut hæretici, qui corrumpunt scripturas, ne eis convincantur, & Hieronymus ibidem; Ne corrumpas eloquia sacrarum scripturarum, sicut quidam hæretici, ne eis convincerentur, fecisse noscuntur. Et Nicolaus de Lyra: Ne addas quidquam quod sit eis contrarium, possunt tamen benè & meritoriè addi illa quæ faciunt ad verba Domini declaranda. Eccles. 24. *Qui elucidant me.* Similiter super dicto Joan. Apocal. ult. dicit glossa ordinaria: quia quosdam sciebat in Asia esse, qui pro suis erroribus fovendis adderent, vel diminuerent, supponit excommunicationi. Et Nicolaus de Lyra. *Si quis apposuerit* &c. id est, discrepantia, sicut faciebant hæretici, qui tempore illo addebant discrepantia à veritate Evangelii, & aliqua diminuebant de ejus veritate, dicentes Christum ante Mariam non fuisse; per hoc tamen non excluditur, quin possent aliqua addi licitè quæ faciunt ad declarationem totius sacræ Scripturæ, & sic fecerunt doctores sancti, & ad hunc modum reducitur, si quis mandatis Christi dimissis & neglectis, alias humanas superadderet traditiones, sicut dicunt Doctores super illo verbo Christi: *Væ vobis! qui decimatis mentam cuminum & anetum, & quæ potiora sunt legis dimittitis* sicut misericordiam & judicium, Matthæi 23. Et alibi increpat dominus Judæos dicens: *Irritum feciſtis mandatum Dei propter traditiones veſtras.* Et per Isaiam Prophetam: *Sine causa colunt me, mandata & doctrinas hominum docentes & sequentes.*

*Osee. 4.*

*Matth. 15. Esa. 29.*

OCtava suppositio: Non est inconveniens sub uno & eodem textu sacrarum literarum esse plures sensus literales. Declarat hæc sanctus Thomas ubi supra, dicens, quia auctor sacræ Scripturæ Deus est, qui omnia simul suo intellectu comprehendit, ideo non est inconveniens, ut Augustinus dicit, 12. confessionum, si etiam secundum literalem sensum in una litera sacræ Scripturæ plures sint sensus, verbi gratia, primi Paralip. 17. cap. dicit dominus de Salomone: *Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium.* & intelligitur de Salomone ad literam, in quantum fuit filius Dei per adoptionem in juventute; propter quod Nathan Propheta nominavit eum amabilem Deo, ut habetur 2. Regum 12. Prædicta etiam auctoritas, *Ego ero illi in patrem*, inducitur ab Apostolo ad Hebræos primo, tanquam dicta de Christo ad literam; quod patet ex hoc; quia Apostolus inducit eam ad probandum, quod Christus fuit major Angelis; talis autem probatio non potest fieri per sensum mysticum, ut dicit Augustinus contra Vincentium Donatistam, ut supra allegatum est, prædicta igitur auctoritas completa fuit ad literam in Salomone, minus tamen perfectè, quia fuit Dei filius solum per gratiam: in Christo autem perfectius imò perfectissimè, qui est Dei filius per naturam: verba sunt Nicolai de Lyra in prologo Bibliæ.

8. *Non est inconveniens sub uno & eodem textu sacrarum literarum plures esse sensus literales.* CAN.

NOna suppositio. Ad rectè intelligendum sacram scripturam, secundum suum sensum literalem, necesse est sæpe, ut unus & idem textus ad præcedentia vel subsequentia referatur, vel ad alia loca, in quibus de eadem materia tractatur, quia per ipsam quandoque exponitur & quandoque suppletur: unde Augustinus in libro octua-

9. *Ad rectè intelligendum sacram scripturam se-*

ginta

Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

ginta trium quæstionum, quæstione sexagesima nona: Solet circumstantia scripturarum illuminare sententiam: quapropter in verbis Christi hæc regula diligenter notanda est, quia per eam perpendimus sæpe, an verba Christi figurativè dicta sint, an non, quia ex præcedentibus vel ex sequentibus ibidem, vel simul ex utrisque, vel aliis locis sacræ scripturæ perpenditur & aperitur intellectus; sicut si volumus intelligere quæ istarum locutionum figurativa sit, & quæ non: *Ego sum vitis vera*, &, *hoc est corpus meum*. Ex his quæ subjunguntur, aperitur intellectus. Nam ad primam statim subjunxit ad discipulos, *Et vos palmites*, per quam subjunctionem manifeste ostenditur, quod cum discipuli sui non essent palmites naturales, sed tantum figurales, quod nec ipse erat vitis, cum dixit, *ego sum vitis*, nisi secundum figuram. Ad secundam vero subdit: *quod pro vobis tradetur*, per quod intelligitur, cum ipse verum corpus suum & naturale, quod traxit de virgine, tradiderit in cruce pro nobis; quod etiam illud idem corpus, quod assumpsit de virgine, & in quo in cruce pependit, tradiderit discipulis in cœna, in hoc divinissimo Eucharistiæ sacramento. Similiter sæpe truncata sententia per alium passum suppletur. Nam ille textus Matth. ult. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit*, si præcisè intelligatur de fide & de baptismo, sine aliis virtutibus, falsus est & truncatus, quia prædicta non sufficiunt ad salutem; sed oportet quod aliæ virtutes concurrant, & specialiter caritas, sine qua nec fides nec baptismus proficit ad salutem, ut patet per Apostolum, & similiter facile esset videre in multis aliis sacræ scripturæ locis.

*cundum sensum literalem, considerandа sunt præcedentia & sequentia, & alia quoque loca.*

10. *Ad habendum verum sensum literalem, opus est attendere diligenter ad varium modum procedendi eorum.* CAN.

DEcima suppositio. Ad habendum verum sensum literalem sacrarum scripturarum, necesse est summo opere cum studio & diligentia attendere varium modum procedendi earundem. Nam in eodem contextu verborum, sæpe aliqua verba accipiuntur literaliter & purè grammaticaliter, & aliqua mysticè, & sæpe unum & idem verbum aliter & aliter: Nam illud Marci 6. *Nihil tuleritis in via, nisi virgam tantum*, habet prædictam distinctionem, ubi hæc verba, *nihil tuleritis in via*, accipiuntur literaliter, & sequentia, *nisi virgam tantum*, accipiuntur mysticè, pro potestate accipiendi victui necessaria. Item hoc ipsum, *nisi virgam tantum*, aliter accipitur nomine virgæ Matth. 10. Lucæ 9. Marci 6. quia in primis locis, ubi Christus loquitur de missione Apostolorum, accipitur virga pro baculo aut rebus necessariis humanæ sustentationi, hîc vero accipitur mysticè, pro potestate accipiendi necessaria ab auditoribus, quam Christus dedit Evangelizantibus, unde August. in de consensu Evangelistarum: Solet, inquit, quæri quomodo Matthæus & Lucas commemoraverint Dominum dixisse discipulis, ut nec virgam ferrent, cum dicat Marcus. *Et præcepit eis, ne quidquam tollerent nisi virgam tantum?* Quod ita solvitur, ut sub alia significatione dictam virgam, quæ secundum Marcum ferenda est, & sub alia, quæ secundum Matthæum & Lucam non est ferenda, intelligamus. Potuit enim breviter sic dici; nihil necessariorum vobiscum feratis, nec virgam tantum, ut illud quod dictum est *nec virgam*, intelligatur, nec minimas quidem res: quod verò adjunctum est *nisi virgam tantum*, intelligatur potestas, quia per potestatem à domino acceptam, quæ virgæ nomine significata est, etiam quæ non portantur, non deerunt, & subdit ad propositum: Quisquis autem putat non potuisse dominum in uno sermone quædam figuratè, quædam propriè ponere eloquia, cætera ejus inspiciat, & videbit quam hoc temere ac inerudite arbitretur: Similiter multi passus sacræ scripturæ sibi invicem essent contrarii, si tamen ad grammaticalem sensum respiciamus, ut patuit in prædictis locis, in quibus Matthæus & Lucas dicunt *neque virgam*, & Marcus *nisi virgam tantum*. Similiter Matthæi ultimo præcipitur diligi inimicus, & Lucæ quarto decimo præcipitur odiri pater, mater, uxor, filii, fratres & sorores. Item sæpe sacra scriptura sub uno contextu quasi una persona aliquando loquitur, non tamen ad idem singulæ partes locutionis referuntur, sed altera ad caput, altera ad corpus refertur, scilicet altera ad Christum, altera ad Ecclesiam, quæ est corpus Christi mysticum: secundum quem modum intelligitur id Esaiæ 61. *Induit me vestimento salutis & indumento justitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis*, quod enim dicitur hîc *quasi sponsum*, intelligitur de Christo capite, & id quod subditur, *& quasi sponsam*, intelligitur de ipsa Ecclesia, similiter Canticorum primo: *osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt ubera tua vino*, cum enim dicitur, *osculetur me*, desiderium sponsæ, sponsum desiderantis, exprimitur, & quod subditur, *quia meliora sunt ubera tua vino*, verbum est sponsi, sponsam commendantis. Quia verò mysticum Ecclesiæ corpus est quasi sagena nondum tracta ad littus, continens malos permixtos cum bonis, ideo sæpe in sacra scriptura mali commendantur cum bonis quibus sunt permixti: sicut Osee quarto: *puer Israel, & dilexi eum*, & e converso sæpe boni vituperantur cum malis, sicut Isaiæ scribitur: *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: Israel autem me non cognovit, & populus meus non intellexit*. Similiter in eodem contextu, asi-

*Aug. de consensu Evangelistarum lib. 2. cap. 29.*

Digitized by Google

aliquando quid ad bonos pertineat, & quid ad malos, exprimitur, ſicut Canticorum 1. *Nigra ſum, ſed formoſa, filiæ Jeruſalem, ſicut tabernacula Cedar, ſicut pellis Salomonis*, verba ſunt Eccleſiæ, quæ ratione malorum in ipſa contentorum dicit: *nigra ſum*, ſed ratione bonorum ſubdit: *ſed formoſa*, & quod ſubditur, quaſi pro exemplo inducitur, *ſicut tabernacula Cedar*. Cedar enim fuit filius Iſmael, à quo deſcenderunt Sarraceni, & refertur ad malos. Quod autem dicitur *ſicut pelles Salomonis*, refertur ad bonos. Per Salomonem enim intelligitur ſecundum expoſitores Catholiocos & Hebræos ipſe Deus, & ideo pelles ejus dicuntur, quibus operiebatur tabernaculum in quo boni colebant eum. Quandoque etiam ſacra ſcriptura in ſuo modo loquendi tranſit de ſpecie ad genus, ſive de parte ad totum & e converſo, ſecundum quod patet Iſaiæ 13. ubi ſpecialiter loquitur contra Babylonem, primò dicens: *Onus Babylonis* & deinde tranſit ad intelligendum verbum de toto mundo generaliter, per hoc quod ſubditur, *à ſummitate cœli Dominus & vaſa furoris ejus, ut diſperdat omnem terram*. Poſtea revertitur ad loquendum contra Babylonem ſpecialiter, cum dicit, *Ecce, ego ſuſcitabo ſuper eos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint, ſed ſagittis parvulos interficient, lactantibus uteris non miſerebuntur, & ſuper filios non parcet oculus eorum &c.* quia Darius Medus cum Cyro nepote ſuo cepit Babyloniam & interfecit Balthaſar Regem Babylonis, ut patet Daniel. 5. cap. Quia etiam Diabolus cum malis conſtituit corpus malorum, ſicut & Chriſtus cum bonis conſtituit corpus Eccleſiæ myſticum, dicente Gregorio Homilia 10. Certè iniquorum omnium Diabolus caput eſt, & hujus capitis membra ſunt omnes iniqui, ideo propter connexionem utrorumque adinvicem ſcriptura in eodem contextu loquens de uno, tranſit ad loquendum de altero, ſicut habetur Iſaiæ 14. ubi loquens de rege Babylonis, qui erat membrum Diaboli, tranſit ad loquendum de principe Dæmoniorum, cum ſubditur ibidem: *quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer, qui manè oriebaris: corruiſti in terram, qui vulnerabas gentes:* & ſimiliter habetur Ezech. 24. Ubi loquens de principe tranſit ad loquendum de Diabolo, cum ſubditur: *tu ſignaculum ſimilitudinis plenus ſapientia & decore in deliciis Paradiſi fuiſti.* Sæpe etiam in ſacra ſcriptura contingit difficultas ex parte temporis, quod quidem contingit quadrupliciter, videlicet per Synecdochen, quando videlicet pars ponitur pro toto, ſicut cum dicitur in Evangelio Chriſtus tribus diebus in ſepulchro jacuiſſe, cum tamen prima & tertia dies non fuerint integri. Alio modo per minutiarum temporis omiſſionem, quæ aliquando in ſcriptura computantur & aliquando omittuntur: ſicut cum aliquando ſcriptura loquens de aliquo numero annorum in pluribus locis accidit varietas, quia in uno loco numerantur minutiæ temporis, & ita videntur plures anni, in alio vero loco, dimittendo dictas minutias, pauciores videntur. Tertio modo contingit ex variatione termini, quia computatio annorum aliquando incipit in uno loco à priori termino, & in alio loco à poſteriori, unde Geneſ. 15. cap. dictum fuit Abrahæ: *ſcito præneſcens, quod peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua, & ſubjicient eos ſervituti & affligent quadringentis annis:* Exodi 12. De iſta eadem perigrinatione dicitur, quod manſio filiorum Iſrael in terra Ægypti fuit quadringentorum triginta annorum, quia computatio hujus majoris numeri, incipit à nativitate Iſaac, quæ fuit triginta octo annis poſt egreſſum Abrahæ de Aran. Quarto vero modo contingit eo quod ſcriptura ſacra loquitur de futuro, per modum præteriti, ſicuti Iſaiæ nono, *parvulus natus eſt nobis &c.* Et hoc ad denotandum certitudinem Prophetiæ, cujus eventus de futuro eſt ita certus, ſicut jam præteriſſet, & hoc eſt propter certitudinem divinæ præſtantiæ, ex qua fit revelatio ipſi Prophetæ. Eſt tamen advertendum, quod talis modus loquendi non habet locum, niſi in Prophetia prædeſtinationis, quæ eſt, quando aliquod certum contingens revelatur Prophetæ eo modo, quo eſt in præſcientia Dei, quæ ita infallibiliter intuetur futura, ſicut præſentia & præterita. In Prophetia verò comminationis non habet locum, quæ eſt, quando aliqua pœna revelatur Prophetæ, infligenda populis vel alicui perſonæ particulari, non ſecundum ordinem cauſarum ſecundarum, utpote ſecundum demerita hominum, ſicut eſt illa Prophetia Jonæ 3. *Adhuc quadraginta dies & Ninive ſubvertetur.* Hanc enim ſubverſionem meruerant peccata illius civitatis, veruntamen quia talis cauſa mutabilis eſt, ideo effectus aliquando non ſequitur, ſicut in propoſito, quia Ninivitæ egerunt pœnitentiam, & ſic Dominus non inflixit eis pro tunc pœnam comminatam. Inſuper contingit difficultas in ſcriptura, propter variam mutationem recapitulationis & anticipationis in narratione, quia non ſuper eo ordine geſta & facta ſcribuntur & ideo quando præponuntur poſteriora, dicitur anticipatio, quando autem fit e converſo, dicitur recapitulatio, ſicut Geneſ. 10. dicitur de filiis Noë: *Ab his diviſæ ſunt Inſulæ gentium in regionibus ſuis, unusquiſque ſecundum legem ſuam*, & infra eodem capitulo, *hi ſunt filii Elam in cognationibus & linguis*, poſtea undecimo capitulo dicitur. *Erat autem terra labii unius & ſermonum eorundem*, ex quo patet, quod illud quod dictum eſt prius de diviſione linguarum, dictum eſt per anticipationem. Similiter

SÆC. XV. ANNO 1433.

*Difficultas ſcripturæ ex parte temporis.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

Genes. 2. cap. postquam Moyses descripserat creationem cœli & terræ & distinctionem & ornatum partium mundi, dicit: *Istæ sunt generationes cœli & terræ, in die quo creati sunt &c.* Ex hoc patet, quod prædicta dicuntur hîc & referuntur, per recapitulationem. Hæ & multæ aliæ difficultates in intelligendis sacris scripturis interveniunt voluntate & ordinatioe divina, cujus nutu & inspiratione conscriptæ sunt, ad quarum difficultatum dilucidationem Donatista quidam; Tyconius nomine, septem regulas adinvenit, quas August. 3. de doctrina Christiana, prosequitur, & declarat Isidorus de summo bono, Nicolaus de Lyra in prologo Bibliæ, & multi alii Doctores, quorum in aperiendis prædictis difficultatibus vestigia sum secutus.

11. *Difficultas illa sacras scripturas intelligendi, utilis est ac necessaria ad exercitium studiosorum, & meritum eorundem.*

UNdecima suppositio. Prædicta difficultas in intelligentia sacrarum scripturarum est Ecclesiæ valde utilis & necessaria, cum propter exercitium studiosorum, & meritum eorundem. Nam si singula paterent & omnes planum haberent excessum ad divina cognoscenda & capienda mysteria, humanum ingenium pigresceret & multi qui nunc in inquisitione veritatis glorioso labore occupantur, aut ocio marcescerent aut ad illicita prolaberentur, nec in studio earundem scripturarum haberent illud meritum, quod eis promittitur; tum etiam propter vitandas irrisiones infidelium, & ne etiam apud fideles eadem divina mysteria vilescerent; unde Dominus ait Matth. 6. *Nolite sanctum dare canibus, & margaritas nolite projicere ante porcos &c.*

12. *Hac difficultate existente, necessariò requiruntur diligentes & fideles expositores, qui quales esse debeant explicatur.*

DUodecima suppositio. Tali ac tanta difficultate in intelligentia sacrarum scripturarum existente, necessariò ipsæ Scripturæ requirunt diligentes & fideles expositores, qui sint præditi ingenio, exercitati studio, humiles in judicio, & immunes ab affectato vitio. Nam ex opposito alterius illorum quatuor, solet facillimè falsus intellectus Scripturæ suboriri, ut si sit homo hebetis ingenii, iners & neglector studii, si superbi & arrogantis judicii, si denique fuerit infectus & damnatus ex affectu alicujus vitii aut passionis, sicut plerosque excæcat malitia eorum. Possent prædicta & quodlibet ipsorum tam auctoritatibus quam exemplis & rationibus multipliciter declarari, quæ causa brevitatis, cum sint ex se nota, relinquuntur.

13. *Inter expositores sacræ scripturæ, facta diligenti comparatione, præferendi sunt qui prædictas conditiones habent, non habentibus.*

TErtiadecima suppositio. Inter expositores & declaratores sacræ Scripturæ summâ cum diligentiâ facienda est comparatio, & illi, quos constat habere conditiones positas in præcedenti suppositione, præferendi sunt non habentibus, similiter revelationem habentes, non habentibus eam; & dona gratis data possidentes, cæteris paribus, non possidentibus ea. Magna enim stultitia & fatuitas est hominis, qui dimissis Doctoribus omni sanctitate & devotione ferventibus, summo ingenio præditis, exercitatis studio, humilibus in judicio, & omni vitio ac passione spoliatis, qui etiam in vita & post mortem miraculis claruerunt, & interpretandis & exponendis sacris Scripturis divinas & cœlestes revelationes habuerunt, sequeretur homines rudes ingenio, neglectores studii, superbos & arrogantes ac præsumptuosos in judicio, depravatos & infectos omni vitio, quibus à percipienda veritate humanus animus retrahitur. Sed heu impletum est hodie illud quod Apostolus prædixerat 2. ad Timotheum 4. *Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Ex quo sequitur, quod antiqui doctores, cujusmodi fuerunt Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Gregorius, & alii, qui similiter prædictis conditionibus claruerunt, præferendi sint modernis, quibus & vitæ sanctitas, & ingenii acuitas, & cæteræ conditiones videntur nostris peccatis defecisse, atque inter modernos illi præferendi sunt, qui plures de prædictis conditionibus participant: ac proinde convincitur & deprehenditur quorundam arrogantia modernorum, usurpantium sibi illa de Psalmo: *super omnes docentes me intellexi*, & iterum: *super senes intellexi*, & iterum: *super inimicos meos prudentem me fecisti.* Sed utinam animadverterent, si veræ sint causæ in eis quæ junguntur, *quia testimonia tua exquisivi: quia lex tua meditatio mea est:* sequitur ulterius, quod incautissimum est fidelibus, accipere & sequi novas scripturarum expositiones aut interpretationes, quas non commendat famosa veterum traditio, neque novorum exponentium vitæ sanctitas, nec miraculorum attestatio, nec sinceræ veritatis puritas, nec universalis Ecclesiæ certa approbans auctoritas. Patet, quia hoc est se exponere periculo salutis, cùm ignorantia legis Dei neminem excusat: & e converso omninò cautum & securum est, in exponendo & allegando sacram Scripturam inniti sententiis antiquorum doctorum Ecclesiæ de quorum conditionibus & gratiis in præcedenti dicebatur: quo enim quisque magis ratione utitur, eo majoris auctoritatis ejus verba esse videntur.

*Psal.* 118.

Quarta

Digitized by Google

QUarta decima ſuppoſitio. Sicut ſacra Scriptura recipit interpretationem & expoſitionem in ſuis verbis originalibus, ſic etiam doctores exponentes eam, ſæpe recipiunt interpretationem & expoſitionem dictorum ſuorum, & comparanda ſunt dicta doctorum & etiam unius & ejuſdem doctoris adinvicem, & ſi aliqua contrarietas in dictis eorundem videatur, reducenda eſt ad concordiam: & ſi omninò repugnarent, tunc accipiendus eſt ille doctor, cujus ſententia propinquior eſt veritati & ſenſui quem intendit auctor ſcripturarum, qui eſt Spiritus ſanctus, vel ei, quem Eccleſiæ auctoritas corroborat. Similiter ſi dicta unius & ejuſdem doctoris diſſona & contraria videantur, ea accipienda eſt pars, quam doctor ex intentione proſequitur, & quæ magis appropinquare videtur veritati aut ſenſui litterali quem exponit, ut ſi Auguſtinus aliquo in loco diceret, communionem laicam utriuſque ſpeciei eſſe de neceſſitate ſalutis, & alibi diceret vel ſervaret oppoſitum, tunc laborandum eſſet, ut dictus doctor ad concordiam reduceretur, vel ea pars eſſet amplectenda, quam ex intentione proſequitur: prout facit in expoſitione cap. 6. Joh. ubi totum illud capitulum ex intentione proſequens exponit & declarat de manducatione ſpirituali, ut clarè declarabitur in ſequentibus, &c.

SÆC. XV. ANNO 1433.

14. *Ipſi quoque doctores declarantes ſcripturam ſacram, aliquando dictorum ſuorum interpretationem recipiunt.*

QUinta decima ſuppoſitio. Sacra Scriptura patitur in lectoribus ſuperbis & præſumptuoſis, permittente Deo, quod errent, & protervè agant, incidantque in varias hæreſes & errores, & hoc multiplici ratione, neque enim omnipotens Deus & optimus hæreſes permitteret, ſicut & alia mala, niſi etiam ex ipſis poſſet & vellet meliora bona elicere, ut Auguſtinus dicit in Enchiridio. *Diligentibus*, inquit Apoſtolus, *Deum, omnia cooperantur in bonum.* Ad Rom. 8. Nam ex ipſis fideles probantur, doctores per amplius illuminantur, electi purgantur, innocentes majorem gloriam merentur, & humanæ præſuppoſitiones meritò puniuntur. Multi etenim tempore proſperitatis ſe putant eſſe bonos & firmos in fide, exemplo Petri, Lucæ 12. qui paratum ſe dixit cum Chriſto in mortem & in carcerem ire, qui tamen tempore perſecutionis aut dubitant, aut à fide labuntur. Quapropter inquit Apoſtolus prima Corinth. 11. *Oportet hæreſes eſſe, ut qui probati ſunt manifeſti fiant in vobis*, ubi gloſſa dicit; Non vult Apoſtolus nec optat, ut hæreſes ſint, ſed ſic futurum eſſe prædicit; & quia hoc utile eſt, idcirco ad quid ſit utile declarans ſubdit; ut non tantum reprobi, qui dicunt, ego ſum Pauli, ſed etiam qui probati ſunt in vobis, id eſt, inter vos, ſicut illi, qui dicunt, ego ſum Chriſti, manifeſti fiant hominibus: tunc etiam videtur qui ſint lolium ſeu Zyzania in agro Eccleſiæ. Utiles ſunt, quia tunc Doctores plus illuminantur, unde gloſſa Auguſtini ubi prius: multa quidem ad fidem Catholicam pertinentia, dum hæreticorum callida inquietudine exagitantur, ut adverſus eos defendi poſſent, & conſiderantur diligentius, & intelliguntur clarius, & prædicantur inſtantius; ideoque divina providentia hæreticos multos eſſe permittit, ut cùm inſultant nobis, interrogant nos quæ neſcimus, excutiamus pigritiam, & divinas Scripturas noſſe cupiamus: Utiles ſunt hæreſes, quia per eos electi purgantur, unde gloſſa ubi prius: omnes inimici Eccleſiæ, vel errore cæcati, vel malitia depravati proſunt, quia ſi accipiunt poteſtatem corporaliter affligendi, excercent ejus patientiam; ſi verò male ſentiendo adverſantur, exercent ejus ſapientiam. Ab adverſario enim mota quæſtio, diſcendi exiſtit occaſio: Poſtremò utiles ſunt hæreſes, quoniam tunc videtur, quomodo divina juſtitia humanas præſumptiones punit. Sunt enim quidam hominum tantum de ſuo ingenio præſumentes, ut totam rerum naturam ſe reputent ſuo intellectu poſſe metiri, ut dicit S. Thomas primo contra gentiles, exiſtimantes id ſolum eſſe verum, quod eis videtur, & eſſe falſum, quod eis non videtur, exempli gratia, ſi quis crederet intra cœlum & circulum Lunæ eſſe omnia, neceſſe haberet credere, non eſſe, quidquid intra ipſum non inveniret: & ex hoc, tanto amore amplectuntur opiniones ſuas & ſectas, ut de contrariis etiam nec cogitare velint, tantoque odio averſi ſunt, ut contraria errorum ſuorum nullatenus videre, reſpicere, aut audire velint; in quibus verificatur illud Proverbiorum 18. *Non recipit ſtultus verba prudentiæ, niſi ea dixeris quæ verſantur in ejus corde.* Quare merito hujusmodi præſumptio nequam venit punienda, quia ut dicit Apoſtolus ad Romanos 1. de Romanis & ſapientibus paganorum: *cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: dicentes enim ſe eſſe ſapientes ſtulti facti ſunt*, ubi gloſſa: obſcuratum eſt cor, id eſt, ratio, tumore ſuperbiæ obumbrante, & ſic paulatim uſque ad inſipientiam cor eorum deductum eſt. Nebula enim erroris contexit cor eorum. Unde Leo Papa ait: quid iniquius eſt quam iniqua ſapere & ſapientibus doctoribus non credere? Sed in hanc inſipientiam cadunt quicunque ad cognoſcendam veritatem aliquo impediuntur obſcuro, non autem ad Propheticas voces, nec ad Evangelicas auctoritates, ſed ad ſemet ipſos recurrunt, & ideo Magiſtri erroris exiſtunt, quia veritatis Diſcipuli non fuerunt.

15. *Sacra ſcriptura patitur in lectoribus ſuperbis & præſumptuoſis, permittente Deo, quod errent.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

ULtima suppositio pro præsenti ad nostrum faciens propositum: Scriptura sacra in sui receptione & expositione authentica atque intellectu ejusdem plano & vero, nec non & cujuscunque doctoris Catholici expositio, intentio sive sententia ad fidem Catholicam pertinens, finaliter resolvitur in auctoritatem, receptionem & approbationem universalis Ecclesiæ, tamquam in primum & universalissimum doctrinæ & scientiæ fidei principium, ad quod probandum ex eisdem fundatis auctoritatibus in æternum, & veritatibus ejusdem sacræ scripturæ procedemus divina gratia & Spiritu sancto dirigente, qui est in secula seculorum benedictus amen. Et hæc de suppositionibus generalibus dicta sunt pro præsenti.

16. *Scriptura sacra in sui receptione, & authentica expositione, sicut & doctorum explanationes resolvuntur in receptionem & approbationem Ecclesiæ.*

QUantum verò ad suppositiones speciales & proprias, præsentem quæstionem divinissimæ Eucharistiæ concernentes, primo supponitur tanquam articulus fidei, quod in sacramento divinissimæ Eucharistiæ sit verum corpus Christi & sanguis, licet nec sensu nec ratione possit deprehendi. Hanc suppositionem doctor sanctus tertia parte Summæ, quæstione septuagesima quinta, articulo primo, triplici ratione declarat. Prima sumitur ex perfectione novæ legis respectu veteris, quia sacrificia veteris legis illud verum sacrificium passionis Christi solum in figura continebant, secundum illud ad Hebræos 10. *Umbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem*, & ideo oportuit ut aliquid plus haberet sacrificium novæ legis à Christo institutum, ut scilicet ipsum Christum passum non solum in significatione, vel figura, sed etiam in rei veritate contineret. Quare ratione perfectionis novæ legis & sacramentorum ejusdem, necessarium est dicere, quod hoc sacramentum Eucharistiæ ipsum Christum contineat realiter, unde Dionysius dicit 4. cap. Eccles. Hierarchiæ, quod est perfectissimum omnium sacramentorum aliorum, in quibus virtus Christi participatur. Secunda sumitur ex perfectione caritatis & amicitiæ, qua ipse dominus Jesus Christus Ecclesiæ suæ sanctæ conjungitur, ex qua provenit, ut sicut pro salute nostra corpus verum naturæ assumpsit, & in eadem pro nobis passus est, ita etiam cum eodem corpore nobiscum & cum Ecclesia maneat in æternum. Nam ut dicit Philosophus in Ethicis maxime, proprium est amicitiæ convivere amicis, & quia in propria specie secundum statum mortalem, non erat conveniens, ut maneret nobiscum in æternum, tum propter redemptionem nostram peragendam, tum etiam ut resurrectione sua futuram nostram resurrectionem astrueret: nec etiam secundum statum gloriæ congruebat, cùm sit alterius conditionis incomparabiliter distans à natura, necessarium nobis & oportunum fuit & congruum suæ immensæ bonitati, caritati & amicitiæ, ut saltem sub aliena specie in propria tamen corporali præsentia, semper & in æternum maneret cum Ecclesia, ut sic per veritatem corporis & sanguinis sui nos sibi in hoc sacramento conjungeret. Unde & ipse Dominus dicit Joh. 6. *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo.* Unde hoc sacramentum est signum maximæ caritatis Christi ad nos, & nostræ spei ad Christum sublevatio ex tam familiari conjunctione ipsius ad nos. Tertia ratio sumitur ex perfectione fidei, quæ sicut est de divinitate Christi, ita est etiam de ejus humanitate, secundum illud, Joh. 14. *creditis in Deum & in me credite*, & quia fides est invisibilium. Idcirco sicut Christus dum erat in hoc seculo, divinitatem suam exhibebat discipulis humanitate velatam invisibiliter, ita & in hoc sacramento carnem suam simul & divinitatem alienis speciebus velatam modo exhibet invisibili: Prædicta veritas ex verbis Christi patet, qui ait: *hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Manifestum est autem quod Christus verum corpus suum reale & naturale pro nobis tradidit in cruce & in morte: Ergo illud idem quod sic tradidit, dedit Discipulis, quando dixit, *Hoc est corpus meum.* Item idem patet per Apostolum Paulum 1. ad Corinth. 11. *qui manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini*, ubi expresse Paulus non dicit, non dijudicans figuram corporis Domini: propterea si esset ibi corpus Christi secundum solam significationem, ad quid oporteret dijudicare hunc cibum ab aliis? quia quilibet panis eadem ratione posset significare & significat corpus Christi. Oportet igitur ponere, quod sit ibi verum corpus Christi: Ad hanc veritatem Catholicam astruendam corroborandam & confirmandam est auctoritas Ecclesiæ, quæ semper tenuit, tenet & tenebit in æternum, tam diu hic mundus durabit, quod in hoc divinissimæ Eucharistiæ Sacramento sit verus totus & integer Christus, quæ veritas fide tenetur omnium Christi fidelium, approbatur doctrinà universorum sanctorum doctorum Ecclesiæ, & innumeris miraculis exstitit declarata, quæ omnia peto hîc haberi pro repetitis gratia brevitatis.

*Prima speciales de Eucharistia suppositio. In Sacramento Eucharistiæ est verum corpus Christi & sanguis, licet nec sensu, nec ratione possit deprehendi.*

2. *In eodem Sacramento, post consecrationem nullo modo remanet panis & vini substantia.*

SEcundo supponitur, quod in eodem divinissimæ Eucharistiæ Sacramento post consecrationem nullo modo remanet nec remanere potest panis & vini substantia; quod Doctor sanctus declarat in quarto sententiæ distinct. 10. q. 1. triplici ratione. Prima,

Digitized by Google

Prima, quia est contra veritatem scripturæ: nam si simul in hoc Sacramento esset corpus Christi cum substantia panis, corpus Christi esset ibi concomitanter & quasi in loco, & sic cum prænomen *hoc*, sit demonstrativum substantiæ, Christus falsum dixisset porrigens panem, *hoc est corpus meum*, & debuisset potius dixisse: cum hoc, vel hic est corpus meum. Quia igitur est contra veritatem verborum Christi, ut dicit idem Doctor, omninò est hæreticum dicere, substantiam panis & vini post consecrationem remanere. Secunda, quia sic dicere esset dare occasionem idololatriæ populo Christiano. Nam cum huic sacramento exhibeatur veneratio latriæ, ratione præsentiæ domini nostri Jesu Christi in ipso existente; si ibi remaneret substantia panis & vini, cum species extrinsecæ sint sacramento corporis Christi, utique non ducerent in verum corpus Christi per modum signi: sed magis in substantiam panis, & sic homines unum pro reliquo adorarent, quod esset maximum inconveniens & omnino importabile. Tertia, quia manente veritate in hoc sacramento corporis Christi, prout prima suppositio præsupponit, impossibile est, eandem substantiam panis & vini remanere. Nam manifestum est, quod ante consecrationem ibi Corpus non est; oportet igitur quod virtute consecrationis incipiat esse, ubi prius non erat. Non potest autem aliquid esse alicubi, ubi prius non erat, nisi aut per loci mutationem, vel per alterius conversionem in ipsum: sicut in domo aliqua de novo incipit esse ignis, aut quia illuc defertur, aut quia ibi generatur. Manifestum est autem, quod corpus Christi non incipit esse in hoc sacramento per motum localem, quia ab extrinseco adveniret: primò quidem, quia sequeretur, quod non remaneret in cœlo; non enim quod localiter movetur pervenit de novo ad aliquem locum, nisi deserat priorem. Secundò, quia omne corpus localiter motum, pertransit omnia media, quod hîc dici non potest. Tertiò, quia impossibile est quod unus motus ejusdem corporis localiter moti, terminetur simul ad diversa loca, cum tamen in pluribus locis corpus Christi sub hoc sacramento simul esse incipiat; & propter hoc relinquitur, quòd non possit aliter corpus Christi incipere esse de novo in hoc sacramento, nisi per conversionem substantiæ panis in ipsum; quod autem convertitur in aliquid, facta conversione non manet; unde relinquitur, quod salva veritate hujus sacramenti, substantia panis post consecrationem remanere non potest, nec tamen substantia panis in præjacentem materiam, ut quidam posuerunt, nec etiam in nihilum convertitur, ut alii dixerunt, quia, si sic, vel sic fieret, non esset dare aliquem modum, per quem corpus Christi verum inciperet esse in hoc sacramento, nisi per solam substantiæ panis conversionem in ipsum corpus Christi, ut clarè deducit idem doctor, tertia Summæ eadem quæstione, articulo tertio.

SÆC. XV. ANNO 1433.

*secrationem, nullo modo remanet, nec remanere potest panis & vini substantia.*

EX prædictis sequitur tertia suppositio: videlicet quod accidentia panis & vini, quæ sensu deprehenduntur, in hoc sacramento post consecrationem remanent sine subjecto. Nam ex quo ibi fides Catholica ponit esse verum corpus Christi, ut dicit prima suppositio, nec remanet substantia panis, ut dicit secunda, oportet quod remaneant sine subjecto: quia si remanerent in subjecto, aut remanerent in ipso corpore Christi, aut in aëre, aut in aliqua alia substantia; sed non poterit dici primum, quia corpus humanum nullo modo potest affici hujusmodi accidentibus, neque etiam est possibile quod corpus Christi glorioſum & impassibile existens alteretur, ad suscipiendas hujusmodi qualitates: nec potest dici secundum, quia aër non est hujusmodi accidentium susceptivus, quia etiam accidens non transit de subjecto in subjectum, ut scilicet idem accidens numero sit, quod primò fuit in suo subjecto, postmodum fiat in alio: accidens enim accipit numerum à subjecto: unde non potest esse, quod idem numero manens sit quandoque in hoc, quandoque in alio subjecto, & videmus etiam ad oculum, quod cum hujusmodi accidentia transferantur de loco ad locum, ad motum harum specierum aër depellitur, quod utique non fieret, si in ipso aëre existerent, sicut in subjecto: nec potest dici, quod remaneant in aliqua alia substantia, pari ratione, sicut nec in substantia panis, ut superius dictum est, cum ibi nulla remaneat; nec hoc est inconveniens divinæ omnipotentiæ & suæ sapientiæ; cùm enim effectus magis dependeant à causa prima, quam à causa secunda, utique nulli dubium potest esse, quod Deus, qui est prima causa substantiæ & accidentis, possit sua virtute infinita conservare in esse accidens, subtracta substantia, per quam in esse conservabatur, sicut per causam secundam: sicut & in genere causæ efficientis potest alios effectus naturalium causarum producere, sine eisdem causis naturalibus, quemadmodum corpus humanum formavit sine virili semine, in utero virginis. Has tres suppositiones de veritate nostri diviniſſimi sacramenti volui proponere duplici de causa: prima est, quia ad sequentia multum mihi deservient, secunda est ad aliqualiter aperiendam maledictæ & damnatissimæ memoriæ hæresiarchæ Joh. Wicleif perfidiam, qui quantum in eo fuit, non divino sed diabolico spiritu inspiratus, visus est tollere à cordibus fidelium fidem hujus venerabilis sacramenti, & subvertere universam fidem & Ecclesiam Catholicam, ponens

3. *Accidentia panis & vini in hoc sacramento, post consecrationem, remanent sine subjecto.*

Wicleſi sententia de Eucharist.

SÆC. XV. ANNO 1433.

nens in forma tres concluſiones contrarias prædictis tribus veritatibus Catholicis, videlicet: Chriſtus non eſt in eodem ſacramento identicè & realiter, in propria præſentia corporali, contra primam. Subſtantia panis materialis & ſimiliter ſubſtantia vini materialis remanent in ſacramento altaris, contra ſecundam. Accidentia panis non manent ſine ſubjecto in eodem ſacramento, contra tertiam. Quæ ſententiæ & propoſitiones quàm ſint adverſæ fidei, quàm ſint blaſphemæ in Deum, utpote ejuſdem omnipotentiæ, ſummæ ſapientiæ, & ſummæ bonitati derogantes, quàm ſint piarum aurium offenſivæ, quantum derogent ipſius Eccleſiæ Catholicæ & ſacramentorum ejuſdem dignitati, quis ſufficiat enarrare, cum etiam horror ſit nedum loqui aut audire tantas in Deum & Eccleſiam blaſphemias, ſed nec etiam piis mentibus cogitare: O hominem iniquitate plenum, omnium errore ſeductum, omni invidia ſauciatum, omni blaſphemia ſordidatum: tibi profecto competit illa Apoſtoli ſententia, quam actuum 14. cap. protulit: *O plene omni dolo, & omni fallacia fili Diaboli, inimice omnis juſtitiæ, non deſinis ſubvertere vias Domini rectas.*

4. *In ſacramento Euchariſtiæ tria ſunt conſideranda, videlicet, id quod eſt ſacramentum tantum; id quod eſt res & ſacramentum ſimul; id quod eſt res tantum, & non ſacramentum.*

QUarta ſuppoſitio. Sciendum, quod ſecundum Magiſtrum ſententiarum in 4. diſt. 8. in ſacramento Euchariſtiæ tria ſunt conſideranda: videlicet, id quod eſt ſacramentum tantum, id quod eſt res & ſacramentum ſimiliter & id quod eſt res tantum, & non ſacramentum. Primum eſt ſpecies viſibilis panis & vini, quæ poſt conſecrationem manet. Secundum eſt corpus Chriſti verum. Tertium eſt corpus Chriſti myſticum. Primum dicitur ſacramentum quia ſacræ rei ſignum, hujus autem ſacramenti duæ ſunt res, quarum prima eſt contenta & ſignata, atque ſignificans, & ideo eſt res ſimul & ſacramentum, & hæc res eſt caro Chriſti, quam de virgine traxit, & ſanguis quem pro nobis in cruce fudit, quæ res ſignificatur per ſpecies viſibiles panis & vini, & veraciter ſub eiſdem continetur, & hoc corpus Chriſti eſt figura corporis Chriſti myſtici, & ipſum ſignificat. Alia verò res hujus ſacramenti eſt corpus Chriſti myſticum, per ipſum ſacramentum ſignificatum, ſed non contentum ſub eo realiter: nec aliquid aliud ſecundum ſe ex vi hujus ſacramenti ſignificans, & ideo eſt res tantum & non ſacramentum. Unde Innocentius in Summa de officio miſſæ ubi dicit; tria quippe in hoc ſacramento ſunt diſcreta, videlicet, forma viſibilis, veritas corporis, & virtus ſpiritualis. Forma panis & vini, veritas caro & ſanguis, virtus unitas & caritas. Primum oculo cernitur, ſecundum anima creditur, tertium corde percipitur, primum eſt Sacramentum & non res; ſecundum eſt Sacramentum & res; tertium eſt res & non Sacramentum; ſed primum eſt Sacramentum geminæ rei: ſecundum verò Sacramentum unius eſt & res alterius: tertium verò eſt res gemini Sacramenti. Nam forma panis utramque carnem Chriſti ſignificat, id eſt veram & myſticam; ſed veram carnem continet & ſignificat, myſticam vero ſignificat, ſed non continet. Item ſciendum, quod ſecundum prædictam duplicem rem hujus Sacramenti, eſt duplex caro Chriſti ſive corpus, una, quam ſumpſit & traxit de virgine, & ſanguis qui fuſus fuit in cruce pro nobis; de hac carne dicitur Lucæ ult. *Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.* De ſanguine vero dicit Joh. 19. *& continuo exivit ſanguis & aqua.* Alia verò caro & ſanguis Chriſti eſt ſpiritualis & myſtica: id eſt corpus Chriſti myſticum, cujus corporis caput eſt ipſe Chriſtus, reliqui verò fideles ſunt membra, de quo inquit Apoſt. 1. ad Cor. 12. *Sicut enim corpus unum eſt & membra multa habet, omnia autem membra corporis cum ſint multa, unum corpus ſunt: ita & Chriſtus; etenim in uno ſpiritu omnes nos in unum corpus baptizati ſumus, ſive Judæi ſive Gentiles, ſive ſervi, ſive liberi & omnes uno ſpiritu potati ſumus,* & infra: *vos autem eſtis corpus Chriſti & membra de membro,* nec eſt vis, quod in prædicta diſtinctione in uno membro dicitur caro, in alio verò corpus: quia in hoc Sacramento idem ſignificant. Unde & Salvator noſter in inſtitutione hujus Sacramenti dixit: *hoc eſt corpus meum,* & Joh. 6. *caro mea verè eſt cibus.* Corpus etiam myſticum Chriſti tangit Auguſtin. 3. de Trinitate, dicens: *Commendavit enim Chriſtus in hoc ſacramento corpus & ſanguinem ſuum, quod etiam fecit & nos ipſos, namque & nos ipſius corpus facti ſumus.* Et habetur de conſecratione diſtinct. 2. commendavit. Et ſimiliter Hieronymus ſuper Epiſtolam ad Epheſios, & ponitur in gloſſa prima Corinthiorum ita dicens: *dupliciter intelligitur caro Chriſti & ſanguis, vel ſpiritualis illa atque divina de quâ ipſe ait: Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus. Et niſi manducaveritis carnem meam & biberitis meum ſanguinem, non habebitis vitam in vobis: vel ea quæ crucifixa eſt, & ſanguis qui militis effuſus eſt lancea:* & ponuntur hæc verba de conſecratione diſtinct. 2. dupliciter: hujus itaque geminæ carnis Chriſti ipſa viſibilis ſpecies ſacramentum eſt, quia utramque ſignificat & utriuſque ſimililitudinem gerit. Sicut enim panis præ cæteris cibis corpus reficit & ſuſtentat, vinum hominem lætificat atque inebriat: ſic vera Chriſti & ejus ſanguis plus cæteris ſacramentis, gratiis interiorem hominem reficit & ſaginat. Similiter ſicut ex multis granis

*Duplex corpus Chriſti.*

*Verum.*

*Myſticum.*

*cap. 1.*

per-

Digitized by Google

perficitur unus panis, & ex plurimis racemis vinum in unum confluit: Sic ex multis fidelium perſonis unitas Eccleſiaſtica conſtat, & conſtituitur Corpus Chriſti myſticum, unde Apoſtolus prima Corinth. 10. dicit: *unus panis & unum corpus multi ſumus.* Super quo & Auguſtinus: unus panis & unum corpus dicitur Eccleſia pro eo, quod ſicut unus panis ex multis granis, & unum corpus ex multis membris componitur, ſic Eccleſia ex multis fidelibus caritate copulante connectitur. Similiter ipſa vera caro Chriſti, aut ejus verus ſanguis, eſt carnis Chriſti myſticæ & ipſius ſanguinis myſtici ſignum & ſacramentum. Sicut enim vera caro Chriſti ex multis membris puriſſimis & immaculatis conſtat, ſic caro Chriſti myſtica, quæ eſt ſocietas Eccleſiaſtica, ex multis perſonis à criminali macula, erroris ſcilicet vel operis, liberis conſiſtit. SÆC. XV. ANNO 1433.

QUinta ſuppoſitio: quod ſecundum tria prædicta quæ in hoc ſacramento attenduntur, triplex eſt manducatio hujus ſacramenti & ſumptio. Scilicet ſpecierum, veræ carnis Chriſti, & ipſius carnis myſticæ. Prima manducatio eſt purè corporalis, qua hoc ſacramentum comeſtum maſticatur & in ſtomachum trahitur, & ſimiliter bibitum, & poſtea digeritur, & ultimò in ſubſtantiam ſumentis convertitur. Et ſic verè manducantur & bibuntur illæ ſpecies, ſub quibus veraciter continetur verum Corpus Chriſti. Alia verò manducatio eſt ſumptio veri Corporis & Sanguinis Chriſti ſub dictis ſpeciebus panis & vini contentis. Et hæc manducatio dicitur ſacramentalis, de qua dicitur Matth. 26. *Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum*, & ibidem: *bibite ex hoc omnes.* Et iſta manducatio fit dupliciter. Uno modo in ſacrificii oblatione. Lucæ 22. *hoc facite*, id eſt conficite, *in meam commemorationem*, & ſic fit ſub duplici ſpecie. Alio modo fit in laica ſive in ſimplici communione. Et illa ſecundum diſpoſitionem & obſervantiam Eccleſiæ fit ſub una ſpecie tantum. Et prædictæ duæ manducationes pertinent ad os corporis. Tertia manducatio & bibitio eſt ſpiritualis, & hæc ad os animæ pertinet. Et hæc eſt duplex, ſecundum quod duplex eſt res hujus ſacramenti. Prima primæ rei, ſcilicet veræ carnis & veri ſanguis Chriſti, & hæc eſt devota cogitatio ſeu meditatio paſſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſive ipſius Chriſti, ſecundum quod ſub hoc ſacramento continetur, cum vero ſuo corpore & ſanguine, in quo multiplicem ſuſtinuit paſſionem & quem pro nobis in ara crucis ſudit. Et hanc ipſam cogitationem ſeu meditationem ſequitur ipſius recogitantis unio transformativa ad ipſum cogitatum per actum amoris. Unde ad hanc manducationem ſpiritualem, ſicut in corporali, duo requiruntur: ſcilicet maſticatio & incorporatio. Primò enim requiritur, quod homo in fide vera recogitet devotè paſſionem Chriſti, cujus memoriale eſt hoc venerabile ſacramentum, & hoc ſufficit quoad minores ſeu vulgares. Sed quoad majores, ultra hoc requiritur, quod devotè recogitent, quomodo ſub illis ſpeciebus eſt realiter & verè Corpus Chriſti, Deus & homo, cum ſuo ſacratiſſimo corpore, quod pro nobis expoſuit tam multiplici paſſioni. Et quod illud ex ineffabili ſua bonitate dedit nobis in cibum animarum noſtrarum & cætera, quæ in hoc ſacramento mirabilia opera pietatis continentur. Et talis devota recogitatio maſticationi correſpondet. Secundò requiritur, quod recogitans uniatur per actum amoris ipſi cogitato, ſcilicet Chriſto Domino, & in ipſum per amorem quantum poteſt transformetur. Et hoc incorporationi correſpondet. Secunda manducatio ſpiritualis, quæ in hoc ſacramento tertiò principaliter attenditur, & bibitio, quæ eſt ſecundæ rei, eſt conſecutio unionis ſeu adeptio per fidem & caritatem ad membra Eccleſiæ & cum Chriſto capite, quam unionem tam ſacramentum quàm prima res hujus ſacramenti ſignificat. Differentia inter prædictas manducationes eſt, quia prima habet veram & omnimodam rationem corporalis manducationis, ut dictum eſt, cæteræ verò non: quia caro Chriſti vera ſumpta ſacramentaliter, nec laceratur dentibus, nec ſecundum ſaporem guſtum immutat, nec convertitur in corporale manducantis nutrimentum. Similiter nec aliæ duæ ſpirituales, quia nec Chriſtus dum recogitatur ejus paſſio, aut dum ſibi mens unitur per amorem, comeditur, aut materialibus dentibus premitur; nec ſimiliter corpus Chriſti myſticum, dum quis ſibi unitur per fidem & caritatem: intelliguntur tamen & dicuntur prædictæ manducationes per aliquam ſimilitudinem ad manducationem corporalem. Sicut enim cibus corporalis nutrit, augmentat, reficit, confortat, & ſuſtentat corpus, & vitam conſervat: ſic & ſumptio corporis Chriſti ſive veri in ſacramento, & recogitati per devotionem; ſive etiam myſtici per fidei caritatis unionem, animam nutrit, augmentat, & conſervat in vita ſpirituali, differunt tamen & per contrarium ad manducationem corporalem, quia cibus corporalis ſumptus in ſumentem & manducantem convertitur. Sed Chriſtus dignè ſumptus, ſive ſacramentaliter, ſive ſpiritualiter, non in ſuſcipientem convertitur, ſed potius ipſe ſumens in Chriſtum transformatur, ſive convertitur. Unde Auguſtinus in libro ſuarum confeſſionum dicit: *Quaſi audirem vocem Dei de excelſo dicentem: cibus ſum grandium, creſce & manducabis me, nec tu me mutabis in te ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me.*

5. *Triplex eſt manducatio hujus ſacramenti, ſpecierum, veræ carnis Chriſti & carnis myſticæ.*

*Prima purè corporalis.*

*Secunda, ſacramentalis.*

*Tertia ſpiritualis quæ duplex eſt.*

*Differentia harum manducationum.*

Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

*me.* Similiter in manducatione corporis mystici, sumens non sibi corpus mysticum incorporat, sed potius ipsi corpori mystico & Christo capiti conjungitur & in ipsum transformatur & incorporatur. Item differentia est inter manducationem sacramentalem & spiritualem: quia manducatio veræ carnis fit ore corporali; ut dictum est, sub speciebus sacramentalibus: manducatio verò spiritualis fit ore animæ, sive intellectu & voluntate, per fidem & caritatem. Per hæc enim habitat Christus in nobis & nos in ipso, tamquam membra conjuncta capiti, secundum illud ad Ephes. 3. *Habitare Christum per fidem in cordibus nostris*, & prima Joh. 4. *Deus caritas est, & qui manet in caritate in Deo manet, & Deus in eo.* Prima manducatio potest esse bona & digna, & etiam indigna, & tunc ad judicium, secunda autem semper est bona. Prima exigit secundam, ut sit ad salutem, secunda est sola sufficiens & necessaria ad salutem. Prima vocatur sacramentalis, sine qua multi Martyres sancti & parvuli salvati sunt. Secunda verò vocatur spiritualis, sine qua nullus salvatur. Ultimò notandum est, quod licet necessarium sive necessitas tam à Theologis quàm à Philosophis, & præcipuè ab Aristotele in quinto Metaphysicæ, multipliciter distinguatur, tamen quantum ad præsentem spectat materiam, necessarium respectu finis est tripliciter distinguendum, quia aliquid dicitur necessarium respectu finis simpliciter & absolutè, id scilicet, sine quo nullo modo potest finis obtineri. Alio modo ex conditione sive ex pacto, sive ex suppositione. Tertio modo necessarium accipitur pro utili & expedienti: sicut respectu finis, qui est æterna felicites, consequendi, aliquid dicitur necessarium esse absolute & simpliciter, scilicet ipsa divina volitio, sine qua impossibile est simpliciter & absolutè dictam felicitatem consequi. Aliquid ex suppositione, & ex communi lege, sicut est Baptismus, de quo habetur Joh. 3. *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei.* Qui quidem baptismus non est ita necessarius ad consequendum vitam æternam, sicut divina volitio, quia Deus non sic suam potentiam alligavit sacramentis, ut sine ipsis non possit aut non valeat dare & conferre vitam æternam cui voluerit. Aliquid autem dicitur esse necessarium respectu dicti finis non simpliciter & absolutè, nec ex suppositione, sed secundum quid, quia etiam sine eo potest finis obtineri, licet non ita expeditè & de facili: cujusmodi dicimus consilia Christi esse necessaria, id est utilia ad æternam vitam consequendam, quia per ipsa facilius & expeditius ad dictum finem potest homo pervenire.

*Necessitas respectu finis triplex. Absoluta.*

*Ex suppositione.*

*Ex utili & faciliori modo.*

*Communio divinissimæ Eucharistiæ sub utraque specie, scilicet panis & vini, toti populo credentium non est necessaria, primo modo accepta necessitate. Nec secundo modo eadem communio stantibus consuetudine & statuto Ecclesiæ in oppositum, non est multum utilis vel expediens. Probatio prima conclusionis. Probatio secunda conclusionis per legem divinam.*

ISTis præsuppositis, venio ad secundam partem principalem propositæ quæstionis, videlicet ad proponendas conclusiones, pro ejusdem quæstionis decisione, & erunt tres in numero tantum modò, quarum prima sit ista: Communio divinissimæ Eucharistiæ sub utraque, scilicet panis & vini, toti credentium populo non est necessaria, primo modo accepta necessitate. Secunda conclusio: communio divinissimæ Eucharistiæ sub utraque, panis scilicet & vini, non est necessaria toti credentium populo, secundo modo accepta necessitate, nec à Domino præcepta Salvatore. Tertia conclusio: communio divinissimæ Eucharistiæ sub specie utraque, panis scilicet & vini, consuetudine & statuto Ecclesiæ stantibus in oppositum, non est multum utilis nec saluti expediens toti credentium populo, imò est multum inutilis eidem & nociva. Probationi primæ conclusionis non intendo insistere, cùm sit quasi per se nota, quia Deus non alligavit suam potentiam sic sacramentis, ut absque illis non posset & valeat salvare, cum voluerit, nisi forte aliquis Wichlefista vellet dicere, quod omnia ex necessitate proveniant. Ex quo sequeretur, quod solùm per hanc viam sacramentorum Deus posset salvare & non aliter, à quo errore pestifero quia video magistrum Joannem, qui hunc articulum proposuit, longè remotè positum. Idcirco in hac materia me non extendo, sed pergo ad 2. quæst. in qua consistit pondus belli, diei & æstus: quin iterum replico, videlicet communio divinissimæ Eucharistiæ sub specie utraque, panis scilicet & vini, non est necessaria toti credentium populo, secundo modo accepta necessitate, nec à Domino præcepta Salvatore: probatur hæc conclusio sic: Laicis & non conficientibus sufficit ad salutem sumere prædictum sacramentum sub una specie, ergo non est de necessitate salutis, neque de præcepto Christi sumere sub utraque. Consequentia nota est, quia si una sufficit, sequitur quod altera non sit necessaria, neque de præcepto Christi, ut patet ex rationibus sufficientiæ, & necessarii atque præcepti. Assumptum probatur primò per legem divinam, deinde per praxin Christi, per praxin Apostolorum & primitivæ Ecclesiæ, tertio per sacra generalia concilia; quarto per dicta sanctorum doctorum veraciter se in lege divina fundantium: Post subjungentur causæ aliquæ & rationes pro conclusione intenta. Et primò per legem divinam tam novi quam veteris testamenti. Nam in nova lege Christus loquens de hoc sacramento secundum intentionem adversariorum, Joh. 6. quindecim vicibus vel forte pluribus fecit mentionem de hoc sacramento divinissimo, de pane quidem & de manducatione tantum undecim vicibus, de manducatione verò carnis

*Christus Joh. 6. 15. vicibus fe-*

&

Digitized by Google

& bibitione ſanguinis quater. De vino verò in toto proceſſu illo non fecit mentionem, ad oſtendendum manifeſte, quod ſumere ſub altera ſpecie tantum, ſcilicet ſub ſpecie panis, ſufficit ad ſalutem, & quod ſub ipſa ſpecie panis continetur vera caro Chriſti, & verus ſanguis ipſius: unde inquit, *Operamini cibum qui non perit, ſed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis, hunc enim pater ſignavit Deus.* Ecce primum teſtimonium, in quo nullam mentionem facit de potu, & dicit cibum permanere & ſufficere in vitam æternam. Item *non Moyſes dedit vobis panem de cœlo, &c.* Ecce ſecundum teſtimonium, in quo hic cœleſtis panis præfertur mannæ dato per Moyſen, quod inter hujusmodi cibos corporales habebat omnem ſaporem ſuaviſſimum, nec erat verus panis, & quod hic ſcilicet, de quo Chriſtus loquitur, eſt panis verus: ubi iterum nulla mentio fit de potu, aut de vino. Item *panis enim verus eſt qui de cœlo deſcendit & dat vitam mundo.* Ecce tertium teſtimonium de pane qui dat vitam mundo, & nihil dicit de vino: Item: *ego ſum panis vitæ, qui venit ad me non eſuriet, & qui credit in me non ſitiet unquam.* Ecce quartum teſtimonium de pane vitæ manifeſtiſſimum, qui non ſolum tollit eſuriem, ſed etiam ſitim, ut eadem ratione ſicut cibus dicitur, & eſt, ſic etiam & potus dicatur. Item quinto: *ego ſum panis vitæ: patres veſtri manducaverunt manna in deſerto & mortui ſunt.* Ecce iterum dicit ſe panem vitæ & nulla mentio fit de vino. Item ſexto: *hic eſt panis de cœlo deſcendens, ut ſi quis ex ipſo manducaverit, non moriatur:* Item ſeptimo: *ego ſum panis vivus qui de cœlo deſcendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Item octavò: *& panis quem ego dabo, caro mea eſt, pro mundi vita.* Item nono: *Amen amen dico vobis, niſi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis:* ubi primò incipit mentionem facere de bibitione ſanguinis, nullam tamen mentionem faciens de ſpecie vini. Item decimo: *qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem habet vitam æternam.* Item undecimo: *caro mea vere eſt cibus & ſanguis meus vere eſt potus.* Item duodecimo: *qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo,* in quibus ſolum quatuor locis mentio fit de potatione ſanguinis, & nullo modo de potatione vini. Et cum ſub ſpecie panis contineatur totus & integer Chriſtus, manifeſtum eſt, quod qui ſumit ſub una ſpecie, ſumit utrumque, ſcilicet carnem & ſanguinem, & adimplet Domini mandatum: *niſi manducaveritis, &c.* Dato quod de ſacramentali ſumptione intelligeretur. Deinde redit ad priſtinum modum loquendi, ſcilicet de ſolo pane, unde ſubjungit tertio decimo loco: *ſicut miſit me vivens pater & ego vivo propter patrem, & qui manducat me & ipſe vivit propter me.* Et iterum quarto decimo; *hic eſt panis qui de cœlo deſcendit, non ſicut manducaverunt patres manna in deſerto & mortui ſunt,* & concludit finaliter: *qui manducat hunc panem vivet in æternum.* Ecce, quoties Chriſtus fecit mentionem de pane & nullam de vino: & quod qui manducat hunc panem, vivet in æternum. Unde cum in toto illo proceſſu Evangelico nullam facit mentionem de vino, ſed ſolum de pane, manifeſtum eſt, quod ſumptio iſtius ſacramenti ſub ſpecie panis ſufficit ad ſalutem, cui pœnè in ſingulis clauſulis vitam vel æquivalens tribuit, quem utique qui manducat, veram Chriſti carnem manducat, & verum ipſius ſanguinem bibit, etiam ſi nunquam de vino guſtet: unde & illud Chriſti præceptum implet; ſi tamen de ſacramentali ſumptione intelligatur. *Niſi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis:* quia ſumendo tantum ſacramentum panis, ſumit verè utrumque, cum utrumque ſub altera ſpecie contineatur. Unde ſanctus Thomas in Poſtilla ſuper Johannem ſuper eodem verbo. *Niſi &c. ſolus Sacerdos communicat ſanguini, nec tamen eſt contra ſententiam Domini, quia qui communicat corpori, communicat etiam ſanguini, cum ſub utraque ſpecie totus Chriſtus contineatur, etiam quantum ad corpus & quantum ad ſanguinem.* Hæc ille. Si enim Chriſtus prædicto mandato voluiſſet ad utramque ſpeciem obligare fideles, procul dubio ſicut panem totiens nominavit & expreſſit, ita & vinum alicubi in prædicto proceſſu nominaſſet, quod minimè fecit. Unde in hoc decipiuntur adverſarii, quia arguunt à contento ad continens, & præceptum quod determinat contentum & rem illius ſacramenti, trahunt ad continens, ſcilicet ſpecies, quæ ſunt ſacramentum tantum. Chriſtus ſiquidem poſuit præceptum ad carnem & ſanguinem dicens: *niſi manducaveritis, &c.* & ipſi trahunt ad panem & vinum. Ulterius, manifeſta in prædicto proceſſu Evangelico & verbis Chriſti contradictio implicaretur, ſi illa auctoritas: *niſi manducaveritis &c.* eſſet obligativa de neceſſitate & de præcepto Chriſti, quoad omnes ad utramque ſpeciem, & ſic in uno illorum contradictorum prima & ſumma veritas non diceret verum, quod nullo modo eſt dicendum: patet tamen ſequela. Nam Chriſtus in prædicto proceſſu præmiſit, *ego ſum panis vivus qui de cœlo deſcendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum,* & iterum: *ſi quis ex ipſo manducaverit, non morietur.* Et ne cuncta replicem, ita concluſit in præmiſſis: *qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Ex quibus patet, quod ad vitam habendam ſufficit

SÆC. XV. ANNO 1433.

*cit mentionem de hoc ſacramento, de pane in manducatione undecies, de carne & ſanguine quater, de vino nunquam.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

sumptio hujus sacramenti sub specie panis. Si autem ex oppositio illa auctoritas; *nisi manducaveritis carnem filii &c.* ut adversarius dicit, obligat ad sumendum panem & vinum, sequitur expressa contradictio, quia sufficit sumere panem ad salutem, & non sufficit sumere panem ad salutem, quia ad hoc vinum requiritur: contradicunt: quod nullus sanæ mentis diceret. Et confirmatur. Nam in prædicto processu pro eodem accipit panem, carnem suam, carnem & sanguinem, & se ipsum, & ad omnia prædicta idem præmium apposuit. Nam dixit primo: *si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Et declarans quis esset ille panis, subjunxit: *& panis quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita.* Et iterum: *Qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Ex quibus patet, quod idem sunt prædicta quatuor, ex quo idem præmium omnibus apponitur. Nam manducare panem, manducare carnem, & manducare carnem simul & sanguinem bibere, nihil aliud sunt quàm manducare ipsum Christum, quod erat ultimum, quia sive sub specie panis, sive sub utraque sumatur Christus, in tali sumptione nihil confert vitam nisi Christus, qui sub illis speciebus continetur & sumitur. Et sic de primo &c.

Panis quotidianus est corpus Christi.

ITem secundo principaliter probatur idem ex lege Christi, Lucæ 2. cum Discipuli peterent, ut eos Christus orare doceret, ait: *cum oratis dicite: pater noster qui es in cœlis &c. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie &c.* Et Matth. 6. dicitur: *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie*, quod utique principaliter & specialiter de pane hujus sacramenti intelligendum plurimi sanctorum doctorum exposuerunt, qui materiam in nobis non substantialem, sed supersubstantialem, scilicet gratiam auget & augmentat. Unde Hieronymus dicit: *quando petimus, ut peculiarem vel præcipuum nobis Deus tribuat, panem, illum petimus qui dicit: ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi.* Et beatus Cyprianus: *panis vitæ Christus est, & panis hic omnium non est, sed noster est, hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus. Ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviori delicto, dum absentè & non communicantes à cœlesti pane prohibemur, à Christi corpore separemur, petimus ergò, ut qui in Christo manemus & vivimus, à sanctificatione ejus & corpore non recedamus.* Beatus quoque Augustinus in libro de bono perseverantiæ, *perseverantiam ergo à Domino petunt sancti, quando petunt ne à Corpore Christi separentur, sed in ea sanctitate permaneant, qua nullum quo inde separari mereantur, crimen admittant:* & in collationibus Patrum dicitur: *cum dicit hodie, ostendit eum quotidie esse sumendum & hesternam præbitionem ejus non sufficere, nisi hodie quoque similiter fuerit attributus; omnique tempore hanc orationem debere profundere, indigentia ejus quotidiana commonet, quia non est dies, in quo non opus sit nobis, hujus esu ac perceptione cor interioris nostri hominis confirmare.* Prædictas auctoritates adducit sanctus Thomas in glossa continua super Matthæum. Titus etiam dicit: *panis ille medicina animarum est, deferens vitam per hominem, hunc ergo quotidie accipe, ut tibi quotidie prosit: sic vive, ut quotidie mereris accipere*, & Lyra tractans illud Matthei 6. *panem nostrum quotidianum*, dicit: *Omnia sacramenta ordinantur ad hoc sacramentum, quomodo petimus quando dicimus: panem nostrum supersubstantialem. Dicitur autem supersubstantialis, quia transcendit vitam corporalem, & perducit ad vitam æternam.* Joh. 6. *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi, si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum, & petendo hoc sacramentum, petimus omnia alia quæ ordinantur ad ipsum:* Et subdit Lyra: *Lucas Evangelista 5. capitulo vocat eum panem quotidianum, quia quotidie ipsum sumimus per ministros Ecclesiæ, qui hoc sacramentum percipiunt pro se & pro tota communitate.* Ex quorum Doctorum autoritate patet, quod in prædicta oratione Dominica per panem quotidianum & supersubstantialem intelligitur Corpus Christi, quod in Sacramento Altaris accipimus, quod docet nos Salvator petere ab eo. Cùm igitur in prædicta oratione Christus nullam fecit mentionem de potu aut de vino, sed tantummodo de pane; manifestum est, quod sufficit species panis tantum, alioquin insufficienter Christus suos docuisset orare Discipulos. Item Joh. 1. dicitur. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Ubi per Augustinum secundum omnes Doctores intelligitur Christus, qui figurabatur per agnum paschalem comestum in figuram comestionis hujus sacramenti, & sic Eucharistiæ sacramentum hoc in loco sub una specie, scilicet commestibili exprimitur. Item Lucæ quintodecimo habetur de prodigo, quod ei pater occidit vitulum saginatum, per quem Christus significatur: propter gratiæ pinguedinem, qui vitulus occisus manducabatur, nulla mentione facta de bibitione, & licet fortè biberent, non tamen fit mentio, tamquam de impertinenti, sicut nec de lotione & de aliis, quæ in hujusmodi conviviis solent accidere & fieri, tamquam de impertinentibus ad intentionem propositam: ubi inquit Lyra: Adducite vitulum saginatum ut epulemur, & occidite ut manducemus, id est sacramentum Eucharistiæ fidelibus ministrate, in quo immolatur Christus, qui est vitulus saginatus propter gratiæ pin-

*Cyp. de oratione Dominica.*

*August. de bono perseverantiæ cap. 4.*

*Col. 9. c. 2.*

Digitized by Google

pinguedinem, & manducemus, quia in primitiva Ecclesia non solum ministri Ecclesiæ sumebant hoc sacramentum, sed etiam omnis populus quotidie, ut habetur Actuum 2. *Erant perseverantes in fractione panis.*

ITem tertio ex doctrina Apostolica. 1. Corinth 5. inquit Apostolus: *Pascha nostrum immolatus est Christus*, per quem transire debemus de hoc mundo ad patrem, ut dicit glossa. Immolatus est, quem scilicet edere debemus. Ubi Apostolus non dicit, immolatum est vinum, quod bibere debemus, unde & subdit postmodum: *itaque epulemur*, & non dicit, bibamus, *in azymis sinceritatis & veritatis*, ubi nullam mentionem facit de vino aut de potu, sed solum de pane azymo, secundum quod Ecclesia Romana conficit. Item Apostolus 1 Cor. 11. in fine cap. *Itaque fratres mei cum convenitis ad manducandum, invicem exspectate. Si quis esurit, domi manducet, ut non in judicium conveniatis.* Qui textus secundum glossam Ambrosii sic exponitur: itaque fratres mei, cùm convenitis in unum ad similitudinem cœnæ Dominicæ ad manducandum, supple, corpus Domini, invicem exspectate, supple, jejuni, dum omnes conveniant, ut multorum oblatio simul celebretur. Si quis autem esurit, supple & impatiens non vult exspectare, domi manducet, scilicet suos cibos, id est, pane terreno pascatur, nec postea Eucharistiam sumat, ut non in judicium, supple, damnationis, conveniatis. Ecce quàm apertè & notanter Apostolus, licet in præcedentibus locutus fuerat de modo quem Christus tenuerat in ultima cœna, quando Apostolos in Sacerdotes ordinans communicavit sub duplici specie, in sola manducatione, sui sermonis imposuit finem, nullam faciens mentionem de bibitione, ad manifestè ostendendum, quod sufficit sub specie panis & per modum manducationis non conficientibus hoc sacramentum sumere. *Ex doctrina Apostolica.*

ITem quarto ex lege divina Veteris testamenti: Manifestum est enim secundum Apostolum, quod omnia vel plurima Veteris Testamenti contingebant in figuram eorum quæ sunt in Novo Testamento: *omnia*, inquit, *in figuram contingebant illis*, unde & hujus sacramenti, quod est præcipuum & potissimum, atque finis omnium aliorum sacramentorum novæ legis, plures figuræ præcesserunt. Inter quas sunt tres præcipuæ, secundum Magistrum sententiarum in quarto Distin. 8. videlicet panis & vini oblata per Melchisedech sub lege naturæ, agnus Paschalis, & manna sub lege Mosaica. Sed panis & vinum oblata per Melchisedech summum Dei Sacerdotem, Genes. 14. qui Christum præfiguravit, ut dicit Apostolus. Hebr. 7. Hic enim Melchisedech Rex Salem, Sacerdos Dei summi, qui obviavit Abrahæ regresso à cede regum, & benedixit ei, cui decimas omnium dimisit Abraham. Primum quidem quia interpretatur Rex Justiciæ, deinde autem & Rex Salem, quod est Rex Pacis, sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem habens, assimilatus autem filio Dei, manet Sacerdos in æternum, de quo & jam ait Ambrosius super illud Matth. 26. accipite & comedite. *Christus*, inquit, *suis Discipulis obtulit in cœna, quod Melchisedech repræsentat in figura.* Et idem in libro de sacramentis, & allegatur per Magistrum sententiarum in Dis. 8. *Ex hoc accipitur, anteriora esse sacrificia Christianorum quam Judæorum, obtulit enim Melchisedech panem & vinum, similis per omnia filio Dei, cui dicitur: tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech*, & beatus Hieronymus super illo: *Cœnantibus illis accepit*, dicit: postquam typicum pascha fuerat impletum, & carnes agni cum Apostolis comederat, ad verum paschæ transgreditur sacramentum, ut sicut in præfiguratione ejus Melchisedech, summi Dei Sacerdos, panem & vinum offerens fecerat, ipse quoque veritatem sui corporis & sanguinis sic figuratum repræsentaret. Per hunc itaque Melchisedech panis & vinum oblata, non leguntur à populo sub utraque specie sumpta, sed solum per Melchisedech oblata. Sic etiam hodie solum Sacerdos celebrans sumit sub utraque specie. Similiter nec agnus paschalis sumptus reperitur cum vino vel hujusmodi bibitione, sed comestus, & licet fortè biberent, non tamen bibitio cadebat sub præcepto. Similiter manna omne delectamentum in se habens, sine præcepto bibitionis sumebatur: quod quidem manna in scripturis panis angelorum & esca nominatur. Unde Sapientiæ 16. *Esca angelorum nutrivisti populum tuum, & paratum panem de cœlo præstitisti eis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suavitatem*, & in Psalmo: *panem cœli dedit eis, panem Angelorum manducavit homo.* In quibus nulla mentio fit de vino aut de potu. Insuper sanguis in Veteri Testamento oblatus Domino in altari & non populo visus est immolari. Unde Levitici primo dicitur Sacerdotibus, *sanguinem fundentes per altaris circuitum*, & quarto ibidem; *pro peccato Sacerdotis vel etiam totius multitudinis Sacerdos offerat vitulum, cujus sanguinem aspergat contra velum sanctuarii, & de eodem ponat super cornua altaris, residuum fundendo in basim altaris holocausti*, & 17. ibidem dicitur: *Sanguinem dedi vobis ut super altare meum expietis* *Ex lege divina Veteris Testamenti.* *1. Cor. 10.* *Lib. 4. c. 3.* *In cap. Matt. 26.* *Psal. 77.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

*pietis pro animabus veſtris:* in cujus etiam ſignum ſoli Sacerdotes Veteris Teſtamenti utebantur libaminibus & his ſacrificiis, quæ fiebant ex fluida materia, ſcilicet oleo & vino. Item primo Reg. 2. cap. quidam Sacerdos in deſiderio populi & omnium non ſacrificantium hunc cibum deſiderantium dicebat & petebat: *dimitte me, obſecro, ad unam partem Sacerdotalem, ut comedam bucellam panis:* duæ enim partes ſunt Sacerdotis ſacrificantis & conficientis, ſcilicet panis & vinum, & ſub ambabus & ſub qualibet ipſarum totus & integer Chriſtus, populus itaque non ad ambas partes Sacerdotis, ſed ad unam petit & obſecrat admitti, & ad eam quæ eſt ſub ſpecie panis, ad quam utique admittitur, ut bucella Corporis Dominici ſatietur. Hujus inſuper figura præceſſit, ut inquit Albertus Magnus, in tractatu de Officio Miſſæ, in tribus ſatis farinæ Geneſ. 18. cùm Abraham ſederet in oſtio tabernaculi ſui, videt tres angelos deſcendentes per viam, quibus tria ſata farinæ ſimilæ commixta parari fecit in ſubcinericios & azimos panes, per quod innuitur, laicos ſolum ad unam ſpeciem debere admitti, eo quod de vino nullam mentionem facit, tria verò ſata fuiſſe narrantur, propter triplicem ſubſtantiam quæ in hoc ſacramento continetur, ſcilicet corpus, anima, & deitas. Similiter in comeſtione Heliæ hujusmodi manducationis ſacramentalis expreſſiſſima figura præceſſit, quando ſubcinericium panem comedit cum potu aquæ, nulla facta mentione de vino, in cujus cibi fortitudine ambulabat quadraginta diebus & noctibus. Patet igitur ex lege divina tam novi quàm Veteris Teſtamenti, quod communicare Laicos aut non conficientes, ſufficit ſub altera ſpecie tantum, ſcilicet panis, & per conſequens non eſſe de neceſſitate ſalutis, ſive de præcepto Chriſti, ſumere ſub utraque.

3. *Reg.* 19.

*Ex praxi Chriſti.*

SEcundo principaliter probatur ex praxi Chriſti, & primò quia in toto Evangelio non reperitur, quod Chriſtus communicavit aliquem laicum ſub utraque ſpecie, ſed tantummodo duodecim Apoſtolos, ut patet Joh. 12. ubi duodecim Apoſtolorum pedes laviſſe fertur, & Marci 14. ubi dicitur, quod veſpere facto venit cum duodecim Apoſtolis, & Lucæ 22. *cum facta fuiſſet hora, diſcubuit, & duodecim Apoſtoli cum eo.* Quos duodecim ante in ſacerdotes ordinavit, ut dicunt communiter doctores omnes, in eadem cœna, per illa verba; *accipite, hoc eſt corpus meum, & hoc facite in meam commemorationem:* & poſtmodum eos communicavit, & licet pro tunc ſolus Chriſtus conficeret, & non Apoſtoli, tamen communicavit eos ſub utraque ſpecie non ut laicos, ſed ut Sacerdotes, dans eis exemplum & doctrinam, qualiter & ipſi conficientes conficere & ſumere deberent. Præterea ſi hujusmodi communio ſub utraque ſpecie fuiſſet de neceſſitate ſalutis, nequaquam matrem alioſque utriuſque ſexus caros, qui ipſum Dominum & mentis & corporis paſſibus ſequebantur, à prædicta communione excluſiſſet, quod tamen videtur feciſſe, cum exceptis duodecim, ut dictum eſt, non legantur dictæ cœnæ interfuiſſe. Item hoc idem patet ex ſatietatibus Chriſti, quibus ſatiavit turbas & Diſcipulos ſuos, ante & poſt ſuam reſurrectionem. Scribitur etenim Matth. 14. & Joh. 6. quod Dominus ſatiavit quinque millia hominum de quinque panibus & duobus piſcibus, & Marci 8. habetur, quod ſatiavit quatuor millia de ſeptem panibus, in quibus ſatietatibus nulla mentio fit de potu aut vino, ſive aqua aut quocunque alio liquore. Et licet non habeatur ex textu, quod ſatietates prædictæ fuerint de pane veraciter transſubſtantiato in corpus Chriſti, tamen veraciter tenendum eſt, quod ille panis divina potentia multiplicatus, & tam mirabiliter ſatians corpora manducantium, typum & figuram gerebat hujus ſanctiſſimi panis, qui de cœlo deſcendit & dat vitam mundo, quia ſicut ille panis ineffabili quadam ſuavitate refecit manducantium corpora, & in quadam admiratione omnes ſuſpendit, ita ut quærerent ipſum regem facere, & ut ipſum ſequerentur: ſic iſte panis cœleſtis & ſuperſubſtantialis replet ineffabili ſuavitate animas ſe dignè ſumentes, & eas ſic in ſui amorem & admirationem convertit, ut nil præter Chriſtum in cordibus ipſarum regnare permittant: ſicque ipſas trahat, ut omnibus poſtpoſitis, currant in odorem ungentorum ſuorum: unde Chriſtus Johan. 6. loquens de prædicta ſatietate corporali, ait: *Amen Amen dico vobis, quæritis me, non quia vidiſtis ſigna, ſed quia manducaſtis ex panibus & ſaturati eſtis:* & ſtatim poſt ſubjunxit loqui de hoc ſacramentali & ſpiritali pane, ſi tamen de ſacramentali intelligatur, ut per prædictam ſatietatem corporalem manuduceret nos in ſocietatem ſpiritualem hujus ſanctiſſimi panis, de quo ſtatim ſubjunxit: *operamini non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit.* Item poſt paſſionem ſuam, & habetur Lucæ ultimo: *& factum eſt cum diſcumberet* Jeſus *in Emaus*, cum illis ſcilicet duobus Diſcipulis Cleopha & alio, *accepit panem, benedixit & fregit & porrigebat illis*, ubi ſecundum multos Doctores, corpus ſub ſpecie panis ſolùm eis tradidit, eo quod nullam facit mentionem de vino: unde Auguſtinus in Homilia de concordantia Evangeliſtarum: *à Chriſto facta eſt permiſſio impedimenti uſque ad ſacramentum panis, ut unitate corporis participata, removeri intelli-*

Digitized by Google

*telligatur impedimentum inimici, ut Christus possit cognosci.* Item Beda, super eodem: *impedimentum permittit esse Deus donec ad sacramentum perveniatur, sed percepta veritate corporis Christi, impedimentum inimici aufertur, ut Christus possit agnosci.* Item Theophylactus: *Sed & aliud innuit, quod scilicet sumentibus sacrum panem aperiuntur oculi eorum, ut eum cognoscant: magnam enim habet & ineffabilem Domini caro virtutem.* Item glossa est, & est Bedæ: *Per panem corpus Christi & ejus sanguinem signabat.* Item Johannes ultimo Christus manifestavit se Discipulis septem ad mare Tyberiadis, ubi accepit panem & piscem assum & dabat eis, quod verbum tractans Innocentius dicit: *per assum piscem, quem Christus cum suis Discipulis comedebat, intelligi debet corpus Christi, quod in ara crucis assatum fuit.* Unde beatus Gregorius in Homilia 27. dicit, per assum piscem intelligi debet mediator Dei & hominum, pro nobis passus, & patet quod ibi nulla mentio fit de potu vel vino. Item sequenti die post institutionem prædicti sacramenti Christus docuit exemplo & opere, non solum non esse de necessitate salutis sumere sub utraque specie quoad laicos, sed nec simpliciter sumptio prædicti sacramenti in latrone, cui mox credenti & dicenti: *memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum*, promisit Dominus paradisum, dicens: *Hodie mecum eris in paradiso*, absque quacunque hujus sacramenti perceptione, quod etiam in innumeris Martyribus probatum est, qui absque hujus perceptione sacramenti ad regna cœlestia feliciter pervenerunt: quod & de pueris baptisatis sancta tenet Ecclesia: Item probatur ex praxi Apostolica & primitivæ Ecclesiæ simul, quia dicitur actuum 2. *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum & communicatione fractionis panis*, sancti, secundum glossam, ut Magister historiarum in scholasticis historiis exponit fractionem panis, id est Eucharistiæ, quia in primitiva Ecclesia fideles crebrò communicabant & conveniebant ad percipiendam Eucharistiam: in quo loco scriptura nullam mentionem facit de vino aut de potu. Eodem modo & Albertus Magnus exponit de Apostolis & de ista fractione panis. Item de nullo Apostolorum legitur, quod hujusmodi communionem duplicis speciei practicaverint quoad laicos, vel de eo doctrinam tradiderint aut præceptum, excepto Paulo Apostolo, qui recitativè Corinthiis narrat, qualiter Christus sub duplici specie hoc sacramentum instituerat, & solum Corinthiis, apud quos solos erat hujusmodi consuetudo. Et indubitanter si fuisset Christi præceptum indifferenter quoad omnes, communicare sub utraque specie, sanctus Paulus expressius scripsisset de ipso tam Corinthiis quàm & aliis fidelibus, quibus suas transmisit epistolas, præcipuè Romanis, qui erant caput mundi, & Hebræis, pro quibus cupiebat esse anathema ut eos lucrifaceret. Similiter quilibet Apostolorum & Evangelistarum scripsisset aliquid de hujusmodi præcepto, sine quo non esset salus hominibus; quod quia non fecerunt, ideo indubitanter tenendum est, quod non sit præceptum Christi.

Ex praxi Apostolica.

Idem patet ex praxi multorum sanctorum antiquorum & præcipuè in primitiva Ecclesia, de sancta Petronilla, beati Petri Apostoli filia, de qua sic in ejus legenda legitur, quod in extremis post multa jejunia & orationes corpus Domini suscepit, & demum in lecto se reclinans, post triduum ad Christum migravit. Item attestatur beatus Eusebius ad Damasum Portuensem Episcopum de morte gloriossimi Hieronymi, ubi refert, quomodo beatus Hieronymus variè & multipliciter sacramentum Dominicum recommendans, Eucharistiæ sacramentum sub specie panis ab alio suscepit, ubi refert verba Hieronymi in hunc modum: *Rogo vos fratres, ut Domini mei afferatis corpus; quatenus in suo lumine videam lumen, ut firmans super me oculos suos, det mihi intellectum & instruat me in via hac qua gradiar*: his verbis finitis, post longas orationes vir Dei glorioso sacrum Domini corpus suscipiens ad terram supinus rediit: hæc Eusebius: sic & idem Beatus Eusebius in extremis positus, sub specie panis communicavit, ut de eo scribit Beatus Cyrillus in Epistola ad Beatum Augustinum de mirabilibus gloriossimi Hieronymi. Illo etiam modo Beatus Ambrosius in extremis communicavit de manibus Beati Honorati Wercellensis Episcopi. Idem habetur de Beato Benedicto, de quo in legenda sua dicitur, quod ultima die exitus sui, in oratorium portari se fecit, & ibi exitum suum Dominici corporis perceptione munivit. Idem refert Beatus Gregorius tertio Dialogorum, quod Beatus Agapitus Papa, quendam claudum & mutum sub una specie communicans eum plenè sanavit. Idem habetur de Beata Lucia, quod ipsa spiritum non tradidit post gladii in guttur ejus immersionem, donec Sacerdos corpus Dominicum ei traderet. Idem de Beato Dominico & Francisco & in multis aliis sanctis habetur per omnia. Idem Wilhelmus in suo sacramentali Hugonem de sancto Victore sub una specie tantum communicare debuisse, narrat, sub his verbis: quod cùm Hugo de sancto Victore excellentissimus Doctor ultima infirmitate laboraret, corpus Domini instanter petebat sibi dari, & cum nullum cibum continere posset, fratres ejus turbationem timentes simplicem hostiam sibi obtulerunt, quod ille cognoscens per spiritum ait: *Misereatur vestri Deus, fratres, cur me ita deludere vultis? iste*

Ex praxi Petronillæ & sanctorum.



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

*quem portaſtis, non eſt Dominus Deus meus.* Et illi attoniti mox corpus Domini attulerunt. Sed ipſe videns ſe non poſſe recipere, elevatis in cœlum oculis ac manibus ſic oravit: *Aſcendit filius ad patrem & ſpiritus ad Deum qui miſit illum*, & inter hæc verba emiſit ſpiritum, & corpus Domini ibidem diſparuit. Ecce, quàm manifeſta & clara narratione refert hic Doctor, ſanctum Victorem debuiſſe ſub una tantum ſpecie communicare.

*Ex doctrina ſacrorum Conciliorum.*

TErtio principaliter probatur ex doctrina & inſtitutione ſacrorum Conciliorum. Nam ut habetur ex libro Conciliorum Iſidori, ita in ſexta Conſtantinopolitana Synodo legitur: *citra ſanguinem cerimonias in Eccleſiis celebramus: ita quippe accedimus ad benedictiones arcanas & ſanctificamur participes effecti tàm ſanctæ carnis quàm pretioſi Sanguinis Chriſti*: Ecce quàm apertè hæc ſancta Synodus ponit diſtinctionem inter communionem Laicam & Sacerdotalem. Nam quoad Laicos dicit citra ſanguinem cerimonias in Eccleſiis celebramus, & vocat communionem Laicam cerimonias, quia præcepto & ſtatuto Eccleſiæ introducta eſt. Quoad Sacerdotes verò ſubjungit. *Ita quippe accedimus ad benedictiones arcanas & ſanctificamur, participes effecti tam ſanctæ carnis quàm precioſi Sanguinis Chriſti.* Nam ſi utraque pars iſtius decreti, ad laicos vel ad Sacerdotes ſine diſtinctione referretur, utique manifeſtam implicaret contradictionem. Nam in prima parte excludit ſanguinem, cum dicit: *citra ſanguinem &c.* & in ſecunda dicit, *participes effecti tam ſanctæ carnis quàm pretioſi ſanguinis.* Clarum igitur eſt hoc decretum, nec aliquo modo poteſt inficiari aut infringi. Idem longè clarius oſtendit undecimum Toletanum Concilium ita dicens: *Cum nihil in divino canone debeat eſſe confuſum, nil dubium, nil etiam indiſcretum, in collatione noſtri cœtus relectus eſt canon Toletani primi Concilii, in quo præceptum eſt, ut ſi quis acceptam à Sacerdote Euchariſtiam non ſumpſerit, vel ut ſacrilegus repellatur: nec adjecta eſt ibi diſcretio voluntatum, cum infidelis hæc talia infideliter agat & fidelis accipiat fideliter, quod naturalis illum neceſſitas deglutire non ſinit. Solet enim humanæ naturæ infirmitas in ipſo mortis exitu prægravata tanto ſiccitatis pondere deprimi, ut nulli ciborum illationibus reficiatur, ſed vix tandem illati delectetur poculi gratia ſuſtentari, quod etiam in multorum exitu vidimus, qui optatum ſuis votis ſacræ communionis expectantes viaticum, collatam ſibi à Sacerdote Euchariſtiam rejecerunt, non quod infidelitate hoc agerent, ſed quod præter Dominici calicis hauſtum traditam ſibi non poſſent Euchariſtiam deglutire.* Ex quo decreto manifeſtè oſtenditur, quod etiam tempore primi Concilii Toletani infirmi tantummodò ſola hoſtia communicabant, quod patet ex declaratione ſuprapoſiti decreti. Nam refert quod primum Concilium Toletanum fecerat ſtatutum, ut quicunque Euchariſtiam à Sacerdote acceptam non ſumeret, velut ſacrilegus repelleretur. Et quia in hoc decreto non fuerat facta diſtinctio, de voluntate & neceſſitate, cum & infidelis hæc talia infideliter agat, & fidelis accipiat fideliter, quod naturalis illum neceſſitas deglutire non ſinit: Declarat ſequens Concilium, quia cum multi fideles in exitu mortis poſiti, tanto ſiccitatis pondere deprimantur, ut nihil poſſint deglutire, niſi aliquo poculo vel liquido mediante, manifeſtum eſt, quod tales accipiendo Euchariſtiam, hoſtiam ſcilicet ſine poculo, bona & ſancta intentione, ſi eam propter ſiccitatem rejicerent, non incurrerent ſacrilegii crimen. Et hoc per experientiam probant ſancti patres in dicto Concilio exiſtentes, quod etiam, inquiunt, in multorum exitu vidimus, qui optatum ſuis votis ſacræ communionis expectantes viaticum collatam ſibi à Sacerdote Euchariſtiam præter Dominici calicis hauſtum traditam ſibi non poſſent Euchariſtiam deglutire. Ex quo luce clarius patet, quod ſub ſola ſpecie panis tunc temporis ſacro communio miniſtrabatur infirmis, ait enim: *præter Dominici calicis hauſtum*, quia quando Euchariſtia ſine calice miniſtrabatur, ideo ſæpe ex hujusmodi ſiccitatis pondere gravati cogebantur rejicere, quam deglutire non valebant, & hoc eſt quod dicit, *ſed quod præter Dominici calicis hauſtum traditam ſibi non poſſent Euchariſtiam deglutire.* Idem ſimiliter ex Concilio Rhemenſi oſtenditur, & habetur de communione & conſecratione. Diſ. 2. c. pervenit 29. ubi declaratur; quod ſufficit dare Euchariſtiam ſive hoſtiam infirmis ſine vino. Nam quidam presbyteri in tantum parvi pendebant divina myſteria, ut Laico aut fœminæ ſacrum corpus traderent ad deferendum infirmis, quos ſancta Synodus graviter reprehendit, & ſtatuit quod talis temeraria præſumptio amplius fieri non debeat, ſed presbyter per ſemetipſum debeat infirmum communicare, in quo decreto ſolum fit mentio de Corpore Chriſti, & nullo modo de vino aut de ſanguine. Tenor vero dicti decreti eſt talis. *Pervenit ad noticiam noſtram, quod quidam presbyteri in tantum parvi pendant divina myſteria, ut Laico, aut fœminæ ſacrum Corpus Domini tradant ad deferendum infirmis, & quibus prohibetur ut nec ſacrarium ingrediantur, nec ad altare appropinquent, illis ſancta ſanctorum committunt: quod quàm ſit horribile, quamque deteſtabile, omnium religioſarum animarum advertit prudentia: ideo interdicit per omnia*

*Ex Concilio ſexto Conſtantinopolitano.*

*Cap. 11.*

*Ex Toletano undecimo.*

*Rhemenſi Ca. 2.*

Digitized by Google

*omnia Synodus, ne talis temeraria præſumptio ulterius fiat, ſed omnibus modis presbyter per ſemetipſum infirmum communicet, quod ſi aliter fecerit, gradus ſui periculo ſubjacebit.* Item ex Concilio Wormacienſi eadem Diſt. c. presbyter, præcipitur, quod presbyter Euchariſtiam, id eſt, hoſtiam, ut dictum eſt, ſemper habeat paratam, ut quando quis infirmatus fuerit, ſtatim eum communicet, ne ſine communione moriatur, unde dicit Canon: *presbyter Euchariſtiam ſemper habeat paratam, ut quando quis infirmatus fuerit, ſtatim eum communicet, ne ſine communione moriatur*, ſuper quo ait gloſſa, *ſanguinem non præcipit ſervare, quia opus eſſet nimia cautela in eo ſervando.* Et addit Archidiaconus: *addere præterea non eſt opus, quia ubi eſt corpus, ibi eſt & ſanguis.* & in gloſſa ſuper capitulo Comperimus, eadem Diſt. ſuper verba: *aut integra percipiant: hoc intelligo de conficiente. Nam infirmus, vel ſanus, in neceſſitate, ſine vino corpus ſumere poteſt.* Ex quibus omnibus patet, quod communio ſub utraque ſpecie non eſt de neceſſitate ſalutis. Ex quo per ſacra Concilia ſanis pariter & infirmis concedebatur tantummodo ſub una ſpecie. Item non ſolum infirmis Sacerdotibus, ſed etiam ſanis ab eorum officiis depoſitis à ſacris Conciliis conceſſa eſt unius ſpeciei communio, unde Diſt. quinquageſima c. ſi Epiſcopus, & habetur ex Concilio Agathenſi, dicitur quod ſi Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus capitale crimen commiſerit, aut chartam falſaverit, aut falſum teſtimonium dixerit, ab officii honore depoſitus, in monaſterium detrudatur, & ibi, quamdiu vixerit, Laicam tantummodo communionem accipiat: Eundem modum loquendi habet Pelagius Papa de Laica communione, diſtinctione quinquageſima quinta: ubi ita dicit: *ſi Evangelica monitio iracundiam nec uſque ad verbum furentem proſilire permittit, ne ſi racha fratri ſuo quis dixerit, ſit reus gehennæ ignis, quali putamus pœna plectendus eſt, qui non ſolum pugnis impiè percuſſit in Levitici ordinis hominem miniſterio ſervientem, ſed quaſi non ſufficeret ad cædem manus, inſtigante ita ſe Diabolo, raptus eſt ad iracundiam, ut fuſte non ſolum percuteret, ſed etiam erueret oculum fratris. Et quamvis hujusmodi exceſſus graviori eſſet pœna plectendus, bene tamen fraternitas tua fecit, eum ab officio presbyteratus removens. Hoc tamen ſollicitudinis tuæ ſit, ut locum ei pœnitentiæ conſtituas, & in aliquo eum monaſterio retrudas, Laica ſibi tantummodo communione conceſſa.* Similiter ex Concilio Sardicenſi habentur duo decreta de eadem communione Laica, hujusmodi ſub tenore: Item Hoſius Epiſcopus dixit: *non minus mala conſuetudo, quàm pernitioſa corruptela funditus eradicanda eſt, ne cui liceat Epiſcopo de civitate ſua ad aliam tranſire civitatem, manifeſta eſt enim cauſa, qua hoc facere tentant; cum nullus in hac re inventus ſit Epiſcopus, qui de majore civitate ad minorem tranſiret, unde apparet, avaritiæ ardore eos inflammari, & ambitioni ſervire, & ut Dominationem exerceant. Si ergo omnibus placet, hujusmodi pernicies auſterius vindicetur, ut nec Laicam communionem habeat qui talis eſt*, reſponderunt univerſi, *placet.* Item idem Hoſius Epiſcopus dixit: *Etiam ſi talis alias exſtiterit temerarius, ut fortaſſe excuſationem afferat, quod populi literas acceperit, cum manifeſtum ſit, potuiſſe paucos præmio & mercede corrumpi, qui ſinceram fidem non habent, ut clamarent in Eccleſia & ipſum petere viderentur Epiſcopum, omnino has fraudes damnandas eſſe arbitror, ita ut nec Laicam in fine communionem talis accipiat, quod ſi vobis omnibus placet, ſtatuite.* Synodus reſpondit, *placet.* Et ex iſtis duobus decretis manifeſtè declaratur, quod communio ſecundum ſe non eſt de neceſſitate ſalutis, alioquin impiè prædictum Concilium ſtatuiſſet, ut taliter delinquens nec Laicam communionem in fine acciperet, ait enim: *ita ut nec Laicam in fine communionem talis accipiat.* Per communionem autem Laicam quid poteſt intelligi aliud, quam communio ſimplex ſub una ſpecie: & ſub ipſa præcipuè, quæ ut communiter minus poteſt adferre periculi reverentiæ tanto ſacramento debitæ, cujusmodi eſt ſpecies panis: & ad hoc ſunt omnes Doctores Juris Canonici, quibus credendum eſt, utpote exercitatis & peritis in arte ſua, unde ſuper prædicto capitulo Hoſius Abbas exponit Laicam communionem, id eſt, Corpus Chriſti. Innocentius, id eſt, viaticum. Hoſtienſis, id eſt, panem benedictum vel Corpus Chriſti, & idem dicit Joh. Andreæ in Novella. Item Clemens Papa (& habetur de conſec. Diſt. 2. c. tribus gradibus) dicit: *tribus gradibus commiſſa ſunt ſacramenta divinorum ſecretorum, id eſt presbytero, Diacono, & Miniſtro, qui cum timore & tremore Clericorum reliquias Corporis Domini cuſtodire debent*, & ſequitur ibidem, *tanta in altare certo holocauſta offerantur, quanta populo ſufficere debeant; quod ſi remanſerint, in craſtinum non reſerventur, ſed cum timore & tremore Clericorum diligentia conſumantur, qui autem reſidua Corporis Domini, quæ in ſacrario relicta ſunt, conſumunt, non ſtatim ad accipiendos communes cibos conveniant.* Ecce quàm manifeſte in prædicto canone habetur, quod reliquiæ Clericorum Corporis Domini cuſtodiendæ ſunt cum magna diligentia, & nulla penitus fit mentio de reliquiis vini aut ſanguinis, nec de cuſtodia ipſius, de cujus tamen cuſtodia, ſi fuiſſet in uſu, potius debuiſſet cautela adhiberi, & ordinatio ſive ſtatutum fieri, cum in ipſo ſanguine majus immineat periculum. Item ſancta Synodus Romana

SÆC. XV. ANNO 1433.

Cap. 33.

Cap. 12.

Cap. 7. Cap. 50.

Cap. 3. Canon habet Gelaſius Papa.

Cap. 11.

Cap. 23.

Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

Romana, cui beatus Leo Papa præsedit, c. quibus, de consec. Dist. 2. loquens de veritate Corporis & Sanguinis Christi in hoc sacramento, inter cætera ita dicit. *Idem est corpus de quo dictum est: caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Circa hoc corpus aquilæ sunt, quæ alis circumvolant spiritualibus, unde & idem Corpus Christi edimus, ut vitæ æternæ possimus esse participes,* ubi notanter sancta Synodus Corpori Christi soli illam copulativam attribuit; *caro mea &c.* ad ostendendum, quod sub specie panis, sub qua, ex vi conversionis verborum, est propriè Corpus Christi, verè & realiter ac integrè utrumque contineatur, scilicet caro Christi & sanguis, & quæcunque alia se habent ad perfectionem Christi ex naturali & reali concomitantia, & quod idem Corpus Christi edimus, nulla mentione facta de sanguine, aut de vino, sive de potu, ut vitæ æternæ possimus esse participes: ad ostendendum, quod sufficit sumere sub una specie. Novissimè verò declaravit hoc sacrum Constantiense Concilium, cujus tenorem Papa Martinus quintus in quadam bulla sua interserit, quem pro præsenti recitare, gratia brevitatis, ommitto.

Cap. 38.

*Auctoritas Conciliorum quanta. Epist. 118.*

QUanta autem sit auctoritas sacrorum Conciliorum, ostendit Augustinus ad Januarium ita dicens: *Conciliorum in Ecclesia est saluberrima auctoritas, quibus Ecclesiæ negotia terminantur:* & in libro de fide Catholica, idem dicit: *si quis aliquas scripturas præter illas, quas Ecclesia Catholica recipit & in auctoritate habendas esse tradidit, fuerit veneratus, anathema sit.* Idem Gregorius, & habetur Dist. 15 *sicut sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere & venerari me fateor.* Et subdit: *cunctas verò personas, quas præfata veneranda Concilia venerantur, veneror, & quas respuunt, respuo.* Quia dum universali sunt consensu constituta, se, & non illa destruit, quisquis præsumpserit aut solvere quos ligant, aut ligare quos solvunt: nec mirum, cum ipsa sacra generalia Concilia regantur & dirigantur à spiritu sancto, immo ab ipso Jesu Christo. Nam si ipse Dominus promisit, se esse in medio duorum vel trium in nomine ipsius congregatorum, quanto magis erit in medio Patrum seniorum omnium Christi fidelium, in sacris Conciliis generalibus congregatorum? quod expresse sancti Apostoli exemplo declaraverunt actuum 15. ubi præsidentiam in Concilio spiritui sancto attribuerunt, vel potius insinuaverunt, dicentes in eorum Epistola decretali, *visum est spiritui sancto & nobis:* quod etiam attestatur Cœlestinus Papa scribens ad Synodum in Epheso constitutam: *spiritus sancti testatur præsentiam congregatio Sacerdotum. Certum est enim quod legimus, quia nec potest veritas nostra mentiri, cujus in Evangelio ista sententia est: ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi & ego sum in medio eorum. Quod cum ita sit, nam nec huic tam brevi numero sanctus deest, quanto magis eum nunc interesse credamus, quando in unum convenit tanta turba sanctorum, sciendum namque est pro debita veneratione Concilium, in quo utique nunc Apostolorum frequentissimæ illius quam legimus congregationis aspicienda reverentia est, nunquam his defuit Magister quem receperant prædicandum: assuit semper iis Dominus & Magister: sed nec docentes à suo Doctore deserti sunt: docebat ille qui miserat, docebat qui dixerat quod docerent: docebat qui in Apostolis suis se confirmat audiri:* hæc Cœlestinus. Item sanctus Damasus Papa ad Aurelium Archiepiscopum de servandis canonibus sanctorum patrum & decretis in Concilio editis, prout refert Isidorus in libro Conciliorum, ita scribit: *Reverendissimo fratri Coepiscopo Aureolo Damasus: scripta sanctitatis tuæ, debita veneratione suscepimus, in quibus sitire venerationem ac prudentiam tuam Apostolica instituta, ut dignum erat, cognovimus, qua de re quædam ex his, quæ petisti, misimus, & quædam adhuc cum iterum miseris, mittere cupimus. Nullum tamen à Beati Petri principis Apostolorum fine, prædecessorem nostrorum prætermisimus, de quorum statutis aliquid tibi Ammonium presbyterum, & Felicem Diaconum sub certis signaculis non mitteremus. Quæ te & custodire optamus & aliis prædicanda ac publicanda mandamus, ut ab omnibus inviolatè debita veneratione custodiantur & inviolatè serventur, atque ab omnibus futuris temporibus diligenter venerentur: quod violatores voluntarii canonum graviter à sanctis patribus judicantur, & à spiritu sancto, cujus instinctu ac dono dictati sunt, damnantur, qui blasphemare spiritum sanctum non incongruè viaentur, & qui contra eosdem sanctos canones non necessitate compulsi, sed libenter, ut præfixum est, aliquid aut protervè agunt, aut loqui præsumunt, aut facere volentibus sponte consentiunt: talis enim præsumptio manifestè unum genus est blasphemantium spiritum sanctum, qui, ut jam prælibatum est, contra eum agunt, cujus impulsu & gratia iidem sancti editi sunt canones, Diabolica verò nequitia pleroscue subtiliter fallere solet, & ita quorundam imprudentiam per similitudinem pietatis sapissimè illudit, ut pro salubribus nocitura persuadeat; idcirco norma sanctorum canonum, qui sunt spiritu Dei conditi & totius mundi reverentia consecrati, fideliter à nobis est scienda, & diligenter tradenaa, neque quoquo modo sanctorum patrum statuta, absque inevitabili necessitate, quod absit, transgrediamur, sed fidelissimè per ea gradientes, cum eis qui eos instinctu condiderunt divino,*

Cap. 2. Greg. lib. 1. regist. Epist. 24.

*Cœlestini Epistola 7. Epistolarum decretalium Romæ editarum. Tom. 1. p. 2.*

*Epistola 5.*

Digitized by Google

*divino, mercedis gloriam & laboris cumulum eorum meritis, auxiliante Domino, habere mereamur:* quod nobis præstare dignetur ipse spiritus sanctus, in cujus nomine in hac sancta Synodo congregati sumus. Amen.

SÆC. XV. ANNO 1433.

*Ex consuetudine Ecclesia.*

QUarto principaliter probatur ex consuetudine Ecclesiæ, quæ ex antiquissimis temporibus & ex multis centenis annorum fuit universaliter in Ecclesia introducta. Sunt enim ultra ducenti & trecenti anni vel saltem prope, quibus Doctores Catholici in libris eorum & scriptis cœperunt laudare & approbare universalem Ecclesiæ consuetudinem in communione sub una specie, ut paulo post patebit, in allegatione Doctorum. Clarum autem est, quod hæc consuetudo non fuit uno die, aut uno mense, seu uno Anno in Ecclesia universaliter introducta, immo nullus Doctorum ipsam laudantium & approbantium, potuit aut scivit assignare temporis originem, quo hæc consuetudo universaliter ortum habuerit, propter antiquitatem suam: unde indubitanter tenendum est, quod communio sub utraque specie nunquam fuit in Ecclesia Dei universali, sed secundum varium exemplum Christi, varia fuit semper habita consuetudo, Christus enim in cœna sub duplici specie tradidit, instante sua passione, sed post resurrectionem suam legitur, secundum intentionem sanctorum, confecisse sub sola specie panis, ut patuit superius, quando in Emaus cognoverunt eum duo discipuli in fractione panis. Sic etiam & de primitiva Ecclesia & de Apostolis legitur in Jerosolymis, quod erant perseverantes in fractione panis, & communicatione: Actuum 2. quod intelligitur de communione panis sancti, ut in præcedentibus fuit declaratum, & Corinthii sub duplici specie communicabant, ut patet per Apostolum: & sic communiter semper mansit hujusmodi diversitas communionis laicalis, sub una vel sub duplici specie, donec propter pericula & varios errores, universalis Ecclesiæ consuetudo obtinuit communionem unius speciei, cujus consuetudinis principium aut initium, nec in memoriis hominum, nec in scriptis Doctorum, aut in annalibus scribentium reperitur: Et cum consuetudo, cujus initii memoria non habetur, jure statuti habenda sit, ut dicunt leges, utique pro lege habenda est & tenenda. Quanta autem sit auctoritas consuetudinis Ecclesiæ Romanæ, ostendit Augustinus in libello, de cura pro mortuis agenda, qui ait: quod si nulla esset auctoritas sacræ scripturæ, quæ doceret orare pro defunctis, tanta est auctoritas Ecclesiæ Romanæ, quod pro lege firmissima sine dubitatione est tenenda, similiter sanctus Thomas secunda, quæst. 10. Articulo 12. dicit: *maximam autoritatem habet Ecclesiæ consuetudo, quæ semper in omnibus est æmulanda: quia & ipsa doctrina Catholicorum Doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet.* Unde subdit: quod magis standum est auctoritati Ecclesiæ quàm Augustini vel Hieronymi vel cujuscunque Doctoris. Qualiter autem transgressores consuetudinum coërcendi sunt, ostendit Augustinus ad Casulanum presbyterum, & habetur Dist. 2. c. in his rebus: qui dicit, quod mos populi Dei, & instituta majorum pro lege tenenda sunt, & sicut prævaricatores legum divinarum, ita contemptores consuetudinum Ecclesiasticarum coërcendi sunt, & in libro confessionum ita dicit: *quæ sunt contra mores hominum, flagitia pro morum diversitate vitanda sunt, ut pactum inter se gentis aut civitatis, consuetudine aut lege firmatum nulla civis aut peregrini libidine violetur. Turpis est enim omnis pars universo suo non congruens.* Item Augustinus facere contra consuetudinem prohibet Epist. 18. ad Hieronymum, ita dicens: *contra Ecclesiæ fundatissimum modum nemo sentiat.* Item Damascenus libro 4. sententiarum suarum: *semper consuetudo Ecclesiæ servanda est, & contrarium dogmatizantes & suam praxin confirmantes non sunt audiendi.* Item Hieronymus in quadam Epistola contra Vigilantium: *quid necesse est in manus sumere, quod Ecclesia non recipit? nisi forte Balsamum mihi, & Barbelum, & Thesaurum Manichæi, & ridiculum nomen Leusiboræ proferas &c.* Cum igitur Ecclesia non recipit in communione laica utramque speciem, ipsam utique recipere ridiculum est, pernicioſum & superfluum: propter quod Beatus Thomas dicit secunda, quæst. 93. art. 1. *Sicut enim falsarius esset, qui aliqua proponeret ex parte alicujus quæ non essent ei commissa, iti vitium falsitatis incurrit, qui ex parte Ecclesiæ cultum exhibet Deo, contra modum divina auctoritate ab Ecclesia constitutum:* & articulo 2. *Si enim aliquid sit, quod quantum est de se, non pertinet ad Dei gloriam: neque ad hoc quod mens feratur in Deum, aut quod carnis concupiscentiæ moderatè refrænentur, aut etiamsi sit præter Dei & Ecclesiæ institutionem vel contra consuetudinem communem, quæ secundum Augustinum pro lege habenda est, totum hoc reputandum est superfluum & superstitioſum &c.* Cùm itaque dicta communio sub utraque specie quoad laicos, sit contra communem consuetudinem Ecclesiæ, utique tamquam superflua repellenda est. Manifestum est autem, quod jam à multis centenis annorum, prædicta consuetudo communicandi laicos seu non conficientes, sub una specie tantum scilicet panis in Ecclesia, nemine contradicente uni-

*Epist. 86. Dist. 11. cap. 7.*

*lib. 3. cap. 8.*

*Cap. 3.*

*August. Epist. 86.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

versaliter introducta est, ut patebit statim ex dictis Doctorum de hac consuetudine mentionem facientibus.

*Ex testimonio SS. Patrum.*

QUinto principaliter probatur per sanctorum Doctorum attestationem, qui in locis quodammodo innumeris, de hujusmodi sacramento & communione facientes mentionem, nihil de potu aut vino memorati sunt, sed tantummodo de Corpore Christi sive de pane aut esca locuti sunt: per hoc ostendentes sufficere sub sola specie panis sumere divinissimæ Eucharistiæ sacramentum. Unde Ambrosius in libro de sacramentis: *ista esca quam accipis, iste panis vivus qui de cœlo descendit, vitæ æternæ substantiam administrat. Et quicunque hunc panem manducaverit, non morietur in æternum, quia corpus est Christi,* & habetur de consecratione, Dist. 2. c. Reverà. Idem eadem Dist. scilicet consecratione in multis capitulis, videlicet in cap. omnia: & in capitulo, nullo sacramento, & in capitulo, non iste panis est, & in capitulo, ante benedictionem, in quibus locis manifestè habetur, quod sumptio hujus sacramenti sufficit tantum sub specie panis. Item idem Ambrosius in libro de paradiso loquitur sub his verbis: *Cùm igitur in cibo neque præmium sit, quia esca nos non commendat Deo: neque magnum periculum sit, quia non quod intrat in os, coinquinat hominem, sed quod exit de ore, videtur sine dubio à tanto auctore non esse præceptum, nisi hunc cibum ad illum Propheticum referas, quem pro magno præmio Dominus sanctis pollicetur suis: Ecce qui serviunt mihi, manducabunt, vos autem esurietis. Hic est enim cibus in quo vita diffinitur æterna, quo quisquis fuerit defraudatus, morte morietur. Quandoquidem panis vivus atque cœlestis ipse Dominus est, qui vitam dat huic mundo: unde & ipse ait: nisi manducaveritis carnem meam & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam æternam, ergo panis aliquis de quo præscripserat edendum Paradisi incolis: quis ille? accipe quem dicat: panem inquit Angelorum manducabit homo. Est enim bonus panis, si facias voluntatem Dei; vis scire quàm bonus panis? ipse filius manducat hunc panem, de quo ait, meus cibus est, ut faciam voluntatem patris mei, qui in cœlis est:* Hæc Ambrosius! Ubi primò notandum, quod hic doctor sanctissimus & unus ex quatuor columnis Ecclesiæ, veraciter se fundat in sacra scriptura & in doctrina Christi. Deinde notandum est quod dicit: *videtur sine dubio à tanto autore non esse præceptum,* ubi dicit *sine dubio,* omnem ambiguitatem excludens, non esse præceptum. Tertiò notandum est ex dictis suis, quod si intelligatur præceptivè, quod hoc spiritualiter intelligendum est, de spirituali manducatione, ut patet per totum residuum quod sequitur: *nisi hunc modum ad illud Propheticum referas.* Item beatissimus noster Hieronymus ut superius fuit allegatus, loquitur de duplici carne Christi, videlicet spirituali & divina, de qua intelligitur illa auctoritas: *nisi manducaveritis,* de ea quæ crucifixa est & sepulta. Quæ, ut fides Catholica tenet, est verè, realiter & in propria persona ipse Christus in hoc sacramento, & non spiritualiter tantum. Item idem Beatus Hieronymus super Leviticum ita dicit: *de hac quidem hostia, quæ in Christi commemoratione mirabiliter fit, edere licet, de hac verò quam Christus in ara crucis obtulit, secundum se nulli edere licet:* ubi notanter dicit, *edere,* & nullam mentionem facit de bibere, & habetur de consecratione Dist. 2. de hac. Item idem Beatus Hieronymus in quodam sermone dicit: *singuli autem accipiunt Christum Dominum & in singulis portionibus totus est, nec per singulos comminuitur, sed integrum se præbet in singulis:* & habetur de consecratione Dis. 2. singuli: Item Augustinus in Epistola ad Irenæum: *Christus panis est, de quo qui manducat, vivet in æternum: & de quo ipsemet dicit, panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita:* & habetur de consecr. Distinct. 2. Christi. Item in sermone de verbis Domini, & habetur in glos. 1. ad Corinthios 10. *Non ergo timeamus fratres manducare panem istum, ne forte sumamus, id est, consumamus illum, & postea, quod manducemus non inveniamus, manducatur Christus, vivit manducatus, quia surrexit occisus, nec quando manducamus partes de illo facimus. Et quidem in sacramento sic fit, & norunt fideles quemadmodum manducent carnem vel corpus Christi:* & super Psalmo 100. Idem dicit: *Judæi pascebantur tanquam de pœna Domini, & nos de cruce Domini pascimur, quod corpus ipsius manducamus.* Ecce Augustinus in prædictis omnibus solum mentionem facit de pane, & nullam de potu. Item Hilarius dicit, & habetur de consecrat. Distinct. 2. *si non sunt tanta peccata ut quis excommunicetur, non se debet à medicina corporis Domini nostri Christi separare.* Item idem de Trinitate, & habetur de consecrat. Distinct. 2. *in Christo pater & Christus in nobis est, unum in his esse nos faciat. Si verò carnem corporis nostri Christus assumpsit, & verè ille homo qui ex Maria natus fuit, Christus est, nosque verè sub mysterio carnem corporis ejus sumimus, & per hoc unum erimus, quia pater in eo est, & Christus in nobis.* In quibus similiter Hilarius de potu nullam facit mentionem. Quid plura? longum esset narrare antiquorum sanctorum Doctorum dicta, per quæ videntur omnia innue-

*Cap. 69. Ambros. de his qui initiantur sacris. Cap. 8. & 9.* *Cap. 74.* *Cap. 85.* *Cap. 56.* *Cap. 40.* *Ambros. de Parad. c. 9.* *Esa. 65.* *Joh. 6.* *Psal. 77.* *Cap. 76.* *Cap. 77.* *Cap. 57.* *In glossa hac fusius habentur: vide de consecrat. Distinct. 2. c. 70. Invitas.* *Cap. 15. Hæc verba habentur apud Aug. Epist. 118. Cap. 82.*

Digitized by Google

innuere sufficientiam communionis sacræ sub una specie. Sed jam oculos nostros dirigamus ad Doctores posteriores, qui tamen nos & hanc novitatem per plura centena annorum præcesserunt, quorum dicta & sententiæ sequuntur in hunc modum. SÆC. XV. ANNO 1433.

IN primis igitur occurrit antiquissimus Doctor & summus Pontifex Innocentius, in tractatu de officio Missæ, particula quarta, de sacramento Eucharistiæ cap. utrum panis sine vino, vel è contrario, valeat consecrari. Ubi inter cætera ita loquitur. *Innocentius Pontifex.* *Si verò vinum inveniri non possit, vel aliquo casu defuerit, quæritur utrum necessitate vel casu cogente, sola panis materia possit in Eucharistiam consecrari: sicut sub sola panis specie debet Eucharistia servari.* Et infra concludit. *In his itaque regionibus, in quibus alterutrum inveniri non potest, licitè posset alterutrum sine altero consecrari, minus enim ignorantia, quam necessitas, vel negligentia quàm difficultas excusat.* Hæc Innocent. In quibus verbis hic Doctor affirmativè ponit, primùm, quod sub sola panis specie debet Eucharistia servari, secundùm, quod in his regionibus, in quibus alterutrum inveniri non potest, licitè possit alterum sine altero consecrari: quæ nullo modo possent stare in veritate, si communio sub utraque specie esset de præcepto Christi. Item Alexander de Ales, Doctor antiquus, solemnis, & profundus in doctrina divina pariter & humana, & sanctæ vitæ, magnæque auctoritatis in tota Schola Theologorum, in quarta parte suæ Summæ de materia sacramenti Eucharistiæ quærit, utrum liceat corpus Christi sumere sub specie panis tantum, sive sub specie vini. Et respondendo ad illud dubium dicit, quod quia Christus integrè sumitur sub utraque specie, bene licet Christum sumere sub specie panis tantum, sicut fere fit à laicis ubique in Ecclesia. Quod autem dicunt canones Comperimus, intelligitur de conficiente. Ecclesia autem illud sacramentum dispensare consuevit sub specie panis tantum, tum propter periculum effusionis, quod fortè accideret, si sub specie panis tantum, tum propter vitii infidelitatis amotionem, quod se non immeritò simplicium mentibus ingereret, si semper sub speciebus panis & vini daretur, quia si ita fieret, possent simplices credere, quod Christus non contineretur integer sub altera specie, sicut contigit quandoque: unde aliquibus religiosis petentibus & instantibus, ut sub utraque specie sumerent hoc sacramentum, Sacerdote quodam pio celebrante, cum faceret fractionem, concavum patenæ totum visum est repleri sanguine. Ad quod obstupuerunt ipse & circumstantes; sed cum conjungeret Sacerdos partes hostiæ, totus ille sanguis visus est reintrare, & sic petitioni & tentationi illorum fuit penitus satisfactum. Et in scripto super Johanne ubi exponens illud Joh. 6. *nisi manducaveritis carnem filii hominis &c.* dicit, quod solus Sacerdos communicat sanguini. Reliqui verò, scilicet non sacrificantes, communicant corpori. Item Albertus Magnus, summus Philosophus & maximus Theologus, sanctæque vitæ, qui & in vita & post mortem claruit miraculis, in tractatu de corpore Christi dicit: *hoc est quod dicitur 1. Regum 2. in desiderio populi hunc cibum desiderantis: dimitte me, obsecro, ad unam partem Sacerdotalem, ut comedam buccellam panis. Unica enim & singularis pars Sacerdotalis est hostia corporis Christi, ad quam populus admittitur, ut buccella corporis Dominici sacietur.* Et consequenter subdit figuram unius speciei in tribus satis, dicens. *Et hoc est figuratum Genes. 18. ubi dicitur, cùm Abraham sederet in ostio tabernaculi sui, vidit tres Angelos descendentes per viam, quibus tria sata farinæ similæ commixta parari fecit in subcineritios & azymos panes.* Hæc Albertus, per quæ innuit, laicos solum ad unam speciem esse admittendos, eo quod de vino nullam facit mentionem. Item idem Albertus Magnus tenuit & credidit, quod Ecclesia posset dispensare cum Sacerdotibus, in partibus, in quibus vinum non reperitur, quod cum sola hostia possent conficere. Cujus verba in propria forma sunt quæ sequuntur, & habentur in tractatu de officio Missæ circa finem. *Ad hoc autem, quod quæritur de terris, in quibus vinum nullo modo possit haberi, dicendum videtur, quod de hoc consultatio ad curiam haberi debeat, quid sit agendum: tamen propter intolerabile damnum animarum, quod incurritur ex sacramenti defectu, videretur mihi esse cum talibus dispensandum, ut corpus Christi sine calice haberent, & conficerent sacramentum. Quia sicut patet per ante dicta, corpus non est sine sanguine, & anima & Deitate, quamvis non sit ibi sanguis ex virtute consecrationis & sacramenti,* Hæc Albertus: Item beatus Thomas, Discipulus ejusdem Alberti Magni, qui fuit excellentissimi ingenii, immo potius Angelici quàm humani, diligentissimi studii, humillimi judicii, & omni omninò spoliatus inordinata passione, vitæ sanctissimæ, qui scientiam suam plus oratione & meditatione, quàm studio & lectione à Domino promeruit. Quotiens enim sanctus Dei disputare, legere, scribere, vel dictare voluit, prius ad orationis secretum accessit, & inde surgens inveniebat sic in promptu, quod scriberet vel dictaret, quasi in libro aliquo didicisset. Hic Doctor, cùm quadam nocte orationi insisteret, sancti Apostoli Petrus & Paulus ipsum de textu dubio scripturæ Propheticæ plenissimè instruxerunt, cujus doctrinæ & ipsa prima veritas testimonium perhi-

*Alexander de Ales.* *quæst. 11. art. 4.*

*Albertus Magnus.* *Cap. Quod Christus continetur in formis sacramentalibus.*

*De ritu confectionis ex parte ministri.*

*S. Thomas.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

perhibuit. Nam postquam ediderat officium corporis Christi, & scripserat materiam in tertia parte hujus divinissimi sacramenti, oranti, ab imagine Christi crucifixi talis vox audita est, *benè scripsisti de me Thoma, quam ergo recipies pro tuo labore mercedem?* & respondit sanctus Thomas: *Domine, non aliam mercedem recipiam, nisi te ipsum.* Audiamus igitur, quid talis ac tantus Doctor dicat in materia nostra. Ecce ipse in tertia parte Summæ suæ quæst. 80. art. 12. movet in forma articulum, in responsione ad tertium articulum sic dicit: *Circa hujus sacramenti usum duo possunt considerari. Unum ex parte ipsius sacramenti. Aliud ex parte sumentium. Ex parte ipsius sacramenti convenit, quod utrumque sumatur: scilicet corpus & sanguis, quia in utraque consistit perfectio sacramenti, & ideo quia ad Sacerdotem pertinet, hoc sacramentum consecrare & perficere, nullo modo debet corpus Christi sumere sine sanguine. Ex parte autem sumentium, reverentia summa requiritur & cautela, ne aliquid accidat quod vergat ad injuriam tanti mysterii, quod præcipuè posset accidere in sanguinis susceptione, qui quidem si incautè sumeretur, de facili posset effundi. Et quia crescente multitudine populi Christiani, in qua continentur senes, juvenes, & parvuli, quorum quidam non sunt tantæ discretionis, ut cautelam debitam circa usum hujusmodi sacramenti adhibeant, ideo providè in quibusdam Ecclesiis servatur, ut populo sanguis sumendus non detur, sed solum à Sacerdotibus sumatur:* hæc ille.

*Cap. 7.* AD rationes verò, quas adducit in oppositum, respondet ut sequitur: & primò ad auctoritatem Gelasii, quæ habetur de consecrat. Dist. 2. Comperimus, dicit, quod Gelasius Papa loquitur quantum ad Sacerdotes, qui sicut totum consecrant sacramentum, ita etiam toti communicare debent: ut enim legitur in Concilio Toletano: *Quale erit sacrificium, ubi nec ipse sacrificans esse dinoscitur?* Ad secundum, de perfectione hujus sacramenti dicit, quod perfectio hujus sacramenti, non est in usu fidelium, sed in consecratione materiæ. Et ideò nihil derogat perfectioni hujus sacramenti, si populus sumat corpus sine sanguine, dummodò Sacerdos consecrans sumat utrumque. Ad tertium, de repræsentatione Dominicæ passionis, dicit, quod repræsentatio Dominicæ passionis agitur in ipsa consecratione hujus sacramenti, in qua non debet corpus sine sanguine consecrari, potest autem à populo corpus sine sanguine sumi; nec exinde eidem aliquod sequitur detrimentum, quia Sacerdos in persona omnium sanguinem offert & sumit, & sub utraque specie totus Christus continetur, ut supra habitum est: hæc S. Thomas in propriis terminis. Item idem in Postilla super Joh. dicit: *propter periculum effusionis in aliquibus Ecclesiis servatur, ut solus Sacerdos communicet sanguini, reliqui verò corpori. Nec tamen est contra sententiam Domini, quia qui communicat corpori, communicat etiam sanguini, cum sub utraque specie totus Christus contineatur, etiam quantum ad corpus & sanguinem. Sed sub speciebus panis continetur corpus Christi, ex vi conversionis, sanguis verò ex naturali concomitantia. Sub speciebus verò vini continetur sanguis Christi, ex vi conversionis, corpus verò ex concomitantia:* hæc ille, qui & paulo superius declarans, quid intelligat per id quod dicit, *in plerisque locis, in quibusdam Ecclesiis*, dicit, *ubi ministri altaris continuè & corpore & sanguine communicant:* per quæ verba manifestè declarat, quod tempore suo in nulla Ecclesia laici communicabant sub utraque specie, nisi solùm ministri altaris, & hoc solùm in quibusdam, & non in omnibus. Item idem Doctor in scripto suo super 4. sententiarum Dist. 12. sic arguit uno articulo, *communicatio corporis Domini & sanguinis æqualiter debetur omnibus membris Christi, sed aliis datur corpus Christi sine sanguine, ergo Sacerdos saltem à sumptione sanguinis abstinere potest.* Respondet præfatus Doctor, quod perfectio hujus sacramenti in utroque consistit, & ideo Sacerdos celebrans qui alterum tantum sumeret, imperfectè sacramentum perageret. Unde reus sacrilegii secundum canones judicatur de consecrat. Dis. 2. Comperimus. Secus autem de aliis, qui istud sacramentum non perficiunt, quia eis subtrahitur sanguis propter effusionis periculum. Unde & Sacerdos in paraseve, quando non consecrat, corpus sine sanguine sumit. Item idem S Thomas in 4. Dis. 12. quæst. 2. in responsione ad tertium articulum primi articuli, ita dicit: *Ad tertium dicendum, quod populo non datur sanguis propter periculum effusionis, quia citius una gutta sanguinis laberetur, quàm aliqua particula corporis. Unde ministris altaris, secundum consuetudinem aliquorum, datur participatio sanguinis, de quibus præsumitur, quod in talibus magis sint cauti. In lege etiam veteri de libaminibus nihil habebant offerentes, sed soli Sacerdotes, per quæ significabatur cibus hujus sacramenti:* Hæc sanctus Doctor: Item idem Doctor in alio loco dicit, quod laicis debet dari simplex vinum, non consecratum, aut aqua, pro ablutione, non tamen propter mysterium aliquod, sed ut laventur ora sumentium, ne maneant aliquæ reliquiæ Eucharistiæ intra dentes vel gingivas, & etiam ut non servetur Eucharistia in ore propter maleficium exercendum, ut expertum fuit tempore Ambrosii, quo in trunco apum, hostia consecrata, per unam mulierem fuit; serva-

*Lectione 7. in 6. cap. Joan.*

*quæst. 3. ad 2.*

*Simile quid habet Cæsarius Heisterbachens. lib. 9. c. 8. & Thomas Cantipratanus lib. 2. cap. 40.*

Digitized by Google

ſervata, & abſconſa, ut apes augerentur. Et ulterius dicit, quod Sacerdoti ſemel ſuffi- SÆC.
cit in die communicare, aliis autem perfectis ſufficit de octava in octavam, commu- XV.
ni autem populo, qui non eſt magna devotione occupatus; ad minus ſemel in anno. ANNO
Et conſequenter dicit: Sacerdos porrigens aliis Euchariſtiam ſub una ſpecie, poteſt 1433.
illa vel ſimilia verba proferre: *Corpus & Sanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti proficiat tibi in vitam æternam*, & non ſolum, *Corpus Domini noſtri*, & dans vinum ſimplex pro ablutione, debet vel poteſt dicere: *In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti amen.* Longum eſſet replicare verba & loca, quibus & in quibus Doctor hanc veritatem fidei Catholicæ ex propoſito & intentione proſequitur: Nam in ſermonibus de Corpore Chriſti ſermone 29. ad longum ſpacium, & per medium ſermonis, ſub tali titulo: *Secundò quæritur, quare populus non accipiat ſanguinem, ſicut Sacerdos ſub ſpecie vini.* Proſequitur reſpondens & aſſignans triplicem rationem, quam ibidem deducit ad longum. *S. Thomas, de Sacramento Altaris c. 29.*
Similiter & in compendio Theologicæ veritatis, & in quæſtionibus de ſacramentis & in multis aliis locis. Quoad prædictum Doctorem & pro præſenti dictæ allegationes ſufficiant. *Lib. 6. cap. 16.*
Item Bonaventura, Doctorum utique devotiſſimus, & ſanctæ vitæ, profundæque ſcientiæ & doctrinæ qui etiam miraculis claruit. Diſtinct. 11. quarti Summarum dicit, *duo ſunt circa hoc ſacramentum conſideranda, primum eſt ejus efficacia, ſecundum ejus ſignificantia, & ſic aliquid poteſt eſſe de integritate vel de perfectione hujus ſacramenti dupliciter. Uno modo quoad efficaciam (ſcilicet illud quod ex parte ſacramenti requiritur ad totalem efficaciam ejus, & ſic neutra ſpecies eſt de integritate, ſacramenti, ſed quælibet, quantum eſt ex opere operato, ſufficit ſine alia, ad cauſandum totalem ſacramenti effectum, & hoc ideo, quia efficacia ſacramenti non eſt ratione ſigni, ſed ratione contenti ſub ſacramento: Idem autem per omnia continetur ſub utraque ſpecie & ſecundum eundem modum exiſtendi. Nec plus ſumit qui ſumit utramque ſpeciem, quàm qui ſumit alteram tantum, ut dicit Magiſter Diſt. 11. quarti. Unde ſicut ſub ſpeciebus panis eſt totus Chriſtus cum corpore, anima, ſanguine & Deitate, ita ſub ſpeciebus vini eſt totus Chriſtus cum omnibus eiſdem, & ſecundum eundem modum exiſtendi, quia ſicut ſub ſpeciebus panis deitas eſt unita humanitati, ſic ſub ſpeciebus vini; & ſicut hic anima informat corpus, ita & ibi; & ſicut hic ſanguis eſt incluſus inter venas corporis, ita ibi ſub ſpeciebus vini: & ita in modo exiſtendi nulla eſt diverſitas, hic & ibi, quamvis in converſione ſit diverſitas, quia panis convertitur in corpus tantummodo, & cætera ſunt ibi concomitanter. Alio modo aliquid eſt de integritate ſacramenti, quantum ad omnem ſignificationem, ſcilicet illud quod requiritur ad totalem & completam illius ſacramenti ſignificationem, hoc modo ambæ ſpecies ſunt, & quælibet illarum eſt de integritate & perfectione ſacramenti, eo quod per ambas & per nullam earum ſeorſum ſufficienter & completè exprimitur hujus ſacramenti ſignificatio, quod ſic patet: Hoc ſacramentum ſignificat Chriſtum, ut nutrimentum perfectè reficiens ſe digne communicantes ſacramentaliter, ſed cum perfecta refectio corporalis ut communiter ſeu ſine miraculo non fiat in pane ſolo, aut in vino ſolo, ſed in utroque, non poteſt una ſpecies ſola ſignificare Chriſtum ut perfectè reficientem, ſed una ſignificat eum per modum cibi reficientis, ratione corporis ſui, & alia per modum potus, ratione ſanguinis, ambæ verò ſimul hoc completè ſignificant. Quare requiruntur ad integritatem ſignificationis hujus ſacramenti. Et dico notanter, ut communiter, ſeu ſine miraculo; quia in ſatietatibus Chriſti, quibus plura millia quinque panibus & duobus piſcibus ſaciavit, populus plenè ac perfectè fuit refectus, ſine potu:* tunc ad argumentum primum reſpondendo dicit: *Etſi totum in utraque ſpecie contineatur, non tamen alterum perfectè ſignificatur, & ideo fideles perfectum ſacramentum recipiunt, quia ad efficaciam recipiunt. Sed quantum ad ſignificationem, ſufficit quod Eccleſia facit in eorum præſentia.* Subdit: *nec oportet quod ipſi recipiant ſub ſpeciebus vini, propter periculum effuſionis & erroris.* Hæc Bonaventura: Item Petrus de Tarentaſia, Doctor excellentiſſimus, ſummus Romanus Pontifex & ſanctæ & devotæ vitæ, Diſt. 11. quarti. *cùm enim in hoc ſacramento ſit ratio ſigni, ſcilicet ſignificatio pertinens ad ſapientiam, & ratio cauſæ, ſeu cauſalitas, pertinens ad gratiam, & quia gratia eſt omnibus neceſſaria, ideo omnibus traditur ſub una ſpecie, perfectione cauſativæ gratiæ. Sub qua cum majori cautela ſine reverentia poteſt tradi. Sed ſapientia non eſt ſic omnibus neceſſaria, ideo à ſolis majoribus, id eſt presbyteris vel miniſtris altaris ſumitur ſub utraque ſpecie, qui majorem cautelam & reverentiam ſervare ſciunt:* Hæc ille: Item Richardus de Media Villa, Doctor profundus, & magnæ auctoritatis in Scholis Diſt. 11. quarti dicit: *communiter non debet hoc ſacramentum populo tradi ſub utraque ſpecie, propter periculum effuſionis ſanguinis, & etiam propter periculum erroris, ne ſcilicet populus communis crederet Chriſtum non eſſe totum ſub utraque ſpecie; majoribus tamen, in quibus neutrum prædictorum periculorum probabiliter timetur, ſub utraque ſpecie dari poteſt, non tamen minorem efficaciam recipiunt illi, quibus datur ſub altera ſpecie tantum, quàm illi, quibus datur ſub utraque, eo quod ſub utraque ſpecie totus Chriſtus continetur. Sumptio tamen ſub utraque ſpecie facit ad expreſſiorem myſterii ſignificationem.* Item Nicolaus de Lyra, in expoſi- *Petrus de Tarentaſia.* *Richardus de Media Villa, art. 4. quæſt. 6.* *Nicolaus de Lyra.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

positione sacrarum literarum, meo judicio, post antiquos Doctores excellentissimus & bonæ vitæ, tractans illud Jo. 6. *Nisi manducaveritis &c.* dicens: *non est intelligendum, quod hoc sacramentum sub utraque specie fidelibus sit exhibendum, sed tamen hoc modo à sacerdote sumendum, licet enim in primitiva Ecclesia populus sub utraque specie communicaret, tamen postea proinde ordinatum est, ut non communicet sub specie vini, propter periculum effussionis, & quia sub specie panis accipitur quodammodo sanguis, in quantum ibi continetur, quia sub utraque specie est totus Christus, tamen aliter & aliter, quia sub specie panis est vera caro Christi virtute sacramenti, cætera vero sunt ibi per concomitantiam: & eodem modo sub specie vini est Sanguis Christi ex vi sacramenti, Cætera verò concomitativè:* & ibidem dicit, quod sacramentum Eucharistiæ non solum proficit Sacerdoti sumenti; sed etiam toti Ecclesiæ & illis qui sunt in purgatorio, cujus ratio est, quia Eucharistia non est tantum sacramentum, sed etiam est sacrificium Ecclesiæ, in quantum continet Christum passum, & ideo proficit omnibus fidelibus: Si sumatur alio modo, sicut à Laico, tunc proficit sibi soli sumenti, quia officium ejus non est, offerre sacrificium; sed tantum sumere sacramentum. Et super illud Apostoli 1. ad Corint. 11. *probet autem se ipsum homo* dicit idem: *hîc fit mentio de duplici specie, nam in primitiva Ecclesia sic dabatur fidelibus, sed propter periculum effusionis sanguinis, modò datur tantum sub specie panis, Sacerdos tamen celebrans accipit sub utraque specie, non tantum pro se, sed pro aliis*: Hæc ille: Item Dominus Petrus de Palude, Patriarchâ Jerosolymitanus, Doctor utique magni ingenii & profundæ scientiæ & sanctæ & devotæ vitæ in 4. sententiarum. Dist. 11. sic dicit: *Secunda conclusio est, quod non debet sub utraque specie dari populo, sed solùm sub specie panis, propter periculum effussionis, sicut olim offerentes edebant de sacrificiis & oblationibus, quæ erant in materia solida. Sed soli ministri de libaminibus, quæ erant in materia liquida, Græci tamen communicant carni & sanguini, & in quibusdam Ecclesiis est consuetudo, quod communicant sub utraque specie, nec est peccatum, quia quando mos erat, crimen non erat, & ita cautè in illis Ecclesiis sine monasteriis faciunt, quod nihil effundunt: sed si vulgo indifferentur daretur, esset majus periculum:* Item Scotus, qui præ altitudine & subtilitate doctrinæ antonomasticè nomen Doctoris subtilis in scholis obtinuit, in quarto sententiarum Dist. 8. in prima quæstione, *utrum sacramentum à non jejunis possit recipi*, dicit in summa, quod Sacerdos post consecrationem hujus sacramenti rigidissimum habet mandatum Ecclesiæ ad hoc, ut percipiat utrumque; Laicus autem non habet aliquod mandatum Ecclesiæ ad hoc, ut percipiat utrumque, ergo non est necessitatis, hæc ille. Item Thomas de Argentina Doctor valde profundus & magnæ auctoritatis in scholis, super quarto Dist. 8. dicit: *sicut Sacerdos in die Parasceves celebrando non debet uti vino consecrato ex statuto Ecclesiæ, sed sola hostia reservata in præcedenti die, nec obligatur ad consecrandum & sumendum sanguinem sub specie vini tali die, sic nec Laica persona post communionem Corporis Christi tenetur ad sumptionem sanguinis, sed potest sumere vinum nonconsecratum:* Hæc ille: & idem in alia quæstione, dicit: *licet in passione Domini sanguis fuerit separatus à corpore usque ad horam qua surrexit à mortuis. Et si in medio tempore fuisset consecratum Corpus Christi fuisset corpus sine sanguine, & si calix fuisset consecratus, sanguis fuisset sine corpore, & post resurrectionem sanguis est unitus corpori & in sempiternum sic manebit, & propter hanc unionem realem Sanguinis & Corporis Christi sub utraque specie panis & vini recipiens habet totum Corpus Christi, & totum sanguinem; ideo communi populo, secundum consuetudinem Romanæ Ecclesiæ, veritas Corporis & Sanguinis Christi datur sub specie panis tantum, & hoc propter periculum distillationis sanguinis, quod posset accidere, si sub specie vini rudi & impetuoso populo traderetur sacramentum.* Et consequenter arguit pro utraque specie sic: *sanguis per modum potus solum datur sub specie vini: igitur cuilibet Christiano Sanguis Christi debet dari sub specie vini, ne privetur vita spirituali. Respondetur, cui datur Corpus Christi, illi datur spiritualis perfectio per modum cibi & potus, quantum ad rem significatam, licet non quoad speciem significantem.* Et consequenter arguit: *Omnis ordinata refectio de communi lege & sine miraculo datur per modum cibi & potus. Respondetur, quod qui dignè recipit Corpus Christi sub specie panis, verè manducat ejus carnem & bibit ejus sanguinem, quamvis hoc non fiat ita sub proprio signo expresso, sicut si reciperet illud sub speciebus vini. Nam Christus sub speciebus panis est animæ spiritualis cibus & potus*, hæc ille: Item ibidem arguit sic, *si sub speciebus panis haberetur sanguis Christi, tunc in vanum iterum Sacerdos consecraret sanguinem calicis, consequentia tenet, quia frusta ordinatur alius actus ad habendum quod de facto habetur realiter. Respondetur, quod ideo distinctim & divisim debet fieri consecratio sanguinis, ut expressè significetur, quod in Christi passione sanguis per effusionem fuerit separatus à corpore, ergo quamvis Sanguis Christi concomitanter sit sub speciebus panis, sub quibus corpus est unitum sanguini, ex vi sacramenti; propter tamen dictam significationem, idem sanguis ex vi sacramenti est sub speciebus vini, & corpus concomitanter, & ideo*

*Petrus de Palude. quæst. 1.*

*Scotus*

*Thomas de Argentina.*

Digitized by Google

*& ideo non est frustra, quia ille actus qui ordinatur ad sanguinem, est alius ex vi verborum sacramenti, quàm ille qui est ex vi verborum sacramenti panis.* Hæc ille: Ad idem est Hugo, primus postillator totius Bibliæ, similiter Gorra, & penè quotquot cripserunt super Evangelia, aut super sententias: Item quidam Doctor Anglicus solemnis & valde profundus, dictus Fiscare, super quarto, Dist. 11. ita dicit: *Quæritur*, inquit, *quare non datur populo Corpus Christi sub speciebus vini, sicut sub specie panis, vel simul sub utraque? Responsio: multiplex assignatur ratio: Una, quam tangit Julius Papa de consecr. Dist. 2. Alia est propter periculum, facilius enim elaberetur gutta quàm hostia. Tertia, quia in lege & in sacrificiis offerebantur libamina, de libamine autem nihil habebant offerentes, sed tantum Sacerdos, licet de sacrificio haberent, & ideo ut innotescat congrua veritatis significatio de sacrificio, scilicet de Corpore Christi sub specie panis datur populo, sed sub specie libaminis non*, hæc ille. Quid plura? longum esset omnes Doctores Theologos hoc in loco enumerare, & unius cujusque propriam sententiam in hac nostra materia replicare. Sed jam ad Doctores Juris Canonici accedamus, quorum sententias breviter perstringemus. Ecce glos. ordinaria Dist. 2. de consecrat. c. presbyter, super verbo, *Eucharistiam semper habeat paratam*, ita dicit: *sanguinem non præcipit servare, quia opus esset nimia cautela in eo servando.* Item eadem glossa de eodem, 3. c. comperimus, super verbo, *aut integra*, dicit: *Et hoc intelligo de conficiente. Nam infirmus vel sanus in necessitate, sine vino corpus sumere potest:* ad quod confirmandum adducit dicta glossa tres solennes Doctores & antiquos, videlicet Hugolinum, Laurentium, & Joannem, ut patet ibidem. Item Archidiaconus in eadem Dis. c. presbyter, addit ad glos. præallegatam, dicens: *addere præterea non opus est, quia ubi est corpus ibi est sanguis.* Item idem Archidiaconus in c. comperimus, hanc materiam ex dictis Petri de Tarentasia, hoc modo declarat: *dic ad hujus declarationem, quod in hujusmodi sacramento est ratio signi & ratio causæ; significatio pertinet ad sapientiam, sed causalitas ad gratiam. Quia ergo gratia communiter omnibus necessaria est, sed non sic sapientia; efficatia verò æqualis est sub utraque specie, sed non significantia, ideo omnibus traditur sub altera specie, in qua potest tradi cum reverentia & cautela majori. A majoribus verò tantum, id est, presbyteris, & ministris sumitur sub utraque specie.* Hæc Archidiaconus. Ad idem est Joannes in Summa confessorum, & Hostiensis in Summa sua. Item Rudolphus in pastorali novello, in metris de hac eadem materia loquens, ita dicit:

SÆC. XV. ANNO 1433.

*Doctores Juris Canonici.*

*Cap. 93.*

*Cap. 12.*

*Hic & ibi cautela sit hæc, ne presbyter ægris,*
*Aut sanis tribuat Laicis de Sanguine Christi.*
*Nam fundi leviter posset, simplexque putaret,*
*Quod non sub specie esset Jesus totus utraque,*
*Sed facit hic aliter novitatum gratia mater.*

ATtendant igitur quæso oppositum hujus veritatis tenentes & libera ratione dijudicent, quæ pars habeat Doctores ex proposito & ex intentione in materia loquentes potiores in conditionibus superius enumeratis, in quadam suppositione generali. Comparabiturne quidam Jacobellus, primus universalis consuetudinis Ecclesiæ effractor, & primus hujus novitatis in regno Bohemiæ inventor, in perspicuitate ingenii, in exercitatione studii, in humilitate judicii, in immunitate vitii & passionis, in sanctitate vitæ, in revelationibus & inspirationibus divinis, in intellectu divinarum scripturarum in perceptione divinæ voluntatis, in cognitione veri, præfatis tot & tantis sanctissimis & profundissimis Doctoribus, in quorum doctrina & vita fulget Ecclesia ut Sol & Luna? Ubi quæso præfati Jacobelli miracula vitæ sanctitatem testantia? Ubi gradus magistralis seu doctoralis, vel potius scripta & opera sufficientiam doctrinæ suæ declarantia? Mira res utique & non mira. Non mirum quidem, quod unus homo detur in reprobum sensum, sed mirandum, quod post se trahat innumeram multitudinem fidelium, mirandum utique & dolendum, quod tam glorioſum & notabile regnum, derelicta universali Ecclesiæ consuetudine, unius hominis novitatem sequi voluerit. Ecce tot Doctores, tam sanctissimos in vita, & tam in doctrina & scientia divinarum scripturarum profundissimos, qui ex proposito & ex intentione atque in propriis terminis sole clariùs nostram declarant & determinant sententiam, adduxi, & adduco in medium. Det mihi Magister Johannes, sive pars adversa, à tempore quo Christus hoc instituit sacramentum, usque in præsentem diem, unum Doctorem fidelem & Catholicum, qui ex proposito & ex intentione moverit in libris aut scriptis, sive in dictis suis, hanc quæstionem in forma, sive in sententia: Utrum in communione Laica utraque species, panis scilicet & vini, sit de necessitate salutis, & de præcepto Christi: & qui determinet pro parte adversa, contra tot & tantos & tam sanctissimos viros, & in divinis scripturis Doctores profundissimos, in loco præsenti per me adductos, & offero

*Jacobellus impugnatur.*

Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

offero me ad ſubeundam omnem pœnitentiam & pœnam corporalem, dictandam & inferendam per hoc ſacroſanctum generale Concilium, in Spiritu Sancto legitimè congregatum. Nec apud partem adveriam dicti ſancti Doctores per me hic inducti pro præſenti, & quorum libri hic in oculis omnium fuerunt revoluti, poſſunt aut debent haberi ſuſpecti quoquo modo, cum omnes per longa annorum ſpacia hanc novitatem præceſſerint, alii penè per ducentos annos, imo per plures, ut Innocentius. Alii ferè per ducentos, ut Alexander de Ales, Albertus Magnus, ſanctus Doctor Bonaventura. Alii per centum quinquaginta, & alii per centum, & nullus eſt qui ad minus non præceſſerit per quinquaginta annos, quorum utique vita & doctrina etiam in regno inclyto Bohemiæ, & in univerſitate Pragenſi ante hoc diſturbium claruit, & in magna veneratione habiti ſunt.

*Probatur hæc veritas rationibus.* I.

SExto principaliter prædicta veritas rationibus quibuſdam perſuaderi videtur, ex ſuppoſitione fidei Eccleſiæ & doctrinæ ſanctorum. Et primò ſit prima ratio: Omnis ſubſtantia habens omnem perfectionem & virtutem ſub uno accidente, ſicut ſub pluribus, & nihil perfectionis aut virtutis ſive effectus ab accidentibus capiens, dum talis ſubſtantia ſub uno accidente accipitur, non eſt neceſſe, quod ſub pluribus capiatur, ſine Chriſti præcepto vel ſtatuto Eccleſiæ. Sed Chriſtus eſt ſubſtantia omnem perfectionem & virtutem habens & continens ſub uno accidente, id eſt, ſub ſpecie panis vel etiam ſub ſpecie vini. Igitur ſi accipitur ſub uno accidente, ſcilicet panis, non eſt neceſſe quod capiatur ſub pluribus, niſi obſtaret Chriſti præceptum vel Eccleſiæ ſtatutum. Major patet per illud octavo Phyſicorum, ubi dicitur quod peccatum eſt fieri per plura, quod competenter poteſt fieri per pauciora. Nec hoc etiam eſt de præcepto Chriſti, nec pro nunc de ſtatuto Eccleſiæ. Minor etiam patet, quia ſi Chriſtus non haberet omnem perfectionem ſub uno accidente ſicut ſub alio, tunc Chriſtus ſub uno accidente non eſſet perfectus, & quod ab accidentibus aliquam acquireret perfectionem, quod nullus ſanæ mentis diceret. Secunda ratio. Si Sacerdotibus quandoque congruit communicare ſub una ſpecie tantum, ſine peccato, tunc à fortiori Laicis. Sed de facto Sacerdotibus in ſexta feria paraſceve ex ſtatuto Eccleſiæ congruit, ſicut præmittitur, communicare, igitur & Laicis. Conſequentia tenet per regulam topicam: ſi illud quod minus videtur ineſſe, & ineſt, tunc & illud quod magis. Statuit autem Innocentius Papa Euchariſtiam à die cœnæ reſervare ſub ſpecie panis pro fidelibus communicandis & ad implendum officium ſequentis diei, in quo ſacramentum non conficitur. Ratio autem à Doctoribus aſſignatur, quia in prædicta ſexta feria ſanguis fuit effuſus de Corpore Domini, & diviſus à corpore realiter, unde non oportet illa die quæ ex ſe rerum toto officio prædictam diviſionem commemorat, per hujuſmodi ſpecies viſibiles deſignari. Quapropter & eadem die Sacerdos ſumit ſacramentum tantummodo ſub ſpecie panis ad refectionem potius in perſona totius Eccleſiæ, quàm ad ſignificationem. Item quia ſicut in veteri lege in ſecundo tabernaculo quod dicebatur ſancta ſanctorum, ſemel in anno ſolus Pontifex intrabat, non ſine ſanguine, quem offerret pro ſua & populi ignorantia, ut ait Apoſtolus ad Hebræos quinto: ſic ad oſtendendum, quod ea die ſolus noſter ſummus Sacerdos Dominus Jeſus Chriſtus intravit per proprium ſanguinem, de quo Apoſtolus ibidem, *Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum Bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum, id eſt non hujus creationis, neque per ſanguinem hircorum aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem introivit ſemel in ſancta, æterna redemptione inventa*, nullus ea die celebrat, unde Rabanus inſtitutione Clericorum, Capitulo ſexageſimo ſeptimo, *in hac die ſacramenta penitus non celebrantur, ſed Euchariſtiam in cœna Domini conſecratam, peracto officio lectionum & orationum, & ſanctæ crucis ſalutatione, reſumunt.* Tertia ratio. Si prædicta communicatio Laici ſub utraque ſpecie eſſet de neceſſitate ſalutis, ſequeretur quod omnes Sacerdotes & Laici à tempore quo hujusmodi communicatio ſub una ſpecie ortum habuit, peccaſſent mortaliter, & per conſequens, quod eſſent damnati, quod eſt error manifeſtus, quia ſic ſanctus Ambroſius, Hilarius, Hieronymus, Auguſtinus, Gregorius, & alii innumeri ſanctiſſimi patres eſſent damnati, quod piæ aures exaudire perhorreſcunt, Aſſumptum probatur: Primò de Sacerdotibus quidem, quia obligabantur populo miniſtrare hoc ſacramentum ſub utraque ſpecie, ex divino præcepto, & hoc facere neglexerunt, immo facere noluerunt, & ſic populum privaverunt jure ſuo, quod habuit in tali ſacramenti perceptione, & impediverunt ſalutem ipſorum, quod non potuerunt ſine gravi & ſine mortali peccato facere. Si enim ſpoliare honore, aut rebus, aut jure quod habet in aliqua poſſeſſione, eſſet peccatum mortale, quanto magis ſpoliare quenquam ſalute & jure ſuo in perceptione tantæ rei. Item non ſolum Sacerdotes non miniſtrabant aut ſubtrahebant populo tantùm ſacramentum, ſed etiam docebant populum quod licitum eſſet, ſic ſub una ſola ſpecie communicare, nec tenebantur aliter. Et in hac ſuppoſita adverſariorum opinione pro veritate

*Lib. 2. cap. 37.*

Digitized by Google

ritate docebant errorem contra divinam legem, & faciebant gregem ſibi commiſſum in tam magnis & arduis rebus periculoſiſſimè errare, quod utique facere non poterant ſine graviſſimo peccato mortali: Sicut ſi prælatus doceret gregem ſibi commiſſum, quod fornicari eſſet licitum, aut ſe ipſum propria auctoritate indifferenter vindicare, & ſimilia, quæ ſecundum ſe erronea ſunt. Similiter Laici, ſi fuiſſent obligati ad utramque ſpeciem, peccaſſent mortaliter non faciendo diligentiam, nec petendo id quod ſibi ad ſalutem competebat. Sicut non excuſatur Laicus, ſi non ſit baptizatus, nec petit baptizari, quia quilibet tenetur diligentiam facere ad habendum id, ſine quo ſalvari non poteſt. Conſequentia patet ſimiliter. Omnis enim qui peccat mortaliter, nec ſaltem in extremis poſitus conteritur & confitetur, is pro facto inter damnatos computatur. Manifeſtum eſt autem, quod à multis centenis annis, à quibus prædicta communio ſub una ſpecie introducta eſt, nullus ſanctorum Sacerdotum ſic Laicis miniſtrantium, ſive etiam ipſi Laici ſic accipientes, contriti ſunt aut confeſſi de hujusmodi ritu, quaſi peccaſſent mortaliter, & ſic omnes eſſent damnati, & per conſequens omnes patres noſtri, & Bohemorum, & qui nos & eos in regno Bohemiæ præceſſerunt, eſſent damnati & æternis ignibus & pœnis deputati, quod nec ipſi, nec aliquis ſanæ mentis aſſereret. Et ſic ulterius pro hujusmodi & taliter defunctis non eſſet orandum, nec alia ſuffragia eſſent pro eiſdem facienda, & per conſequens prædictam communionem ſub utraque ſpecie aſſerentes, pro parentibus eorum orare non deberent, nec aliqua alia pietatis opera exercere, quod credo non ſolùm apud nos Catholicos, ſed etiam apud ipſos adverſarios impium eſſet aſſerere, & audire. Nec ſufficit dicere, quod prædeceſſores ſalvati ſunt per unam ſpeciem, quia noticiam ſcripturarum non habuerunt, ſed jam ex quo ſcripturæ apertæ ſunt & revelatæ, non ſufficit ſub una ſpecie tantum, ſed ſub duabus communicare: quia nullus excuſatur per ignorantiam alicujus quod de neceſſitate ſcire tenetur, & ſpecialiter, cum ea quæ credenda ſunt explicitè, expreſsè in ſacra ſcriptura ſunt poſita, ignorans enim ignorabitur. Et ſequeretur, quod eadem de cauſa omnes pagani & infideles eſſent ſalvandi: patet, quia ignorant Baptiſmum eſſe de neceſſitate ſalutis, mandata Dei, articulos fidei, ſacramenta & alia, quæ in Eccleſia ſunt de neceſſitate ſalutis, & dicuntur eſſe. Item omnes perſequentes & obſidentes Chriſtianos, propter nomen Chriſti, putantes ſe obſequium præſtare Deo, eſſent immunes à peccato, quia propter ignorantiam putant ſe bene facere, de quorum numero quandoque fuit Paulus Apoſtolus, qui de ſe ipſo ait primo ad Timotheum primo: *quia prius blaſphemus fui & perſecutor & contumelioſus, ſed miſericordiam Dei conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate.* Ubi manifeſtè dicit ſe fuiſſe blaſphemum & contumelioſum, licet ignoranter fecerit, & niſi fuiſſet miſericordiam conſecutus, utique ignorantia non excuſaſſet. Similiter ſi prælatus doceret populum ſuum, quod Chriſtus non eſſet Deus, ſed pura creatura, & populus crederet, ſic certè non excuſaretur à gravi peccato: ſic etiam ignorans fornicationem eſſe prohibitam lege divina, non propter hoc, ſi fornicatur, excuſatur à peccato mortali. Ad confirmationem hujus facit illud Evangelii: *Si cæcus cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt.* Matt. 15. Oportet ergo eos de neceſſitate fateri, aut quod patres & anteceſſores eorum in regno Bohemiæ, qui fuerunt per multa centena annorum ante ipſos, cùm ignorantia non excuſet eos, damnatos eſſe: aut quod ipſi harum novitatum inventores erant, & per conſequens damnentur, ſi pertinaciter agant. Et præterea ſcripturæ, de quibus adverſarii gloriantur ſe noviter intellexiſſe, ante multa centena annorum à ſanctis patribus, ſenſum Chriſti, ſecundum Apoſtolum, habentibus in ſe, lectæ & optimè expoſitæ atque intellectæ fuerunt, nec non & optimo fundamento ſtabilitæ & per ſingula ſtudia affirmatæ & approbatæ: qui ſi neceſſitatem hujusmodi communicationis ſub utraque ſpecie in his ſcripturis cognoviſſent, utique ſtatuto Eccleſiæ fuiſſet hujusmodi communicatio aſſignata: cujus oppoſitum apparet manifeſtè. Non enim veriſimile eſt tam ſanctiſſimos viros & ſapientes, atque totam Eccleſiam, per tam grande annorum ſpacium, tam damnabiliter erraſſe, & hodie in errore perſiſtere, cum ipſa à Spiritu ſancto regatur, qui eam non ſinit errare, in his potiſſime, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem, ut infra manifeſtiſſimis teſtimoniis approbabitur. Præterea ſi prædicta communio ſub utraque ſpecie fuiſſet ſub præcepto, ſequeretur, quod Deus præcepiſſet aliquid impoſſibile aliquibus; conſequens falſum, quia derogat divinæ pietati: unde & Hieronymus excommunicat, imò verius excommunicatos denunciat in quadam epiſtola, omnes qui dicunt Deum aliquid impoſſibile præcepiſſe, conſequentia tamen patet, quia multi homines ſunt, qui naturaliter, nec bibere nec odorari vinum poſſunt, & per conſequens nec ſub ſpeciebus vini poſſent communicare. Si ergo antecedens eſſet verum, ſequeretur, quod omnes hujuſmodi eſſent in ſtatu damnationis, quod nullo modo eſt dicendum, quia propter inexiſtentiam à natura, nullus eſt vituperandus, ut dicit Ariſtoteles in Ethicis. Idem etiam accidit de multis infirmis, qui ſub una vel ſub alia ſpecie Euchariſtiam ſumentes ipſam

SÆC. XV. ANNO 1433.

Hieron.

Ariſtoteles.



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

deglutire non possunt, & si deglutiant, tamen retinere non possunt; sed potius evomunt, unde aut impiè aut improvidè Christus suum corpus & sanguinem sub duplici specie sumendum præcepisset. Impiè quidem, quia multi contra naturam & sine causa damnarentur; Improvidè autem, si nesciviſſet hujusmodi casibus providere, quod de omniscientę & sapientia Patris nullo modo est suspicandum. Item ad solos Sacerdotes pertinet offerre sacrificium, secundum illud ad Hebræos 8. *Omnis enim Pontifex ad offerenda munera & hostias constituitur.* Sed vinum & sanguis nunquam offerebatur, nisi in sacrificio per manus sacerdotum in lege veteri, ergo ratione correspondentiæ figuræ ad figuratum, nec in nova lege debet offerri vinum, quod sanguinem repræsentat, nisi in sacrificio per sacerdotes. Item Augustinus in libro qui intitulatur contra epistolam Manichæi, quam vocant Fundamentum: *Id autem scientia & voce securum est asserere, quod in gubernatione Ecclesiæ Dei Salvatoris nostri Jesu Christi universalis Ecclesiæ consensione roboratum est.* Cum igitur communio sub una specie consensione universalis Ecclesiæ roborata sit, ut patet de superius inductis, scientia utique & voce illam asserere & tenere securum est; & oppositum omnimodè insecurum. Item Beatissimus Hieronymus scribens symbolum fidei ad Damasum Papam, ita loquitur: & habetur 25. quæst. 1. *Hæc est fides Papa beatissime, quam in Catholica Ecclesia didicimus, quamque semper tenuimus & tenemus, in qua si minus peritè aut parum cautè fortè aliquid positum est, emendari cupimus à te, qui Petri fidem & sedem tenes. Si autem hæc nostra confessio Apostolatus tui judicio comprobatur, quicumque me culpare voluerit, se imperitum, vel malevolum, vel etiam non Catholicum, sed hæreticum comprobabit.* Item idem Glorioſissimus Hieronymus eisdem & causa & quæstione, c. quoniam vetusto, loquens ad Romanum Pontificem dicens: *Ego nullum prævium nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, id est cathedræ Petri communione consocior: supra illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, prophanus est. Si quis in Noe Archa non fuerit, peribit regnante diluvio,* & in fine capituli subdit: *Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicunque tecum non colligit, spargit. Qui Christi non est, Antichristi est.* Ex prædictis glorioſissimi Hieronymi auctoritatibus bene pensatis & intellectis, concludat ratio uniuscujusque quid sequatur.

*Augustinus.*

*Cap. 13.*

*Cap. 25.*

Motiva quibus Ecclesia hunc Ritum introduxit & continuat.

Primum Motivum.

POstremo licet prædicta sufficiant ad prædictam communionem veraciter confirmandam, & specialiter Ecclesiæ consuetudo atque sacrorum Conciliorum, quæ errare non possunt, statutum & ordinatio: nihilominus ad majorem veritatis manifestationem & ad convincendum contumaces, motiva aliqua ex plurimis, quibus sancta mater Ecclesia hunc ritum introduxit, bene & laudabiliter continuavit, hodieque continuat, & observat, sunt inducenda. Et primum quidem est, ut evitetur periculum distillationis & effusionis Sanguinis Domini nostri Jesu Christi, quem tractare est valde periculosum, propter specierum naturalem fluxibilitatem, quæ possent effundi de facili, præsertim cùm in multitudine frequenter fit pressura, & multi sæpe ad communionem veniunt homines tremuli, barbati, infirmi & parvuli, circa quorum sacramenti sumptionem multa possent & gravia pericula imminere, & per consequens peccata, quæ non de facili possent evitari. Quale autem sit peccatum effusionis & distillationis Sanguinis Domini nostri Jesu Christi, ostendit Augustinus libr. quinto homiliarum, & habetur 1. quæst. 1. *Interrogo vos fratres, dicite mihi, quid plus esse videtur vobis, verbum Dei, an Corpus Christi. Si vultis verè respondere, hoc utique dicere debetis, quod non sit minus verbum Dei, quam Corpus Christi: & ideo quanta sollicitudine observamus, quando nobis Corpus Christi datur, ut nihil ex ipso de manibus nostris in terram cadat, tanta sollicitudine observemus, ne verbum Dei, quod nobis erogatur, dum aliud aut cogitamus aut loquimur, de corde puro pereat, quia non minus reus erit, qui verbum Dei negligenter audierit, quàm ille qui Corpus Christi sua negligentia in terram cadere permiserit.* Ecce quod Augustinus dicit, quod reus erit, qui sua negligentia Corpus Christi in terram cadere permittit, & non minus qui verbum Dei negligenter audierit, reus autem est quilibet qui in gravibus peccatis delinquit; quapropter & Sacerdos qui per negligentiam guttam Sanguinis Christi super terram aut pallam fudit, debet pœnitere quadraginta diebus, & palla comburi, & lapis radi, & terra lambi, & in sacrarium reponi, ut dicitur de consec. dis. 2. *Si per negligentiam aliquid de Sanguine Domini stillaverit in terram, linguâ lambetur, tabula radetur. Si vero non fuerit tabula, ut non conculcetur locus, corradetur, & igne consumetur, & cinis intra altare recondetur, & sacerdos quadraginta diebus pœniteat. Si super altare stillaverit calix, sorbeat minister stillam, & tribus diebus pœniteat, & cætera.*

*Hom. 26.*
*Cap. 94.*

*Cap. 27.*

Hæc autem tam dura pœnitentia non imponeretur sacerdoti, si non esset valde grave peccatum. Si ergo per negligentiam cadente sanguine terram lambet, & tabula radi debet, & post ad ignem projici rasura ut comburatur: quanto magis pepla mulierum, & barbæ virorum, Christi sanguine mandidatæ, deberent comburi, eo quod

ex

Digitized by Google

ex propoſito & ſine neceſſitate ac irreverenter ſic Chriſti ſanguine perfunduntur. Si etiam ſacerdos qui ſic negligens repertus fuerit; tam durè puniendus eſt, ut per quadraginta dies pœniteat, quanto magis perſonæ laicæ puniendæ ſunt; & ſi non magis aut æquè, nihilominus graviter puniendæ venient, pro hujuſmodi exceſſibus & irreverentiis commiſſis, quam utique punitionem & pœnitentiam cum magna difficultate laici ferre poſſent, & utique abſque cauſa & neceſſitate. Cavendum ergo fuit Eccleſiæ & ſumma diligentia procurandum, ut rudis populus non exponeretur gratis tam gravibus periculis peccatorum & pœnarum. Ex quo decreto Pii Papæ, manifeſtiſſimo ſigno conjecturari poteſt, quod conſuetudo unius ſpeciei eſt antiquiſſima. Nam hic Pius Papa fertur fuiſſe decimus poſt beatum Petrum Pontifex in Eccleſia Romana, ut refert Auguſtinus Epiſtola ad Generoſum, & ſedit in Cathedra Petri circa Annum Domini centeſimum quinquageſimum tertium: qui abſque dubio, ſi fuiſſet tempore ſuo conſuetudo utriuſque ſpeciei, ita bene providiſſet circa effuſionem ſanguinis, quæ contingeret aut poſſet contingere in ſumptione laicorum, ſicut providit circa pericula, quæ contingunt in miniſtratione miniſtrorum, ſive ſacerdotum. Immo amplius & diligentius, in quantum laici, mares & fœminæ, ſenes & juvenes, infirmi, & alii ſunt minus cauti, & minus circumſpecti atque diſcreti in tractando divina myſteria, quàm ſint miniſtri ad hoc ſpecialiter deputati. Aut igitur adverſarii producant tam antiquum decretum, quod ſciant proviſionem circa hujuſmodi pericula laicorum facere, quod non facient in æternum, aut fateantur nobiſcum antiquitatem conſuetudinis unius ſpeciei, ex hoc decreto proviſionem faciente in periculis contingentibus circa effuſionem ſanguinis per miniſtros; ſicut etiam fit in alio decreto ex Concilio Aurelianenſi, de cuſtodia Corporis Chriſti, nulla facta mentione, de ſanguine aut de ſpecie vini, & habetur de conſecr. diſ. 2. c. qui bene: ubi ita Concilium determinat: *qui bene non cuſtodierit ſacrificium, & mus vel aliud aliquod animal comederit, quadraginta diebus pœniteat. Qui autem perdiderit illud in Eccleſia, aut pars ceciderit & inventa fuerit, triginta dies pœniteat.* Ex quo decreto ſimiliter patet, quod ſola hoſtia ſive Euchariſtia ſervabatur ſine ſanguine, quia indubitanter, ſi ſanguis fuiſſet præceptus ſervari, multò major cautela fuiſſet adhibita in cuſtodiam illius, quàm in cuſtodiam hoſtiæ, cum ſit majoris periculi ad cuſtodiendum. Quo circa ſanctus doctor tertia parte Summæ ſuæ dicit, quod circa uſum hujus ſacramenti duo poſſunt conſiderari, unum ex parte ipſius ſacramenti, aliud ex parte ſumentium. Ex parte ſacramenti convenit, quod utrumque ſumatur, ſcilicet corpus & ſanguis, quia in utroque conſiſtit perfectio ſacramenti. Et quia ad ſacerdotem pertinet, hoc ſacramentum conſecrare & perficere, nullo modo debet Corpus Chriſti ſumere ſine ſanguine: Ex parte autem ſumentium, requiritur ſumma reverentia & cautela, ne aliquod accidat quod vergat in injuriam, aut in irreverentiam tanti myſterii, quod præcipuè poſſet accidere in ſanguinis ſumptione, qui quidem ſi incautè ſumeretur, de facili poſſet effundi: & quia creſcente multitudine populi Chriſtiani, in qua continentur ſenes, & juvenes, & parvuli, quorum quidam non ſunt tantæ diſcretionis, ut cautelam debitam circa uſum hujus ſacramenti adhiberent, ideo providè in quibuſdam Eccleſis obſervatur, ut ſanguis ſumendus non detur populo, ſed ſolum à ſacerdote ſumatur. Secundum propter infirmos, pro quibus deberet ſanguis ſub ſpeciebus vini, in ſacrario reſervari, circa quem multa horribilia poſſent contingere. Nam de facili congelaretur, vel in acetum tranſmutaretur & ita corrumperetur ſacramentum, & ſic acetum purum pro ſanguine Chriſti daretur fidelibus, & ſic de facili vermes aut muſculæ in eo orirentur, etiam quantumcunque vas clauſum cuſtodiretur, unde fieret abominabile ſumentibus ad bibendum, & multa alia quæ non poſſunt exprimi. Similiter importando ad infirmos ad longum ſpacium ſanguinem, multa poſſent occurrere pericula & intervenire, ſive eques ſacerdos ipſum portaret, ſive pedes, ut tempore pluviarum, glaciei, & multis aliis modis. Tertium propter vitare errores, ne videlicet populus communis, qui tantum judicat ſecundum ſenſum, credat Chriſtum non eſſe totum ſub una ſpecie, ſicut multi hæreticorum, ut Neſtorius & Pelagius, & eos ſequentes aſtruxerunt. Neſtorius enim ſic ſub utraque ſpecie miniſtravit, exiſtimans quod ſub ſpecie panis eſſet tantummodò Corpus Chriſti ſine ſanguine, & ſub ſpecie vini ſanguis ſine corpore, quia ſic in paraſceve ſanguis fuit diviſus à corpore, & è converſo; quod omnino falſum eſt & hæreticum; quia licet in paraſceve ita fuerit, & ſic in hoc ſacramento, ſi eadem die fuiſſet celebratum, ſic fuiſſet, ut aſſerit, propter mortem, qua & anima & ſanguis ſeparabantur ab invicem, & à corpore, non tamen nunc ita eſt, quia Chriſtus reſurgens ex mortuis, jam non moritur, & per conſequens nec ſanguis ab ipſius corpore ſeparatur. Pelagius verò & ipſius ſequaces dictis Salvatoris innitentes, *niſi manducaveritis carnem filii hominis &c:* dederunt laicis ſub utraque ſpecie, & etiam parvulis ſtatim poſt Baptiſmum, & ſi ſpeciem panis ſacramentalem non poſſent ſumere, dicebant quod debebat conteri cum ſanguine, & ſic infundi in ora puerorum, & ſi fortaſſe,

SÆC. XV. ANNO 1433.

*Epiſt. 165.*

*Cap. 54.*

*Secundum motivum.*

*Tertium motivum.*

*Rom. 6.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

taſſe quippiam ejeciſſent, dicebant illud eſſe comburendum, innitentes illi ſcripturæ Exodi 12. *ſi quid reſiduum fuerit, comburetis*: multi etiam ita extenſivè hunc textum acceperunt, ut ultra Pelagianos non ſolum miniſtrarent vivis utramque ſpeciem, ſed etiam defunctis, ut refert venerabilis Beda in homilia ſuper Matthæum 26. cap. Datur ergo non-conficientibus ſub una ſpecie, ut evitentur prædicti errores, ut videlicet Chriſtus non credatur in hoc ſacramento diviſus, ſecundum diviſionem ſpecierum, ſed quod ſub altera totus ſit & integer, contra id quod Neſtorius aſſerebat; & ne credatur illud dictum Chriſti neceſſitatem inducere abſolutam, ut Pelagius aſſeruit, ita ut etiam pueris uſu rationis carentibus & aliis amentibus dari deberet & miniſtrari, ne fortè eis ſub diverſis ſpeciebus, alius & alius Chriſtus crederetur, præcipue apud illos qui intelligere nequeunt, idem corpus per divinum miraculum ſub alienis dimenſionibus poſſe in diverſis locis contineri: Quartum, ut veritas umbræ & figuræ correſponderet. In veteri enim lege, de libaminibus, per quæ ſanguis Chriſti præfigurabatur, nihil ſumebant laici, ſed ſoli ſacerdotes, ut prædictum eſt. Quintum propter honorem & dignitatem ſacerdotalis officii: dignum enim & juſtum eſt, ut caracterem & dignitatem ſacerdotalem & officium, quibus à communi populo diſtinguuntur, & ſi non quantum ad rem & affectum cæteris paribus, in ſignis tamen, dum miniſtrant & celebrant hoc ſacramentum, à cæteris diſtinguantur, & quadam extrinſeca in myſterii hujus oblationis dignitate, refulgeant: unde quidam doctor, dictus Albertus de Padua in quadam ſua quadrageſimali homilia in cœna Domini ait: *congruit etiam inter miniſtros Eccleſiæ & populum eſſe differentiam, & ideo populo ſufficit eſſe de Corpore Chriſti: ſed miniſtros oportet eſſe quaſi animam corporis, dirigendo populum ſubditum, ideo illi corpus tantum, iſti etiam ſanguinem, in quo eſt anima, ſumunt.* Ne etiam crederetur virtus hujus ſacramenti æquè principalius conſiſtere in ſumptione & conſecratione. Si enim laici ad utramque ſpeciem admitterentur æqualiter ſacerdotibus, & ſub utraque ſpecie communicarent, facile, creſcente temeritate & malitia hominum, laici & fortaſſe mulierculæ poſſent præſumere aliquid non ſolum ſic ſumendum, ſed etiam conficiendum: quod quàm deteſtabilis & damnabilis error eſſet, nullus ſanæ mentis dubitat. Finaliter Eccleſia debuit ceſſante cauſa tollere & amovere effectum. Cùm enim Euchariſtiæ ſacramentum, etiam ſecundum virtutem nominis, ſit ſacramentum caritatis, quæ ſola celat & operit multitudinem peccatorum, prima Petri quarto. In primitiva autem Eccleſia, laicorum caritas efferbuerat in tantum, quod pro Chriſti nomine ſitiebant, ſicut ſitit cervus ad aquæ fluvium, effundere ſanguinem proprium: & hoc principaliter ex triplici cauſa. Primò ex viciſſitudine amoris, ad quam invitabat Apoſtolus dicens: *hoc ſentite in vobis, quod & in Chriſto Jeſu.* Secundò ex recompenſatione ſatisfactionis, prout Beatus Petrus hortabatur fideles dicens: *Chriſto igitur paſſo in carne, & vos eadem cogitatione armamini:* Tertiò propter exemplum Apoſtolorum, quos videbant ultro ſe paſſionibus ingerere atque perſecutionibus, de quibus dicitur Actuum quinto: *ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati:* in cujus fervoris ſignum Chriſto eos ad paſſionem invitanti, ſecundum beatum Hieronymum, *poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum?* efficaciter reſponderunt: *poſſumus*, ex fervore martyrii. His itaque & aliis de cauſis illa ſacra primitivæ Eccleſiæ non ſolum clericorum ſed etiam laicorum caritas, ita eos ad paſſionem martyrii animabat, ut alter alterum certaret prævenire, decantans cum Propheta: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo*, tunc etenim qui Epiſcopatum deſiderabat, non aliud quàm martyrium optabat, ſecundum Gregorium in paſtorali: ad quam intentionem dicebat Apoſtolus: *qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat.* Tali igitur devotione & caritate in ſanctis laicis exiſtentibus, & perſecutoribus omni momento & loco mortem intentantibus, tunc qualibet hora licebat laicis in provocationem & devotionem effundendi ſanguinem proprium, bibere de calice altaris ſanguinem Chriſti, & hac in cauſa & ad propoſitum loquebatur beatus Cyprianus, epiſtola 37. de lapſis: *& cum ad hoc fiat Euchariſtia, ut poſſit accipientibus eſſe tutela, quos tutos eſſe contra adverſarios volumus, munimento Dominicæ ſecuritatis armemus. Nam quomodo docemus aut provocamus eos in confeſſione nominis ſanguinem ſuum fundere, ſi eis militaturis Chriſti ſanguinem denegamus? Aut quomodo ad martyrii poculum idoneos facimus, ſi non eos prius ad bibendum in Eccleſia poculum Domini jure communicationis admittimus?* Cum igitur ille talis fervor charitatis erat ſingularis privilegii, Apoſtolo atteſtante cap. primo ad Philippenſes: *vobis datum eſt pro Chriſto, non ſolum ut in eo credatis, ſed etiam ut pro illo patiamini:* & ſecundum Auguſtinum. *Sicut nullus eſt melior in hac vita introitus quam per baptiſmum, ſic nullus tutior exitus quam per matyrium, in quo ſicut in baptiſmo, omnia tolluntur peccata: in cujus myſterium ſuper Chriſtum primum baptizatum & ſuper Stephanum primum pro Chriſti lapidatum, cœli leguntur aperti.* Ceſſante illo fervore charitatis & devotionis,

*Quartum motivum.*

*Quintum.*

*Serm. 4. feria quinta majoris hebd. in ordine 246.*

*Sextum.*

*Phil. 2.*

*1. Petr. 4.*

*Pſal. 115.*

*1. Tim. 2.*

*Juxta edit. Pamelii Epiſt. 54. Juxta editionem Oxonienſem. 57.*

*Auguſt.*

Digitized by Google

nis, & hoc singulari privilegio, quod erat martyrii desiderium, utique cessare debuit & debet hoc, quod in signum illius desiderii dabatur laicis. Nec obstat, quod sacerdotes conficientes sumunt sanguinem, in eis deficiente illa caritate & devotione, de quibus prædictum est, quia non solum pro se ipsis, sed pro tota Ecclesia, in qua non est exstincta caritas, nec in sempiternum exstinguetur, Deo offerunt sacrificium. Et etiam, quia ad ipsos pertinet non solum ad efficaciam sumere, sed etiam ad significationem. Unde Nicolaus de Lyra super illud Joan. 6. *nisi manducaveritis &c.* dicit: *sacramentum Eucharistiæ non solùm proficit sacerdoti sumenti, sed etiam toti Ecclesiæ, etiam illis qui sunt in purgatorio:* cujus ratio est, quia Eucharistia non est tantum sacramentum: sed etiam sacrificium Ecclesiæ, in quantum continet Christum passum & ideo proficit omnibus fidelibus. Si sumatur alio modo, ut à laico, tunc proficit sibi soli sumenti, quia officium ejus non est offerre sacrificium, sed tantum suscipere sacramentum: & quia etiam Apostolis præceptivè dictum est: *hoc facite in meam commemorationem*, per quæ etiam verba in sacerdotes constituebantur, ut patebit. Ex his & aliis motivis, consuetudo & auctoritas Ecclesiæ obtinuit, ut non conficientibus tantummodo hoc sacramentum sub specie panis traderetur. Et hæc de positione mea præsenti dicta sufficiant, ad laudem omnipotentis Dei, cui sit honor & gloria in secula seculorum, Amen.

SÆC. XV. ANNO 1433.

EXpedita divino auxilio positione primæ & secundæ conclusionum propositarum pro veritate Catholica, postergata (a) etiam tertia, quæ ex dicendis dependet, accedo ad ultimam partem præsentis actus, videlicet ad respondendum objectis partis adversæ. Et licet quam plurimum cogitaverim, quem ordinem in respondendo tenere deberem, an ordinem conclusionum mearum, vel suæ positionis: Tandem deliberavi potius insequi positionem proponentis, licet ordo doctrinæ & materiæ propositæ exigeret oppositum. In qua responsione tenendo hunc modum, quia ea in quibus convenimus vel differimus, referam breviter, ut hoc venerabile auditorium percipiat tam convenientiam quàm differentiam nostram. In primis igitur quoad protestationem, quam idem Magister nomine omnium proposuit in medium, videtur quod sit insufficiens. Primò quoad credulitatem fidei articulorum. Secundò quoad Ecclesiam quam profitetur. Tertiò quoad submissionem, qua dicunt se velle submitti correctioni, in casu quo deficerent. Quia in prædictis locis solum stant in genere, circa quæ latent æquivocationes, ut dicit Arist. non terminantes se ad aliquod certum particulare & determinatum. Nam dicunt se credere articulos fidei ad illum intellectum, ad quem benedicta Trinitas & Dominus Jesus præcepit & vult credi. Cùm enim voluntas benedictissimæ Trinitatis non innotescat hominibus, nisi per scripturas sanctas, quas contingit benè & male intelligi; aut per Ecclesiam, quàm ipse Dominus non finit errare; vel per revelationem: cùm nihil eorum exprimant, patet quod insufficienter articulos fidei profitentur. Similiter cum dicunt se credere sanctam Ecclesiam per totum mundum diffusam, cùm multiplex sit varietas in acceptione Ecclesiæ per totum mundum diffusæ. Nam multi dicunt Ecclesiam Catholicam tantummodo constare ex prædestinatis, sive fidelibus sive infidelibus, multi etiam dicunt eam constare ex fidelibus in gratia gratum faciente constitutis: Alii verò ex cunctis fidelibus, in unitate fidei, ritu sacramentorum, & præceptorum Dei existentibus, dicunt constare Ecclesiam; cum ad nullam prædictarum acceptionum se determinent quoad credulitatem Ecclesiæ; patet quod protestatio eorum est insufficiens. Deinde cùm propriè ad Ecclesiam, deviantes & errantes à fide & in moribus pertineat corrigere, ad cujus judicium quemlibet fratrem errantem Dominus, tanquam ad inobliquabilem regulam, remisit, dicens: *si te non audierit, dic Ecclesiæ, quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Matthæi 18. patet quod submissio ipsorum est in individuo vago, & in re instabili & incerta, & per consequens omnino protestatio eorum est insufficiens; quia non submittunt se alicui certo judici Secundo in declaratione terminorum in conclusione sua positorum, ponit trimembrem divisionem de communione Corporis Christi, & dicit quod primo modo communio Corporis Christi dicitur societas sanctorum, & solum talium est unum Corpus Christi mysticum, cujus caput est Christus. Secundo modo communio significat sacramentum corporis & sanguinis Christi, per cujus sumptionem dignam homo ingeritur ad communionem primo modo acceptam. Tertio modo accipitur communio pro congregatione omnium credentium in Christum, bonorum Christianorum simul & malorum, & hæc est vulgaris acceptio communis & minus propria. Circa primum membrum Magister proponens intendit, quod corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia, sit societas & Ecclesia sanctorum, cujus caput est Christus, ex quo declaratur, quod ipse intelligat per Ecclesiam solùm congregationem fidelium in gratia constitutorum, ut patet etiam per declarationem suam, cum dicit, quod in hac communitate fidelium, de qua loquitur, talis & tanta est unio, quod

(a) Semovendo vel post tergum rejiciendo tertiam propositionem. BASN.

*M. Rockenzani Protestatio insufficiens.*

*Conclusiones M. Rockenzan de communione.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

quodlibet membrum omnium bonorum est particeps, nisi per peccatum mortale sit mortuum & abscissum: in qua re quantum deviet à veritate, ostenditur ex duplici capite. Primo ex ratione capitis, quæ ipsi Christo competit. Secundò ex ratione membrorum & corporis, secundum quod corpus ejus in hac vita peregrinatur. Ratione primi, scilicet ratione capitis, probatur sic: Propria ratio capitis accipienda est ex propria operatione ejusdem, maxima autem & propria operatio Christi hominis, secundum quam verè & propriè est caput Ecclesiæ, est salvare: à qua operatione tamquam sibi maximè propria, proprio vocabulo ac nomine nuncupari voluit, Jesus scilicet, quod idem est quod Salvator. Quod nomen fuit sibi impositum ab æterno, licet ab angelo fuerit pronunciatum ex tempore, Lucæ primo. *Et vocabis nomen ejus Jesum.* Et Matthæi primo: *quod vocatum est ab Angelo prius quam in utero conciperetur.* Cujus interpretationem & sensum ibidem Angelus exprimens, postquam dixerat: *& vocabis nomen ejus Jesum*, subjunxit, *ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Quorumcunque igitur ipse Christus & Salvator erit, utique & caput. Ex quo ipsius propria operatio est salvare. Sed ipse est Salvator omnium hominum, & maximè fidelium, ut ait Apostolus ad Timotheum quarto. *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non autem pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi*, ut dicitur prima Jo. 2. Ergo ipse Christus est caput omnium hominum & maximè fidelium, & non tantum omnium nostrum, sed etiam totius mundi. Pro cujus declaratione sciendum est, quod differentia est inter corpus naturale hominis, & corpus Ecclesiæ mysticum, ut dicit doctor sanctus. P. 3. q. 8. art. 3. quia membra naturalia sunt omnia simul, non sic autem Ecclesiæ, neque quantum ad esse naturæ, cùm constituatur ex omnibus hominibus qui fuerunt à principio mundi, usque ad finem ipsius, qui non sunt simul; neque etiam quantum ad esse gratiæ, quia etiam eorum qui sunt in uno tempore, quidam carent gratia, eam postmodum habituri, aliis jam habentibus. Sic igitur membra corporis mystici non solum accipiuntur secundum quod actu sunt, sed etiam secundum quod in potentia, Quædam autem in potentia, quæ nunquam ad actum reducuntur, quædam verò ad actum reducuntur quandoque. Et hoc secundum triplicem gradum, quorum unus est per fidem, secundus per caritatem viæ, tertius per fruitionem patriæ. Sic ergo dicendum est, quod accipiendo generaliter secundum totum tempus mundi, Christus est caput omnium hominum: sed secundum diversos gradus, quia primo & principaliter est caput eorum, qui actu sibi per gloriam uniuntur: secundariò eorum, qui ei actu uniuntur per caritatem viæ: tertiò qui sibi uniuntur per fidem: quartò eorum, qui uniuntur sibi solum in potentia nondum ad actum reducta, quandoque tamen reducenda per divinam prædestinationem: quintò eorum, qui sibi uniuntur in potentia, quæ tamen nunquam reducetur ad actum, cujusmodi sunt homines in hoc mundo viventes, qui non sunt prædestinati, qui nunquam sibi uniuntur per fidem aut caritatem, qui tamen decedentes de hoc mundo, desinunt esse in potentia ut uniantur Christo, hæc in Summa sanctus Thomas ubi supra. Ex quibus sequitur primò, quod Christus est caput principaliter Ecclesiæ triumphantis, & non solum animarum omnium, sed etiam angelorum, secundum illud quod Apostolus dicit ad Colos. 2. loquens de Christo, qui est caput omnis principatus & potestatis, & ad Ephes. 1. quod constituens eum, scilicet Christum, Deus Pater ad dexteram suam in cœlestibus super omnem potestatem, & principatum & virtutem, & dominationem & omne nomen, quod nominatur, non solum in hoc seculo sed etiam in futuro, & omnia subjecit sub pedibus ejus, & ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, qui in omnibus adimpletur. Sequitur etiam quod Christus est caput secundario Ecclesiæ militantis, de qua in præsenti loquimur, ordine tamen præscripto servato in personis, & non solum aliquorum, sed etiam omnium hominum, qui ab initio mundi fuerunt, & erunt usque ad finem mundi; hi tamen actualiter Christi Ecclesiam militantem constituunt, qui actu Christo aliquo modo uniuntur, scilicet per fidem aut caritatem. Ex quibus manifeste colligitur, quod Christus est verè & propriè caput non solum in gratia constitutorum, sed etiam in fide sibi unitorum & unitate sacramentorum. Secundo declaratur falsitas prædicti primi membri, ex ratione conditionis Ecclesiæ peregrinantis & militantis in hac vita, in qua necesse est esse simul malos cum bonis, quod utique efficacissimis scripturarum & Doctorum testimoniis ostendendum est. Et primò quidem ex similitudinibus quas Christus adducit in Evangelio, quibus comparat præsentem Ecclesiam, unde Matt. 25. ait Dominus, *Simile est Regnum Cœlorum decem Virginibus*, quinque videlicet prudentibus, & quinque fatuis, super quo sic ait Gregorius: *Sed sciendum nobis est, quod sæpe in sacro eloquio Regnum Cœlorum præsentis temporis Ecclesia dicitur, de quo in alio loco Dominus dicit: mittet filius hominis angelos, & colligent omnia scandala de regno ejus. Neque enim in illo regno beatitudinis, in quo pax summa est, inveniri poterunt scandala quæ colligantur. Unde rursus dicitur: Qui ergo solverit unum de mandatis istis mini-*

*Christus quomodo & quorum caput.*

*Differentia inter corpus naturale & mysticum.*

*In Ecclesia militante sunt boni malis permixti.*

*Patet similitudine prudentium & fatuarum virginum. Hom. 12. Matth. 13. Matth. 5.*

Digitized by Google

*minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in Regno Cœlorum: in quo doctor* SÆC. *qui mandatum solverit, minimus vocatur: cujus enim vita despicitur, restat ut ejus* XV. *prædicatio condemnatur: Quid ergo per hanc sententiam nisi præsens Ecclesia regnum* ANNO *cœlorum dicitur, & quia ex utroque sexu fidelium multitudo colligitur, sancta Ecclesia* 1433. *decem Virginibus similis denunciatur, in qua quia mali cum bonis, & reprobi cum electis sunt admixti, rectè similis Virginibus prudentibus, fatuisque esse perhibetur. Quousque enim hic vivimus, necesse est ut vitam præsentis seculi permixtè agamus. Boni enim soli nusquam sunt, nisi in cœlis, & mali soli nusquam sunt, nisi in inferno: hæc autem vita quæ inter cœlum & infernum sita est, sicut in medio subsistit, ita mixta utrarumque partium cives communiter recipit, quos tamen sancta Ecclesia & nunc indistinctè recipit, & postmodum in egressione discernet.* Item sancta Ecclesia comparatur sagenæ missæ in mari, & ex omni genere piscium congreganti. Idem ubi supra Gregorius in homilia, *sancta Ecclesia sagenæ missæ in mari comparatur, quia & piscatoribus est commissa, & per eam quisque ad æternum regnum à præsentis seculi fluctibus trahitur, ne in æternæ mortis profunda mergatur, quæ ex omni genere piscium congregat, quia ad peccatorum veniam sapientes & fatuos, liberos & servos, pauperes & divites, fortes & infirmos vocat,* & infra: *Nunc enim bonos malosque communiter quasi permixtos pisces fidei sagena continet; sed littus sanctæ Ecclesiæ, id est, finis judicat, sagena quid trahebat.* Et Chrysostomus super illud: *collegerunt bonos in vasa sua, malos autem &c.* inquit, *Ecclesia media est inter cœlum, quod est tantum bonorum locus, & infernum, qui est tantum malorum. Ipsa verò Ecclesia est media, quia indifferenter bonos & malos colligit.* Item Ecclesia militans comparatur areæ secundum illud Lucæ 3. *Ipse vos baptisabit in aqua & igne & Spiritu sancto, cujus ventilabrum in manu ejus, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem &c.* ubi per aream Joannes intelligit & designat præsentem Ecclesiam, ut exponunt communiter sancti & præsertim Augustinus, qui super Psal. 25. *Judica me Domine,* dicit: *Area est Ecclesia hujus temporis: sæpe diximus, sæpe dicimus, & paleam habet, & frumentum:* Item ad Petrum Diaconum, in libro de fide dicit cap. 43. *firmissimè tene & nullatenus dubites, aream Dei esse Catholicam Ecclesiam, & in ea usque ad finem seculi frumento mixtas paleas contineri,* & infra. *In fine vero seculi, bonos à malis etiam corpore separandos, quando venit Christus habens ventilabrum in manu sua & permundabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igne inexstinguibili:* Item eadem præsens Ecclesia comparatur nuptiis, de quibus Matth. 25. dicitur: *simile est Regnum Cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio &c. qui egressi congregaverunt omnes quos invenerunt, bonos & malos, & impletæ sunt nuptiæ discumbentium,* ubi, ut Gregorius inquit, *apertè ostenditur, quia per has Regis nuptias Ecclesia designatur, in qua mali cum bonis conveniunt, permixta quippe est diversitate filiorum, quia sic homines ad fidem generat, ut tamen omnes per imitationem vitæ ad libertatem spiritualis vitæ, culpis exigentibus, non perducat. Quousque namque hic vivimus &c.* ut supra de decem Virginibus, &c. Idem super illud Matth. 22. *Intravit autem Rex ut videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali &c.* dicit: *Intrat enim ad nuptias, sed cum veste nuptiali non intrat, qui in sancta Ecclesia existens fidem habet, sed caritatem non habet:* & Simon de Cassia super illud: *egressi sunt servi ejus in vias, congregaverunt omnes quos invenerunt, bonos & malos, & impletæ sunt nuptiæ discumbentium, &c.* dicit, quod ex omnibus nationibus crediderunt homines, ex quibus Ecclesia impleta est, & ex malis & ex bonis Christianis constat Ecclesia, & mixtum est Ecclesiæ Christi corpus, quanquam ipse velit eam exhibere gloriosam, non habentem maculam neque rugam, sed in area negotium agitur ubi paleæ sunt & triticum, nondum enim ventilabrum excussit unum ex altero, sed boni & mali discumbunt in nuptiis Ecclesiæ militantis, dispari vita, dispari cultu, disparibus moribus atque meritis, quousque decernat super utrumque rex, qui novit non perperam, sed in veritate proferre judicium, qui excludet merito excludendos, & justè absque macula super mensam Ecclesiæ epulantes in pace dimittet: Item præsens Ecclesia comparatur Arcæ Noe, in qua animalia mitia simul fuerunt cum immitibus, corvus cum columba, & homines cum animalibus, per quæ boni & mali in Arca Ecclesiæ significantur. Item Ecclesia militans comparatur domui magnæ de qua Apostolus loquitur. *In magna Domo,* inquiens, *non solum sunt vasa aurea & argentea, sed etiam lignea, & fictilia, & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam,* ubi inquit glossa. *In magna domo, quæ est Ecclesia, scilicet domus Dei vivi, columna & firmamentum veritatis.* 2 ad Timotheum 2. *non solum sunt vasa aurea & argentea. Quod dupliciter intelligitur: uno modo per vasa aurea & argentea intelliguntur electi, per lignea & fictilia reprobi, & sic, quod sequitur, quædam in honorem, refertur ad vasa aurea & argentea: quædam in contumeliam, refertur ad lignea & fictilia vasa. Alio modo per vasa aurea & argentea intelliguntur boni in præsenti, sive electi sive reprobi, per lignea & fictilia omnes mali in præsenti, sive reprobi sive electi,*

Greg. hom. 38.

Sagenæ missæ in mare. Matth. 16. Homilia. 11.

Area.

Nuptiarum. Hom. 38.

Arca Noe.

Domus magna.

Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

*electi, & tunc quod sequitur, quædam in honorem, quædam in contumeliam, refertur indifferenter ad utrumque. Primo ergo modo exprimitur sic. In magna domo, id est, in Ecclesia, non solum sunt vasa aurea, id est, electi perfecti, & argentea, id est, electi imperfecti, sed lignea, id est, reprobi apertè mali, æterno incendio præparati, & fictilia, id est, reprobi fictè boni, qui non ita apertè sunt mali: & quædam quidem, scilicet vasa aurea & argentea, sunt in honorem, scilicet in usum honorabilem ordinata, hìc gratiæ & in futuro gloriæ. Quædam autem, scilicet lignea & fictilia, in contumeliam, id est, in usum vilem, hìc culpæ, & in futuro gehennæ. Secundo modo legitur sic. In magna domo, id est, in Ecclesia, non solum sunt vasa aurea & argentea, id est, omnes boni, perfecti & imperfecti, & hoc sive præsciti, sive electi, sed & lignea & fictilia, id est, mali aperti & occulti, & hoc similiter sive electi sive reprobi: & quædam quidem, scilicet ex utrisque, tam ex bonis, quàm ex malis, sunt in honorem, scilicet electi, quidam autem in contumeliam, scilicet reprobi. Ex bonis enim quidam ad tempus tantum boni sunt, tamen in fine sunt mali, & hi sunt in contumeliam: quidam autem perseverantes in bono, & hi sunt in honorem. Similiter de malis quidam ad tempus sunt mali tantum, tamen in fine sunt boni, & hi sunt in honorem: quidam autem sunt perseverantes in malo, & hi sunt in contumeliam.* Ecce quam planum & apertum testimonium sacrarum scripturarum & sanctorum doctorum, quod præsens S. Ecclesia militans continet in se bonos & malos, prædestinatos & præscitos, sicut navicula, quæ Christum cum Apostolis, & Judam continebat, qui & inter Apostolos habebatur Apostolus. *Est ergo*, ait Augustinus super Ps. quinquagesimo primo, in prologo, *regnum terrenum & regnum cœleste, regnum eradicandum, & regnum in æternum plantandum. Modo in hoc seculo cives utriusque regni permixti sunt, corpus regni terreni & corpus regni cœlestis commixtum est.*

Posthæc declaratur prædicta veritas Catholica ratione fundata in veritate divinarum scripturarum & assumitur sic: Ecclesia Catholica est illa Ecclesia, quam fideles profitentur in symbolo tam Apostolorum quam etiam Nicæno cum dicitur: *Credo in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam*, & iterum: *Et unam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam.* Aut igitur profitentur id quod credunt, aut id quod non credunt, aut solum id quod dubitant. Non est dicendum, quod profitentur id quod non credunt, quia tunc mentirentur; nec id etiam quod dubitant, quia tunc non haberent fidem, quæ est firma adhæsio ad credibilia, quam dubitatio excludit. Oportet igitur quod profiteantur id quod firmiter credunt. Aut igitur ulterius credunt se esse de gremio Ecclesiæ Catholicæ quam profitentur, aut non; si non, tunc hæretici mentiuntur, quando dicunt apud eos esse Ecclesiam Catholicam, vel se esse de gremio Ecclesiæ Catholicæ, ex quo non credunt se esse in ea: si sic, oportet quod per aliquid accipiant hujusmodi credulitatem. Aut igitur hoc erit, quia nota est eis prædestinatio, aut quod sint in gratia gratum faciente constituti per se, aut quia habent per revelationem: sed non primo modo, quia cum divina prædestinatio nihil ponat in prædestinato, cùm sit sola divina volicio, qua ab æterno voluit aliquem ad vitam æternam ordinare, non potest esse notà prædestinato, nisi quantum sibi à Deo revelare-

*Si numerus prædestinatorum, aut in gratia constitutorum tantum esset Ecclesia in Symbolo credenda, nulla esset ipsius certitudo, nec esset civitas supra montem posita. Chrys. ho. 10. in Matth. in opere imperfecto. Matth. 5. Psalm. 86. Ephes. 2. Dan. 2.*

tur: Similiter nemo secundum se, nisi sibi revelatur, scit an amore vel odio dignus sit, ut scriptura dicit. Si igitur hæretici credunt se esse de gremio Ecclesiæ Catholicæ, oportet quod habeant hoc per revelationem, & tunc unusquisque eorum examinet coram Deo conscientiam suam, ubi & quando hoc fuerit sibi revelatum. Si igitur numerus prædestinatorum tantum, vel eorum qui sunt in gratia constituti, esset Ecclesia Catholica, patet, quod nulla esset certitudo ipsius: quod nullo modo est dicendum de Ecclesia Catholica, quæ est civitas super montem posita, id est, super Christum ædificata, quæ non potest abscondi, unde Chrysostomus super Matthæum & super hoc verbo, *Non potest civitas abscondi*, & allegat sanctus Thomas eum, *hæc civitas Ecclesia sanctorum est, de qua dicitur in Psalmo: gloriosa dicta sunt de te civitas Dei. Cives ejus sunt omnes fideles, de quibus Apostolus ait: vos estis cives sanctorum, hæc ergo civitas posita est super montem Christi, de quo Danielis 2. dicitur: lapis abscissus sine manibus factus est mons magnus. Sanè non potest abscondi supra Christum posita, etiam si ipsa voluerit, mons enim qui eam portat, facit eam omnibus manifestam, sic & Apostoli & sacerdotes, qui fundati sunt in Christo, non possunt esse absconditi, etiam si voluerint, quia Christus eos manifestat*, hæc Chrysostomus. Quæ idcirco super montem posita describitur, ut & habitantibus in ea sit firma & certa securitas, & ut cunctis exteris pateat ad eam confugere seu venire volentibus: in qua licet gratia Dei insunt, ut firmiter credimus, multi prædestinati & multi in gratia constituti, quorum meritis adhuc durat mundus, non tamen propter prædestinationem aut gratiam, quæ occulta sunt, sancta Ecclesia dicitur Catholica, sed propter communionem unius fidei, sacramentorum, & præceptorum, quæ omnibus possunt esse nota & communia, bonis scilicet & malis. Item prædestinatio & gratia hujusmodi

*Nemo posset ad eam confugere.*

Eccle-

Digitized by Google

Ecclesiæ, quam fingunt adversarii, minus nota est aliis, quàm ipsismet qui se dicunt in eadem existere: igitur quantumcunque fulgerent per mundum bonis operibus, cùm sæpe angelus Sathanæ transfiguret se in angelum lucis, non propter hoc auderet homo se ipsis conjungere, tanquam Ecclesiæ Catholicæ, quia semper dubitandum esset de ipsis, an essent pseudoprophetæ, de quibus cautos nos reddidit Dominus, dicens: *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces*, oportet igitur quod certa & manifesta sint signa & judicia Ecclesiæ Catholicæ, per quæ discernantur oves à lupis, hujus autem signa sunt unitas fidei, unitas sacramentorum & præceptorum Dei. Item Christus, resolvens ultimam correctionem fratris, remisit ad Ecclesiam, ita dicens: *si te non audierit, dic Ecclesiæ, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Aut ergo Christus remisit nos ad aliquem certum judicem, aut incertum. Non est dicendum, incertum, quia tunc nunquam fratris correctio sequeretur. Oportet igitur quod ad certum judicem transmittat nos. Cum igitur Ecclesia prædestinatorum & in gratia constitutorum sit homini incerta, ut dictum est, oportet quod hujusmodi remissio sit ad Ecclesiam, quæ sit nota & certa viatoribus, secundum statum viæ præsentis, cujusmodi est Ecclesia Catholica, in unitate fidei & sacramentorum ubique per orbem perseverans. Ex quibus patet, quod Corpus Christi mysticum, prout in hac valle miseriæ peregrinatur, quod est Ecclesia ejus, non solùm prædestinatos, aut solum in gratia gratum faciente constitutos retinet & comprehendit, sed insimul bonos & malos, fide rectos, Christo capiti adhærentes. Ulterius ex prædictis potest colligi una descriptio Ecclesiæ Catholicæ, talis videlicet, quod Ecclesia est corpus mysticum, organicum, fide Christi animatum. Corpus ponitur loco generis, additur mysticum, ad differentiam corporis naturalis, licet ad similitudinem ejusdem dicatur sic Organicum, propter diversitatem statuum, graduum & officiorum, ad similitudinem diversorum membrorum in corpore naturali, quæ sunt diversa organa, quæ declarans Apostolus inquit prima ad Corinth. 12. *Sicut corpus unum est & multa membra habet, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum corpus sunt, ita & Christus habet multa membra in suo corpore.* & iterum: *vos autem estis Corpus Christi & membra de membro.* Et iterum, *sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi sumus unum corpus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* Et sicut unum membrum servit sibi & toti corpori, sic in Ecclesia militante diversi in diversis statibus & officiis sibi & aliis in Ecclesia subministrant. Ex quibus verbis & sententiis Apostoli clarè habentur prædictæ particulæ tres, scilicet, quod Ecclesia est corpus mysticum, organicum: additur autem, fide Christi animatum, per quam Ecclesia militans in tali esse constituitur, & ab omni alia Ecclesia sive congregatione distinguitur. Dicitur autem animatum fide, quia sicut anima corpus, sic fides animam & specialiter formata per gratiam vivificat, secundum id ad Romanos 1. & 10. ad Hebræos: *justus autem ex fide vivit*, quod non solum intelligendum est de fide formata, sed etiam informi, quia etiam mali fideles per fidem, & in se ipsis vivunt, licet non vita perfecta, & cæteris membris Ecclesiæ ac Christo capiti conjunguntur, & multas vitæ operationes exercent, & ita se habet fidelis peccator ad caput Christi, & ad corpus Ecclesiæ, sicut membrum in corpore naturali, non quidem mortuum totaliter & præcisum, sed tanquam membrum mortificatum & unitum corpori, quia adhuc in ipso est radix vitæ, scilicet ipsa fides. Non igitur verum est, quod fidelis per peccatum moriatur ex toto, aut abscindatur à corpore, ut proponens dicit. Et de mortificatione quidem dicit sanctus Thomas tertia parte Summæ, articulo tertio loquens de hujusmodi peccatoribus fidelibus: *percipiunt*, inquit, *tamen tales, à Christo quendam actum, qui est tradere, sicut si membrum mortificatum aliqualiter moveatur ab homine.* Quod etiam non sint membra abscissa, ostendit Augustinus contra Donatistas, dicens: *Si cujus est manus arida, verum quidem est membrum, quamvis sine sanguine & inefficax, & mortuum, sic & fides cum sit vera, tamen sine operibus mortua est*, & habetur, 1. quæst. 1. sicut urgeri. Alii verò sic describunt Ecclesiam. Ecclesia sancta Catholica militans sive viatrix est universitas fidelium bonorum & malorum, orthodoxam fidem tenentium, in sacramentis Ecclesiasticis societatem habentium: quæ sententia in idem redit cum prima. Sed jam ad id quod in prima generali suppositione præmisimus & sæpe promisimus, gressus nostros dirigamus, scilicet ad probandum, Ecclesiam Catholicam errare non posse, cujus declaratione ponitur talis propositio: Impossibile est Ecclesiam Dei militantem Catholicam errare in his quæ fidei sunt & necessitatis ad salutem. Quæ propositio licet quondam fuerit apud omnes doctores Catholicos, & sanctos & alios fideles, & nunc sit principium fidei per se notum & manifestum, tamen propter quosdam qui eam frivolè difficultant, ad consolationem fidelium, & eorum qui eam difficultant confutationem, ipsam ex fundamentis in æternum fundatis sacræ scripturæ, multipliciter probabimus in præsenti. Et primò quia

SÆC. XV. ANNO 1433.

2. Cor. 11. Matth 7.

Matth. 8.

*Aut fratris peccatum eidem denunciare.*

*Ecclesia Catholica quid?*

*Abacuc 2.*

*Peccator quomodo in Ecclesia.*

3. q. 8. a. 3. ad secundum.

Lib. 4. c. 4.

Cap. 47.

*Alia Ecclesiæ descriptio.*

*Impossibile est Ecclesiam Dei militantem, in his quæ fidei sunt & necessitatis ad salutem, errare.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

quia prædicta propositio virtualiter est articulus fidei, ut patet in symbolis tam Apostolorum quam Nicæno, in quibus fideles profitentur, se credere sanctam Catholicam Ecclesiam. In altero enim dicitur: *Credo in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam*, in altero: *Et unam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam.* Idem autem est credere Ecclesiam Catholicam esse sanctam, & Ecclesiam Catholicam non posse errare in his, quæ necessaria sunt ad salutem, quia pro tempore quo erraret in prædictis, non esset sancta, sed esset maculata errore mortifero peccati mortalis, unde beatus Augustinus in expositione symboli: *Ista est sancta Ecclesia, non habens maculam aut rugam: multi enim & alii Ecclesias congregarunt, ut Marcion, ut Valentinus, ut Hebion, ut Manichæus, ut Arius, & cæteri omnes hæretici, sed illæ Ecclesiæ non sunt sine macula vel ruga perfidiæ, & ideo dicebat de illis Propheta: odivi Ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedebo. De hac autem Ecclesia quæ fidem Christi integram servat, audi quid dicit Spiritus sanctus* in Canticis canticorum, *una est columba mea, una est perfecta genitricis suæ: Qui ergo hanc fidem in Ecclesia susceperit, non declinet in consilia vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introeat*, hæc Augustinus. Ex hoc argumentor sic: Nihil erronei aut falsi subest aut subesse potest articulis fidei; sed prædicta propositio est articulus fidei, ergo sub ipsa aut in ipsa non subest nec potest subesse aliquid erronei aut falsi. Assumptum pro minori parte probatum est, sed major patet, quia qua ratione sub uno articulo daretur falsum, eadem ratione & sub alio, & ipsa tota fides vacillaret, & omnia in dubium verterentur, quod nullo modo est dicendum. Secundo Ecclesia regitur à Spiritu sancto, sed Spiritus sanctus errare non potest, ergo nec Ecclesia. Prima pars innuitur tam per symbolum Apostolorum, quàm Nicænum, cum statim post articulum Spiritus sancti, cum dicitur; *Credo in spiritum sanctum*, subjungitur articulus de Ecclesia, videlicet, *sanctam Ecclesiam Catholicam*, ut sit sensus, Credo in Spiritum sanctum, supple dirigentem, gubernantem, & sanctificantem, sanctam Ecclesiam, imò & vivificantem, ut dicitur in symbolo Nicæno. Unde Albertus Magnus in expositione symboli, quam ponit in tractatu de officio Missæ, dicit: „ Deinde suum bolum posuit Jacobus minor, dicens, sanctam Ecclesiam „ Catholicam, sanctorum communionem: respiciens enim ad hoc, quod sanctus Spi- „ ritus datur & mittitur ad sanctificandum creaturam, quæ sanctitas nunquam fallit „ in Ecclesia, sed nonnunquam fallit in persona, dixit, sanctam Ecclesiam, & quia „ omnis articulus fundatur in divina & æterna veritate, & non super creatam verita- „ tem, quia omnis creatura vana est, & non habet solidam veritatem, ideo iste arti- „ culus sic resolvendus est, ad proprium opus Spiritus sancti, hoc est, credo in Spi- „ ritum sanctum non solum secundum se, sicut dixit præcedens articulus, sed etiam „ credo in eum, secundum proprium opus ejus, quod est, quod sanctificat Ecclesiam, „ quam sanctitatem profudit in sacramentis & virtutibus & donis, quæ dat ad sancti- „ tatis perfectionem, & eandem in miraculis & donis gratis datis, sicut sapientia, „ scientia, fides, discretio spirituum, operatio sanitatum & prophetia, & hujusmo- „ di quæ dat Spiritus ad sanctitatis Ecclesiæ demonstrationem", hæc Albertus. Similiter patet per illud Joh. 14. *Rogabo patrem, & alium paraclitum dabit vobis*, similiter per illud, *paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia:* Et per illud: *multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò, cum autem venerit Spiritus veritatis, ille vos docebit omnem veritatem*, per quæ omnia & similia datur manifestissimè intelligi, commissum fuisse regimen Ecclesiæ Spiritui sancto, Christo, præsentia corporali, ab Ecclesia recedente, secundum illud: *Si ego non abiero, paraclitus non veniet ad vos, si autem abiero, mittam eum ad vos*, & Spiritus sanctus docuit Ecclesiam omnem veritatem, scilicet ad salutem necessariam, & in signum hujus invisibilis missionis & assistentiæ Spiritus sanctus fuit datus in die Pentecostes in signo visibili, scilicet in linguis igneis, Apostolis & cæteris fidelibus, in quibus pro tunc erat Ecclesia, & qui eam constituebant. Secunda pars patet, quia Spiritus sanctus dicitur à Christo Spiritus veritatis, qui à patre procedit, & cum sit Deus, qui est prima veritas, errare non potest. Sed fortasse dicit adversarius, quod prædicta verba sunt de Apostolis & primitiva Ecclesia, quando Ecclesia erat in vera imitatione doctrinæ & vitæ Christi constituta, sed recedente ab imitatione Christi, & immergente se vitiis & peccatis, recessit ab ea Spiritus sanctus, qui non habitat in corpore subdito peccatis, & per consequens, incidit in varios errores & hæreses. Sed contra Christus promisit indefectibilem sui assistentiam Ecclesiæ, usque ad consummationem seculi, ideo prædicta non solum intelliguntur de Apostolis, & primitiva Ecclesia, sed simpliciter de Ecclesia duratura usque ad finem seculi. Assumptum patet Matth. ult. cap. *Euntes docete omnes gentes &c.* Et subdit: *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* Manifestum est autem quod Apostoli non sunt, nec erunt in hoc mundo usque ad consommationem seculi, non igitur pro ipsis solis dictum est, sed & pro successoribus eorum duraturis usque ad consummationem

*Aliquis non esset pro tempore, quo erraret, sancta.*

*Expositio illa est Rufini, habetur in tertio tomo Cypriani.*

*Psal. 25.*

*Can. 6.*

*Non regeretur à Spiritu sancto.*

*Joan. 16.*

*Non duceretur in omnem veritatem usque ad consummationem seculi.*

*Sap. 1.*

Digitized by Google

tionem ſeculi. Unde Chryſoſtomus in homilia ſuper hoc eodem paſſu: *Quia verè eis magna injunxerat, erigens eorum ſenſus dicit: Ecce ego vobiſcum ſum, quaſi dicat, ne dicatis, difficile eſſe injunctum negotium, ego ſum vobiſcum, qui omnia facio levia, non autem cum illis ſolum dixit ſe futurum eſſe, ſed & cum omnibus qui poſt illos credunt, non enim uſque ad conſummationem ſeculi Apoſtoli manſuri erant, ſed ſicut uni corpori fidelibus loquitur*, hæc Chryſoſtomus. Item Beda: *Ex hoc autem intelligitur quod uſque ad finem ſeculi non ſunt defuturi in mundo, qui divina manſione & inhabitatione ſint digni in Eccleſia.* Item in gloſſa ordinaria habetur ſic: *Quod Apoſtolis, per ſucceſſionem univerſali Eccleſiæ promittit. Nota quod uſque ad finem ſeculi.* Item Hieronymus ibidem: *qui ergo uſque ad conſummationem ſeculi cum diſcipulis ſe eſſe promittit, & illos oſtendit ſemper eſſe victuros, & ſe nunquam à credentibus receſſurum:* hæc Hieronymus. Si igitur Eccleſia aliquo tempore erraſſet, aut erraverit de facto, quomodo Chriſtus erit aut fuit ſemper cum ea omnibus diebus? Similiter etiam promiſit aſſiſtentiam Spiritus ſancti uſque in æternum ita dicens, Joan. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis.* Sed dicet adverſarius, prædicta verba dicta ſunt Apoſtolis, cum quibus fuit Chriſtus, quamdiu fuerunt in hac vita, eos hîc per gratiam protegendo & in perſecutionibus adjuvando, & poſt hanc vitam fuit & erit cum eiſdem per gloriam, uſque ad conſummationem ſeculi, & uſque in æternum cum eiſdem manebit Spiritus ſanctus, unde prædicta verba non videntur extendi ad alios, ſed tantùm ad Apoſtolos: Contra hoc expreſsè eſt intentio Chriſti, quia mittens eos in mundum univerſum prædicare & docere omnes gentes, dixit eis: *Ego vobiſcum ſum, uſque ad conſummationem ſeculi:* ibi enim promiſit ſe permanere cum eis, quo ipſos mittebat, uſque ad conſummationem ſeculi. Cum ergo in mundum eos mitteret; in mundo ſe eſſe cum eis promiſit manifeſtè & cum eiſdem manſurum Spiritum ſanctum, & hoc eſt etiam quod dixit ſuperius Chryſoſt. Beda & Hieronymus. Præterea Chriſtus fuit exauditus in omnibus petitionibus & rogaminibus, ſed ipſe rogavit pro fide Petri, ut non deficiat, Ergo fides Petri non deficiet, nec deficit. Primum patet ad Hebræos quinto, ubi dicit Apoſtolus, quod Chriſtus, exauditus eſt pro ſua reverentia, & Joan. 11. ubi Chriſtus ait: *pater gratias ago tibi quoniam audiſti me. Ego enim ſciebam quia ſemper audis me.* Secundum patet Lucæ 22. ubi Dominus ait ad Petrum: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*, hoc autem non poteſt intelligi de fide perſonali Petri; quia in illa defecit in terna abnegatione, ut patet ex textu Evangelii, & ſimiliter patet ex verbis conſequentibus, cum ſubjungitur: *& tu aliquando converſus, confirma fratres tuos*, qui utique non diceretur converſus, niſi fuiſſet prius à fide propria averſus. Intelligendum eſt igitur, quod Chriſtus rogaverit pro fide, quam ipſe confeſſus fuerat, dum dixit: *tu es Chriſtus filius Dei vivi*, & ſuper quam ipſe Chriſtus fundavit ſuam Eccleſiam, eodem Domini dicente. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Pro fide igitur Eccleſiæ Chriſtus rogavit ut non deficeret, & non pro fide perſonali Petri. Quare ſi in aliquo neceſſariorum ad ſalutem pro aliquo tempore erraret aut erraſſet Eccleſia totaliter, Chriſtus Dominus & prima veritas non dixiſſet verum, nec fuiſſet exauditus, pro ſua reverentia, quod eſt contra prædicta, & omninò falſum: unde Albertus Magnus ſuper eodem paſſu, *ego rogavi ut non deficiat*, ſcilicet finaliter, *fides tua. Hoc argumentum efficax eſt pro ſede Petri & ſucceſſore ipſius, quod fides non finaliter deficiat. Naum primo: Non adjiciet ultra, ut per tranſeat per te Belial, univerſus interiit:* hæc Albertus. Item Gorram, *fides tua, id eſt, Eccleſiæ tibi commiſſæ, ſcilicet Romanæ Eccleſiæ. Unde hoc eſt argumentum quod fides Romanæ Eccleſiæ, quam in ea Petrus plantavit, ſit ſemper duratura.* hæc ille. Item quod Chriſtus rogaverit non ſolum pro Petro & Apoſtolis, ſed pro omnibus ſequentibus, patet manifeſte Joan. 17. ubi cum præmiſiſſet ardentiſſimæ caritatis pro ipſis diſcipulis orationem, ut, *Pater ſancte, ſerva eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, ut unum ſint, ſicut & nos*, & infra: *ſanctifica eos in veritate: Sermo tuus veritas eſt, ſicut tu me miſiſti in mundum, & ego miſi eos in mundum, & ego pro eis ſanctifico me ipſum, ut ſint & ipſi ſanctificati in veritate.* Poſt hæc ſubjunxit, *Non pro eis rogo tantum, ſed & pro eis qui credituri ſunt per verbum eorum in me, ut omnes unum ſint, ſicut tu pater in me, & ego in te, ut mundus credat quia tu me miſiſti.* Et patet quod omnes qui crediderunt, & credunt, ſive credent uſque ad finem ſeculi in Chriſtum, credunt in ipſum per verbum & doctrinam Apoſtolorum: quamobrem & in ſymbolo Nicæno profitemur *Eccleſiam Apoſtolicam*, non alia de cauſa, niſi quia in verbo & doctrina Apoſtolica fundata eſt, dicente Apoſtolo ad Epheſios. *Jam non eſtis hoſpites & advenæ, ſed eſtis cives ſanctorum & domeſtici Dei, ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum &c.* Unde & Joan. in Apocalypſi 21. deſcribens murum civitatis ſanctæ Jeruſalem, quæ eſt Eccleſia militans, deſcribit eam habere 12. fundamenta, & in ipſis nomina 12. Apoſtolorum & agni. Si igitur

SÆC. XV. ANNO 1433.

*Hom. 91. in Matth.*

*S. Thomas in Catena ſuper hoc caput.*

*S. Hieron. in cap. Matth. 28.*

*Deficeret fides Petri contra promiſſionem Chriſti.*

*Albert in cap. 22. Luca.*

*Item aliorum Apoſtolorum pro quibus Chriſtus rogavit.*

*Ephes. 2.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

aliquando deviaſſet Eccleſia ab hoc fundamento, ſeu fundamentis doctrinæ Apoſtolicæ per errorem, ſequeretur quod Chriſtus non fuiſſet exauditus, ut prius. Præterea ſi Eccleſia poſſet errare in his quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem, ſequeretur, quod non eſſet ſecuritas, neque aliqua certitudo credibilium exiſtentibus in ea, & per conſequens nec aliqua fides: patet, quia qua ratione unus articulus & unum dogma Eccleſiæ in dubium verteretur, eadem ratione & omnia alia per ipſam prædicata & ordinata: ſicut ſi quis dubitaret, an Chriſtus reſurrexerit, eadem ratione dubitaret, an in cœlum aſcenderit, & ſimiliter de aliis, & ita non haberet ſecuritatem certitudinis de aliquo; & cum dubius in fide, infidelis ſit, ut habetur cap. 1. de hæreticis, quia fides cum dubitatione ſtare non poteſt, ſequitur manifeſtè, quod ſi Eccleſia errare poſſet, quod nulla ſecuritas certitudinis eſſet in ea, & per conſequens fides non eſſet in Eccleſia, quod eſt omninò contra Chriſtum, indefectibilem ſecuritatem Eccleſiæ ſuæ promittentem, qui ait Petro: *ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*, ſuper quo verbo ait Hiero: *portas inferi*, inquit, *vitia reor eſſe atque peccata* (quoad agenda) *vel certè hæreticorum doctrinas* (quoad credenda) *quæ adverſus Eccleſiam prævalere non poſſunt:* nec poteſt dicere adverſarius, quod aliunde capiat certitudinem, aut ſecuritatem credendorum, quam ab Eccleſia, quia aut eam haberet à Deo per ſingularem inſpirationem, aut ab aliquo homine particulari, aut fortè per Evangelia quæ continent doctrinam Chriſti. Sed non primo modo, quia talis inſpiratio cum ſit occulta & ſupernaturalis, oporteret quod aliquibus ſignis ſupernaturalibus, ſeu miraculis manifeſtaretur, quemadmodum doctrina Apoſtolorum confirmabatur ſignis & miraculis. Si igitur doctrina adverſariorum habetur per inſpirationem, oſtendant ſigna & miracula, & credemus eis, quod non facient in æternum, quia ſumma veritas, cujus eſt miracula facere, non poteſt perhibere teſtimonium mendacio & falſitati: ſimiliter nec ſecundo modo, quia multo magis poteſt errare quilibet particularis homo, quam Eccleſia univerſalis, ut patet, quia plura vident & ſubtilius oculi, quàm oculus: ſimiliter nec tertio modo, quia nec ipſa Evangelia haberent certitudinis ſecuritatem, niſi fuiſſent ab Eccleſia approbata & acceptata. Cum enim multa Evangelia & actus reperiantur, quæ dicuntur fuiſſe ab Apoſtolis compilata, ſic enim legitur in decretis diſ. 15. *Actus nomine Andreæ Apoſtoli apocryphi, actus nomine Petri apocryphi, actus nomine Philippi Apoſtoli apocryphi, actus nomine Thomæ apocryphi, Evangelium nomine Thaddæi Apoſtoli apocryphum, Evangelia nomine Thomæ Apoſtoli, quibus Manichæi utuntur, apocrypha, Evangelia quæ falſavit Lucianus, apocrypha, Evangelia quæ falſavit Hyrcius, apocrypha*: & infra: *revelatio quæ appellatur Pauli, apocrypha. Revelatio quæ appellatur Thomæ, apocrypha: Revelatio quæ appellatur Stephani, apocrypha:* Cum itaque omnia prædicta Evangelia, & cæteri libri prænominati reperiantur ſcripti, unde certi ſunt adverſarii quod iſta quatuor Evangelia contineant veritatem, alia verò non, & quod iſta ſcripta ſunt à veris Apoſtolis, & non illa? quodque illa falſificata ſint, & non iſta, & per conſequens iſta quatuor ſint recipienda, alia verò tanquam falſa reſpuenda? cùm ipſi non audiverint Chriſtum prædicantem, nec docentem, nec viderint ipſum mirabilia facientem, nec alia dicta aut facta ipſius, quæ in dictis quatuor Evangeliis ſcripta ſunt, nec ulterius viderint hos quatuor Evangeliſtas magis quàm alios, ut poſſent ex doctrina, vita aut miraculis magis approbare iſtorum Evangelia, quàm aliorum, niſi quia univerſalis Eccleſia iſta quatuor recipit, illa vero reſpuit: Si ergo univerſalis Eccleſia non dirigeretur à Spiritu ſancto, in his quæ fidei ſunt & de neceſſitate ſalutis, & poteſt in illis errare, ſequitur, quod in recipiendo illa quatuor Evangelia, & alia reſpuendo, errare potuerit; & ita vertetur in dubium, an iſta quatuor Evangelia contineant doctrinam, facta & miracula Chriſti. Et ulterius, quidquid prædicti adverſarii affirmant ex dictis doctorum Evangeliorum, totum erit dubium, & ſic apud eos nihil erit certum in fide, aut ſecurum, & conſequenter nullam habebunt fidem: Hoc profecto intellexit Auguſtinus, cum dixit in libro contra epiſtolam fundamenti, & etiam contra Fauſtum hæreticum, & in multis aliis locis: *non crederem Evangelio, niſi me auctoritas Eccleſiæ commoveret*: Si dicat adverſarius, accepto hæc quatuor Evangelia & non alia, quia primitiva Eccleſia, quæ propter aſſiſtentiam Spiritus ſancti errare non poterat, illa reſpuit, & iſta acceptavit, quibus tamen non crederem, ſi ea moderna, à qua propter vitia & peccata receſſit Spiritus ſanctus, tantummodo, aliis ſpretis, acceptaſſet: Contra quod poteſt argui ut ſuperius, per illud Chriſti: *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſeculi*, &c. præterea cum prædicti adverſarii non fuerint in primitiva Eccleſia, unde ſciunt, quod ipſa hæc acceptaverit, & alia reſpuerit; revera non aliunde quàm ex atteſtatione modernæ Eccleſiæ, cujus atteſtatio ſi dubia fuerit, multo magis & id quod atteſtatur, ſub dubio remanebit. Præterea cum hæc Evangelia veram Chriſti doctrinam, facta & mirabilia contineant, utique ad veram & certam fidem habendam, intelligentia in verbis & factis Chriſti opus eſt, ut

*Nulla eſſet ſecuritas ullius fidei articuli.*

*Matth. 10.*

*Qui dicunt ſe habere doctrinam Domini, per inſpirationem & revelationem privatam, per miracula & ſigna probare debent.*

*Cap. 3. Sancta Romana.*

*Cap. 5*

Digitized by Google

ut videlicet eum sensum in verbis Christi apprehendamus, quem ipse Christus intendit, alioquin non haberemus veram doctrinam ejus, neque fidem, quemadmodum contingit pauperibus Lugdunensibus, qui secundum literalem sensum, sed non Christi, illud dictum intelligentes: *Si oculus tuus scandalizaverit te; erue eum & projice abs te*, oculos sibi eruebant, cum contingebat eos peccare per oculos, qui utique sic facientes, non habebant sensum Christi: non enim Dominus eruitionem corporalem oculorum, sed spiritualem vitiorum, quæ per oculos & alia membra committuntur, præcipit ibidem: unde & Joan. 6. loquens de manducatione & bibitione sui corporis & sanguinis, cum diceret: *nisi manducaveritis &c.* manifeste scandalisati etiam discipulorum quidam, retro abierunt, putantes ipsum loqui de carnali manducatione, subjunxit: *Spiritus est qui vivificat, caro autem non prodest quicquam:* & Paulus Apostolus: *Spiritus autem vivificat*, quia in intelligendo sacras scripturas non semper literalis sensus & grammaticalis est accipiendus, sed mysticus & spiritualis est requirendus, ut superius dictum est. Cum ergo quilibet particularis homo in intelligendo doctrinam Christi & verba ejus possit errare & decipi, quemadmodum & omnes hæretici decepti sunt, qui ex aliquo dicto sacræ scripturæ malè intellecto, sui erroris occasionem sumpserunt & originem: dicente Augustino homilia super Joan. 18. *Neque enim natæ sunt hæreses, & quædam dogmata perversitatis illaqueantia animas, & in profundum præcipitantia, nisi dum scripturæ bonæ intelliguntur non benè, & quod in eis non benè intelligitur, etiam temerè & audacter asseritur. Itaque carissimi, valde caute audire debemus, ad quæ capienda parvuli sumus, & corde pio & cum tremore, sicut scriptum est, hanc tenentes regulam sanitatis, ut quod secundum fidem qua imbuti sumus, intelligere valuerimus, tamquam de cibo gaudeamus, quod autem secundum sanam fidei regulam intelligere non potuerimus, dubitationem auferamus, intelligentiam differamus: hoc est, ut etiam si quid sit nescimus, bonum tamen & verum esse minimè dubitemus. Et ego, fratres, qui suscepi loqui vobis, cogitandus sum à vobis qui susceperim, & quæ susceperim. Suscepi enim tractandi divina homo, spiritualia carnalis, æterna mortalis. Etiam à me, carissimi, longè sit vana præsumptio. Si volo sanus in domo Dei conversari, quæ est, Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis, pro modulo meo capio, quod vobis appono, ubi aperitur, pascor vobiscum; ubi clauditur, pulso vobiscum:* hæc Augustinus. Et si similiter universalis Ecclesia posset errare in intelligendo & exponendo doctrinam Christi, sequitur manifestè, quod nullus esset certus de vero intellectu scripturam, & per consequens de fide, quæ ex vero intellectu scripturarum accipitur, & sic omnes essent infideles, cujusmodi sunt adversarii, asserentes Ecclesiam universalem posse errare in his quæ fidei sunt & necessitatis ad salutem. Nec sufficit, quod aliquis confiteatur ore verba, nisi etiam sine dubitatione credat intelligentiam & significationem verborum Christi, quia utrumque Apostolus ad Rom. 10. conjunxit, inquiens: *corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Unde si quilibet particularis homo potest errare, & similiter Ecclesia universalis, in accipiendo veram significationem verborum Christi, patet, quod nullus haberet fidem quæ omnimodam excludit dubitationem, ex quo intelligentia verborum Christi sub dubio remaneret. Dicendum est igitur, universalem Ecclesiam in exponendo Evangelia & sacram scripturam errare non posse, & à Spiritu sancto dirigi, ac eidem, tamquam infallibili & divinæ regulæ, debere quemlibet fidelem adhærere, & qui non faciunt, pro hæreticis sunt habendi. Unde sanctus Thomas secunda, secundæ q. 5. articulo tertio dicit: *Objectum fidei est veritas prima, secundum quod manifestatur in scripturis sacris & doctrina Ecclesiæ. Unde quicunque non inhæret sicut infallibili & divinæ regulæ, doctrinæ Ecclesiæ, quæ procedit ex veritate prima in sacris scripturis manifestata, non habet habitum fidei.* Et infra: *Et sic manifestum est quod hæreticus, qui pertinaciter discredit unum articulum, non est paratus in omnibus sequi doctrinam Ecclesiæ:* & infra: *unde & manifestum est, quod talis fidem non habet de aliis articulis, sed opinionem quandam secundum propriam voluntatem:* & infra in responsione ad secundum argumentum dicit: *omnibus articulis fidei inhæret fides propter unum medium, scilicet propter veritatem primam propositam nobis in scripturis, secundum doctrinam Ecclesiæ sanè intelligentis, & ideo qui ab hoc medio decidit, totaliter fide caret:* hæc S. Thom. Sed forte diceret adversarius, volens fugere verum Ecclesiæ judicium, se velle intelligere scripturas secundum expositionem doctorum, & non Ecclesiæ. Contra, quia sicut dictum est de Evangeliis, cum multi scripserint & exposuerint scripturas & Evangelia, unde ipsi adversarii erunt certi, qui doctorum fuerint & sint boni, & sequendi, & qui mali, & respuendi. Cum non omnes indifferenter acceptentur, nec etiam respuantur, propter contrarietatem & diversitatem plurium ipsorum, circa eundem passum scripturarum, manifestum est, quod hoc judicium & discretio Ecclesiæ relinquitur, & non alicui particulari homini, ut patet in decretis dis. 15. ubi illi Doctores approbati vel reprobati habentur, quos Ecclesia approbat

SÆC. XV. ANNO 1433.

Pauperum Lugdunensium doctrina. *Matth. 18.*

*2. Cor. 3.*

*Tractatu 18. in Joannem.*

*Nemo esset certus de ullo scripturæ sensu.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

vel reprobat. Quis enim adversariis indicavit, Beatum Augustinum, vel Hieronymum, vel quemcunque alium esse sanctum, & doctorem Catholicum, nisi approbatio Ecclesiæ? Et si dicat, quod ex vita ipsius; unde scit, legendam ipsius non esse apocrypham, nisi ex auctoritate Ecclesiæ? quæ si potuit & potest errare in aliis, utique & in hac doctorum approbatione. Præterea cum inter doctores multa sit varietas opinionum & contrarietas, & sæpe circa idem dictum doctoris ejusdem multa contingat ambiguitas, Necesse est, per aliquem doctorem infallibilem tolli hujusmodi dubia, & declarari, & cum quilibet particularis homo falli possit & errare, necesse est, quod Ecclesia sit hujusmodi infallibilis expositor & doctor credendorum & agendorum. Præterea nemo debet majorem fidem dictis & expositionibus doctorum adhibere, quàm ipsimet doctores sibi ipsis adhibuerunt, vel ab aliis adhiberi voluerunt: sed ipsi in dictis & expositionibus ipsorum sæpe dubitabant, & ne damnabiliter errarent, in omnibus se & sua dicta omnia correctioni Ecclesiæ subjiciebant. Ergo fideles non debent expositiones doctorum certitudinaliter esse veras reputare, nec eis certam fidem adhibere, nisi in quantum fuerint doctrinæ Ecclesiæ consonæ, vel per Ecclesiam approbatæ. Minor patet pœne per omnes doctores, qui sua dicta corrigenda Ecclesiæ vel summo pontifici subjiciebant. Unde 24. quæst. 1. *quotiens fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres nostros & coëpiscopos non nisi ad Petrum, id est, sui nominis & boneris authorem, referri debere.* Contra cujus auctoritatem nec Hieronymus, nec Augustinus, nec aliquis sacrorum doctorum suam sententiam defendit. Sic enim dicit Hieronymus eadem quæstione: *Hæc est fides, Papa beatissime, quam in Catholica didicimus Ecclesia, quamque semper tenuimus & tenemus: in qua si minus peritè, aut parum cautè forte aliquid positum est, cupimus emendari à te, qui Petri fidem & sedem tenes. Si autem hæc nostra confessio Apostolatus tui judicio approbatur, quicumque me culpare voluerit, se imperitum, vel malevolum, vel etiam non Catholicum, sed hæreticum comprobabit.* Beatus etiam Bernardus in epistola ad canonicos Lugdunenses ita dicit: *quæ autem dixi, absque præjudicio sanè dicta sint sanius sapientis, Romanæ præsertim Ecclesiæ auctoritati atque examini totum hoc, sicut & cætera quæ ejusmodi sunt universa, reservo, ipsius, si quid aliter sapio, paratus judicio emendare.* Similiter sanctus Thomas in procœmio super Evangelia scribens Papæ Urbano quarto, ita dicit: *Suscipiat itaque vestra sanctitas opus vestro discutiendi corrigendique judicio, vestræ solicitudinis, & obedientiæ meæ fructum, ut dum à vobis emanavit præceptum, vobis etiam reservetur finale judicium; ad locum unde exeunt flumina, revertantur.* Idem secunda secundæ quæst. 2. articulo 10. dicit, *maximam habet auctoritatem Ecclesiæ consuetudo, quæ semper est in omnibus æmulanda, quia & ipsa doctrina Catholicorum doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet. Unde magis est standum auctoritati Ecclesiæ quàm auctoritati Augustini vel Hieronymi vel cujuscunque doctoris:* hæc sanctus Thomas. Ecce quomodo & quàm manifestè se & dicta sua sancti doctores correctioni sanctæ matris Ecclesiæ subjiciunt, unde & nullum dictum alicujus sancti valet, si contra determinationem Ecclesiæ allegaretur, quia auctoritas Ecclesiæ semper major est auctoritate cujuscunque quantumcunque docti aut sancti viri, & per consequens, omnibus æmulanda: præterea si dicunt adversarii, se velle intelligere scripturas secundum expositionem doctorum, & non Ecclesiæ, tunc aut ipsi stabunt expositioni doctorum viventium, aut eorum qui ab hac vita migraverunt. Si primo modo, cum inter viventes sæpenumero, imò sæpissimè contrarietas oriatur, & dissensio, ut patet specialiter, inter doctores Catholicos & hæreticos; ad contrarietatem & dissensionem hanc tollendam, quis erit judex in vita præsenti, nisi Ecclesia? Si secundo modo, ut quidam doctorum adversariorum dicunt, tunc si discordia oriatur de intellectu auctoritatum sanctorum doctorum jam defunctorum, quis erit judex? nunquid alii doctores defuncti; tunc erit processus in infinitum, quod est omninò absurdum: dicendum igitur est, quod tam dicta doctorum viventium quam defunctorum, ad judicium Ecclesiæ tanquam ad (a) ineffabilem & divinam regulam sunt referenda, & ejus sententia tam in expositione scripturarum sanctarum, quàm intelligendo dicta doctorum, & in aliis necessariis ad salutem, tamquam divino ore prolata, à cunctis Christi fidelibus est amplectenda & acceptanda. Præterea ad principale propositum redeundo, inter Christum & Ecclesiam est matrimonium spirituale, teste Apostolo; qui ex verbis protoplasti dicentis, *& erunt duo in carne una:* concludit, *sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & Ecclesia.* Sed sicut in matrimonio carnali præcipuè fides thori exigitur, sic & in spirituali, dicente Propheta: *desponsabo te mihi in fide:* sicut igitur fractionem fidei in thoro adulterii macula sequitur, sic & in matrimonio spirituali deviatio ab his quæ fidei sunt & necessaria ad salutem, sequitur macula erroris, & per consequens adulterii spiritualis, quod est contra Apostolum dicentem ad Ephesios 5. quod Christus tradidit semetipsum pro Ecclesia, ut exhiberet eam sibi gloriosam, non habentem maculam, neque rugam, neque aliquid hujusmodi. Præterea quicunque

*Tolli diversitas opinionum variorum doctorum non posset.*

*Neque doctores sancti se judicio Ecclesiæ & sedis Apostolicæ submisissent. Innocentius Papa epist. 26. Cap. 14.*

*Bernardus epist. 174.*

(a) *Infallibilem.*

*Ephes. 5.*

*Ose. 2.*

dat

Digitized by Google

dat alicui ex caritate id quod incomparabiliter majus est respectu alicujus finis consequendi, dat ei etiam id quod minus est, respectu ejusdem, & tanto amplius, quanto magis est necessarium ad dictum finem consequendum. Sed Christus dedit sponsæ suæ, Ecclesiæ, seipsum, ut patet per Apostolum immediatè allegatum, quod incomparabiliter majus est, quam ipsam non sinere errare in his quæ fidei sunt. Ergo eidem contulit, ut nullo modo possit errare in prædictis, quod est maximè Ecclesiæ necessarium, quia ad ipsius salutem. Si igitur Christus ex caritate seipsum tradidit Ecclesiæ, & pro Ecclesia; si Deus pater mundum sic dilexit, ut filium suum unigenitum daret, ut ait Apostolus, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo nobis omnia donavit? & si omnia; quomodo assistentiam sui, seu Spiritus sancti indefectibilem nobis, seu suæ Ecclesiæ, qui eam non sinat errare in his quæ necessaria sunt ad salutem, non donavit? *commendat Deus suam caritatem in nobis*, inquit Apostolus ad Romanos quinto, loquens in persona omnium Ecclesiam constituentium; *quoniam si cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est, multo magis nunc justificati in sanguine ipsius salvi erimus.* Quomodo autem nos vel Ecclesia salvi erimus, si in his quæ fidei sunt erraverimus? aut quomodo derelinquet Ecclesiam, ex fidelibus collectam, lavacro baptismi regeneratam & suo sanguine pretiosissimo redemptam, ut non ei assit in his, quæ necessaria sunt ad salutem? Si pro ea dum adhuc ex infidelibus, & peccatoribus atque idololatris colligebatur, tam turpissimam & ignominiosissimam mortem sustinuit, ut exhiberet sibi eam gloriosam, non habentem maculam neque rugam, ut dictum est. Et hæc profectò conclusio & intentio Pauli est, in prædictis verbis: *commendat Deus suam caritatem &c.* Præterea nullus sapiens sui ipsius, aut ejus, quod ex caritate & dilectione vera, amantem in amatum transformante, se ipsum reputat, dum potest & valet, curam & providentiam prætermittit: sed Christus tanto caritatis affectu Ecclesiam diligit, ut non aliam & aliam, sed unam & eandem personam se & Ecclesiam reputet, ut patet Actuum nono, ubi Christus ad Saulum loquens, Ecclesiam persequentem, ait: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Christus enim jam in cœlo regnabat, & Saulus in terra non ipsum, sed membra sua, & fideles suos persequebatur, & tamen transformans caritas cogebat ipsum persecutionem sponsæ propriam reputare, & unam eandemque personam fateri, cum ait, *quid me persequeris?* sic & in fine mundi, mundum judicaturus dicet, *quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*, ergo Christus cum potens sit & valeat, nunquam sponsæ suæ, Ecclesiæ, providentiam prætermittit & curam. Præterea quanto gratia est potior natura, tanto & divina providentia, quæ est secundum gratiam, est potior & efficacior respectu provisorum, quàm sit providentia, quæ est secundum naturam: Sed divina providentia quæ est secundum naturam, nunquam deficit universaliter: ergo nec secundum gratiam deficiet totaliter, ut videlicet Christus sponsam suam Ecclesiam, quam indefectibiliter gubernat secundum esse naturæ, & eidem providet secundum conditionem suæ naturæ, permittat errare in his quæ maximè necessaria sunt ad statum gratiæ & salutis, cujusmodi est errare in fide. Præterea Ecclesia Christianorum est multo præstantior, quàm fuerit Synagoga Judæorum: patet tam ratione legis, quàm sacerdotis, sacramentorum, & omnium in ea contentorum. Sed Deus nunquam ex toto deseruit Synagogam Judæorum, pro tempore quo ipsam durare oportuit, nec eam errare permisit circa fidem, de qua Isaiæ 21. *Super speculum Domini ego sum stans jugiter per diem, & super custodiam meam ego sum stans totis noctibus:* & ejusdem 49. dicit Dominus: *Nunquid potest mulier oblivisci infantem suum? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui:* quæ omnia & infinita hujusmodi dicta sunt ad literam de Synagoga, pro tempore suæ durationis: unde & Pharisæorum doctrinam Dominus tamquam veram, licet ipsi essent mali, approbavit, cum dixit: *supra cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi &c.* Ergo nec Ecclesiam Deus deserit, aut errare permittit, in his quæ sunt necessaria ad salutem, pro toto tempore durationis suæ, quod quidem durabit usque ad consummationem seculi: præterea omnis architectus sapiens ædificat domum suam firmiter, tantum quantum scit & potest, sive supra firmam petram, sive aliter. Sed Christus fuit & est sapientissimus architectus: ergo ædificavit domum suam, quæ est Ecclesia, firmiter, & supra firmam petram: major patet per Apostolum, qui ait: *ut sapiens architectus fundamentum posui.* Et Matth. 7. *Similis est sapienti, qui ædificavit domum suam supra firmam petram:* minor etiam patet, quia Christus Dei sapientia & Dei virtus secundum Apostolum, est etiam architectus, quia ædificavit Ecclesiam secundum illud: *tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Si ergo Ecclesia posset errare, aut erravit aliquando, ut dicunt adversarii, sequitur manifestè, quod Christus non ædificaverit Ecclesiam suam firmiter & supra firmam petram, & per consequens, quod non fuerit architectus sapiens, & quod falsum dixisset, quod portæ inferi non prævalerent adversus eam; quæ omnia sunt à fide aliena. Dicendum est igitur & concludendum firmiter, quod licet descendat plu-

SÆC. XV. ANNO 1433.

*Si Christus sponsæ suæ dedit seipsum, cur non & gratiam ne falli queats.* Joan. 3. Rom. 5.

*Nullus verus amator, amati curam & providentiam deponit, multò minus Christus Ecclesiæ.*

Matth. 25.

*Si providentia in naturalibus non deficit, multò minus in gratuitis.*

*Synagogam non deseruit, quomodo Ecclesiam?*

Matth. 23.

*Non imperfectum relinquit Christus ædificium suum, quod supra firmam petram statuit.* 1. Cor. 3. Matth. 16.

Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

pluvia, flent venti, veniant flumina hæreticorum & malorum hominum, & irruant in domum hanc Ecclesiæ Catholicæ, non tamen cecidit, neque cadet, quia firmata est supra firmam petram. Unde & Apostolus vocat eam columnam & firmamentum veritatis, 1. Timoth. 3. ita scribens Timotheo: *scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis:* super quo Ambrosius in epist. ad Timoth. ita dicit: *cum totus mundus Dei sit, Ecclesia tamen domus ejus dicitur, cujus hodie rector est Damasus. Mundus enim in prævaricatione est, diverso turbatus errore, ideo illic necesse est, ut dicatur esse domus Dei & veritas, ubi secundum voluntatem suam timetur.* Hæc Ambrosius. Ecce quam apertè hic doctor declarat, ubi sit Ecclesia, quæ est domus Dei, illa scilicet & ibi, cui tempore suo, Damasus Papa præsidebat, S. Ecclesia Romana. Tenendum itaque est fide inconcussa, Ecclesiam Christi & Petri naviculam, quamvis agitetur multis interdum turbinibus, in hoc tempestuoso mari & procelloso, nunquam privari præsentia Christi, & gubernaculo Spiritus sancti, qui eam non sinit errare in his quæ fidei sunt, & necessitatis ad salutem. Cætera quæ de Ecclesia erant dicenda hoc in loco, gratia brevitatis, dimissa sunt, cum hæc in audientia publica fuerint recitata.

Communionis virtus.

PRosequendo responsionem inchoatam die Sabbati ad dicta magistri proponentis in materia articuli communionis sub utraque specie, quia coarctor temporis brevitate, non valeo omnia dicta ejus, ut oportunum esset, perscrutari, tamen ne clausis oculis pertranseam illa, quæ mihi videntur in positione sua difficultatem habere, referam per articulos, discussionem eorum sequentibus reverendis magistris & doctoribus relinquendo; curabo autem pro præsenti ad ea solum respondere, quæ faciunt, vel videntur facere contra intentionem meam, in articulo proposito per eundem. In primis igitur post ea, quæ de insufficientia protestationis dicta sunt, & de acceptione Ecclesiæ, qua visus fuit ponere Ecclesiam constare solum ex justis, & in gratia gratum faciente actualiter constitutis: difficultatem adfert id quod dicit in secundo membro divisionis, quam facit de communione, quod per sumptionem dignam corporis & sanguinis Christi homo ingeritur ad communionem primo modo acceptam & fit de societate Sanctorum. Et quod ad hunc sensum intelligatur auctoritas Augustini in homilia: Corpus Domini à quibus sumatur. Item circa tertium membrum dictæ divisionis, dicit, quod à communione, quæ minus propriè & vulgariter accipitur, sit excommunicatio hominum à judicibus Ecclesiæ, & quod hujusmodi excommunicatio fertur quam plurimum non pro peccato mortali, sed solum de facto, & non de jure, & solum pro veniali. Item in resumptione prædictæ trimembris divisionis dicit, boni Christiani cum malis non habent unitatem vitæ & spiritus in Christo, sicut vivum membrum à mortuo, & ad hoc inducit Apostolum 1. Cor. 10. *Non potestis calicem Domini bibere & calicem dæmoniorum:* & 2. Cor. 6. *Quæ est conventio Christi ad Belial?* Item in (a) correlariis quæ infert ex præcedenti notabili, in primo dicit, quod non omnis qui ejectus est de tertia communione, puta per excommunicationem judicis, ejectus est de secunda communione. Item in secundo correlario dicit, quod minus est pernitiosum & incautum communicare tam cum scito excommunicato à judice, quam cum scito mortaliter peccante, Et ad hunc sensum adducit Apostolum: *nolite communicare, &c.* Item in tertio correlario ponit, quod notorii peccatores debent à communione sanctorum propelli: & ad hunc sensum inducit exemplum de Dathan & Abyron, Numeri sexto decimo, ubi dicitur: *Recedite à tabernaculis hominum &c.* quæ ibi prosequitur contra manifesta peccata. Prædicta scilicet, quæ mihi videntur, salvo judicio meliori, extra materiam meam posita, non modicas in se continere difficultates, quas ut prædixi, Doctores & Magistri subsequentes, ut spero, plenissimè aperient & declarabunt. Deinceps ad ea quæ me contingunt, oculos aperiam. Et primò ad id quod supponit, videlicet quod communio Eucharistiæ, Græcè dicitur panis & calicis sacramentum. Ad quod dicendum, quod hoc non semper verum est, quia quandoque accipitur pro hostia tantum, sicut patuit ex Concilio Toletano 12. superius allegato & etiam per capit. presbyter, de consecra. dis. 2. ubi ex Concilio Wormacensi præcipiebatur sub his verbis: *presbyter Eucharistiam semper habeat paratam, ut quando quis infirmatus fuerit, statim eum communicet, ne sine communione moriatur:* ubi secundum glossam, Eucharistiæ nomine sola hostia designatur. Nam dicit, *sanguinem non præcipit servare, quia opus esset nimia cautela in eo servando:* nec est de intentione Gregorii dicere in loco præallegato, quod Eucharistia significet panem & calicem quasi de suo principali significato, imo dicit sic: *Cujus panis & calicis sacramentum, græcè Eucharistia dicitur, latinè bona gratia interpretatur.* Et sequitur: *& quid melius sanguine & Corpore Christi?* Ex quibus verbis patet, quod nomen Eucharistiæ non competit speciebus, sed ipsi rei, scilicet, carni & sanguini Domini nostri Jesu Christi: unde sanctus Thomas tertia parte Summæ suæ loquens de nominibus

(a) L. corollariis.

Cap. 93. Superius in tertia principali probatione.

3. q. 73. a. 4.

Digitized by Google

bus hujus ſacramenti, & Petrus de palude in 4. diſ. 8. dicunt in forma, quòd licet iſtud ſacramentum ſit unum perfectione & ordine, eſt tamen diverſis nominibus nuncupatum. Nam in quantum eſt rememoramentum dominicæ paſſionis, dicitur ſacrificium, hoſtia & oblatio, & hoc modo ſignificatio ejus refertur ad præteritum. In quantum verò ſignificat rem, reſpectu præſentis temporis, tunc cum duplex ſit res hujus ſacramenti, una ſignificata & contenta, ſcilicet Eccleſiaſtica unitas, ideo ratione primæ rei ſignificatæ & contentæ, ut dicit Dominus Petrus de Palude, dicitur Euchariſtia, quaſi bona gratia, quia continet fontem gratiæ: Euchariſtia enim græcè, bona gratia latinè interpretatur. Ratione vero ſecundæ rei ſignificatæ, ſcilicet unitatis Eccleſiaſticæ, nominatur communio, vel Synaxis, ſecundum quod omnes per hoc ſacramentum ſignificantur aggregari in unum corpus Chriſti myſticum: unde dicit Damaſcenus 4. libro: quod dicitur communio, quia communicamus per ipſam Chriſto & participamus ejus carne & Deitate, & quod communicamus & unimur per ipſam ad invicem: dicitur etiam in græco metaleptis, μετάληψις, id eſt, aſſumptio, quia, ut Damaſcenus dicit, per hoc filii Deitatem aſſumimus. Quare ſuppoſitio generaliter non eſt vera, imo ut in pluribus & quaſi ſemper Euchariſtia ſupponit pro hoſtia tantum. Quantum ad ſecundum notabile, quod eſt de differentia terminorum, ſcilicet, licet, expedit, & neceſſarium, & quod hujusmodi ſacramenti ſumptio non ſit neceſſaria, neceſſitate abſoluta, ſumus ſatis concordes, ut dictum fuit in prima concluſione mea. Quantum ad tertium notabile, de differentia præceptorum Dei, licet concordemus de eo quod dicit, quod quædam obligant ſemper, & pro ſemper, quædam autem ad ſemper, ſed non pro ſemper. Nihilominus in exemplo poſito, de diligere Deum, videat ipſe, ſi bene dictum ſit, cum diligere dicat actum elicitum à diligente, licet ſit actus immanens & non tranſiens in exteriorem materiam, ſicut & intelligere, & ſi quilibet teneatur ſub præcepto omni tempore & momento inceſſanter & ſine interpellatione intelligere & diligere Deum actuali elicione actuum, & ſi ipſe faciat dum dormit, comedit, & bibit, & in aliis rebus occupatur, videat ipſe & judicet, quia hoc eſt proprium angelorum & comprehenſorum in patria. Credo tamen quod accipit diligere pro habitu dilectionis & non pro actu, & ſic utique verum eſt. Et hæc dicta ſint contra præſuppoſita breviter.

SÆC. XV. ANNO 1433.

*Cap. 14.*

*Præcepta quædam obligant ſemper, & pro ſemper; quædam ſemper, ſed non pro ſemper.*

SEd jam venio ad primam partem ſuæ poſitionis, in qua dicit, quod communio diviniſſima Euchariſtiæ ſub ſpecie utraque, panis ſcilicet & vini, utilis multum eſt, & ſaluti expediens. Contra quam in forma poſui concluſionem meam tertiam, in terminis contrariam, in quibus concluſionibus, tam ſua quam mea, duo tanguntur. Unum eſt quod communio diviniſſimæ Euchariſtiæ ſit multum utilis & ſaluti expediens, & in hoc ſumus concordes, quia tanta eſt utilitas hujus ſacramenti, & tot effectus divinos in ſumentibus dignè operatur, ut nec ipſe Magiſter, nec ego, imò nec omnes linguæ mortalium, etiamſi omnia membra converterentur in linguas, ſufficerent enarrare, imò nec etiam ipſi angeli, & ſancti in patria comprehenſores poſſunt nec valent comprehendere. Secundum, quod attenditur in prædictis concluſionibus, eſt, in quo conſiſtit contrarietas inter ipſum & me, videlicet, quod ſub duplici ſpecie, vel ſub una miniſtretur quoad populum laicalem. Auctoritates igitur quibus probat utilitatem ſumptionis hujus ſacramenti, concedo, quia nihil aliud intendunt quam utilitatem ſimpliciter ſumptionis hujus ſacramenti, quæ utilitas ſequitur plenè & perfectè in dignè ſumentibus, ſive ſub una, ſive ſub duabus ſpeciebus ſumatur, cùm ſub altera plenè & integrè caro Chriſti & ſanguis ejus, immo & totus Chriſtus ſumatur, ratione cujus ſumptionis ſequuntur omnes prædicti effectus. Qua propter falsè infertur & male, cum ex prædictis auctoritatibus ſic concluditur. *Quare ſequitur quàm utilis eſt, & quàm expediens ſaluti fidelium diviniſſimæ Euchariſtiæ ſub ſpecie utraque communio, ſi fuerit dignè celebrata*, niſi fortè propter id quod dicit, *dignè celebrata*, vellet referre ad celebrationem ſacerdotum, quia propriè celebrare, & offerre ſacrificium in rebus ſenſibilibus Deo, pertinet ad ſacerdotes, licet etiam ex prædictis auctoritatibus, nec hoc ſequatur, cum purè loquatur de manducatione & ſumptione Corporis Chriſti, niſi fortè auctoritas Alexandri Papæ, qui dicit. *Nihil ſacrificiis majus eſſe poteſt*, quia, ut dictum, ſolum ſacerdotum eſt offerre ſacrificia Domino. Sed jam pro declaratione auctoritatum Ambroſii, S. Thomæ, Alberti Magni, Innocentii, & multorum aliorum, qui ſequuntur, eſt diligenter notanda diſtinctio quæ ſequitur, ex qua ſpero, per gratiam Jeſu Chriſti, ſatisfacere omnibus audientibus, non habentibus animum paſſione aliqua obumbrarum, quæ diſtinctio, præſuppoſita Catholica veritate, eſt ita clara & ita diſtincta, quod nemo poterit contra eam aliquid objicere, niſi proterva voluntate. Sciendum igitur quod triplex eſt hujus ſacramenti perfectio, videlicet rei, ſigni, & effectus. Perfectio hujus ſacramenti, quantum ad rem, conſiſtit in integritate & totalitate præſentiæ rei contentæ & ſignatæ in hoc ſacramento, vi-

*Utilitates Euchariſtiæ ineffabiles.*

*Et hæ tam perfectè redeunt ad communicantem ſub una quàm ſub utraque.*

*De conſecratione diſt. 2. cap. 9. Nihil.*

*Triplex eſt perfectio hujus ſacramenti. Rei, Signi, effectus.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

delicet ipsius Christi, & sic sub utraque specie hujus sacramenti simul totus Christus vere & totaliter continetur, & sub altera similiter. Unde idem per omnia, continetur sub utraque specie simul, & sub altera tantum, & secundum eundem modum existendi. Unde sicut sub speciebus panis & vini simul totus & unus Christus & integer continetur, scilicet cum corpore, anima, sanguine & Deitate, sic per omnia sub speciebus panis per se sumptis, & similiter sub speciebus vini, imo & sub qualibet particula panis, & sub qualibet gutta vini, & secundum eundem modum etiam existendi. Quia sicut sub specie panis est unita Deitas humanitati, sic & sub speciebus vini, & sicut hic anima informat corpus, ita ibi, & sicut hic sanguis est inclusus intra venas corporis, ita sub speciebus vini: & ita quantum ad rem, & in modo existendi rei in hoc sacramento, nulla est diversitas, sive consideretur sub ambabus, sive sub altera tantum speciebus. Sed in conversione est diversitas, quia ex vi sacramenti, panis tantummodo in Corpus Christi convertitur, videlicet quod ex carne, ossibus, nervis, & aliis hujusmodi integratur. Cætera vero sunt ibi ex vi naturalis & realis concomitantiæ, scilicet, anima, sanguis, & Deitas, quæ Corpori Christi realiter, & naturaliter consequenter sunt unita, quia, ut dicitur ad Romanos sexto, *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Quod enim vivit, vivit Deo.* Unde cum corpus non vivat nisi per animam, & anima animalis in sanguine est, ut habetur Gen. 9. Necesse est naturali concomitantia, sit ibi & sanguis & anima. Et cum Deitas nunquam corpus, quod assumpsit, deposuerit aut dereliquerit, necesse est, ut etiam sit ibi Deitas, non solum absolutè considerata, ratione suæ immensæ majestatis, sed etiam hypostaticè ex reali concomitantia. Similiter sub speciebus vini est tantum Sanguis Christi ex vi sacramenti directè, tanquam terminus per se consecrationis, corpus verò, anima, & Deitas sunt ibi, ut dictum est, ex naturali & reali concomitantia. Si quis vero in triduo mortis Domini confeciſſet hoc sacramentum, prædicta realiter fuissent separata in ipso, scilicet corpus, sanguis, & anima ab utroque, quia sub specie panis fuisset corpus & divinitas, sed non anima, neque sanguis, quia erant in re per mortem separata, & similiter sub specie vini: Sic igitur in hoc sacramento ubicunque est aliqua pars sacramenti, sive sub specie panis, sive sub specie vini, sive aliqua pars Corporis aut Sanguinis Christi, ibi est totus & integer Christus, unde beatus Hilarius loquens de hoc sacramento, & habetur de consecra. dis. 2. *ubi pars est corporis ibi & totum.* Hieronymus etiam, & habetur ead. dis. singuli, *singuli accipiant Christum Dominum, & in singulis portionibus totus, nec per singulos minuitur, sed integrum se præbet singulis*: Magister quoque sententiarum libro 4. dist. 11. ita dicit: *sub utraque specie totus sumitur Christus, nec plus sub utraque, nec minus sub altera.* Eadem enim ratio est, ut ait Hilarius, in Corpore Christi quæ in manna præcessit, de quo dicitur Exodi 16. *Qui plus collegerat, non habuit amplius, nec qui minus paraverat, habuit minus*, & infra: *nec debent dici duo sacramenta, sed unum, quia sub utraque specie idem sumitur*, & habetur de consecr. dis. 2. ubi pars. Item Augustinus in libro sententiarum Prosperi, *quia semel immolatus est Christus, hoc autem sacrificium exemplum est illius, id ipsum, & semper id ipsum, proinde unum est hoc sacrificium, alioquin quoniam in multis locis offertur, multi sunt Christi, sed unus ubique est Christus, & hic plenus, & illic plenus*, & habetur de consecr. dist. 2. In Christo: His auctoritatibus ostenditur manifestè, quod in hoc sacramento sub qualibet specie est totus & integer atque plenus Christus, & sub utraque simul, imo & in qualibet particula, scilicet cum corpore, sanguine, anima, & Deitate, & cum omnibus quæ ad perfectionem & integritatem ipsius pertinent. Nec in hoc debet aliquis fidelium dubitare, quia hæc est fidei Catholicæ & omnium sanctorum doctorum sententia, &c.

*Perfectio rei consistit in ipso Christo integro sub qualibet specie.*

*Diversitas est in conversione.*

Cap. 78. Cap. 77.

ALia perfectio hujus sacramenti consistit in signo, sive in significatione, secundum quod concurrunt omnia illa & integrè, quæ requiruntur ad totalem & completam illius sacramenti significationem; & secundum hoc ambæ species, sicut & quælibet earum est de integritate, & perfectione sacramenti, eo quod per ambas, & per nullam illarum seorsum, sufficienter & completè exprimitur hujus sacramenti significatio. Quod patet primò. Quia hoc sacramentum significat Christum ut nutrimentum perfectè reficiens se dignè manducantes, sed cum perfecta refectio corporalis non in solo pane, aut in solo vino consistat, sed in utroque simul, utique una sola specierum non potest significare Christum, ut perfectè reficientem, sed una significat eum per modum cibi reficientis, & famem tollentis, ratione sui corporis, & alia per modum potus sitim extinguentis, ratione sanguinis; unde nulla seorsum, sed ambæ simul hoc completè significant, quare ambæ species ad integritatem significationis hujus sacramenti requiruntur. Secundò quia hoc sacramentum institutum est in memoriam dominicæ passionis, secundum illud, *hoc facite in meam commemorationem:* & Apostolus 1. Cor. 11. *quotienscunque manducaveritis panem hunc, & calicem bibetis, mortem*

*Domini*

Digitized by Google

*Domini annunciabitis, donec veniat*, prout videlicet Christus in sua passione fuit in corpore suo subjectus multiplici afflictioni, & secundum quod ejus sanguis fuit à corpore separatus. Sed hoc non potest significari, nec repræsentari, per alteram speciem tantum, sed per utramque simul; igitur ad completam & perfectam significationem passionis Christi & repræsentationem, utraque species requiritur, scilicet, species panis, quæ post consecrationem in altari frangitur, per quam Corpus Christi subjectum multiplici fractioni seu pœnalitati significatur: & species vini, per quam seorsum Sanguis Christi effusus ostenditur. Ad hujus passionis igitur completam significationem, requiruntur ambæ species, unde Augustinus in libro sententiarum Prosperi: *dum frangitur hostia, dum sanguis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud quàm Dominici Corporis in cruce immolatio, ejusque sanguinis effusio de latere significatur?* Tertiò quia sacramentum hoc significat assumptionem totalis humanitatis assumptæ à Christo, tam quoad animam, quàm quoad Corpus, & etiam significat perfectam nostram redemptionem, scilicet in anima & corpore. Unde dicit Magister sententiarum in 4. dist. 2. quod in duabus speciebus celebratur, & animæ & corporis in Christo susceptio & utriusque in nobis liberatio significatur: hæc autem significatio non potest fieri per alteram speciem tantum: sed per ambas simul, ut per speciem panis significet corpus, per speciem vini significetur anima, cujus sedes est in sanguine, secundum modum scripturæ dicentis, quod sedes animæ est in sanguine. SÆC. XV. ANNO 1433. Cap. 4.

TErtia verò perfectio hujus sacramenti est effectus ipsius, qui est argumentum gratiæ, deletio peccatorum venialium, præservatio à futuris peccatis, quædam refectio spiritualis animæ, & tandem in perseverantibus & dignè sumentibus adeptio æternæ gloriæ. Hi autem effectus, ut manifestum est, non dependent à speciebus sacramentalibus, nec ex significatione qua repræsentantur per dictas species passio Dominica, perfectum spirituale nutrimentum, perfecta à Christo nostræ humanitatis assumptio, & totius hominis per passionem suam perfecta & integra redemptio, sed ex perfectione & totalitate rei, secundum quod superius dictum est. Unde Albertus Magnus in tractatu de officio Missæ ita dicit, respondendo ad quædam objecta: *Ad hæc autem & similia non est difficile respondere ei, qui apud se bene habet scientiam sacramentalem, dici enim debet, quod sicut in omni sacramento, ita & in isto est aliquod sacramentum tantum, sicut formæ sacramentales; & aliquid res & sacramentum, sicut Corpus Christi verum, & aliquid res tantum, sicut gratia nutriens spiritualiter ad incorporationem Christo faciendam. Formæ enim sacramentales signant tantùm, & nihil causant. Corpus autem Christi verum significat & causat: Gratia autem nutriens spiritualiter significatur & causatur, & nihil ulterius significat, sed causat in mystico corpore incorporationem, quæ fit fidelium ad Christum. Et hac de causa ista tria sunt in sacramento, ita scilicet, quod primum est significans, & non significatum: tertium autem significatum, & non significans, medium autem est significatum & significans. Quicquid autem ex institutione divina significat gratiam, sacramenti nomen habet & rationem, quia sacramentum est invisibilis gratiæ visibilis forma, cujus speciem gerat, & causa existat, sicut dicit Augustinus.* Hæc Albertus: Cum igitur sub utraque specie totus & integer Christus contineatur, & seorsum sub qualibet, manifestum est, quod sive sumatur sub ambabus speciebus, sive sub altera tantum, cùm totus & integer sumatur utroque modo, quod in digne sumentibus totus & integer effectus consequitur. Ista igitur distinctione præsupposita, venio particulariter ad auctoritates quæ inducuntur, & primò ad auctoritatem Beati Ambrosii. Dicendum igitur, quod verum est quia in morte Christi liberati sumus, & quod hoc sacramentum in memoriam illius divini beneficii celebratur, & quod ad tuitionem utriusque, animæ scilicet & corporis, utrunque, scilicet caro & sanguis sumitur, sive sub duplici specie, sive sub una accipiatur, verum quantum ad significationem, hæc tuitio utriusque completius & perfectius sub duplici specie, quàm sub una designatur, licet non magis sub duplici, quàm sub una, quoquo modo, in simplici sumptione, ad prædictorum tuitionem operetur. Quoad significationem faciendam, sicut & passionis Christi, quantum ad species visibiles, pertinet ad sacerdotes, quibus solis ipse Deus dixit: *hoc facite in meam commemorationem &c.* Unde in libr. sententiarum dist. 2. quarti libri, post prædicta verba beati Ambrosii subdit: *sed sub utraque specie sumitur, quod ad utrunque valet, quia sub utraque specie sumitur totus Christus. Sed si in altera tantum sumeretur, ad alterius tantum, id est, corporis aut animæ, non utriusque pariter, tuitionem valere significaretur.* Ecce, quomodo Magister loquitur de significatione, non enim dicit, ad alterius tuitionem tantum valere, imo dicit, quod sub utraque specie sumitur, quod ad utrumque valet. Ad idem est Hugo in quarto de sacramentis, ubi ita dicit: *Nunc videtur dicendum, quod licet in duabus speciebus sumatur, tamen sub utraque integer Christus sumitur. Non enim potest esse corpus sine sanguine, nec sanguis sine corpore esse*

*Perfectus effectus Eucharistiæ.*

*Cap. Quid in hoc sacramento sit sacramentum tantum, quid res tantum, &c.*

*Ad S. Ambrosium vide Mag. Sen. lib. 4. dist. 11. c. 4.*

*Ad Hugonem.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

*potest. Sed ideo in duabus speciebus sumitur, hujus ut significetur sacramenti duplex effectus. Valet enim, ut ait Ambrosius, ad tuitionem corporis & animæ, & quod sumitur in pane, valet ad utrumque, & similiter quod in vino sumitur, quia in pane totum & integrum sumimus. Sed si in pane tantum sumeremus, alterum tantum significaretur, secundum quod ad tuitionem corporis valeret. Iterum, si in vino tantum sumeretur, licet hoc sufficeret ad corporis & animæ tuitionem, tamen hoc solum significaretur quod pro salute animæ susciperetur*, hæc ille: Post hæc adducit S. Thomam parte 3. quæst. 74. art. 1. dicentem de distinctione duplicis speciei, & similiter eadem parte q. 76. articul. 2. Ad quem dicendum, quod sanctus Doctor ex proposito & ex intentione tam in tertia parte, quam in quarto sententiarum & penè in omnibus scripturis suis, in quibus tractat hanc materiam, determinat pro parte consuetudinis Romanæ Ecclesiæ, & eandem consuetudinem multipliciter laudat & approbat, secundum quod in præcedentibus ex dictis suis satis fuit diffusè declaratum. Sunt autem doctores allegandi ad eum sensum, quem ipsi intendunt in dictis ipsorum, & non ad sensum repugnantem, sicut & sacra scriptura, sed videtur mihi, quod Magister opponens, omissa doctorum clara & manifesta intentione, nititur & laborat eosdem doctores capere in sermone, quemadmodum & Judæi observabant Christum. Veruntamen ne credat se doctores Catholicos in hac materia in contradictione deprehendisse, respondendum est: Et primò ad dicta hujus doctoris, qui in prædictis locis intendit assignare causas, quare in consecratione hujus sacramenti utraque species requiritur, cum tamen idem contineatur utrobique, & quod una specierum nullo modo superfluit, & ad hoc ostendendum triplicem causam assignat. Prima est expressior significatio Dominicæ passionis. Secunda est expressior significatio completæ refectionis spiritualis. Tertia expressior significatio salvationis utriusque hominis, quorum omnium repræsentationem facere pertinet ad sacerdotes, quibus dictum est & præceptum: *hoc facite in meam commemorationem*, quod autem dicit, *conveniens est, ut seorsum exhibeatur fidelibus tam ratione usus, quàm ratione effectus*; Dicendum, quod Doctor loquitur de institutione hujus sacramenti, causas assignando, quod non frustra sub duplici specie institutum sit, & sic id quod dicit, quod seorsum exhibeatur fidelibus, refertur indifferenter ad Ecclesiam, & verificantur verba sua, tam in sacerdotibus quàm in non sacerdotibus, quibus sic ex consuetudine ministrabatur, ut dictum est de ministris quarundam Ecclesiarum, specialiter in ordine Cisterciensium. Id verò quod dicit, quod Corpus Christi exhiberetur pro salute corporis, & sanguis pro salute animæ, sub diversis speciebus, intelligendum est significativè, ut sæpe dictum est, & secundum quod dictum est ad auctoritatem Ambrosii, ex quibus patet, quod quantum ad rem & simpliciter, nulla est utilitas major, capere sub utraque specie, quàm sub una, imò stantibus consuetudine universali, & statuto Ecclesiæ in oppositum, quibus fideles tenentur conformari & obedire, capere sub utraque est damnabile & pernicioſum. Ulterius quod ex communione sub utraque specie augeatur gratia in sumente, scilicet ratione adjunctæ secundæ speciei, negatur simpliciter, & ad auctoritatem Augustini dicendum, quod dicta auctoritas Augustini ponitur in glossa ordinaria super Psalmo 22. In quo Psalmo David enumerat decem dona Dei, quæ prædicta glossa vocat decem gratias, & post nonam gratiam ponit auctoritatem jam allegatam, quam sic incipit: *Nota, quod calicem & Sanguinem Christi psalmista per se ponit, quasi aliam gratiam à mensa & à Corpore Christi, cùm tamen caro sine sanguine &c.* In qua auctoritate glossa implicitè solvit illam quæstionem. Cur psalmista enumerando dicta dona Dei seu gratias, mensam & Corpus Christi & calicem & sanguinem distinguit, velut duas gratias, & duo dona Dei. Cum species panis & vini sint unum sacramentum totale & non duo, & caro Christi non possit de lege communi esse aut sumi sine sanguine, & è converso, eo quod totus Christus est sub utraque specie. Et respondendo reddit istius distinctionis tres causas. Prima est distinctio essentialis Corporis Christi & sanguinis ejus, & hanc tangit, cum dicit: *sed quia caro non est sanguis, & sanguis non est caro.* Secunda est diversitas conversionis, & illam innuit, cum subjungitur: *& panis in carnem convertitur, & vinum in sanguinem, & non è converso.* Tertia est distinctio specierum panis & vini, & istam dat intelligere, cum addit: *& sub diversis speciebus utrumque sumitur.* Et hæc est totalis intentio auctoritatis illius, in qua nulla mentio fit de communione laicorum sub utraque specie, & illud quod in fine ipsius ponitur, *& sub diversis speciebus utrumque sumitur*, refertur ad Sacerdotes sacrificantes, ad quos pertinet sub utraque specie conficere & sumere, propter perfectam sacramenti significationem. Et ex hoc patet, quod falsò infertur & malè, cum dicitur, quod sit alia gratia sub illis diversis speciebus, & per consequens sumens sub una, non sumit utraque, quia illa distinctio tantum ponitur propter rationes prædictas, quæ nullo modo inferunt aliquam distinctionem in re aut in effectu, unde & cautè Augustinus & glossa inquiunt, *ideo mensam & calicem hîc distinguit, velut diversas gratias*, & superius in principio auctoritatis

*Ad S. Thomam.*

*Ad Augustinum.*

Digitized by Google

ritatis dixerunt: *qui calicem, id est, sanguinem Christi per se ponit, quasi aliam gratiam, &c.* Non enim ajunt quod sint diversæ gratiæ, sed propter prædictas diversitatis causas dicunt, velut, id est, quasi diversas gratias. Ex quo nullum potest inferri præjudicium communioni sub una specie, quasi minus contineat in se aut rei aut gratiæ. Ad illud igitur, quod ex prædictis auctoritatibus, videlicet Ambrosii, Thomæ & Augustini concludit, videlicet, quod sint diversæ gratiæ sive efficaciæ & diversi fructus sub duabus speciebus, negatur, ut expositum est, quia ex dictis illorum nihil sequitur. Quare fideles intelligere debent, quod nihil utilitatis, nihil virtutis, nihil gratiæ aut cujuscunque spiritualis effectus, sumitur per sumentes hoc sacramentum sub duplici specie magis, quàm per sumentes sub altera tantum, cæteris paribus, & ex opere operato; & quod eis per consequens nihil aufertur spiritualis effectus, nisi occasio erroris, periculum effusionis, & irreverentia, quæ in multitudine populi minus discreti & minus cauti posset accidere huic venerabili sacramento, in administratione sub specie vini. Ulterius ad auctoritatem Alberti Magni dicendum primò, quod tempore Alberti Magni non dubium est, quin modus & consuetudo unius speciei jam erat in Ecclesia introducta, nec reperitur, quod eam hic Doctor profundissimus in loco aliquo redarguerit, aut reprehenderit, quod utique audacter fecisset, si ipsam quoquo modo credidisset aut putasset illicitam, imò prædictus Doctor putavit & credidit, non solum Ecclesiam posse ministrare Laicis hoc sacramentum sub una specie, sed etiam credidit, quod Ecclesia posset cum sacerdotibus dispensare, ut in illis partibus, in quibus non potest vinum de facili reperiri, conficerent sub una specie. Unde in tractatu suo de Missa prope finem dicit: *Propter intolerabile damnum animarum, quod incurrunt habitantes in terris, ubi non habetur vinum, expediret ut dispensaretur, ut Christi corpus sine calice confici posset.* Et subdit rationem illius dicti, dicens: *corpus enim non est sine sanguine, & anima, & Deitate, quamvis non sit ibi sanguis vi consecrationis.* Non est igitur dicendum nec præsumendum, quod tantus doctor sibi ipsi in allegatis auctoritatibus fuerit contrarius.

SÆC. XV. ANNO 1433.

*Non plus sumitur, quoad effectum, sub utraque quàm sub una, cæteris paribus. Ad Albertum Magnum.*

*Suprà in testimoniis sanctorum Patrum.*

AD auctoritatem igitur ejus allegatam dicendum, quod loquitur de sacerdotibus celebrantibus & conficientibus hoc sacramentum, quod manifestissimè patet & sole clarius ex ipsius responsione, quam immediatè ad dictum dubium motum subsequitur, quam responsionem Magister Joannes, ea ex causa dimisit, quia totaliter facit contra eum. Nam Albertus respondens, ita dicit: *Sed ad hoc dicimus, quod Christus, postquam exhibuit corpus suum sub specie panis, tunc etiam postea exhibuit sanguinem suum sub specie vini, & utrumque sacramentaliter esse celebrandum præcepit in Ecclesia, per statuta Apostolica, & ideo Ecclesia instructa actione Christi, utrumque celebrat, divisim conficiendo corpus sub specie panis, & divisim conficiendo sanguinem sub specie vini. Quod autem sic divisim hæc duo exhibuerit, & celebranda instituerit Christus, patet Matthæi 26.* hæc Albertus. Qui post prædicta cùm testimoniis Evangelistarum probasset, quod Christus sub duplici specie hoc sacramentum instituerit, & ita celebrandum & conficiendum in Ecclesia per statuta Apostolica præceperit, subjungit: *ex omnibus istis accipitur, quod Christus sub una specie panis corpus suum tradidit, & sub altera specie vini tradidit sanguinem, & sic servandum instituit, & cum Christi actio sit nostra instructio, pro certo hæc duo nobis servanda esse præcepit, & ideo sub una specie corpus, & sub alia tradimus sanguinem.* Hæc Albertus in loco, ubi dictus Magister allegat eum, in quo unusquisque vel sciens Grammaticam potest intelligere hunc Doctorem, quod non loquitur nisi de celebrantibus & conficientibus hoc sacramentum. Ulterius valde notandum verbum, quod ibi dicitur, quod Christus utrumque sacramentaliter celebrandum esse præcepit in Ecclesia, per statuta Apostolica. Ex quo verbo patet intentio hujus Doctoris, quod etiam celebratio hujus sacramenti per sacerdotes in Ecclesia non est præcepta immediatè à Christo, sed per statuta Apostolica: quæ tamen statuta Apostolica ipsi Christo attribuit, ad declarandum, quod nihil Ecclesia statuit, aut potest statuere, quod concernat fidem, aut aliquid necessarium ad salutem, sine Christo ipsam dirigente, & eidem assistente, usque ad consummationem seculi: unde & inferius ait assignans rationem de duplici specie in celebratione: *hujus autem facti Christi & Ecclesiæ hæc est causa &c:* ubi & Christo & Ecclesiæ hoc factum attribuit, & ex hoc fundamento dependet illa sententia sua, qua, ut superius dictum est, asseruit, quod in partibus, in quibus non reperitur vinum, Ecclesia posset dispensare, ut sub specie panis tantum sacerdos conficeret, quod utique nullo modo posset fieri, si fuisset Christi præceptum tantum obligans in celebratione hujus sacramenti, & sumptione, quantum adversarii conantur persuadere. Ad verbum autem, *tradimus sanguinem*, dicendum, quod sæpe Doctores subinducunt personam totius communitatis vel Ecclesiæ, & loquuntur in numero plurali, & sic & iste Doctor loquitur in persona Ecclesiæ. Nam superius dixerat, quod Christus utrumque sacramentaliter celebran-

*In cap. de hujus potus proprii effectus operatione.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

dum esse in Ecclesia, per statuta Apostolica præceperat, & postmodum subdit, & *ideo sub una specie corpus & sub altera sanguinem tradimus*, per modum scilicet statuti & doctrinæ, quasi diceret, nos Ecclesia tradimus & mandamus sive statuimus & docemus sub una specie corpus, & sub altera sanguinem debere celebrari: secundum quod & Apostolus in nostra materia loquitur. 1. Cor. 2. *Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis.* Non enim Apostolus acceperat communionem sacramentalem à Domino per modum, quo communicans recipit Eucharistiam à sacerdote: nec similiter ipse ita tradidit Corinthiis, nisi per modum doctrinæ, unde arguens paralogizat in acceptione termini *tradimus.* Ad aliud autem quod inducitur de eodem Doctore, videlicet de divisa vel diversa operatione corporis à sanguine &c. dicendum, quod idemmet doctor super illa litera textus Augustini, quod sacramentum componatur ex visibili elementorum specie, & Domini nostri Jesu Christi carne, sacramento videlicet, & re sacramenti, dicit sic: „ non intendit hîc Augustinus determinare partes „ essentiales sacramenti, sed potius dicere ea, quæ exiguntur ad veritatem & sacra„ menti perfectionem, secundum quod est effectivum unitatis corporis mystici, quod „ est Ecclesia: species autem visibiles operantur illam per modum significandi, ut „ Magister dicit in sequenti distinctione, quia sicut unus panis fit ex multis granis de„ puratis, & vinum confluit ex multis uvis, sic Ecclesia congregatur ex multis fideli„ bus, corpus autem Christi efficit illam per modum causæ": hæc ille. Ex quibus verbis ejusdem doctoris manifestè colligitur, quæ sit operatio specierum sacramentalium, quia est ipsa significatio, prout etiam superius dictum est per eundem doctorem, quod formæ sacramentales nihil causant, sed solum significant. Illa igitur ejusdem doctoris præsupposita declaratione, manifesta est intentio sua, quia videlicet sicut ad nutrimentum corporale sumitur potus ad perfectionem nutrimenti, ita & in nutrimento spirituali datus est potus ad perfectionem nutrimenti spiritualis, scilicet ipse sanguis Christi, & quantum ad hoc, ut superius dicebatur post, Hugonem de sancto Victore & Magistrum sententiarum, totum completur & continetur sub altera specierum: verum quia perfecta refectio, quæ consistit in cibo & potu spirituali, non significatur per unam speciem, idcirco idem Doctor ait, quod divisam habet operationem sanguis à corpore, corpus enim dedit Christus in communionem sui & membrorum, sanguinem autem dedit in redemptionem. Istæ autem sunt diversæ operationes, quod utique verum est tam in se, quam etiam in signo, tamen cum utrumque, scilicet corpus & sanguis, contineatur sub altera specie, patet quod sub altera specie utrumque sit, communio scilicet & redemptio, non tamen utrumque per alteram speciem significatur: & ideo sunt divisæ operationes & essentialiter inter se, & etiam in signis: & hoc est quod idem Doctor concludit, quod cum Dominus sic ordinaverit & multiplicaverit sacramenta, quod omnes gratias sacramentales habeamus in sacramentis, supple, effectivè & significativè, & alia gratia sit redemptionis per sanguinem, quàm communionis per corporis sumptionem, non sufficit in sacramento habere elementum significans communionem, nisi etiam haberetur elementum significans redemptionem: ubi expresè doctor concludit, totam istam diversitatem existere in diversitate significationis, & non in re, quoad effectum; non enim dixit, non sufficit in sacramento habere elementum efficiens seu causans, sed significans communionem. Ex quibus manifestè patet, quod quantum pertinet ad esse rei, nulla utilitas resultat communionis duplicis speciei, quia ista pluralitas solùm requiritur propter completam significationem faciendam completæ refectionis, seu aliorum quæ per hoc sacramentum efficiuntur in nobis per dignam sumptionem.

*Lib. senten. 4. dist. 10.*

*Ad Innocentium. Superius in testimoniis SS. Patrum.*

AD auctoritatem Innocentii dicendum, quod ipse, ut superius dictum est, tenet in sequenti capitulo, quod sub sola specie panis debet Eucharistia servari. Item quod in illis regionibus, in quibus alterutrum inveniri non potest, licitè potest alterutrum sine altero consecrari, & in fine capituli, approbat modum qui tenetur in Paraseeve, de sumptione Eucharistiæ sine specie vini. Ex quibus patet, quod hic Doctor non fuit opinionis, quod utraque species fuerit vel sit de necessitate salutis, sive de præcepto Christi, quia si sic, nullum prædictorum potuisset rationabiliter concedere. Ad auctoritatem igitur quæ hîc inducitur, dicendum, quod loquitur de sacerdotibus actu conficientibus, quorum est conficere simul & sumere sub utraque specie, propter perfectam significationem, ut in superioribus sæpe dictum est, quod patet ex hoc, quia nullam mentionem facit de laicis, & quia loquitur de oblatione & consecratione, quæ solis competunt sacerdotibus, hoc etiam rubrica ejusdem capituli ostendit, quæ dicit, *cur Eucharistia sub duplici specie consecratur.* Et idem quod de sumptione dicit, referendum est ad sacrificium, quia ad sacrificantem pertinet, ut dictum est, uterque actus, scilicet conficiendi & sumendi, & hoc propter significationem perfectam, tam Christi passionis, quàm etiam salutis utriusque hominis. Si enim in sacrificatione una tantum species conficeretur & sumeretur, ad alterius, corporis, scilicet, vel animæ,

Digitized by Google

animæ, ſalutem pertinere ſignificaretur, ſed idcirco utrunque à ſacerdotibus conficitur & ſumitur, ut mors Chriſti & ſalus utriusque hominis ſignificetur. Quod autem ulterius additur, quod nec ſanguis ſub ſpecie vini bibitur & comeditur, verum eſt quoad ſignum extrinſecum, ſed tamen quoad rem, quæ eſt caro & ſanguis, & quoad effectum, qui eſt exſtinctio eſuriei & ſitis, vel quoad perfectam & completam cibationem, quæ principaliter in quolibet nutrimento attenduntur, ita plenè & perfectè ſub una ſpecie utrumque ſumitur, ſicut ſub utraque, & verè comeditur corpus Chriſti, & verè ipſius ſanguis bibitur. Unde Præpoſitivus, qui fuit doctor antiquiſſimus, quem S. Thomas, & multi antiquorum doctorum allegant, in quæſtionibus de ſacramentis dicit, *ſub hac ſpecie ſanguinis eſt corpus & ſanguis, & ſub ſpecie panis hac ſumis ſanguinem, vel ergo comedis vel bibis ſanguinem. Sed non eſt dicendum quod comedis, ergo bibis, & ſub hac ſpecie comedis. Solutio: ſub hac ſpecie comedo & bibo:* hæc præfatus Doctor antiquus. Idem dicunt Petrus de Tarantaſia, & Thomas de Argentina, & penè omnes, qui approbant communionem ſub una ſpecie: nec tamen in ſacrificio una ſpecies ſuperfluit alteri, imò ſicut utraque requiritur ad perfectam ſignificationem prædictorum, ſic & prædicti duo actus, qui reſpiciunt, ratione ſignificationis, prædictas ſpecies, neceſſariò exiguntur: quare totum quod idem Doctor & pontifex loquitur, ad ſacrificium referendum, in quo tam utraque ſpecies, quàm uterque actus propter ſignificationem prædictam requiruntur. Ad auctoritatem S. Thomæ de diverſis inſtrumentis, dicendum eſt, quod in hoc ſacramento, panis & vini non ſunt diverſa inſtrumenta, ſicut nec diverſa ſacramenta, niſi materialiter, & ita non eſt niſi unum inſtrumentum, per quod Deus in nobis operatur perfectam nutritionem & cibationem, unde nec ſub duplici ſpecie divina virtus diverſas efficacias operatur: unde Albertus in tractatu de Miſſa dicit, *quod autem objicitur, quod duæ inſtitutiones faciunt duo ſacramenta: dicendum quod non ſequitur, niſi duæ inſtitutiones eſſent de duabus materiis diverſis, & duabus formis diverſis, & duabus gratiis in ſacramentis ſubſtantialiter effectis diverſis, quæ hîc non ſunt, quia duæ materiæ panis & vini, indicant unum perfectum nutrimentum, quod in perfectione nutriendi altera illarum materiarum indicare non ſufficit, forma etiam ad formam refertur ad perfectionem unius ſacramenti, una etiam eſt gratia in utroque effecta, & ideo duæ eſſe non poſſunt:* hæc Albertus: Ex quibus ſole clarius patet, quod nullum bonum, nulla utilitas ſequitur ex ſumptione duplicis ſpeciei, cum nulla efficacia magis ſub una quam ſub duplici contineatur, & cum fiat contra determinationem Eccleſiæ, non ſolum non eſt expediens ſaluti, ſed omninò eſt damnabilis & nociva, maximè ſi pertinacia adjungatur. Ulterius ad auctoritates ſequentes, quæ procedunt ex effectibus appropriatis ſanguini. Et primò ad auctoritatem Thomæ, dicendum, quod ipſemet Doctor declarat ſeipſum & verba ſua atque ſententiam. Nam dicit: *per hæc verba, hic eſt calix ſanguinis mei, ſignificatur ipſa converſio vini in ſanguinem; per verba autem ſequentia deſignatur virtus ſanguinis effuſa in paſſione, quæ operatur in hoc ſacramento, quæ quidem, ſcilicet virtus ſanguinis effuſi in paſſione, ad tria ordinatur. Primò quidem & principaliter ad adipiſcendam æternam hæreditatem, ſecundò ad juſtitiam gratiæ quæ eſt per fidem: tertiò ad removendum impedimenta utriuſque prædictorum, ſcilicet peccata.* In quibus verbis expreſsè doctor oſtendit, quod prædicta tria conſecuti ſunt fideles ex effuſione ſanguinis Chriſti in paſſione, & eadem virtus paſſionis operatur in hoc ſacramento, & non dixit doctor, in ſacramento tantum ſanguinis, ſed in ſacramento ſimpliciter. Et licet prædicta verba, *novi & æterni teſtamenti*, & alia quæ ſequuntur, adjuncta ſint formæ conſecrationis ſanguinis, propter majorem expreſſionem & ſimilitudinem, quæ ejusdem ſanguinis habetur in ſpecie appropriata, ſcilicet vini, tamen effectus prædicti cum non ſequantur ſpeciem, manifeſtum eſt, quod ubicunque eſt ſanguis ille qui effuſus eſt, ibi ſunt omnes effectus ejus. Cum igitur ſub ſpecie panis ſit verus ſanguis Chriſti, imò totus & integer Chriſtus, manifeſtum eſt, quod ibi erunt omnes effectus virtualiter & ſufficientiſſimè ejuſdem ſanguinis. Et mirabilis cauſa, quam adducit, ejusdem doctoris declarat veritatem, cum ſubdit, quod ſanguis non ſolum habet efficaciam in ſacerdotibus, qui hoc conficiunt ſacramentum, vel aliis qui ſumunt, ſed etiam in illis, pro quibus offertur. Si enim ſanguis Chriſti proficit illis pro quibus offertur, licet non ſumant ipſi, nec in re, nec in ſigno, quanto magis proficiet illis, qui capiunt & ſumunt ipſum in re, licet non in ſigno, ut ſacerdotes faciunt, ex quo ſecundum ſe nulla virtus ſequitur aut cauſatur, ut dixit Albertus. Ex quo patet, quod populus fidelis, in ſubtractione calicis, non ſpoliatur quibuſcunque effectibus ſalutiferis, aut quomodocunque utilibus, cum ſanguis Chriſti non auferatur ab eis, ſed ſolum ſpecies & ſignum repræſentans, & hoc propter pericula effuſionis & erroris. Ad auctoritatem Cypriani dicendum primò, quod ipſe in hac auctoritate nullam neceſſitatem ponit aut præceptum Chriſti, nec ulterius facit mentionem de communione laica ſub utraque ſpecie, imo nec de ſpecie vini, ſed ſolum de ſanguine, quem quilibet ſumit ita bene com-

*De hujus ſacramenti forma ſuper vinum. Impreſſum exemplar habet, diviſis.*

*S. Thom. 3. q. 78. art. 3.*

*Ibidem ad 8.*

*Ad S. Cyprianum. Supra motiva 6.*

Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

communicans sub una specie, & omnem effectum ejus, sicut qui communicat sub utraque. Ad aliam auctoritatem S. Thomæ, quam allegat sermone 30. dicendum primò, quod mirum est quomodo magister proponens non advertit ad præcedentem sermonem, imo ad unam lineam præcedentem dicta, quæ assumit pro se: nam idem Doctor in sermone 29. quærit ex intentione, *quare populus non accipit sanguinem, sicut sacerdos?* & assignat tres rationes, quas ibidem diffusè prosequitur, quarum prosecutio hîc gratia brevitatis omittitur, quia dicti sermones satis communes sunt. Dicitur igitur, quod omnes illi effectus, quos enumerat doctor præfatus in dicto sermone 30. sunt effectus ipsius rei, id est, veri sanguinis Christi, & non speciei, idcirco sanguis Christi sive significetur per aquam, sive significetur per vinum, sive per quemcunque alium liquorem, seu aliam rem sensibilem, & quidquid potest dici de effectibus ejus, de utilitatibus, de dulcedine, totum sibi competit ratione sui, & non ratione speciei neque signi. Idcirco quicunque dignè sumit, sive sub specie panis, sive sub specie sibi appropriata, semper consequitur suos effectus. Et idem dicendum est ad effectus & utilitates, quas enumerat Chrysostomus, & non solum Chrysostomus, sed quicquid unquam dixerunt omnes Apostoli, omnes Doctores, & quicquid potest cogitari aut imaginari de ipso sacratissimo sanguine Christi, totum sibi competit, secundum naturam suam, & non secundum speciem, à qua nihil accipit virtutis aut efficaciæ, quod utique dicere, esset non solum hæreticum, sed omninò insanum. Cum igitur totus & integer sanguis, & Christus contineatur sub una specie, vel sub duabus, quomodocunque consideretur, totum sibi competit, ut dictum est, ratione sui, & non ratione speciei, quapropter non valet illatio, qua Magister proponens infert ex dictis auctoritatibus S. Thomæ Chrysostomi dicens: *Ex quo patet, quàm pretiosos & nobilissimos effectus gratiarum facit calix sacramentalis illis, qui cum puritate conscientiæ accedunt, & quàm saluti omnium fidelium necessarios & oportunos, quod quidem efficit in eis ex vi sacramenti, & ex institutione Christi speciali*: quia nullo modo prædicti effectus veniunt ex vi sacramenti, sed ex vi præsentiæ & existentiæ sanguinis Christi veri, qui ita perfectè, completè & integrè est sub una specie, sicut sub duabus, licet non sit ibi tamquam in appropriato signo. Ideo universi fideles considerantes pura & sancta fide, tam pretiosos effectus non consequi species & accidentia sine substantia & subjecto existentia, sed verum Christum, id est, verum sanguinem ejus; nec contineri sub illis accidentibus ex vi sacramenti, sed ex vi præsentiæ & existentiæ Christi: Idcirco per viscera misericordiæ Dei nostri exhortor & obtestor omnes Christi fideles, quatenus, etiamsi oporteret perferre mille mortes, pestes, & ignes, non permittant se abduci à consuetudine S. Romanæ Ecclesiæ Catholicæ, in communione sacratissimi corporis sub specie panis, sub qua totus, perfectus, & integer Christus continetur, plenus gratia & veritate, de cujus plenitudine omnes nos accipimus gratiam pro gratia. Johan. 1. Ad auctoritatem Armachani, dico primò, quod dictus Doctor in multis aliis suis dictis habitus fuit suspectus, & de hæresi notatus: fateor tamen me hoc dicere ex auditu & ex relatione multorum, non quod legerim errores suos. Deinde dico, quod hæc auctoritas sua non facit contra me, quia sumendo sub una specie sacramentali, est sumptio sacramentalis corporis & sanguinis Salvatoris nostri, & sic dico, quod non est negandum, sed firmiter astruendum, quod sic sumere multum prodest fidelibus ad vitam spiritualem agendam. Ad illud quod inducitur de Ecclesia primitiva, concedo, quod propter devotionem qualibet die sumebant fideles sacramentum Eucharistiæ, non tamen sub utraque specie. Et hoc patet per auctoritatem, quam proponens inducit, Actuum 2. cap. ubi dicitur de quotidiana fractione panis, nulla facta mentione de vino, aut de calice. Similiter dicendum est ad auctoritatem Anacleti Papæ, qui videlicet statuit, quod fideles sæpe communicarent, non tamen habetur, quod sub duplici specie, & dato etiam, quod sub duplici specie statuisset, non tamen propter hoc fuisset statutum Christi immediatum sive præceptum ejus, sed Ecclesiæ, aut Papæ, unde & ipsemet Anacletus testatur, non quod Christus, sed quod Apostoli ita statuerunt, ita enim dicit: *sic enim & Apostoli statuerunt, & sancta Romana tenet Ecclesia.* Et dato etiam, quod sub duplici specie communicassent, non tamen hic fervor erat in sanctis viris propter species unam vel duas, sed propter verum Christum Dominum nostrum, qui in hoc sacramento æqualiter, & secundum rem & secundum effectum continetur, sive sub una, sive sub duplici specie sumatur. Quod autem sæpe accedere dignè & devotè, & cum discussione debita, sit utile & valde proficuum, imò summè necessarium cupienti & desideranti in via Domini non regredi sed progredi, omnes Doctores Catholici prædicant, laudant, hortantur, admonent & obsecrant incessanter fidelem populum, imo contra negligentes Ecclesia Romana Catholica pœnas infligit, ut vel saltem semel in anno hoc sacratissimo cibo reficiantur. Et licet antiquitus in frequentatione hujus mysterii fidelis populus fuerit ferventior, nihilominus & adhuc in veneratione ejusdem

*Supra in testimoniis SS. Patrum & Doctorum.*

*Ad S. Chrysostomum.*

*Ad Armachanum.*

*Ad morem primitivæ Ecclesiæ.*

*Ad Anacletum.*

*Epist. 1. De consecr. dist. 2. cap. 10. peracta.*

Digitized by Google

dem ſolers & diligentiſſima cura adhibetur, tam in miniſtrando, quam in ſacrariis, in quibus conſervatur, quam etiam in celeberrima feſtivitate, quæ ſingulis annis apud univerſos Chriſti fideles, præter quotidianam venerationem, ſolemniter & devotiſſimè peragitur. Regratior autem Magiſtro proponenti de auctoritate quam adducit ex Exodo quinto decimo, ubi Dominus in figura hujus ſacramenti, præcepit Judæis, dicens: *ecce ego pluam vobis panes de cœlo, egrediatur populus, & quæ ſufficiunt per ſingulos dies colligat*, quia in dicta figura nulla mentio fit de pluvia vini, cui tamen magis competeret quod plueret, quàm pani, cum vinum originaliter ſit aqua, cui competit pluere propriè, & non pani. Ulterius ad epilogum quem facit ex præcedentibus, cum dicit: *Et patet quam utilis & expediens ſit ſaluti hominum communio diviniſſimæ Euchariſtiæ ſub ſpecie utraque, à Chriſtianis dignè celebrata: hoc autem patet ex verbis Chriſti, ſententiis doctorum, praxi primitivæ Eccleſiæ, & libro Conciliorum, ex dicto Anacleti ſupra jam & immediatè adductis & allegatis.* Dicendum primò, quod iſte epilogus & illatio peccat in materia & in forma. In materia quidem, quia nulla prædictarum auctoritatum neque Chriſti neque Doctorum neque praxis primitivæ Eccleſiæ, neque Papæ dictum Anacleti ex libro Conciliorum, neque etiam figura facit quantamcunque mentionem in verbo vel in ſenſu, de duplici ſpecie pertinente quoquo modo ad communionem laicam, ſed ſolum de carne & ſanguine Domini noſtri, quæ ſub una ſpecie continentur & celebrantur, atque de conficientibus illis ſacerdotibus: patet intuenti, & examinentur omnes auctoritates inductæ, quia non reperietur aliqua quæ intendat aliquo modo tangere communionem laicam ſub utraque ſpecie. Secundò peccat prædictus epilogus in inferendo à dicto ſimpliciter ad ſecundum quid. Nam omnes auctoritates prætactæ intendunt perſuadere utilitatem devotæ ſumptionis hujus ſacramenti, ſimpliciter & abſolutè, non habendo reſpectum ad unam vel ad duplicem ſpeciem, niſi pro quanto quilibet tenetur in ritu ſacramentorum ſequi conſuetudinem & ſtatuta Eccleſiæ Catholicæ: & nihilominus proponens trahit has contra conſuetudinem & ſtatutum Eccleſiæ, & ad ſenſum repugnantem, & omninò contrarium intentioni doctorum, qui ſemper & in omnibus niſi ſunt ſequi conſuetudinem & ordinationem Eccleſiæ, omnia dicta eorum correctioni Eccleſiæ ſubmittentes.

SÆC. XV. ANNO 1433.

TAndem ſucceſſivè dicendum eſt ad correlaria quæ inferuntur. Et primò quoad primum, quando dicit, quod quamvis Chriſtus totus plenus Deus & homo ſit ſub alterutra ſpecie, cum plenitudine omnium gratiarum, non tamen uno modo omnem gratiam diſpenſat, ſed per diverſa ſacramenta, diverſas gratias idem ipſe Chriſtus confert. Ex iſto correlario habentur tria. Primum eſt, quod ſub alterutra ſpecie eſt totus Chriſtus, plenus, Deus & homo, cum plenitudine omnium gratiarum. Secundum eſt, quod non uno modo omnem gratiam diſpenſat. Tertium eſt, quod per diverſa ſacramenta diverſas gratias idem ipſe Chriſtus confert: ex quo applicando ad propoſitum, panis & vinum ſunt diverſa ſacramenta. Contra prædictum correlarium ex oppoſito tertii, & primò inſtabo contra ſecundum dictum prædicti correlarii. Et aſſumo ſic: panis & vinum non ſunt diverſa ſacramenta, ſed unum: ergo Chriſtus non confert diverſas gratias per illa duo. Argumentum patet ab oppoſitis, quia ſicut ad diverſitatem ſacramentorum, ſequitur diverſitas gratiarum, ut dicit adverſarius, ita per oppoſitum, ad unitatem cauſæ ſive ſacramenti, ſequitur unitas gratiæ. Aſſumptum patet per omnes Doctores qui loquuntur de unitate hujus ſacramenti, omnes enim concorditer concludunt, unum eſſe ſacramentum formaliter, ratione finis & perfectionis; plura ſecundum quid & materialiter: Ad hoc nota doctores Albertum Magnum, Sanctum Thomam & alios &c. Manifeſtum eſt autem, quod unitas effectus ſequitur unitatem formæ, patet etiam quia effectus hujus ſacramenti eſt unus principalis, videlicet ipſa ſpiritualis refectio, ut ſuperius dixit Albertus. Si ergo non ſit niſi unum ſacramentum & unus effectus, ſitque ipſe Dominus ſub alterutra ſpecie cum plenitudine gratiarum, ut prima pars correlarii dicit, ſequitur de neceſſitate, quod uno modo omnem gratiam diſpenſat, prout competit ei ſecundum rationem hujus ſacramenti, quæ eſt refectio ſpiritualis, quod eſt contra ſecundum, & per conſequens, ſive ſumat ſub una ſpecie, ſive ſub altera, tantundem ſumit, & eodem modo de gratia, ſive quacunque diverſitate aut diminutione, quantum ad rem, licet cum ſub altera ſumitur, non utrumque ſignificatur, prout ſuperius dictum eſt ſecundum intentionem Magiſtri ſententiarum, & Hugonis de ſancto Victore. Similiter dicendum eſt, quod ſub prima ſpecie Chriſtus eſt verus cibus, & vera vitis, reficiens plenè & perfectè utrumque, animam ſcilicet & corpus, & ſimiliter ſub ſecunda ſpecie, licet non utrumque ſignificetur per proprium ſignum. Ad illud autem quod dicit, quod primam deguſtationem Chriſtus vocat comeſtionem ſive manducationem, & ſecundam bibitionem, dicendum quod falſum eſt, quia Chriſtus non refert manducationem &



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

bibitionem ad ſpecies panis & vini, ſed ad ipſas res, ſcilicet carnem & ſanguinem, cum dicit: *caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus &c.* Et, *niſi manducaveritis &c.* quare ſive ſub una ſpecie ſumat, ſive ſub duplici, verè utrumque facit, quia verè comedit carnem, & verè bibit ejus ſanguinem: quare non ſequitur quod ſit alia & alia efficacia ſub una & ſub alia ſpecie, quia ſub altera ſumit completam nutritionem, & completam refectionem.

Ex prædictis patet, quod falſum infert & malè ſecundum correlarium, videlicet quod ſub duplici ſpecie capiens, diſpoſitivè duplicem gratiam accipit ſupra illum, qui in una ſpecie accipit, cæteris tamen paribus, quia ut declaratum eſt, hoc falſum eſt, & ſatis reſponſum eſt ad auctoritatem Auguſtini. Item in tertio correlario infert, quod luce clarius patet, quod magnum ſacrilegium committunt qui ſacramentum calicis ab Eccleſia fidelium contemptibiliter auferunt. In quo Eccleſiæ Romanæ duo imponit, ſacrilegium ſcilicet & contemptum, & ex his tertio damnationem, quia in probatione dicit quod à populo Chriſtiano ſub altera ſpecie gratiam & efficaciam abſtrahunt damnabiliter. Nam ſi præceptum Chriſti tradit & determinat utramque ſpeciem & ita manifeſtè proponens dicit, nullo modo Eccleſia poſſet à contemptu excuſari, & per conſequens à ſacrilegio, & ulterius à damnatione. Nec poteſt dicere, quod ignorantia excuſaret Eccleſiam à ſacrilegio, & contemptu, & per conſequens à damnatione, quia ut aliàs dictum eſt, ignorantia juris, in his quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem, cujusmodi ſunt præcepta divina & Chriſti, non excuſat. Quare ſi tam apertè notaverit partem noſtram, & tam durè eidem ſacrilegium, contemptum & damnationem impoſuerit, fueritque & ipſe, & ſua pars, patienter & modeſtè auditus ab hoc ſacro Concilio, & ab hoc venerabili auditorio, utique & ipſe & ſui, verba non ad eos directa, nec etiam de eis, Deo teſte, intellecta, vel dicta, imò purè & ſincerè prolata, deberent patienter & modeſtè ſufferre: & ita rogo propter pium Jeſum, procedamus in inquiſitione veritatis juxta regulam beati Auguſtini in primo de Trinitate hîc per me aliàs allegatam, qui de ſe ipſo ait: *non pigebit me*, inquit, *ſicubi hæſito quærere, non pudebit me, ſicubi erro diſcere. Quiſquis ergo hoc audit vel legit, ubi pariter certus eſt, pergat mecum, ubi pariter hæſitat, quærat mecum, ubi errorem ſuum cognoſcit, redeat ad me, ubi meum, revocet me. Ita ingrediamur ſimul caritatis viam, tendentes ad eum, de quo dictum eſt: quærite faciem ejus ſemper.* Verùm quia auctoritates & rationes quas adducit, præcedentes & ſubſequentes, ad corroborationem dicti correlarii, non faciunt ad propoſitum, ideo nihil concludit. Similiter quartum correlarium, in quo dicit, quod multum damnificantur fideles altera ſpecie ſubtracta, nihil concludit, quia patet, quod nihil minus nec in re, nec in effectu capit ſumens ſub una ſpecie, quàm ſub utraque. Et hæc dicta ſint quoad primam partem ſuæ poſitionis. Ad laudem omnipotentis Dei, cui ſit honor & gloria in ſæcula ſeculorum Amen.

*Ignorantia juris in his quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem, non excuſat.*

*Supra in proteſtatione.*

ULterius progrediendo ad ſecundam partem propoſitionis, in qua intendit tria probare, videlicet quod communio ſub utraque ſpecie ſit à Chriſto toti populo credentium ad communicandum inſtituta. Secundò quod ipſa communio ſacramentalis ſit de neceſſitate & de præcepto Chriſti. Tertiò quod illa auctoritas, *niſi manducaveritis, &c.* intelligitur de ſacramentali manducatione, & non de ſpirituali principaliter. Licet poſſit dici pro expeditione materiæ, quod prædictæ difficultates ſint omninò extraneæ & nullo modo facientes ad propoſitum: & probationes introductæ aut auctoritates conſimili modo in vanum occupant membranas, in hac materia. Quia dato, quod Chriſtus hoc ſacramentum inſtituerit pro ſingulis generibus omnium fidelium, & quod ejus uſum mandaverit obſervari præcepto, quodque etiam dicta auctoritas Joan. 6. *Niſi manducaveritis carnem filii hominis &c.* intelligeretur de ſacramentali manducatione, non tamen adhuc haberent intentum, imo nullo modo habent de communione utriuſque ſpeciei, quod ſcilicet cadat ſub præcepto. Nihilominus ne videar ſubterfugere materias propoſitas, quamvis non ſint ad propoſitum principalis intenti, pro veritate dilucidanda, dicam aliquid de quolibet. Et quantum ad primum, dicendum quod Chriſtus inſtituit hoc ſacramentum in ultima cœna ſub utraque ſpecie, & ſic ſuos diſcipulos communicavit: & hoc intendunt & referunt narrativè auctoritates inductæ Evangeliſtarum, videlicet Matthæi, Marci & Lucæ, *accipite & comedite, hoc eſt corpus meum*, &, *bibite ex hoc omnes, hic eſt ſanguis meus &c.* & ex iſtis auctoritatibus nihil poteſt aliud inferri nec infertur. Ad auctoritates verò quæ ex ſexto capitulo Joannis adducuntur, dicetur in ſequentibus loco ſuo. Ulterius cum dicit, quod Paulus Apoſtolus dicit eſſe inſtitutam cœnam ſacramentalem communitati fidelium, propter Dominicæ paſſionis commemorationem, prima ad Cor. 11. Cum dicit: *ego enim accepi à Domino &c.* dicendum primò, quod Paulus loquitur ibidem de communione ſacramentali: deinde, quod ipſe loquitur purè & ſincerè narrativè refe-

Digitized by Google

referendo: ſcilicet, qualiter Chriſtus in cœna hoc ſacramentum confecerat: tertiò quod ipſe Paulus nec in verbis, nec in ſententia, nec in quocunque ſigno evidenti, referendo prædictam cœnam Dominicam, innuit, quod Chriſtus ſic agendo in cœna inſtituerit dictum ſacramentum ſub utraque ſpecie pro Apoſtolis aut pro fidelibus quibuſcunque & qualitercunque in futurum, nec ulterius dicit Apoſtolus, quod Chriſtus hoc ſacramentum frequentandum aut celebrandum ſive etiam ſumendum præceperit, aut mandaverit; nec etiam ipſe Apoſtolus in toto illo proceſſu aliquid mandat vel præcipit, ſed omnia quæ ibi dicuntur, vel narrativè referuntur, aut ex ſuppoſitione per admonitionem dicuntur: Nam totum illud ad narrationem pertinet, quidquid dicitur ab illo loco: *Ego enim accepi à Domino*, uſque ad locum, *hoc facite, quotienſcunque bibetis, in meam commemorationem*: quidquid autem ulterius ſequitur, ad exhortationem pertinet, videlicet, *quotienſcunque enim manducaveritis, &c.* Non enim dicit, quod Chriſtus ſic facere præcepit aut mandavit, neque ego præcipio aut mando, ut ſic faciatis, aut ut ſic ſumatis, ſed, *quotienſcunque enim manducaveritis &c.* quo modo dicendi, etiam ſecundum ſenſum Grammaticalem, nihil infertur aut intelligitur, niſi conditionalis ſuppoſitio, quaſi diceret, quod Chriſtus ſic in cœna fecit, & ſi vos vultis facere, faciatis ad eum finem, ad quem ipſe dixit faciendum, ſcilicet in Dominicæ mortis commemorationem. Deinde taliter ſumite, quod potius cedat vobis in ſalutem, quàm in damnationem, & antequam aliquis accedat, probet ſeipſum, ne videlicet cum conſcientia peccati mortalis accedat, ſicut decet tantum ſacramentum, dijudicando corpus Domini ab aliis cibis corporalibus & carnalibus; & nihil aliud Paulus in toto proceſſu hoc intendit aut deducit: & notandi ſunt hîc duo textus Apoſtoli: *probet autem ſeipſum homo*, &, *non dijudicans corpus Domini*, contra illos, qui in maximam irreverentiam hujus diviniſſimi ſacramenti, communicant infantes, ſtatim poſt baptiſmum, & alios amentes & uſu rationis carentes. Deinde Magiſter proponens proſequitur intentionem ſuam, dicens: *Quod autem communio diviniſſimæ Euchariſtiæ ſub utraque ſpecie toti credentium populo ſit neceſſaria, patet per illud Joan. 6. Niſi manducaveritis carnem filii hominis, &c. Importat namque hæc dictio, niſi, neceſſitatem præceptivam, non ſolum de comeſtione, ſed & de bibitione ſacramentali, obligativam omnium fidelium ſub carentia vitæ æternæ:* hæc proponens. Reſpondendo ad hanc auctoritatem, quæ, male intellecta, eſt Achilles adverſariorum, poteſt dici tripliciter. Primò quod dicta auctoritas non intelligitur præceptivè, nec includit in ſe aliquod præceptum vel mandatum. Secundò dato, quod importaret præceptum, non intelligitur de ſacramentali, ſed de ſpirituali manducatione, quarto modo accepta manducatione, in præcedentibus declarata. Tertiò, dato, licet non conceſſo, quod dicta auctoritas ſtaret præceptivè, & de ſacramentali ſumptione intelligeretur, adhuc non habet adverſarius intentum de duplici ſpecie. Primus modus dicendi declaratur, quia non eſt neceſſarium, quod ubicunque in doctrina Chriſti ponitur nota præcepti vel affirmativè vel negativè, quod ibi vel illud obliget ex neceſſitate, ſed ſemper oportet recurrere ad intentionem dicentis: unde legitur Matth. nono, de duobus cæcis, quibus curatis, comminatus eſt Dominus, dicens, *videte ne quis ſciat:* illi autem exeuntes, diffamaverunt eum in tota terra illa, ut puta gratias agentes: manifeſtum eſt autem, quod Chriſtus non intendebat eos obligare ad ingratitudinem vel ad peccatum. Similiter præcepit Apoſtolis dicens: *nihil tuleritis in via, neque baculum, neque peram, neque calceamenta, neque duas tunicas habeatis*, quod utique nullo modo ad literam & præceptivè poteſt intelligi, quia neque Chriſtus neque ſui diſcipuli hoc fecerunt. Nam ipſe Dominus plures veſtes habuit, ut patet Joan. 13. *ſurgit à cœna & posuit veſtimenta ſua.* Non eſt autem dicendum, quod tantum unam tunicam habuit, & illa depoſita nudus laverat pedes diſcipulorum. Similiter quando crucifixus fuit, plures veſtes habebat, ſecundum illud, *diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.* Item beatus Bartholomæus habuit ſandalia, Paulus baculum, Petrus caligas, & per conſequens calceamenta: unde Angelus ad eum Actuum 7. *Surge, præcingere & calcea te caligas tuas.* Similiter idem Salvator ait in alio loco: *niſi quis renunciaverit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus*, quæ ſententia ſi præceptivè intelligeretur, & literaliter, non video quomodo Reges, Duces, Marchiones, Barones, Milites, Nobiles, Cives, & alii divites ſalvarentur: cum diſcipulatus Chriſti ſit ad vitam æternam conſequendam neceſſarius, cum tamen legamus Mariam Magdalenam, Martham, & Lazarum, cæteraſque mulieres, quæ de facultatibus earum miniſtrabant Domino, divites fuiſſe, & diſcipulas ejusdem. Similiter Joſeph ab Arimathia, ſingulariter diſcipulum Domini nominatum, divitem fuiſſe Evangelium commemorat, & Nicodemum ſimiliter, & Zachæum. Sanctum denique Gregorium, Sylveſtrum, Conſtantinum, Carolum Magnum, Henricum, Wenzeslaum cæteroſque innumeros ſanctos, quos opulentiſſimos conſtat extitiſſe, ſancta Eccleſia inter Chriſti diſcipulos, & regni cœlorum poſ-

SÆC. XV. ANNO 1433.

*Suprà, in quinta ſuppoſitione.*

*Non eſt neceſſarium, ut ubi ponitur nota præcepti, affirmativè vel negativè, ibi ſequatur obligatio ſub neceſſitate.*

*Matth. 10.*

*Pſal. 21. Matth. 27.*

*Luc. 14.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

sessores commemorat. Similiter Marci decimo Christus permissionem libelli repudii in lege veteri vocat præceptum, ubi ita loquitur ad Pharisæos de libello repudii: *quid vobis præcepit Moyses?* & infra: *ad duritiam cordis vestri scripsit vobis Moyses præceptum istud*: manifestum est autem omni homini, scienti sacras literas, quod nunquam fuit præceptum, de libello repudii dando in lege veteri, solum permissum fuit propter vitare homicidia & alia majora scandala. Ex quibus patet, quod prædicta auctoritas: *Nisi manducaveritis*, potest intelligi non præceptivè, non obstante nota præcepti. Verum tamen dato, quod dicta verba intelligantur præceptive, dico quod non intelliguntur de manducatione sacramentali, sed de manducatione spirituali: quod quidem multipliciter ostenditur, & primo per expositionem ipsius Christi, quia nulla melior esse potest, qui qualiter essent prædicta verba intelligenda, *nisi manducaveritis*, mox declarans, subjunxit, dicens: *qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Ubi notandum, quod sicut Christus loquens de baptismo Johan. 3. Primo præmisit indistinctè & indeterminatè præceptum de ipso inquiens, *Amen Amen dico tibi*, scilicet Nicodemo, *nisi quis natus fuerit denuò, non potest videre regnum Dei:* & cum multiplex sit nativitas, carnalis scilicet, de qua idem Nicodemus intelligebat, unde dixit: *Quomodo potest homo nasci cum sit senex? numquid potest in ventrem matris suæ iteratò* introire & renasci? & spiritualis; ad declarandum de qua istarum nativitatum intelligeretur, mox subjunxit, modum etiam ipsius ostendens: *Amen amen dico tibi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei*, ita est omnimodè in proposito: quia cum multiplex sit comestio, scilicet, carnalis, de qua ad literam Judæi intelligebant, sacramentalis, & spiritualis, ut in prima parte declaratum est, Christus loquens de manducatione suæ carnis, primò præmisit præceptum indistinctum & indeterminatum, non exprimens modum manducationis, dicens: *Amen amen dico vobis: Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, postmodum verò, quomodo hoc fieret, & quis modus esset manducationis suæ carnis declaravit, inquiens: *qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in eo:* sicut igitur præceptum baptismi determinatur & declaratur per aquam & spiritum, videlicet: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto:* ita præceptum indistinctum de manducatione suæ carnis determinatur & declaratur per id quod dicitur: *in me manet, & ego in illo:* hæc autem non mea, sed Augustini sententia est, homilia vigesima sexta super Joannem, ubi primo declarat, quis sit cibus iste & potus, de quo Christus hic loquitur: *Nisi manducaveritis carnem & biberitis sanguinem*, ita dicens: *hunc itaque cibum & potum societatem vult intelligi corporis & membrorum suorum, quod est sancta Ecclesia in prædestinatis, & vocatis, & justificatis, & glorificatis sanctis, & fidelibus ejus: quorum primum jam factum est, id est, prædestinatio: secundum & tertium factum est, & fit, & fiet, id est, vocatio, & justificatio: quartum verò nunc in spe est, in re autem futurum est, id est, glorificatio. Hujus rei sacramentum, id est, unitatis corporis & sanguinis Christi alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum, in Dominica mensa præparatur, & de mensa Dominica sumitur, quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitium, res verò ipsa, cujus sacramentum est, omni homini ad vitam, nulli ad exitium, quicunque ejus particeps fuerit:* hæc Augustinus. Ecce, quam apertè hic Doctor declarat, quid intelligat Dominus per cibum & potum, de quibus Dominus loquitur in prædicto textu, *nisi manducaveritis*, &c. ait enim, *hunc cibum & potum societatem vult intelligi.* Ulterius cum dicit: *hujus rei sacramentum, id est, unitatis Corporis & Sanguinis Christi &c.* per hoc etiam quod dicit, *quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitium*, ostendit differentiam inter manducationem sacramentalem & spiritualem, quia sacramentalis indifferens est ad vitam & ad mortem: spiritualis verò semper est ad vitam: unde dicit: *res verò ipsa &c. omni homini ad vitam, nulli ad exitium:* Item idem Doctor ibidem supra dictam sententiam replicans, ostendens quid sit cibus & potus, qui eos à quibus sumitur, immortales & incorruptibiles facit, id est, societas ipsorum sanctorum. Et subdit declarans rem ex similitudine sacramenti: Nam sacramentum est sacræ rei signum, & similitudinem ejus gerit, dicens: *propterea quippe, sicut etiam ante nos hoc intellexerunt homines Dei, Dominus noster Jesus Christus, corpus & sanguinem suum in rebus commendavit, quæ ad unum aliquid rediguntur. Namque aliud in unum ex multis granis conficitur, aliud in unum ex multis acinis confluit:* hæc ille, *propterea*, inquit, quasi diceret, ideo Dominus tradidit corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini, ut similitudine sua essent sacramentum Corporis Christi mystici, scilicet ipsius societatis sanctorum, de qua hic agitur & tractatur. Ultimus idem Doctor prosequens inceptam explanationem de spirituali manducatione quomodo fiat, & quid sit manducare & bibere, subdit ibidem ita dicens: *Denique jam exponit, quomodo id fiat quod loquitur, & quid sit manducare corpus ejus & sanguinem bibere; Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Hoc est ergo manducare illam escam, & illum bibere potum,*

*Verba Christi, nisi manducaveritis &c. intelliguntur de manducatione spirituali.*

*Tract. 26.*

*August. paulò inferius.*

*Spiritualiter, habent impressa*

Digitized by Google

*tum, in Christo manere, & illum manentem in se habere, ac per hoc qui non manet in* SÆC. *Christo, & in quo Christus non manet, procul dubio nec manducat ejus carnem, nec bi-* XV. *bit sanguinem, etiamsi tantæ rei sacramentum ad judicium sibi manducet & bibat*, hæc ANNO Augustinus, ubi expressè idem Doctor declarat, quod manducare & bibere nihil aliud 1433. est in hoc loco, nisi in Christo manere, & illum manentem in se habere, quod etiam in sequenti homilia circa principium ostendit, dicens: *Exposuit autem modum attributionis hujus doni sui, quomodo daret carnem suam manducare, dicens: qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo, signum quia manducavit & bibit, hoc est, si manet & manetur, si inhabitat, & inhabitatur, si hæret & non deseritur, hoc ergo nos docuit & admonuit mysticis verbis, ut simus in ejus corpore sub ipso capite in membris ejus, edentes carnem ejus, non relinquentes unitatem ejus*, hæc ille. Et in fine ejusdem homiliæ 24. Idem epilogando dicit. *hoc totum quod Dominus de carne & sanguine suo locutus est, & quod in ejus distributionis gratia vitam nobis promisit æternam, & quod hinc voluit intelligi manducatores & potatores carnis & sanguinis sui, ut in ipso maneant, & ille in ipsis*, & infra: *hoc ergo totum ad hoc nobis valeat, dilectissimi, ut carnem Christi & sanguinem non edamus tantum in sacramento, quod & multi mali, sed usque ad spiritus participationem manducemus & bibamus, ut in Domini corpore tanquam membra maneamus, aut ejus spiritu vegetemur*, hæc ille. Item idem Doctor libro 21. de civitate Dei, cap. 21. de hac eadem materia ita loquitur: „ qui ergo est in ejus corporis unitate, id est, in Christianorum compage „ membrorum, cujus corporis sacramentum fideles communicantes de altari sumere „ consueverunt, ipse verè dicendus est manducare Corpus Christi & bibere Sangui- „ nem Christi: ac per hoc hæretici & schismatici ab hujus unitate corporis separati, „ possunt idem percipere sacramentum, sed non sibi utile, imo verò etiam noxium, „ quo judicentur gravius, quam vel tardius liberentur. Non sunt enim in eo vinculo „ pacis, quod in illo exprimitur sacramento", & infra post multa, consequentur subdit: „ nec isti ergo dicendi sunt manducare Corpus Christi, quoniam nec in membris „ computandi sunt Christi, ut etiam alia taceam, non possunt simul esse & membra „ Christi, & membra meretricis. Denique ipse dicens: qui manducat meam carnem „ & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo, ostendit quid sit, non sacra- „ mento tenus, sed revera Corpus Christi manducare, & ejus sanguinem bibere, hoc „ est enim in Christo manere, ut in illo maneat & Christus, sic enim hoc dixit, tam- „ quam diceret: qui non in me manet & in quo non maneo, non se dicat aut æsti- „ met manducare corpus meum, aut bibere sanguinem meum, non itaque manent in „ Christo, qui non sunt membra ejus, non sunt autem membra Christi qui se faciunt „ membra meretricis, nisi malum illud pœnitendo esse destiterint, & ad hoc bonum „ reconciliatione redierint". hæc Augustinus, ubi apertissimè declarat intellectum prædictarum auctoritatum, & quid sit manducare & bibere, quia non sacramento tenus, sed revera Corpus Christi manducare, & sanguinem ejus bibere, est in Christo manere, ita ut in illo maneat & Christus, habitat autem Christus in nobis & manet per fidem, dicente Apostolo ad Ephesios tertio, *habitare Christum in cordibus nostris per fidem*, manet etiam in nobis, & nos manemus in Christo per caritatem, dicente Joanne primæ Joan. 4. *Deus caritas est, & qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo.* Et per consequens manducare carnem Christi & bibere sanguinem ipsius, nihil aliud est, quàm credere in Christum, & eidem per caritatem adhærere. Quod etiam ipse Dominus eodem capitulo apertissimè declarat, cum ait: *Ego sum panis vitæ, qui venit ad me, non esuriet, & qui credit in me, non sitiet unquam*, manifestum est autem, quod ad non esurire & non sitire pervenitur per manducare & bibere, & per consequens credere in Christum, & venire ad ipsum, quod fit per fidem & caritatem, idem sunt quod manducare & bibere, unde eodem capitulo ait idem Dominus: *Qui credit in me, habet vitam æternam*, & pòst: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*, manifeste ostendens idem esse, *qui credit in me*, &, *si quis manducaverit &c.* & per consequens, quod idem sit credere & manducare. Quod autem manducare hunc panem, sit idem quod manducare carnem ejus, & ipsius sanguinem bibere, ut omnis tolleretur ambiguitas, & ne fieret vis in verbis, similiter ipse Dominus declarat, inquiens, *& panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*, de qua carne litigantibus Judæis & dicentibus: *Quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum?* Subjunxit, *Amen amen dico vobis, Nisi manducaveritis, &c.* Manifestè ostendens, idem esse manducare panem hunc & manducare carnem suam, & suum sanguinem bibere, & per consequens, ut fiat processus de primo ad ultimum, idem quod credere in ipsum, & eidem per caritatem adhærere. Ex quo processu patet primò, quod Christus manet in nobis, & nos in Christo, per fidem & caritatem. Secundò patet, quod credere & amare per caritatem, idem est in hoc loco quod manducare & bibere, quæ duo confirmantur per beatum Augustinum, qui qualiter ma-

*exemplaria in hoc loco, sed manuscripta Rauguslensia non.*

*Aug. Tract. 27. in Joan.*

*Tract. 27.*

*Aug. de civitate Dei, l. 21. c. 25.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

neamus in Christo, & qualiter Christus in nobis, ostendit in homilia 27. Ubi ita dicit, „ diximus enim, fratres, hoc Dominum commendasse in manducatione carnis suæ & „ potatione sanguinis sui, ut in illo maneamus & ipse in nobis, manemus autem in il- „ lo, cùm sumus membra ejus, manet autem ipse in nobis, cum sumus templum ejus, „ ut autem simus membra ejus, unitas nos compaginat, ut compaginet unitas, quid „ fecit nisi caritas? & caritas Dei. Unde Apostolum interroga. Caritas, inquit, Dei „ diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Ergo Spi- „ ritus est qui vivificat. Spiritus enim facit viva membra, nec viva membra Spiritus „ facit, nisi quæ in corpore, quod vegetat ipse Spiritus, invenit. Nam Spiritus qui est „ in te, ô homo, quo constas ut sis homo, nunquid vivificat membrum quod sepa- „ ratum invenitur à carne tua? Spiritum tuum dico animam tuam, anima tua non vi- „ vificat nisi membra quæ sunt in carne tua, unum si tollas, jam ex anima tua non vi- „ vificatur, quia unitati corporis tui non copulatur. Hæc dicuntur ut amemus uni- „ tatem, & timeamus separationem, nihil enim sic debet formidare Christianus, quam „ separari à corpore; si enim separatur à Corpore Christi, non est membrum ejus: „ si non est membrum ejus, non regetur spiritu ejus. Quisquis autem, inquit Apo- „ stolus, spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Spiritus ergo est qui vivifi- „ cat, caro autem non prodest quicquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiri- „ tus & vita sunt. Quid est: spiritus & vita sunt? Spiritualiter intelligenda sunt: In- „ tellexisti spiritualiter? Spiritus & vita sunt. Intellexisti carnaliter? Etiam sic illa „ spiritus & vita sunt, sed tibi non sunt". Hæc Augustinus de hac eadem spirituali manducatione & inhabitatione Christi in nobis, & nostra in Christo. Idem doctor, homilia 22. exponendo illud: *caro mea est pro mundi vita*, loquitur ita dicens: „ Norunt fideles corpus Christi, si corpus Christi esse non negligunt, fiant corpus „ Christi, si volunt vivere de spiritu Christi; de spiritu Christi non vivit nisi corpus „ Christi. Intelligite fratres mei, quid dixerim, homo es & spiritum habes, & corpus „ habes. Spiritum dico qui anima vocatur, quâ constat, quod homo est. Constat „ enim ex anima & corpore, habes spiritum itaque, spiritum invisibilem, corpus vi- „ sibile, dic mihi, quid ex quo vivat? spiritus tuus vivit ex corpore tuo, an corpus „ tuum ex spiritu tuo? Respondit omnis qui vivit, qui autem hoc non potest respon- „ dere, nescio, si vivit. Quid respondet omnis qui vivit? Corpus utique meum vi- „ vit de spiritu meo. Vis ergo & tu vivere de spiritu Christi; in corpore esto Chri- „ sti. Nunquid enim corpus meum vivit de spiritu tuo? meum vivit de spiritu meo, „ tuum vivit de tuo, non potest vivere corpus Christi, nisi de spiritu Christi. Inde est „ quod exponens nobis Apostolus Paulus hunc panem: Unus panis, inquit, unum cor- „ pus multi sumus. O sacramentum pietatis, O signum unitatis, O vinculum carita- „ tis, qui vult vivere, habet unde vivat, habet ubi vivat, accedat, credat, incor- „ poretur ut vivificetur, non abhorreat à compage membrorum, non sit putre mem „ brum quod resecari mereatur, non sit distortum, de quo erubescatur, sit pulchrum, „ sit aptum, sit sanum, hæreat corpori, vivat Deo de Deo, nunc laboret in terra, ut „ posteo regnet in cœlo": hæc Augustinus. Cujus verba utinam tali virtute cordibus audientium & legentium inprimerentur, quali fervore à dicto Doctore sanctissimo edita, conscripta & prolata sunt. Et hæc dicta sunt ad confirmationem primi.

Tract. 27. Rom. 5.

Tract. 26.

QUod autem manducare & bibere idem sit quod credere, ostendit idem Doctor homilia 22. exponens illud: *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam*, ita dicens: *dixerat enim illis: operamini escam non quæ perit, sed quæ permanet in vitam æternam. Quid faciemus? inquiunt, quid observando hoc præceptum implere poterimus? respondit Jesus & dixit eis: hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille: hoc est ergo manducare cibum non qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Ut quid paras dentes & ventrem? crede & manducasti:* hæc Augustinus, ubi expresè declarat, quod operari cibum, de quo hic Dominus loquitur, idem est quod manducare, & manducare idem quod credere. Item idem eadem homilia: *verus ergo panis ille qui dat vitam mundo, & ipse cibus est, de quo paulo ante locutus sum: operamini cibum qui non perit, sed qui permanet in vitam æternam:* Item ibidem ostendit, quod non solum credere & manducare idem sint, sed etiam manducare & bibere idem sunt, declarans illud: *Ego sum panis vitæ; qui venit ad me, non esuriet, & qui credit in me, non sitiet unquam*, ubi ita dicit: *Qui venit ad me, hoc est quod ait, & qui credit in me, & quod dixit, non esuriet, hoc intelligendum est, & non sitiet unquam, utroque enim illo significatur æterna satietas ubi nulla est egestas*, hæc Augustinus. Item idem Doctor homilia 23. ad idem dicit: *Daturus ergò Dominus Spiritum sanctum, dixit se panem qui de cœlo descendit, hortans nos ut credamus in eum. Credere enim in eum hoc est manducare panem vivum; qui credit in eum, manducat, invisibiliter saginatur, quia & invisibiliter renascitur, infans intus est, novus intus est; ubi novellatur, ibi*

Aug. tract. in Joa. 25.

Tract. 26.

Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

*ibi ſaſiatur*, hæc Auguſtinus. Ex quibus luce clarius patet, quod ſecundum intentionem Auguſtini in hoc loco & in toto proceſſu hujus capituli idem eſt manducare & bibere, quod credere & inviſibiliter intus per caritatem pingueſcere & ſaginari, credere autem in Chriſtum & eidem inhærere per caritatem, quid aliud eſt quàm vivere vita gratiæ; & per conſequens habere in ſe vitam æternam? dicitur enim de fide ad Rom. primo: *Juſtus autem meus ex fide vivit*, & de caritate, prima Joan. 4. *qui non diligit, manet in morte*: fides autem & caritas ideo præſtant vitam, quia illi conjungunt & faciunt inhærere, apud quem eſt fons vitæ, imo qui eſt ipſa vita, qui de ſe ipſo ait: *Ego ſum via, veritas & vita.* Joan. 14. & de quo dicitur, Deuter. 30. *illi adhæreas, ipſe enim eſt vita tua.* Idem ergo eſt credere in Chriſtum, & ipſum diligere, & habere vitam, unde Auguſtinus homilia 23. ſuper illo: *Amen amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam*, ita dicit, *revelare ſe voluit, qui eſſet: Nam compendio dicere potuit, qui credit in me, habet me. Ipſe enim Chriſtus verus Deus eſt, & vita æterna, (a) qui ergo credit in me, inquit, it in me, & qui it in me, habet me (b). Quid eſt autem habere me? habere vitam æternam. Vita æterna mortem aſſumpſit, vita æterna mori voluit, ſed de tuo, non de ſuo:* hæc Auguſtinus. Ex quibus omnibus tam ex intentione Chriſti, quàm etiam ex intentione Auguſtini verba Chriſti poſtillantis & exponentis patet, quid intelligatur per hunc cibum & potum, de quo ipſe Dominus loquitur, quia ipſa unitas & ſocietas ſanctorum, denique quomodo fiat hujuſmodi manducatio & bibitio, & quid ſit utrumque, ſcilicet manducare & bibere, quia hoc eſt manere in Chriſto, & Chriſtum in ſe manentem habere, Ulterius quomodo per fidem & caritatem Chriſtus in nobis, & nos manemus & inhabitamus in Chriſto, poſt hæc, quomodo credere & caritate diligere idem eſt quod manducare & bibere, imo etiam quod manducare & bibere idem ſunt, & finaliter, quomodo ad credere & manducare tanquam ad unum & idem, ſequitur vita æterna, per quæ omnia luce clarius oſtenditur, quod prædictus textus, Joan. 6. *Niſi manducaveritis &c.* imo & totum illud capitulum intelligitur de ſpirituali manducatione & nullo modo de ſacramentali.

*Tract. 26.*

(a) *Hæc verba non habet textus impreſſus.* (b)

ITem Chriſtus removens carnalem intelligentiam Judæorum & diſcipulorum, expoſuit qualiter hæc manducatio intelligenda ſit, cum dicit: *ſpiritus & vita ſunt*, ſpiritualiter intelligenda ſunt: intellexiſti ſpiritualiter, ſpiritus & vita ſunt. Intellexiſti carnaliter? etiam ſic illa ſpiritus & vita ſunt, ſed tibi non ſunt. De illa igitur manducatione Chriſtus loquebatur, quæ ſecundum ſe vitam præſtat, & hæc eſt ſola manducatio ſpiritualis:* Sacramentalis autem manducatio non ſemper dat vitam, imo ſæpe mortem, ut patet per Apoſtolum dicentem: *qui manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit.* Unde hæc differentia eſt inter ſpiritualem manducationem & ſacramentalem, ut in prima parte dictum eſt, quia ſpiritualis manducatio ſemper dat vitam, Sacramentalis verò ſæpe dat mortem, ut dictum eſt, & quod de ſpirituali manducatione Chriſtus hîc loquitur, patet, quia ubicunque hîc de manducatione loquitur, ſemper adjungit vitam, quæ utique ad ſacramentalem ſemper non ſequitur, imo potius mors, unde & in ipſo præcepto. *Niſi manducaveritis*, dicit, *non habebitis vitam in vobis*, quia, *qui manducat hunc panem, vivet in æternum*, &, *qui manducat me, & ipſe vivet propter me.* Quæ ſi de ſacramentali intelligerentur, utique ſemper qui ſacramentaliter ſumeret, ſemper viveret vita ſpirituali, quod falſum eſt, quia multi comedunt ad mortem. Unde Auguſtinus homilia 23. ſuper Joan. *Quàm multi de altari accipiunt, & moriuntur, & accipiendo moriuntur? Unde dicit Apoſtolus, judicium ſibi manducat & bibit. Non enim buccella Dominica venenum fuit Judæ, & tamen accepit & cum accepit, inimicus in eum intravit, non quia malum accepit, ſed quia bonum malè malus accepit.* Ecce quàm expreſsè Auguſtinus ait, quod ſumptio ſacramentalis eſt indifferens & ad bonos & ad malos, & ad vitam & ad mortem; ſed non ſic eſt de ſumptione & manducatione, de qua hoc in loco Dominus loquitur, quod apertè idem Auguſtinus eadem homilia loquens de hoc præcepto. *Niſi &c.* declarat dicens:

*Aug. tract. 27. in Joan.*

*Suprà in ſuppoſitione quinta.*

*Tract. 26. 1. Cor. 11.*

*Hic habetur, non enim in textu impreſſo, nonne.*

„ Quomodo quidem detur, & quisnam modus ſit manducandi ipſum panem, ignoratis, veruntamen niſi manducaveritis &c. hæc non utique cadaveribus, ſed vivenbus loquebatur. Unde ne iſtam vitam intelligentes, de hac re litigarent, ſecurus adjunxit, Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, hanc ergo non habet, qui iſtum panem non manducat, nec iſtum ſanguinem bibit. Nam temporalem vitam ſine illo habere homines poſſunt, æternam verò omninò non poſſunt. Qui ergo non manducat ejus carnem, nec bibit ejus ſanguinem, non habet vitam in ſe, & qui manducat ejus carnem, & bibit ejus ſanguinem, habet vitam æternam: Ad utrumque autem reſpondit quod dixit, æternam. Non ita eſt in alia eſca, quam ſuſtentandæ hujus (c) temporalis vitæ cauſſa ſumimus, nam qui eam non ſumpſerit, non vivet, nec tamen qui eam ſumpſit, vivet, fieri enim poteſt,

(c) *Al. corporis.*

Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

„ potest, ut senio vel morbo, vel aliquo casu plurimi, & qui eam sumpserunt, moriantur, in hoc autem cibo & potu, id est, corpore & sanguine Domini, non ita est. „ Nam & qui eam non sumit, non habet vitam, & qui eam sumit, habet vitam & hanc „ utique æternam". Spiritualis igitur manducatio, de qua hîc agitur, pertinet ad bonos tantum, sacramentalis verò indifferenter ad utrosque, unde Ecclesia cantat in prosa festi corporis Christi, *sumunt boni, sumunt mali, sorte tamen inæquali, vitæ vel interitus. Mors est malis, vita bonis, vide paris sumptionis quàm sit dispar exitus*, &c. Sic enim Petrus & Judas sacramentaliter comederunt, sed alter ad salutem, alter verò ad damnationem, quare patet manifestè, quod si prædicta doctrina Christi de sacramentali manducatione intelligeretur, quod omnes sacramentaliter manducantes essent salvati, & omnes sacramentaliter non manducantes, essent damnati, quod patet esse falsum in utrisque: quia multi sacramentaliter manducantes damnantur, ut patet de Judâ, & multi sacramentaliter non comedentes, ut pueri & martyres, salvati sunt, & salvantur. Nec valet, si dicat adversarius, quod intelligitur de manducatione sacramentali simul cum spirituali: quia spiritualis manducatio & sacramentalis sunt manducationes propriis proprietatibus condistinctæ. Et spiritualis quidem manducationis proprietas eam necessariò consequens, est, semper manducanti conferre vitam formaliter. Sacramentalis verò manducatio est indifferens ad vitam, vel ad mortem, licet enim ex se semper sit ad vitam, quia ipsum sacramentum in se continet fontem vitæ, tamen ratione suscipientis, id quod secundum se vita est, fit mors malè sumenti. *Non enim buccella Dominica venenum fuit Judæ, & tamen accepit, & cum accepit, inimicus in eum intravit, non quia malum accepit, sed quia bonum malus accepit:* hæc Augustinus homilia 23. Cum igitur ex propriis effectibus deveniatur in cognitionem propriarum causarum, utique si ex verbis Christi volumus sine errore venire in notitiam, de qua manducatione in hoc loco Christus intelligat, necesse est ut conferamus effectus harum manducationum, ad ipsas manducationes, tamquam ad proprias causas: quia ergo in toto isto processu hujus capituli manducationi Christus tribuit vitam, quæ est proprius effectus spiritualis manducationis, utique ex proprio effectu, ex necessitate concluditur, quod Christus loquitur hîc de spirituali manducatione. Et sicut ex sensibili nunquam possemus venire in cognitionem hominis, in quantum homo, nisi per aliquod additum ad sensibile, licet etiam ipsum sensibile conveniat homini, ita quantumcunque vita sequatur ad manducationem sacramentalem, ex quo non est sibi necessariò nec tanquam proprium, annexa; ex ipsa vita non potest argui aut inferri manducatio sacramentalis. Oportet igitur, quod sicut ex sensibili infertur animalis, sic ex vita in loco præsenti, inferatur manducatio spiritualis: præcipuè cùm Christus in nulla parte præsentis capituli nec per se, nec per accidens, faciat quoquomodo mentionem de sacramentali manducatione. Satis enim mirabile esset, quod Christus divina sapientia, Dei virtus, & immensa bonitas, voluisset sua præcepta & salutem humanam tali involucro verborum obumbrare, & tam periculosè instantibus temporibus universalem Ecclesiam errare, & tam longo tempore, cujus initium aut origo, nec in memoriis hominum, nec in annalibus scribentium, reperitur: unde præter prædicta, manifestissimum signum, quod non de sacramentali manducatione loquatur, est, quia in prædicto præcepto, si tamen præceptivè teneatur, nullam facit mentionem de speciebus, panis, scilicet, aut vini: immo quod plus est, quotiescunque loquitur. Joan. 6. de corpore & sanguine suo, nullam unquam facit mentionem de speciebus, ad ostendendum, non de specifica seu sacramentali sumptione intelligenda fore verba ipsius, sed spirituali, ut dictum est. Item si illa verba. *Nisi manducaveritis*, intelliguntur præceptivè de sacramentali sumptione, pari ratione & illa: *qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo:* quia non videtur ratio, quod Christus in tam modico spacio mutasset modum & sententiam dicendi, ut nunc de sacramentali, & immediatè pòst, de spirituali sumptione loqueretur sine aliqua nota diversitatis. Sed quod secunda auctoritas non intelligatur de sacramentali, patet, quia sensus esset, *qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet*, id est, in sacramento panis & vini manet, *& ego*, id est, sacramentum panis & vini, *in illo*, quod nullus sanæ mentis diceret. Item quod spiritualiter intelligenda sint verba Christi & doctrina de manducatione & bibitione, ostendit Apostolus 1. ad Cor. 10. „ Nolo vos, *inquit*, ignorare fratres, quoniam patres nostri, omnes sub nu„ be fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptisati sunt, in nube „ & in mari, & omnes eandem escam spiritualem manducaverunt, & omnes eundem „ potum biberunt. Biberunt autem de spirituali consequente eos petra, petra autem „ erat Christus": super quo ait glossa, & colligit ex dictis Augustini homilia 23. „ omnes eandem escam manducaverunt spiritualem, quam & nos, corporalem verò alteram, id est, manna, quod significat Christum, & idem credentibus effecit: quare? „ quia visibilem cibum spiritualiter intellexerunt, spiritualiter esurierunt, spiritualiter „ gusta-

*Tract.* 26.

*Tract.* 26.

*Fosran periculosis.*

„ guſtaverunt, ut ſpiritualiter ſatiarentur. Nam & nos hodie accipimus viſibilem ci- Sæc.
„ bum, ſed aliud eſt ſacramentum, aliud eſt virtus ſacramenti. Sacramenta illa fue- XV.
„ runt, ſacramenta ſunt & noſtra, & utique ejuſdem rei. Manna enim Chriſtum Anno
„ ſignificavit, hunc panem ſignificat altare Dei, Chriſtus enim panis eſt qui de cœlo 1433.
„ deſcendit. Si quis manducat ex hoc pane, non morietur in æternum, ſed quod
„ pertinet ad virtutem ſacramenti, non ad viſibile ſacramentum: qui manducat intus,
„ non foris, qui manducat corde, non qui premit dente: ideo Apoſtolus vigilanter
„ non ſimpliciter ait, manducaverunt eandem eſcam, ſed addit ſpiritualem, quia ſpi-
„ ritualem eandem manducaverunt, quam & nos; corporalem verò alteram, quia illi
„ manna, nos aliud: & vigilanter ait, patres noſtri, & non illorum, per hoc tantum
„ bonos ſignificans, quibus nos ſimiles ſumus. Nam illi fuerunt, qui eandem eſcam
„ ſpiritualem manducaverunt, quam & nos, & tamen & aliud illi, & aliud nos, ſed
„ ſpecie viſibili aliud, quod tamen hoc idem ſignificaret virtute ſpirituali": hæc ibi. Ex quibus verbis patet tam Apoſtoli, quàm gloſſæ, quod eandem eſcam ſpiritualem patres noſtri manducaverunt, & nos manducamus, & eundem potum ſpiritualem biberunt, & nos bibimus: quod nequaquam intelligi poteſt de ſacramentali, quia ut dicit gloſſa, aliud ipſi, aliud nos. Quæ eſt igitur illa eſca ſpiritualis? & quis potus? nonne caro Chriſti & ſanguis? utique: ipſe enim mediator Dei & hominum, Chriſtus Jeſus, qui eſt caput ſuper omnem Eccleſiam, ad Epheſios 1. qui erat cibus & ſatietas ſecundum divinitatem, angelorum, ſecundum humanitatem factus eſt cibus & eſca viatorum, non ſolum eorum qui poſt adventum ſuum in carne in ipſum crediderunt, ſed etiam præteritorum. Sed quomodo manducaverunt? fide utique & dilectione: tunc enim manducaverunt carnem, quando crediderunt implicitè vel explicitè, filium Dei carnem humanam de noſtræ mortalitatis ſubſtantia aſſumpturum, & ſimiliter biberunt ejus ſanguinem, quando modo ſimili ſe crediderunt & ſperaverunt liberari, per ſupplicium ſuæ amariſſimæ paſſionis. Ea propter ſummo deſiderio clamabant ſancti patres veteris teſtamenti, per oracula Prophetarum, *Utinam diſrumperes cœlos & deſcenderes*, & rurſus: *emitte Domine, agnum dominatorem terræ de petra deſerti ad montem filiæ Sion.* Verba iſta ſunt Iſaiæ 16. cap. Hoc itaque modo manducare carnem ſuam, & bibere ſanguinem ſuum, turbis Judæorum & diſcipulis ſuis Dominus præcepit, ut videlicet in eum crederent, ſicut ipſe ait: *qui credit in me, habet vitam æternam: Ego ſum panis vitæ, & hic eſt panis de cœlo deſcendens, ut ſi quis manducaverit ex ipſo, non moriatur*, & hoc eſt in Chriſto manere, & ipſum in ſe habere; hoc eſt quod longo ſermone auribus diſcipulorum inculcare volebat, non ſpecies panis aut vini, dicens: *manete in dilectione mea.* Sicut Joannes teſtatur, maxima caritate, ferventiſſimove deſiderio perfuſus, precibus ſuis dilectiſſimum patrem pro hac ſpirituali manducatione, ut eam ſui diſcipuli haberent, rogabat, dicens. *Non pro mundo rogo, ſed pro his qui crediturí ſunt in nomine meo. Rogo pater, ut ſint unum nobiſcum, ſicut ego & tu unum ſumus. Pater ſancte, ſerva eos in nomine tuo, quos dediſti mihi.* Quid plura? Innumerabilia ſunt loca Auguſtini, in quibus dictam auctoritatem Joan. 6. *Niſi manducaveritis, &c.* de ſpirituali manducatione exponit & declarat, & ne omnia præteream, homilia 11. ſuper Joan. declarans in facto Nicodemi illud quod dicit Evangeliſta, videlicet, quod multi crediderant in nomine ejus & ipſe Jeſus non ſe credebat eis, ſimpliciter & de plano hoc ſextum capitulum Joannis inducens, declarat & exponit de ſpirituali manducatione: Item idem lib. 3. de doctrina Chriſtiana, qui locus non eſt parvi pendendus, quia in eo tradit modos & regulas ad intelligendum ſacras ſcripturas, & ad accipiendum verum ſenſum literalem ſacrarum ſcripturarum, ubi inducens ſæpe dictam auctoritatem: *Niſi manducaveritis*, ita dicit: *Si autem flagitium aut facinus videtur jubere, aut utilitatem & beneficentiam vitare, figurata eſt. Niſi manducaveritis, inquit, carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis: facinus vel flagitium videtur jubere; figura ergo eſt, præcipiens paſſioni Dominicæ eſſe communicandum, & ſuaviter atque utiliter eſſe recondendum in memoria, quod pro nobis caro ejus crucifixa & vulnerata ſit*: hæc Auguſtinus. Ad idem eſt gloſſ. ordinaria ſuper eodem textu: *niſi manducaveritis*: quæ ita dicit: *ſed quæritur, quomodo in vitam æternam? cum quidam ad mortem, ut dicit Apoſtolus*: & reſpondet, *ſi quis comedit in altari cum hac comeſtione, de qua hîc agitur, ſcilicet cum fide operante ex dilectione, hic comedit in vitam æternam. Si quis verò aliter, in mortem*: hæc gloſſ. Ecce quàm apertè demonſtrat de qua comeſtione hîc agatur, quia de illa, quæ cum fide & dilectione operatur. Ad idem eſt Innocentius in libro de officio Miſſæ, parte quarta capitulo 10. ſuper illo verbo: „ accipite & comedite: „ *ubi ita dicit*: Accipite & comedite, ac ſi diceret, comedite & comedite, utram- „ que hujus ſacramenti comeſtionem inſinuans. Dupliciter enim Corpus Chriſti com- „ editur, quia dupliciter intelligitur, verum ſcilicet, quod de virgine traxit, & in „ cruce pependit; & myſticum, quod eſt Eccleſia Chriſti ſpiritu vegetata. De vero „ cor-

Esai. 64.

Joan. 17.

Tract. 11.

Cap. 16.



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

„ corpore Dominus ait: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: de mystico „ dicit Apostolus: unus panis & unum corpus multi sumus: verum corpus Christi com- „ editur sacramentaliter, id est, sub specie; mysticum autem comeditur spirituali- „ ter, id est, in fide: de comestione sacramentali Dominus ait; accipite & comedite, „ hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemora- „ tionem; hoc modo tam boni quàm mali corpus Christi manducant, sed boni come- „ dunt ad salutem, mali verò comedunt ad judicium: nisi enim & mali corpus Christi „ manducarent, non dixisset Apostolus: qui manducat indignè, judicium sibi man- „ ducat & bibit, non dijudicans corpus Domini. Nam & Judas cum aliis Eucha- „ ristiam traditur accepisse: de spirituali verò comestione Dominus ait: Nisi manducaveritis carnem filii hominis, &c. hoc modo comedunt corpus Christi soli boni, un- „ de, qui manducat carnem meam, & bibit &c. ut quid paras dentem aut ventrem? „ crede & manducasti: qui manducat, id est, credit in Christum, comedit ipsum „ quando incorporatur Christo per fidem, id est, membrum ejus efficitur, vel in uni- „ tate corporis ejus firmius solidatur": hæc Innocentius: Longum esset singulos doctores inducere, qui hanc auctoritatem & totum præsens capitulum de spirituali manducatione principaliter & ex directo exposuerunt: sed hæc tantum sufficiant pro præsenti.

HIs itaque luce clarius præsuppositis accedo ad respondendum objectis, quæ videntur facere contra hanc intentionem & declarationem Christi & sanctorum. Et primo ad auctoritatem Nicolai de Lyra, & fortè aliorum, qui videntur prædictam auctoritatem, *Nisi manducaveritis &c.* exponere de sacramentali manducatione: ubi primo reducenda est ad memoriam quædam suppositio generalis, quam præposui in principio præsentis actus, videlicet quod inter doctores exponentes sacram scripturam facienda est comparatio in ingenii acuitate, in studii assiduitate, in humilitate judicii, in immunitate vitii & passionis, in sanctitate vitæ, in divinis inspirationibus & aliis hujusmodi, quæ præstant auctoritatem doctoribus: & ille doctor sequendus est circa expositionem unius passus scripturæ, in quo reperiuntur plures conditiones de prædictis. Et dicebatur ulterius, quod doctores antiqui, qui in prædictis conditionibus excessisse reperiuntur, præferendi sunt modernis doctoribus, præcipuè quatuor doctores, quos tanquam quatuor columnas sustentantes Ecclesiam Catholicam in veritate fidei & doctrinæ Catholica Ecclesia recipit, & veneratur, videlicet Augustinum, Hieronymum, Ambrosium, Gregorium, Inter quos Augustinus præcellit ingenio, & excellentissimus habetur: præferenda est igitur auctoritas sua in expositione Catholicæ veritatis omnibus doctoribus modernis, quantæcunque auctoritatis vel ingenii fuerunt, & ita in quantum Nicolaus de Lyra vel quicunque doctorum modernorum eidem Augustino in aliquo passu contradicere viderentur, omnino sunt postponendi, maximè quando expositio Augustini propinquior est sensui, quem auctor scripturarum intendit. Vel dicendum, & melius, quod principalis intellectus literalis illius auctoritatis cum sit figurativa, ut patuit superius per Augustinum in tertio de doctrina Christiana, est spiritualis communio, eo modo quo expositum est, sed ad sacramentalem sæpe per quandam adaptationem à doctoribus adduci consuevit. Solent enim doctores, sicut & Ecclesia, multas auctoritates adaptare ratione similitudinis vel alterius correspondentiæ, vel secundum literam, vel secundum sensum ad intentionem ipsorum. Nam Evangelium, quod Ecclesia in festo assumptionis decantat, quantum ad literam & sensum ejus, non est de beata virgine, sed ei adaptatur: sic & Doctores loquentes de hoc ineffabili sacramento, sæpe ad confirmationem dictorum adducunt auctoritates habentes vel sonantes similitudinem vel secundum literam, vel secundum sensum, ad intentionem ipsorum: sicut cum Doctores loquuntur de veritate hujus sacramenti, probant verum corpus Christi in eo contineri, per illa verba Christi, cum dixit: *hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur:* & verum sanguinem ipsius per illa verba: *hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis effundetur*, quæ verba non possunt intelligi figurativè, sicut illa: *ego sum vitis vera, &, petra autem erat Christus:* vel alio quocunque modo, ut quidam hæreticorum intellexerunt, sed verè & realiter, & secundum literam, sicut verè & realiter corpus suum pro nobis tradidit, & verum suum sanguinem pro nobis fudit, & nihilominus ad id probandum inducunt alios, ejusmodi sunt in dicto capitulo Joan. 6. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus:* & iterum: *panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita:* quæ quidem auctoritates habent omnimodam similitudinem, quantum ad literam cum primis, sed non quantum ad sensum literæ primum & immediatum, quia primæ verè & realiter intelligendæ sunt, secundæ autem spiritualiter, & secundum eundem sensum, secundum quem exposita est illa: *Nisi manducaveritis &c.* Similiter in Clementinis de reliquiis & veneratione sanctorum. Si Dominum in sanctis: per adaptationem adducitur illa auctoritas:

*Superiùs suppositione 13.*

*Quædam scripturarum loca, ob similitudinem quibusdam specialiter adaptantur.*

*Titul. 16. cap. unico.*

Digitized by Google

ritas: *ecce ego vobiscum sum &c.* Ad declarandam veritatem & realem præsentiam Christi in hoc sacramento: cum tamen de primo suo intellectu non intelligatur, nisi de assistentia sua per gratiam, sic enim ibidem dicitur. *In hac verò sacramentali Christi commemoratione Jesus Christus præsens sub alia quidem forma, in propria verò substantia est nobiscum, ascensurus enim in cœlum dixit Apostolis & eorum sequacibus: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi, benigna ipsos promissione confortans, quod remaneret & esset cum eis etiam præsentia corporali:* nec potest dici in hoc loco, quod uterque sensus tam spiritualis quàm sacramentalis sint ex æquo sensus literales; & quod obligent ad utrumque, quia illic duplices sensus literales reperiuntur solum in his scripturis, in quibus aliquid competit figuræ, & aliquid secundum excellentiorem modum figurato, prout ipse Nicolaus de Lyra declarat, in illis verbis cap. 17. Paralip. *Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium.* Dicendum igitur ad Nicolaum de Lyra, vel quod auctoritas sua cedat auctoritati Augustini, vel quod ipse exponit prædictum textum, per quandam applicationem ad sacramentalem manducationem: nec dicit quod Christus præcipiat, sed dicit, quod hîc consequenter ostenditur hujus sacramenti necessitas: dictum est autem, quod necessarium accipitur multipliciter, & inter alias acceptationes accipitur pro utili: & sic & ego concedo, quod sumptio hujus sacramenti est valdè & multum utilis & valde necessaria. Eodem modo intelligitur dictum Augustini, quo dicit panem quotidianum huic tempori necessarium, id est, utilem, quod ex ipsius dictis apparet, cum dicit: *Norunt enim fideles quid accipiant, & bonum est eos accipere:* non ergò bene infert ex prædictis, cum dicit: *ex quo patet, quod Eucharistia est panis huic tempori* necessarius, & sic ex necessitate & præcepto expetendus & accipiendus, quia non sequitur, iste panis est necessarius, id est, utilis & valde utilis, ergo est ex præcepto: & ulterius non sequitur: Hoc sacramentum est ex præcepto Christi, ergo sub utraque specie. Et quia penè in singulis auctoritatibus, quas adducit, pro necessitate hujus sacramenti, dictum modum arguendi tenet & inferendi, in quo paralogisatur, mutans quod in quale, & substantiam in modum: idcirco venio ad tertium modum dicendi pro expeditione faciliori, videlicet, dato, quod dicta auctoritas Joannis intelligeretur de sumptione sacramentali, & quod hoc sacramentum sit de præcepto Christi, quoad singulos fideles, adhuc tamen adversarii non habent intentum de utraque specie. Nam de necessitate & præcepto hujus sacramenti inter doctores nulla videtur varietas, etenim quidam videntur dicere, quod hoc sacramentum neque quoad celebrationem seu confectionem ipsius per manus sacerdotum in sacrificio, est de præcepto Christi immediatè, & multominus quoad sumptionem vulgarium, dicentes quod verbum Imperativi modi in sacra scriptura multipliciter accipitur & non semper præceptivè. Sumitur enim quandoque præceptoriè, quandoque exhortatoriè, quandoque juxta vulgarem modum ironice, & fortassè pluribus aliis modis, quos diligens scrutator scripturarum posset reperire. Sed quantum ad præsens spectat, de prætactis modis exempla in medium adducantur: & pro primo facit illud Oseæ Prophetæ, cui Dominus præcipiens dixit per verbum Imperativi modi: *vade, sume tibi uxorem fornicariam, & fac tibi filios fornicarios, quia terra fornicans fornicabitur à Domino,* & rursus Sapientiæ primo, *diligite justitiam, qui judicatis terram.* Pro secundo modo, scilicet exhortativè, facit illud Apostoli: *surge à mortuis, & illuminabit te Christus:* & Matth. 6. *Nolite soliciti esse quid manducabitis & quid bibetis, &c.* cui etiam simile est quod dixit Matth. 5. *Nolite jurare omninò, neque per cœlum, neque per terram &c.* prout tradit Augustinus in libello de sermone Domini in monte, & in sermone quem de perjurio scripsit, ubi dicit, quod non prohibuit Dominus licitam jurationem. De tertio modo, videlicet optativo sive deprecatorio, pleni sunt libri Prophetales, qui expectantes adventum Christi, verbis imperativis loquebantur, quorum unus dicebat. *Veni ad liberandum nos Domine Deus virtutum, & ostende nobis faciem tuam & salvi erimus:* & Esaias 16. capitulo. *Emitte* inquit, *Domine agnum dominatorem terræ de petra deserti &c.* Et in alio loco. *Veni Domine & noli tardare.* Pro quarto modo, videlicet invitatorio, habetur Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & sequere me:* & multa hujusmodi similia possent induci, ad ostendendum, non semper modum Imperativum præceptivè poni. Et de ironico modo, modus communis sæpe habet, quemadmodum si magister dicit discipulo pigritanti: dormi puer, dormi, volens ipsum à desidia & gravi torpore ad vigilantiam excitare. Dicunt igitur, consideratis his acceptionibus Imperativi modi, quidam, quod, accipite, & hoc facite, licet sint verba Imperativi modi, non tamen præceptum important, & ita similiter ponuntur ibi, ut dicunt, exhortatoriè, & invitatoriè, quasi dicat, hoc facite in meam commemorationem, quia vobis proderit ad magnum augmentum gratiæ; unde potius per modum consilii, quàm præcepti dictum est. Sicut & illud: *vade & vende omnia quæ habes,* & ita etiam se expediunt de gloss. interlineali,

SÆC. XV. ANNO 1433.

1. Paral. 17.

Suprà.

*Imperativa verba aliquando intelliguntur*

*Præceptoriè. Oseæ 1.*

*Exhortatoriè. Eph. 5.*

*Lib. 1.*

*Optativè.*

Psal. 79.

*Invitatoriè.*

*Ironicè.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

quâ dicitur, & aliis ministrare, qui modus dicendi satis diceretur conveniens qui vellet insequi textum Joannis, *Nisi manducaveritis*, secundum spiritualem manducationem tantum. Hanc sententiam videtur secutus fuisse Albertus Magnus, qui, ut alias allegatus hîc per me & lectus, dicit, quod Christus utrumque sacramentaliter celebrandum præcepit in Ecclesia, per statuta Apostolica: attribuens præceptum Ecclesiæ Christo tanquam principali agenti & imperanti, propter indefectibilem sui assistentiam qua ipsi Ecclesiæ assistit & assistet usque ad consummationem seculi. Nam Ecclesia nihil potest facere sine Christo, ipso dicente, *sine me nihil potestis facere.* Alii verò dixerunt & dicunt, quod hoc sacramentum, quod ad celebrationem in Ecclesia per sacerdotes & ministros in præsentia populi, est de præcepto Christi immediato, & fundant hoc præceptum in illis verbis Imperativè prolatis: *hoc facite in meam commemorationem*; sed quoad sumptionem non sacrificantium aut non celebrantium, non est de præcepto Christi, sed solum de præcepto Ecclesiæ: ad hoc sunt in terminis propriis Alexander de Hales, & Bonaventura, quorum dicta sequuntur in hunc modum. Nam Alexander de Hales quarta parte Summæ suæ quærens de necessitate actus manducandi, quærit, utrum necesse sit manducare corpus Christi, & arguit auctoritatibus, 1. Joan. 6. *Nisi manducaveritis &c.* & 1. Cor. 11. Item ex statuto Ecclesiæ: Omnis utriusque sexus. Item quia baptismus est sacramentum necessitatis, Joan. tertio: *Nisi quis renatus fuerit &c.* Et simili modo videtur, quod hoc sacramentum sit necessitatis, propter eundem modum loquendi, *nisi manducaveritis &c.* In contrarium arguit, quia illud sacramentum, & solum illud, est necessitatis, quo non suscepto, non vivit quis vitâ gratiæ, sicut patet de baptismo ante susceptionem ejusdem, ergo si hoc sacramentum est necessitatis, utique ante ipsius susceptionem nullus viveret vitâ gratiæ, quod manifestè falsum est, quia tunc nullus salvaretur, si moreretur ante ejus susceptionem. Respondet iste doctor, quod hoc sacramentum non est de necessitate salutis quantum est de sua institutione, sed si est, hoc est ex assumpto officio, vel de mandato superaddito, verbi gratia, Ecclesia constituit, ut fideles communicent semel in anno, & in morte, unde si quis negligit, non est sine contemptu, & peccat mortaliter, & hæc constitutio Ecclesiæ est sub præcepto, ut patet ex decretali prædicta: scilicet, omnis utriusque sexus. Post prædicta respondet prædictus Doctor ad argumentum, & primò ad illud Joan. 6. *Nisi manducaveritis &c.* dicit, quod intelligitur de manducatione spirituali & per fidem, sine qua nullus adultus salvabitur, nec etiam parvulus: aut de manducatione sacramentali, ratione institutionis Ecclesiæ: & sic intelligitur etiam quod adducitur de similitudine baptismi. Ad aliud de institutione Ecclesiæ, dicit quod communio, eo modo quo institutum est ab Ecclesia, debet observari, nec potest negligi sine offensa mortali, suppetente facultate, hæc iste Doctor in Summa. Item Dominus (a) Bonaventura in quarto distinct. 12. movens quæstionem, utrum necesse sit ad hoc sacramentum accedere, & arguit eisdem auctoritatibus quibus suprà Joan 6. In contrarium verò arguit per Augustinum: *quid paras dentem & ventrem? crede & manducasti*, sufficit ergo ad manducandum, credere, nec tenemur sumere sacramentum. Item effectus hujus sacramenti est deletio venialium peccatorum, & augmentum virtutum, sed neutrum est de necessitate salutis, ergo &c. Item si necesse esset accedere, parvuli qui non accedunt, nec manducant, omnes damnarentur. Respondendo dicit iste Doctor, quod hoc sacramentum non est de necessitate salutis, quantum est de sua institutione, sed si est, hoc est, ex assumpto officio, vel mandato superaddito. Ex assumpto officio, quod necessarium est exequi, ut cum sacerdos vivit de altari, ut Parochianus debet servire altari. Si autem non vivat de altari, sed in libertate sua remaneat, non tenetur magis quàm alius homo ex debito: sed magis de bono & ex æquo. Ex mandato superaddito, quod Ecclesia instituit, ut fideles communicent semel in anno & in morte; unde si quis negligat, non est sine contemptu, & peccat mortaliter: Ratio autem, quare Ecclesia instituit, est, quia hoc sacramentum est salubre, & multi erant negligentes de sua salute. Institutio autem Ecclesiæ sub præcepto fuit: omnis utriusque sexus fidelis, cum ad annos discretionis pervenerit, ut ad minus in Pascha recipiat Eucharistiæ sacramentum, nisi fortè de proprii sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam, duxerit abstinendum, alioquin vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura: Constat autem, quod hæc est pœna excommunicatorum. Ex his patet responsio ad objecta. Nam verbum Domini Joan. 6. intelligitur de manducatione spirituali, quæ est per fidem & caritatem, sine qua nemo adultus salvatur, hæc iste doctor in forma. De hac etiam opinione fuisse videtur S. Thomas, dum legeret sententias, ut patet in quarto sententiarum dist. 9. q. 1. articulo 5. ubi sic quærit: *Ulterius videtur, quod manducatio corporis Christi sit de necessitate salutis &c.* & in fine positis argumentis pro & contra, sic determinat dicens, quod gratia est sufficiens causa gloriæ, unde omne illud, sine quo potest haberi gratia, non est de necessitate salutis: hoc autem sacramentum

*Suprà in responsione ad primam partem positionis Magistri Joannis, ad auctoritatem Alberti Magni.*

*Joan. 15.*

*Alex. ab Ales part. 4. q. 11. art. 4.*

*De pœn. & remiss.*

(a) Editores Concil. tom. XII. p. 1121. ad marginem apposuerunt divus. B.

*Ut patet in decreto de pœn. & rem. lib. 6.*

Digitized by Google

tum præſupponit gratiam, quia præſupponit baptiſmum, in quo gratia datur, neque debet peccato præveniri, quod gratiam privet, & ideo quantum eſt de ſe, non eſt de neceſſitate ſalutis; ſed de ordinatione Eccleſiæ homines obligantur ſecundum Eccleſiæ ſtatutum, corpus Chriſti ſemel in anno ſumere. Hæc Doctor præfatus, quoad eandem ſententiam, in multis aliis locis replicat. Alii verò videntur ſentire, quod tam celebratio hujus ſacramenti, per modum ſacrificii, quod fit per ſacerdotes, quam etiam ipſius uſus, quoad ſingulos fideles, eſt de præcepto Chriſti, & hanc opinionem ſequentes, adhuc videntur variari, quia alii dicunt hoc eſſe de præcepto Chriſti expreſſo & explicito, quantum ad ſubſtantiam, & ea quæ ſunt eſſentialia ſacramento; alii verò, ex præcepto implicito. Primum modum videtur ſequi Nicolaus de Lyra: ſecundum modum S. Thomas in tertia parte Summæ, ubi allegat eum Dominus proponens: etenim dicit quod ſpiritualis manducatio includit votum ſeu deſiderium percipiendi hoc ſacramentum, & ſic ſecundum ipſum in prædicto loco ſpiritualis manducatio expreſsè cadit & explicitè ſub præcepto Chriſti, quod patet, quia dictus doctor ubique illam auctoritatem: *Niſi manducaveritis*, principaliter declarat & exponit pro ſpirituali manducatione, & in ipſa ſpecialiter includit votum percipiendi hoc ſacramentum, & ita ſecundum eundem intelligenda eſt auctoritas, quam inducit ibidem Matth. 26. *hoc facite in meam commemorationem*, quia ſicut in illa, *niſi manducaveritis*, ſecundum ipſum, includitur implicitè ſacramentalis ſumptio, ſic & in iſta; cum enim per prædicta verba communiter ſecundum omnes doctores, *hoc facite in meam commemorationem*, Apoſtolos in ſacerdotes ordinaverit, ſi illa verba expreſsè & explicitè, quoad ſubſtantiam & quoad modum, obligativè, ad omnes indifferenter fideles extenderentur, manifeſtè ſequeretur, quod omnibus fuiſſet collata poteſtas conficiendi hoc ſacramentum, viris & mulieribus, parvis & magnis, & ſic quilibet eſſet hic & hæc ſacerdos, quod nullo modo eſt dicendum, neque etiam cogitandum. Oportet ergo, ſecundum intentionem dicti Doctoris, quod præceptum de ſumptione ſacramentali in prædictis verbis includatur implicitè & in medulla: cum autem in prædicto præcepto, *hoc facite in meam commemorationem*, duo includantur, videlicet ſubſtantia ſacramenti, quæ ſignificatur per hoc pronomen demonſtrativum, *hoc*, & commemoratio Dominicæ paſſionis, oportet quod alterum, videlicet, id quod eſt ſubſtantiæ, pertineat ad omnes, id autem quod ſe habet ex conſequenti, & quaſi finis quidam atque modus, tantummodo ad ſacerdotes pertineat: ipſa videlicet ſub diverſis ſignis & ſpeciebus Dominicæ paſſionis repræſentatio: & quod hæc fuerit dicti doctoris intentio, patet ex articulo immediatè ſequenti, in quo ex intentione quærit, utrum liceat ſumere corpus Chriſti ſine ſanguine, & determinat ſic ut aliàs hîc lectum eſt & declaratum. Non eſt autem pium credere, nec eſt veriſimile, quod talis ac tantus & tam ſanctiſſimus vir & Doctor, in tam modico ſpacio, ſibi ipſi contradiceret, ibi ponendo neceſſitatem ſacramenti, & hic verò neceſſitatem alterius ſpeciei. In præcedenti igitur articulo declarat eodem ſub præcepto ſubſtantiam & rem hujus ſacramenti quoad omnes. In iſto autem articulo declarat & ſubſtantiam & modum eodem ſub præcepto ſolum ſacerdotibus, non autem univerſis Chriſti fidelibus. In hac igitur tali ac tanta varietate doctorum, nihilominus ſua dicta Eccleſiæ judicio ſubmittentium, ipſa ſancta mater Eccleſia ab initio ſemper in rebus dubiis cepit & tenuit partem ſecuriorem & tutiorem. Nam quoad celebrationem & conſecrationem hujus ſacramenti Eccleſia inſtituit & præcepit, quod hoc ſacramentum frequentaretur in Eccleſiis Chriſti fidelium, ſive Chriſtus præcepit ſive non præcepit. Similiter quoad uſum fidelium hujus ſacramenti, Eccleſia eligit partem tutiorem, præcipiens univerſis Chriſti fidelibus capacibus & diſpoſitis variè, ſecundum varietatem temporum, conditionum, perſonarum, ſumptionem ejuſdem ſacramenti. Quia verò in modo miniſtrandi hoc ſacramentum non conficientibus, nulla unquam fuit varietas opinionum, an ſub una vel ſub duplici ſpecie poſſit miniſtrari, quia ut aliàs dixi, ante novitatem cujuſdam Jacobelli, in regno Bohemiæ, non reperitur doctor, ab inſtitutione hujus ſacramenti, fidelis & Catholicus, qui in forma vel in ſententia moto dubio determinaverit, quod ſic vel ſic, ſcilicet, ſub duplici, vel ſub una ſpecie Chriſtus præceperit hoc ſarcamentum miniſtrari fidelibus, & quod Eccleſia non poſſit ſic vel ſic in adminiſtratione ejus facere & ſtatuere: ideo & ipſa Eccleſia propter multas cauſas ſuperius allegatas, ſtatuit ſub una ſpecie miniſtrari. Redeundo igitur ad propoſitum noſtrum, nihil prædictis difficultatibus temere diffiniendo, dico quod ſi etiam miniſtratio quoad non conficientes dicti ſacramenti caderet ſub præcepto, non tamen uſus ejus ſub duplici aut ſub una ſpecie, cadit ſub præcepto Chriſti.

SÆC. XV. ANNO 1433.

*S. Thom. p. 3. q. 80. a. 11.*

*S. Tho. p. 3. q. 80. à 12.*

*Suprà, in teſtimoniis SS. Patrum & Doctorum.*

PRoſequor igitur ordinem auctoritatum ſuarum reſpondendo ad ſingulas, & oſtendendo ad oculum & cum digito, quod per nullam earum concludit intentum. Adducit igitur Ambroſium in gloſſa ordinaria ſuper verbo: *Cætera cum venero diſpo-*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

*nam &c.* Ex quibus infert tam Apoſtoli quàm gloſſæ verbis, quod Apoſtolus præcipit de ſacramento, dicens, *tenete quod dixi.* Scilicet accipite & manducate, & calicem bibite, tenete inquit, & non intermittite nec mutate. Hæc eſt illatio domini proponentis, quæ quantum aliena & adverſa ſit tam à mente Apoſtoli, quam à gloſſa, nullus habens intellectum poteſt decipi: dicit enim Apoſtolus: *Cætera cum venero, diſponam*, gloſſa autem dicit, *tenete quod dixi*, cætera autem de eodem, id eſt, quæ ad ejuſdem ſacramenti ordinem pertinent, cum venero diſponam. In quibus verbis nullo modo dantur intelligi ea quæ infert dominus proponens, qui omninò diſtrahit textum gloſſæ Ambroſii contra intellectum Apoſtoli. Nam Apoſtolus in prædicto loco non inſtruit Corinthios neque docet, qualiter debeant communicare, ſed qualiter pacificè, modeſtè, cum diſcretione, cum probatione conſcientiæ debeant accedere ad ſumptionem hujus ſacramenti; unde non refert Ambroſius *tenete quod dixi*, id eſt, accipite, manducate, & calicem bibite, & non intermittite, nec mutate: ſed potius tenete quod dixi, quantum ad devotionem, puritatem conſcientiæ, pacem & concordiam & pietatem. Similiter dicendum ad id quod dicit: *his carere non poteſtis*, videlicet virtutibus prædictis, ad dignè ſumendum hoc ſacramentum: unde: *his carere non poteſtis*, non refertur ad communionem ſub utraque ſpecie, ſed ad virtutes de quibus dictum eſt. Et licet ſimilitudo, quam inducit de vita corporali, quæ videlicet ſine cibo & potu non poſſit continuari, valeret transferendo ad vitam ſpiritualem, reſpectu hujus ſacramenti, non tamen ſequeretur, quod utraque ſpecies exigatur; quia vita animæ non conſiſtit in ſpeciebus, ſed in ipſa vera carne Chriſti, & vero ſanguine ejus, unde cum ſumendo ſub una ſpecie quiſque fidelis ſumat carnem & ſanguinem, manifeſtum eſt, quod ſumit perfectum alimentum & nutrimentum, quo vivit anima, quia verè comedit carnem Chriſti, & verè bibit ſanguinem ejus, de quibus ipſe Dominus dicit: *Caro mea verè eſt cibus &c.* ſed tamen ſimpliciter falſum eſt, quod ſine ſumptione quotidiana aut frequenti, anima non poſſet ſtare, vegetari, augmentari & continuari in vita perfecta & ſpirituali, ut patet in multis ſanctis Patribus, & ſpecialiter in ſancto Paulo, primo Eremita, qui per 40. annos manſit in Eremo abſque hujus ſacramenti ſumptione. Similiter de S. Maria Ægyptiaca, quæ ferè per totidem annos ſine communione permanſit. Et ſic ad Nicolaum de Lyra dico, quod ipſe loquitur perſuaſivè, & communiter inducens populum ad frequentem ſumptionem hujus ſacramenti, quod utique valde utile eſt, non autem intendit ibi neceſſitatem præceptivam inducere ad quotidianam ſumptionem vel frequentem, & multo minus frequentem ſumptionem ſub utraque ſpecie. Ad auctoritatem Paſchaſii dicendum, quod ipſe loquitur de carne & ſanguine, quæ duo præſtant vitam animæ, non autem ſpeciebus panis & vini, quæ ſecundum ſe nihil cauſſant in anima, immò nec guſtat eas, cum corporaliter ſumuntur, & corporaliter in ſtomachum trahuntur, unde dicit, *quod juſtum & perneceſſarium eſt &c.* quod autem dicit, quod ideo bene ſimul in calice (a) redduntur, quia de uno calice paſſionis Chriſti hæc duo nobis manarunt, intelligendum eſt, quod caro Chriſti & ſanguis in calice redduntur, id eſt, traduntur, quia etiam in calice totus & integer Chriſtus continetur, ſicut & ſub ſpecie panis, & qui hoc non credit, infelix eſt, quia ſi cibo & potu materiali vita humana ſuſtentetur, multò magnis carne & ſanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti vita ſpiritualis: potius autem in hoc loco hic doctor calicem nominavit, quàm panem, quia comparat effectum hujus ſacramenti ad paſſionem Chriſti, tanquam ad cauſam, quæ paſſio magis in ſpecie & in ſimilitudine vini exprimitur, & etiam quia paſſio in ſcripturis calix appellatur: ſecundum illud: *poteſtis calicem bibere, quem ego bibiturus ſum?* & idem Dominus in Oratione in monte dixit: *pater tranſer à me calicem iſtum*, unde dicit: *quia de uno calice paſſionis Chriſti &c.* quare cum in dicta auctoritate Paſchaſii, nulla mentio fiat de pane & vino, ſed ſolùm de cibo & potu, quæ duo carni & ſanguini Chriſtri attribuit, utique non benè refert proponens dicti doctoris intentionem, ad ſacramentum panis & vini.

*Ad gloſſam, in verba, cætera, cùm venero diſponam.*

*Ad Paſchaſium lib. de ſacramento corporis & ſanguinis Domini cap. 19.*

(a) *Alter m. ſ. codex: cernuntur.*

*Matth. 20. Luca 22.*

AD auctoritates S. Thomæ & doctoris ſubtilis, Scoti ſcilicet, dicendum, quod nulla carum probat aliquid de duplici ſpecie: ſed ſolum volunt, quod ſumptio ſacramenti hujus ſit de præcepto Chriſti, & non aliud intendunt dicti doctores, eo modo quo ſuperius declaratum eſt. Ad illud autem quod infert ex dicto Scoti, quod ſumptio ſeu communio ſacramenti eſt majoris neceſſitatis quàm conſecratio, tanquam finis melior & nobilior ipſa conſecratione, & dicit quod hoc eſt contra omnes adverſarios hujus veritatis, dicentes conſecrationem eſſe de præcepto, non communionem: ſed ſalva gratia ſua, adverſarii communionis ſub utraque ſpecie non dicunt hoc, imo dicunt oppoſitum, quia dicunt, quod ſimul conſecratio & ſumptio, quæ fit per ſacerdotem in altari, perficiunt ſimul unum ſacrificium, quod prodeſt non ſolum ipſi conſecranti, ſed toti Eccleſiæ militanti, & etiam dormientium in purgatorio, & in hoc

*Diſt. 13. queſt. 2. ad quartum.*

tali

Digitized by Google

tali ſacrificio utique conſecratio, ordinatur ad ſumptionem, in qua & ipſum ſacrificium perficitur. Sed bene dicunt aliqui, quod communio non ſacrificantium non eſt neceſſitatis, neque præcepti, niſi Eccleſiæ. Ad ſecundum quod infert ex dictis Scoti, quod omnibus loquitur Chriſtus, ut ipſe dicit, & omnes obligat ad manducandum & bibendum ſacramentaliter, dicendum, quod ſalva gratia inferentis, ex dictis Scoti non poteſt elici quod illa auctoritas Chriſti obliget ad manducandum & bibendum ſacramentum hoc ſub diverſis ſpeciebus ſacramentaliter, cum expreſsè teneat Scotus oppoſitum, ut aliàs extitit cum digito & ad oculum ex libris ſuis declaratum.

SÆC. XV. ANNO 1433.

*Suprà in teſtimoniis ſanctorum Patrum & Doctorum, ad finem.*

POſt prædictas auctoritates inducit auctoritates Conciliorum & canonum, quæ ſimiliter probant neceſſitatem præcepti ad ſumendam carnem Chriſti & ſanguinem in ſacramento: nec tamen probant præceptum Chriſti, ſed tantum Eccleſiæ, quæ habet auctoritatem ligandi, & ſolvendi, ſtatuendi, & præcipiendi, & cujus præceptum obligat ad pœnam æternam, quemadmodum & præcepta divina: unde ſicut contemptores legum divinarum, ſic contemptores legum Eccleſiaſticarum, & hoc in futuro, ſi ſine pœnitentia deceſſerint, veniunt puniendi: unde lex Eccleſiaſtica ita neceſſitatem imponit ſubditis ejuſdem, ſicut & lex divina, quia ipſa lege divina præcipiendi & ſtatuendi auctoritas Eccleſiæ data eſt, ſecundum id: *qui vos audit me audit*, &, *qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ut ethnicus & publicanus*, & ſecundum illud: *ſuper cathedram Moyſi &c. quæcunque dixerit vobis, facite &c.* tamen quicquid ſit, nulla prædictarum auctoritatum deſervit ſibi, quocunque modo intelligantur, aliquid ad propoſitum duplicis ſpeciei. Ulterius Magiſter proponens inducit auctoritates ad probandum quod ille textus, Joan. 6. *niſi manducaveritis:* intelligatur de manducatione ſacramentali & bibitione, & non de ſola ſpirituali. Et primò per gloſſam duplicem ordinariam, dicendum quod dato, quod illa auctoritas intelligatur de ſacramentali manducatione, non tamen ex dicto textu habetur neceſſitas duplicis ſpeciei, nec ex ipſis gloſſis: imo ex dictis gloſſæ, habetur manifeſtè ſufficientia unius ſpeciei & comeſtionis. Nam in nulla fit mentio de bibitione vini, ſed de ſola comeſtione, & ulterius utraque gloſſa exponit de comeſtione altaris, & per conſequens gloſſa trahit hunc textum ad ſacerdotes, qui ſoli conficiunt, & comedunt in altari, & ſic intelligendo hunc textum ſive ſpiritualiter, ut Auguſtinus & alii doctores antiqui, ſive de ſacramentali comeſtione altaris, bene dicunt: ergo, per locum à contrario ſenſu, omnes adverſarii, dicendo illam literam non eſſe exponendam de ſpirituali vel ſacramentali manducatione altaris, ſed eam debere trahi ad communionem laicam utriuſque ſpeciei, decipiuntur, & male dicunt. Deinde adducit auctoritatem Remigii multam & ſatis longam ſuper eodem verbo: *Niſi manducaveritis &c.* in qua tota auctoritate, & in omnibus per proponentem ex ea elicitis, non reperio nec video aliquid, in quo poſſit vel valeat ſuum fundare intentum, quoad auctoritatem communionis: plus facit contra eum dicta auctoritas, quam contra tenentes oppoſitum. Nam cum dicit: *ad hanc ſpiritualem alimoniam, ad hoc myſticum epulum & divinum nos Dominus invitat, &c.* Manifeſtè declarat ſe loqui de ſpirituali manducatione, quod manifeſtius declaratur, cum conſequenter dicit in paragrapho, Nam vero: *ſubſequenter exponit quomodo id fiat, & quid ſit manducare carnem ejus & ſanguinem bibere. Qui manducat, inquit, meam carnem & ſanguinem meum bibit, in me manet & ego in illo, hoc profectò eſt hanc eſcam manducare & hunc potum bibere, manere in Chriſto, & Chriſtum in ſe habere manſionem, &c.* Ubi hic doctor ſanctus Remigius conformiter ad Auguſtinum exponit quidditativè & eſſentialiter, quid ſit manducare carnem ejus, & ſanguinem bibere, & reſpondet: *qui manducat*, inquit, *meam carnem, &c.* ubi expreſsè declarat, quod manducare & bibere in hoc loco ſumitur pro manere in Chriſto, & è converſo Chriſtum in ſe manentem habere. Ad eundem ſenſum, totum reſiduum illius auctoritatis tendit, ſcilicet de ſpirituali manducatione. Nec obſtat de exemplis quæ inducit de comeſtione ſacramentali, ut expoſitum eſt in dictis Auguſtini: loquens enim Auguſtinus & Remigius, abbreviator ejuſdem, de vero ſenſu, quem Chriſtus intendit de his verbis, ſcilicet de ſpirituali manducatione, adducunt ſermones de ſacramentali manducatione, ſicut cum adducitur figura ad figuratum: & ſacramentum ad id quod ſignificat & figurat: ſicut ſi loqueremur de paſſione Chriſti, adduceremus figuras veteris teſtamenti, quæ Chriſti paſſionem præfigurabant; utique non omnia quæ dicerentur de ipſa paſſione Chriſti in ſe, & quæ dicerentur de figuris illis, ad idem referrentur, quia ſemper aliud eſt figura, & aliud figuratum. Similiter ſi loqueremur de Corpore Chriſti vero in hoc ſacramento, & adduceremus materiam ſacramenti, ut puta panis & vini, utique non quicquid diceretur de vero Corpore Chriſti, hoc intelligeretur de ſpeciebus, nec è converſo: ita eſt propriè in propoſito. Cum enim hoc ſacramentum altaris, quantum ad ſpecies ſuas, & quantum ad primam rem contentam, quæ eſt vera caro Chriſti, & verus ſanguis ejus, ſit ſacramentum Corporis Chriſti myſti-

*Luc. 10. Matth. 18. Matth. 23.*

*Ad gloſſam ordinariam.*

*Ad Remigium.*

Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

mystici, ut patet omnibus materiam hujus sacramenti intelligentibus, si sacerdotes loquentes de corpore Christi mystico & spirituali & carne ejus mystica, adducant materiam hujus sacramenti, sive quoad species, sive quoad ipsam primam rem ejusdem, sicut signi ad signatum, & sacramenti ad id cujus est sacramentum, non est dicendum quod idem sit, & quod ad idem referantur omnia, quæ dicuntur, tanquam idem esset signum & signatum, res & sacramentum. Et hæc est profectò, salvo judicio meliori, vera intentio Augustini, & Remigii, & multorum aliorum doctorum, dictum capitulum Joannis exponentium, qui exponentes de spirituali corpore Christi mystico, & de manducatione, adducunt materiam sacramenti altaris, tanquam signi ad signatum, & sacramentum ad id quod significat & figurat. Ulterius dato, quod Remigius loqueretur in illa parte, ad hanc spiritalem alimoniam, de sacramento altaris; adhuc ex ipsis verbis suis declaratur, quod non necessitatem sumendæ hujus alimoniæ nobis indicit, per hoc enim, cum dicit, *tanquam*, cum sit adverbium similitudinis, utique similitudinariam, non perfectam necessitatem expressit, per quod dat intelligi, quandam magnam & vehementem utilitatem, non præcepti innuit necessitatem. Ulterius patet per aliud, per illud scilicet, quod sequitur, quod dictus sanctus Remigius non acceperit in verbis prædictis strictè necessitatem. Nam infrà dicit, quod ipse Dominus mysterium sui corporis & sanguinis quotidie à fidelibus per sacerdotum ministerium fieri mandavit rationabili sacramento, quod utique propriè accipiendo mandatum & præceptum nullo modo stare potest in veritate, quia omninò Catholicè veritati, sanctorumque patrum traditionibus, & sententiis esset contrarium & adversum, qui nullo modo dicunt obligari universam fidelium congregationem ad hujus venerabilis sacramenti quotidianam sumptionem. Unde Augustinus, & habetur de consecra. dist. 2. *Quotidie Eucharistiam sumere nec laudo nec vitupero, &c.* Dicendum igitur quod Remigius in dicta auctoritate, verbum mandati largè accepit, non pro præcepto propriè, sed exhortativè, quia qui taliter possit disponere vitam suam, ut omninò caveret à peccatis mortalibus, & ex sumptione quotidiana hujus sacramenti sentiret se in devotione ac fervore proficere, valde necessarium esset & utile sic animæ dispositæ fretæ, frequenter & quotidie ad hoc sacramentum accedere. Sicut igitur hoc verbum, *mandavit*, propriè non potest determinare illud, quod dicitur, *quotidie*, sic minus determinat illam necessitatem. Ex omnibus tamen prædictis hoc indubiè habetur & manifestè, quod dicta auctoritas Remigii in nullo deservit sibi ad communionem Laicam sub utraque specie. Ad auctoritates Augustini, quas consequenter inducit, quæ videntur eidemmet Doctori contrariari, qui, ut dictum est, sole clarius & luce meridiana in multis locis declaravit, Evangelium Joannis debere intelligi de spirituali manducatione, non esset difficile respondere, eundem doctorem ad concordiam revocando ex libris ejusdem, ex quibus dictæ auctoritates assumuntur: Nihilominus quia tempore coarctor, dico, quod nulla prædictarum auctoritatum, dato quod omnes intelligerentur de sacramentali sumptione, probat propositum de duplici specie, in communione Laicali. Et sunt auctoritates Augustini, prima (a) in libro de meritis & remissione peccatorum. Secunda (b) contra Cresconium Grammaticum. Tertia in lectionibus Dominicæ primæ in adventu Domini. Quarta (c) libro primo de baptismo parvulorum, ut ipse allegat eam, quæ incipit *Auferatur ergo dubitatio &c.* quæ tamen ponitur in libro de meritis & remissione peccatorum, nisi velit unum & eundem librum prædicto duplici titulo insignire. Quinta Psalmo 98. super illo verbo: *adorate scabellum pedis ejus*, veruntamen, ut detur occasio volenti dictas auctoritates Augustini intelligere, in quo sensu ab eo prolatæ sunt, subjungo auctoritatem suam, quæ habetur transsumptivè de conse. dis. 4. cap. *nulli dubitandum & ambigendum est*, ubi ita dicit: *nulli ambigendum est, tum corporis & sanguinis Domini unumquemque fidelium participem fieri, quando membrum Christi in baptismo efficitur, nec alienari ab illius panis calicisque consortio, etiam si antequam panem illum edat & calicem bibat, de hoc seculo, in unitate corporis constitutus, abscedat, quia illius sacramenti beneficio non privatur, quando in ipso hoc, quod illud sacramentum significat, invenitur. In illo enim sacramento corpus & sanguinem suum nobis commendavit, quod & fecit nos ipsos, nam & nos corpus Christi facti sumus*, hæc Augustinus. Et iterum idem ad Bonifacium ita scribit, & habetur eadem dist. 4. c. in Ecclesia, ubi ita dicit: *non cogitetis vitam habere non posse parvulos qui fuerint expertes corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi, dicente Domino: Nisi manducaveritis carnem &c. Manifestum est enim tunc unumquemque corporis & sanguinis Domini participem fieri, quando in baptismo membrum Christi efficitur*, hæc Augustinus. Ex his auctoritatibus & ultima resolutione quam facit idem Doctor doctorum suorum libro tertio de meritis & remissione peccatorum, sive de baptismo parvulorum, studiosus lector & pius dictum excellentissimum doctorem non contrarium, nec sibi ipsi dissonum, sed maximè uniformem & concordem in suis dictis & sententiis clarè percipiet & intelligeret. Similiter dicen-

*Cap. 13. De Ecclesiasticis dogmatibus. cap. 53.*

*Ad S. Augustinum.*

(a) *Lib. 1. cap. 20.*
(b) *Lib. cap. 25.*
(c) *Cap. 4.*

*Cap. 13.*

*De consecr. dist. 2. c. 62. commendavit. Cap. 130.*

*Cap. 4.*

Digitized by Google

dicendum est ad auctoritates Origenis & Chrysostomi, quia ex ipsis nihil concluditur ad auctoritatem communionis sub utraque specie, cum nullam mentionem faciant de specie vini, sed solum de carne & sanguine, quæ ita integrè plenè & perfectè sumuntur à fidelibus sub una specie, sicut si sumerentur sub duplici. Similiter dicendum est ad auctoritatem Innocentii, quia nihil facit ad propositum de præcepto aut necessitate communionis sub utraque specie. Eodem modo ad dominum Armachanum dicendum est, quod nihil confert sua auctoritas ad communionem utriusque speciei: imo quantum potest concipi ex verbis ejusdem dicti textus, Joa. 6. *Nisi manducaveritis &c.* non intelligitur de manducatione sacramentali, quantum ad intentionem suam, dicit enim: *si quis verò dictum Salvatoris omninò velit accipere de manducatione & bibitione sacramentali, tunc intelligendum est de modificatione &c.* ubi expressè & manifestè declarat se loqui non ex sua intentione, cum dicit: *Si quis verò &c.* Ad auctoritatem verò Eusebii dicendum, quod Eusebius loquitur de consecratione qua Christus in cœna vinum in sanguinem commutavit, & quotidie commutat in altari, quod manifestè ostenditur ex verbis ejus, dum dicit: *Adverte quàm evidenter constat vini creaturam Christi sanguinem nuncupandam*, quod utique non fit nisi in altari, ubi prius est vini creatura, & deinde Christi sanguis post consecrationem nuncupatur, post quam consecrationem nullo modo sanguis Christi est vini creatura. Et ad hunc sensum per quandam adaptationem ad sacramentum altaris inducit auctoritatem: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis &c.* Et præterea dictus doctor nullam mentionem facit in prædictis verbis de communione Laica aut de præcepto, sive de necessitate illa, de qua hic loquimur, nec etiam de quacunque alia. Et hæc sint dicta ad secundam partem suæ propositionis, ad laudem & gloriam omnipotentis Dei &c.

*Ad Origenem & Chrysostomum.* *Innocentium.* *Armachanum.* *Eusebium.* *Eusebius in homilia de corpore & sanguine Christi.*

ULterius prosequendo tertiam partem suæ positionis, proponens ita dicit: *Cum autem plurimi adversariorum, divinissimæ communioni sub utraque specie ad Laicos, propter tot testimonia & sanctorum auctoritates, resistere non valentes, ipsam communionem benedictæ Eucharistiæ sub utraque specie ad Laicos fideles concedunt, quantum in se est, & de se esse licitam & Catholicam, quia à Christo instituta, & ab Apostolis & Ecclesia primitiva practicata, & hæc eorum confessio patet per eorum plurima scripta, sed in hoc latibulum omnes confugiunt, dicentes, quod ipsa communio utriusque speciei non sit de præcepto:* hæc proponens. Ad hoc dico; non propter auctoritates & rationes quas adversarii adducunt, quia nullæ sunt, sed propter veritatem in se, quod communio hujus sacramenti secundum se considerata, est licita & Catholica, & dignè sumentibus ac devotè multum utilis ac necessaria; sed quod fiat sub una vel sub duplici specie, est indifferens ad meritum vel demeritum, nisi pro quanto Ecclesiæ consuetudo aut statutum determinat ad unam vel ad duplicem speciem. Nam Christus instituit sacramenta, sed modum eadem dispensandi reliquit Ecclesiæ, ut tenent omnes doctores concorditer: Quando igitur consuetudo Ecclesiæ habebat duplicem speciem, tunc nulli licebat communicare sub una specie in locis, in quibus hujusmodi consuetudo servabatur, & similiter opposita consuetudine in Ecclesia, ex rationabilibus causis invalescente, & maximè statuto & præcepto universalis Ecclesiæ confirmata, nulli licet non conficienti communicare sub utraque specie; unde nullo modo concedimus ipsam communionem sub utraque specie esse licitam & Catholicam, quoad Laicos, licet sic Christus fecerit & Apostolis tradiderit, & Apostolus in primitiva Ecclesia Corinthiorum sic facere permiserit; stante statuto Ecclesiæ in oppositum. Nec confugimus in latibulum, qui est locus hæreticorum, dicentes, quod ipsa communio sub utraque specie non sit de præcepto, imo manemus in ipsa veritate Catholica, sicut in civitate supra montem posita, quæ omnibus sole clarius elucescit. Ad auctoritates igitur Evangelistarum, videlicet Matth. 26. Marci 14. & Lucæ 22. dico, quod stant narrativè, quia Evangelistæ narrant modum, quem Christus tenuit in confectione hujus sacramenti, & verbum hoc, *facite*, quod innuit præceptum, si præceptivè teneatur, refertur ad Apostolos, quos per illa verba in sacerdotes ordinavit, & ad ipsorum successores, tantum; alioquin omnes viri & mulieres essent sacerdotes, & possent hoc conficere sacramentum, quod nullus sanæ mentis diceret. Ad glossam autem quæ dicit, *& aliis date:* dicendum, quod glossa non dicit, quod Christus præcepit Apostolis aliis dare: dato enim, quod non concedetur pro præsenti, quod Christus præcepisset discipulis, dare aliis hoc sacramentum, non tamen præcepit sic dare, quapropter notanter glossa non expressit sic, vel taliter, vel hoc modo aliis dare. Ad canticum Ecclesiæ: *dedit fragilibus &c.* dicendum, quod Christus sacrificium istud instituit & commisit ipsum celebrandum solum presbyteris, quibus sic congruit sumere, non tamen sic dare cæteris, quapropter notanter dicit: *quibus sic congruit, ut sumant & dent cæteris*, & quod ista sit intentio illius cantici, patet tam ex summo pontifice, quàm ex compositione officii, quàm ex ipsa Ecclesia cantante dictum canticum. Nam

*Ad verba: Hoc facite.* *Ad Glossam.* *Ad verba Hymni Dedit fragilibus.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

tempore Urbani, & doctoris sancti, qui officium corporis Christi, & prædictum canticum composuit, per totam Ecclesiam universaliter erat unius speciei consuetudo, ut patet ex doctrina ejusdem doctoris. Ad Nicolaum de Lyra, dicendum, quod secundum opinionem verum dicit, quod per illa verba, *hoc facite*, injungitur Ecclesiæ hujus sacramenti usus, sed non habetur ex hoc, quod injungatur laicali populo usus communionis sub utraque specie. Ulterius ad auctoritatem Damasceni, cum dixit: *dixit Dominus Jesus: hoc est corpus meum & hic est sanguis meus & hoc facite in meam commemorationem, omnipotenti ejus præcepto, donec veniet, efficitur*, dicendum est, quod ibi præceptum Damascenus non intendit referre ad Apostolos, quasi ipsis sit præceptum, ut sic ministrent aliis, sed refert ad naturam, panis, scilicet, & vini, consecrandam, ut obediat præcepto omnipotentis Dei sive Christi, dum videlicet ad verba prolata sacerdotis, panis & vini substantia in corpus & sanguinem Christi divina & omnipotenti virtute convertitur. Est igitur sensus, & *hoc facite*, id est, conficite, & consecrate, transmutando naturæ substantiam in corpus Christi & sanguinem, non utique virtute vestra, sed omnipotenti ejus præcepto, quo scilicet non solum ea quæ sunt, possunt converti in alia, sed etiam ea quæ sunt, possunt in nihilum redigi, & ea quæ non sunt, ad esse produci, secundum quod dicit in Psalmo, *ipse dixit & facta sunt, ipse mandavit & creata sunt.* Si enim Damascenus voluit referre id præceptum ad Apostolos, ut sic deberent facere donec veniat, sufficisset sibi simpliciter dicere: hoc facite præcepto ejus, sine additione *omnipotenti*, quia ad mandatum obligatorium faciendum non exigitur omnipotentia, cum & prælati & puri homines possint obligatoriè præcipere, in quibus non est omnipotentia, quæ utique ad naturalem transubstantiationem subitam & instantaneam de necessitate requiritur. Et ad hunc eundem sensum propriè loquitur Paschasius in sequenti allegatione, cum dixit: *crede, ô fili, quia ita est quomodo ipse dixit, & dubitare factum non potes, ipse mandavit & creatum est, præceptum posuit dicens, in meam commemorationem hoc facite*, nam tota intentio Paschasii in hoc loco est, inducere fidem transubstantiationis panis & vini in veram carnem Christi & in verum sanguinem ejusdem, ad quam transubstantiationem credendam, ipse hortatur quemlibet fidelem, quod ex verbis ejus patet, & ex persuasionibus, cum dicit: *crede ô fili &c.* & ibi punctus faciendus est, *præceptum posuit*, & postmodum sequendum est, *in meam commemorationem facite.* Quidquid tamen sit, sive Paschasius sive Damascenus, sive Nicolaus de Lyra, & quicunque alii dicant, quod illa verba *hoc facite in meam commemorationem*, dicta fuerunt à Christo Apostolis præceptivè, & in persona ipsorum cæteris sacerdotibus, & per consequens Ecclesiæ, in cujus persona sacerdotes ut ministri Ecclesiæ tenentur hoc sacramentum celebrare, conficere, & passionem Christi sub utraque specie repræsentare in conspectu & præsentia fidelium, concedo, nec tamen aliquod sequitur pro communione sub utraque specie. Ad illud igitur quod refert proponens, quod per illa verba, *hoc facite*, intellexit non solum confectionem, sed & manducationem & bibitionem sacramentalem, & quod illa verba dixit præceptivè, dicendum, quod præceptum illud, si tamen præceptivè teneatur, extendit se simul ad confectionem & ad manducationem & bibitionem, quoad ipsum conficientem, quia sacerdos conficiens tenetur sicut conficere, sic & utrunque distinctè, seorsum & separatim sumere, unde non sequitur, quod per illa verba Dominus præcipiat solam manducationem & bibitionem sacramentalem, secundum quod respicit universaliter omnes, sed solum prout manducatio & bibitio sunt conjuncta consecrationi, scilicet in ipso sacrificante. Ad auctoritatem S. Thomæ dictum est in præcedentibus, quod in dictis verbis dictus doctor intendit fundare præceptum implicitè sacramenti secundum se considerati, sed non sub utraque specie, quam in sequenti articulo dicit non esse de necessitate, neque de præcepto. Etenim, secundum quod fuit in præcedentibus aliqualiter apertum, in hoc sacramento duo sunt attendenda: vel ea quæ sunt essentialia, vel ea quæ sunt accidentalia. Quantum ergo ad essentialia, quæ sunt forma, materia, intentio, & ordo, Christus dedit præceptum, quod utique invariabile ac immutabile est: sed non quantum ad accidentalia, cujusmodi sunt, tempus, conditio materiæ, modus sumendi, ritus conficiendi, & hujusmodi, quæ Christus dimisit in potestate Ecclesiæ, ut circa ipsa ordinaret, prout ei Spiritus sanctus, rector ejusdem, inspiraret. Unde sicut in potestate Ecclesiæ fuit statuere, ut non nisi à jejunis hoc sacramentum conficeretur, & etiam nisi in certis casibus sumeretur, cum tamen Christus post cœnam ipsum confecerit & discipulis dederit ad sumendum. Et sicut in potestate fuit Ecclesiæ, per aliquod tempus in fermentato conficere, licet Christus in azymo confecerit, sic eodem & pari modo fuit & est in potestate Ecclesiæ, propter aliquas causas necessarias & rationes, utare modum communicandi Laicos, ut videlicet sub una & non sub duabus speciebus, quemadmodum Christus tradidit communionem, nec videtur ratio, quare potius illa quàm hunc modum mutare potuerit, cum iste modus ita se habeat per accidens, sicut & illa

*Ad Nicolaum de Lyra.*

*Ad Damascenum lib. 4. cap. 14.*

*Psal. 148.*

*Paschasius de corpore & sanguine Domini cap. 15.*

*Quid per illa verba, hoc facite, intelligatur.*

*Suprà in expositione horum verborum.*

*Nisi manducaveritis &c.*

*In sacramento Eucharistiæ considerandæ essentialia, & accidentalia, illa sunt immutabilia, hæc variabilia.*

Digitized by Google

illa. Et hæc distinctio expressè innuitur in præcepto Christi, cum ait, *hoc facite*, non autem dixit, sic, vel hoc modo facite, *hoc* enim ad substantiam refertur, non ad modum. Sed contra arguit proponens, quia ipse Christus ad utrumque addit præceptum, *hoc facite*, ut recitat Apostolus, dicendum quod materia in hoc sacramento potest duobus modis considerari: Uno modo respectu rei contentæ, cujusmodi est verum corpus Christi, & verus sanguis ejus: Alio modo respectu rei significatæ, cujusmodi est passio Christi, refectio spiritualis, tuitio corporis & animæ & cætera, siqua sunt, quæ in hoc sacramento repræsentantur. Ratione primi, panis & vinum cadunt sub præcepto disjunctivè, quia vel utrumque, vel alterum ipsorum sufficit, cum sub utraque, & sub altera ipsarum, verus & integer Christus contineatur, ut fuit declaratum in superioribus satis diffusè; ratione verò secundi, cadit utrumque copulativè sub præcepto, quia passio Christi non potest perfectè repræsentari sub altero ipsorum, & hoc ex ipsius Christi verbis expressè comprehendetur. Non enim ait simpliciter, *hoc facite*, sed addit, *in meam commemorationem*. Si enim dixisset tantummodo *hoc facite*, planum esset, quod altera species sufficeret; quia verò addit: *in meam commemorationem*; utraque necessaria est: unde & Paulus utrumque complexus est copulativè in hujusmodi commemoratione facienda, dicens: *quotiescunque enim manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat:* ideò etiam ad utrumque apposuit præceptum, ut utrumque simul ostenderet fore necessarium ad hujusmodi Dominicæ mortis repræsentationem: si enim ad unam solum apposuisset, videretur, quod sola species sufficeret ad repræsentationem: unde Apostolus est declarativus Lucæ Evangelistæ in hac parte, & Lucas aliorum Evangelistarum, qui non fecerunt mentionem de hujusmodi præcepto. Quia verò hujusmodi commemoratio Dominicæ passionis tantummodo conficientibus, sive sacerdotibus, præcepta est, ut ex superioribus patet, cum ait: *facite*, quod idem est quod conficite vel sacrificate, idcirco sufficit, quod soli sacerdotes in Ecclesia coram populo conficientes & sacrificantes, hujusmodi repræsentantes passionem signis exterioribus, speciebus scilicet panis & vini, non autem quod sic cæteris ministrent, & licet si non sacrificantes sumerent sub utraque specie, sicut antiquitus Corinthii faciebant, & modò faciunt Græci similiter, & repræsentarent mortem Domini, sicut & sacrificantes, non tamen eodem modo: quia sacrificantes ex præcepto, hi verò sine præcepto: & ulterius expressius significantes, quia non solum in sumptione sub utraque specie, sed principalius in confectione, & in elevatione, & cæteris signis & ritibus Christi passio repræsentatur, quàm in sola sumptione. Ad auctoritatem Cypriani quæ hîc ponitur, & ad cæteras quæ infrà ponuntur, primò dicendum est, quod non omnia opuscula neque dicta ejusdem sancti martyris ab Ecclesia acceptantur, ipse enim cum octuaginta Episcopis in quadam synodo provinciali, sub eodem Cypriano, in civitate Carthaginensi celebrata, dixit, hæreticos & schismaticos non posse baptizare, & quod baptismus ab hæreticis collatus, esset lavacrum diaboli, in quo tamen ipse non tenetur, eò quod Ecclesia oppositum determinat, ut habetur 3. dist. Sed sciendum: & in quarto sententiarum dist. 6. contra quem in hac materia egregius doctor Augustinus edidit librum, quem de unico baptismo nominavit, de quo martyre idem Augustinus dicit: *ego visa sanctitate Cypriani, eidem adhæsissem, nisi me Romana synodus retraxisset:* & subdit: *ego dicta Cypriani non approbo, cujus martyrium veneror, cujus ingenium laudo, quia non Ecclesia approbavit: ubi malè sensit, hoc purgatum est igne passionis:* hæc Augustinus: ubi bene attendendum est excellentissimi doctoris Augustini exemplum & documentum, & perpetuò memoriæ retinendum, libenter siquidem, tum propter sanctitatem, tum propter excellentiam ingenii, secutus fuisset opinionem hujus sancti & glorioſissimi martyris Cypriani, quod tamen non fecit, propter Romanam synodum, quæ oppositum illius determinaverat: nec ausus fuit dicta Cypriani approbare, quæ non approbaverat Ecclesia. Si tantus Doctor & tam excellentissimi ingenii ac sanctissimæ vitæ, Augustinus scilicet, non fuit ausus sequi, tam sanctissimum & profundissimum martyrem, stante in oppositum determinatione Ecclesiæ, quid faciemus nos miseri homunculi, qui vix scimus alphabetum componendo balbutire, non dico profunda scripturarum indagare? numquid prudentiæ meæ insistendo, erecta scilicet cervice, hujus hominis quantumcunque sancti & excellentis ingenii, sententiam, aut sensum nostrum proponemus & anteferemus sententiæ & determinationi Catholicæ Ecclesiæ? absit à nobis, & à cordibus cunctorum Christi fidelium. Prædicta idcirco præmisi de dicto martyre, non quod velim ipsum in hac materia nostra negare, sed ut appareat quia non in omnibus ejus doctrina est sequenda: dicendum igitur, quod nec in ista auctoritate, nec in omnibus aliis sequentibus, quoquo modo prædictus martyr, nec implicitè nec explicitè ponit aut dicit, communionem utriusque speciei, quoad laicos, esse de præcepto Christi, aut de mandato ejus: deinde in hac auctoritate loquitur de sacerdotibus & celebrantibus, quibus Dominus præcepit facere in commemorationem suæ mortis, quod patet, quia loquitur in propria persona, qui

*Materia in hoc sacramento dupliciter consideratur.*

*Aliud exemplar m. J. habet: est clarior Luca.* CAN.

*Ad S. Cyprian.*

SÆC. XV. ANNO 1433.



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

erat Episcopus, & etiam loquebatur & scribebat Episcopis, quibus utique præceptum fuit ut facerent in commemorationem mortis Domini: unde dicit, quod sic à Domino præcipitur, ut quotienscunque biberimus, in commemorationem Domini hoc faciamus. Hanc autem reprehensionem faciebat prædictus martyr aliis Episcopis non occasione unius vel duplicis speciei, quoad populum laicalem, sed in primitiva Ecclesia multi sacerdotes multipliciter aberrabant tam circa celebrationem hujus sacramenti, quàm circa dispensationem ejusdem ad populum: nam aliqui hostiam sanguine intinctam populo porrigebant, alii uvas vino apponebant & vinum presbyteri sumebant, uvas verò dabant communicantibus laicis, & pro infirmis in sacrario reponebant: alii verò pannum lineum musto tinctum, per totum annum servabant, & in tempore sacrificii aquâ partem ejus lavantes, lotturam illam ministrabant. Alii lac dabant pro sanguine, ut patet de consecr. distinct. 2. didicimus, & capitulo, cum omne crimen: Illa igitur advertens, & multa alia hic sanctus martyr fieri præter modum à Christo traditum in ministratione & oblatione hujus sacri mysterii, zelo accensus, præsertim Episcopos reprehendit, tanquam eos; ad quos pertinebat alios corrigere & ad viam reducere veritatis, & hæc est totalis & vera intentio prædicti martyris, tam in præsenti auctoritate, quam in omnibus sequentibus, prout declarabitur loco suo: & per dicta patet, quod ea quæ infert proponens, omninò falsa sunt, quia non sequuntur ex intentione dicti doctoris. Ulterius ad auctoritatem Joannis 6. *Nisi manducaveritis*, cum Nicolao de Lyra dicendum, dato, quod esset præceptum de sacramentali sumptione, nullo modo tamen præceptum est de utraque specie, ut dictum est, & clarè ostensum etiam secundum intentionem Nicolai de Lyra, qui ponit ibidem, ut aliàs allegatum est, verba in hunc modum: *non est intelligendum, quod scilicet hoc sacramentum sub utraque specie fidelibus sit exhibendum, sed tantum hoc modo à sacerdotibus est sumendum: licet enim in primitiva Ecclesia populus sub utraque specie communicaret, tamen postea proinde ordinatum, ut non communicet sub specie vini, propter periculum effusionis.* Item ad sanctum Thomam, quem inducit in quæstionibus super quarto, similiter dicendum, quod nihil concludit de utraque specie: similiter glossa interlinealis nullam mentionem facit de specie vini. Item inducit sanctum Thomam sermone 20. & ejus auctoritatem recitat per longum spacium, in qua auctoritate sanctus Doctor nec in verbis nec in quocunque signo explicitè vel implicitè facit mentionem de communione laica utriusque speciei, nec in tota illa auctoritate facit mentionem de vino aut de secunda specie. Et quantum ad auctoritatem Joannis 6. *Nisi manducaveritis &c.* sæpius repetitum est, quod si intelligitur de sacramentali, solùm cadit præceptum ad carnem & sanguinem, & non ad species sacramentales, quapropter correlaria quæ infert, pro quanto aliquid infert pro utraque specie, falsè & malè infert, quia in toto processu ille Doctor non fecit mentionem de utraque specie, sed solum de corpore & sanguine Christi alicubi, alicubi verò sine determinatione de sacramento, quare ex dicta auctoritate nihil concludit quoad utramque speciem. Ulterius inducit eundem doctorem in eodem sermone, quod spiritualis simul & sacramentalis manducatio corporis & sanguinis Christi est utilior & salubrior sola manducatione spirituali: quod utique concedo, cæteris paribus, tamen hoc nihil facit ad utramque speciem. Item ad Paschasium, quem inducit in tractatu suo de Corpore Christi, dicendum primò, quod dictus doctor nullam facit mentionem de præcepto aut necessitate. Deinde ipse loquitur in persona laicorum de sola manducatione, cum dicit, *& comedimus*, & de modo quo sacerdotes conficiunt dictum sacramentum, scilicet in pane Corporis Christi & potu sanguinis, quæ de agro corporis nobis quotidie per officium sacerdotum matureſcunt. Et ad hoc inducit figuram benedictionis frumenti & vini. Quare nihil dicta auctoritas valet ad propositum. In sequenti particula solum loquitur de carne Christi & ejus sanguine, & nullam facit mentionem de speciebus, & sic similiter nihil concludit ad intentum utriusque speciei: Ad Albertum Magnum dictum est superius, quia loquitur solum de conficientibus & sacerdotibus, & cum hoc de significatione: Item ad beatum Bernardum, quem inducit in sermone ad Petrum de Corpore Christi, primò dicendum, quid iste doctor senserit de illa auctoritate: *Nisi manducaveritis, &c.* qui super tertio versu Psalmi 90. dicit: *quid est autem manducare ejus carnem, & bibere ejus sanguinem, nisi communicare passionibus ejus, & ejus conversationi quam gessit in carne? Unde & in hoc designat illud illibatum altaris sacramentum, ubi Dominicum corpus accipimus, ut sicut videtur illa panis forma in nos intrare: sic noverimus per eam quam in terris habuit conversationem, ipsum intrare in nos, & habitare per fidem in cordibus nostris:* hæc ille. Item (a) idem Bernardus in epistola ad fratres de monte Dei, ita dicit: *sicut enim quicunque habet sensus Christi, quantum Christianæ pietati expediat, quantum servum Dei, servum redemptionis Christi deceat, & utile eis sit, una saltim aliqua diei hora passionis ipsius ac redemptionis attentius recolere beneficia, ad fruendum suaviter*

*Cap. 6.*

*Ad Lyram*

*Ad S. Thom.*

*De sacramento altaris, c. 20.*

*Paschas. de corpore & sanguine Domine cap. 21.*

*Ad Albertum Magnum.*

*S. Bernar. in psal Qui habitat, de tertio versu.*

(a) Guillelmus de Sto Theodorico.

*De vita solitaria fol. 178.*

*Sermone de cœna Domini qui*

Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

*viter in conscientia & recondendum fideliter in memoria, quod est spiritualiter manducare Corpus Christi, & bibere ejus sanguinem in memoriam ejus, qui in se credentibus præcepit, dicens: hoc facite in meam commemorationem: in quo etiam propter peccatum inobedientiæ, quam impium sit, hominem tantæ pietatis Dei esse immemorem, palam omnibus est, cum amici hominis abeuntis sub quolibet signo commendatam memoriam nefas sit oblivisci:* Ex quibus verbis manifestè patet, quid prædictus doctor sentiat de illa duplici auctoritate, videlicet, *Nisi manducaveritis*, &, *hoc facite:* quia ambas interpretatur præceptivè & spiritualiter. Sed jam ad auctoritatem suam per adversarium adductam dicendum est, videlicet, quod Dominus noster Jesus Christus Ecclesiæ sponsæ suæ & columbæ dulcissimæ hoc dotalitium, scilicet, corpus & sanguinem suum, indulsit sub sacramento, in suæ passionis & mortis memoriam: & quidem quotidie frequentatur & fit in Ecclesia per operationem & ministerium sacerdotum, pro omnibus fidelibus tam vivis quàm defunctis: Non enim omnia quæ Christus dimisit Ecclesiæ, eodem modo conveniunt singulis de Ecclesia, alioquin cùm Christus dimisit Ecclesiæ sacerdotium, sequeretur, quod omnes essent sacerdotes, omnes Prophetæ, omnes Apostoli, omnes Pastores & Doctores, quod patet falsum esse manifestè, quia nec omnes Prophetæ &c. & tamen omnia Christus indulsit Ecclesiæ suæ sponsæ, secundum quod dicit Apostolus: *quosdam quidem dedit Apostolos &c. in consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi:* similiter in corpore naturali oculus datus est non sibi soli, sed corpori; nec tamen omnia membra sunt oculus. Similiter Christus hoc dotalitium, in quantum est memoriale suæ mortis, indulsit Ecclesiæ in persona sacerdotum, ut non solum sibi, sed toti Ecclesiæ deservirent. Ad istud autem quod dicit Bernardus, *idem fieri præcepit*, referendum est ad illud præceptum, quo Christus præcepit Apostolis, dum eos in sacerdotes ordinavit, dicens: *hoc facite in meam commemorationem*, ubi præcepit confectionem hujus sacramenti in pane & vino, quod ad solos pertinet sacerdotes. Quod quidem præceptum si universos fideles obligaret, sequeretur, quod omnes laici, mares & feminæ, deberent & possent hoc sacramentum conficere, quod omninò falsum est, absurdum & erroneum: Item ad Durandum dicendum, quod nullam mentionem facit de duplici specie, sed tantummodò dicit, quod sacramentum hoc est de necessitate salutis, ratione præcepti Domini, & etiam Ecclesiæ, ex quo non sequitur, quod utraque species sit de præcepto: Item ad Armachanum, Primatem Hiberniæ dicendum, quod ille expressè approbat ritum Ecclesiæ Romanæ & consuetudinem unius speciei, vel saltem eum non reprobet: quod utique fecisset, si credidisset eam fore illicitam, alioquin assimilaretur cani muto, non valenti latrare, & cum duo sint officia sapientis, videlicet meditari, & defendere veritatem, & falsitatem atque impium detestari, secundum illud: *Veritatem meditabitur guttur meum, & labia mea detestabuntur impium:* utique non fuisset doctor veritatis, si visa impietate, non fuisset eam detestatus. Approbat igitur consuetudinem Ecclesiæ Romanæ, ex quo narrat eam, & fulcit rationibus, nec eam reprehendit, ut decuisset doctorem Catholicum, ut patet in fine auctoritatis ejus. Nam ita dicit: *Ecclesia tamen Romana in usu habet solum vinum calicis conferre post communionem Corporis Christi.* Ecce narratio; *ne forte per negligentiam, quæ leviter posset contingere in ministrando in multitudine populi sacramentum sanguinis Christi fidelibus quibuscunque, aliquid effunderetur de ipso sacramento, quale periculum non est in ministratione Corporis Christi fidelibus indistinctè, & ideo populo sacramentum sanguinis non ministrat, quamvis fieri posset licitè, juxta scripturam canonicam:* hæc Armachanus. Ulterius ipse idem in præcedentibus non dicit, quod utraque species sit de necessitate, aut de præcepto Christi, sed juxta legem sive scripturam canonicam licitè possit sub utraque specie ministrari, supple, non obstante consuetudine Ecclesiæ in oppositum. Ulterius Magister proponens inducit, quod multum accommodum esset in materia fidei & aliis, conformari Ecclesiæ primitivæ, & ad hoc inducit auctoritatem Bedæ in homilia infra octavam Ascensionis Domini, dicentis: *Perfectum vitæ magisterium est, Ecclesiæ primitivæ actus imitari.* Ad idem inducit Apostolum, qui dicebat, fideles debere imitari eos, & debere stare & tenere traditiones, quas didicerant sive per sermonem sive per epistolam. Ad quod dicendum, quod si praxis Christi & exemplum non obligat sub præcepto, multo minus praxis Apostolorum, aut primitivæ Ecclesiæ. Nam praxis & exemplum Christi non obligat de necessitate salutis ad ipsum imitandum in omnibus suis actionibus & operationibus, quod patet inductivè in singulis generibus operum Christi. Nam non tenemur de necessitate Christum imitari in operibus supernaturalibus, ut puta in faciendis miraculis, similiter nec in omnibus operibus moralibus, ut puta in his quæ pertinent ad perfectionem, nisi quis se sponte voto proprio astrinxerit, ut est paupertas, castitas, obedientia & hujusmodi, quæ si ratione exempli obligarent, utique omnes Christiani ad prædicta obligarentur, & sic omnes divites, in matrimonio constituti, essent in statu damnationis, quod est

*habetur inter quosdam ascriptos, fol. Basil. edit. 2185.*

*Non omnia quæ Christus Ecclesiæ reliquit ad omnes spectant.*

*Alioquin omnes essent, Sacerdotes, Prophetæ, Apostoli. Ephes. 4.*

*In sermone de cœna Domini.*

*Ad Durandum lib. 4. dist. 9. cap. 2.*

*Ad Armachanum.*

*Prover. 8.*

*2. Thess. 2.*

*Non tenentur fideles in omnibus imitari Christum, in suis actionibus. Patet, in miraculis, observatione consiliorum.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

omninò hæreticum. Similiter Chriſtus jejunavit 40. diebus & noctibus, non habuit propriam domum, ſpontè permiſit ſe crucifigi, & multa alia pati, in quibus imitari non tenemur de neceſſitate. Alioquin omnes hæretici, ſicut ſunt, eò quod hæretici, eſſent in ſtatu damnationis, qui in prædictis Chriſtum non ſequuntur, ſimiliter in ſacramentalibus & ceremonialibus Chriſtus permiſit ſe circumcidi, octavo die in templo præſentari, Paſcha vetus celebravit, & ut ad noſtra veniamus, hoc ineffabile ſacramentum, de quo eſt ſermo in præſenti, ipſe Dominus in cœna confecit, & poſt alios cibos ipſum tradidit edendum diſcipulis, in quibus omnibus Eccleſia nec imitatur Chriſtum, nec tenetur imitari; imò tenetur non imitari. Et pari ratione non tenetur nec obligatur, ex ratione praxis vel exempli, imitari Chriſtum in communione ſub utraque ſpecie. Si igitur praxis Chriſti & exemplum non obligat ſub præcepto, multò minus praxis Apoſtolorum aut primitivæ Eccleſiæ. Sive igitur in primitiva Eccleſia fuit hic modus communicandi laicos ſub utraque ſpecie univerſalis in tota Eccleſia, ſive partialis in aliquibus Eccleſiis, ut communiter tenent omnes, quia non poteſt ſufficienter probari hunc modum fuiſſe univerſalem, nec aliquem Apoſtolorum dediſſe communionem ſub utraque ſpecie, excepto Apoſtolo, hoc Corinthiis permittente, non ſequitur tamen, quod etiam nunc ita debeat fieri aut obſervari, cum Chriſtus nullibi, ut declaratum eſt, ſic, vel ſic fieri mandaverit aut præceperit. Ad auctoritatem verò Bedæ dicendum primò, quod nullam facit mentionem de hoc ſacramento. Demum quod ipſe loquitur de imitatione vitæ in moribus, nec neceſſitatem imponit, ſed invitat ad perfectionem. Unde dicit; *perfectum vitæ magiſterium eſt Eccleſiæ primitivæ actus imitari:* non autem dicit, neceſſarium vitæ magiſterium &c. multa enim in primitiva Eccleſia fiebant, ad quæ tamen moderna non obligatur ex præcepto: & ut exemplariter dicatur, legitur quidem in Actibus Apoſtolorum 4. cap. quod multitudinis credentium cor unum & anima una, neque quiſquam eorum quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia, & quod offerebant precia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum, dividebaturque ſingulis prout cuique opus erat: hoc quidem tunc fiebat, ſed tamen non ex præcepto, neque de neceſſitate ſalutis, nec tenentur omnes fideles ad hujuſmodi communitatem. Paulus etiam circumcidit Timotheum, Actuum 16. & Apoſtoli præceperunt, quod gentiles converſi ad fidem abſtinerent à ſanguine & ſuffocato, Actuum 15. quæ tamen ſine periculo omittimus, cum nullum ipſorum ſit de neceſſitate ſalutis. Similiter ſacerdotes tunc licitè ducebant uxores, non autem tempore præſenti, & multa alia fiebant in primitiva Eccleſia, quæ modò licitè non fiunt, & ſic dicendum eſt, de communione utriuſque ſpeciei &c. Item in primitiva Eccleſia quaſi omnibus indifferenter licitum erat baptiſare, prædicare, & hujuſmodi: unde Ambr. ſuper epiſt. ad Epheſ. & *ipſe dedit quoſdam Apoſtolos*, ita dicit: *ut craſceret plebs & multiplicaretur, omnibus inter initia conceſſum eſt evangelizare & baptizare & ſcripturas in Eccleſia explanare: at ubi omnia loca circumplexa eſt Eccleſia, conventicula conſtituta ſunt, & rectores ac cætera officia in Eccleſiis ordinata ſunt: quia ſi omnes eadem poſſent, irrationabile eſſet, & vulgaris res & viliſſima videretur:* hæc ille. Poſt prædicta Magiſter proponens praxin dictæ Eccleſiæ primitivæ volens diligenter confirmare & pertractare, inducit multa exempla, & primò exemplum Corinthiorum, apud quos viguit communio prætacti calicis, prout ex epiſtola Apoſtoli Pauli colligitur, ad quod dicendum, quod ſicut praxis Chriſti, qui ſub utraque confecit & tradidit diſcipulis, non obligat ex neceſſitate, aut ex præcepto; ſic multo minus exemplum Corinthiorum & praxis eorundem obligabit Eccleſiam ad ſic vel ſic faciendum. Ulterius inducit practicam & auctoritatem Dionyſii ſcribentis de Eccleſia. Hierarchia, c. de Euchariſtia: compertum. Ad quod dicendum, quod prædictus S. Philoſophus & ſummus Theologus fuit diſcipulus Pauli, & Græcus, & Athenienſis natione, quia igitur in primitiva Eccleſia Græci ab Apoſtolo ſuſceperunt conſuetudinem utriuſque ſpeciei, eam ſervarunt uſque ad præſentem diem, & ſic Dionyſius conſuetudinem Græcorum ſequens, loquitur in prædicta ſua auctoritate, & gloſſa ejusdem, de prædicta communione utriuſque ſpeciei: In nulla tamen parte illius auctoritatis, nec in toto illo capitulo, imo nec in tota ſua doctrina, Beatus Dionyſius dicit illam communionem eſſe neceſſariam, vel de præcepto Chriſti, & per conſequens per ipſam nihil contra veritatem Catholicam & Eccleſiæ conſuetudinem concluditur. Vel dicendum ad dictam auctoritatem Dionyſii, ſicut dicit S. Thomas in tertia parte, quod ſicut ſacerdos offert unum calicem pro omni populo, & ideo calix populo non datur: Sicut etiam ſacerdos ſacrificans unionem calicis, quoad meritum & remiſſionem peccatorum, omnibus qui adſunt de populo fide & devotione dividit & diſtribuit: Sicut enim pro omnibus offert, imo & ipſi cum ipſo offerunt: Sicut enim ſacerdos ait pro omnibus orans; & *omnium circumſtantium, quorum tibi fides cognita eſt, & nota devotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc ſacrificium laudis* &c.

*Jejunio 40. dierum, ſpontanea paſſione.*

*Sacramentalibus & caremonialibus.*

*Multò minus tenentur obſervare in omnibus praxim Eccleſiæ primitivæ.*

*Ut conſtat ex communitate rerum, circumciſione aliquandiu tolerata, & ſimilibus.*

*Imò uxorati promovebantur ad ſacerdotium, ab uxoribus tamen abſtinebant. S. Ambr. in 4. c. ad Epheſ.*

*S. Dion. cap. 3.*

Digitized by Google

&c. Sic & ipſe ſumens in perſona omnium, omnes ſumunt cum ipſo, qua ipſius oblationis omnes fideles efficiuntur participes per remiſſionem peccatorum & augmentum gratiæ, & in his ſacerdos ſacram conſummat actionem. Ulterius ad Origenem, quem inducit in homilia 16. ſuper lib. Numerorum, dicendum, quod ipſe intelligit prædictum textum Joan. 6. *Niſi manducaveritis &c.* de duplici manducatione, ſacramentali ſcilicet & ſpirituali: unde eodem modo intelligitur dictum ſuum, ſicut & prædicta auctoritas: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis*: expoſitum eſt autem ſuprà, quod prædicta auctoritas ſive intelligatur de ſacramentali manducatione, ſive ſpirituali, non tamen adverſarius habet intentum; quod utraque ſpecies cadat ſub præcepto, in cujus ſignum, nulla mentio fit de ſpeciebus panis & vini: verùm ſi prædictus doctor vel ex prædicta auctoritate vel ex aliis dictis ejuſdem traheretur ad communionem utriuſque ſpeciei, tunc dicendum eſſet, quod ipſe loquitur ſecundum conſuetudinem Græcorum, cum & ipſe Græcus fuerit natione, apud quos, ut dictum eſt, fuit & eſt conſuetudo utriuſque ſpeciei, non tamen aliquo modo dicit, eam eſſe de neceſſitate aut de præcepto Chriſti. Deinde inducit practicam Beati Donati, allegans Beatum Gregorium, & paſſionale &c. Dicendum, quod Beatus Gregorius nullam mentionem in loco præallegato facit de ſanguine, ſed ſolum de reparatione calicis. Et ad hiſtoriam legendæ ſuæ eſt dicendum, quod Beatus Donatus miniſtrabat populo ſanguinem, ſecundum conſuetudinem, quæ tunc in Eccleſia ſua tenebatur, & ſecundum quod quidam dicunt, propter prædictum ſcandalum, quod ſibi contigit in prædicta fractione, licet per miraculum reparaverit, deinceps dictus martyr cœperit populo miniſtrare hoc ſacramentum ſub una ſpecie: ejus exemplo alii propter ſimilia ſcandala & alia quæ numerata ſunt, cœperunt ſimiliter facere: & quia prædictus martyr non affirmabat neque docebat duplicem ſpeciem eſſe de ſalutis neceſſitate aut de præcepto Chriſti, ideo non plus concludunt adverſarii exemplo ſuo, quàm fecerint exemplo Chriſti & aliorum ſanctorum, qui ſub utraque ſpecie hoc ſacramentum miniſtraverunt. Item ad id quod inducit de ſancto Thoma, quod videlicet diaconi habent diſpenſare ſanguinem Chriſti fidelibus, dicendum, quod Doctor ſanctus ibidem deſcribat actus, quos in ſacris conſtituti ex officiis ipſorum exequi poſſunt: qua propter ſi eſſet conſuetudo, vel ſi Eccleſia non ſtatuiſſet oppoſitum, qui ſanguis Chriſti ſub ſpecie vini populo miniſtraretur, utique diaconi ex officio poſſent miniſtrare; ſecundum quod de Beato Laurentio legitur, & allegatur, per Beatum Auguſtinum, ſed hoc nihil facit ad propoſitum de neceſſitate & præcepto utriuſque ſpeciei. Ulterius ad Leonem Papam dicendum, quod prædictus Leo Papa ſcripſit contra Manichæos, qui negabant Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis, & per conſequens nec diem Dominicum volebant celebrare, ſed in contemptum Dominicæ reſurrectionis & Eccleſiæ Dei illo die jejunabant, & ſic de hujuſmodi hæreticis loquitur, qui ad tegendam ſuam infidelitatem immiſcebant ſe conventibus Chriſtianorum, & interdum quando latere amplius non poterant, indigno ore ſimulando ſe eſſe Catholicos, Corpus Chriſti recipiebant, ſanguinem autem Chriſti haurire de calice omnino declinabant, exiſtimantes nondum Chriſtum reſurrexiſſe, ſed ipſum adhuc mortuum eſſe, ideoque ex conſequenti credebant corpus ejus ſine ſanguine exiſtere, & ſic propter illam infidelitatem Chriſti ſanguinem omninò cavebant recipere ab altari. Non eſt ergo ſimilis ratio in illis, & in noſtris Chriſti fidelibus Catholicis, quia illi propter dictam infidelitatem ſanguinem nolebant capere, noſtri autem propter conſuetudinem & præceptum Eccleſiæ, laudabiliter & ex cauſis neceſſariis & rationabilibus introductam. Et ulterius patet, quod in dicta auctoritate Leo Papa nullam fecit mentionem de neceſſitate aut de præcepto Chriſti; quare nihil facit ad propoſitum, ad quod probandum eam adverſarii introducunt, & per conſequens non ſequitur, quod communicantes ſub prima ſpecie, & calicem haurire declinantes, dicatur ſacrilegii crimen committere: nec etiam à ſocietate ſanctorum ſunt expellendi, & ſic excommunicandi, nec ab ipſis tanquam ab excommunicatis eſt declinandum, ut Magiſter proponens ex dicta auctoritate Leonis infert: quia nec communio calicis eſt præcepta, & per conſequens nec grande ſcelus contra legem Dei committunt communicantes ſub una ſpecie, nec ſubeſt etiam eadem cauſa in nobis, ſicut ſuberat in illis hæreticis, de quibus Leo Papa loquebatur: potuiſſet tamen dominus proponens honeſtius inferre quod intendebat, vel ſaltem honeſtatem meam cum majori pacientia ſubportare: Deinde ad auctoritates Gregorii dicendum, quod Gregorius loquitur in dicta auctoritate de ſanguine Domini, & non de ſpecie vini, qui ſanguis Chriſti verè & completè ſumitur ſub prima ſpecie panis & per ora fidelium funditur. Ulterius ad auctoritates Auguſtini, & primò ad illam quæ habetur de conſecr. diſ. 2. quia paſſus &c. dicendum, quod Auguſtinus loquitur fidelibus & populis, invitans eos ad hujuſmodi ſacramenti perceptionem, magis ſub nomine calicis, non ratione ſacramentalis ſumptionis, ſed ratione ſignificationis, ſcilicet ratione contenti & effectus, qui ſanguini appro-

SÆC. XV. ANNO 1433.

*Ad Origenem.*

*Ad S. Thom. lib. 4. diſt. 24. quæſt. 2. ar. 3. ad 5.*

*Ad Leonem Papam.*

*Ad S. Gregor.*

*Ad S. Aug. cap. 30.*

Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

propriatur, videlicet ratione refrigerii & læticiæ ſpiritualis, quod manifeſtè innuitur cum dicit: *& vos poſt jejunia, poſt labores, poſt humilitatem, & contritionem, jam in nomine Chriſti tanquam ad calicem veniſtis*, quaſi diceret, poſt anxietates & labores præſentis ſeculi, tanquam ad refrigerium, id eſt, ad conſolationem ſpiritualem ad calicem veniſtis, & notanter ait, *tanquam ad calicem*, & non ſimpliciter, ad calicem veniſtis, ad innuendum, quod non de ſacramentali calice, ſed de eo quod per calicem ſignificatur intelligit, quod etiam ſequentia verba declarant cum dicit: *& vos ibi eſtis in menſa, & ibi vos eſtis in calice, nobiſcum vos eſtis.* Eſt enim populus in calice ſimul cum ſacerdotibus, in quantum populus Chriſto conjungitur, qui per aquam ſignificatur: ideo enim aqua in calice miſcetur, ut populus Chriſto ſuo capiti uniri ſignificetur: & cum ſubjunxit: *ſimul enim hoc ſumimus, ſimul bibimus*, non ibi ſubſtitit, ſed quomodo populus ſimul bibat nobiſcum declarans adjunxit, *quia ſimul vivimus:* dicuntur igitur laici bibere nobiſcum, quia ſimul vivunt nobiſcum caritate conjuncti. Ex quibus patet manifeſtè, quod Auguſtinus non dicit abſolutè, quod populus bibat de calice ſacramentali, quod oſtendit per illud quod dicit, *tanquam ad calicem veniſtis*, & per illud enim declarat *ſimul bibimus*, per *ſimul vivimus:* quare ſecundariò poſſet dici, quod Auguſtinus ibi loquitur de bibitione & ſumptione myſtica, ut patet per illud, *ſimul bibimus, quia ſimul vivimus*, ſupple uniti in caritate Dei, qua fideles efficiuntur una vita in Chriſto & cum Chriſto. Et quod ſic debeat intelligi dicta auctoritas, *quia paſſus &c.* oſtenditur per ſubſequentem auctoritatem: *nulli ambigendum eſt, unumquemque fidelium corporis & ſanguinis Dominici participem* fieri, ut fuit ſuperius allegatum. Item ad ſecundam auctoritatem ejuſdem doctoris quæ ponitur de conſecr. diſt. 2. Cum frangitur hoſtia &c. dicendum, quod hæc auctoritas omninò intelligitur de ſacrificantibus ſacerdotibus, ad quos Chriſti paſſionem ſuis myſteriis & actibus pertinet repræſentare. Nam dictum eſt, quod Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus ſacerdotibus dicta ſunt illa verba: *hoc facite in meam commemorationem.* Quod igitur illa auctoritas ſic intelligatur, patet ex verbis in eadem poſitis, & debitè ponderatis. Nam dicit: *dum frangitur hoſtia &c.* Patet autem, quod hoſtia frangitur à ſacerdotibus & non à laicis, quæ fractio nihil aliud ſignificat, quàm corporis Dominici in cruce immolationem: frangitur autem in tres partes, ſecundum triplicem differentiam Corporis Chriſti myſtici, ut patet per Magiſtrum diſt. 12. quarti libri ſententiarum. Sicut igitur per prædictam fractionem, quæ fit per ſacerdotem, vulneratio veri Corporis Chriſti deſignatur, ſic & per ſpecies vini & earum de calice in os ſacerdotis fidelis fuſionem, expreſſa effuſio ſanguinis Chriſti in cruce facta pro noſtra reconciliatione ad Deum ſignificatur. Unde & inſimul prædicta duo conjunxit, videlicet: *dum frangitur hoſtia, dum ſanguis de calice in ora fidelium funditur*, ut ad eundem utrumque pertinere deſignaret, ſcilicet fractionem & ſanguinis ſumptionem, ſcilicet, ad ſacerdotes. Pro ſano tamen intellectu ejus quod dicit Auguſtinus & multi alii ſancti doctores, notandum eſt id quod dicit Wilhelmus Pariſienſis de ſacramentis, parte tertia, *ſi à ſanctis aliquando dicitur, quod ſanguis ille ſanctiſſimus in ora fidelium funditur, intellige quod non funditur, ſed mittitur, & hoc cum ipſo & in ipſo ſacro corpore cujus eſt, non extra.* Hæc ille: quia & ſuperius declaratum eſt, ſanguis Chriſti eundem modum habet exiſtendi, quantum ad veritatem, ſub ſpeciebus vini, quem habet ſub ſpeciebus panis, quia ſub utriſque ſanguis eſt in corpore, in venis, & non extra. Unde propriè nec corpus manducatur nec ſanguis bibitur, ſed hi actus propriè ad ſpecies terminantur, ſub quibus verè & propriè ſumitur, caro ſcilicet & ſanguis, licet ex vi converſionis aliter & aliter: Vel dicendum, quod etiam ſi indifferenter intelligatur de omnibus fidelibus, verum erit in communione unius ſpeciei, quod ſanguis Chriſti in ora fidelium funditur ſub ſpeciebus panis, quia cum non alium modum ſanguis Chriſti habeat exiſtendi ſub ſpeciebus vini, quàm ſub ſpeciebus panis, cum nec ibi, nec hîc ſit effuſus, ſed intra venas corporis incluſus, ita bene ſub ſpeciebus panis in ora fidelium funditur, ſicut ſub ſpeciebus vini: unde ſicut prædicta fractio hoſtiæ in altari non eſt niſi ſpecierum tantum, & non corporis Chriſti, cum ſit infrangibile, impaſſibile, & incorruptibile, ſic etiam nec illa effuſio eſt ſanguinis Chriſti, eadem ratione, ſed tantummodo ſpecierum vini. Quare ſub quibuſcunque ſpeciebus tradatur fidelibus, ſemper ſanguis Chriſti in ora ipſorum funditur, eo modo ſanè intelligendum quod dictum eſt. Ulterius dicendum eſt ad auctoritates quæ inducuntur ex dictis ſancti martyris Cypriani & ex epiſtolis ejuſdem. Et primò ad primam, quod dictus martyr reprehendit Epiſcopos, quia ſub una ſpecie populo miniſtrarent, imo in tota doctrina prædicti martyris & in omnibus epiſtolis ſuis nunquam reperietur, nec in verbis nec in ſenſu, quod ipſe tractaverit materiam unius vel duplicis ſpeciei, an videlicet cadat ſub præcepto Chriſti, vel quod ipſe dicat duplicem ſpeciem eſſe de præcepto Chriſti, ſed quia in calice Dominico ſanctificando, & plebi miniſtrando, non hoc faciebant, quod Jeſus Chriſtus fecerat, ſcilicet vinum cum aqua tantum-

Cap. 37.

Cap. 3.

*Ad S. Cyprianum iterum.*

*Epiſt. ad Cæcilium 63.*

Digitized by Google

tantummodo mixtum offerendo, sed vel lac pro vino, vel uvas admiscendo, vel aliquod aliud offerendo, consecrando, sicut & ministrando populo contra ritum & modum à Christo traditum, & ideo reprehendendi erant, quia graviter errabant, vel forte quia calicem non consecrabant, aut fortè aquam vino non miscebant. Offerre autem populo sub una specie, ex consuetudine & statuto Ecclesiæ, non est errare, & ita non reprehensibile, imo laudabile & meritorium, cum nihil agatur in calice Dominico sanctificando, quod Christus non fecerit, in quo totus error prædictorum consistebat. Si enim in sanctificando & consecrando calicem Domini, consecrassent vinum & aquam, sicut Christus fecerat, & sicut nunc Ecclesia facit, licet aliter populo post consecrationem hostiam ministrarent, non consecratum vinum vel aquam, sicut nunc facimus, non fuissent tantum reprehensibiles, nisi in quantum contravenissent consuetudini Ecclesiæ. Ad secundam auctoritatem ejusdem, dicendum, quod loquitur martyr secundum consuetudinem quam habebat in Ecclesia cui præsidebat. Et sicut tunc necessarium erat, id est, utile, in quotidiana pugna existentibus, sumere Eucharistiæ sacramentum, juxta morem Ecclesiæ sub utraque specie, sicut & nunc valde utile esset, & est fidelibus, sæpius accipere hoc divinissimum sacramentum sub una specie, qua armentur contra instantia hujus miserabilis mundi pericula & tentationes, quas jam Antichristus per suos ministros parare incepit, & gravissimè producere: nec minus erunt armati fideles, sub una specie sumentes, quam essent illi, qui idem & tantundem sumebant sub utraque. Et utique optimè facit ad propositum auctoritas ejusdem martyris loquentis de pressura & de temporibus Antichristi, qui Christi milites his gravissimis temporibus fide incorrupta & veritate robusta debent se parare ad persistendum fortiter, & ut armentur & fortificentur, debent quotidie spiritualiter fide & devotione calicem Domini bibere, & sæpe ad sacramentalem communionem unius speciei, sub qua vera caro Christi & verus sanguis Christi cum cæteris concomitantibus continetur, accedere, quemadmodum & ad communionem sub duplici specie, de qua idem martyr loquebatur, propter consuetudinem quæ tunc in Ecclesia sua habebatur, fideles devotissimè accedebant. Ad tertium ejusdem dicendum, quod dictus martyr loquitur de communione simpliciter, nec est sensus, quod tunc aliqui sacerdotes ministrassent militaturis pro Christo, hostiam tantum, sine vino, & quod propter hoc ipsos reprehenderet; sed quia denegabant eis simpliciter sacramentum: utitur autem magis terminis sanguinis & poculi, propter similitudinem effundendi sanguinis in martyre. Ad quartam ejusdem martyris, dicendum, quod calix Domini lætificat turbam, non ratione specierum, sed ratione rerum, ut sæpe dictum est, & ideo sive sub una specie, sive sub duplici sumatur, fideliter & devotè, semper lætificat turbam; quia verò tempore prædicti martyris consuetudo erat duplicis speciei; idcirco ex quo calix dabatur populo, debebat dari eo modo quo Christus dederat, videlicet vinum cum aqua mixtum, propter significationem. Nam aqua populum significat, quæ mixta in calice conjunctionem populi ad Christum significat, quod utique non faciebant illi, quos dictus martyr reprehendebat, & ob hoc errabant; unde meritò erant reprehendendi. Cum autem dicitur: *veritas Dominica &c.* dicendum, quod verum est, quod Christus seorsum panem, & seorsum vinum tradidit. Non tamen sic præcepit laicis tradendum; nec de hac veritate loquitur hic martyr, sed de veritate sanguinis, sive vini & aquæ, quæ in calice debet offerri, & pro tunc populo tradi: quam veritatem non sequebantur illi, qui hîc reprehenduntur, quia vel lac offerebant, vel aquam non admiscebant, vel aliquem alium errorem ex prædictis in consecrando & ministrando committebant. Ad aliud, quod qui ex contemptu dimittebant tunc bibere sanguinem Christi, quasi erubescentes, errabant & graviter peccabant, cum ex contemptu, tum quia contra consuetudinem Ecclesiæ faciebant, & ex hoc signum erat modicæ devotionis & modici fervoris, qui ad sustinendum martyrium maximus requiritur. Similiter & nunc dicere possumus, quod sanguinem pro Christo effundere non poterunt, qui sanguinem Christi sub duplici specie, sicut sunt sacerdotes, vel sub una, ut laici, bibere erubescunt, sacram communionem contemnentes. Ad auctoritatem quæ sub nomine Fulgentii allegatur, dicendum primò, nullam facit mentionem de necessitate aut de præcepto Christi, nec facit mentionem de communione laica, quare in nullo adversariis suffragatur: sed advertendum quod prædicta auctoritas, sub nomine Fulgentii allegata, non est illius antiquissimi doctoris, cujus auctoritas in magna veneratione habetur apud Ecclesiasticos doctores: quod patet tam ex diversa allegatione dictæ auctoritatis, quàm etiam ex suspecta doctrina, quæ in dicta auctoritate videtur contineri: nam ut refert Magister Thomas Anglicus, qui doctrinam Wickleff plenissimè legit, optimè intellexit, & fortissimè atque acerrimè, ut verus Ecclesiæ Catholicæ filius & doctor Catholicus, impugnavit, hunc Fulgentium Wickleff primo vocabat magnum Ambrosium, vel saltem magni Ambrosii discipulum: Alii verò subsequentes Wickleviste hunc eun-

*Epist. 54.*

*Suprà in motivis Ecclesia pro una specie, circa finem.*

*Ad Fulgentium.*

*Thomas Waldensis de sacramento Eucharistiæ. cap. 93.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

eundem vocaverunt & vocant Isidorum. Alii verò Walerannum, Alii autem vocant & nuncupant Fulgentium: hanc autem falsam denominationem dictæ auctoritati & aliis fortasse dederunt Wickleviſtæ, ut propter auctoritatem dictorum doctorum, quorum falsè nomina assumunt, facilius valeant simplices & incautas mentes decipere: unde videtur prædicta auctoritas esse Berengarii, qui aliquando malè sensit de veritate hujus sacramenti, cujus revocatio habetur de consecr. dist. 2. Ego Berengarius, qui, ut refert Magister Thomas, in 2. à damnatæ memoriæ Wickleff differebat, quia dicebat, in hoc sacramento post consecrationem, panis & vini substantiam remanere simul cum vero corpore & sanguine Domini nostri Jesu Christi. Wickleff verò totaliter amovit substantiam & veritatem Corporis Christi ab hoc sacramento. Ita dicit Walerannus 3. cap. de azymo & fermentato: *Significari*, inquit, *pane illo dixi Ecclesiam, non in eo quod offertur, & consecratur, sed in eo quod de multis granis ut dictum est, conficitur. Nam in eo quod consecratur, nec ipsum individuum corpus Domini significat, sed est: transfuso in se Dei verbo per fidem passionis. Dominus enim non, hoc significat, sed hoc est corpus meum, inquit.* Hæc ille, cujus memoria in damnatione est: videtur autem fuisse prædictus Berengarius tempore Anselmi, ut potest perpendi ex epistola, quæ in procœmio ponitur libri ejusdem Anselmi de corpore & sanguine Domini, in qua eundem redarguit de errore suo, quem tenebat in capitulo de Eucharistia, & fraternè monet, ut errorem suum corrigat. Patet secundo, quod dicta auctoritas non sit magni Fulgentii, propter suspectam doctrinam in ea contentam. Nam manifestè sapit errorem Berengarii, qui posuit substantiam panis & vini simul cum substantia Corporis Christi in hoc sacramento remanere: unde dicit: *verbum Patris carni & sanguini, quem de utero virginis assumpserat, & pani ac vino, quod in altari sumitur, medium interveniens, unum efficit sacramentum.* Ecce quàm apertè hîc patet venenum, cùm dicit, quod verbum Patris interveniens ex carne & sanguine & pane ac vino unum efficit sacramentum, quod est omninò contra fidem Catholicam. Idem ostenditur error per verba sequentia, cum dicit, quod cum in ora fidelium sacerdos distribuit, panis & vinum absumitur & transit, partus autem virginis cum unito sibi Verbo Patris & in cœlo & in hominibus integer permanet & inconsumptus. Ecce iterum dicit, quod in ora fidelium sacerdos distribuit panem & vinum, quod omninò est à fide Ecclesiæ alienum. Ex quibus manifestè colligitur, quod dictus auctor, cujus est dicta auctoritas, & multæ aliæ similes, nec auctoritate Ambrosius magnus fuerit, nec ejus discipulus, nec fide Isidorus, nec ætate Fulgentius, sed potius Berengarius; quandoque in fide de vino, & contemporaneus Anselmi, vel fortè aliquis ejus Berengarii discipulus in errore: quapropter simpliciter neganda est hujusmodi auctoritas, & cæteræ similes, cum earum auctore: laborandum tamen esset, ut originalia haberentur magni Fulgentii, & aliorum, ut manifestior fieret sacrilega malitia Wickleffistarum, qui non desistunt sacrarum scripturarum & Catholicorum doctorum sanum pervertere sensum. Legi siquidem ejusdem Fulgentii tractatum de fide incarnationis filii Dei, insuper libellum de quinque quæstionibus ad Ferrandum Carthaginensem diaconum, & nihil de hujusmodi suspecta doctrina valui deprehendere in dictis ejusdem præclarissimi & glorioſissimi doctoris. Ad antiqua Missalia dicendum, quod Missalia antiqua continent rubricam & notulam secundum consuetudinem primitivæ Ecclesiæ, in qua in aliquibus locis consuetudo erat communionis utriusque speciei, quoad populum: nec tamen in illa notula dicitur, quod sic fieri debeat ex necessitate aut ex præcepto: & ut clavus clavo retundatur, cum adducunt antiqua Missalia, adducamus & nos antiquissima, in quibus rubrica & notula de officio diei parasceves sententiat & ponit, quod illo die corpus & sanguis non debent consecrari, sed quod hostia à præcedenti die debet servari, sola species scilicet panis debeat sumi à sacerdote. Quod si tali ac tanto die sufficit toti Ecclesiæ, sub sola specie panis Corpus Christi & sanguinem sumere, multo magis sufficiet sic sumere laicis. Et sine dubio si fuisset præceptum Christi, semper sumere sub utraque specie, nequaquam Ecclesia tali die, in quo maximè Christo passo compatitur & conformatur, in pœnitentia, in jejuniis, in vigiliis, in peregrinationibus & aliis piis, sanctis, & devotis operibus, prætermitteret præceptum Christi adimplere, nec permisisset Deus à tantis temporibus, tam periculosè errare Ecclesiam, & in tali die, in qua maximè fideles & populus Christianus humiliatur, compungitur, & Christo Domino ex intimis cordibus afficitur & compatitur. Ad relationem Nicolai de Lyra, quod fideles antiquitus in utraque specie communicabant, & quod sic dabatur fidelibus in primitiva Ecclesia, sæpe concessum est, & conceditur, nec tamen Nicolaus de Lyra dicit aut refert, quod hoc facerent ex præcepto Christi. Similiter ad Wilhelmum de monte Landuno dicendum est, quod ipse refert, quod tempore suo in multis locis communicabatur cum pane & vino, & cum toto sacramento, sanè intelligendo pro pane & vino species sacramentales, non tamen dicit doctor, quod in illis multis locis fieret hujusmodi communio

Cap. 32.

Missalia.

sub

Digitized by Google

sub utraque specie ex præcepto Christi. Similiter ad id quod Nicolaus de Lyra dicit, quod per Apostolos suos facit & fecit Dominus hoc convivium ministrari omnibus Christianis per orbem diffusis; verum dicit, sive sub una specie, sive sub duplici ministreretur, quia etiam sub una specie verum & perfectum convivium carnis Christi & sanguinis ministratur: nec dicit, quod sub utraque specie Christus præcepit omnibus Christianis ministrare. Et idem dicendum est ad auctoritatem ejusdem de multiplicatione virginum. Ad auctoritatem sancti Thomæ, in qua facit mentionem de dispensatione sanguinis per diaconos, & de sancto Laurentio, & ad auctoritatem Augustini, qui inducit dictum sanctum martyrem in Romana Ecclesia Christi sanguinem dispensasse, dictum est superius in responsione ad quandam auctoritatem dicti S. Thomæ.

SÆC. XV. ANNO 1433.

SEd jam ad auctoritates duorum Conciliorum, quas jam adducit, dicendum est, & primò ad decretum Concilii Carthaginensis quarti dicendum, quod Eucharistia, ut dictum est superius, in quodam decreto duodecimi Concilii Toletani, propriè accipitur pro hostia, tamen quandoque accipitur pro toto sacramento, hostia videlicet & sanguine, Nunquam verò, quantum memoriæ occurrit, Eucharistia accipitur pro solo sanguine. Tota ergo difficultas hujus decreti remanet in hoc verbo, *infundatur*, quia infundi pertinet ad liquidam materiam. Quare dicendum, quod illud verbum, *infundi*, reducatur ad Eucharistiam, ut sit sensus, *infundatur*, id est, immittatur, non sub specie vini, quia non dicit hoc canon, sed sub specie panis: vel è converso Eucharistiæ nomen trahatur ad verbum, infundi, ut videlicet sit sensus Originis: infundatur Eucharistia, scilicet sub specie vini: vel quod utrumque stet in propria significatione, & per syncopam de toto sacramento intelligatur, ut sit sensus, quod detur sacramentum sub specie panis, ratione nominis Eucharistiæ, & sub specie vini ratione verbi, *infundi*; & quocunque modo intelligatur, nullum inconveniens sequitur, nec adversarius habet intentum, quia Concilium disponebat administrationem sacramentorum secundum consuetudinem, quæ tunc in Ecclesia Affricana & Carthaginensi servabatur. Nec dicit ille canon, quod ideo sic sanctum Concilium instituerit, quia esset præceptum Christi aut cujuscunque Apostolorum, quod statutum & præceptum Concilii, ex quo non emanabat originaliter ex præcepto & obligatione Christi, potuit rationabilibus & justis de causis, per consuetudinem, vel per decreta summorum Pontificum, aut etiam Conciliorum generalium sequentium abrogari. Ad illud autem quod adducitur de Concilio quarto Toletano, dicendum, quod nulla mentio fit ibi de speciebus, sed tantummodo de corpore & sanguine Domini nostri, quæ duo plenè & perfectè sumuntur sub specie panis. Postremò & finaliter adducit Dominus proponens tres rationes, quarum rationum omnes majores propositiones concedo, sed pro declaratione minorum propositionum reducenda est ad memoriam distinctio posita à principio responsionis ad auctoritates inductas per eundem, dicebatur enim ibi, quod in conclusionibus suis & meis duo erant attendenda, videlicet ipsa communio secundum se considerata, non habito respectu ad unam vel ad duplicem speciem: aliud, quod talis communio debeat dari sub una vel sub duplici specie populo laicali vel non conficientibus. Quantum ad primum, concordia est inter ipsum & me, videlicet quod communio divinissimæ Eucharistiæ est multum utilis, valde necessaria Christi fidelibus, & quod innumeros effectus spirituales efficit in accipientibus & sumentibus dignè, & quod etiam, secundum multorum doctorum intentionem & opinionem, cadit sub præcepto omnibus Christi fidelibus, usum rationis & discretionis habentibus, & taliter dispositis, prout decet & congruit honori & reverentiæ tanti sacramenti; & ad hunc sensum concessi sibi omnes auctoritates sanctorum, extollentes utilitates & effectus hujus divinissimi sacramenti, eas etiam, quæ necessitatem aut præceptum videntur importare; & similiter ad hunc sensum concedo sibi omnes propositiones suas minores, & auctoritates quibus probat eas. Sed quantum ad secundum, videlicet, quod sit utile & necessarium, aut de præcepto Christi sumere dictum sacramentum magis sub duplici specie quam sub una, nisi in quantum Ecclesiæ consuetudo vel statutum magis ad unum modum vel ad alium declinaret, negavi, & nunc finaliter nego; quia nulla auctoritas in tota sua positione posita, sive sit auctoritas sanctarum scripturarum, sive cujuscunque sancti, aut doctoris, nec implicitè nec explicitè, nec aliquo modo dicit, innuit, aut prætendit, præceptum Christi determinare magis duplicem speciem, quam unam, vel è converso, in communione vel sumptione laicorum vel non conficientium: unde patet, quod in omnibus hujusmodi argumentationibus paralogizatur arguendo à simpliciter, ad secundum quid; imò in istis ultimis rationibus, auctoritates quas adducit ad probandum minores suas, ut plurimum potius faciunt pro una specie, quam pro utraque: sicut est: *panem de cœlo dedisti &c.* Item de convivio sive de nuptiis, quas rex fecit filio suo, in quibus nulla sit mentio de vino

*Suprà probatione tertia ex doctrina sacrorum Conciliorum.*

*Cap. 17.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

vino aut potu, tanquam de impertinenti ad sacramentum, quod illæ nuptiæ præfigurabant. Ex quibus nullo modo concluditur necessitas aut præceptum utriusque speciei. Et hæc dicta sunt de tertia parte & ultima, & per consequens de tota positione, quam dictus dominus proponens posuit coram hoc sacro Concilio Basileensi in Spiritu sancto legitimè congregato, pro defensione communionis laicalis seu non conficientium sub utraque specie: in qua responsione & defensione consuetudinis Ecclesiæ Catholicæ, si quid minus sufficienter positum est, pium & benevolum desidero correctorem, & nihilominus prædicta subjicio correctioni & emendationi hujus sacrosanctæ Generalis Synodi Basileensis, & ex toto corde adhæreo protestationi per me in principio hujus actus præmissæ, ad laudem omnipotentis Dei, cui sit laus honor & gloria, per infinita secula seculorum, Amen.

*Ecclesia fidelium Catholica non est minoris authoritatis circa ea quæ pertinent ad fidem & regimen Christianorum quàm synagoga.*

PRo finali confirmatione veritatis Catholicæ, & consuetudinis communionis sub una specie, quantum arctitudo temporis permittit præsenti actui, videndum est per exemplum & per experientiam, quæ est rerum omnium magistra, quid possit universalis Ecclesia Catholica circa ea quæ pertinent ad fidem & regimen Christi fidelium. Et ante omnia præsupponendum est, quod Ecclesia Christi fidelium, non est minoris auctoritatis sub lege Evangelica, quam fuerit Synagoga Judæorum sub lege Mosaica: Reperimus autem, quòd non solum Synagoga vel in ea existentes pro tempore præter legem Dei nova statuta, traditiones, & ceremonias statuerit, sed etiam circa præcepta divina dispensaverit, quod planè inducitur & declaratur per exempla. Et primò Hester nono capitulo, ubi Judæi constituerunt quartamdecimam diem Martii esse solemnem, fertur enim ibidem, quod quando sententia, quæ erat in mortem omnium Judæorum sub rege Assuero degentium, mutata fuit in sententiam salutis, tunc statutum fuit, ut quartadecima dies mensis duodecimi, cum omni lætitia inter dies festos celebraretur, ut in posterum agnoscatur &c. Et paulò pòst: *omnis autem provincia & civitas, quæ noluerit hujus solemnitatis esse particeps, gladio & igne pereant*, ut habetur ultimo capitulo ibidem, præceptum igitur de die hujus festivitatis, non erat legis divinæ, sed unanimi consensu populi statutum est, & tentum universaliter in lege veteri per Judæos, & tenetur omni anno usque in præsentem diem. Item Judas Machabæus & fratres ejus, & universa Ecclesia Israel constituerunt, ut agatur dies dedicationis altaris, ab anno in annum, per dies octo, primo Machabæorum quarto. David quoque constituit cantores & summos sacerdotes, primi Paralipomenon 15. multa hujusmodi statuta, ceremonias & ordinationes diligens lector in veteri lege percipiet, sive communi consensu populi factas & ordinatas, sive etiam particularium, insignium tamen personarum, gratas & acceptas Deo, quemadmodum habetur de Jonadab patre Rechabitarum, de quibus legitur Hieremiæ 35. ubi habetur, quod Deus præcepit Hieremiæ, ut intraret in domum Rechabitarum, & inductis Rechabitis in domum Domini, daret illis vinum ad bibendum, & eidem Hieremiæ juxta verbum Domini facienti, responderunt Rechabitæ in domo Domini: *non bibimus vinum, nos & domus nostra in æternum*, ad quos Hieremias dixit: *cur bibere non vultis juxta verbum Domini vobis oblatum vinum?* Responderunt: *quia pater noster Jonadab filius Rechab, nobis constituit, ut non ædificemus domos, non colamus agros, aut vineas, & non bibamus vinum in æternum.* Et circa finem ejusdem capituli, laudavit Dominus obedientiam Rechabitarum, & præmium adjiciendo dixit: *pro eo quod obediverunt Rechabitæ, præcepto patris sui Jonadab, non deficiet homo de domo Rechabitarum in sempiternum.* Ecce quàm apertè declaratur, quod etiam præter legem Dei licet facere particularibus personis ordinationem vel statuta, semper tamen in bonum, & in his quæ tendunt ad perfectionem, quemadmodum fecit Jonadab filius Rechab, cujus præceptum ipse Dominus approbavit, quod utique non feciſſet nisi placuisset ei. Quantum verò ad immutationem divinorum præceptorum, in veteri lege patet, quia licet circumcisio strictissimè præcepta fuerit, ut patet Genes. 17. quando Dominus apparuit Abrahæ nonagintanovem annorum existenti, dicens ad eum. *Ego Dominus omnipotens, ambula coram me, & esto perfectus, ponamque fœdus meum inter te & me*, & infrà, *statuamque pactum inter me & te, & inter semen tuum post te in generationibus tuis fœdere sempiterno*, & infrà, *tu ergo custodias pactum meum & semen tuum post te, in generationibus suis: hoc pactum est quod servabitis, circumcidetur ex vobis omne masculinum, & circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit signum fœderis inter me, & vos: infans octo dierum circumcidetur in vobis: omne masculinum in generationibus vestris, tam vernaculus quàm emptitius circumcidetur, & quicumque non fuerit de stirpe vestra, eritque pactum meum in carne vestra in fœdus æternum, Masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.* Ecce fœdus æternum, ecce pactum sempiternum inter Deum ex una parte, & Abraham & semen ejus in generationibus suis post ipsum, parte ex altera: Nihilo-

*Synagoga non modò pro tempore, nova statuta, traditiones, & ceremonias instituit. Patet in festo Sortium. Encæniorum.*

*Institutiones cantorum.*

*Obligatione Rechabitarum à patre. Quædam verba in Hieremia non habentur.*

*Sed & in quibusdam præceptis divinis dispensavit. Patet in circumsione. Jos. 5.*

hilominus Moyſes cum de Ægypto Iſrael filios educeret; tam ſtrictè à Domino præ- SÆC.
ceptam circumciſionem per annos quadraginta, ob cauſam laboris itineris; prætermiſit, XV.
non enim filii Iſrael leguntur circumciſi in deſerto, ſed poſtquam eos Joſue eduxerat ANNO
in terram promiſſionis trans Jordanem, ibi in Galgalis ſeu in colle præputiorum, juxta 1433.
præceptum Domini, eos circumcidit. Joſue 5. Item legitur 1. Machabæorum 2. cap.
quod Matthatias cum ſua ſocietate, non obſtante quod dies ſabbati fuiſſet tam de lege naturæ, quam de lege ſcripta, ſtrictiſſimè præcepta, conſtituerunt ſcilicet Judæis, quod non licebat ſecundum legem, ut pugnarent contra gentes etiam diebus ſabbathorum: Item Levitici octavo habetur, quod panis propoſitionis laicis non debebat exponi ad manducandum, & tamen David cum pueris ſuis, tempore neceſſitatis, apud Abimelech ſacerdotem eis uſus fuit, ut patet primo Regum 21. Matthæi 12. Luce 6. Sic denique ſerpentem æneum, quem Dominus præcepit fieri per Moyſen, dicens, Num. 21. cap. *& fac ſerpentem æneum, & pone eum pro ſigno*, ſanctus Ezechias Rex. 4. Regum 18. cap. deſtruxit, ſic enim refert ſcriptura de eo, *fecit quod erat bonum coram Domino, juxta omnia quæ fecerat David pater, ipſe diſſipavit excelſa, & contrivit ſtatuas, & ſuccidit lucos, confregitque ſerpentem æneum, quem fecerat Moyſes. Siquidem uſque ad illud tempus filii Iſrael adolebant ei incenſum:* ex quibus & quam pluribus aliis exemplis veteris legis, ſatis manifeſtè colligitur, quod ſi Synagogæ Judæorum, vel ejuſdem gubernatoribus, vel aliis particularibus licuit, ſtatuta, ordinationes, & Cerimonias ſtatuere, & ex certis & rationabilibus cauſis etiam divinam legem interpretari, & ex hac immutare aut tollere, ſive ſuſpendere pro tempore; multo magis hoc licet & licebit Eccleſiæ Catholicæ, & ejus univerſali Pontifici, Papæ ſcilicet, qui totius Eccleſiæ curam gerit, qui non eſt minoris auctoritatis in populo Chriſti, quam fuerit Moyſes in populo Judæorum, maximè cum ipſe Chriſtus indefectibilem aſſiſtentiam ſui & Spiritus ſancti Eccleſiæ Catholicæ promiſerit, dicens & loquens Apoſtolis: *ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſeculi*; & ſimiliter eiſdem loquens de aſſiſtentia Spiritus ſancti Joan. 16. dixit: *paraclitus autem Spiritus ſanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis.* Et ne quis æſtimet, quod ſolis Apoſtolis, & non futuris Eccleſiæ rectoribus ſit hoc dictum, Ideo Joan. 14. idem Dominus dicit: *Ego rogabo Patrem & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum, ſpiritum veritatis*; poteſt igitur Eccleſia Catholica ſtatuta & ordinationes facere, præter ea quæ in lege Chriſti expreſsè continentur, & etiam ipſam legem Chriſti interpretari, & ex certis & rationabilibus cauſis, pro locorum & temporum varietate præcepta ejus & ordinationes ſuſpendere, tollere, aut immutare, pro tempore: quod tamen nuſquam factum eſt, quia nunquam præceptum in virtute aut in ſubſtantia uſquequaque ab Eccleſia ſublatum eſt aut immutatum: & ex hoc concluditur, quod ſi etiam communio utriuſque ſpeciei fuiſſet de præcepto Chriſti, quod tamen nullo modo conceditur; quia nullo modo verum eſt, ipſam Eccleſia Catholica ex certis cauſis potuiſſet immutare aut tollere, multo magis quam Moyſes circumciſionem vel Machabæi ſabbatum; quæ tam ſtrictiſſimè divina lege obſervari mandabantur, & ritum unius ſpeciei ſtatuere. Et hæc ratio in materia omninò convinceret adverſarios, ſi convenirent nobiſcum in acceptione, quid eſt Eccleſia Catholica; quia nullo modo auderent negare præeminentiam legis Evangelicæ & Eccleſiæ Catholicæ ad legem Moſaicam & Synagogam Judæorum. Sed jam ad ea quæ Eccleſia Catholica Chriſti in præteritum fecit, ſtatuit & ordinavit, oculos dirigamus, ut præteritorum memoria mentem moveat noſtram; de præſentibus & futuris cogitare. In primis quidem manifeſtum eſt, Bibliam, quæ eſt fundamentum totius fidei noſtræ, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ, robur & auctoritatem accepiſſe ex acceptatione & approbatione Eccleſiæ univerſalis, ſecundum reparationem & innovationem Eſdræ ſcribæ magni ſacerdotis, cujus innovatio per multa tempora, ante Chriſti adventum fuerat, per Synagogam Judæorum acceptata & approbata. Inſuper manifeſtum eſt, multos in eodem volumine libros contineri, qui apud Judæos in auctoritate non habentur, ſed inter apocryphos computantur. Qui tamen apud nos in eadem veneratione & auctoritate habentur, ſicut & cæteri, & hoc utique non niſi ex traditione & acceptatione univerſalis Eccleſiæ Catholicæ, quibus contradicere nullo modo licet pertinaciter. Inſuper cum multi Evangelia ſcripſerint, ut habetur diſt. 15. in decretis, utpote, Bartholomæus, Nicodemus, & quàm plures alii, de quibus dictum eſt in ſuperioribus, tamen Eccleſia Catholica omnibus aliis ſpretis, quatuor tantummodo acceptavit, approbavit, & in auctoritate atque in ſumma veneratione habere voluit. Et quod prædicti libri Divinæ legis tam Veteris quàm Novi Teſtamenti auctoritatem ab Eccleſia habeant, patet per egregium doctorem Auguſtinum contra Fauſtum hæreticum ita dicentem: *Noſtrorum librorum auctoritas, ex gentium conſenſione per ſucceſſores Apoſtolorum Conciliorumque roborata, vobis adverſa eſt:* & iterum: *non crederem Evangelio, niſi me Eccleſiæ Catholicæ auctoritas commoveret.* Item quis

*Pugna in ſabbatho.*

*Panibus propoſitionis, David ad manducandum datis.*

*Serpente æneo deſtructo.*

*Sic Eccleſia poteſt ſtatuta condere, præter ea quæ in ſcripturis expreſſa ſunt, & ipſam legem interpretari.*

*Ut conſtat ex acceptatione & approbatione librorum novi & veteris teſtamenti.*

*Aug. contra Fauſtum Manichæum lib. 11. c. 2. & lib. 13. cap. 5.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

14. epistolas Pauli in auctoritate habendas statuit, & quis quintamdecimam resecavit? Nam & unam Laodicensibus scripsit, de qua ipsemet Apostolus facit mentionem ad Colos. 4. capitulo in fine, ubi dicit: *& ea quæ Laodicensium est, vobis legatur:* Similiter cum apud plures dubium fuerit, quis eam quæ ad Hebræos est epistolam scripserit, quis eam adscripsit Paulo Apostolo? cum plures etiam ejusdem epistolæ ad Senecam legantur, quis eos removit, ut non cum cæteris in auctoritate haberentur? utique hæc omnia auctoritate solius Ecclesiæ gesta sunt, cujus etiam auctoritas epistolas canonicas, Actuum Apostolorum, & Apocalypsin Joannis, inter canonicos & divinos libros haberi voluit, statuit, & ordinavit. Item cum plures Bibliam in Latinum transtulerint, sive de Hebræo sive de Græco, solius tamen nostri Hieronymi glorioſissimi translatio Ecclesiæ auctoritate antefertur. Cum igitur omnis nostra auctoritas in affirmanda veritate Catholica & adversa falsitate confutanda, ortum habeat à fonte sacrarum scripturarum, utique multò fortius habebit ab ipsa Ecclesia Catholica, quæ & ipsas scripturas sacras tradidit, & statuit in auctoritate habendas: Præterea glossa ordinaria super totam Bibliam, libri sanctorum doctorum Ambrosii, Hieronymi, Augustini, Gregorii, & aliorum, leges civiles, decreta, decretales, & omnes aliæ scripturæ, quæ inter Christianos in auctoritate habentur, non aliunde habent auctoritatem, nisi ab Ecclesia, & in tantum valent, quantum ab Ecclesia probantur, aut saltem sustinentur, aut permittuntur. Insuper auctoritate Ecclesiæ universitates & studia fundata sunt, gradus magistrales & doctorales in omni facultate ordinati & concessi sunt in eisdem. Denique quanta circa fidem Ecclesia Catholica statuerit vel ordinaverit, vel pro infallibili veritate tenenda mandaverit, manifestè liquet. Nam licet ex scripturis sanctis constet esse trinitatem in divinis, tamen, quod singuli in trinitate existentes, personæ nominentur, hoc Ecclesia Catholica ordinavit & statuit. Insuper quod in Christo non sint duæ personæ, ut quidam hæreticorum posuerunt, cum ex scripturis manifestè non habeatur, hoc per doctores suos Ecclesia declaravit. Similiter quod mater Christi, mater Dei diceretur. Item nusquam in canone sacræ scripturæ reperitur, quod parvulus recenter baptisatus, qui nec corde credit ad justitiam, nec ore confitetur ad salutem, inter fideles & credentes computetur, & nihilominus Ecclesia ita determinavit, & statuit, quod si quisque negare hoc ausus fuerit, apertus utique judicabitur hæreticus; unde Augustinus de verbis Apostoli, serm. 14. *ubi ponis parvulos baptisatos? profectò in numero credentium. Nam ideo ex consuetudine antiqua, canonica & fundatissima parvuli baptisati fideles vocantur*, & infra: *inter credentes, inter baptisatos parvulos numerabis, nec judicare ullo modo aliter audebis, si non vis apertus esse hæreticus, ergo ideo habent vitam æternam, quia qui credit, habet vitam æternam. Nolo eis sine ista fide, & sine isto sacramento hujus fidei, promittere vitam æternam*, & infra: *ratiocinationes eorum, scilicet Pelagianorum, adhuc videntur compellere, sed auctoritate reprimuntur Ecclesiæ, ne, non dicam sputis hominum obruantur, sed ipsorum infantium lacrymis tanquam fluvio pertrahantur:* & sic patet, quod Ecclesia fundavit ibi fidem, quæ ex canone scripturæ non habetur. Item nullus canon Bibliæ te docet, quod si aliquis mortuus fuerit, & non crediderit, quod talis salvetur: imò habetur oppositum, Marc. ult. cap. *qui crediderit & baptisatus fuerit salvus erit, qui verò non crediderit, damnabitur*, & nihilominus fides Ecclesiæ statuit, ut quilibet fidelis firmiter credat, parvulum baptisatum, etiam si ante usum rationis moriatur, salvari, unde Augustinus, & ponitur in canone 15. q. 1. cap. Firmissimè, ubi sic habetur: *Parvulis verò, qui nec dum propria voluntate credere, nec pœnitentiam pro peccato, quod originaliter trahunt, agere possunt, sacramentum fidei, quod est sanctum baptisma, quam diu rationis ætas eorum capax esse non potest sufficere ad salutem:* Item sola auctoritas Ecclesiæ constituit, ut compatres in baptismo parvuli fidem pro ipso respondeant, loco Ecclesiæ, & quod fides Ecclesiæ sufficit parvulo sic baptisato, quamdiu ad ætatem non pervenerit, ad salutem. Et sic auctoritas Ecclesiæ nobis instituit, ut parvuli per aliorum pedes ad fidem veniant, per aliorum corda credant, per aliorum linguas in baptismo respondeant & fidem confiteantur: unde Augustinus in lib. 3. de libero arbitrio, & habetur de conse. dis. 4. *illud perscrutari homines solent sacramentum baptismi Christi, quid prosit parvulis, cùm eo accepto plerumque moriuntur, priusquam ex eo quidquam potuerunt cognoscere: qua in re satis piè rectèque credimus, prodesse parvulo fidem eorum, à quibus consecrandus affertur, & hoc Ecclesiæ commendat saluberrima auctoritas, ut ex eo quisque sentiat, quid sibi prosit sua fides, quando in aliorum quoque beneficio, qui propriam nondum habent potestatem, commoda sit.* Insuper nusquam legitur in sacris literis, quod Apostoli symbolum minus, quod in diversis horis diurnis sub silentio dicitur, composuerint aut fecerint, vel in duodecim articulos distinxerint, & tamen fideles tenent & credunt, imò & nominant ipsum symbolum Apostolorum, & hoc non nisi auctoritate Ecclesiæ, & specialiter Concilii Nicæni, cujus etiam auctoritate & articulus de descensu Christi ad inferos tenetur, firmiter creditur. Ipsum etiam sacrum Concilium Nicænum, secundum

*Contra epist. Manichæi quæ dicitur fundamentum, cap. 5.*

*Ex receptione nominis personæ in SS. Trinitate.*

*Item baptismo parvulorum, & assignatione compatrum.*

*Cap. 23.*

*Cap. 7.*

*Ex Symbolo Apostolico.*

Digitized by Google

dum & majus ſymbolum edidit, in quo plurima fidem concernentia declaravit, quod & publicè & aperta voce ubique in cunctis Eccleſiis Catholicis dicitur & cantatur, cui poſtmodum articulum, de proceſſione Spiritus S. à filio, Eccleſia addidit, cujus auctoritate etiam ſymbolum Athanaſii in divinis officiis canitur. Quanta verò Eccleſia Catholica de his quæ ad fidem pertinent interpretata fuerit, declaraverit, expoſuerit, manifeſtat confutatio innumerabilium hæreſum, ad quas enumerandas non ſufficeret tempus, nec manus ad ſcribendum, nec lingua ad narrandum valeret, in quarum confutatione tot veritates fidei elucidatæ, manifeſtatæ & apertæ fuêre, quæ prius latebant in operto, quot fuerunt hæreſes confutatæ: ſed jam deſcendamus ad ea, quæ eadem Catholica circa divina præcepta & ſacramenta immutaverit. Etenim licet in lege veteri prohibitæ fuiſſent lege divina imagines viſibiles, nedum ipſius Dei, ſed quorumcunque ſanctorum hominum, nec de poſt in ſcripturis ſive veteris ſive novi teſtamenti conceſſa licentia eas faciendi aut fabricandi reperiatur, nihilominus Eccleſia Catholica edocta à ſpiritu ſancto, nedum permiſit, imò ſtatuit & ordinavit, ut venerabiles imagines Chriſti, glorioſiſſimæ ſuæ matris, & cæterorum ſanctorum fierent, quibus manuducerentur homines ad memorandum & recordandum geſta & facta Domini noſtri Jeſu Chriſti, & aliorum ſanctorum, ut ſic excitarentur ad eorum imitationem, & ut eorum ſæpius implorarent pro ſe ſuisque, vivis & defunctis, ſuffragia & auxilia. Inſuper licet dies ſabbati fuerit ſtrictiſſimè ad obſervandum & cuſtodiendum præcepta & mandata, ut patet Geneſ. 2. capitulo, ubi legitur, quod poſt creationem ſex dierum ceſſavit Dominus die ſeptimo ab omni opere quod patraverat, & benedixit diei ſeptimo, atque in lege ſcripta poſtmodum in legitimum ſempiternum conſtituerit, ſub diverſis pœnis diem hunc ſeptimum à cunctis generationibus celebrandum obſervari. Unde & collectorem lignorum in die ſabbati mandavit Dominus lapidibus obrui, ut patet Num. 15. & pro firmiori ratificatione ſuæ conſtantiſſimæ voluntatis, & pro diligentiori cuſtodia ſpeciali munimine conſignavit hoc præceptum, dicens: *Memento ut diem ſabbati ſanctifices.* Nullum enim aliorum præceptorum tantæ memoriæ ſigno conſignavit: qui dies magna ſub cuſtodia & religioſa obſervatione ſemper habitus fuit & cuſtoditus, etiam tempore Apoſtolorum, & longè pòſt obſervatus; & nihilominus propter reverentiam & beneficium Dominicæ reſurrectionis dictus dies ſabbati, ex ſola conſuetudine Eccleſiæ univerſali, fuit in diem Dominicum commutatus, præter auctoritatem cujuſcunque ſcripturæ ſacræ veteris vel novi teſtamenti. Item Dominus præcepit Exodi 12. in legitimum ſempiternum, quatenus fidelis populus celebraret Paſcha Domini ad veſperum die 14. menſis primi, quod præceptum etiam Eccleſia Catholica per multa tempora pòſt obſervavit, tandem Spiritu ſancto duce, ſine cujuſcunque ſcripturæ auctoritate, prædictum ritum, quoad tempus, propria auctoritate permutavit, taliter ut nunquam paſcha noſtrum cum paſcha Judæorum coincidat, & ſemper in die Dominico celebretur. Item ut ſupra habitum eſt, in principio, licet circumciſio in lege fuerit ſtrictiſſimè mandata obſervari, fueritque ipſe Dominus noſter Jeſus Chriſtus circumciſus, & omnes Apoſtoli, & etiam poſt aſcenſionem Domini fuerit obſervata: nihilominus, abſque alia auctoritate ſcripturæ, Apoſtoli eam immutaverunt auctoritate Spiritus ſancti, Eccleſiam dirigentis & gubernantis, ut habetur Actuum 15. ubi dixit Petrus: *quid tentatis imponere jugum ſuper cervicem diſcipulorum, quod neque patres noſtri neque nos portare potuimus, ſed per gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti credimus ſalvari, quemadmodum & illi*, unde & infrà ſtatuerunt Apoſtoli, omninò eam debere tolli, ſcribentes epiſtolam ad fideles, qui erant Antiochiæ, per manus Pauli & Barnabæ dicentes: *viſum eſt Spiritui ſancto & nobis, nihil ultra vobis impouere oneris quàm hæc neceſſaria &c.* Ex quibus manifeſtè oſtenditur poteſtas Eccleſiæ, & veritas indefectibilis in his quæ fidei ſunt, & neceſſitatis ad ſalutem: & Paulus ad Galatas 5. poſt decretum & ſtatutum Apoſtolorum, ait: *ſi circumcidimini, Chriſtus vobis nihil proderit:* ubi apparet totalis ablatio imo annihilatio circumciſionis, quæ debuit, ſub pœna mortis lata ab ipſo Domino, æternaliter obſervari. Item innumeræ cerimoniæ erant in lege veteri præceptæ celebrari à Domino, quas Apoſtoli pòſt, & Eccleſia ſuſtulerunt, ex certis & rationabilibus cauſis. Item videamus mutationes factas circa præcepta Chriſti & ſacramenta novæ legis, & primo circa ſacramentum baptiſmi, quod ipſi circumciſioni in nova lege ſuccedit. Nam Dominus noſter Jeſus Chriſtus aſcendens in cœlum, præcepit Apoſtolis dicens Matth. ultimo, *ite docete omnes gentes, baptiſantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti*, in quibus verbis dedit eis & limitavit formam baptiſmi, & in perſona eorum toti Eccleſiæ, & tamen non poſt longum tempus, ipſi Apoſtoli & Eccleſia, dimittendo dictam formam, *in nomine Patris &c.* traditam per Dominum, baptiſabant tantum in nomine Chriſti, dicentes: *te baptiſo in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Cum autem hoc nomen Jeſus Chriſtus dicat unam perſonam tantum duarum naturarum, hæc autem nomina, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, dicant tres perſonas in

SÆC. XV. ANNO 1433.

*Ex uſu imaginum.*

*Ex mutatione diei Sabbathi in Dominicam.*

*Ex ordinatione paſchatis.*

*Ex abolitione cæremoniarum veteris legis.*

Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433. in una natura tantum, patet maximam esse differentiam inter has duas formas baptismi, scilicet *in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*, &, *in nomine Jesu Christi*, & licet secundum rem & essentiam idem sit baptismus, qui fiebat primò, & nunc in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, &, in nomine Christi, tamen tanta videtur esse differentia, ut si quis nunc in nomine Christi baptisaret, non baptizaret, ut dicit S. Thomas in tertia parte. Nec prætermittendum est, de mutationibus factis in Ecclesia circa hoc sacramentum baptismi, tam quoad tempus baptisandi, quam quoad ætatem baptisandorum, quam etiam quoad personas quæ possint hoc sacramentum ministrare. In principio enim hujus sacramenti baptisabantur solum illi, qui per se sciebant fidem interrogati respondere. Sed postmodum, ne parvuli & alii usu carentes rationis, subessent periculo damnationis, Ecclesia providit circa eorum baptismum, ut etiam superius tractatum est. Tenuit etiam Ecclesia pro statuto, quod præter vigilias paschæ & pentecostes nullo modo solemnis baptismus celebraretur, omnesque ad prædictas vigilias, excluso necessitatis articulo, baptisandi, servarentur: porro nec ex doctrina Christi & Evangelii, nec etiam ex doctrina alicujus Apostolorum habetur expressè, quod aliquis habeat potestatem baptisandi exceptis Ecclesiasticis, quorum statum præfigurabant Apostoli, quibus solis dictum est, *ite baptisantes &c.* & nihilominus in necessitatis articulo, mares & feminæ, pagani, Judæi & hæretici possunt baptisare, dummodo servent formam, materiam, & intentionem Ecclesiæ: unde hoc? certe quia sic declaravit Ecclesia, sic ordinavit, & quia sic ei placuit suam auctoritatem omnibus communicare in necessitatis articulo: Item non modica mutatio etiam in sacramento matrimonii secundum successionem temporum, auctoritate Ecclesiæ facta est. Nam in principio suæ institutionis erat illimitatum, ita quod masculus & fœmina, uterini & germani poterant legitimè matrimonialiter copulari, & post aliquam multiplicationem humani generis ordinatum fuit, ne in prima linea consanguinitatis contraheretur, deinde post abundantem multiplicationem, usum hujus arctando sacramenti, ordinatum exstitit, ut non in propinquiori quàm quinta linea consanguinitatis posset matrimonium contrahi: ex quibus patet, quod certus usus sacramentorum conceditur paucitati hominum, qui tamen multitudini ex certis causis denegatur. Et sic potuit esse, imò ita fuit, quod in primitiva Ecclesia, quando adhuc homines pauci erant Christiani, dabatur Eucharistiæ sacramentum fidelibus populis, sub utraque specie, quibus multiplicatis, propter sæpe enumerata pericula, quod paucis concedebatur, nunc multitudini denegatur. Item quamvis Deus in lege naturæ, quando hoc matrimonii sacramentum instituebatur, statuisset, quod unius viri tantummodo una esset uxor, & è converso: prout patet Genes. 2. Quando Spiritus sanctus dixit per Adam: *relinquet homo patrem suum & matrem suam, & adhærebit uxori suæ:* sequitur: *& erunt duo in carne una:* nihilominus hæc lex mutata fuit in sanctis Patriarchis, ut patet in Lamech, qui primus simul duas uxores habuit, in Abraham, similiter & Jacob, in aliis etiam sub lege constitutis, in quibus lex vetus uxorum pluralitatem videtur approbasse. Sed adveniente lege nova, in qua perfectio Evangelica exprimitur, mutata est lex nuptiarum atque matrimonii, & reducta ad priorem institutionem & honestiorem, ut unus uni, & è converso tantummodo conjungantur in figura Christi & Ecclesiæ unicæ sponsæ, de quorum matrimonio ait Apostolus ad Ephesios 5. *sacramentum hoc*, scilicet matrimonii, *magnum est, dico autem in Christo & Ecclesia.* Hanc autem reductionem ad pristinum statum nullo modo legimus reductam ex quibusvis sacris literis, nisi ex statuto & consuetudine Ecclesiæ, nec audebit quis dicere quod tempore legis naturæ & legis Mosaicæ, non fuerit in hominibus verum matrimonium, aut quod ipsorum fuerit aliud sacramentum matrimonii à sacramento legis gratiæ, propter dictum Christi in Evangelio loquentis de hujusmodi sacramento: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Etenim sacramentum matrimonii, & sacramentum pœnitentiæ in lege naturali scilicet, Mosaica & Evangelica locum habuerunt, quamvis in usu fuerint multipliciter immutata. Item præcipitur 25. cap. Deut. quod habitantibus fratribus germanis simul, uno moriente absque liberis, uxor defuncti alteri non nubat, sed accipiat eam frater ejus, ut suscitet fratris sui semen, quod in nova lege ad aliquod tempus fertur perdurasse, quæ tandem lex nulla adhuc scriptura promovente, per Ecclesiæ consuetudinem & statutum sublata est, quibus statuitur & prohibetur, quod sponsus non possit contrahere matrimonium cum aliqua consanguinea sponsæ mortuæ, usque ad quintum gradum consanguinitatis exclusivè. Item Salvator noster Dominus noster Jesus Christus, Matth. 19. accedentibus ad eum Pharisæis ad ipsum tentandum, & ab eo quærentibus, *si licet homini dimittere uxorem suam, quacunque ex causa?* ita respondit: *Quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob causam fornicationis, & aliam duxerit, mœchatur*, & nihilominus S. Ecclesia Catholica non solum ex hac causa, sed ex pluribus aliis permittit & facit rationabiliter divortia fieri, ut patet in frigidis, & maleficiatis, de affinibus, ex causis hæresis, & pluribus aliis causis.

3. q. 66. a. 6.

Matth. 19.

cauſis. Ecce quot & quantæ mutationes circa tam magnum & neceſſarium ſacramentum auctoritate Eccleſiæ contigerint. Item in ſacramento pœnitentiæ, quod ab Adam in paradiſo incepit & debet durare uſque ad conſummationem ſeculi; ſimiliter mutatio magna facta eſt ſecundum ſucceſſionem temporum. Nam cum confeſſio ſit pars principalis pœnitentiæ, tempore legis naturæ ad eam tantummodo Deo faciendam mentaliter tenebantur: ſuccedente verò lege Moſaica, ultra hoc homines obligabantur ad confeſſionem cerimonialem extrinſecam, prout per aliquod ſacrificium homines manifeſtabant ſe hoc vel illo peccato deliquiſſe, ut habetur Levitici quarto & quinto capitulo, & ut habetur eodem libro 16. c. ſacerdotes poſitis manibus ſuper caput hirci, omnes filiorum Iſrael confitebantur iniquitates. Sed adveniente veritate Evangelicæ legis, etiam confeſſionem vocalem de univerſis cogitationibus, locutionibus, operibus, & omiſſionibus clarè diſtinctèque faciendam inſtituit Eccleſia, ſacerdoti auctoritatem & Juriſdictionem habenti, in ſecreto, non ut homini, ſed ut Deo, ſine offenſa quacunque honoris conficentis, ſub formidabilibus & execrabilibus pœnis præcipiendo & mandando ſacerdoti, ne quoquo modo ſigno aut verbo prodat aut revelet peccata confitentis: de qua quidem confeſſione ſingulariter & ſpecialiter, quatenus ſolùm ſic ſecretè & auricullariter fieri debeat ſacerdoti, nulla in ſcripturis ſacris habetur traditio, niſi quantum ad ſic agendum Spiritus ſanctus movit & direxit Eccleſiam, quæ nihilominus originaliter fundat ſe in auctoritate clavium, quæ ipſi Eccleſiæ ab ipſo Domino traditæ ſunt, dicente Petro: *Tibi dabo claves regni cœlorum, & quodcunque ligaveris &c.* & Joan. 20. *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*: quia igitur ſacerdotes habent remittere peccata, utique oportet, ut agnoſcant ea, & ſic Spiritu S. ducente S. Eccleſia confeſſionem, ut præmittitur, ſecretam ſtatuit & ordinavit. Item circa ſacramentum Ordinis videtur Eccleſia addidiſſe. Nam in primitiva Eccleſia erant duo tantummodo ordines, diaconatus ſcilicet & ſacerdotium. Et ſecundum beatum Hieronymum, idem tunc erat Epiſcopus & ſacerdos, quoad nomen: non autem quantum ad rem, quod tamen nunc non eſt. Item circa ſacramentum diviniſſimæ Euchariſtiæ multa videntur addita vel mutata. Nam forma qua calix conſecratur, in nullo Evangeliſtarum in propria forma verborum reperitur, ſed videtur per Eccleſiam ex omnibus dictis Evangeliſtarum compilata, & in ea ſunt aliqua addita. Etiam in conſecratione hoſtiæ Eccleſia addidit hanc dictionem, enim cæterum Chriſtus inſtituit hoc ſacramentum, & miniſtravit poſt cœnam; & tamen Eccleſia immutavit, & ordinavit ut non niſi à jejunis de mane celebraretur & miniſtraretur, niſi in neceſſitatis articulo. Imminente etiam errore de obſervatione legalium, Leo Papa ordinavit, ut pro tempore in fermento conficeretur, licet Chriſtus confecerat in azymo, ad quem ritum & modum ad hoc ſacramentum celebrandum cum talibus orationibus, epiſtolis & Evangeliis, ſecretis, myſticis ſignis, veſtibus ſacris & vaſis conſecratis, in Eccleſia, in altari, cum luminaribus, cum aſſiſtentibus, & aliis quæ pro devotione & ſolemnitate tanti ſacramenti fiunt, de quibus per ſingula diſcurrere longum eſſet: Item in pluribus quæ Apoſtoli ſtatuerunt, ſecundum temporum ſucceſſionem & temporum varietatem facta eſt mutatio. Nam Apoſtoli in Concilio 3. Hieroſol. celebrato, de quo habetur Actuum 15. ſublata circumciſione, & omnibus quodammodo ceremoniis veteris legis, ſtatuerunt ut fideles deberent tantummodo abſtinere ab immolatis ſimulacrorum, ſanguine, ſuffocato, & fornicatione, & nihilominus ſtatim poſt prædictam ſublationem circumciſionis, Paulus Apoſtolus circumcidit Timotheum, qui ex patre gentile natus fuerat, propter vitare ſcandalum Judæorum, qui erant in illis locis, ut habetur Actuum 16. Inſuper poſt dictum Concilium de ceſſatione legalium, Apoſtoli & ſeniores qui erant Hieroſolymis, adveniente Paulo, propter ſcandalum evitandum, ſuſtinuerunt adhuc ceremonias legales, & voluerunt, ut Paulus aſcendens templum, purificaret ſe & ſanctificaret, tanquam ambulans & cuſtodiens legem, ut habetur Actuum 21. capitulo: Et poſt prædicta etiam ex ipſis præceptis quæ per Apoſtolos tradita erant ſervanda, quædam conſuetudo Eccleſiæ immutavit. Nam ex prædictis quatuor, primo & quarto manentibus illæſis, de non edendo de immolatis ſimulacris ſive idolis & de cuſtodiendo ſe à fornicatione, ſecundum & tertium mutata ſunt, quia & ſanguinem edimus & ſuffocatum. Item Paulus Apoſtolus dicit: Oportet Epiſcopum unius uxoris virum eſſe, in quibus verbis præceptum Apoſtoli includitur, & ex hoc, & etiam ex ratione ſignificationis bigamiæ, cui ſemper eſt annexa irregularitas: & nihilominus Papa, & multo magis Eccleſia, poteſt, imo & de facto diſpenſat in Bigamis, non obſtante præcepto prædicti Apoſtoli: Unde dicit ſanctus doctor in 4. diſt. 27. in reſponſione ad dictam auctoritatem Pauli, quantum ad ea quæ ſunt de neceſſitate ſacramentorum & fidei, nec Eccleſia nec Papa poteſt diſpenſare, ſed in aliis quæ ſunt de inſtitutione Apoſtolorum, cùm Eccleſia nunc habeat eandem poteſtatem ſtatuendi & deſtituendi, quam tunc habuit, poteſt per eum qui primatum tenet in Eccleſia

*Matth. 16.*

*S. Hieron.*

*Leo Papa.*

*Quæſt. 3. art. 3. ad 2.*

*S. Thom. ibid.*

SÆC. XV. ANNO 1433.

sia, dispensare: Quapropter & Lucius Papa dispensavit cum Panormitano Episcopo qui erat Bigamus. Item sancta mater Ecclesia docuit signum sacratissimæ crucis in fronte depingere, ipsa docuit in eodem signo benedictiones fieri sacramentorum & consecrationes, pro defensione & contra insidias malignorum spirituum sal & aquam benedicere, & ea in simul miscere. Ipsa docuit fontes baptismatis benedicere, pro congregatione fidelium, ad sacramenta percipienda, ad doctrinam divinam audiendam, ad divina mysteria peragenda, & ad laudandum Deum specialiter Ecclesias fabricari, cæmiteria ubi fideles sepelirentur, & exequias mortuorum facere & omnem alium ritum Ecclesiasticum adinvenit, quem per singula explicare, dies nobis potius deficeret, quàm materia dicendi, in quibus immutationibus faciendis, sancta mater Ecclesia pro locorum, temporum, & personarum varietate exemplum habuit à Deo, & à Christo Domino: Nam licet fides confiteatur Deum esse omnipotentem, omniscientem, æternum, invariabilem, & omnimodè incommutabilem, ipse tamen immutabilis & immobilis, secundum exigentiam & diversitatem temporum, & varias leges dedit, ut aliter homo in statu naturæ, aliter in tempore legis, & aliter in statu gratiæ salvaretur: Non quod tunc esset alia fides quam nunc, sed una & eadem, per quam omnes justi ab Abel, usque ad ultimum justum, Deo placuerunt, quia secundum Apostolum, *una fides, unum baptisma, unus Deus omnipotens:* & ita licet semper eadem fides manserit; cerimonias & protestationes fidei ipse Deus immobilis & invariabilis, secundum varietatem temporum, variavit. Ipse etiam Dominus noster Jesus Christus, magister & exemplum omnium actuum Ecclesiæ, in assumpta humanitate, suas sanctissimas constitutiones & sua præcepta, juxta qualitatem temporum, pro informatione Ecclesiæ, immutavit. Nam ut habetur Matth. 10. Marci 3. & Lucæ 9. Dominus Jesus Christus mittens suos discipulos ad prædicandum, præcepit eis, ut non haberent sacculum neque peram, & similiter præcepit eis, *in viam gentium ne abieritis, in civitates Samaritanorum ne intraveritis.* Nihilominus, mutata conditione temporum, & ipse Dominus mutavit sua præcepta. Etenim instante passionis tempore, quo eum oportebat sua præsentia corporali suos relinquere discipulos, plurima exempla relaxavit. Nam Lucæ 22. ait: *quando misi vos sine sacculo & sine pera, nunquid aliquid defuit vobis?* responderunt *nihil.* Tunc Christus dixit eis: *nunc autem dico vobis, qui habet sacculum, tollat, similiter & peram:* & post resurrectionem suam ascensurus in cœlum, quos ante passionem suam tantummodo ad Judæam miserat, mittit in universum mundum, dicens Marci ultimo: *Ite in mundum universum & prædicate Evangelium omni creaturæ,* & similiter Matth. ult. ita: *docete omnes gentes baptisantes eos &c.* His nimirum exemplis divinis, & Christi hominis, sancta universalis Ecclesia edocta, nihilominus à Christo & à Spiritu sancto directa, cùm sciat nihil velle Deum nec Christum Dominum, nisi salutem nostram, & omnia præcepta, statuta, concilia, & alia ad hunc unum & solum finem ordinari, prædictas mutationes, variationes, statuta, cerimonias fecit, statuit & ordinavit. Si igitur Ecclesia Catholica tot & tanta, ducta & directa à Spiritu sancto fecerit, in præteritum statuerit, & ordinaverit, justè, sanctè, rationabiliter & sine reprehensione, ac etiam in divinis Christi & Apostolicis præceptis mutationes, & interpretationes fecerit; Quis tam insanus & hebetus ingenii audebit asserere, Ecclesiam, ex rationabilibus & urgentibus causis, non potuisse communionem duplicis speciei mutare in communionem unius? præcipuè cum nec sit de præcepto Christi, nec aliquod detrimentum incurrant non conficientes sic sumendo? Si enim immutaverunt Apostoli formam baptismi, quæ dat essentiam sacramento taliter, ut si quis nunc in illa forma, qua ipsi Apostoli baptizabant, baptisaret, non esset baptismus; quanto magis potest Ecclesia mutare vel tollere unam speciem, quæ se tenet ex parte materiæ, & ex qua nihil essentiæ sacramenti deperditur, nec etiam sumenti gratiæ? Si tot & tanta facta sunt tam circa hoc sacramentum, quàm circa alia, auctoritate Ecclesiæ, mirum profectò videtur, cur etiam circa communionem & usum hujus sacramenti Ecclesia non possit statuere, ut sic, vel sic, sumatur. Et si quæratur, quæ, aut ubi, aut quo tempore, ante Constantiense Concilium fuit duplicis speciei in unam auctoritate Ecclesiæ facta mutatio? Respondendum est secundum Augustinum, & habetur dis. 1. c. 2. Ecclesiasticarum. Ubi dicitur, quod Ecclesiasticarum institutionum quasdam scripturis, quasdam verò Apostolica traditione per successores in ministerio confirmatas, accepimus, quasdam verò consuetudine roboratas approbavit usus, quibus par ritus, & idem utrisque pietatis debetur affectus. Et infrà, enumeratis pluribus, de quibus auctor & locus & tempus ignorantur, subjungit, *hæc & alia in hunc modum non pauca, nisi quia tacita ac mystica traditione à patribus Ecclesiastico more, & reverentiori diligentia sunt in mysteriis observata magis silentio, quàm publicata scripto.* Cujusmodi sunt immutatio sabbati & paschalis festivitatis, crucis signatio, aquæ & salis benedictio, multorum præceptorum & cerimoniarum veteris legis immutatio: multa quoque quæ nunc in sacrificiis fiunt, ut & forma consecrationis

Ephes. 4.

Cap. 5.

Digitized by Google

tionis calicis, benedictiones fontium baptismatis & multa hujusmodi, quibus sola consuetudo universalis Ecclesiæ auctoritatem tribuit, & sic est etiam communio unius speciei, cujus immutationis & auctor & tempus & locus ignorantur, & usque ad Constantiense Concilium, sola ei rationabilis consuetudo & sanctorum doctorum comprobatio auctoritatem præbuit, quam postmodum, compellente adversariorum instantia, idem sacrosanctum Concilium approbavit, Et ut postmodum, non ut consuetudo tantum, sed ut statutum & ordinatio Ecclesiæ universalis veneraretur. Ad laudem omnipotentis Dei, qui est benedictus in secula seculorum. S. & c. XV. Anno 1433.

ULtimò verò & finaliter pro facili & manuali solutione dictarum auctoritatum & aliarum, quas pro se adducunt adversarii, notandæ sunt diligenter septem regulæ quæ sequuntur. Primò itaque sciendum, quod quamvis plures auctoritates sacræ scripturæ & etiam sanctorum loquantur indifferenter de communione sub utraque specie, panis, scilicet, & vini, non tamen prætendunt præceptum, nec dicunt, hujusmodi communionem sub utraque specie quoad laicos esse de necessitate salutis, vel de præcepto Christi, & sic omnes hujusmodi auctoritates adducuntur per eos frivolè & impertinenter, nihilque contra Catholicam veritatem concludentes, cujusmodi sunt auctoritates Apostoli, prima ad Corinth. 11. quæ indifferenter loquuntur tam de sacerdotibus conficientibus, quàm laicis, in quibus tamen nullum præceptum exprimitur, ut plenè patuit loco suo, dum de ipsis superius ageretur in speciali. Secundò sciendum, quod auctoritates tam sacræ scripturæ, quàm etiam doctorum multorum, facientes mentionem de communione sub utraque specie, continentes in se præceptum vel vim habentes præcepti, ut in pluribus loquuntur, & sunt intelligendæ de sacerdotibus sacrificantibus, quorum est conficere hoc sacramentum & sub utraque specie sumere, propter perfectam significationem & repræsentationem Dominicæ passionis, & mortis, spiritualis refectionis completæ, & aliorum quæ in hoc sacramento repræsentantur; non autem de communione laicorum, quorum capere & sumere est solùm propter efficaciam, & non propter repræsentationem, cujusmodi est auctoritas Christi, qui solis Apostolis, quos in sacerdotes instituerat, præcepit ut hoc facerent sub utraque specie in suam commemorationem. Hoc modo etiam intelligitur capitulum Papæ Gelasii: Comperimus, de quibus in locis suis dictum fuit superius. Tertiò sciendum, quod auctoritates sanctorum, si quæ fortè sunt loquentes de hujusmodi communione sub utraque specie, restringendæ sunt ad tempus illud, in quo mos ille in Ecclesia servabatur. Consuetudo enim Ecclesiæ, quæ habuit ex causa rationabili originem, sive fuerit generalis simpliciter in tota Ecclesia, sive in aliqua sui parte notabili, utpote in una natione, vel regno, sive etiam in una provincia, aut diœcesi, vim habet obligativam legis & præcepti, nec alicui particulari scienter licet contra eam agere, aut ipsam sua sponte præterire, in loco ubi communiter observatur: unde dicit Augustinus ad Casulanum presbyterum, quod mos populi Dei & instituta majorum pro lege tenenda sunt: & sicut prævaricatores legum divinarum, ita contemptores consuetudinum Ecclesiarum coërcendi sunt. Quapropter si quis Latinorum in orientali sive Græca Ecclesia, contra morem ipsorum in azymo conficeret, peccaret, ut dicunt doctores communiter, & è converso si Græcus apud nos ageret in fermentato, propter diversam consuetudinem Ecclesiarum. Quia igitur Christus ita sub duplici specie discipulis in ultima cœna ministraverat hoc sacramentum, multi sequentes hunc ritum tenuerunt, & in multis Ecclesiis indistinctè quoad non sacrificantes, habitus est pro invariabili consuetudine, & pro lege; nunquam tamen hæc consuetudo ministrandi laicis sub utraque specie fuit in Ecclesia omnimodè generalis, quia etiam tempore Apostolorum legitur Actuum 2. quod erant perseverantes fideles in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus, & in fine cap. quod erant fideles frangentes panes circa domos quotidie, quod utique de pane sacramentali doctores intelligunt, & specialiter Magister historiarum in historiis scholasticis, ubi nulla mentio fit de vino aut de potu, nec est verisimile quod in tanta re ab hoc ritu Ecclesia tam generaliter recessisset, nisi in aliquibus aliquo exemplo præcedente deducto ex Apostolis & primitiva Ecclesia, etiam rationabilibus & necessariis causis concurrentibus. Auctoritates igitur loquentes sub præcepto de laicis, restringendæ sunt ad tempus, & ad Ecclesias in quibus hujusmodi consuetudo pro lege habebatur; qua consuetudine cessante, cessat obligatio hujusmodi auctoritatum & veritas, quia quælibet auctoritas vera ex causa tantum; cessante causa veritatis ejus, cessat veritas & allegatio ejus, sicut ista: Christus est incarnandus, quandoque fuit vera, quia causa veritatis ipsius erat futuri temporis, quod nondum advenerat, sed jam, futuro pro tunc tempore adveniente, & Christo nato, causa ipsius veritatis ablata est, & per consequens ipsa pro nunc remanet falsa, quia non est vera, Christus est incarnandus. Cum igitur auctoritatis hujusmodi doctorum non erant veræ, nisi ex consuetudine, vim legis

*Septem regulæ pro intellectu auctoritatum inductarum notandæ.*

*Prima.*

*Secunda.*

*Tertia.*

*Epist. 86.*



Digitized by Google

Sacr. gis & præcepti habente, ceſſante conſuetudine, eorum veritas ceſſabat & allegatio.
Et valdè diligenter eſt advertendum, quod nullus doctorum Catholicorum per adver-
Anno ſarios allegatorum, & ita credo de omnibus aliis loquentibus de hujuſmodi commu-
1433. nione ſub utraque, dixit eam indifferenter quoad omnes eſſe de præcepto Chriſti, aut de neceſſitate ſalutis, ita quod una ſpecies non ſufficiat ſine alia, nec aliqua auctoritatum per adverſarium adductarum dictum præceptum Chriſti intendit quoquomodo aut prætendit. E contrario autem multi doctores Catholici dicunt communionem diviniſſimæ Euchariſtiæ non conficientibus ſufficere ſub una ſpecie, ut in ſuperioribus
Quarta. diffusè oſtenſum eſt. Quartò notandum, quod auctoritates tam ſacræ ſcripturæ quàm aliorum doctorum, quæ videntur facere mentionem de ſumptione hujus ſacramenti ſub duplici ſpecie, quoad laicos, vel indifferenter quoad omnes, duplici modo loquuntur, videlicet vel nomina rerum aſſumentes, vel nomina ſpecierum. Exemplum primi, Joan. 6. *Niſi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Caro enim & ſanguis ſunt res ſacramenti, & ea quæ ex naturali aut reali concomitantia conſequuntur ad hæc. Exemplum ſecundi, 1. Cor. 11. *quotieſcunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini, &c.* panis enim & calix, qui vinum continet & pro vino accipitur, ſicut ſæpe continens pro contento, ſunt nomina ſpecierum hujus ſacramenti. Inter has autem locutiones diligens lector hanc differentiam attendat, quoniam in auctoritate quæ eſt ex terminis ſpecierum, nunquam aut raro inveniet notam præcepti aut terminum, vim præcepti habentem, per quam poſſit deprehendi, quod hujuſmodi ſumptio ſpecierum cadat & obliget ad præceptum, ad oſtendendum, quod hujuſmodi ſumptio ſub utraque ſpecie non eſt de neceſſitate ſalutis, & per conſequens de præcepto Dominico. Quod ſi forte in aliqua auctoritate doctoris alicujus repertum fuerit, ad præcedentem immediatè regulam recurrendum eſt, vel ſaltem ad eam quæ in loco ultimo adducetur, quæ eſt finalis reſolutio omnium. In auctoritate verò quæ conſtat ex terminis rerum, ſæpe imò ſæpiſſimè reperitur præceptum, vel in propriis terminis, vel in æquivalentibus, ſicut patet in primo exemplo: *Niſi manducaveritis &c.* Si tamen de ſacramentali manducatione dicta auctoritas intelligatur, ad declarandum quod ex præcepto divino tenetur quilibet fidelis Chriſtianus rem utramque hujus ſacramenti ſumere ſive ſpiritualiter ſive etiam realiter, ſecundum quod in ſacramento continetur; & cum utraque res verè & integrè ſub qualibet ſpecierum contineatur, perfectè adimplet præceptum, quicunque ſub utraque vel ſub una accipit ſpecie, quia præceptum rem, non ſpeciem determinat. Et per hanc advertentiam multæ auctoritates & rationes adverſariorum evacuantur, imo ipſorum totale & principale fundamentum, ſcilicet: *Niſi manducaveritis &c.* penitus enervatur.
Quinta. Quintò ſciendum quod in auctoritatibus ſacræ ſcripturæ & ſanctorum per manducationem corporis, & bibitionem ſanguinis, intelligi-gitur, in generali ſumptio utriuſque, quod utique ita verè & integrè fit ſub una ſola ſpecie, ſicut ſub utraque, cum ſub qualibet ipſarum per ſe ſumpta, totus & integer Chriſtus contineatur, ut declaratum eſt. Et etiam ſi ad proprietatem locutionis attendamus, non propriè ſanguis in calice bibitur, ſed ſola vini ſpecies, cum ſub ſpecie vini eundem modum ſanguis Chriſti habeat exiſtendi, quem habet omnimodè ſub ſpecie panis. Etenim ſicut ſub ſpecie panis, ſanguis habet eſſe intra corpus Chriſti, & intra venas ipſius incluſus, ſic per omnia & ſub ſpecie vini, quia non eſt effuſus extra corpus, aut à corpore diviſus, ſicut per ſpecies deſignatur, in memoriam Dominicæ paſſionis. Sæpe itaque ſcripturæ & doctores ſancti loquentes de hoc ſacramento, etiam ſecundum quod ſub una ſpecie continetur, utuntur manducationis & bibitionis terminis pro ſumptione, ad ſignificandum fidelibus, quod ſub una ſola ſpecie panis ſumant corpus & ſanguinem Chriſti verum verè & realiter, & non aliter ſub ambabus,
Sexta. quàm ſub una earum, nec magis efficaciter. Sexto etiam intelligendum, quod multæ auctoritates facientes mentionem de communione laicali ſub utraque ſpecie, potius ſpiritualiter intelligendæ ſunt, quàm ſacramentaliter, ut de multis patuit. Quando enim ſacerdotes in altari in conſpectu populi conficiunt ſub duplici ſpecie, & ſimiliter ſumunt in memoriam Dominicæ paſſionis, tunc populus aſſiſtens fide & devotione, manducat & bibit & corpus & ſanguinem Domini ſpiritualiter in ſinceritate fidei, per recogitationes bonas & ſanctas meditationes, maſticando & hauriendo ore cordis, & ſe Chriſto uniendo per affectum amoris. Hunc modum actualis manducationis ſpiritualis,
*Supra, in propoſitione quinta, in tertia manducatione ſpirituali. Septima.* qui tertius fuit ſuperius aſſignatus, tangit Auguſtinus, *ut quid paras ventrem & dentes? Crede & manducaſti.* Multæ auctoritates intelliguntur de modo ſpiritualis manducationis, ſuperius ſimiliter tacto, ſecundum quem modum illam auctoritatem: *Niſi manducaveritis carnem &c.* exponit Auguſtinus, ut clarè oſtenſum eſt loco ſuo. Septimo & ultimò notandum, quod nulla auctoritas cujuſcunque ſancti aut doctoris habet efficaciam ad aliquid probandum aut concludendum authenticè, in aliqua materia, fidem aut ſalutem animarum concernente, niſi in quantum doctrinæ Eccleſiaſticæ congrueret,

aut

Digitized by Google

aut ab Ecclesia approbaretur: ubi autem contrarium & dissonum haberet aliquid, totum, ut falsum, repudiatur & inutile, & hoc ideo, quia non doctrinæ doctorum Ecclesia subjicitur, sed è converso doctrina ipsorum Ecclesiæ, tanquam indeficienti regulæ, quæ errare non potest, ut clarissimè monstratum est in capitulo hujusmodi materiam declarante, unde & Augustinus contra epistolam fundamenti, non solum doctrinæ doctorum, sed etiam ipsi Evangelio præfertur Ecclesia: *Evangelio non crederem*, inquit, *nisi me Ecclesiæ auctoritas commoveret*. Etenim cum plura reperiantur scripta Evangelia, quàm quatuor, ut puta; Andreæ, Thomæ, & multorum aliorum, illa nihilominus obtinuerunt auctoritatem, quæ ipsa Ecclesia approbavit, & illa reprobata sunt, quæ ipsa reprobavit: quare & omnes doctores Ecclesiæ suas doctrinas meritò Ecclesiæ judicio submiserunt & submittunt quotidie. Sic & Paulus ad Galatas 2. non obstante, quod Evangelium suum à Christi revelatione habuisset, tamen ut autenticaretur, ascendit cum Barnaba Hierusalem, ubi pro tunc Ecclesia principaliter residebat, & contulit cum illis, scilicet Apostolis, & aliis in quibus Ecclesia consistebat, & seorsum cum illis, qui videbantur esse aliquid, ne fortè in vacuum curreret, aut cucurrisset. Cum igitur Ecclesiæ consuetudo obtinuerit generaliter, à multis retrò temporibus, ut non sacrificantes sub una specie communicent, fueritque dicta consuetudo per generalia Concilia approbata & declarata, non esse contra divinam voluntatem aut Christi præceptum; manifestum est, omnem auctoritatem cujuscunque doctoris, quantumcunque sancti, aut ingenio & sapientia prædíti, contra hanc consuetudinem & statutum Ecclesiæ nihil posse concludere: quapropter si adduceretur aliqua auctoritas, cui per aliquam prædictarum regularum non posset satis fieri ad plenum, maximè propter proterviam adversantis, respondens fidelis Catholicus ad hanc ultimam regulam, tanquam ad portum tutissimum, confugiat, quia unico hoc Ecclesiæ sole, ut ait Hieronymus, in disputatione contra Luciferanos, omnium adversariorum argumentationum rivulos facile poterit desiccare. Ad laudem omnipotentis Dei, & exaltationem fidei Catholicæ.

SÆC. XV. ANNO 1433.

*Hieronymus.*

*Et hic finis est positionis & responsionis Magistri Joannis de Raguso, sacræ Theologiæ professoris, Ordinis fratrum Prædicatorum, factæ in sacro generali Basileensi Concilio, ad dicta Magistri Joannis de Rockizano Bohemi, in articulo communionis sub utraque specie. Anno Domini M. CCCC. XXXIII.*



Digitized by Google

# ÆGIDII CARLERII,

## DECANI ECCLESIÆ CAMERACENSIS

# ORATIO,

Qua respondit per dies quatuor,

IN

## CONCILIO BASILEENSI

*Ad Articulum secundum Bohemorum,*

# DE CORRIGENDIS PECCATIS PUBLICIS,

Quem proposuit per biduum

## NICOLAUS TABORITA.

SÆC. XV. ANNO 1433.

Audistis, Reverendissimi Patres, Illustrissime princeps, Celeberrimi inclyti & doctissimi viri, venerabilesque oratores famosi regni Bohemiæ profundam, præcelsam & veram positionem de communione divinissimæ Eucharistiæ, per quam ostensum est, non esse de necessitate salutis, nec præceptum à Christo Salvatore, quoscunque non conficientes sanctam communionem accipere sub utraque specie, scilicet panis & & vini. Jam precor patientes aures commodate, facite quietum silentium, ut dum sermo, qui, ut spero, de regalibus sedibus venit, in hoc divino cœtu libere currat, nullus subtilia speret ab ore dicentis, neque subest ingenium, neque hoc patitur materia. Debet, si Philosophorum dicta memini, sermo rei esse subjectus, non res sermoni. Unde cum de punitione peccatorum futura sit oratio, in ea ut in moralibus, typice & figuraliter procedendum est. Cùm manus ad opus ponere tentavi, quorsum oculos, quorsum articulos digitorum scribentium, quorsum denique animum volverem, pavidus nesciebam. Obtulit se lata materia, & angustus erat locus ingenii, sparsa valdè, & colligendi virtus non erat. Quodque cum necessitatem rei intelligerem, quod in ea pendeat salus orbis, & signanter Catholicæ Ecclesiæ, ultra quam credi potest, timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ. Ea propter postulavi à Domino, ut oriretur mihi sol veritatis, pergerem ad opus meum & ad operationem meam usque ad vesperam, id est finem hujus actus, & dixi: *Revela oculos meos & considerabo mirabilia de lege tua.* Psal. 118. Non miretur aliquis, quod revelationem peto oculorum. Pro regendo uno populo Rex Salomon sapientiam poposcit, ut sciret introitum & exitum suum; Et ego vermis & cinis, pro reparatione populi universi lumen sapientiæ non quæram? ille de populi circumcisi regimine acturus erat, nec in viribus suis fuit confisus; Et ego pro salute Christianorum, pro quibus Dominus noster Jesus Christus sanguinem suum fudit, pro pace & unitate laborem assumens, ut qui conjunxit duos parietes Judæorum & gentilium, in uno angulari lapide Christo Jesu, jungat & nos in vinculo Spiritus & caritatis. Sperabo in virtute mea? magna certe mihi cura est vos & hoc famosum atque inclytum Regnum Bohemiæ, Galliæ meæ regioni olim amicum, conciliare & sociare in fœdere sempiternæ pacis, & ut unanimes de cætero habitemus in domo Domini, unde ipsos dilectos propter Deum venerandos

Psal. 54. Psal. 103. Psal. 118. 3. Reg. 3.

Nuncios

Digitized by Google

Nuncios Bohemorum oratores velim, ut ſi aliter ſapiam quoad aliqua, quam ipſi in articulo de punitione publicorum peccatorum, non moveantur eorum reſides animi: Neque enim ad roſas venitur, niſi per medium ſpinarum, nec mel quis reperiet, niſi ſe ingeſſerit excercitui apum, neque in difficilibus niſi poſt diſputationem veritas lucebit. Si in hoc ſit non modicus labor, non erit tenuis gloria. Aperui oculos mentis. Peto, patres digniſſimi, quoniam viſio mihi oſtenſa eſt, & eam non plenè intelligo, calamitatem Eccleſiæ mente revolvens, cum ſuper eam plorarem planctu magno, ut alter Hieremias, vidi ollam ſuccenſam & faciem ejus à facie Aquilonis. Et quoniam intelligentia opus eſt in tali viſione, dixi Deo: *Revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua*, Dicam tamen ut intelligo, quænam ſit hæc olla, quæ ſuccenſio, quæ facies contra faciem Aquilonis. Olla iſta, hujus ſacroſanctæ ſynodi nec non & horum venerabilium oratorum Bohemiæ cogitatio eſt, in qua ut in olla, concepta & aviſata reponuntur. Siquidem intellectus poſſibilis eſt omnia fieri, ut agens omnia facere: ſuccenſio, ardor & zelus eſt; facies, quæ anterior pars eſt capitis, intentio non incongruè accipitur. Aquilo regio frigida & ſicca à qua, ut Jeremias Propheta teſtatur, panditur omne malum & peccata, carent enim calore gratiæ & honore pietatis. Cogitatio itaque hujus ſacri Concilii & præſentium venerabilium oratorum Bohemiæ ſuccenditur, & hujus cogitationis intentio verſa eſt contra peccata. Igitur peccata in olla cogitationum veſtrarum, patres eximii & viri venerabiles, profecto comburuntur; quoniam adverſus ea zelus affectuum veſtrorum commotus eſt; ſed quemadmodum ignis in aliena materia urit & crepitat, ita quamdiu in peccata zelus accenditur, turbidus eſt & inquietus. Et ſicut ignis in propria materia jam non ignis, carbo, aut ignis flamma, ſed ignis lux eſt non urens, ſed lucens, non agitata, ſed quietus: ita cum zelus exuſtis peccatis in meditatione permanet, lucidus eſt, non urit, non laborat, ſed tamen in ardore creſcit, de quo Propheta Pſalm. 38. *In meditatione mea exardeſcit ignis.* Quis verò ſuccenſor & ollæ faber eſt, qui ſufflavit ſub ea prunas? ipſe eſt venerabilis proponens articulum de punitione peccatorum, prunas rationum ſuarum & auctoritatum cum retulit, ſufflavit, quem creans Dominus ad vos miſit, ut ollam ardentem amplius ſuccenderet. De quo Eſa. ait: 54. cap. *Ecce ego creavi fabrum ſufflantem in igne prunas, & proferentem vas in opus ſuum*, adeo dilectus meus faber exſufflavit, prunas ſuccendit, ut olla ipſa pene reſoluta liqueſcat: ſed ſicut cum videt operarius flammam excreſcere, ut vas proferat in opus ſuum, aquam mittit in ignem, neque tamen ſuccendere deſinit; ita cum zelum venerabilis proponentis admodum vehementem viderem ad combuſtionem vitiorum, timens cum vitiis etiam ipſius ollæ uſtionem, aquam moderationis hujus ignei zeli, ut alter faber, mittere curavi; videram equidem quoniam flamma ultra fornacem effundebatur cubitis multis, & ſuccenderet eam valde, unde ego intelligens omnem exceſſum periculoſum, imò utile in vita eſſe, ne quid nimis, præterea quod malè miniſtrat omnia impetus, ſocius officio, differenti miniſterio, præparavi antidotum, aquam ad ignem attuli, ut aliquid ex ambobus nobis medium fieret: medium enim amat Dominus: ſtat medius venientium ad baptiſmum: Jeſus in medio doctorum eſt. In medio duorum aut trium congregatorum in nomine ſuo, in medio diſcipulorum ſuorum dum dixit, *pax vobis*, non eſt ergo pax niſi in medio. Igitur extremitatem venerandi proponentis ad medium tentabo reducere, ut ad pacem veniamus, tunc in camino ignis erit, ut in propria materia, dum purgatis vitiorum rubiginibus & combuſtis, ignis cœleſtium deſideriorum ardebit ſuaviter, hunc Dominus ſuſcitat, hunc Dominus agitat, hunc ſuccendit, de quo ipſe loquitur Lucæ 12. *ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi ut ardeat?* ideo ignem miſit in terram, quoniam juxta verba legis, Deus ignis conſumens eſt, Deus æmulator, qui in rubo ardenti apparuit, qui ductor fuit populi in columna ignis per noctem: tunc impletum erit verbum Evangelici Prophetæ Eſaiæ 10. *Erit lumen Iſrael in igne, & ſanctus in flamma ignis.* Luceat ignis iſte, obſecro Domine, in corde meo, ut revelentur oculi mei, & conſiderem mirabilia de lege tua, ardeat ad conſumptionem peccatorum, ut verba ignea proferam, & ſit ſermo meus ut facula ardens, ut illo ollam cordis, per venerabilem proponentem ſupra modum, quantum in ſe fuit, ſuccenſam, nec furere faciam, nec exſtinguam, ſed aſperſio aquæ moderationis, fervorem cordium in correctione temperet, & ignitum eloquium frigida commoveat, quatenus reformatione S. Eccleſiæ ad Dei laudem peracta, zelus domus Dei ultra non crepitet, nec prunas denuò ſufflare neceſſe habeamus in præſenti, ſed luceant fidelibus quaſi luminaria in firmamento, & tandem in lumine ſortis ſanctorum fulgeant ut ſtellæ, in perpetuas æternitates, præſtante Domino Jeſu Chriſto, qui eſt lucerna ejus, qui cum Patre & Spiritu S. eſt Deus benedictus in ſecula ſeculorum, Amen.

SÆC. XV. ANNO 1433.

Hier. 1. Pſal. 118. Hier. 1. Pſalm. 38. Eſa. 54. Luc. 12. Deut. 4. Eſa. 10.

Ad

Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

AD declarationem veritatis materiæ Secundi articuli, qui est de punitione peccatorum, nuper pro parte venerabilium oratorum inclyti regni Bohemiæ propositi, venturus, & veritatem juxta vires ostensurus, unam protestationem, unamque supplicationem ut componerem, ratio judicavit. Protestor, quod jam dicenda submitto correctioni & emendationi hujus sacræ Synodi Basileensis, affirmans quod affirmandum dictabit; negans quod negabit, à sua confessione nullatenus, quamdiu vixero discessurus. Supplico cum omni reverentia, ut dicenda universi cum omni mansuetudine suscipiant, scientes quod neque animo turgido vel indignanti, neque temerario proposito, sed in Spiritu lenitatis & in visceribus caritatis zelus domus Dei hanc sarcinam me suscipere coëgit.

*Articulus Hussitarum.* Audistis, patres reverendissimi, inclyti Domini ac viri percelebres, prolatum articulum sub hac forma: *Peccata mortalia publica, & quantum rationabiliter fieri potest, privata, aliæque deordinationes legi Dei contrariæ, in communitatibus Christianorum, & quolibet statu eorundem, debitè juxta dictamen divinæ legis, per Christi fideles tam spirituales quàm seculares, prout congruit utrisque, sunt cohibenda, corripienda, castiganda, & pro posse ab eisdem propellenda.* Deducendo enim proponens propter Christum dilectus, multa inseruit, scilicet, de potestate legis humanæ, per quos, & quando peccata publica & secreta, quantum fieri potest, sint corripienda, de peccatis prælatorum & sacerdotum, de indulgentiis, absolutionibus, & consecrationibus, de peregrinationibus, & venerationibus reliquiarum, & excessibus circa illas, de pluribus sceleribus aliis intrinsecus & extrinsecus, contingentibus sacerdotes ipsos & alios fideles. Materiam igitur hanc latam & spaciosam, ad tria puncta breviabo. Primus erit de punitione peccatorum publicorum, de veritate tenenda circa unam specialem materiam huic proposito aliqualiter attinentem. Secundus pertractabit, per quos fieri debeat peccatorum publicorum punitio. Tertius satisfaciet pro posse rationibus, per proponentem inductis, & erit de aliquibus incidenter per eum expositis, & excessibus narratis, cum inductione, ut circa hæc fiat debita per reformationem provisio.

*Divisio totius tractatus.*

Quantum ad primum, de punitione peccatorum privatorum, non est magna difficultas, maximè ut in articulo proponitur, quia dicitur; & quantum rationabiliter fieri potest privata. tamen de illis aliquid dicetur in prosecutione materiæ de punitione peccatorum publicorum. Notandum ergo, quod peccatum mortale habet multas descriptiones, Non enim habet definitionem dicentem quid est. Nam multa sunt entia non habentia quidditatem vel essentiam, ut sunt privationes & negationes, & sic descriptiones peccati mortalis sunt sermones majoris declarationis. Itaque dantur à beato Augustino quatuor descriptiones peccati mortalis. Primum, peccatum mortale est *dictum, factum vel concupitum contra legem Dei.* Secundum, peccatum est, *voluntas retinendi vel consequendi quod justitia vetat*, hoc dicitur libro de duabus animabus. Tertium, peccatum est, *neglectis rebus æternis temporalia sectari*, hoc dicit de libero arbitrio. Quartum, *peccatum est uti fruendis, & frui utendis.* lib. 83. quæst. Ambrosius sic peccatum diffinit, Peccatum est, *prævaricatio legis divinæ & cœlestium inobedientia mandatorum.* Anselmus, peccatum est *carentia debitæ justitiæ ex propria voluntate procedens.* Quoniam verò formale peccati est defectus à rectitudine: rectitudo autem per essentiam est lex æterna participata in recta ratione: Forma peccati est exorbitatio à lege Dei, aut recta ratione; & hic recessus à rectitudine debita, ponitur in omnibus descriptionibus Augustini. Est verum, quod etiam ponitur materiale peccati, scilicet actus. Itaque omnes descriptiones peccati ab Augustino datæ complectuntur materiale & formale. Descriptio Ambrosii dicit solum formam & causam deficientem, ex qua illud formale procedit, cum dicit, *à voluntate procedens*, à voluntate, scilicet non efficiente, sed deficiente, cujus defectus est causa carentiæ rectitudinis debitæ inesse actui, qui dicitur culpa aut peccatum. Hæc dicta sunt, quia quod nominis, est principium doctrinæ. Inter cæteras descriptiones, illa quæ est. Ambrosii, videtur bene propria, quia formalis, & illam accepit proponens articulum.

*Primum notabile.*

*De peccato mortali.*

*Contra Faustum Manichæum, lib. 22. c. 27.*

*De duabus animab. cap. 11.*

*De libero arbitrio. cap. 16.*

*Lib. 83. quæstionum q. 30.*

*Ambr. de parad. c. 8.*

*Anselmus de peccato orig. ca. 6.*

*cur Deus homo lib. 1. cap. 9.*

Secundò notandum, quod peccatum dicitur publicum, quod habet facti evidentiam, quod probabiliter negari non potest. Privatum verò, quod caret tali evidentia facti, quemadmodum dixit proponens.

*De diversis judiciis.* Tertiò notandum, ad tollendum æquivocationem in sequentibus, quadruplex est judicium, quoddam est discussionis, aliud est condemnationis vel generaliter diffinitionis, secundùm quod est actus justitiæ. Aliud comparationis, aliud assessionis. De judicio discussionis seu discretionis ostendens Apostolus, quomodo homo debet se ipsum probare, ait. *Quod si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.* De judicio comparationis, quo aliqui judicari dicuntur, qui respectu aliorum aliqui judicantur, ut loquitur Alexander de Alez in 3. scribitur Matth. 12. *viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt*

*1. Cor. 11.*

*Parte. 3. q. 25. ar. 1.*

in

*in prædicatione Jonæ. Et ecce! plus quam Jonas hic, Regina austri surget in judicio cum generatione ista, & condemnabit eam, quia venit à finibus terræ videre sapientiam Salomon. Et ecce! plusquam Salomon hic.* de judicio assessionis Matth. 19. *judicantes* 12. *tribus Israel.* Et ista distinctio utilis erit ad propositum in sequentibus de consideratione peccati secundum se, & in comparatione ad subjectum, non est inutilis distinctio, ut in sequentibus cohibitio, ad peccatum in se referatur, correctio autem, punitio & propulsio, ad peccatum in subjecto, id est, ad peccantem. SÆC. XV. ANNO 1433.

Quartò notandum, quod duplex est correctio, quædam est actus justitiæ pro cohibitione pœnæ, alia est caritatis ad conservationem conscientiæ, & hoc iterum ad tollendam æquivocationem in dicendis non erit impertinens. Nam sæpè propter identitatem nominis, convolat quis de uno in aliam. Exordiendo igitur ab origine legum sit hæc propositio 1. *ponenda est lex æterna in summo omnium principe.* Cum enim mundus divina providentia regatur, necesse est in gubernante esse dictamen practicum omnium ab eo directorum, in quantum à ratione practica artis increatæ processit, ut sic sua providentia in ipsum ut finem ultimum reducatur. De qua dicit beatus Augustinus in lib. de arbit. *lex quæ summa ratio nominatur, non potest cuiquam intelligenti nisi incommutabilis* æternaque videri. Et idem de vera religione dicit, *menti nostræ concessum est videre legem veritatis immutabilem,* sed omne immutabile dicitur æternum. Ponenda est ergo lex æterna, ab hac derivatur in nobis lex naturæ, velut quædam participatio ejus, per quam inclinamur ad proprios actus & finem vitæ humanæ, de qua, super illo ad Rom. 2. *Cum gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, hujusmodi legem non habentes, sibi ipsis sunt lex,* dicit glossa, *Etsi non habent legem scriptam, habent tamen legem naturalem, qua quisquis intelligit & sibi conscius est, quid bonum, quid malum,* hæc est impressio de qua Propheta in Psal. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* De hac etiam dicit Augustinus lib. 83. *ex ineffabili atque sublimi rerum administratione quæ fit per divinam providentiam quasi transscripta est lex naturalis in animam rationalem.*

Correctiones. *Propositio prima.* *Aug. de lib. arbit. cap. 6.* *Aug. de vera relig. cap. 30. tom. 1.* Lex æterna. *Rom. 2. Glossa ordinaria in cap. 2. ad Rom.* *Psalm. 4.*

Secunda propositio. *Ultra legem æternam & legem naturalem oportet ponere legem humanam;* humana enim ratio non potest participare ad plenum dictamen rationis divinæ, sed suo modo & imperfectè ac secundum obscuram resonantiam, ut loquitur Albertus Magnus. Ideo sicut ex parte rationis speculativæ per naturalem participationem divinæ sapientiæ inest nobis aliquorum communium principiorum cognitio, non autem cujuslibet veritatis, sicut in divina sapientia continetur, sic etiam ex parte rationis practicæ naturaliter homo participat legem æternam secundum quædam principia communia, non autem secundum particulares directiones singulorum, quæ in æterna lege continentur. Unde necesse est, quod ratio humana procedat ad particulares quasdam legum sanctiones. Et hæ dicuntur lex humana. Sic dixêre quidam, quod initium Juris est à natura profectum, deinde quædam in consuetudinem, ex utilitate rationis, venerunt, postea res à natura profectas, à consuetudine probatas, legum metus & religio sanxit. Igitur prima ratio necessitatis legis humanæ sumitur ex imperfectione rationis nostræ, quæ de singulis agendis non potest judicium ferre ex solis principiis practicis legis naturæ. Et illam tangit sanctus Thomas 1. 2. quæst. art. 3. in corpore. Præterea etsi vi refulgentiæ legis æternæ in nobis, & super vultus rationalis creaturæ infusi radii divini luminis, quædam naturalis inclinatio sit in nobis ad virtutes, perfectio tamen est per aliquam disciplinam: quæ perfectio præcipuè consistit in retrahendo hominem ab indebitis delectationibus, ad quas proni sunt homines, maximè juvenes. Ideo necesse est hanc disciplinam haberi ab alio. Et quidem in bene dispositis ad virtutes ex bona dispositione naturæ, vel consuetudine, vel divino munere, sufficit disciplina paterna, quæ est per monitiones; in pronis verò ad vitia, qui verbis non facilè moventur, necessaria est disciplina coactiva, per vim aut metum, ut saltem sic malè facere desistant, dentque cæteris vitam quietam, & tandem, mediante consuetudine, ad hoc perducantur, ut voluntariè faciant, quod à principio metu impleverunt. Talis verò disciplina est disciplina legum. Hæc ratio tangitur à beato Thoma 1. 2. q. 95. art. 1. in corpore. Hæ duæ viæ differunt, quia una sumitur penes cognitionem, alia penes actionem. Ex prima ratione sequitur, quod præcepta legis humanæ derivantur ex præcepto legis naturæ multa, & communiter per modum determinationis communium principiorum. Sicut ex illo principio legis naturæ: Qui malè facit, est puniendus, derivatur præceptum, quod tali vel tali pœna est puniendus. Aliqua etiam derivantur ex præceptis legis naturæ per modum conclusionum ex principiis, ut ex illo legis naturæ: Nullum malum est faciendum, derivatur illud præceptum legis humanæ, non est occidendum, scilicet propria auctoritate. Et ea quæ derivantur per modum conclusionum ex præceptis legis naturæ, sicut ex principiis, vigorem habent, non solùm quia lege sunt posita, sed etiam ex lege naturæ: Quæ verò derivantur per modum determinationis, cum non sint inclusa in illis, ut sunt

Proposition. De legibus Humanis. *S. Thom. 1. 2. qu. 91. art. 3. in corp.* *S. Thom. 1. 2. q. 95. art. 1. in corp.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

concluſiones in principiis, habent ex ſola lege humana vigorem. Hæc in ſumma habentur à Thoma, prima ſecundæ quæſt. 95. art. 2. in corpore. Et infrà: quæſt. 99. art. 3. & 4. oſtendit, quod lex divina ordinet hominem ad Deum & ad hominem, & quod utrumque in communi, pertineat ad dictamen legis naturæ, ad quod pertinet præcepta moralia determinare. Determinatio in his quæ ordinant homines ad Deum, facta eſt in lege veteri per cæremonialia. Determinatio verò in his quæ ordinant homines ad invicem, facta eſt in lege ipſa per judicialia. Et hujus determinationis cærimonialium & judicialium neceſſitas fuit, quia univerſalia non movent ſufficienter ad opus, unde ex hoc præcepto: Deus eſt adorandus, ſine particulari pius & religioſus affectus neſciebat exire in opus, ſed aut, ut inſpirabatur unicuique, ut factum eſt ante legem datam, aut ex poſt per cærimonialia fuit determinatum, ſic adoratum eſt, ſic ſacrificatum eſt tunc, ideo etiam ex præceptis: Non furtum facies, Non mœchaberis, & ſic de aliis, quæ ſunt legis naturæ & moralia, ſi non fuiſſet determinatum poſtea, qua pœna fur, aut mœchus, aut homicida, & ſic de aliis, puniendus erat, judex non niſi proprio arbitrio pœnam ſciviſſet infligere; ideo ut debitus ordo hominum ad invicem & pacis ordo ſervaretur, oportuit judicialia præcepta ſuperaddere moralibus. Videtis exemplum quantum ad illud de obſervatione ſabbati, quod in generali, quantum ad actum colendi, morale eſt, quoniam Moyſes non habens qua pœna puniendus erat, qui ligna collegerat in ſabbato, Dominum conſuluit. Et iterum Joſue ſuper furto Achani, quod non ſimplex furtum videbatur, ſed furtum de Anathemate Jericho, reſponſum petiit à Domino. Quoniam verò cæremonialia legis veteris ſunt mortua & mortifera, & judicialia ejuſdem mortua, neceſſe fuit ſub lege gratiæ eſſe leges humanas, quæ præcepta moralia legis divinæ & naturalis per derivationem ab illa determinarent. Alioqui judex homo ſæpe neſciret furem, homicidam, adulterum qua pœna puniret, ſicut ſciens quod currendum eſt, ſed neſciens quo curſum dirigeret, nunquam inchoaret. Hæc ideo poſita ſunt, ut non deſpiciantur leges humanæ, ſed omninò teneantur neceſſariæ, quæ tantum bonæ ſunt, in quantum divinæ legis rectitudinem & juſtitiam imitantur.

*Num.* 15.

*Joſ.* 7.

*Tertia propoſitio.* Tertia propoſitio, *quamvis omnia peccata mortalia & maximè publica ſint à quolibet fideli deteſtanda, non tamen omnia poſſunt puniri lege humana.* Primam partem concluſionis ſuppono. Alteram probo ſic: Iſidorus 5. Etym. cap. 21. dicit, quod lex debet eſſe honeſta, juſta, poſſibilis, ſecundum naturam, ſecundum conſuetudinem, patriæ, loco, temporique conveniens, neceſſaria, utilis, manifeſta quoque, ne aliquid per obſcuritatem in captione contineat, nullo privato commodo, ſed pro communi utilitate civium conſcripta. Ex hoc ergo, quod lex debet eſſe poſſibilis ſecundum naturam & conſuetudinem patriæ, & ex hoc, quod pro communi omnium fertur utilitate, deducitur concluſio ſic: Lex ponenda eſt hominibus ſecundum eorum conditionem; ergo ſecundum diverſos hominum mores, diverſæ leges ſunt ferendæ, imò ſecundum varietatem temporum ſunt mutandæ. Cum igitur non ſit eadem conditio perfectorum & imperfectorum, & aliqua ſint poſſibilia perfectis, quæ non imperfectis; legislator, qui multitudini præeſt, cui & fert legem, in qua communiter major pars eſt imperfectorum, cujus intentio eſt cives facere bonos, poſſibilia multitudini debet præcipere; alioquin faceret eos deteriores, cum transgrederentur perfectionis præcepta. Ille ergo prohibet à quibus poſſibile eſt faciliter multitudinem abſtinere, & quæ vertuntur in nocumentum communitatis. Alia verò quæ non ſunt hujuſmodi, tolerat & permittit. Hæc ex Thoma 1. 2. q. 95. art. 3. in corpore. Si verò multitudini, in qua major pars regulariter eſt imperfectorum, difficilia præciperet, & leviora aut minus gravia prohiberet, quia nimis vellet emungere, eliceret ſanguinem rebellionis, & contemptus, aut turbationis pacis. Quod ſi vinum novum, id eſt, præcepta perfectæ vitæ, mittatur in utres veteres, id eſt, in homines imperfectos: utres rumpuntur, & vinum effunditur: id eſt, præcepta contemnuntur, & homines ex contemptu ad pejora mala prorumpunt. hæc ex ſancto doctore accipiuntur. Unde furta, homicidia, adulteria &c. quæ conturbant politiam, & à quibus multitudo faciliter abſtinere poteſt, humana & civilis lex prohibet, ſimplicem autem fornicationem, aut ſimplex meretricium, ſi fiat vis in verbo, licet ſit peccatum mortale, & divinæ majeſtatis offenſivum, tolerat. Nam per ipſum non turbatur politia, nec plebium multitudinem, luſibus, deliciis, & voluptatibus deditam, facile eſt abſtinere. Dicit enim Hieronymus in epiſtola ad Oceanum, *venter mero æſtuans cito deſpumat in libidines*, & quidam, *proximus*, ait, *à Libero patre intemperantiæ gradus eſt*, imò punitio pœnalis hujus peccati occaſionem daret majoribus criminibus, & pareret in politia grave ſcandalum. Item Auguſtinus de hoc peccato loquens, lib. de ordine ut Thom. refert, ait: *aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus.* Item de tolerantia Judæorum ſcriptum eſt, Pſ. 58. *Dominus oſtendit mihi ſuper inimicos, ne occidas eos*, & tamen ſunt mali, igitur &c.

*S. Thom. 1. 2. q. 95. art. 3. in corpore.*

*Prov.* 30. *Matth.* 9.

*1. 2. q. 96. ar. 2. ad 2.*

*Hieron.*

*Lib. 2. c. 4.*

*S. Thom. 2. 2. quæſt. 10. art. 11. in corpore.*

*Pſal.* 58.

Lex debet accomodari locis & temporibus.

De

Digitized by Google

Malorum tolerantia.

De hac verò tolerantia sic dixit Thom. 2. 2. quæst. 10. art. 11. in corpore, *humanum regimen derivatur à divino, & ipsum debet imitari, Deus autem, quamvis sit omnipotens & summè bonus, permittit tamen aliqua mala fieri in universo, quæ prohibere posset, ne eis sublatis, majora bona tollerentur, vel etiam pejora mala sequerentur, sic ergo in regimine humano illi qui præsunt, rectè aliqua mala tolerant, ne aliqua bona tollantur, vel etiam ne aliqua pejora mala incurrantur.* Allegat ibi Augustinum lib. de ordine dicentem: *Auser meretrices &c.* ut suprà: *sic ergo infideles tolerari possunt quamvis peccent, propter aliud bonum quod eis provenit, vel propter aliquod malum quod vitatur. Ex hoc autem, quod Judæi ritus suos observant, in quibus olim præfigurabatur fidei veritas, quam tenemus, hoc bonum provenit, quod testimonium fidei nostræ habemus ab hostibus & quasi figura nobis repræsentatur quod credimus, & idem in suis ritibus toleratur. Aliorum verò infidelium ritus, qui nihil veritatis aut utilitatis afferunt, non sunt aliqualiter tolerandi, nisi forte ad aliquod malum vitandum, scilicet, ad vitandum scandalum, vel dissidium, quod ex hoc posset provenire, vel impedimentum salutis eorum qui sic tolerati paulatim convertuntur ad fidem; propter hoc enim etiam hæreticorum & paganorum ritus aliquando Ecclesia toleravit, quando erat magna infidelium multitudo.* hæc ille. Item Gregorius dicit de Judæis, & habetur in decreto, dist. 45. cap. *Qui omnes festivitates suas, sicut hactenus ipsi & patres ipsorum per longa colentes retro tempora tenuerunt, liberam habeant observandi celebrandique licentiam.* Item Augustinus primo de libero arbitrio dixit: *lex humana non potest omnia quæ male fiunt punire, vel prohibere, quia dum auferri vellet omnia mala, tollerentur etiam plura bona, & impediretur utilitas communis:* propterea idem eodem lib. ait: *Ista lex, quæ regendis civitatibus fertur, multa concedit atque impunita relinquit, quæ per divinam prudentiam vindicantur:* neque ennim quia non omnia facit, ideo quæ facit improbanda sunt, verum, si non omnia mala publica possit pœnaliter punire, tamen prohibet omnia, & punit quæ vergunt in aliorum nocumentum in politia.

*Lib. 11. cap. 15. Cap. 3. Syncera.*

*Lib. 1. c. 5.*

Nam Augustinus, ut Alexander recitat in suo tertio, ponit in lib. de decem cord. differentiam inter flagitiosos, & facinorosos, & dicit quod flagitiosi sunt, qui peccant in se, facinorosi verò qui peccant in alios, eis nocendo. Et contra tales qui nocent proximis, datæ sunt leges, ut cito de mediis rapiantur, ut scilicet sint velut membra putrida in corpore societatis humanæ. Et ideo à societate sunt abscindendi, propterea sic dicit Isidorus 5. lib. Etym. *factæ sunt leges, ut eorum metu humana coërceatur audacia, tutaque sit inter improbos innocentia, & in ipsis improbis formidato supplicio refrenetur nocendi facultas.* Cogit interdum lex humana nonnullos legem Evangelicam observare, secundum quod dicitur Luc. 14. *Exi in vias & sepes, & compelle intrare, ut impleatur domus mea.* Et hoc testatur beatus Augustinus ad Vincentium Donatistam dicens: *hæc autem primitus sententia mea erat, neminem ad unitatem Christi esse cogendum: verbo enim agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum, ne fictos Catholicos haberemus, quos apertos hæreticos noveramus. Sed hæc opinio mea non contradicentium verbis, sed demonstrantium superabatur exemplis. Nam primò mihi opponebatur civitas mea, quæ cum tota esset in parte Donati, ad unitatem Catholicam timore legum imperialium conversa est, quam nunc videmus ita hujus vestræ animositatis perniciem detestari, ut in ea nunquam fuisse credatur.* Et commemoratis aliis pluribus, subjungit: *His omnibus terror legum, quibus promulgandis reges serviunt Deo in timore, ita profuit ut nunc, alii dicant: Jam hoc volebamus, sed Deo gratias, qui nobis occasionem præbuit & dilationum morulas amputavit. Alii dicant: Hoc esse verum jam sciebamus, sed nescio qua consuetudine tenebamur: Deo gratias, qui vincula nostra disrupit, & nos ad pacis vincula transtulit. Alii dicant: Nesciebamus hic esse veritatem, nec eam discere volebamus, sed nos ad eam cognoscendam metus fecit esse intentos, quo timuimus, ne forte sine ullis rerum æternarum lucris, damno rerum temporalium feriremur: gratias Domino, qui negligentiam nostram stimulo terroris excussit. Alii dicant: Nos falsis rumoribus terrebamur intrare, quos falsos esse nesciremus, nisi intraremus, nec intraremus, nisi cogeremur: gratias Deo qui trepidationem nostram flagello abstulit, expertos docuit, quam vana & inania de Ecclesia sua mendax fama jactaverit. Alii dicant: Putabamus quidem nihil interesse, ubi fidem Christi teneremus: sed gratias Deo, qui nos à divisione collegit, & hoc uni Deo congruere, ut in unitate colatur ostendit. Serviant ergo reges terræ Christo, leges edendo pro Christo.* hæc Augustinus. Ex quo sequitur, quod illa mala, quæ lex humana permittit ad vitandum majus malum, & maximè illa, quæ sunt circa delectationes tactus, gustus, & olfactus, sicut est simplex fornicatio, & magis propriè loquendo, simplex meretricium, tenetur pro posse restringere, puta, quantum ad locum, ut meretrices non sint in loco honesto civitatis, sed in loco quasi sterquilinii, ubi sunt purgamenta civitatis. Nec sint in locis privatis, ne inverecundius peccetur, sed in loco publico. Et melius videtur fortasse, ut in suburbiis civitatum. Quantum ad progressum, ne currere permittantur per

*Cap. 10.* Facinorosi debent è medio tolli.

*Isid. lib. 5. cap. 20.*

*Aug. epist. 48.*

*Meretrices* licitæ.



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

vicos & plateas civitatis, non tabernas aut commessationes cum viris frequentare. Quantum ad ornatum, ne preciosis utantur vestimentis, ne auro vel argento capita fulgeant, non intortis crinibus, non in extrinseca capillatura videantur ab hominibus, non tunicæ manicas ad terram habeant, non redimicula mitræ, ne, ut quidam loquitur, videantur Ideæ Berecynthiæ matris. Sicque per legem humanam civilem fieri debet ut non sicut licitum hæc pestis maneat in urbibus, sed tanquam malum, licet minus, ad vitandum majora, ita ut quantum possibile est, insolentia reprimatur, nec in loco permittantur meretrices manere, ad quem pateat aliunde licitus accessus; propellantur ergo omnino à domibus mechanicorum, stufarum, & locis balnealibus, ne sub prætextu alicujus liciti, peccetur licentius: quinimò nec permittantur simili habitu uti, ut honestæ mulieres. Tenetur insuper lex civilis delectationes gustus temperare pro posse, scilicet, ne taberna viri scurriliter, & sic ingurgitando frequentent, nec illuc taxillarii, aut alii accedant. Nec pateat illic feminæ suspectæ accessus. Ne tabernarii vina sophisticent, ne ad eas accedentibus falsa offerant, irritamenta malorum: Et generaliter posset prohibere humana lex & punire omnia peccata mortalia publica, à quibus facile est multitudinem abstinere, tribus concurrentibus, scilicet jurisdictione conjunctione & pace salva, de quibus dicetur infrà: alia tolerat & permittit propter quid, bonus legislator, ut ædificatores in Lesbia insula. Est enim Lesbia insula, in qua regulà plumbeâ ædificare oportet, eò quod sunt ibi durissimi lapides, citius malleo frangibiles quàm ut possint eorum nodi rectificari. Itaque regula ibi ædificantium plumbea est, ut ad durissimos lapidum nodos flectatur, & rursus rectificetur, non omnes, sed enormes tortuositates devitans. Hæc est doctrina principis Peripateticorum Aristotelis, Aristot. 5. Ethic. A quo sicut à cæteris, ut ait Augustinus, tanquam ab injustis possessoribus Catholici possunt extorquere veritatem: sic servit Domino in timore lex humana. Sic tamen discat à lege Domini lex humana, ut non puniat omne peccatum mortale, quod fit in hoc seculo. Et tamen aliqua crimina licitè potest punire mortis supplicio. Nec in hoc contradicit Evangelicæ legi, ut proponens exposuit. Probatur hoc sic: glossa interlinearis super illo Exod. 20. *Non occides*, dicit, *judex non occidit reum, sed lex quæ jubet*, innuens quod auctoritate justitiæ hoc liceat, quia si nulla auctoritate liceret, superfluè dixisset *sed lex:* hæc glossa non est præcepti judicialis, nunc mortui, sed moralis, in lege gratiæ manentis in vigore. Nam secundum quod dicit Rabi Salomon, ut recitat Nicolaus de Lyra, in isto præcepto homicidium tantum prohibetur, propter quod imponitur pœna mortis. Alia verò mala, quæ corpori aut rebus possunt inferri, prohibentur aliis præceptis judicialibus. Item scriptum est Proverb. 8. *per me reges regnant & legum conditores justa decernunt.* Deus autem potest occidere, cum sit auctor vitæ, & mortis habeat imperium, ipso dicente Deut. 32. *Ego occidam, & ego vivere faciam, percutiam & ego sanabo.* Ergo reges, quibus ipse concessit regnare, hoc possunt facere per justitiam, scilicet, mortem inferre. Item ad Rom. 1. dicitur de committentibus gravia mortalia, *qui agunt talia digni sunt morte.* Sed de judice dicitur 13. quod Dei minister est, ergo quos Deus judicat ad mortem, potest judex licitè interficere. Et maximè illos qui per legem divinam adjudicati sunt morti, secundùm quod dicitur Lucæ 19. *Inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, & interficite ante me.* Item ad Rom. 13. dicitur de temporali principe: *non sine causa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum facit.* Ergo maleficum occidendo non peccat, cum facit auctoritate justitiæ, quia Dei minister est. Cyprianus super illo Deut. 13. *Si audieris in una ex civitatibus quas Dominus Deus tuus dabit tibi inhabitare te illis, dicentes: Eamus, serviamus Diis alienis, quos non nosti, interficiens necabis omnes qui sunt in civitate cæde gladii* dicit: *hujus præcepti memor Mathatias* 1. *Mach.* 2. *interfecit illum, qui super altare sacrificabat*, si ante adentum Christi hæc præcepta sunt, quanto magis post adventum Christi sunt observanda? Et si dicatur, quod non est observandum hoc præceptum, quia judiciale, & per consequens mortuum. Esto, quod ea ratione, qua judiciale erat, non sit servandum, tamen ea parte qua in nova lege fundamentum habet, sicut expositum est ex verbis Apostoli ad Rom 1. & 13. & sicut statim patebit in verbis Salvatoris implicitè contentum, licitè potest impleri. Amplius beatus Augustinus dicit: *cum quis justè occiditur, lex occidit, non tu*, ait ad judicem: Rursus dicit Hieronymus ad Riparium: *non est crudelitas, crimina pro Deo punire, sed pietas*, & quod de punitione ultimi supplicii, scilicet mortis, intelligat, apparet, quia præmisit: *Legi vindictam Phynees, austeritatem Heliæ, zelum Simonis Cananei, qui in duos magos Zaroe & Arfaxat ignitos serpentes extorsit, Petri severitatem, Ananiam & Saphiram trucidantis, Paulique constantiam, qui Elymam magum æterna cæcitate damnavit.* Et tunc subjungit, *Non est crudelitas &c.* Et post hæc verba subjungit, *Unde & in lege dicitur: Si frater tuus & amicus, & uxor quæ est in sinu tuo, depravare te voluerint à veritate, sit manus tua super eos, & effunde sanguinem eorum, &*

*auferes*

*Ariſt. l. 5. Ethic. cap. 10.*
*S. Thom. lect. 16.*
*Auguſtin.*
*Proverb. 8.*
*Deut. 32.*
*Rom. 1.*
*Rom. 13.*
*Luc. 19.*
*Cypr. ad Fortun. de exhortatione Martyrii cap. 5.*
*Auguſt. in quæſt. Levitici 468.*
*ad cap. 16. S. Hieron. epiſt. 35. adverſus Vigilantium.*
*Num. 15.*
*3. Reg. 18.*
*Abdias lib. 6.*
*Actor. 5.*
*Actor. 13.*

Digitized by Google

*auferes malum de Israel:* Item Augustinus in sermone Domini in monte, ait: *Helias multos morte affecit, & propria manu & igne divinitus impetrato, quem constat Spiritu sancto repletum, sicut dicitur Luc. 10. de Joan. Baptista, ipse præcedit ante illum in spiritu & virtute Heliæ, & alii multi magni & divini viri eodem spiritu, consulendis rebus humanis, non temere id fecerunt.* Item idem in eodem: *verbis Apostoli Petri Ananias & uxor ejus, sicut in Actibus Apostolorum legimus, exanimes ceciderunt, nec resuscitati sunt, sed sepulti.* Ex quo sumitur ratio, quod si in plenitudine temporis nullum liceret occidere, Petrus aut non occidisset, aut, ut communiter dicitur, sententiam mortis non promulgasset. *Lib. 1. ultra medium. Luc. 10. Actor. 5.*

Adduco pro hac parte rationes Alexandri de Ales, doctoris irrefragabilis. Prima si ex justitia leviores pœnæ inferendæ sunt alicui pro culpa aliqua, cum ipse per illas nondum corrigitur, sed addit præteritæ culpæ contumaciam, manifestum est, quod cum contumatia sit grave peccatum, quod merito contumaciæ, debet crescere pœna, aut contumacia remanebit impunita. Quia ergo crescere potest quantumlibet contumacia, crescere potest de jure quantumlibet & pœna. Quare necesse est, ut ipsa vel sit mors corporalis, vel æqualis illi, cum mors corporalis non sit pœna infinita. Per hanc autem viam à flagellis levibus venitur ad gravia, à gravibus ad vulnera, ab illis ad tormenta, à tormentis ad ipsam mortem, per similia contumaciæ tormenta. Rationes pro punitione meliores. *Par. 3. q. 47. memb. 4. art. 1.*

Secunda ratio. Cum proportionales sint culpæ & pœnæ illis debitæ: si ergo alicui culpæ debetur flagellatio, majori culpæ duplo major flagellatio debetur. Et sic in decuplo, & centuplo, & tanta poterit esse flagellatio, quod inducet mortem; sequitur ergo de necessitate, quòd mors corporalis pro aliqua culpa potest infligi. *In plerisque sensus magis quàm verba citantur.*

Tertia ratio. Occidens hominem injustè, aut puniendus est pœna mortis, aut minori. Si primum, habetur intentum. Si pœna minori; aut finitè minori, aut infinitè. Non secundum, quia non servaretur æqualitas pœnæ ad culpam, contra illud. *Secundum quantitatem delicti, erit & plagarum modus,* & contra illud Apoc. 18. *Quantum glorificavit se & in deliciis fuit, tantum date ei tormentum & luctum.* Si finitè minori, adhuc idem: Et sicut dum quis damnificavit aliquem in mille marcis, non sufficienter puniretur restituendo unam, sic nec in proposito. *Deut. 25. Apoc. 18.*

Quarta ratio. Aut mors corporalis est major omni culpa, aut non. Si primum, ergo injustus est Deus, qui eam inflixit toti generi humano pro commestione fructus ligni scientiæ boni & mali. Injustus est Christus, qui eam inferet Antichristo, sicut dicitur 2. Thess. 2. *Quem Christus Jesus interficiet spiritu oris sui.* Si secundum, ergo inferri potest licitè pro aliqua culpa: nec valet quod dicunt, Dominum Matth. 5. dixisse: *Ego autem dico vobis omnino non resistere malo.* Nam sicut dicit Aug. Non prohibetur vindicta, quæ fit ad correctionem. Et iterum idem ait ibidem: *officia vindictæ possent bono animo impleri, quomodo judex, quomodo lex,* intelligetur ergo prohibita injuria personalis vindicanda libidine vindictæ, non de injuria Dei vel Ecclesiæ vindicanda zelo justitiæ: Nec illud quod allegant ex Matth. 13. de prohibitione eradicationis zizaniorum, valet: Nam hoc fecit Dominus, ut parceretur tritico, non ut parceretur zizaniis in detrimentum tritici. Ideo ubi crescunt zizania in detrimentum tritici & suffocationem, nullatenus crescere sinendi sunt, sed si opus est, per mortem corporalem vindicandi. Rursus nec prohibuit Dominus simpliciter eradicationem zizaniorum, sed eradicationem generalem, dubiam & suspectam, ne scilicet de ambiguo judicemus, ut est inter lolium & triticum, dum sunt in herba. De isto inferius aliqua dicentur: Dicit ergo Alexander: Maleficus potest interfici duplici de causa, aut quia homo, aut quia maleficus. Si interficiatur quia homo, interficitur odio personæ, & hoc prohibetur cum dicitur: *Non occides*; Si quia maleficus, occiditur odio malitiæ & amore insitiæ. Et tunc distinguendum: Aut occiditur ab illo, qui habet auctoritatem, ut à principe seculari, & hoc non prohibetur ibi, *non occides.* Aut ab illo qui non habet potestatem, & sic prohibetur, cum dicitur *Non occides*: Non ergo est illicitum occidere maleficum in eo quod maleficus, ab eo qui habet auctoritatem, imo in hoc ille est Dei minister. Teste beato Hieronymo lib. 4. super Ezechielem dicente: *Qui malos percutit in eo quod sunt mali, & habet vasa interfectionis, id est potestatem ut occidat pessimos, minister Domini est.* Sanctus Thomas secunda secundæ quæst. 64. art. 2. & 3. in corpore. determinat, quod peccatores possint justè occidi pro salute totius reipublicæ, ad quam quilibet comparatur ut pars, unde sicut membrum putridum pro salute corporis licitè potest à corpore abscindi: Sic peccator periculosus reipublicæ, & infectivus, qui verisimiliter non potest sanari propter salutem boni communis, laudabiliter & salubriter occiditur: modicum enim fermentum totam massam corrumpit, 1. Cor. 5. Hostiensis in summa primo libr. tit. 25. idem dicit in substantia quod Alexander & Thomas, & rursus de eodem 6. lib. 14. De Lyra, idem sentit Exod. 23. *insontem & justum non occides.* Ex verbis enim suis potest hoc elici, & in hoc concordant doctores. Unde nescio unde venerit hæc adinventio, *Matth. 5. Augustin. In quæst. super Evangelia li. 1. q. 10. Alixander de Ales p. 4. q. 34. membr. 1. art. 3. Hier. lib. 3. super Ezech. in cap. 9. Item 23. quæst. 5. Qui malos. cap. 29. 1. Cor. 5. Hostiensis. Exod. 23.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

nisi ut major licentia detur, fingere volentibus nova: Tanta de lege humana dicta sunt, quia proponens in articulo suo videtur eam negligere quoad correctionem, castigationem, & expulsionem peccatorum publicorum, aut parvi pendere, imo contemnere in quodam notabili, ubi dicit: *Ne autem aliqui ex istis dictis modis, peccata castigandi aut corrigendi, occasionem accipiant secundum judicialia legis, pro nunc non obligantia. Aut secundum humanas leges, legi Evangelicæ dissonas, reos mortis supplicio puniendi: Illud præmissis adjungimus:* ubi videtur dicere eas legi Evangelicæ dissonas, plectere mortis supplicio: Cum tamen audiveritis Salvatorem nostrum hoc facturum in Antichristo, Petrum fecisse, aut à Domino factum promulgasse in Anania & Saphira; audiveritis auctoritates veteris & novi testamenti, & doctorum sanctorum cum rationibus difficilibus Alexandri.

Peccata mortalia non semper punienda. *Propositio quarta.*

JAm ad eorum intentionem magis accedo, ponens hanc unicam conclusionem, *licet omnia peccata mortalia sint divina lege expresse vel implicitè prohibita, non tamen omnia peccata mortalia publicè ab homine sunt, ex dictamine hujus legis, pœnaliter per judicium punienda.* Prima pars conclusionis nota est, secunda probatur: Deus qui est justissimus judex, aliqua in lege veteri permisit, multò ergo magis habet homo permittere, cujus potentia executiva est remissior lege divina præceptiva, aut prohibitiva. Patet assumptum primo. Moyses occidendo Ægyptium peccavit. Nam Augustinus contra Faustum loquens de illo, & etiam de Petro qui abscidit auriculam Malchi, sententialiter dicit, quod uterque nondum regimen assumpserat, hic synagogæ, iste Ecclesiæ: uterque non detestabili immanite, sed emendabili animositate justitiæ regulam excessit, uterque odio improbitatis alienæ, sed ille fraterno, iste dominico, licet adhuc carnali, tamen amore peccavit: tamen illud peccatum Moysi non legitur à Domino punitum, imò postea ducatum populi Hebræorum ab eo accepit. Item usura est de se mala, sed licet Deus possit facere de re non tua quod sit tua, quia est Dominus universorum, tamen fieri non potest, ut quod habet in se convolutam malitiam, licitè fiat. Cum ergo usura, in ratione usuræ, habeat in se convolutam malitiam, licitè fieri non potest: tamen in lege veteri non puniebatur, imò ad extraneos permittebatur. Deut. enim 23. scriptum est: *Non fœneraberis fratri tuo ad usuram, nec fruges nec quamlibet aliam rem, sed alieno.* hoc verò, *sed alieno*, non dicitur velut præcipiendo aliquod justo, sed permittendo infirmo: Poteram allegare de repudio uxoris in veteri lege, quod utique permittebatur: Et ut communius doctores tenent, erat peccatum mortale: propter varietates opinionum, dimitto. Item inquisitio seu investigatio adulterii, per sacrificium zelotypiæ, si hoc non ex zelo justitiæ, ac reverenter, ac cum supplicatione fieret, erat peccatum mortale publicum, tamen non puniebatur, imò in lege illa Num. 5. lex sacrificii zelotypiæ fuit instituta in hunc modum: *Si spiritus zelotypiæ concitaverit virum contra uxorem suam, quæ vel polluta est, vel falsa suspicione appetitur: Adducet eam ad sacerdotem, & offeret oblationem pro ea &c.* Erat ibi duplex actus, unus sacerdotis, qui secundum divinam institutionem quasi coactus offerebat, ne vir pejus faceret, puta, ne suæ suspicioni relictus, uxorem interficeret. Et iste actus erat acceptus Deo & approbatus. Alius actus erat spiritu zelotypiæ concitati, & hic si sine præsumptione probabili, aut ex invidia, vel alio inordinato affectu, procedebat, erat malus, tamen permissus à Deo, non approbatus: arguit ratio. Item occisio filiæ Jephte fuit mortale peccatum publicum, dicit enim canon Isidori 22. q. 4. *In male promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum, quod incautè vovisti, ne facias, impia est promissio quæ scelere adimpletur.* Non tamen legitur fuisse punitum à Deo. Quòd autem fuit peccatum, patet aliunde. Ad hoc quod juramentum sit licitum, requiruntur tres comites, scilicet judicium, justitia & veritas: sicut scriptum est Jerem. 4. *Jurabis, vivit Dominus, in justitia, judicio, & veritate:* promissio autem illa caruit judicio discretionis, & fuit ejus impletio injusta & impia. Item Sapien. 11. scriptum est: *Misereris omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam, diligis enim omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti* Et post pauca: *parcis autem omnibus, quoniam tuæ sunt Domine, qui amas animas.* Ex quo patet, Deum non semper punire propter peccata, sed parcere aliquando. Item Ezech. 33. dicitur: *si dixero impio; morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato suo, feceritque justitiam & judicium:* sequitur: *vita vivet, & non morietur, omnia peccata ejus quæ peccavit, non imputabuntur ei.* Item gl. ordinaria super illo Ps. 100. *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, ut dispergerem de civitate omnes operantes iniquitatem:* dicit sic in persona Christi, *tempus misericordiæ est, nox est, nondum omnia sunt manifesta in hac nocte, abundant tentationes, in qua pertranseunt bestiæ silvestres, & catuli leonum, id est diaboli quærunt escam sibi. In hac ergo nocte parco, tolero, corrigo; sed in matutino cum dies judicii advenerit, & erunt omnia aperta, quæ modò sunt occulta, interficiebam omnes peccatores terræ,*

*Aug. lib. 22. cap. 70. cont. Faust.*

*Deut. 23.*

*Cap. 5.*

*Hier. 4.*

*Sap. 11.*

*Ezech. 33.*

*Psal. 100. ex S. Aug.*

Digitized by Google

*terræ, id est, omnes mali mittentur in ignem æternum, vel interficiebam, id est, puniebam in matutino judicii interficiendos.* Nam Nicolaus de Lyra dicit supra illo Exod. XV. 21. *Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari meo avelles eum ut moriatur*, pœna homicidii intelligitur de interfectione Judæi, Ideo dicitur: occiderit proximum suum; non intelligitur de interfectione gentilis. Lex ait, ut dicit Rabbi Salomon, qui per insidias occidebat, interficiebatur, & extrahebatur, si ad ipsum confugisset, de altari &c. Si sacerdos occidisset, extrahebatur, nisi officium ministrandi incepisset, quo casu exspectabatur complementum ministerii, quo peracto trahebatur ad mortem, & sic locus sacer erat refugium in aliquibus casibus, inter quos erat homicidium gentilis, quod erat mortale, & interdum publicum, tamen non puniebatur, si homicida confugisset ad altare.

SÆC. XV. ANNO 1433. *Exod.* 21.

Tertiò probatur conclusio ex testimoniis legis novæ Joan. 8. Dominus & Salvator noster dixit mulieri in adulterio deprehensæ sibi oblatæ. *Nemo te condemnavit? nec ego condemnabo*, nocentem in misericordia indamnatam remisit. Cum ergo Christi actio nostra sit instructio, ut allegavit proponens articulum de communione divinissimæ Eucharistiæ, aliqua crimina sunt ab homine misericorditer relaxanda, per judicium, vel non punienda. Præterea peccatum Samaritanorum, nolentium recipere Jacobum & Johannem, fuit mortale & notorium; tamen non fuit punitum. Nam cum indignati discipuli, dicerent: *Vis ignis descendat de cœlo & consumat eos?* Respondit Dominus: *Nescitis cujus spiritus estis filii.* Luc. 9. Amplius de zizaniis seminatis in agro, quæ servi volebant eradicare, & dicebant: *vis imus & colligimus ea?* Dominus respondit: *Ite, sinite ea crescere usque ad messem, ne colligentes zizania, simul eradicetis cum eis & triticum* Matth. 13. Ex qua parabola apparet, quòd mali tolerandi sunt inter bonos, donec sine periculo bonorum poterunt ab eis separari, quod erit ad messem finalis judicii. Sic enim ipse Dominus Jesus illam exponit, dicens, *Ager est mundus, Semen hi sunt filii regni, zizania filii nequam. Messis verò est consummatio seculi, messores angeli.* Rursus scriptum est ubi suprà Matth. 13. *Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mari, & ex omni genere piscium congreganti, quæ cum impleta esset, educentes, & secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa sua, malos autem foras miserunt.* Regnum cœlorum est militans Ecclesia, & hæc est similis sagenæ missæ in mari tempestuoso hujus mundi: habet pisces bonos & malos, hoc est justos & injustos. Nam Abacuk primo: *facies homines quasi pisces maris.* Implebitur illa sagena, dum erit completus numerus electorum: educetur, cum de vita corruptibili transibit ad incorruptibilem, quod fiet in consummatione seculi, bonorum piscium in vasa recentia, & ejectio malorum, & justorum præmiatio in regno Dei, & impiorum tortura, & compedes, ac alia Gehennæ supplicia, & hæc omnia patent ex expositione Salvatoris, qui ait: *sic erit in consummatione seculi. Exibunt angeli & separabunt malos de medio justorum, & mittent eos in caminum ignis, ubi erit fletus & stridor dentium.* Ergo usque ad consummationem seculi in sagena Ecclesiæ militantis erunt simul boni & mali. Unde super illo sic dicit Gregorius, ut Thomas in expositione recitat, *sancta Ecclesia sagenæ comparatur, quia & piscatoribus est commissa, & per eam quisque ad æternum regnum trahitur à præsentis seculi fluctibus, ne æternæ mortis profundo mergatur, quæ ex omni genere piscium congregat; quia ad peccatorum veniam, sapientes & fatuos, liberos & servos, divites & pauperes, fortes & infirmos, vocat.* Post pauca sequitur: *sicut enim mare seculum, ita seculi finem signat littus maris, in quo in fine boni pisces in vasis eligentur, mali projicientur foras &c.* Nunc enim malos bonosque communiter quasi permixtos pisces fidei sagena continet, sed littus indicat, sagena Ecclesiæ quid trahebat. Et hoc est quod Hieronymus dicit, ut Thomas recitat, *dum sagena extrahetur ad littus, tunc verum secernendorum piscium signum demonstrabitur.* Item id patet in nuptiis quas fecit rex regum, Deus pater, filio suo, in quibus vocati sunt boni & mali, & impletæ nuptiæ justis & injustis. Nam dicitur Matth. 20. *Egressi servi congregaverunt omnes quos invenerunt, bonos & malos*, quia in Ecclesia militante admixti sunt boni cum malis. Sic ergo in Ecclesia militante sunt boni & mali: sed in Ecclesia triumphante solum boni; propterea cum Dominus intrasset, quod erit generaliter in finali judicio, & particulariter in morte cujuslibet hominis, & vidisset hominem non habentem vestem nuptialem, scilicet caritatis, Rex præcepit eum ejici, & mitti in tenebras exteriores, ubi erit fletus & stridor dentium: Et quod simul sunt boni & mali in Ecclesia militante, dicit sponsus Canticorum primo, *sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Item Matth. 25. dicit ipsa veritas. „ Simile est regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades „ suas, exierunt obviam sponso & sponsæ: quinque autem erant fatuæ & quinque „ prudentes. Sed quinque fatuæ acceptis lampadibus suis, non sumpserunt oleum „ secum in vasis suis, cum lampadibus", Regnum hoc cœlorum non est Ecclesia triumphans, quia ab ea nullus fatuus recipitur: Est igitur Ecclesia militans, in qua sunt

*Probatur ex testimoniis legis novæ.* *Joan.* 8. *Luc.* 9. *Matth.* 13. *Abacuk* 1. *Gregor. hom.* 11. *in* 13. *cap. Matth.* *Matth.* 20. *Cantic.* 1. *Matth.* 25.

Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433. sunt virgines prudentes & fatuæ; igitur boni & mali, ergo non omne peccatum etiam publicum de ea pellitur aut excluditur: Præterea Apoc. 2. scriptum est Angelo Ephesi Ecclesiæ, *memor esto, unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac, Sin autem, veniam tibi, & movebo candelabrum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris*, In angelo &c. præpositum & Episcopum Ecclesiæ Ephesinæ intelligere debemus, secundum quod scriptum est Malachiæ primo, *labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem de ore ejus requirunt, quia angelus Domini exercituum est*, ipse peccaverat, & tamen non expellitur à Joanne, sed monetur. Isidorus autem super eodem textu ait: *Præpositus lapsus in vitium monetur, ut memor sit unde ceciderit, & pœnitentiam agat, & priora opera faciat, ut non moveatur candelabrum ejus. Nam candelabrum doctrina sacerdotalis, vel honor potestatis, quem gestabat intelligitur:* malus ergo interdum præpositus est in Ecclesia militante. Non ergo statim postquam malus, est compellendus, imò sustinendus ad tempus, & tale vitium esse posset, quod puniendus & expellendus esset de officio, per eum ad quem spectat, & tale quod permittendus, ut postea videbitur. Præterea super maledictione ficus, quæ tribus annis fructum non attulit, dicit beatus Augustinus libr. de verbis Domini sermone 31. „ Arbor ficulnea est humanum genus, tres anni, in quibus illa non fecit fructum, tria tempora „ sunt: unum ante legem: alterum sub lege: tertium sub gratia, in quibus humanum „ genus, quantum ad multos, infructuosum fuit, puta sine meritoriis operibus: ma„ ledictio est illa divina sententia, quæ in finali judicio fulminabitur": hæc ille. Tertio anno, scilicet, tempore legis Evangelicæ dimittitur & non præscinditur. Nam Lucæ 13. per cultorem vineæ dicitur, *dimitte eam & hoc anno, usque dum fodiam circa illam, & mittam stercora*: post tres annos succiditur, quia post seculum peccator aridus, sola folia, non fructum boni operis habens, in ignem æternum mittitur: Parcit ergo Dominus multis in Ecclesia existentibus, ergo & homo parcere debet, & nonnulla mala permittere sive tolerare ex causa.

*Aug. hom. de verbis Domini* 31.

*Luc.* 13.

*Ex praxi Christi.* Ex praxi Christi apparet, quoniam peccata in illum commissa patientissimè sustinuit. De eo enim Isa. 53. scriptum est. *Tanquam agnus ad occisionem ductus, coram tondente se non aperuit os suum.* De cujus patientia quoad proprias injurias, ait beatus Gregorius homilia 18. super illo Johan. 8. „ Ego gloriam meam non quæro, est „ qui quærat & judicet. Illatas contumelias patris judicio reservat, ut profecto nobis „ insinuet, quantum nos patientes esse debemus, dum se adhuc ulcisci non vult ipse „ qui judicat". Item non contentus Scribas & Pharisæos non puniri, ex abundantia caritatis suadet turbis ut obediant ipsis, quanquam multa mala publica committerent, dicens illis Matth. 23. *super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, quæ dicunt facite.*

*Isa.* 53.

*Greg. hom.* 18.

*Matth.* 23.

*Ex praxi Apostolorum Act.* 6. Ex praxi Apostolorum manifesta est conclusio. Nam illi multa mala viderunt, nec puniverunt omnia, quantum ex sacro codice potest perpendi. Legitur Actuum 6. murmur factum fuisse Græcorum adversus Judæos, quod viduæ eorum despiciebantur in quotidiano ministerio. Nec hoc legitur judicialiter, aut per pœnas justitiæ punitum, quamvis esset publicum: leguntur contentiones fuisse & zeli ad invicem inter Corinthios, non tamen legitur hoc peccatum pœnaliter fuisse punitum. Item erant aliqui pseudoapostoli, & illi erant publici peccatores, tamen illos permittebat Apostolus, quia quamvis bene docebant, tamen malo animo faciebant, quidam propter invidiam, quidam propter contentionem, dicitur enim ad Philip. 1. „ quidam pro„ pter contentionem & invidiam, quidam autem & propter bonam voluntatem Christum „ prædicant. Quidam ex caritate, scientes, quoniam in defensione Evangelii positus sum. „ Quidam autem ex contentione Christum annunciant, non sincere, existimantes se pres„ suram suscitare vinculis meis. Quid enim? Dum omnimodo, sive per occasionem, „ sive per caritatem Christus annuncietur". Maledictiones etiam in Apostolos erant peccata publica, nec tamen puniebantur, ad eorum saltem instantiam, imò dicit: 1. Cor. 4. Apostolus, *maledicimur, & benedicimus, blasphemamur & obsecramus.* Rursus contradictio Judæorum verbi Dei, erat peccatum mortale publicum, nec leguntur Apostoli eos puivisse pœna justitiæ positiva, sed solum privativa, quia dixerunt, „ oportebat vobis primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & in„ dignos vos judicatis æternæ vitæ: Ecce convertimur ad gentes. Sic enim Domi„ nus præcepit nobis". De aliis sanctis idem ostendit sancta mater Ecclesia, quorum patientiam in tormentis, absque in tortores contemptu aut indignatione, pulcherrimo metro canit suaviter, cum ait, „ Ceduntur gladiis more bidentium, non murmur re„ sonat, non querimonia, sed corde tacito mens bene conscia, conservat patien„ tiam".

*Phil.* 1.

*1. Cor.* 1.

*1. Cor.* 4.

*Act.* 13.

*Ex authoritate sacrorum canonum.* De hinc authoritatibus sacrorum canonum probatur conclusio, ostendendo enim quomodo rigor justitiæ debeat temperari ex peccantium multitudine, ait sanctus Augustinus Bonifacio, & habetur lib. dis. cap. ut constitueretur, „ verum in hujusmodi „ cau-

Digitized by Google

„ cauſis, ubi per graves diſſenſionum ſciſſuras non hujus aut illius hominis, eſt pericu- SÆC.
„ lum, ſed populorum ſtrages jacent, detrahendum eſt aliquid ſeveritati, ut majori- XV.
„ bus malis ſanandis ſyncera caritas ſubveniat". Item 1. quæſt. 6. cap. Quotiens, dicit ANNO
Innocentius epiſt. 22. „ Quoties à populis aut à turba peccatur, quia in omnes pro- 1433.
„ pter multitudinem vindicari non poteſt, multum ſolet tranſire, priora ergo dimit- *diſt. 50.*
„ tenda dico Dei judicio, & de reliquo maxima ſollicitudine præcavendum"; iterum *cap. 25. in epiſt. ad*
23. q. 4. forte: & habetur ab Auguſtino libro unico de baptiſmo: *forte*, inquit Au- *Bonifac 50.*
guſtinus, „ ibi in populo Dei ſtat juxta te avarus, raptor, inhians rebus alienis, quem *ut conſti-*
„ noſti talem, & fidelis eſt, vel fidelis nominatur. Non eum potes de Eccleſia pel- *tueretur.*
„ lere, non habens aliquem aditum caſtigando & corripiendo corrigere, acceſſurus *1. quæſt. 7.*
„ eſt tecum ad altare: noli timere, unuſquiſque onus ſuum portabit, ſed quomodo, *Quotiens. cap. 13.*
„ inquis, ferrem quem novi malum? Nonne melius eſt ipſum ferre, quàm te foras *23. q. 4.*
„ efferre? Ecce quomodo feres, attende Apoſtolum dicentem: unuſquiſque onus *Forte. c. 11.*
„ ſuum portabit: liberet te iſta ſententia". Ex iſto habetur, quod ferendi ſunt inter- *Aug. ſermone 24.*
dum mali. Item 23. q. 4. Tolerandi: & habetur ab Auguſtino lib. de verbis Do- *de verbis*
mini, dicitur enim ibi: „ tolerandi ſunt mali pro pace, nec corporaliter ab eis rece- *Apoſtoli.*
„ datur, ſed ſpiritualiter. Spiritualiter autem exire eſt, facere quod pertinet ad cor- ad Galat. 6.
„ rectionem malorum, quantum licet pro gradu cujuſque, ſalva pace": habetur hic *Ca. 1. Aug. de verbis Domini cap. 18.*
quod pro pace ſalvanda tolerandi ſunt quandoque mali, imo & quod à correctione
malorum, pro pace ſalvanda, eſt nonnunquam ceſſandum; alioquin fruſtra addidiſſet
*ad correctionem, pace ſalva.* Quod etiam interdum rigor juris relaxetur ad vitandum
contentiones, patet per illud, prima quæſt. 7. *Quoniam quidquid:* ubi Hilarius Papa *1. quæſt. 7. Quoniam quidquid. cap. 13.*
ſic ait: „ Quoniam quidquid ab alterutra parte eſt judicatum, omnium videmus
„ perverſitate confuſum, temporum neceſſitate perſpecta hanc rationem decernimus,
„ ad veniam pertinere quod geſtum eſt". Ibi tolerat Papa quendam ad Epiſcopatum
aſſumptum, ſuo metropolitano inſcio, quia, ut ait Apoſtolus 1. Cor. 11. *Si quis vide-* *1. Cor. 11.*
*tur contentioſus eſſe, nos talem non habemus conſuetudinem.*

Poſtea probatur concluſio auctoritatibus ſanctorum doctorum, puta, non omnia *Ex authoritate doctorum.*
peccata mortalia publica ſunt ab homine, ex dictamine divinæ legis, pœnaliter per
judicium punienda. Quædam enim illorum ſunt, quæ ſine periculo bonorum puniri
non poſſint ab homine, ut cum in multitudine ſunt boni & mali, & non poſſunt diſ-
cerni iſti ab illis, & talia ſunt permittenda ab homine, ſi tamen ex illa permiſſione
non ſequatur majus ſcandalum, quàm ex punitione: Quædam ſine periculo ſchiſmatis
Eccleſiæ, aut gravis turbationis puniri non poſſunt, ut peccatum principis, aut alte-
rius qui ſociam habet multitudinem. Quædam, etſi ſunt manifeſta illi cui punitio de
jure convenit, cum illa convinci non poſſunt: hæc & ſimilia per hominem non ſunt
punienda ex dictamine legis divinæ: Illud verò dictamen eſt: *Sinite utraque creſcere* *Matth. 13.*
*uſque ad meſſem.* Conſequenter idem in parabola de ſagena maris, bonos & malos
piſces continente: Et in nuptiis filii regis, in quibus fuerunt boni & mali, deſigna- *Matth. 20.*
tur. Hæc declaratio ideo facta eſt, ne videar fautor peccatorum, dum nitor oſten-
dere, talia non eſſe per hominem judicialiter caſtiganda, & (a) ne videar agnitor con- (a) Pro ne, aliud exemplar habet ut. C.
ditionis Eccleſiæ militantis, ponendo in ea bonos & malos, dum tamen ſit unus Deus,
una fides, unum baptiſma.

Prima auctoritas ad probationem concluſionis eſt Auguſtini in lib. contra epiſtolam *Contra Epiſt. Parmeniani lib. 2. c. 11.*
Parmeniani, dicentis: „ hæc deſcriptis ſanctis documenta proferimus, ut appareat
„ facile, non eſſe quidquam gravius ſacrilegio ſchiſmatis, quia præſcindendæ unitatis
„ nulla eſt juſta neceſſitas, cum ſibi nequaquam ſpiritualiter nocituros malos boni i-
„ deo tolerant, ne ſpiritualiter ſejungantur à bonis, cum diſciplinæ ſeveritatem con-
„ ſideratio cuſtodiendæ pacis refrenat, aut differt, quam tamen ſecuritas exerit, cum
„ apparet, ſine vulnere ſchiſmatis, ad ſalubrem correctionem poſſe aliquid Eccleſia-
„ ſtico judicio vindicari". Item idem reſpondens circa principium ſecundi libri con-
tra epiſt. Parmeniani Donatiſtæ Cathaginenſis Epiſcopi ad illud per ſequaces ipſius ad-
ductum. „ Væ his qui dicunt quod nequam eſt bonum, & quod bonum eſt nequam, *Cap. 1. Eſa. 5.*
„ Qui ponunt lucem tenebras, & tenebras lucem, qui dicunt dulce amarum & ama-
„ rum dulce", concludit poſt multa: „ Quiſquis ergo vel quod poteſt arguendo cor-
„ rigit, vel quod non poteſt corrigere, ſalvo pacis vinculo excludit, vel quod ſalvo
„ pacis vinculo excludere non poteſt, æquitate improbat, firmitate ſupportat, hic eſt
„ pacificus, & ab illo maledicto immunis, de quo dicit ſcriptura: væ vobis qui di-
„ cunt quod bonum eſt nequam, & nequam bonum &c. omnino liber, prorſus ſecu-
„ rus, penitus alienus": porro idem reſpondens ad illud per ſequaces Parmenſani in
Eſaia propoſitum: „ Nunquid valet manus Domini ſalvos facere, aut aggravavit au- *Eſa. 50.*
„ rem ne exaudiet? Sed delicta veſtra diſtinxerunt inter medium veſtrum & Dei.
„ Ubicunque fuerint mali inter bonos, non obſunt bonis, ſicut nec palea frumentis,
„ donec veniat Dominus areæ, ferens ventilabrum in manu ſua, ut mundet aream ſuam,



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

„ frumenta recondat in horreum ſuum, paleas verò comburat igne inextinguibili, ſic-
„ ut non obfuit bonis tanta multitudo ſceleratorum, qui per Ezechielem dicti ſunt,
„ illis videlicet, qui gemebant & mœrebant facinora populi, quæ fiebant in medio eo-
„ rum, unde quia eos corrigere non poterant nec ab unitate populi Dei ſe ullo mo-
*Ezech. 9.* „ do ſeparare volebant, pro merito innocentiſſimæ tolerantiæ ſuæ ſignari meruerunt
*Cap. 2.* „ & in illorum perditorum vaſtatione atque interitu liberari". hæc ille. Item idem in 3. lib. Contra epiſtolam Parmeniani ſuper illo verbo 1. Cor. 5. *Si quis verò frater nominatur in vobis, & eſt aut fornicator, aut idolis ſerviens, aut avarus, aut ebrioſus aut rapax, nec quidem cum eo cibum ſumere:* dicit in ſententia, quod non præcipitur ſola ſeparatio cordis. Nam idem Apoſtolus dicit alibi: *Si quis vocaverit ex infidelibus & volueritis ire, omnia quæ vobis apponuntur manducate, nihil interrogantes,* & ſic hic permittit communionem fidelis cum infideli, ut prius prohibuit communionem fidelis cum fideli peccatore, modo ab omni malo ſe ſeparandum eſt corde, ergo plus prohibet, puta ſeparationem corporalem, quam cum infideli permittit. Dicitur igitur in ſententia Auguſtini, quod ſe ſeparandum eſt à corpore ab his, de quibus loquitur Apoſtolus, ſi tamen ſine periculo ſchiſmatis fieri poteſt, ait enim in forma: Cum quis fratrum, id eſt Chriſtianorum intus, in Eccleſiæ ſocietate conſtitutorum, in aliquo tali peccato fuerit deprehenſus, ut Anathemate dignus habeatur, fiat hoc, ubi periculum Schiſmatis nullum eſt, atque id cum ea dilectione, de qua ipſe alibi præcipit 2. Theſſ. 2. dicens, *ut inimicum non exiſtimetis, ſed corripite ut fratrem.* Non enim eſtis ad eradicandum, ſed ad corrigendum. Quod ſi ſe non agnoverit, neque pœnitendo correxerit, ipſe foras exi, & per propriam voluntatem ab Eccleſiæ unitate dirimetur. Nam tunc non eſt metus eradicandi triticum. Itaque quando, ut ait Auguſtinus in forma, ita cujuſque crimen notum eſt, & omnibus execrabile apparet, ut vel prorſus nullos, vel non tales habeat defenſores, per quos poſſit ſchiſma contingere, non dormiat ſeveritas diſciplinæ, cum ſine læſione unitatis Eccleſiæ poteſt fieri vindicta, cum Eccleſia ab illo crimine quo anathematiſatur, eſt aliena, ideo dixit Apoſtolus. *Si quis:* ad differentiam ab aliis notandam. Item nominatur, ad oſtendendendum, quod crimen eſt notorium & famoſum. Tunc ſubjungit in forma, „ neque „ enim poteſt eſſe ſalubris à multis correptio, niſi cum ille corripitur, qui non habet „ ſociam multitudinem. Cum verò idem morbus plurimos occupaverit, nihil aliud
*Ezech. 9.* „ bonis reſtat quàm dolor & gemitus &c". Ideo Apoſtolus cum jam multos comperiſſet in immunda luxuria & fornicationibus inquinatos, non itidem præcepit, ut cum
*2. Cor. 12.* talibus nec cibum ſumerent, in 2. epiſt. 12. cap. ſicut vetarat prius. Nec dici poterat, Si quis fornicator nominatur in vobis, propter multitudinem, ſed dixit, „ ne ite-
„ rum cum venero, humiliet me Dominus, & lugeam multos, ex his qui ante pec-
„ caverunt, & non egerunt pœnitentiam, ſuper immundicia & luxuria": aliquibus autem interpoſitis, dicit beatus Auguſtinus. „ Conſilia ſeparationis & inania ſunt &
„ pernicioſa, atque ſacrilega, quin & impia ſunt & ſuperba, & plus perturbant in-
*Gregorius.* „ firmos bonos, quàm corrigant animoſos malos". Item beatus Gregorius ſuper illo Deut. 7. de ſeptem generalibus gentilibus interimendis uſque ad interfectionem, ait: *patienter tolerandi ſunt mali, ubi aliqui inveniuntur boni.* Juxta illud dictum Abra-
*Gen. 18.* ham Gen. 18. *Si fuerint in civitate Sodomorum decem juſti, non delebo eam propter illos.* Item beatus Hier. epiſt. ad Dardanum ait: *Ipſa metropolis tua, prius Jebus,*
*Hieron. epiſt. 11.* *poſtea Salem, tertiò Hieroſolyma, & nunc Ælia, Jebuſeos expellere non valuit, ſed manſerunt cum eis in ſcandalum exemplumque viciorum.* Hoc ipſum, quod aliqua peccata per hominem hic non puniuntur, ſed Deo reſervantur vindicanda, ſignificatum eſt in David, qui peccatum Joab non punivit, ſed Salomoni vindicandum reſervavit, ut quod manu forti, judex, ſcilicet, non puniverit, verus Salomon Chriſtus inultum
*Cap. 1.* non relinquat. Inſuper ſuper iſto Apoſtoli, 1. Cor. 5. *Auferte malum ex vobis ipſis.* In 3, lib. contra epiſtolam Parmeniani dicit Auguſtinus in ſententia, quod ubi quis impediretur ſeparare malos à congregatione Eccleſiæ, ſi à ſe ipſo auferat malum, non eis corde miſcetur, atque ita ſpiritualiter non ſolum conjungitur bonis, ſed etiam ſeparatur à malis: ſed quod hoc modo non ſufficiat, ubi non impeditur, declarat, cum infert, aliquibus interpoſitis, & dicit ſic in forma: „ Quapropter quiſquis etiam con-
„ tempſerit Eccleſiæ Dei diſciplinam, ut malos cum quibus non peccat, & quibus
„ non favet, deſiſtat monere, corrigere, arguere: Si etiam talem gerit perſonam &
„ pax Eccleſiæ patitur, ut etiam à participatione ſacramentorum poſſit quempiam ſe-
„ parare, non alieno malo peccat, ſed ſuo. Ipſa quippe in tanta re negligentia grave
„ malum eſt. Et ideo ſicut Apoſtolus admonet, ſi auferat malum à ſe ipſo, non ſolum
„ aufert audaciam committendi, aut peſtilentiam conſentiendi, ſed etiam pigritiam
„ corrigendi & negligentiam vindicandi, adhibita prudentia & obedientia in eo quod
„ præcipit Dominus, ne frumenta lædantur", hæc ille. Ergo ſi pax Eccleſiæ turbaretur, aut frumenta læderentur, ceſſandum eſſet à punitione pro tunc: præterea

*Habetur etiam 23. quæſt. 4. cap. cum quiſque &c.*

Auguſti-

Digitized by Google

Auguſtinus ſuper illo Joan. 8. „ ubi ſunt qui te accuſabant: Nemo te condemnavit? SÆC.
„ nec ego te condemnabo. *Ait*, audivimus vocem juſtitiæ, quia dixerat Dominus; XV.
„ Qui veſtrum eſt ſine peccato, primus in illam lapidem mittat. Audiamus vocem ANNO
„ manſuetudinis: dixit ei Jeſus, Nec ego te condemnabo, à quo forte, te condemna- 1433.
„ ri timuiſti, quia in me peccatum non inveniſti, nec ego te condemnabo. Quid eſt *Aug. tract.*
„ Domine? Faves ergo peccatis? non planè. Attende quod ſequitur, vade & jam *33. in Joan.*
„ amplius noli peccare. Ergo & Dominus damnavit peccatum, non hominem. Nam
„ ſi peccatorum fautor eſſet, diceret: vade, vive ut vis, de mea liberatione eſto ſe-
„ cura. Ego te quantumcunque peccaveris, te ab omni pœna, etiam gehennæ & in-
„ ferni tortoribus liberabo. Non hoc dixit: intendant ergo qui amant in Domino
„ manſuetudinem & timeant veritatem, Etenim dulcis & rectus Dominus". Amplius *Ambroſius ad Studium epiſt.*
beatus Ambroſius ſuper eodem ſic dixit ad Studium epiſt. 76. „ Exierunt, ſcilicet qui *76.*
„ accuſabant adulteram, exierunt foras, & remanſit ſolus Jeſus & mulier in medio
„ ſtans: bene ait, quod exierunt foras, qui nolebant eſſe cum Chriſto. Foris litera eſt,
„ intus myſteria: denique diſcedentibus illis remanſit ſolus Jeſus, & mulier in medio,
„ ſtans. donaturus peccatum, ſolus remanet Jeſus, quia non poteſt hoc cuiquam ho-
„ mini cum Chriſto eſſe commune, ut peccata condonet; ſolius hoc munus eſt Chri-
„ ſti, qui tulit peccata mundi, meruit & mulier abſolvi, quæ recedentibus Judæis
„ remanſit ſola cum Chriſto. Vide, lector, divina myſteria, clementiam Chriſti, cum
„ accuſatur mulier, caput Chriſtus inclinat, elevat autem, ubi defecit accuſator: ita
„ nullum damnari vult, abſolvi omnes. Ecce & hic ait, Nemo te lapidavit? quomo-
„ do utique interrogat qui videbat? ſed interrogat nobis, ut noſceremus non eſſe la-
„ pidatam. Adverte quomodo propriam ſententiam temperavit, ut Judæi de abſo-
„ lutione mulieris calumniari nihil poſſent, ſed in ſe magis calumniam retorquerent
„ ſi queri vellent. Dimittitur enim mulier, non abſolvitur, quia deerat accuſator;
„ non quia innocens eſſe probatur. Quid ergo quererentur qui priores à perſecutio-
„ ne criminis, & ab executione ſupplicii deſiterant? Addit autem deviæ; vade & à
„ modo vide ne peces: emendavit ream, non crimine abſolvit. Etenim ſeveriore
„ ſententia culpa damnatur, ſi unuſquiſque crimen ſuum oderit, & in ſe incipiat con-
„ demnare delictum, etenim cum reus occiditur, perſona magis quam culpa punitur,
„ ubi verò culpa deponitur, abſolutio eſt pro pœna peccati. Quid eſt ergo, vade,
„ & amplius noli peccare? hoc eſt, ex quo Chriſtus te redemit, corrigit gratia, quam
„ pœna non emendavit". hæc Ambroſius: Ex qua auctoritate apparet, aliquod pec-
catum à Chriſto non eſſe punitum, concretivè loquendo, id eſt, fœminam iſtam ad-
ulteram non eſſe lapidatam, ut lex jubebat. Cæterùm ſuper illo, „ Neſcitis cujus ſpi- *S. Thomas in catena Luc. 9.*
„ ritus eſtis: *dicit Beda*; Reprehendit Dominus non exemplum prophetæ ſancti, ſed
„ ignorantiam vindicandi, quæ adhuc erat in rudibus, animadvertens eos non amore
„ correctionis, ſed odio deſiderare vindictam: itaque poſtea quando eos docuit, quid
„ eſſet diligere proximum ſicut ſeipſum, infuſo etiam Spiritu ſancto, non defuerunt
„ tales vindictæ, quamvis multo rarius, quàm in veteri teſtamento, quia ſequitur,
„ filius hominis non venit animas perdere, ſed ſalvare, quaſi dicat: Et vos, qui ejus
„ ſpiritu ſignati eſtis, etiam acta ejus imitemini, nunc piè conſulentes, ſed in futuro
„ juſtè judicantes": Item ſuper eodem ſic loquitur Ambroſius. „ Non enim ſemper
„ in eos, qui peccaverunt, eſt vindicandum, quia nonnunquam amplius prodeſt cle-
„ mentia tibi ad patientiam, lapſo ad correctionem. Denique Samaritani citius cre-
„ diderunt, à quibus hoc loco ignis arcetur". Item Hieronymus ſuper illo, „ vis imus, *In cap. 13. Matthæi.*
„ colligimus ea"? quod de zizaniis dicitur, ait, „ datur locus pœnitentiæ, & mo-
„ nemur ne cito amputemus fratrem, quia fieri poteſt, ut ille, qui hodie noxio depra-
„ vatus eſt dogmate, cras reſipiſcat & defendere incipiat veritatem. Unde ſubditur,
„ Ne forte colligentes zizaniam, eradicetis & triticum": Chryſoſtomus autem ſuper
eodem ait: „ intuenda eſt ſervorum diligentia, etenim feſtinant zizaniam evellere,
„ quod monſtrat eorum de ſemine ſollicitudinem, ad hoc enim ſolum reſpiciunt, non
„ ut aliquis puniatur, ſed ut ſeminata non pereant. Quid autem Dominus reſpon-
„ dit, ſubditur, & ait: non": Hieronymus verò circa hoc dicit, „ videtur hoc eſſe *Hieron. ibidem.*
„ contrarium illi præcepto, Auferte malum de medio veſtrûm. Si enim prohibetur
„ eradicatio, & uſque ad meſſem tenenda eſt patientia, quomodo ejiciendi ſunt qui-
„ dam de medio noſtrûm? Sed inter triticum & zizaniam, quod nos lolium voca-
„ mus, quamdiu herba eſt, & nec dum calamus venit ad ſpicam, grandis ſimilitudo
„ eſt & in diſcernendo aut nulla aut perdifficilis diſtantia: præmonet ergo Dominus,
„ ne ubi quid ambiguum eſt, cito ſententiam proferamus: ſed Dei judicio reſervemus".

Mali bonis utiles.

Ratio autem, quare aliqui mali in Eccleſia ſunt interdum tolerandi, quia tales ſunt utiles bonis, ſive ut per eos exerceantur, ſive ut illorum comparatione magna eis exhortatio fiat, ut nitantur ad melius: Sicut dicit Auguſtinus de quæſtionibus Evangeliſtarum. Aut quia bene docent, puta, quia donum habent ſcientiæ, aut interpretationis

*Auguſt. in quæſtionibus ex Matthæo cap. 12.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

rationis ſcripturarum, aut aliud. Quæ omnia dantur ad utilitatem non recitantis, ſed Eccleſiæ, teſte Apoſtolo, 1. Cor. 12. Quod propterea ſæpius divina diſpoſitione bonis mali ſunt permixti, ubi enim erant Moyſes & Aaron, ibi fuerunt murmuratores ſacrilegi: ubi Zacharias, Simeon & cæteri ſancti, ibi fuerunt Annas & Cayphas: ubi Chriſtus & diſcipuli, ibi Judas, Scribæ & Phariſæi: propter quod attendenda ſunt Domini Jeſu Salvatoris verba, quibus docuit, à quibus nos obſervare debeamus, di-

*Matth. 7.* xit enim, *à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.* Matth. 7. Non dixit, à mercenariis, qui licet vera dicant, quærunt quæ

*Matth. 23.* ſua ſunt, & mali ſunt, imò de his qui ſuper Cathedram Moyſi ſedebant, quia verè docebant, dixit, *quæ dicunt facite:* Unde mali viri rectè docentes videntur tolerandi interdum. Verum, quod illorum & cæterorum peccata publica ſunt punienda, tribus con-

*Auguſtin. Alexander. ab Ales lib. 3. q. 41. memb. 1. in reſolut.* currentibus, ſcilicet juriſdictione, convictione, & pace ſalva. De juriſdictione dicit Auguſtinus ſuper illo verbo: *Quid enim mihi de his qui foris ſunt*, id eſt infidelibus, *judicare?* Deus judicabit. De his qui *intus ſunt*, id eſt fidelibus, *putredo eſt à me reſecanda*, loquitur ibi in perſona judicis, puta Apoſtoli; ſed de hoc videbitur in ſecundo puncto: de convictione dicit idem Auguſtinus ſuper illo primæ Cor. 11. „ Qui manducavit

*Similia habet Aug. ſerm. de pœnit. qui eſt 50. vide 2. q. 1. Multi cap. 18.* „ indignè, judicium ſibi manducat & bibit. Sibi, inquit, non tibi. Sane ſi judex „ es, ſi apud te accuſatur, ſi veris documentis teſtibuſque convincitur, coerce, cor„ ripe, excommunica, degrada; judicium ſiquidem humanam procedere debet ex „ cauſis manifeſtis, cum homo tantum videat ea quæ patent, 1. Reg. 6". Ideo puniendus de crimine debet convinci. Tertia, de pace ſalvanda, dicit Auguſtinus in lib. cont. Parmen. Ad illud Eſa. lib. 2. *Recedite, recedite, exite inde, immundum nolite tangere:* per adverſarios allegatum, dicit: „ immundum non tangit, qui ad peccatum

*Auguſtin. adverſus epiſtolam Parmeniani l. 3. c. 4. Tom. 7. Aug. l. 2. contra Parmen.* „ nulli conſentit, exit autem inde, & ſalva ſit ejus cauſa apud Deum, ſi etiam diſci„ plinam corripiendi & arguendi ſalva pace non negliget. Nam qui vult corporaliter „ quaſi manifeſtos malos deſerere, ſpiritualiter deſerit latentes bonos, quos inexper„ tos & incognitos cogitur accuſare, dum ſeparationem ſuam conatur defendere": multis interpoſitis, dicit: „ cum laude patientiæ mali tolerantur, ne ignoti boni dam„ nentur: ſic Iſaias ipſe, qui dicit: Recedite recedite, exite inde, immundum nolite „ tangere": in medio immundi populi polluta etiam labia habentis corporaliter habi-

*Hier. 23.* tavit. Jeremias ab immundo populo non diſceſſit. David mundus & juſtus, qui

*Pſalm. 2.* dixit: *Non ſedi cum concilio vanitatis & cum facinoroſis non introibo*, non reliquit corpore omnes malos, imo reprobatum Saulum venerabatur. Non ergo corporalis receſſus, ubi ſalva pace Eccleſiæ fieri non poteſt, eſt neceſſarius, ſed ſpiritualis, ut ma-

*p. 3. q. 34. membra 2. ar. 2. ad 2.* lis non conſentiamus. Alexander de Ales in tertia parte tangit iſta ſub alia forma, dicens, quod ad interficiendum ſecundum legem requiruntur plura, ſcilicet, juſta cauſa, juſtus ordo, juſtus animus. Juſta cauſa, quod reus meruerit interfici, quia dici-

*Exod. 23.* tur Exodi 23. *innocentem & juſtum non occides*, Juſtus ordo, ut occidens habeat poteſtatem, & reus ſit convictus de crimine: habeat poteſtatem, inquam, judex, vel à divina auctoritate, quæ eſt in lege, vel ab ejus voluntate, ſcilicet Dei, intellecta per inſpirationem internam, quam, dico ego, probet per miracula, aut per ſacram ſcriptu-

*Suprà, propoſ. 3. probat. 4. Ambr. in gloſſ. ordinaria, & ab Alexandro ab Ales in dicta quæſt. citatur.* ram, priuſquam ſit ei de neceſſitate credendum: propterea dicit Auguſtinus ſuper illo Matth. 5. *Officia vindictæ poſſunt impleri quomodo judex, quomodo lex:* per Ambroſium ſuper illud 1. Cor. 5. „ modicum fermentum totam maſſam corrumpit. Si quis po„ teſtatem non habet, quem ſcit reum, abjicere, vel probare non valet, im„ munis eſt, & judicis non eſt ſine accuſatore damnare, ſicut nec Chriſtus Judam ab„ jecit": Juſtus animus, ut fiat ſolùm amore juſtitiæ, non libidine vindictæ, vel appetitu pœnæ: Auguſtinus in quæſtionibus ſuper Exod. „ Cum miniſter judicis occi„ dit, quem judex juſſit occidi, profecto ſi id ſponte facit, homicida eſt: etiam ſi oc„ cidit eum, quem ſcit à judice debuiſſe occidi": quod hæc tria ſint neceſſaria ad

*Auguſtin. Citat. Alexander ab Ales eandem quæſt. Deut. 1.* juſtam punitionem exequendam, deducitur ſic: judex gerit in judicando vices Dei. Deuteron. 1. dicitur *Audite illos*, ſcilicet populum, „ quod juſtum eſt judicate, ſive „ civis ſit ille, ſive peregrinus, nulla erit diſtantia perſonarum: ita parvum audietis, „ ut magnum, nec accipietis cujuſquam perſonam, quia judicium Dei eſt". Debet ergo judex, ex quo ejus judicium eſt Dei, in tribus ſe ei conformare. In poteſtate, in veritate, & bonitate, ut poteſtas referatur ad ordinem juſtum, veritas ad juſtam

*Exod. 23.* cauſam, bonitas ad juſtum animum. hoc Exod. 23. inſinuatur, cùm dicitur, *provide de omni plebe viros ſapientes, timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint avaritiam. Sapientes, timentes Deum*; ecce primum: *in quibus ſit veritas*; ecce ſecundum, *qui oderint avaritiam*; ecce tertium. Item Deuteron. primo repetitur ſub

*Deut. 1.* alia forma: Cum dicitur, *Date ex vobis viros ſapientes, & gnaros, quorum converſatio ſit probata in tribus veſtris, ut ponam eos vobis principes.* In ſapientia intelligitur veritas, in converſatione probata bonitas, in principatu poteſtas. Ubi verò alterum prædictorum, ſcilicet juriſdictio, convictio, & pax ſalva, defecerit, non poterunt peccata

Digitized by Google

peccata publica puniri. Nam si puniendus non est isti subjectus, non habebat in eum ferre judicium: si crimina non possint manifestis indiciis probari, esto quòd sint judici ut personæ singulari nota, non poterunt puniri, quoniam judicium humanum ex testimoniis manifestis procedere debet; si sine periculo schismatis aut turbationis Ecclesiæ judicium exerceri non potest, cessandum est à pœnali punitione, & judiciali, ut est in peccato multitudinis, aut principis quem sequitur multitudo. Nam Augustinus epistola ad Aurelium de peccato multitudinis, ostendens, quod non severiter cum ea agendum est, dicit, „ non asperè, quantum æstimo, non duriter, non imperiosè „ peccata multitudinis aut pravæ consuetudinis corripienda sunt. Ista tolluntur magis „ docendo, quàm jubendo, magis monendo, quàm minando; sic enim agendum est „ cum multitudine peccantium, & si quid minatur, cum dolore fiat, de scripturis „ comminando vindictam futuram, ne nos in nostra potestate, sed Dominus in nostro „ sermone timeatur: hæc Augustinus. Et ubi istæ tres conditiones sunt, peccata mortalia publica possunt puniri. Ex quibus patet, quod hoc modo dicendo non defenduntur peccata, cum tribus, scilicet, jurisdictione, convictione, & pace salva concurrentibus, dictum sit omnia peccata publica mortalia esse punienda, sed non conceditur peccata puniri absque ordine juris, ut in detrimentum Ecclesiæ vel boni communis.

*Tom. 2. Augustinus epist. 64.*

ARticulum autem propositum multum involutum reperio, æquivocationibus, compositione, vel divisione; posset enim habere sensum verum & sensus falsos, prout in fine secundi puncti declarabitur. Et quoniam magis ex probationibus & notabilibus, quàm ex serie terminorum articuli proponens prætendit dicere, omnia peccata mortalia publica esse arguenda, punienda, corripienda, castiganda & expellanda, præmissa, ut audistis, in conspectu hujus sanctæ synodi narravi, cujus correctioni & emendationi eidem devoto corde submitto. Hoc de primo puncto sufficiat.

QUantum ad secundum punctum, ubi videndum est, per quos & quomodo correctio, castigatio & expulsio peccatorum est facienda. Nam dicit articulus sic: „ Peccata mortalia publica & quantum rationabiliter fieri potest privata, aliæ„ que deordinationes legi Dei contrariæ in communitatibus Christianorum, & quo„ libet statu eorundem, debitè juxta dictamen divinæ legis Christi fideles tam secula„ res, quàm spirituales, prout congruit utrisque, sunt cohibenda, corripienda, casti„ ganda, & pro posse expellenda". Et quoniam duplex est modus correctionis & castigationis: Unus ex fraterno caritate procedens, Alius ex auctoritate & potestate; erunt duæ conclusiones. Prima de fraterna caritate, & est talis: *Quilibet fidelis potest & in casu tenetur, quemlibet pro peccatis suis saltem privatis alium corripere correctione fraterna.* Fundatur autem correctio in verbis Salvatoris nostri Jesu Christi, Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, corripe eum inter te & ipsum solum.* Ordo autem servandus est in illa, de quo subditur. „ Si te audierit, lucratus es fratrem „ tuum: Si autem te non audierit, adhibe tecum unum vel duos, quia in ore duorum „ vel trium stat omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Si autem „ Ecclesiam non audierit, sit tibi ut ethnicus & publicanus". Quod correctio ista sit licita & honesta, patet ex triplici lege, naturali, scripta, & gratiæ. Ex naturali, quia lege naturæ præceptum est, *hoc facies aliis, quod tibi vis fieri*, id est, quod velle debes tibi fieri. Debes autem velle, ut alius te corrigat, quando peccas, ut te emendes; ergo debes tu hoc unicuique facere. Ex lege scripta, nam Deuter. 22. dicitur: „ Non præteribis bovem aut ovem errantem, sed reduces fratri tuo. Etiamsi non „ est propinquus frater tuus, nec nosti eum, duces in domum tuam, & erit apud te, „ quamdiu ea quærat frater tuas, & recipiat. Similiter facies de asino & de omni re „ fratris tui, & si videris asinum fratris tui aut bovem cecidisse in via, non despicias, „ sed sublevabis eum cum eo": hæc de benignitate legis ad literam observanda erant: quod si de brutis proximorum debebat alter esse sollicitus, quanto magis de proximo errante; propterea scriptum est Ecclesiastici 17. *unicuique mandavit Deus de proximo suo. Viæ illorum coram ipso sunt semper, non sunt absconsa ab oculis ipsius:* hujus autem curam neglectam à proximo, in lege tamen præceptam, Beatus Bernardus ad Eugenium deplorabat dicens: *In effectu, cadit asina, succurritur ei, cadat anima, & non est qui relevet eam.* Ex lege gratiæ per textum allegatum Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum:* glossa autem ostendit eam esse licitam, quæ dicit, *peccantem zelo justitiæ corripiamus, & pœnitenti viscera misericordiæ pandamus.* Beatus Augustinus lib. de Correctione & gratia, ponit quatuor causas cur exercenda est fraterna correctio, Prima, ut peccator suum peccatum & se recognoscat, Proverb. 29. *virga & correctio tribuit sapientiam*, unde non correpti quia se ignorant & peccata sua, alios confundunt: propterea sequitur, *puer qui*

*Per quos debent mali puniri.*

*Duplex modus correctionis.*

*Unus ex charitate fraterna procedens.*

*Propositio prima de correctione fraterna. Matth. 18.*

*Deut. 22.*

*Eccles. 17.*

*De consideratione lib. 4 ultra medium.*

*Ca. 4. & 5. quoad sensum.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

*dimittitur voluntati ſuæ, confundet matrem ſuam.* Secunda, ut de peccato cognito dolorem, pudorem & timorem habeat. Tertia, ut peccator ſe difformem ex peccato videns, reformari deſideret, & Deum oret, ne in tali debilitate permaneat. Quarta, ut ſi corripiens correpto non proficiat, tamen ſibi valeat ut peccatum effugiat & meritum acquirat: unde 23. moralium cap. 20. Gregor. dicit, *Caritatis zelus mala quæ corrigere non valet, increpare non deſinat, ne ſe participem delinquentium ex conſenſu taciturnitatis adjiciat.* Et Auguſtinus de correctione & gratia, ait, *ſine deſperatione corripiamus, quia ſi filius pacis eſt quem corripimus, requieſcet ſuper eum pax veſtra; Sin autem, ad vos revertetur.* Quòd verò ſit in præcepto tamen affirmativo, quod obligat ſemper, ſed non pro ſemper, ſed pro tempore, & loco & aliis circumſtantiis, patet ex textu Salvatoris dicentis, *corripe*, ubi manifeſtè videtur imperare. Gloſſa ibi ait, *ita peccat, qui fratrem ſuum vidit peccare & tacet, ſicut qui peccanti non indulget.* Sed præceptum eſt indulgere peccanti, ergo & corripere peccantem. Et Auguſtinus in libro de verbis Domini ſic ait, *ſi neglexeris corrigere, pejor factus es eo, qui peccavit.* Beatus Thomas 2. 2. q. 33. art. 2. in corpore deducit, quod ſit in præcepto, ex ratione finis, qui eſt fratris emendatio; ad hoc autem ordinatur correctio fraterna, ſicut iſta quæ eſt paterna, aut per cohibitionem pœnæ & virtute juſtitiæ quis ordinatur ad bonum commune. Et dicit, quod eſt neceſſaria fraterna correctio ſecundum quod ad emendationem fratris ordinatur. Et hoc in quarto magis declarat diſt. 19. oſtendendo, quod per præcepta legis divinæ ſufficienter homines in vita ordinantur, & quemadmodum in exercitu eſt duplex ordo, unus, quo totus exercitus ordinatur ad ducem, alius partium exercitus ad ſe invicem; ſic in Chriſtiana converſatione duplex eſt ordo, unus ad prælatum, alius ſingulorum ad invicem, unde uterque debet præcepto legis divinæ inſtitui: juxta primum ordinem, omnes tendere debent ad illud, ad quod prælati intentio recta verſatur. Et ad hunc finem, commune ſcilicet bonum, debet prælatus eos dirigere: juxta ſecundum, unuſquiſque alteri præbere debet auxilium ad bonum ſuum conſequendum. Sicut ergo tenentur ſubditi prælato ſuo obedientiam exhibere, & ille ſubditis curam ſollicitudinis impartiri, ita iſti ſibi invicem ferre auxilium non ſolum in corporalibus, imò magis in ſpiritualibus: hæc ſententia de obligatione ad correctionem fraternam, eſt Alberti, in quarto ſuo, Richardi de media villa, Hoſtienſ. in ſua ſumma, & omnium doctorum.

Cap. 15.

Gloſſa ordinaria in 18. cap. Matth.

Sermone 16.

S. Thom. 2. 2. q. 33. ar. 2. in corp.

S. Thom. diſt. 19. quæſt. 1.

Albertus. Richardus de media villa lib. 4. ſeu, diſt. 19.

Auctoritates autem aliquorum audiamus: dicit Auguſtinus de verbis Domini, „ monet nos quidem Dominus non negligere invicem noſtra peccata, non quærendo „ quid reprehendas, ſed videndo quid corrigas, debemus enim amando corripere, „ non nocendi cupiditate, ſed ſtudio corrigendi". Chryſoſtomus autem dicit ſic: „ Conſiderandum autem, quod quandoque Dominus eum qui contriſtavit, ad eum „ qui contriſtatus eſt ducit, ſicut cum dixit. Si recordatus fueris, quod frater tuus „ habet aliquid adverſus te, Vade, reconciliare fratri tuo. Quandoque eum qui injuſta „ paſſus eſt, jubet dimittere proximo, ſicut ibi, dimitte nobis debita noſtra, ſicut & „ nos dimittimus debitoribus noſtris. Hic autem alium excogitat modum. Nam eum „ qui contriſtatus eſt, ducit ad eum qui contriſtavit, ideo dicit: Si peccaverit in te „ frater tuus, vade ad eum: quia enim ille qui injuſtè fecit, non facilè veniret ad excuſationem, verecundatus, hunc qui paſſus eſt ad illum mittit, & non ſimpliciter, „ ſed ut corrigat quod factum eſt, ideo ait, vade corripe eum". Item idem, „ non „ autem dicit: accuſa, neque increpa, neque vindica, neque vindictas expete, ſed „ argue, id eſt rememora ſibi peccatum, dic ei, qui ab eo paſſus es, ipſe enim ira & „ verecundia detinetur, ebrius factus quaſi gravi ſomno, unde oportet te qui ſanus es, „ ad illum qui ægrotat adire", & beatus Hieronymus ait: „ Sciendum tamen, quod ſi „ peccaverit in nos frater noſter, & in quælibet cauſa nos læſerit, dimittendi habemus poteſtatem, imo neceſſitatem, qua præcipitur, ut debitoribus noſtris debita „ dimittamus, propter quod & hic dicitur: ſi peccaverit in te frater tuus &c". Rurſus Chryſoſtomus dicit: „ Ideo autem præcipit ei arguere, qui paſſus eſt injuriam, & „ non alii, quia ille qui fecit injuriam, ab eo manſuetius ſuſtinet, & maximè ſi ſolus „ eum corripiat; cum enim qui vindictam expetere debeat, hîc ſalutis videtur diligentiam habere, maximè hoc eum poteſt propitium facere", ne tamen ex verbis iſtis & quibuſdam præmiſſis quis credat, quòd ſolùm injuriam paſſus habeat delinquentem corripere, cum juxta doctores cuilibet hoc competat, cui peccatum eſt notum, tamen cum certis circumſtantiis: dicendum eſt, quod hoc quod dicitur *in te*, non intelligitur ſolum contra te tanquam injuriam ſuſtinenti, niſi dicatur, quod ſive Deo ſive alio injuriato injurieris, ſed *in te*, id eſt, te ſciente. Unde Auguſtinus. „ Aliquando ſcias fratrem tuum eſſe corripiendum inter te & ipſum ſolum: Aliquando verò coram omnibus, quid autem quando facere debemus juridice? Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipſum ſolum, quare? quid eſt: in te peccavit? tu ſcis quia peccavit, quia enim ſecretum fuit quando in te peccavit, ſecre-

Hier. in 18. cap. Matth.

Ubi ſuprà.

Eodem ſermone de verbis Domini 16.

„ tum

„ tum quære, cum corrigis quæ peccavit. Nam si solus nosti, quia peccavit in te, & Sæc. „ eum vis coram omnibus arguere, non es correptor, sed proditor": hæc Augustinus. XV. Sin tamen sint occulta peccata, sic videtur habere locum quod dicit Dominus: *Si peccaverit in te frater tuus:* quoniam enim te publicè offendit, jam non solum in te peccat, sed etiam in alios, quos turbat. Anno 1433.

EX conclusione sequitur: primò, quod superiores possunt inferiores corrigere & corripere correctione fraterna, & contrà subditi superiores. Et semper dicitur, *fraterna*, si debitis circumstantiis suis induta sit, nempe Prælatus est frater, & est pater, & superior; est superior dignitate vel officio, pater beneficio, frater fide, religione, aut naturæ conformitate. Quia Prælatus & superior, debet inferior ei reverentiam & honorem, quia pater, amorem, quia frater, adjutorium. Et ita si peccat, correctionem, secundum quod Proverb. 18. scriptum est, *frater qui adjuvatur à fratre, quasi civitas firma, &c.* Debet autem hæc correctio habere tres conditiones, maximè dum superiores ab inferioribus corripiuntur, ut dicit Augustinus de Ancona: primo debet habere discretionem & debitam diligentiam, ut semper speretur & probabiliter credatur ejus emendatio: Secundo debet habere subjectionem & debitam reverentiam, ut non fiat modo temerario & cum protervia. Tertiò debet habere dilectionem & benevolentiam, ut non fiat causa diffamationis & detractionis. Propter defectum primæ conditionis, debent inferiores increpari, si sine discretione debita superiores corrigant & corripiant, & secundum hoc in lege divina jussum erat, bestiam quæ montem tangeret lapidari Exod. 19. propter defectum secundæ, Oza fuit percussus. Nam cum esset de genere sacerdotali, secundum quosdam, propriis humeris debebat portare Archam Domini. Thomas in 4. dicit, quod tangere Archam non erat Levitarum, sed sacerdotum. Ideo percussus fuit, quia officium superioris usurpavit. Et in utraque responsione, apparet quod irreverenter se habuit, ideo percussus fuit, propter quod dicitur in textu 2. Regum 6. cap. *propter temeritatem percussus est à Domino.* Propter defectum tertiæ, Maria soror Moysi fuit percussa leprâ, quia causa murmurationis, diffamationis & detractionis insurrexit contra Moysen. habetur Num. 12.

*Corollarium 1.* Superiorum autoritas.

*Superiores possunt inferiores corripere correctione fraterna, & vice versa.*

*Augustinus de Ancona. qu. 7. art. 1.*

*Conditiones correctionis fraternæ.*

*Exod. 19.*

*Distinct. 19. qu. 2.*

*2. Reg. 6.*

*Num. 12.*

Infero secundò, cum discretione magna hujusmodi correctio facienda est: ad quatuor siquidem inspiciendum est, ut dicit Albertus Magnus, in quarto sententiarum, scilicet, ad quantitatem culpæ delinquentis, ad spem emendationis, ad statum personæ quæ admonetur, & ad zelum qui movet corripientem: si culpa est levis, & timetur ne turbatio gravior sequatur, non tenetur corrigere, quia pejus subsequetur. Item si probabiliter desperatur de emendatione, non tenetur corrigere, quia nihil faceret nisi provocare ad pœnam. Adhæc, si status altus est personæ, cum reverentia & excusatione delicti, debet potius admonere quàm corripere, & rogare potius quàm increpare. Quartò si videt se ex rancore & invidia moveri, vel aliqua alia radice, tunc non debet facere, quia tales cito prorumpunt in verba contumeliæ, & tunc ex minori malo factum est majus malum. Et ista distinctio est optima, hæc Albertus Magnus.

*Secundum corollarium.*

*Magna discretio in correptione hac adhibenda.*

Tertiò infero, quod correctio inferiorum à superioribus debeat esse aliquando lenis, aliquando aspera, nunquam tamen omnino carere dulcedine. Ostiens. in summa sua distinguit, & partem habet à Thoma in 4. sic inquit, *si peccatum fiat ex ignorantia vel infirmitate, debet corripere leniter & moderatè.* Et hoc etiam dicit Thomas ubi suprà. Gal. 6. *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis,* Si peccatum sit ex passione, & superinducta mala consuetudine, est corripiendum partim leniter, & partim durè, prout dicit commentator, primo Eth. *Juvenis enim*, inquit, *passionum sectator, non solum persuasionibus & monitionibus corripiendus est, sed opprobriis & contumeliis frequenter indiget:* Unde Heli, licet moneret filios suos juvenes, quos noverat iniquè agere, quia non intulit opprobria aut contumelias, dicitur non corripuisse, id est, non sufficienter, primo Regum 2. Quando peccatum committitur ex electione & pura malitia, tunc corripiendum est durè. Gregorius in pastorali: *Nonnulla peccata sunt vehementer increpanda, ut cum culpa ab auctore non cognoscitur, quanti sit ponderis, ab increpantis ore sentiatur*: hoc etiam dicit Thomas. Præterea ex parte increpantium distinguendum est, Aut increpantes sunt Juvenes, aut Senes. Si juvenes, debent corripere aut monere humiliter. Si senes, corripiant moderatè & mature. Alios senes reverenter, prælatos humiliter. Si verò corripientes essent prælati, corripiant senes obsecrando, juvenes humaniter monendo. 1. Timoth. 4. *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra, ut patrem, juvenes ut fratres* &c. Quia autem generosus est animus humanus, & facilius ducitur quàm trahatur, ut dicit Seneca, in omni correctione aliquid miscendum est mansuetudinis, ut caritas, ex qua ut ex radice correctio procedere

*Corollarium tertium. Correctio debet aliquando esse lenis, aliquando aspera. 4. sent. dist. 13. qu. 2. Gal. 6.*

*1. Reg. 2.*

*Gregorius in pastorali. Loco citato.*

*Seneca de clementia l. 1. c. 24. simile quid habet.*

Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

dere dignoscitur, semper fulgeat. Ideo Seneca ait in Proverb. *Semper objurgationi aliquid blanditiæ admisce.*

Infero quartò ex hoc, quod correctio est præcepta, quod obligat non pro semper, sed pro aliquo tempore, quia est præceptum affirmativum. Tria autem ex parte corripientis quæ debent esse, & tria ex parte correpti, quibus existentibus obligat, aliàs non. Primum est certa peccati cognitio Eccl. 11. *prius quam interroges, non vitupera quemquam, & cum interrogaveris, corripe justè.* Secundum est mansuetudo in corripiendo. Ps. 89. *quoniam supervenit mansuetudo & corripiemur.* Tertium est, quod in alio non sit tanta aptitudo ad corripiendum, quoniam si alii æquè boni vel meliores adsint, aut peccanti magis familiares, & probabiliter æstimatur, quod magis proficient, pro tunc non obligatur iste, præsertim nisi verisimiliter apparet, quod isti omnes negligerent. Sic enim profecto obligaretur, nam tunc sibi competit illud 3. Reg. 20. *Custodi mihi virum istum, qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima illius* Primum requisitorum ex parte peccantis, est spes de correctione, aliàs ut dictum est, non obligatur quis talem corripere. Proverb. 9. *Noli arguere derisorem, ne oderit te.* Secundum, quod suum peccatum sit mortale. Nam dicitur, *si te audierit, lucratus es fratrem tuum; Si non, tandem dic Ecclesiæ*, per hoc, quod liberatur quis à veniali, non est lucratus quis eum, quia propter hoc non erat perditus: Nec oportet talem propter hoc denunciari Ecclesiæ. Tertium, quod non est spes majoris opportunitatis in corripiendo, dicit enim Augustinus primo de civitate Dei, *Si propterea quisque objurgandis & corripiendis male agentibus parcit, quia tempus oportunum inquiritur, non est occasio cupiditatis, sed consilium caritatis*: hæc sententialiter ex illo doctore. Tres autem casus tangit sanctus Thomas secunda secundæ, quæst. 33. art. 2. ad tertium. Et item Richardus de Media Villa. In quorum primo meritoriè à correctione fraterna quis se abstinet, si, scilicet, oportunum tempus expectetur. In secundo cum peccato mortali, dum probabiliter scit se posse fratrem peccantem emendare, tamen pro temporali commodo aut metu amittendi aliquid temporale. In tertio cum peccato veniali, dum non habet spem probabilem de emendatione fratris per eum, & nimis inhiat iste, qui habet corripere, temporalibus. Non tamen ita, quòd si constaret, quòd fratrem posset à peccato retrahere, propter timorem, vel cupiditatem omitteret, quibus in animo suo præponit charitatem fraternam.

*Corollarium quartum. Correctio est præceptum, non tamen obligans pro semper. Ex parte corripientis requiritur. Peccati cognitio certa. Mansuetudo in corripiendo. Si in alio non sit tanta corripiendi aptitudo. Ex parte peccantis. Spes emendationis. Proverb. 9. Quod peccarit mortaliter. Si non sit spes majoris opportunitatis. Aug. de civit. Dei lib. 1. cap. 9. S. Thom. 2. 2. q. 33. art. 2. ad 3.*

Sequitur per hoc, quòd ista correctio ordinata est ad emendationem peccantis, Ordo, si peccata sint occulta, à Salvatore datus, servandus est: si admonitioni caritativæ peccans ipse (a) paruit: itaque si monitus non paruit aut acquievit, est ultra procedendum, suppositis dispositionibus & circumstantiis antedictis. Advocandus est enim unus testis vel duo, quos speremus probabiliter velle correpto prodesse non obesse, quos si non audierit, dicendum est Ecclesiæ, id est prælato ut judici. Ratio hujus: sicut ubi una lenis medicina non proficit ad salutem corporis, adhibenda est fortior, ut tamen minus gravetur infirmus, quantum fieri potest, sic in sanatione spirituali, ubi secreta monitio non sufficit, ad graviora procedendum est, quod fit cum testis unus assumitur vel duo, qui triplici ratione advocantur: prima, ut videant. Secunda, ut testes sint admonitionis factæ. Tertia, ut negantem coram Ecclesia, id est prælato, convincant. Possem etiam non incongruè per Ecclesiam intelligere Concilium generale. Et sic talis ordo est observandus, primo frater delinquens monendus est caritativè, si non acquiescit, dicendum est prælato ut est privata persona, quia nullus est qui magis debeat illi prodesse quàm persona prælati, si sic eum non audierit, adhibendus est unus testis vel duo ad iterum monendum; & si illos non audierit, dicendum est prælato ut judici. Et si coram illo contemptus negaverit, convincendus est per testes adhibitos, quia scriptum. *In ore duorum vel trium stat omne testimonium:* hunc ordinem tangit Thomas in quarto. Et quod dicendum est prælato ante testium adhibitionem, ut tamen est privata persona, habetur ab Augustino in regula. Verum quod in aliquibus secretis vel privatis peccatis non est observandus iste ordo de necessitate, ut si quis tractaret de proditione civitatis, aut de subvertendo populum in fide, aut moribus; Nam statim procedendum est ad denunciationem talium, admonitione secreta prætermissa, ut impediatur tantum nocumentum, nisi firmiter quis existimaret, quod per solam secretam admonitionem posset hujusmodi mala impedire: nec tamen contra ordinem Christi fit, quia talia peccata non sunt solum *in te*, sed etiam in alios: sed in illis peccatis, quæ tantum, nocent peccanti directè & per se, aut paucis, ordo tenet. De prælatis, autem qui committunt peccatum, occultum & postquam moniti caritativè & humiliter ac reverenter fuerint, nolunt acquiescere correctioni, utrum sic procedendum est ad denunciationem, dicit Albertus super 4. quod non, & dicit in forma sic, in disp. 19. 3. Utrum idem ordo observandus est in correctione cujuslibet hominis? Ad responsionem post reprobationem cujusdam opinionis, dicimus, cum quibusdam, quod ad omnes extendatur, sed ad omnes prælatos est admonitio, in denunciatione

*Corollarium quintum, Correctio ordinata est ad emendationem peccantis, in qua ordo à Salvatore datur observandus.*

(a) *Paruit: alterum exemplar non: Sed hæc videtur magis convenire.*

CAN. *Loco suprà citato.*

*Ordo in corripiendo prælato servandus.*

Digitized by Google

tione non procedens. In aliis autem potest procedere in denunciatione, ut supra dictum est. Et in articulo priori, utrum hæc correctio fraterna sit omnium in omnes, dicit sic in solutione: *Omnis homo omnem hominem cum reverentia & mansuetudine tenetur admonere & corripere de delicto, sed non ulterius potest denunciare, si est inobediens, quia si prælatus supremus est, non habet judicem:* ibi loquitur de supremo prælato specialiter, & etiam statim dixerat universaliter de omni prælato. Quidquid sit, manifestum est, quod ubi prælatus monitus non obedierit, licet ad superiorem, si habeat, recurrere quis posset, non est ad populum recurrendum, prout dicit proponens, coram eodem hæc peccata sua arguenda, nisi immineret fidei periculum, ut communiter doctores exemplificant: addere possem, & in periculo schismatis & corruptionis morum in Ecclesia per malam doctrinam. Unde dicit Thomas secunda secundæ, quæst. 23. art. 4. Ad secundum: quod in faciem resistere coram omnibus, excedit modum fraternæ correctionis. Et ideo sic Paulus Petrum non reprehendisset, nisi aliquo modo esset par, quantum ad fidei defensionem, sed in occulto admonere & reverenter, hoc potest etiam ille qui non est par. Unde Apostolus ad Colossenses ultimo scribit, ut prælatum suum admoneant, cum dicit, *dicite Archippo Episcopo, ministerium tuum imple.* Sciendum tamen, quòd ubi immineret fidei periculum, etiam publicè essent prælati à subditis arguendi. Unde etiam Paulus, qui erat subditus Petro, propter imminens periculum scandali circa fidem, publicè Petrum arguit. Et sicut gloss. dicit Augustinus ad Gal. 2. Ipse Petrus exemplum majoribus præbuit, ut si quibi fortè rectum tramitem reliquissent, non dedignarentur etiam à posterioribus corrigi: hæc Thom. ibidem, in 4. dis. 19. dicit sic, in forma respondendo ad unam rationem quæ est de reprehensione Petri à Paulo: *Dicendum* inquit *quod Paulus restitit in faciem Petro coram omnibus, sicut ibidem ad Gal. 2. dicitur, hoc autem excedit modum fraternæ correctionis, qui prælatis à subditis debetur. Non enim prælati à subditis coram plebe seu multitudine, sed humiliter in privato corripiendi sunt, nisi immineret periculum fidei. Tunc enim prælatus minor fieret, si in infidelitate laberetur & subditus fidelis major.* Idem dicit Richardus de Media Villa. Dico ulterius, quod fraterna correctio de peccatis præteritis publicis locum habet, etiam, dicit Thomas, publica reprehensio, salvis his quæ dicta sunt de prælatis: dicit enim sic sanctus Thomas secunda secundæ quæst. 33. art. 7. in corpore, quæsierat enim, utrum in correctione fraterna secreta admonitio ex necessitate præcepti debeat præcedere denunciationem. *Distinguendum est,* inquit, *Aut enim peccata sunt publica, aut occulta. Si quidem sunt publica, non tantum adhibendum est remedium ei, qui peccavit, ut melior fiat, sed etiam aliis, in quorum noticiam devenit, ut non scandalizentur. Et ideo talia peccata sunt publicè arguenda, secundum illud* 1. *Timoth.* 5. *Peccantem coram omnibus argue, ut cæteri timorem habeant, quod intelligitur de peccatis publicis, ut dicit Augustinus in libro de verbis Domini:* ibi dicit S. Thomas, quod remedium, ut melior fiat, illi adhibendum est. Et hoc fit per correctionem fraternam, sicut quod coram omnibus arguitur, remedium est aliis, ne ipsum in culpa sequantur, & ut de re publica tollatur scandalum.

SÆC. XV. ANNO 1433.

*Ep. 19. inter medium & finem.*

*1. Tim. 5.*

*Serm. 16.*

Sextò infero, quod cum prælati, presbyteri & Ecclesiastici sint superiores laicis, non est fraterna correctio facienda eis, coram multitudine laicorum. De peccatis etiam publicis personalibus, neque etiam fidem, neque subversionem morum per malam doctrinam directè concernentibus, ut per illam inducantur laici ad subtractionem obedientiæ respectu sacerdotum. Istud corollarium ponit ultra præmissa, quod non debent induci laici ad subtrahendam obedientiam presbyteris etiam malis malicia personali, quamquam etiam sit publica; patet per illud Exod. 20. *honora patrem tuum* quod non tantum de patre carnali, sed spirituali intelligitur. Et istud morale præceptum est, ideo semper manet, lex etiam dicebat, Deut. 17. *Qui superbierit, nolens obedire sacerdotis Imperio, morietur homo ille, & auferes malum de Israel. Cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia:* quamvis autem hoc præceptum, quia judiciale erat, sit mortuum, ratio tamen præcepti manet, scilicet de obediendo sacerdotis imperio. Nam hoc morale est, quia præcipitur honorare parentes, nec hoc valet dicere, quod hoc solùm intelligitur de bonis. Nam dicit Alexander de Ales in tertia parte suæ summæ, quod malo prælato quàmdiu ab Ecclesia toleratur, debetur honor. Et quamuis malè præsideat, quousque ab Ecclesia deponatur, ut bene præsidens, debet haberi, & intelligitur de malitia personali: patet correlarium istud per illud Matth. 23. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, quæ dicunt vobis, facite.* & 1. Petr. 2. *Subditi estote in omni timore dominis vestris, non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis, hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias patiens injustè.* Patet etiam auctoritatibus doctorum sanctorum. Dicit Telesphorus Papa 7. à beato Petro, ex computo Augusti-ni decreto suo cap. 3. *Ipsi qui proprio ore Corpus Domini conficiunt, ab omnibus sunt audiendi*

*Corollarium sextum: Ecclesiastici presbyteri non sunt publicè corripiendi nisi in certis casibus, ne populus abstrahatur, à debita obedientia.*

*Exod. 20. Deut. 17.*

*Alexander ab Ales p. 3. q. 33. membr. 4. art. 5*

*Matth. 23. 1. Pet. 2.*

*Telesphorus in epistola sua decretali.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

*audiendi & timendi, & non dilacerandi, aut detrahendi, qui à quibus populus Domini se benedici, salvari, & instituti cupit, nullatenus debet eos arguere. Nec vulgus in eorum accusatione suscipi, populus enim ab eis docendus est, & corripiendus, non ipsi à populo, quia non est discipulus supra magistrum.* Apparet per hoc, quod populus debet obedire sacerdotibus, & se non subtrahere ab eorum obedientia. Item Gregorius Nazianzenus 2. oratione in sancta lumina post medium. „ Demum etiam illud do-

*Gregor. Nazianzenus, Oratione 40. in sanctum baptisma.*

„ cet, quomodo subjectus esse oporteat eos qui accedunt ad gratiam, his quibus dispen-
„ satio mysteriorum Dei commissa est, maxime etiam si dignitate aliqua sibi vel sapien-
„ tia præditi videantur, nemo dissimulet baptismum, nemo contemnat, nemo præ-
„ dicatoribus fidei & dispensatoribus gratiæ resistat atque repugnet, sed cum omni
„ humilitate & veneratione subjiciat": hæc ille, præterea Chrysost. super epist. 2. ad

*Chrysost. epist. 2. ad Timoth. hom. 2.*

Timoth. homilia secunda dicit, „ Nescis quid est sacerdos? quoniam angelus Dei est,
„ non enim quæ sui ipsius sunt loquitur; si contempseris, non eum contemnis, sed
„ eum qui inthronisavit eum, Deum: & unde manifestum est, quod Deus inthroni-
„ savit eum? nisi hanc habeas opinionem, spes tua evacuata est. Si enim nihil agat
„ Deus per eum, neque lavacrum habes, neque mysteriis participas, neque benedi-
„ ctionibus frueris. Non ergo Christianus es. Quid ergo? Omneis ordinat, etiam
„ indignos? Non omnes quidem inthronisat, per omnes tamen ipse operatur, salutem
„ populi moliens, non illorum intrans merita", hæc ille: profectò hæc sententia in

*Matth. 10.*

illo verbo Salvatoris fundata est. *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit:* forte dicet quispiam, ideo publicè malis sacerdotibus non obedio, quia propter suam malitiam publicam dominium super me perdiderunt: putas, quæso, dominium in caritate fundari? si hoc credis, cum certi esse non possumus de alio, si sit in caritate,

*Eccles. 9.*

cum nec de nobis ipsis sumus, sapiente teste, qui ait, Ecclesiastis nono. *Nemo scit*

*1. Cor. 4.*

*an odio vel timore dignus sit:* Et Apostolo qui dicit. 1. Cor. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non hoc justificatus sum*; certi esse non possumus, de aliquo, si sit verus Dominus, & ita non solum spiritualia dominia ambigua erunt, sed & temporalia: quod si dicatur, imo certi erimus, donec aliquod publicum mortale commiserint.

*Per peccatum quodvis mortale non amittitur dominium.*

Si sic dicitur, ergo dominium aut spirituale aut temporale in caritate non fundatur, cum per mortale occultum quis dominium non amittit: porro ostendendo, quod per mortale publicum non amittitur dominium, saltem per peccatum personale, quod fidem non corrumpit, aut Ecclesiam non scindit, vel bonos mores per malam doctrinam directè non perimit, dignitates & dominia sunt à Dei providentia derivata. Nam

*Rom. 13.*

ad Rom. 13. dicitur, *qui potestati resistit, divinæ ordinationi resistit.* Et Proverb. 8. dicit

*Proverb. 8.*

æterna sapientia, cujus munere omnia gubernantur, *per me reges regnant & legum conditores justa decernunt.* Ergo quibus dedit Dominus potestates & imperia, illi veri sunt Domini. Constat autem, Dominum interdum facere malum hominem regnare super

*Job. 34.*

populum, ad populi afflictionem Job 34. *Qui regnare facit hominem hypocritam, propter peccata populi.* Igitur tales, quamvis sint mali culpa personali, tamen Domini sunt.

*Apoc. 2. & 3.*

Idem manifestum est in angelis Ephesi, Pergami, Thyatiræ, Sardis, & Laodiceæ, adversus enim illos Episcopos Dominus comminationes revelat, quarum aliquæ non sunt pro peccato veniali, imo mortali; & tamen adhuc Episcopi sunt, & non ipso facto depositi: præterea (a) Ansel. in gl. super illo 1. Cor. 2. *ut scias quæ à Deo do-*

(a) *Alius liber habet, Augustin.*

*nata sunt nobis*, ait: *multi habent donum spiritus Dei, & nesciendo à quo habent, impia vanitate jactantur, nemo donis Dei beatus, qui danti ingratus.* Item Augustinus super Ps. 66. v. 1. ait. *Alia sunt dona quæ dat Deus inimicis suis, & alia quæ non servat nisi amicis suis. Quæ sunt dona quæ dat Deus inimicis suis? quæ nunc memoravi: Non enim soli boni plenas habent domos rebus necessariis, aut soli boni vel salvi facti sunt, vel ab ægritudine convalescunt:* hæc Augustinus. Quid mirum, si dominia dat peccatoribus, fidelibus tamen, qui etiam infidelibus larga dedit Imperia? imo & infidelem super populum suum regnare constituit? patet in Nabuchodonosor. Erat enim ille idololatra, sed &

*Hier. 27.*

rex constitutus à Domino super populum Israel peccantem, Hieremiæ siquidem 27. scriptum est, *ego feci terram & homines & jumenta quæ super faciem terræ sunt, in fortitudine mea magna, & in bracchio meo extento, & dedi eam ei qui placuit in oculis meis. Et nunc itaque ego dedi omnes terras istas in manus Nabuchodonosor regis Babilonis servi mei. Insuper & bestias agri dedi ei ut serviant illi, & servient ei omnes gentes, & filio ejus & filio filii ejus:* videtis quomodo Deus eum præfecit in Regem terræ Israel, sicut de ipsis propheta loquitur in textu: Nec solum eum, sed filium, & filium filii. Nec potest dici, quòd Deus dicatur facere hoc permissive, quia Dominus addidit, *Servi mei, & bestias agri dedi ei.* Iterum Cyro adhuc idololatræ dedit Do-

*Esai. 45.*

minus regna terræ, Isaiæ enim 45. *hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cujus apprehendi dextram ut subjiciam ante faciem ejus gentes & dorsa regum vertam:* Sequitur & ibi: *dabo tibi thesauros absconditos & arcana secretorum.* Hieronymus in Commentario lib. 12. ait: *hujus dextram apprehendit & tenuit, ut nullus fortitudini ejus valeret resistere:*

Digitized by Google

*reſiſtere: legamus Xenophontis octo librorum Cyri majoris hiſtoriam, & prophetiam Eſaiæ cernemus expletam, quæ enim civitas illi non patuit? quis non regum terga ſubjecit? qui muri prius inexpugnabiles non illius obſidione ſubverſi ſunt?* hæc ille: Amplius, Cæſar erat injuſtus injuſtitia fidei, tamen Dominus dominium ſuum confirmavit, cum ait: *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari.* Pilatus etiam erat iniquus Chriſto, juſtificans in favorem Judæorum, tamen ſuam poteſtatem approbavit, cum ait: *Non haberes poteſtatem ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper.* Propterea dicit Auguſtinus lib. de quæſtionibus Veteris & Novi Teſtamenti, *Dei imaginem habet Rex, ſicut Epiſcopus Chriſti. Quamdiu ergò in ea traditione manet, eſt honorandus, ſi non propter ſe, vel propter ordinem: unde Gentilem, in poteſtate tamen poſitum honoramus, licet indignus ſit:* Hæc ille. Patet, quomodo in rege perſonam diſtinguit Auguſtinus ab ordine: ſi fuerit peccator in perſona, meretur privari bonis Dei. Sed quia eſt Rex ex officio, meretur habere Dei bona etiam valida, honores excelſos ab homine, & à Deo viſiones & ſomnia; proinde idem lib. de Civitate Dei dicit in effectu, quod idem Deus dedit regna piis & impiis, qui Mario Imperium ipſe & Gajo, qui Conſtantino Chriſtiano, & Juliano apoſtatæ. Patet ergò, quòd verum dominium non fundatur in gratia gratum faciente, ſed in divina providentia, ſicut in cauſa efficiente, ſecundum quam propter occultas nobis cauſas, ſuæ æternæ ſapientiæ manifeſtiſſimas, benè vult malis, & interdum malè, pœnaliter verò, bonis: cum autem viſum erit in ſequenti concluſione, ſacerdotes populo non eſſe ſubjectos, apparebit irrationabile, ipſos coram populo de peccatis ſuis perſonalibus publicis arguere, hypocriſim detegere, & coram ipſo ſuis manifeſtis ſceleribus contraire, ut dixit proponens, dum tamen non ſint in ſubverſionem, per falſam doctrinam: in quo caſu poſſunt argui publicè coram populo, ut ſuprà dictum.

SÆC. XV. ANNO 1433.

*Matth. 22.*

*Auguſtin.*

*Aug. de Civit. Dei lib. 5. c. 21.*

Sequitur ſeptimo ex præcedenti, quod ſubditus populus non poteſt licitè ſubtrahere decimas & oblationes à malis ſacerdotibus publicè malitia perſonali, nec valet excuſatio avaritiæ, hoc facere volentium: quia nolunt tales nutrire in peccatis, quod tamen facerent dando, ut dicunt. Probatur, Chriſtus ſuſtentavit Judam proditorem, deditque ei buccellam panis, & fecit eum participem menſæ ſuæ, & adhuc erat ſacerdos. Item Deus paſcit gentiles, in orbe, hæreticos, impios Chriſtianos, ita ut Job dicat: *abundant tabernacula prædonum, & audacter provocant eum, cum ipſe dederit omnia in manibus eorum*, Job. 12. Et veritas ipſa de hoc ait: *Qui ſolem ſuum facit oriri ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos.* Item Auguſtinus tractatu de Oratione Dominica, qui incipit, Sanctiſſimis Apoſtolis, *ait*, „ ipſum panem cariſſimi, quo venter impletur, quo caro quotidie reficitur, Ipſum panem videtis dare „ Deum, non ſolum laudatoribus ſuis, qui facit ſolem ſuum oriri ſuper bonos & ma„ los, & pluit ſuper juſtos & injuſtos: laudas, paſcit te; blaſphemas, paſcit te, ut „ pœnitentiam agas, expectat te; ſi non te mutaveris, damnat te. Quia ergò panem „ iſtum accipiunt boni & mali à Deo, putas non eſt alter panis"? Hæc ille. Item idem prima parte ſermonum ſermon. de generalitate eleemoſynæ, qui incipit: „ Sunt, „ qui dicunt, da miſericordiam, & ne ſuſcipias peccatorem. illa enim ob hoc dicta „ ſunt, ne unquam peccatori benefacias, propterea quia peccator, ſed quia homo „ eſt, itaque utrumque præceptum tenebis, non ad vindictam remiſſus, nec ad ſub„ veniendum. Omnis enim, qui ratione arguit peccatorem, quid aliud, quàm vult „ non eſſe peccatorem? Odit ergo in illo, quod odit Deus, ut perimatur, quod homo fe„ cit, & liberetur, quod Deus fecit; peccatum autem homo fecit, ipſos homines Deus. „ *Et infrà:* Bene fac humili, propter hoc, quòd humilis eſt, & ne dederis impio pro„ pter hoc, quòd impius eſt, quoniam & altiſſimus odit peccatores, & impiis reddet „ vindictam, qui tamen non ſolum propter quod peccatores & impii ſunt, verum etiam „ quod homines, facit oriri ſolem ſuum ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos, ita nulli hominum claudenda eſt miſericordia, nulli peccatori impunitas relaxanda": hæc Auguſtinus. Ex quo patet, quomodo poteſt dari malis, nec tamen nutrietur malitia; ideò poſſunt reddi decimæ, utique juſtiſſimè debitæ, nec ideo nutrietur malitia: nam ſolventur, quia debitæ, & quia illi ſunt ſacerdotes, non autem, quia mali. Item Hieron. in Commentario ſuper illo in cap. 22. *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo*, dicit ſic. *Porrò quod ait: reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, id eſt, nummum, tributum, & pecuniam, & quæ ſunt Dei, Deo, id eſt, decimas, primitias & oblationes:* Hæc Hieron. Tunc autem Cæſar Tyberius erat Tyrannus, ſucceſſor Tyranni & hæres; ſacerdotes infideles, avari, & in malo pertinaces, ad pietatem indociles, in mortem Domini jugiter meditantes, & tamen illis decimas Dominus jubet dari: ſi illis dandæ ſunt, cur non ſacerdotibus malis, tamen fidelibus? Rurſus idem in annotationibus ſuper illo: „ Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum, ſi ſitit, pota illum, *ait:* Noli negare, quod Dominus nulli negat, quamvis ſit blaſphemus & im„ pius, hoc enim faciens, carbones congeres ſuper caput ejus: ut eum ſibi carbonés „ intel-

*Septimum Corollarium. Populus non poteſt licitè ſubtrahere proventus malis ſacerdotibus.*

*Job 12.*

*Auguſtin.*

*Similia habet Pſalm. 102. ultra medium. vide 23. q. 4. Duo iſta cap. 35.*

*Matth. 22.*

*Hieron. in caput ad Rom. 12.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

„ intellexerit, (a) per tuam indebitam misericordiam congregari, excutiat eos, hoc
„ est, convertatur, & diligat te, quem habuerat aliquando perosum. *Item:* Idem
„ Deus nihil, negat, etiam blasphemo & impio, & nunquid ipse cibat inimicos suos
„ contra se ipsum? non; sed contra se ipsos, eis gratitudo Domini, gratitudo & servo-
„ rum ejus obesse potest ad pœnam. Domini gratitudo autem servis ejus crescet ad
„ gloriam, quia nec ideò pascunt peccatorem, ut amplius peccet, sed magis, ut gra-
„ tia Domini victus à delicto quiescat": hæc Hieronymus. Chrysostomus autem super Joannem homilia 70. „ Qui manducat meum panem, omnia alia *inquit* dimittens, hoc
„ unum quod sufficiens erat eum, scilicet Judam, detinere & convertere, posuit Chri-
„ stus, qui à me nutritus est, qui apud mensam communicavit, hoc autem dixit, eru-
„ diens eos, qui malefaciunt, benefacere etiam, si manserint insanabiliter habentes":
hæc ille. Ponderate quod dicit, *& si manserint insanabiliter habentes.* Nam illis benefaciendum, non obstante malitia, docet Dominus Jesus, ut ait ipse Chrysostomus.

(a) *Textus impressus habet suam. Item in Psalm. 93. in ep. ad Hedibiam 150. CAN. Chrys. hom. 70.*

Si verò zelum habens correctionis vitiorum, utinam secundum scientiam, causetur dicens, quod nisi coram multitudine populi, vitia cleri arguantur & improbentur, judicabit simplex populus illa esse licita, ideò ut eis consulatur, necessarium est, omnibus talibus publicè coram populo contraire; dico quòd non habet, unde rationabiliter conqueratur: Nam juxta præmissa doctrinam Salvatoris insequendo, sacerdotes delinquentes publicè peccatis personalibus, potest fraternaliter cum reverentia, honore & mansuetudine corripere, adhibitis debitis circumstantiis; quod si illum non audierit, adhibeat unum vel duos testes; quos si non audierit, dicat Ecclesiæ, id est, prælato Ecclesiæ, qui est superior sacerdotis delinquentis. Si ille neglexerit, potest ad superiorem recurrere, usque ad Summum Pontificem, quem si rursus desidem in correctione ista judicaverit, habet pro finali recursu generale concilium: quod requisitum & (b) corrigendis informatum nullatenus deficiet, speciali enim quadam præsentia paraclitus Spiritus sanctus ei adest, & Christus, qui sponsam suam Ecclesiam Catholicam in Concilio generali repræsentatam, nullatenus errare permittit, quam desponsavit sibi in fide & in misericordia & miserationibus usque in sempiternum: propter quod in morum reformatione non est ambigendum, concilium generale tramitem veritatis unquam relicturum: hoc tantum restat, ut omnis puritatis amator, conciliorum generalium celebrationem toto corde & opere procuret. Ecce legem Domini, ecce mandatum de correctione fraterna. Ecce practicam horum contra malitiam sacerdotum personalem, dixi, personalem, quia si in fide aut doctrina errarent, & perverterent populum, hoc modo, si mores sanctos documentis malis niterentur evertere, aliter esset procedendum, ut dictum est, nec peccarent solum in te, sed in omnes Christianos. Ubi verò omitteretur celebratio generalium Conciliorum, quod Deus avertat, remedium est prædicatio verbi Dei maximè ad clerum facta. In illa fiat generalis exprobatio vitiorum, ne unquam putent insipientes vitia sibi licere. Ad populum verò exprobratio vitiorum cleri non videtur expediens, nisi cum magno moderamine, & diligenti verborum temperantia fiat, ne clero populus infestus insolentior fiat, & abjiciat omnem reverentiam & obedientiam. Ubi tamen probabiliter appareret, populum errare, credendo, vitia cleri jam non esse vitia; esset per veram doctrinam ei succurrendum: sed hoc diebus nostris evenire pro magna parte populi non permisit Dominus. Non ergò arguendi sunt mali sacerdotes malitia personali coram populo: propter hoc, ultra præmissa, hanc unicam facio rationem: Ordo fraternæ correctionis ostendit, quod ab ea itur in correctionem paternam seu judiciariam, dum illa non sufficit. Nam post correptionem inter te & *illum*, unus vel duo testes adhibentur, ut convincatur jam correptus coram judice. Postea si negaverit, dicetur Ecclesiæ, id est, Prælato, vel universali Ecclesiæ, in negligentia Prælatorum: si illam non audierit, excommunicatur vel excommunicatus est. Ideò sit tibi ut ethnicus & publicanus. Igitur ubi fraterna correptio non sufficit, curritur ad judicem, ut qui volens corrigi noluit, nolens corrigatur: modò populus, ut postea patebit, non est judex sacerdotum, nec habet excommunicare, aut claves Ecclesiæ, sed potius pastores, & Ecclesia universalis seu Concilium illam repræsentans. Igitur corrigendo coram populo malum sacerdotem, legem correctionis fraternæ quis transgreditur, & non ingreditur ordinem judiciariæ potestatis: ergò hoc non est faciendum.

(b) *m. s. codex alter: & debite corrigendum informatum.* CAN. *Osea. 2.*

SE-

Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

# SEQUITUR SECUNDA CONCLUSIO.

De auctoritate necessaria ad puniendum.

SEcunda conclusio: *Soli habentes auctoritatem à lege, à divina voluntate, per inspirationem seu revelationem cognita, aut ab aliquo illorum commissi, possunt licitè in quolibet statu corrigere judicialiter subditorum suorum peccata mortalia publica:* Ista conclusio probatur lege divina, praxi Apostolorum, & Ecclesiæ primitivæ, decretis libri Conciliorum Isidori, & sanctorum Patrum, & auctoritatibus sanctorum Doctorum, se fundantium in lege divina.

Primò probatur ex testimoniis Veteris Testamenti, Exod. 2. scriptum est: Cum quidam Hebræus alteri faceret injuriam, & Moyses injuriantem corriperet, ait correptus: *Quis te constituit judicem super nos? nunquid vis me interficere, sicut heri interfeciſti Ægyptium?* Augustinus autem contra Faustum dicit, super interfectionem Ægyptii per Moysen. *Moyses non detestabili immanitate, sed emendabili animositate justitiæ regulam excessit, quia nondum à Domino principatum acceperat*, ut prius allegatum est. Secundò: Sic David quendam juvenem, dicunt multi Doctores, quod fuit Doeg Idumæus, qui dixerat se Saulem occidisse, licet mentiretur, occidit. Nam 2. Reg. 1. dixit illi juveni, *quare non timuisti manum tuam mittere, ut occideres Christum Dominum?* Et paulò post dixit, *sanguis tuus super caput tuum sit.* Justitque eum interfici: hæc autem non feciſſet, si sibi licuisset Regem Saulem occidisse. Non ergò illi licuit, quamvis Saul esset malus & reprobatus à Domino, ne regnaret. Tertiò, Proverb. 30. dicitur: *per tria movetur terra, & quartum non potest sustinere. Primum est per servum, cum regnaverit*; hoc autem fieret, si subditi vellent defectus superiorum publicos per justitiam vindicare. Quoniam verò orbis perturbatio mala est, hoc non licet. Quartò, Psalm 71. dicit Propheta: *Deus, judicium tuum Regi da, & justitiam tuam filio Regis.* Ibi judicium justitiæ committi precatur Propheta, non cuilibet, sed Regi, aut filio Regis, vel his, qui justè aliis præsunt. Iterum Proverb. 19. Sapiens ait: *Non decent stultum deliciæ, nec servum dominari Principibus.* Ex illis patet, subditos non debere superiorum peccata per justitiam corrigere, castigare aut punire. Item Isa. 10. dicit Spiritus sanctus: *Nunquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea, aut exaltabitur serra contra eum, à quo trahitur? Quomodo si elevetur virga contra elevantem se, & exaltetur baculus, qui utique lignum est*, licet autem hoc dictum sit contra prævaricatores divinorum mandatorum, quod patet ex pronunciatione pœnæ divinitus comminatæ, rationabiliter tamen potest exponi de insurgentibus in superiores, delicta eorum cupientes sub titulo justitiæ vindicare. Rursus, ut allegatum fuit, inobediens sacerdotis Imperio moriebatur in lege. Ex quo verbo hoc morale accipiendum est, quod sacerdotibus evangelicis, in his quæ bene præcipiunt, populus tenetur obedire, non ergo habet populus eorum peccata personalia, per justitiæ potestatem corrigere. Si dicatur, quod hoc verum est de bonis. Nam malos presbyteros puerulus Daniel judicavit, ut patet Daniel 13. Respondebo, quod ita fecit, sed hoc fuit accepta à Domino super hoc speciali potestate, quæ innotescit hominibus, aut per miracula, aut per testimonium sacrarum scripturarum; hæc autem, de qua hîc inspiratio divina ex scriptura manifestatur. Nam dicitur: *suscitavit Deus spiritum pueri junioris, cui nomen Daniel.* Præterea eodem modo videtur dicendum, quod subditi possunt peccata principium secularium publica, auctoritate justitiæ punire & corripere, & hoc esset seditiosum & subversio omnis principatus temporalis. Amplius: superiores non habent ab inferioribus puniri, propter eorum negligentias in justitia ministranda aut regimine; & specialiter Ecclesiastici à laicis. Illorum enim defectus Dominus judicabit, & non populus terræ. Quod patet Isa. 3. ubi dicitur: *Stat ad judicandum Dominus*: quod ad Prælatos aut Sacerdotes hoc dictum sit, patet. Nam paulò post dicitur: *vos depaſti estis vineam meam, & rapina pauperis in domo vestra*, sic enim ad hoc propositum allegat Alexander illam auctoritatem. Idem patet Ezechielis 33. de speculatore enim dicitur: *Nisi insonuerit buccina, cum viderit gladium venientem, sanguinem pereuntis de manu sua requiram*, non populus terræ, sed ego, supple, Dominus. Hæc enim sunt verba Domini. Non habet ergò negligentias exigere populus ex auctoritate, de manibus Prælatorum aut Presbyterorum, sed Dominus, quamvis possit pro defectibus & negligentiis in officio, querimoniam superioribus

*Aug. contra Faustum Manichæum. lib. 2. c. 22. Tom. 6.*

Supra propositione quarta.

*2. Reg. 1.*

*Prov. 30.*

*Psalm. 71.*

*Prov. 19.*

*Isaiæ 10.*

*Daniel. 13.*

*Isaiæ 3.*

*Ezech. 33.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433. perioribus ipsorum Ecclesiasticorum deficientium, porrigere, ac pro peccatis personalibus eos monere fraternaliter, modo dicto in præcedenti conclusione.

Ex Novo Testamento. Deinde probatur conclusio testimoniis Novi Testamenti, & primo Matth. 26. dicit Salvator: *omnis, qui gladium acceperit, gladio peribit.* Ille verò dicitur gladium accipere, quia propria auctoritate justitiæ pœnas exercet. Unde Augustinus: *Ille gladium accipit, qui nulla superiori aut legitima potestate vel jubente vel concedente in sanguinem alicujus armatur*, ergò soli tales, non qui gladium accipiunt, quoniam gladio peribunt, sed quibus gladius à Deo datus est, habent peccata publica auctoritate justitiæ vindicare. Secundò Apostolus Roman. 13. dicit: *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Nam qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Post pauca subdit, *non sine causa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram, ei, qui malè agit.* Ex his patet, quod inferiores subdi debent potestatibus sublimioribus, & sic non habent de illis potestatibus justitiam facere: non enim habent gladium datum à Domino, sed princeps, qui Dei minister est, contra operantes malum. Si de facto faciunt, gladium accipiunt, & gladio peribunt, ut dicit Dominus. Tertiò, Apostolus reprehendit eos, qui judicant non sibi subditos. Dicit enim ad Rom. 14. *Tu quis es, qui judicas alienum servum? Domino suo stat aut cadit.* Nec potest dici, quod propter peccatum domini efficiantur subditi, dum tamen illud peccatum sit tantum personale, & non sit in fide, aut contra rempublicam, ad cujus custodiam, & fidei defensionem, ordinatum est dominium, sicut probatum est suprà. Quartò, 1. Petri 2. Petrus Apostolus: *Subditi estote omni humanæ creaturæ propter Deum*, specificando autem cui, subjungit, *sive Regi quasi præcellenti, sive ducibus quasi ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, quia sic est voluntas Dei.* Si dicatur, quod bonis parendum est, non malis; contradicit illud 1. Petri 2. *Servi subditi estote in omni timore Dominis vestris, non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis.*

Ex praxi Christi. Consequenter ex praxi Christi, Apostolorum & primitivæ Ecclesiæ: sic ex praxi Christi. Christus uni tantum, non omnibus dixit, scilicet Petro: *Pasce oves meas*, Joh. ultimo. Dans uni, non pluribus, universalem auctoritatem corripiendi peccata subditorum, & in virtutibus eos nutriendi. Item ex praxi Apostolorum. Petrus solus tanquam caput aliorum, divinam sententiam in Ananiam & Saphiram promulgat, quia defraudaverant de pretio agri, mentiti Spiritui sancto, ut habetur Actuum quinto; in quo patet, quod superior habet ferre judicium aut promulgare. Cæterum cum Symon Magus offerret pecuniam Apostolis, ut haberet potestatem dandi Spiritum sanctum, per impositionem manuum, solus Petrus, ut aliorum princeps, legitur eum corripuisse imperiosè dicens: *pecunia tua tecum sit in perditionem*, Act. 8. Præterea cùm Paulus percussus jussu Ananiæ summi sacerdotis Judæorum, dixisset: *percutiet te Deus, paries dealbate.* Et quidam astantium ei opposuisset, *sic summum sacerdotem, Dei maledicis?* Respondit: *Nesciebam, fratres, quia Princeps est Sacerdotum*, per hoc se excusans de maledicti pronunciatione, ostendens, quod superioribus non sunt maledicta inferenda, & multo minus corporales pœnæ per inferiores: De his Apostoli verbis habetur Actuum 23. Nec valet, quod Paulus restitit Petro in faciem: Nam habetur Gal. 2. *Cum venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat*, quia cum superior peccat in facto fidei, fit inferior in hac parte. Et subditi non lapsi, fient superiores, ut Thom. in 4. dist. 19. vel magis glossam sequendo dico, quod in defensione fidei Paulus fuit par Petro: dicit enim glossa super illo *Restiti enim in faciem, ut par*, ita dicit Richardus de media villa in quarto, dist. 19. In una responsione tangit aliam, quæ Thomæ videtur conformari in quarto, quod ubi imminet periculum fidei, inferior potest superiorem etiam publicè arguere, ut etiam dicit Thomas in 2. secun. immediatè suprà, sicut antè in fine quinti Corrolarii dictum est. Et hoc maximè dico verum esse, quando periculum est in mora, nec dilationem recurrendi ad superiorem periculum patitur. Ita dicit de paritate Petri & Pauli in defensione fidei Augustinus de Ancona, lib. de potestate Ecclesiastica. q. 7. art. 2. ad primum, ubi ostendit, quod Paulus fuit minor Petro, major, & æqualis. Minor quidem potestate prælationis, quia solus Petrus fuit Cephas, id est Caput totius Ecclesiæ. Major autem prærogativa electionis, quia electus fuit à Christo post resurrectionem & post glorificationem. Unde in Bulla Papæ, Paulus ponitur ad dextram. Æqualis in officio prædicationis, & fidei defensionis. In hac autem reprehensione fides defensionis tangebatur, quantum ad cessationem legalium, unde ad Gal. 2. post verba assumpta sequitur de Petro, *Non enim ambulabat ad veritatem Evangelii.*

Allego ultrà praxim Apostolicam, praxim, ut sic dicam Angelicam Michaelis Archangeli, qui dum cum diabolo de corpore Moysis altercaretur, noluit imperare, sed Domino imperandum reservavit. De hoc enim habetur in epist. Judæ: *Cum Michael Archangelus altercaretur cum diabolo de corpore Moysis, non est ausus judicium inferre blasphemiæ, sed dixit, imperet tibi Dominus:* si punitionem noluit Archangelus in diabolum, sine auctoritate superioris, scilicet Dei, exercere, sed Domino reservavit; cum

Digitized by Google

cum homines non ſint meliores Angelis, nec delinquentes pejores diabolo, vindictam malorum non debent exercere, ſed ſuperioribus reſervare.

Poſſet ex praxi primitivæ Eccleſiæ ſatis facile idem deduci per multa. Sufficiant autem duo exempla, quæ ſi non ſunt de prima primitiva Eccleſia, ſunt tamen de Eccleſia ſatis primitiva. Unum eſt Conſtantini Magni, de quo in 3. lib. hiſtoriæ tripartitæ dicitur, quod Epiſcopis inter ſe diſſidentibus & libellos famoſos contra ſe invicem Conſtantino offerentibus, ipſe ait: *Dominus conſtituit vos ſacerdotes, & poteſtatem dedit vobis de nobis judicandi, ideò nos à vobis rectè judicamur, vos autem non poteſtis judicari ab hominibus, propter quod inter vos Dei ſolius expectate judicium, & veſtra jurgia, quæcunque ſunt, ad illud divinum reſerventur examen, vos eſtis nobis dati Dii, & inconveniens eſt, ut homo judicet Deos, ſed ille ſolus, de quo ſcriptum eſt Pſalm. 81. Deus ſtetit in ſynagoga (a) deorum, in medio autem Deus dijudicat.* Aliud eſt exemplum de obedientia Theodoſii erga B. Ambroſium: ex quibus apparet principes ſeculares Chriſtianiſſimos judicibus Eccleſiaſticis paruiſſe, quanquam aliqui eorum mali eſſent, ſicut patuit in primo exemplo.

Ex praxi Eccleſiæ. *Conſtantinus.* *Pſalm. 81. (a) m. ſ. alter. Judæorum.*

Ex his autem, quæ in lib. conciliorum Iſidori habentur, probatur concluſio. In epiſtola Clementis Papæ ad Jacobum fratrem Domini de morte S. Petri dicitur: „ Epiſcopos à ſolo Domino, judicandos aut removendos, & non ab aliis eſſe dice„ bat, quia ſui ſunt & non alterius. Et quis eſt, qui alterius judices ſervum? Nam ſi „ ita non patiuntur homines, nec Deus Deorum, nec Dominus Dominantium, hoc „ nullatenus patitur". Item Evariſtus Papa, ut eodem lib. conciliorum Iſidorus narrat, decreto ſuo nono, ait: „ Non eſt itaque à plebe aut à vulgaribus hominibus ar„ guendus Epiſcopus vel accuſandus, licet ſit inordinatus, quia pro meritis ſubdito„ rum diſponitur à Deo vita iſtorum", & tranſſumptione habetur 2. q. 7. non eſt. Item ex decreto Alexandri primi in eo lib. conciliorum Iſidori dicitur: „ Relatum inſuper „ eſt ad hujus ſanctæ & Apoſtolicæ Sedis apicem, cui ſummarum diſpoſitiones cauſa„ rum, & omnia negocia Eccleſiarum, ab ipſo Domino tradita ſunt, quaſi ad caput, „ ipſo dicente principi Apoſtolorum Petro: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædi„ ficabo Eccleſiam meam. Quod quidem æmuli Chriſti ejuſque ſanctæ Eccleſiæ inſi„ diatores, ſacerdotes Dei ad judices publicos accuſare præſumant, cum magis Apo„ ſtolus Chriſtianorum cauſas ad Eccleſias deferri, & ibidem terminari præcipiat. „ Taliter prævaricantes prævaricati ſunt in Deum ſuum, & non obediunt præceptis „ ejus". Amplius in concilio generali Pariſienſi, & habetur in cap. nullius judicium, de for. compe. ſic fuit diffinitum: *Nullus judicum neque presbyterum neque diaconum, aut clericum ullum, aut minores Eccleſiæ ſine permiſſu Pontificis, per ſe diſtringere aut condemnare præſumat, quod ſi fecerit, ab Eccleſia Dei, cui injuriam irrogare dignoſcitur, tam diu ſit ſequeſtratus, quouſque reatum ſuum recognoſcat, & emendet.* Sunt tamen caſus ſpeciales, in quibus judex ſecularis poteſt eſſe judex clerici, quæ notantur per Oſtienſem & alios doctores in dicto capitulo, Nullus, de for. comp. Rurſus, quod dignitas Epiſcopalis ſit major Imperiali, exceptis temporalibus, quæ Epiſcopus ab eo recipit, declarat Innocentius tertius illuſtri Imperatori Conſtantino, in cap. ſolicitæ, de majoritate & obed.

*Clemens Papa ep. 1.* *Evariſtus ep. 2. habetur 2. q. 7. cap. non eſt, 1.* *Alexander Pontifex ep. 1.* *Matth. 16.* *De for. compe. cap. nullius. 1.* *Oſtienſ. de foro comp. cap. prædicto.* *De majoritate & obedientia cap. 6.*

ITem ex decretis SS. Patrum apparet concluſio. Primò, in decreto diſt. 10. dicit B. Gregorius Nazianzenus Imperatoribus Conſtantinopolitanis, quod etiam poteſtas tribunalium Regiorum, lege Chriſti ſubjecta eſt poteſtati Eccleſiaſticæ. Ideò non debent regulariter Eccleſiaſticorum delicta à principibus ſecularibus puniri. Et multò minus à populo vel aliis Chriſti fidelibus. Item 2. q. 7. cap. laicos, dicitur: *Laicos non accuſaſſe Epiſcopos, hactenus obſervatum & conſtitutum eſt, quia non ſunt ejuſdem converſationis, & oppido quidem eis infeſti exiſtunt.* Iterum 23. q. 5. c. Non fruſtra, dicitur ab Auguſtino ad Macedonium: *Non fruſtra inſtituta ſunt poteſtas Regis, jus cognitoris, ungulæ carnificis, arma militis, diſciplina dominantis, ſeveritas etiam boni patris, habent omnia iſta modos ſuos, cauſas, utilitates, rationes: hæc cum timentur, & mali coërcentur, & boni quieti inter malos vivunt.* In hoc patet, quod ad ſolam auctoritatem publicam pertinet peccata publica per juſtitiam punire.

*Gregor. Nazianz. in oratione ad cives Nazianzenos. di. 10. cap. 6.* *2. q. 7. cap. 5. laicos.* *23. q. 5. c. 18. Non fruſtra.* *Aug. ep. 14. ad Macedon.*

POſtremò auctoritatibus SS. Doctorum in lege divina veraciter ſe fundantium, probatur concluſio per Auguſtinum primò de Civit. Dei, & recitat Thom. in gloſſa ſuper Mat. 5. c. „ Audiſtis, quia dictum eſt antiquis: Non occides, qui autem occidit, „ reus erit judicio", dicit enim ſic. „ Nequaquam contra hoc præceptum fecerunt, „ qui autore Deo bella geſſerunt, ac perſonam gerentes publicæ poteſtatis, juſtiſſimæ „ rationis Imperio, ſceleratos morte puniverunt. Et Abraham non ſolum non eſt „ culpatus crudelitatis crimine, verum etiam laudatus eſt nomine pietatis, quod voluit „ filium, nequaquam ſceleratè, ſed obedienter occidere, hi ergò excipiuntur, quos „ Deus

*Auguſt. lib. de Civitate Dei, cap. 11.*

Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

„ Deus occidi juberet ſive lege lata, ſive ad perſonam pro tempore, expreſſa juſſio-
„ ne, non autem ipſe occidit, qui miniſterium dat jubenti, ſicut adminiculum gladius
„ eſt utenti": hæc Auguſtinus. Ex quo patet, quod ſolum ad habentem auctorita-
tem, ſive à lege, ſive ſpeciali juſſu Dei, pertinet pœnam per juſtitiam inferre. Item
idem ſuper Matth. eodem cap. dicit: *Non prohibetur vindicta, quæ fit per correctio-
nem, nec hæc ei conceditur, niſi ei, cui poteſtas ex ordine data eſt.* Rurſus idem primo
*Auguſt. ubi ſupra* de civitate Dei ait: *qui ſine aliqua publica adminiſtratione maleficium interfecerit, ve-
Auguſt. in quæſt Eva. lut homicida reputabitur.* Item idem ſuper Matth. v. cap. *officia vindictæ poſſunt bono
lib. 1. c. 20. animo impleri quomodo judex, & quomodo lex.* Præterea Greg. ſuper Deuter. 23. *Si
Tom. 4. intraveris ſegetem proximi tui, franges ſpicas, & manu conteres, falce autem non metes,
Deut. 23. Greg.* dicit, *falcem judicii mittere non poteſt quis in eam rem, quæ alteri videtur eſſe ſubjecta.*
Ex his patet probata concluſio, quod ſoli habentes auctoritatem à lege, aut à divina
voluntate, per inſpirationem ſeu revelationem cognita, aut ab aliquo illorum commiſſi
poſſunt licitè in quolibet ſtatu corrigere judicialiter ſubditorum ſuorum peccata mor-
talia publica. Ex quo patet, quod peccata puniri non poſſunt, niſi adſit juriſdictio,
& quia judicium humanum procedere debet ex manifeſtis, oportet, quod adſit con-
victio, oportet etiam, ut in primo puncto deductum fuit, quod fiat abſque turbatione
boni communis, Idcò oportet, quod ſit pax ſalva. His igitur tribus concurrentibus,
ex primo puncto, & ex iſto declaratis, ſcilicet juriſdictione, convictione, pace ſalva,
peccata publica ſunt punienda, aliàs non, niſi ubi majus ſcandalum oriretur ex diſſi-
mulatione punitionis peccata, quàm ex turbatione pacis Eccleſiæ, aut boni commu-
nis, ſicut etiam dictum fuit in primo puncto.

*Primum. Corollarium, Peccata publica perſonarum Eccleſiaſticarum à laicis non ſunt punienda, exceptis quibuſdam caſibus.*

EX hac concluſione infero primò, quod peccata publica perſonalia Prælatorum, Sacerdotum, & aliorum Eccleſiaſticorum Chriſti fidelium, per laicos non ſunt punienda, etiam ſecundum dictamen legis divinæ, per cohibitionem pœnæ, exceptis caſibus, etiam paucis infrà dicendis, in quibus nec eis liceret, niſi eſſet ab Eccleſia ſpecialiter conceſſum, hoc probatum erit, ſi fuerit oſtenſum, quod non ſunt laicis, quod ad ea, ſubditi, hoc autem ſic patet. Primò ante *legem ſcriptam*, ſecundò in *lege*, tertiò ſub *Evangelio.* Ante legem in regno Ægypti ſub Pharaone manifeſtum eſt Sacerdotes ab omni regali exactione fuiſſe liberos. Cùm enim omnes eſſent Pharaonis Imperio ſubjecti, & in ſervitutem ſubacti, ſola terra Sacerdotum permanſit libera, habetur Geneſ. 47. In lege verò non reperiuntur Sacerdotes populo eſſe ſubjecti, immò è contra. Nam diffinitio quæſtionum ad Sacerdotes pertinebat arbitrium,
*Geneſ. 47.*
*Deut. 17.* eique obediendum lex jubebat ſub pœna mortis. Deuter. enim 17. ſcriptum eſt:
„ Si difficile & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris, inter ſanguinem & ſan-
„ guinem, cauſam & cauſam, lepram & non lepram, & judicium inter portas tuas
„ videris verba variari, ſurge, & aſcende ad locum, quem elegit Dominus Deus
„ tuus. Veniensque ad Sacerdotes levitici generis, & ad judicem, qui fuerit pro il-
„ lo tempore, quæresque ab eis, qui judicabunt tibi judicii veritatem, & facies quod-
„ cunque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus", ſequitur paucis interpoſitis: „ Qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis Imperio, qui eo tem-
„ pore miniſtrat Domino Deo tuo, ex decreto judicis morietur homo ille": ſub Evangelio autem Sacerdotium liberum eſt ab omni poteſtate ſeculari, quantum ad eorum
*Matth. 17.* perſonas, maximè probatur per id Matth. 17. ubi Chriſtus interrogavit Petrum, *à quibus Reges accipiunt tributum, an à filiis, an ab alienis?* Reſpondit Petrus: *ab alienis:* Et Dominus, *ergo filii ſunt liberi*, per hoc intelligens Apoſtolos, diſcipulos, & eorum ſucceſſores eſſe liberos à ſubjectione temporali, unde quod ſolvit tributum, fuit ne ſcandalizaret exactores tributorum, ideò dicit, *ne ſcandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piſcem, qui primus aſcendet, tolle, & aperto ore ejus, invenies ſtaterem, illum ſumens, da eis pro me & pro te.* Ecce patet Eccleſiaſticas perſonas liberas eſſe à tributis, & aliis oneribus principum terrenorum. Auguſtinus au-
*Matth. 17. Auguſt. de quæſt. Evang. lib. 1. cap. 23. Hier. in t. 17. Matth.* tem, ut recitat Thomas in gloſſ. ſuper Matth. 17. cap. ſuper illo verbo. „ Ergò fi-
„ lii ſunt liberi, *ſic ait*, dicit Chriſtus in omni regno filios eſſe liberos, id eſt non eſſe
„ vectigales, multo magis liberi eſſe debent in quolibet regno terreno, ſcilicet filii
„ regni ipſius, ſub quo ſunt omnia regna terræ". Hieron. verò in eadem gloſſ. dicit
ſic. „ Dominus autem noſter, & ſecundum carnem, & ſecundum ſpiritum filius erat
„ Regis, vel ex David ſtirpe generatus, vel omnipotens patris verbum, ergò tributa
*Hæc habet Chryſoſt. hom. 59. in cap. Matth. 17.* „ quaſi Regum filius non debebat". Origenes autem ibidem ſic ait: „ Vide Chriſti
„ prudentiam, qualiter nec renuit tributum, nec ſimpliciter jubet dare, ſed prius oſten-
„ dit ſe non eſſe obnoxium, & tunc dat, quorum unum fecit, ſcilicet dare tributum,
„ ut illi ſcilicet exactores, non ſcandalizarentur. Hoc autem, quod oſtendit ſe libe-
„ rum, ut non ſcandalizarentur diſcipuli". Hæc Origenes. Ita ego dico Eccleſiaſticos liberos à ſubjectione populari, & omnium laicorum, quoad perſonas & actus eorum

per-

Digitized by Google

perſonales, præterquam in certis caſibus, in reſpondendo exprimendis, ut prius dictum eſt, & ut non ſcandalizem diſcipulorum Domini ſucceſſores, ſi putarem aliquos dicere velle: Sacerdotes Dei (quia revera ſunt medii inter Deum & populum: ex quo fit, ut dicantur os Dei, & os populi; Os Dei pro eo, quod mandata Dei populo exponunt; Os populi, quia preces offerunt & ſacrificia pro populo) ſubjectos eſſe quoad judiciariam punitionem cuilibet fideli Chriſtiano; laborarem auctoritates multiplicare; ſed quia hoc eſſe falſum judicandum puto, ſuperſedeo. Vile namque & captivum eſſet Sacerdotium, ſi indiſciplinatis & converſis ad terram laicis eſſet ſubjectum, nec aliud ſibi quàm dolendum eſſet ſuper flumina Babylonicæ confuſionis. Igitur ex quo ſubditi non ſunt laicis modo dicto, non ſunt ab eis taliter puniendi.

S. Æc. XV. Anno 1433.

*Corollarium ſecundum. Licet Chriſti fideles poſſent judicare Eccleſiaſticas perſonas judicio diſcretionis, non tamen damnationis.*

INferò ſecundò, quod licet quilibet Chriſti fidelis poſſet judicare judicio diſcretionis de peccatis publicis Sacerdotum, & aliorum Eccleſiaſticorum, tamen nullus eorum poteſt judicare judicio condemnationis & diffinitionis, ut eſt actus juſtitiæ de peccatis publicis perſonalibus eorundem, modo nuper expreſſo. Prima pars à proponente videtur concedenda, & eſt nota ſatis. Nam tale judicium non prohibetur de proximo, aut de ſuperiori. Secunda pars patet ex hoc, quod tale judicium non debet fieri, niſi de inferioribus: oſtenſum eſt autem, quod Sacerdotes non ſunt inferiores Chriſti fidelibus laicis, igitur, &c. Audite, quid dicat Joannes Chryſoſtomus ſuper Matth. in opere imperfecto, Homilia 43. Et loquitur popularibus, Homilia quippe eſt ſermo ad populum: „ Vos, *inquit*, qui ſedetis in Eccleſia quaſi Sacerdotum judices, & „ non auditores, aliena diſcutientes, & propria non conſiderantes, ex vobis ipſis ju- „ dicate de Sacerdotibus: ſicut vos omnes auditis, & non omnes facitis, quod audi- „ tis; ſic Sacerdotes omnes docent, & non faciunt, quod docent. Nam in homini- „ bus dignitas quædam diverſa eſt, omnium autem natura una eſt; homines enim ab „ initio creati ſunt propter ſe, poſtea autem Sacerdotes ordinati ſunt propter vos; „ propterea natura eorum, ipſorum eſt, Ordinatio autem eorum, veſtra; unde, ſi be- „ nè vixerint, lucrum eſt eorum, ſi benè docuerint, veſtrum. Accipite ergò, quod „ veſtrum eſt, & nolite diſcutere, quod alienum eſt. Sicut enim Sacerdotes etiam „ infideles docent propter fideles; melius judicantes, propter bonos etiam malos „ fovere, quàm propter malos etiam bonos negligere: Sic ergò vos, propter bonos „ Sacerdotes, etiam malos honorate, nec etiam propter malos, bonos contemnatis. „ Melius eſt enim juſta præſtare malis, quàm bonis juſta ſubtrahere, frequenter enim „ & de malo homine bona doctrina procedit. Ecce enim & vilis terra precioſum au- „ rum producit. Nunquid propter vilem terram precioſum aurum contemnitur? Non. „ Sed ſicut aurum eligitur, & terra relinquitur; ſic & vos ſuſcipite doctrinam, & „ mores relinquite". hæc Chryſoſtomus. Apparet ex iſta auctoritate, quod de moribus non habent judicare. Nam propter peccata perſonalia Sacerdos non redditur par aut inferior laicis. Cæterum idem Chryſoſtomus ſuper Joanne, Morali ſeu Homelia 85. ſic inquit: „ Nunc non eſt dicere, ſuper Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ „ & Phariſæi; ſed ſuper Cathedram Chriſti ſederunt Sacerdotes; Ejus enim accepe- „ runt doctrinam. Idcircò Apoſtolus ait: pro Chriſto legatione fungimur: Non vi- „ detis in his quæ foris ſunt principibus, univerſos curvantes, & genere meliores exi- „ ſtentes, multotiens etiam vita & prudentia, his, qui judicant eos; ſed tamen pro- „ pter eum, qui dedit judices, nihil horum excogitant, ſed veherantur ſententiam „ Regis; & ſi quicunque abjectus fuerit, qui acceperit principatum, demum ſi, ubi „ homo inthronizavit, tantus eſt timor, ut inthronizato obediamus; inthroniſante „ Domino, contemnemus eum, qui inthroniſatus eſt, & conviciabimur, & decem „ millibus opprobriis laniabimus, & fratres noſtros prohibiti judicare, adverſus Sacer- „ dotes linguam exacuemus"? Ecce arguit Chryſoſtomus à majori: populares Chriſtianos non debere judicare magiſtros, qui prohibiti ſunt judicare fratres ſibi pares. Quoniam dicit Dominus, Matth. 7. *Nolite judicare, ut non judicabimini*, unde improperando tale judicium præſumptum vel uſurpatum à populo, quod ei non convenit de Sacerdotibus, dicit idem Chryſoſtomus ſuper 2. epiſt. ad Timoth. Hom. 2. & ait: „ Si debemus examinare vitas principantium, ipſi debemus eſſe „ inthronizatores magiſtrorum, & quæ ſurſum, inferius fient, ſurſum pedes, infe- „ rius caput". Et idem 3. Dialogorum, „ & quidem, *inquit*, Sacerdotes in Veteri „ Teſtamento habebant poteſtatem non curandi, ſed oſtendendi tantum eos, quos „ conſtabat fuiſſe mundatos, & noſti quantum ibi imminebat labor: at hi, ſcilicet in „ Novo Teſtamento, non corporis lepram, ſed immunditiam mentium, non ex par- „ te probandi, ſed omnifariam mundandi obtinent poteſtatem; propter quod, qui „ deſpiciunt, magis mihi rei, quàm Dathan & Abyron videntur, dignique majori ſup- „ plicio, quàm illi". Nec valet, quod diceret aliquis, Dominus Majeſtatis, Chriſtus Jeſus, conceſſit populo Judæorum judicare de vita & operibus ejus: dicit enim Joan. 10.

*Joan. Chryſoſt. in opere imperfecto in Matth. hom. 43.*

*Chryſoſt. in Joan. hom. 85.*

2. Cor. 5.

Matth. 7.

*Chryſoſt. hom. 2. in ep. ad Tim. 2. circa medium.*

*Rurſus Chryſ. de Sacerdotio. lib. 3.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

*Si non facio opera patris mei, nolite mihi credere*, quomodo ergò non potuerunt Christi fideles de suis ministris judicare, quibus de Domino hoc licuit? Hoc, inquit, non valet; Nam Dominus non dixit: Si non facio opera patris mei, judicate me, sed dixit, *nolite mihi credere.* hæc opera erant miracula, quæ sunt testimonia veritatis, prædicationis & doctrinæ. Concessit ergò Christus, ut propter miracula mundi crederent, non ut vitam cum operibus judicarent: Propterea B. Gregor. in pastorali lib. 3. cap. 5. ait: „ Admonendi sunt subditi, ne præpositorum suorum vitam temere judicent, si „ quid fortasse eos agere reprehensibiliter vident, ne unde rectè mala redarguunt, in- „ de per elationis impulsum in profundiora mergantur, admonendi sunt, ne cum cul- „ pas præpositorum considerant, contra eos audaciores fiant; sed si qua valde sunt „ eorum prava, apud semetipsum dijudicent, ut tantum divino constricti amore, ferri „ sub eis jugum reverentiæ non recusent: quod melius ostendimus, si David factum, „ ad medium deducamus: Saul quippe persecutor, cum ad purgandum ventrem spe- „ luncam fuisset ingressus, illic cum viris suis David inerat, qui jam longo tempore „ persecutionis ejus mala tolerabat; cumque viri sui ad feriendum eum accederent, „ fregit eos (a) rationibus, dicens: Quia manum in Christum Domini mittere non „ auderet; qui tamen occultè surrexit, oramque chlamydis ejus abscidit. Quid per „ Saul, nisi mali rectores, quid per David, nisi boni subditi designantur"? Post multa dicitur: „ Post hoc, David percussit cor suum, eo, quod abscidisset oram chla- „ mydis Saul; facta quippe præpositorum oris gladio ferienda non sunt, etiam cum ra- „ tione reprehendenda judicantur: Et si quando contra eos, vel in minimis lingua la- „ bitur, necessè ut per afflictiones pœnitentiâ cor prematur": Ecce, quod etsi judicio discretionis de manifestis judicare possint inferiores, non tamen judicio condemnationis aut diffinitionis, quæ est actus justitiæ. Et hoc est, quod dicitur 25. Moral. cap. 21. super illo Job: „ Qui regnare facit hominem hypocritam, quia, *inquit*, recto- „ res habent judicem suum, magna cautela subditorum est, non temerè vitam judica- „ re regentium; neque enim frustra per semetipsum Dominus æs nummulariorum fu- „ dit, & Cathedras vendentium columbas evertit, nimirum significans, quia per ma- „ gistros quidem judicabat vitam plebium, sed per semetipsum facta judicat & exa- „ minat magistrorum.

(a) *pro rationibus, exemplaria impressa habens, responsionibus.*

*Greg. 25. mor. cap. 21.*

*Corollarium 31. Propter malitiam Ecclesiasticorum sive laicorum quis licitè ab unitate Ecclesiæ recedere.*

TErtiò infero, quod propter malitiam nonnullorum, sive Ecclesiasticorum, sive laicorum, non potest licitè se aliqua natio ab unitate totius residui orbis Christiani separare, putans se Ecclesiam esse. Hic duo dicuntur, Primum, quod non est putandum, quod Ecclesia Catholica sit in unica Regione. Secundum, quod una natio se ab aliis dividere non debet, propter multorum peccata publica. Primum patet sic. Arguit B. Augustinus primo lib. contra epistol. Parmeniani, dixit enim Dominus Abrahæ: *In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ*, & Isaac: *in semine tuo benedicentur omnes gentes terra, pro eo, quod audivit Abraham pater tuus vocem meam:* ad Jacob dixit? *Ego sum Deus Abrahæ patris tui, & Deus Isaac, ne timeas; terram enim, in qua dormis, tibi dabo & semini tuo, & erit semen tuum tanquam arena maris, & replebitur in mare, & in Africam, & in Aquilonem, & in Orientem, & benedicentur in te omnes tribus terræ in semine tuo.* Et ne de Judæis dictum putetur, quod sit semen Abrahæ, in quo benedicendæ sunt omnes gentes, Apostolus exponit, dicens: *Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini ejus, non dicit, & seminibus, tanquam in multis, sed tantum in uno, & semini tuo, qui est Christus.* In Christo ergo omnes gentes benedictionem habituras, tanta auctoritate promissum est, tanta exhibita veritate; & non pudebit dicere, ad pugillum orbis illam diebus his esse coarctatam? hæc Augustinus. Porrò, sicut Augustinus arguit, Dominus in parabola zizaniorum ait, quod paterfamilias seminat bonum semen in agro, Exponens autem illam, ipse ait: *Qui seminavit bonum semen, est filius hominis, Ager est mundus, Bonum semen hi sunt filii regni, zizania verò sunt filii nequam.* Ergò Christus, filius regni, posuit illud in agro, id est, mundo, non in aliqua portiuncula terræ, aut in Affrica, ut arguit Augustinus in fin. primi lib. contra epistolam Parmeniani: sed in toto orbe, ab ortu solis usque ad occasum: hoc Dominus veritatis declarat, Matth. 24. *Si quis vobis dixerit, ecce hic est Christus*, id est, in ista parte mundi, *aut illic*, supple, est fides Catholica: *nolite credere, si dixerint vobis, ecce in deserto est*, hoc est, in dogmate Philosophorum, *nolite exire*, scilicet à fide Ecclesiæ, *si dixerint, in penetralibus est*, id est, in doctrinis occultorum hæreticorum, *nolite credere.* Est ergò fides Catholica post ejus publicationem sicut fulgur, quod patet ab oriente in occidentem. Sic enim exponit B. * Augustinus de quæstionibus Evangelistarum, dicens: quod orientis & occidentis nomine, totum orbem voluit significare, per quem futura erat Ecclesia. Isidorus lib. de summo bono, 16. cap. dicit: *Sancta Ecclesia ideò dicitur Catholica, quod universaliter per omnem mundum sit diffusa, Hæreticorum enim Ecclesiæ in partibus mundi coarctantur:*

*Eodem lib. cap. ult.*

*Matth. 24.*

**Aug. de q. Evang. lib. 8. cap. 38.*

*S. Hieron. hat verba prout etiam recitat S. Thom. in gloss. super caput 20. Matth.*

*Isidorus de summo bono cap. 26.*

Digitized by Google

*tur: hæc verò in toto orbe diffusa expanditur.* Idem 8. lib. Etymolog. *Ecclesia græcè* SÆC. *dicitur convocatio, latinè Catholica dicitur universalis.* Eandem sententiam habet XV. Honorius super illo, Cant. 4. *Duo ubera tua sunt duo capreæ gemelli, qui pascuntur* ANNO *in liliis.* Eandem Augustinus de fide ad Petrum. Patet ergò prima pars Corollarii: 1433. Secunda, quod natio non se debet dividere à reliqua parte orbis, propter peccata publica multorum, satis fuit in primo puncto deducta. Et hoc propter peccata particularia, & non fidem concernentia; unde quamvis sine periculo schismatis boni à malis recedere non possint corporaliter, debent corporali præsentia manere, recedere verò spiritu, ne scilicet peccatis malorum consentiant. Sic enim Apostolus dicit ad Philip. 2. „ Omnia facite sine murmurationibus & hæsitationibus, ut sitis sine que- „ rela, & simplices filii Dei, sine reprehensione in medio, nationis pravæ atque per- „ versæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes". Augustinus super verbo Joan. & habetur 23. q. 4. dicit: „Quid ergò vult Dominus noster „ Jesus Christus, fratres mei, admonere Ecclesiam suam, quando unum perditum, „ scilicet Judam, inter duodecim habere voluit, nisi ut malos toleremus, ne corpus „ Domini dividamus? Ecce inter Sanctos suos est Judas, ecce fur Judas, & ne con- „ temnas, fur sacrilegus, non qualiscunque fur, sed loculorum Dominicorum, sed „ sacrorum.

*Isidorus lib. 8. cap. 1. Honorius. Aug. de fide ad Petrum cap. 3. 37. 45. Philip. 2. Aug. tract. 50 in Joa. habetur 23. q. 4. c. 3. Quid.*

INfero quartò, quod Ecclesia militans non est pro communi statu, absque mixtura malorum cum bonis, sed hoc proprium est Ecclesiæ triumphanti, quod tamen sentire videntur, qui tam rigidè, non salvo ordine juris, nec pace proposita, omnia mala publica volunt de communitatibus Christianorum, & in quolibet statu, propellere. Patet corollarium per Augustinum, 3. lib. contra epistol. Parmeniani, dicentem: „ Inter omnia, quibus eorum sacrilegus tumor apparet, nullo se loco magis aperuit, „ quàm in eo, quod ausus est etiam illud Jeremiæ Prophetæ ponere, ut persuaderet „ hominibus communionem Donatistarum, non solum Ecclesiam veram esse, sed etiam „ talem jam hoc tempore, qualis post ultimam ventilationem Ecclesia sancta futura est". Verum illud Jeremiæ fuit, *quid paleis ad triticum?* dicit sic Augustinus de Parmeniano & complicibus „considerent, si in eis inest qualiscunque sensus humanus, nunquid „ in agro dici potest: quid paleis ad triticum? quando in eadem radice portantur? nun- „ quid in area, ubi pariter triturantur? sed utique in horreo, quid paleis ad triticum? „ veniet ille pater familias ferens ventilabrum in manu sua, & mundabit aream suam, „ frumenta recondet in horreum, paleam verò comburet igne inextinguibili. Nam „ per aliam similitudinem omne triticum ovium nomine, & omnis palea hædorum „ nomine significatur, quæ duorum pecorum genera sub uno pastore pascuntur: sed „ veniet filius hominis cum Angelis suis, & congregabuntur ante eum omnes gentes, „ & separabit eos ab invicem, sicut pastor separat oves ab hædis, &c. tunc implebitur „ Prophetia, quid paleis ad triticum? quando non poterunt pascua esse communia hædis & ovibus": Ipse etiam idem Augustinus Donatistis ita respondit ad propositum in tractatu Psalm. „ Suspicamini quid vultis de nobis, si boni sumus, in Ecclesia „ Christi, frumenta sumus: Si mali sumus in Ecclesia Christi, palea sumus, tamen ab „ area non recedimus, tu qui vento tentationis foras volasti, quid es? triticum? non „ id tolleret ventus ex area. Ecce ergò, ubi es, agnosce quid es". Et infrà: „quid „ autem simus, ille novit, ad quem gemimus; de malis tamen dictum est, illud: super „ Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, quæ dicunt, facite, quæ autem fa- „ ciunt, nolite facere. Vides, quod in Cathedra Moysi, cui successit Cathedra Chri- „ sti, sedent & mali; & tamen dicendo bona, non obsunt auditoribus: quare tu pro- „ pter malos istam Cathedram dimisisti? Redi ad pacem, redi ad concordiam, quæ „ te non offendit: si bona loquor, & bona facio, sequere me: si autem non facio, „ quod dico, habes consilium Domini, quod dico fac, quod autem facio, noli facere; „ tamen à Cathedra Catholica noli discedere": hæc Augustinus. Non nisi in Ecclesia est salus, quod testatur Remigius super illo Matth. 21. *Accesserunt ad eum*, scilicet Christum, *cæci & claudi in templo, & sanavit eos*, dicens: *Quod in templo sanantur, significat, quod homines non nisi in Ecclesia sanari possunt, cui data est potestas ligandi atque solvendi: tamen in Ecclesia sunt cæci & claudi.* Ubi Origenes: *In templo enim Dei, id est, in Ecclesia non sunt omnes videntes, neque rectè ambulantes. Sed alii quidam sunt cæci, alii autem claudi. Qui ex eo, quod intelligunt propriam cæcitatem, & scientes, quia nullius est opus, nisi Christi Jesu, ut sanentur, accedentes ad verbum Dei sanantur:* hæc ille. Et habentur in glos. Thomæ, Matth. 21. ubi suprà: hæc dicta sunt, ut ostendatur veritas tenenda circa propositum articulum, de punitione peccatorum publicorum, & falsitas respuatur, ut appareat æquivocatio, & multiplicitas compositionis & divisionis in illa, & evolutio harum volutionum. Articulus enim fuit iste. *Peccata mortalia publica, & quantum rationabiliter fieri potest privata, aliæ-*

*Corollarium 4. Ecclesia militans non est pro communi statu, absque mixtura malorum cum bonis. Aug. lib. 3. contra epist. Parm. c. 2. Hierem. 23. Matth. 25. Psalm 36. Matth. 23. In Catena S. Thomæ, Matth. 21. Origenes tractatu 15. in Matth. 21.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

*que deordinationes legi Dei contrariæ, in communitatibus Christianorum, & quolibet statu eorum, debita juxta dictamen divinæ legis, per Christi fideles, tam spirituales, quàm seculares, prout congruit utrisque, sunt cohibenda, corripienda, castiganda & pro posse ab eisdem propellenda.* Primò enim id complexum, *quantum rationabiliter fieri potest*, potest determinare cohibitionem, correctionem, &c. peccatorum publicorum & privatorum, ut sit sensus, peccata publica & privata, aliæque deordinationes legi Dei contrariæ, sunt cohibenda, corrigenda, castiganda, &c. quantum rationabiliter fieri potest. Certè iste sensus judicio meo esset verus. Vel potest determinare cohibitionem, correctionem, castigationem, &c. peccatorum privatorum, ut sit sensus, quod publica sunt cohibenda, corrigenda, & peccata privata sunt etiam cohibenda, quantum rationabiliter fieri potest, &c. & iste est falsus, quantum ad peccata publica, quia ponit omnia esse cohibenda, corripienda, &c. simpliciter, & sine restrictione; in moralibus enim indiffinitæ universalibus æquivalent, simpliciter autem & sine restrictione dicere, omnia peccata publica esse cohibenda, corrigenda, corripienda, &c. ostensum est in primo puncto, esse falsum, si de cohibitione, correctione, &c. loquatur, quæ fit auctoritate justitiæ. Si verò de cohibitione, correctione, &c. fraterna loquimur; sic privata, dum tamen ad notitiam alicujus venerint, sunt corripienda, &c. sicut & publica specialiter personalia: nec oportuit apponere illam restrictionem, *quantum rationabiliter fieri potest*, ad peccata privata magis, quàm ad publica. Secundùm istam variam determinationem potest esse compositio aut divisio, ut sciunt Logici. Præterea circa hoc, quod dicitur, *juxta dictamen divinæ legis*, immorandum aliqualiter: Quare omittitur mentio legum humanarum, quæ sunt licitæ, & regulant hominem (a) judicem, quasi regula homogenia, & propria: nullus enim, qui veritatem agnoscit, ambigit, quin lex humana habeat vim obligativam à lege Dei. Sed quare omittitur sermo de lege humana, non benè video, nisi quod proponens intendat tam spirituales, quàm seculares, omnia per solam legem divinam, recturos esse, & disposituros, quantum concernit punitionem vitiorum; & leges humanas, quantum ad hoc, non esse necessarias aut utiles, falsum esse monstratum est, & tamen visum est, quomodo punienda sunt peccata publica, lege divina, in primo puncto. Item in articulo hoc complexum, *prout congruit utrisque*: licet in superficie rationabiliter positum videatur, est tamen obscurum: per hoc enim nescitur, quomodo aut seculares, aut spirituales habeant peccata corrigere, arguere, cohibere: per prædicta tamen satis arbitror ostendisse veritatem. Denique circa illud, quod dicitur, *sunt cohibenda, corripienda, castiganda, & pro posse ab eisdem propellenda*, latet æquivocatio. Nam cohibitio, correctio, castigatio, & propulsio possunt dicere actus correptionis fraternæ vel judiciariæ. Item ly *pro posse*, determinare omnia ista quatuor participia, *cohibenda, corrigenda, castiganda, & propellenda.* Aut solum ultimum, scilicet *propellenda:* & hoc magis propriè, quia in eadem cathegorica ponitur. Si dicant, actus correctionis fraternæ, sive hoc, quod dicitur, *pro posse*, determinet omnia quatuor participia, sive solum ultimum; videretur sensus, quoad hoc esse verus, nisi fortè fieret vis de peccatis infidelitatis, aut aliter rem publicam directè turbantibus, & populum Christianum, sicut patuit in prima conclusione, secundi puncti. Si dicant, actus correctionis judiciariæ, & ly *pro posse*, determinet omnia quatuor participia; sic non benè video, quomodo possit articulus habere veritatem, quoad hoc, cum seculares nihil habeant jurisdictionis in Ecclesiasticas personas. Si determinet ultimum solum participium, *propellenda*; simpliciter falsus est articulus, quoad *prima participia cohibenda, corrigenda, castiganda.* Nam falsum est, ut ostensum est in secunda conclusione primi puncti, seculares seu laicos habere auctoritatem judiciariam, cohibendi, arguendi & castigandi peccata publica sacerdotum, specialiter personalia. Secundùm ista patet, quomodo verus est, & quomodo falsus erit articulus propositus.

(a) *Alterum exemplar pro judicium, habet, indirectè.* CAN.

Patet etiam circa primum corrollarium eadem ambiguitas, quantum ad secundam partem, ubi dicit *per spirituales & seculares rectores in eorum officiis, modis ipsis congruentibus, in communitatibus Christianorum, & quolibet statu eorum, sunt cohibenda, corripienda, castiganda, & pro posse ab eisdem propellenda.* Pro prima parte est verum, in qua dicitur, deordinationes & peccata mortalia antedicta, cum sint prohibita sub pœna damnationis æternæ, propter nulla lucra mundi sunt defendenda & fovenda: absit autem à piis fidelium mentibus, ut aliqua mortalia foveant aut defendant, licet tolerent aliqua, vel permittant per cohibitionem pœnæ impunita.

Secundum corrollarium, quia expressè de cohibitione, correctione, castigatione, & propulsione fraterna, quæ fit ex lege caritatis, loquitur, verum est, nisi de peccato infidelitatis, aut alio Ecclesiam aut rempublicam conturbante, fieret exceptio. Et in casu, ubi mora esset facienda, quia in tali casu omissa secreta admonitione, esset ad publicam denunciationem procedendum, ad vitandum periculum, ut determina-

Digitized by Google

minatum est in secundo puncto. Est enim corrollarium hoc in forma: *dicta peccata & deordinationes in communitatibus Christianorum, & quolibet statu eorundem, non solum per rectores prædictos, sed per omnes generaliter Christi fideles, tam spirituales quàm seculares, debitè modis ipsis congruentibus, ex zelo caritatis, sunt corrigenda, corripienda, castiganda, & pro posse ab eisdem propellenda, & nullo modo defendenda aut facienda.* SAC. XV. ANNO 1433.

Tertium corrollarium est in forma: *Peccantibus rectoribus tam spiritualibus, quàm secularibus, vel aliis cum suis status superioribus, subditi fideles licitè possunt illos, vel malitiam eorum caritativè arguere, hypocrisim eorum detegere, & eorum manifestis sceleribus, etiam coram aliis publicè contraire.* Istud quoad primam partem, quæ loquitur de reprehensione fraterna superiorum, est verum; sed quantum ad secundam partem, quod hypocrisim eorum possint subditi detegere, & eorum manifestis sceleribus contraire coram aliis: si intelligitur coram suis superioribus, verum adhuc est; sed si intelligitur coram non superioribus, sicut magis apparet ex aliquibus sequentibus, est falsum, & ostensa est falsitas in secundo puncto. Inferior enim non habet peccatum sui superioris denunciare, nisi superiori illius, ut cum secreta monitio non sufficit, per medium denunciationis veniatur de correctione fraterna ad paternam: sed nec habet suum superiorem accusare, nisi coram judice suo, nec ideò hoc debet facere, id est, dicere peccata superioris coram populo, ut ille verecundiam habeat, & resipiscat à malo. Nam ipsum infamare est malum, & non sunt facienda mala, ut bona eveniant, dicit Apostolus: etiam, quia per hunc modum citius tolleretur ab eo verecundia, ex quo enim esset infamatus, perdita esset verecundia, quæ secundùm Aristotelem, est timor ingloriationis. De hac materia satis extensè dictum est; videtur etiam seditionem inducere, &c. *Roman. 3.* *Arist. lib. 4. Eth. cap. 9.*

Quartum corrollarium in forma: *quanta mala sunt in communitatibus, & rectores, Domini temporales, Scabini, judices, sive pastores, consequenter & omnes generaliter Christi fideles, tam spirituales, quàm seculares, talia conatibus mediis ipsorum concernentibus neglexerunt arguere & prohibere, pro peccatis delinquentium gravissimam reddent rationem.* Istud corrollarium est valdè multiplex; si intelligatur de rectoribus & pastoribus, quoad suos subditos, referendo singula singulis, credo corrollarium esse verum. Si fiat permutatio subditorum, ut per hoc intelligatur Scabinos & judices seculares, quia non cohibuerunt, correxerunt, &c. potestate judicaria Ecclesiasticos; falsum est, ut patuit in secundo puncto. Si intelligatur de cohibitione etiam fraterna, est verum; si tamen neglexerint corrigere illo modo, tempore, quo correctio fraterna obligat, quoad fideles non judices: si de judiciaria potestatis neglectione loquatur Corrolarium, falsum est: quod si de fraternæ correctionis neglectu intelligitur, verum est, modo, ut statim dicam. Hæc de secundo puncto. *Corollarium quartum. Gravem reddent rationem negligentes correptionem quovis modo.*

QUantum ad tertium punctum, ut uno ordine respondeam ad rationes proponentis, veritas ipsa ostendenda est contraria aliquibus dictis ipsius. Primum dictum est ejus, etsi non in forma, tamen in effectu & sententia: *Absolutiones à pœna & à culpa fictæ sunt, & per Papam fiunt venales, & indulgentiæ non sunt in lege Dei fundatæ.* Pauca dicenda sunt de absolutionibus à pœna & à culpa: ex isto, quod iste non est communis modus concedendi absolutiones à Summo Pontifice: & si aliquæ Bullæ sub tali forma dentur, surreptitiè creduntur impetratæ, ideò, quia curia Romana hunc stilum communiter non habet: dicunt enim communiter omnes Doctores, Magister sententiarum 18. dist. 4. Guillelmus Altisiodorensis, in summa. Doctor S. scilicet Thomas, Bonaventura, Scotus & Richardus de Media Villa, quod solus Deus culpam remittat principaliter. Sacerdos autem vi clavisum solum ad hoc agit, aut per modum instrumenti animati, ad hoc gratiam non attingendo, sed ad eam disponendo, ut dicunt aliqui, aut ex pacto divino, ut alii loquuntur; & ideò non potest Summus Pontifex à culpa absolvere, vi clavium, nisi sicut cæteri sacerdotes subditos suos, hoc est, ad hanc remissionem per applicationem clavium disponere, illam ostendere esse à Deo factam, partem pœnæ temporalis remittere, &c. ut habent Doctores. Sed interdum Summus Pontifex concedit ex rationabili causa plenariam omnium peccatorum Indulgentiam, aut relaxationem alicujus partis injunctarum pœnitentiarum, & ad hoc, quantum ad plenariam peccatorum Indulgentiam, intelligo, salvo judicio meliori, Indulgentiam pœnarum pro peccatis debitarum Ad hunc enim sensum dicitur, quod sacerdos dimittat peccata, & etiam eo modo, de quo dictum est. De venalitate autem, & aliis excessibus factis, non est opus aliquid dicere, nisi quod tollendæ sunt.

Quantum verò ad Indulgentias, ostendo, quod sunt fundatæ in lege Dei, ad quod deducendum, supponendum est, quod Indulgentia dicit relaxationem pœnæ debitæ, sed quia oportet, ut salvetur divina justitia, & qui peccavit, quia debitor est, solvat, *Indulgentiæ.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

vat, & ut alius satisfaciat pro eo, per Indulgentiam pœna peccatorum relaxatur, ex hoc, quod merita alterius illi applicantur: Ergò pro Catholico dicere oportet in Ecclesia esse thesaurum meritorum Christi, & Ecclesiæ & Sanctorum. Christus enim per suam passionem non tantum satisfecit pro culpa primi parentis, sed etiam sibi meruit exaltationem, non in se, sed in hominum fide & devotione, & proprii corporis glorificatione, & nomen, quod est super omne nomen, juxta verbum Apostoli ad

*Philip. 2.* Philip. 2. *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, propter quod Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium & infernorum.* Secundùm quod Doctores declarant in 3. sententiarum pulcherrimè: meruit etiam nobis januæ cœlestis apertionem. Passio enim ejus, quia à divino suppositò fuit exhibita, & à voluntate ejus accepta, fuit infinitè bona. Ideò excessit debitum, quo Adam erat obligatus pro peccato suo. Illud verò, quod ultra debitum solutum est, remanet in thesauro Ecclesiæ. Ecce principaliter radicem thesauri ex abundanti merito passionis Christi, de quo

*1. Joan. 2.* scriptum est 1. Joan. 2. *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum, ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed pro totius mundi.* Fides etiam Ecclesiæ & caritas ejus, merentur multum. Sancti præterea, qui supererogaverunt his meritis, cumulaverunt & merita, & hi omnes in Gazophylacio spirituali Ecclesiæ reposuerunt: ex his ergò constat meritorum Ecclesiæ

*Eccles. 1.* thesaurus, secundum quod scriptum est Eccles. 1. *Sapientia & disciplina, timor Domini, & quod beneplacitum est illi, fides & mansuetudo, adimplebit thesauros illius.* Jam in paucis videtis id, unde fit Indulgentia, etiam in lege Dei veraciter fundatum.

*Indulgentia.* Rationem autem, cur fieri debeat Indulgentia, audite. In communitatibus humanis & policiis thesaurus publicus propter duo solet erogari. Primum est, propter prin-

*Hester. 1.* cipis gloriam & honorem, ut faciunt reges curiales, & fecit Rex Assuerus, Hest. 1. Secundum, propter communitatis necessitatem, vel utilitatem. Nam quando læditur communitas, stipendia & donativa proferuntur militibus pro ea pugnaturis, Simili modo thesaurus Ecclesiæ ab his, qui habent eum dispensare, duplici causa debet erogari, primo propter Dei gloriam & honorem, qui per multa relucet in Sanctis ejus, honorantur autem Sancti in constructione Basilicarum, & commemoratione virtutum suarum, per sermones & prædicationem sanctam. Secunda causa propter communem utilitatem Ecclesiæ, ut est defensio Terræ Sanctæ, defensio fidei, & similia: pro istis causis in genere thesaurus Ecclesiæ per indulgentias communicatur. Verùm non à quocunque, nec cuicunque, nec pro quacunque causa distribui potest, aut debet.

*Conditiones Indulgentiis annexæ.* Sed sub tribus conditionibus communiter à Doctoribus assignatis. Prima, quod sit in conferente auctoritas: secunda, quod sit in suscipiente caritas. Tertia, quod sit in causa pietas: non restat nunc aliud ostendere, quàm quod auctoritas conferendi sit in lege Dei fundata: auctoritas illa competit universaliter Summo Pontifici, sive sit bonus, sive malus, dum tamen ab Ecclesia toleretur. Nam non ex vitæ merito confert Indulgentias, sed ex potestate. Aliis, quibus datum est, conceditur specialiter hujusmodi distribuere Indulgentias. Dico igitur, quod potestas Summo Pontifici conveniens generaliter, & inferioribus particulariter, fundatur in hoc passu scripturæ Matth. 16. ubi Dominus loquitur Petro illam glorioſam confessionem facienti, cum

*Matth. 16.* dicit: *Tu es Christus filius Dei vivi.* Cui dixit Dominus: *Tibi dabo claves regni cœlorum*, dum subdit, *quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Si intelligere vellet aliquis solùm de absolutione peccatorum, & ligatione pœnæ satisfactoriæ, hoc improbatur à Magistro sententiarum in quarto, & ab omnibus Doctoribus, & etiam à proponente hunc articulum, quoniam auctoritas vindicandi, excommunicandi, competit prælatis Ecclesiæ: nec hoc negat proponens, licet multos excessus narraverit, & illa auctoritas specialiter ibi fundatur, ut dicunt Magistri & doctores: ostendo tamen, quod illud, *quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque solveris, &c.* non solum ad potestatem clavium in foro conscientiæ aut contentioso, sed ad multa alia extendatur. Primò Ecclesia Bibliam pro canonica & sancta Scriptura acceptavit, & talem declaravit: quatuor Evangelia secundùm Matthæum, Marcum, Lucam, & Joannem autenticavit, non aliorum Apostolorum, aut discipulorum, ut Nicodemi. Item Bibliam innovatam per Esdram Scribam ipsa Ecclesia recepit: ab eadem translatio Hieronymi, aliis prætermissis, acceptata est. Eâdem Auctore glossa ord. super Bibliam, libri etiam beatorum Augustini, Hieronymi, Gregorii, Ambrosii, auctoritatem sumpserunt. Ubi collata fuit ei hæc auctoritas in canone? Non alibi

*Varia innovata ab Ecclesia.* quàm hîc: *Tibi dabo claves regni cœlorum, quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum, &c.* Petrus Apostolus formam Baptismi à Christo traditam, mutavit in istam: *Ego te baptiso in nomine Domini nostri Jesu Christi*, & hoc fecit, ut nomen Christi prius odiosum, fieret amabile. Post notitiam nominis Domini Jesu Christi in cordi-

bus

bus fidelium, Ecclesia hac forma dimissa, rediit ad institutam à Domino formam. Ubi data fuit hæc potestas mutandi formam à Salvatore institutam; Et ubi Ecclesia habuit potestatem, formam à Petro datam mutare? Cæterum Dominus septimum diem, completis sex dierum operibus, sanctificavit, Genes. 2. pòst, hanc diem sabbati sanctissimè in lege præcepit, ita, ut colligentem ligna in sabbato mandaverit lapidari, Num. 15. Et hoc Christus in Evangelio, cum aliis præceptis decalogi approbavit, Matth. 19. hoc Apostoli & Ecclesia Catholica diu post observavit; tamen postea Ecclesia hanc observantiam mutavit, in observationem diei Dominicæ, scilicet octavæ. Item Dominus præcepit celebrare Pascha 14. die mensis primi, à vespera in vesperam, tanquam legitimum sempiternum, Exod. 12. & sic diu Ecclesia observavit; tamen postea dies Paschæ semper Dominica celebranda instituta est. Rursus Levitici 17. & Deutero. 12. prohibitum fuit, & Apostoli in suo Concilio celebrato approbaverunt, ut patet Actuum 15. comedere immolatum simulacris, sanguinem suffocatum, atque fornicari; postmodum Ecclesia, servatis primo & quarto, mutavit secundum & tertium. Apparet, quomodo multa mutavit Ecclesia, quæ à Deo, Christo & primitiva Ecclesia, erant præcepta & observata. Præterea Sacramentum Matrimonii, quod teste Apostolo magnum est, ratione suæ significationis, scilicet conjunctionis Christi & Ecclesiæ, in statu innocentiæ institutum, & in Paradiso delitiarum, in principio admisit, uterinos & germanos simul posse matrimonialiter copulari, scilicet masculum & fœminam, postea denegatum est de prima linea consanguinitatis; Post hæc, multiplicato genere humano, Ecclesia prohibuit usque ad quartam lineam consanguinitatis inclusivè. Item in lege veteri, mortuo viro sine liberis, frater ducebat uxorem fratris defuncti, ut suscitaret ejus semen; & hoc observatum est diu in lege nova, deinde introducta publicæ honestatis justitia prohibitum est, virum contrahere cum aliqua consanguinea suæ sponsæ, usque ad quintum gradum exclusivè, ac per hoc fratrem cum defuncti sponsa fratris.

SÆC. XV. ANNO 1433.

*Genes. 2.* *Num. 15.* *Matth. 19.* *Exod. 12.* *Levit. 17.* *Deut. 12.* *Actor. 15.*

Circa Eucharistiam.

Circa Sacramentum Eucharistiæ Ecclesia aliqua mutavit. Præsens enim forma consecrationis sanguinis est alia, ab ea, quam in Evangelistis reperimus, licet substantia sit eadem. Addidit etiam in consecratione corporis illam conjunctionem *enim*. Rursus Leo Papa ait, quod aliquo tempore, propter errorem de observatione legalium, conficiebatur in fermentato. Nunc non licet: similiter in Ecclesia primitiva erant tantum duo ordines sacri, scilicet diaconatus & sacerdotium. Et secundùm Hieronymum, idem erat Episcopus & sacerdos, saltem dico ego, eodem nomine appellabantur: hæc sunt nunc mutata.

Circa Pœnitentiam.

In Sacramento Pœnitentiæ, quod usque ad finem duraturum est, ab initio lapsus humani facta est mutatio. In lege enim naturæ sufficiebat confessio mentalis soli Deo: in lege veteri obligabantur homines ad confessionem cæremonialem, ita quod aliquo sacrificio homines ostenderent se peccasse hoc vel illo peccato. Sacerdotes verò illi, manibus positis super cornu hirci, confitebantur peccata filiorum Israel; & nunc in lege gratiæ, quia sacerdotibus convenit remittere peccata, modo prædicto, ut peccator sine scandalo sua peccata confiteatur secretè sacerdoti, & sic absolvat, instituit Ecclesia. Videtis, quomodo ferè in omnibus Sacramentis multa mutavit Ecclesia. Si non potuit; nec valuit, quod fecit; nec nunc esset observandum, quod tamen absurdum ab omnibus judicatur: Si potuit; ubi in Scriptura sacra sibi data est, & lege Dei illa potestas? & non reperitur specialius ad ista esse concessum, quàm per illud dictum Petro, & successoribus ejus. *Quodcunque ligaveris super terram, &c.* Nam non dixit Dominus: Quodcunque ligaveris aut solveris absolvendo, pœnitentiam injungendo, excommunicando, ab ea solvendo, sed, *quodcunque ligaveris super terram, &c.* nec dixit, quodcunque ligaveris erga hominem, sed ut universalem potestatem ei concessam necessariam ad salutem humani generis ostenderet, dixit universaliter, & sine restrictione, *quodcunque ligaveris*, scilicet clave non errante, *super terram, erit ligatum & in cælis.* Ecce ibi fundata est potestas Indulgentias conferendi. Ut autem intentionem proponentis omninò evacuem, ostendo, quod, esto, quod in lege Dei, hoc est, in Scriptura veteris & novi Testamenti, non posset reperiri fundata auctoritas specialis & expressa, ad hujusmodi Indulgentias distribuendas vel conferendas; sufficeret sola Ecclesiæ auctoritas, quæ revera in Scriptura Evangelica fundatur: patet Joan. 14. ubi Dominus dicit: *Paraclitus autem Spiritus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, quæcunque dixero vobis.* Et ne putetur hoc dictum solis Apostolis, ibi dicitur toti Ecclesiæ: *Ego rogabo patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum:* unde ostendo, quod Ecclesia multa facere potest, & fecit; tamen non habetur ex Canone super his specialis & expressa auctoritas. Ecclesia numerat inter fideles parvulos baptisatos, numerat, inquam, sub pœna hæresis. Unde Augustinus de baptismo parvulorum: *Ubi ponis parvulos baptisatos?*

Circa indulgentias.

*Joan. 14.*

*Serm. 14. de verbis Apost. Tom. 10.*

*pro-*

Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

*profecto in numero credentium*, non nisi ex consuetudine Ecclesiæ antiquæ catholica fundatissima. Et infrà: *Inter credentes baptisatos parvulos numerabis, nec judicare aliter ullo modo audebis, si non vis apertus esse hæreticus.* Ecclesia etiam instituit, ut compatres in Baptismo fidem parvuli pro eo respondeant. Et sic Ecclesiæ auctoritas ordinavit, ut parvuli per aliorum pedes ad fidem veniant, per aliorum corda credant, per aliorum linguas in Baptismo respondeant, & fidem fateantur. Item Ecclesia in Nicæno Concilio secundum Symbolum edidit, post Symbolum Apostolorum, auctorizavit etiam Symbolum Athanasii. Item in toto Canone non habetur, quod Pater in divinis, aut Filius, aut Spiritus sanctus, nominetur, Persona; sed ab Ecclesia habetur: Etenim in illo, quod *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, &c.* Cum quærerent hæretici, qui tres? non habens Ecclesia, quid ex Canone responderet, importunitati hæreticorum satisfaciens, invenit hoc nomen Persona, & dixit, Tres personæ. Præterea etsi Canon Bibliæ dicat, beatam Virginem esse matrem Christi, tamen non reperitur in eo, quod dicatur mater Dei; sed hoc Ecclesia determinavit, ut dicatur non solùm Christotocos, sed etiam Theotocos, id est, non solùm Christi mater, sed & Dei mater. Denique non habetur ex Canone, ut illa signacula, quæ in perficiendis Sacramentis, modò fiunt, sint facienda; nihil de benedictione fontium baptismalium, aquæ benedictæ, exequiarum defunctorum, & aliorum multorum, quæ, ne tædium generem, omittam, quæ tamen Ecclesia sancta observanda instituit. Videtis, quanta sit auctoritas sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, de qua Augustinus contra Faustum hæreticum, auctoritatis Ecclesiæ impugnatorem, dicit, & habetur 11. dist. q. 3. Vides in hac re, quantum valet Ecclesiæ auctoritas, quæ ab ipsis fundatissimis sedibus Apostolorum, usque ad hodiernam diem, succedentium sibimet Episcoporum serie, & tot populorum consensu firmatur. Et Chrysostomus dicit, ut refert Augustinus de Ancona, de potestate Ecclesiastica, q. 29. quod homini mortali omnium, quæ in cœlo & in terra sunt, potestatem commisit Deus, & validiorem cœlo Ecclesiam esse monstravit. Huic nempè B. Hieronymus omnia dicta sua, & fidem submisit, & habetur 24. q. 1. *Hæc est fides, Papa beatissime*; unde dato, quod in Scriptura sacra non reperiretur specialiter & expresè fundata potestas conferendi Indulgentias, adhuc auctoritate Ecclesiæ, quæ Spiritu sancto regitur, infallibiliter in his, quæ pertinent ad salutem, potuit tam pretiosi thesauri apertio demonstrari, & de novo aliquando institui, sicut & illa, quæ prius memorata sunt: nisi dicatur, quod auctoritas modernæ Ecclesiæ est minor, quàm primitivæ, quod falsum est; cum auctoritas mutandi statuta Ecclesiæ, & instituendi, non sequatur sanctitatem vitæ, sed officium & dignitatem, quæ æquales sunt nunc & tunc, nec alias claves habet modò, quàm tunc: unde Augustinus sermon. 38. ait: *Nemo dicat, Ecclesiæ primitivæ tempora prævalere isti Ecclesiæ, quia tunc Christus & Apostoli fecerunt miracula, & non modò, quia tunc fiebant sanitates corporum, non modò animarum.* Debent ergò sufficere putantibus Indulgentias * non esse in lege Dei fundatas, quæ dicta sunt, nec præponant ultra sensum suum, dictis & scriptis Doctorum Theologorum, Magistri sententiarum, Guillermi, Altisiodorensis, Alberti Magni, Thomæ, & aliorum, quorum tanta est in Ecclesia reverentia, ut non liceat oppositum asserere hujus, quod omnes communi consensu determinant.

*vide in responsione M. Joan. à Ragusio pro finali confirmatione, quid possit Ecclesia circa hæc.* CAN.

*Aug. in lib. 11. contra Faustum Manichæum c. 2. & citatur dist. 11. c. 9. palam.*

*Aug. de Ancona de Eccles. potest. q. 29. art. 1.*

*Chrysost. Tom. 3. homil. Cum de ipsius expulsione ageretur in Tom. 5. hom. de Spiritu S.*

CANIS. *Hieron ad Damasum in exposizione Symboli. 24. q. 1. cap. 14. Hæc est fides.*

*Augustinus*

* *Illud* (NON) *in altero exemplari non habetur.*

ALiud dictum proponentis, *peregrinationes per homines inventæ*, ut dicit proponens, *superstitiosæ sunt, idololatriam sapientes, & cleri avaritiam nutrientes*, quod ostendo non esse verum, supposito, quid nominis peregrinationis: Est enim peregrinatio de manso suo longior recessus, ut acutiori devotione Deus adoretur. Quod illæ sint in lege Dei fundatæ, & non per homines inventæ, ut dicit proponens, & aliquibus auctoritatibus nititur colorare, probo: Scriptum est Deuteronom. 16. „ tribus vicibus „ per annum, apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui, in loco, „ quem elegerit, in solemnitate azimorum, & in solemnitate hebdomadarum, & in „ solemnitate tabernaculorum". Ecce, quod ex lege Dei ter habebant peregrinari in Hierusalem filii Israel quolibet anno, & quod aliquid deberent offerre in templo, patet. Nam dicitur ibi, *non apparebit ante Dominum vacuus, sed offerat unusquisque secundùm quod habuerit juxta benedictionem Domini Dei sui, quam dederit ei.* Juxta hanc regulam legis Dei ascendit Jesus cum parentibus suis ad idem festum Paschæ, ut habetur Lucæ 2. ubi Beda: *Evangelista Dominum post Nativitatem, continuò cum hostia transfert ad templum*, supple, eundem illò singulis annis cum parentibus, *ducit & duodecennem in templo Doctorum choris inserit.*

*De peregrinationibus.*

*Deut. 16.*

*Luca 2.*

Item, quod non fuerit solum cæremonia pro Judæis, sed pro Gentibus, patet, nam Zachariæ ultimo scriptum est. *Et omnes, qui reliqui fuerint, de universis Gentibus, qui venerunt contra Hierusalem, ascendent ab anno in annum, ut adorent Dominum Regem exercituum, & celebrent festivitatem tabernaculorum, & erit, qui non ascenderint de familiis terræ ad Hierusalem, ut adorent Regem Dominum exercituum, non erit su-*

*Zach. ar. 14.*

per

*per eos imber.* Secundùm quam Prophetiam Gentiles quidam aſcenderant pòſt ſuſci- SÆC.
tationem Lazari, ut adorarent in die feſto, Joan. 12. Et vir Æthiops Candacis Re- XV.
ginæ Æthiopum, Eunuchus venit adorare in Hieruſalem, Actuum 8. ANNO

De cujus juſtitia dicit venerabilis Beda ſuper iſto paſſu, *pro virtute, & integritate* 1433.
*mentis vir appellatur, nec immerito, qui tantum ſtudii in Scripturis habebat, ut eas* Joan. 12.
*etiam in via legere non ceſſaret, tantumque amoris in religione gerebat, ut aula re-* Actor. 8.
*gia derelicta, de ultimis mundi partibus veniret ad templum Domini, unde juſta mer-*
*cede, dum quæreret interpretem lectionis, Chriſtum, quem quærebat, invenit.* Præ- Luca 2.
terea paſtores venerunt peregrè ad Salvatoris ortum, & tres Magi peregrè profecti Matth. 2.
ſunt adorare Regem Judæorum à ſolis ortu. De quibus ait Auguſtinus in ſecunda Aug. de
parte ſermonum Serm. 33. *in his terris de longinquo iſti peregrini puerum iſtum non-* tem. ſerm.
*dum verba promentem adoraverunt, ubi cives illi juvenem miracula facientem crucifixe-* 30. qui eſt
*runt. Iſti in membris parvis Deum adoraverunt, illi in factis magnis nec tanquam* 2. de Epiph.
*homini pepercerunt:* hæc Auguſtinus. Dictum eſt de peregrinis in ortu Salvatoris, quos Herodes impius non inculpavit. Jam de peregrinis mulieribus Chriſtum in ſepulchro viſitantibus ſubſequetur auctoritas, dicit Evangeliſta: *Veſpere autem ſabbati, quæ luceſcit in prima ſabbati*, venit Maria Magdalena, & altera Maria, videre ſepulchrum. Matth. 28. ſuper quo Hieron. in commentario: *quod diverſa tempora iſtarum* Matth. 28.
*mulierum in Evangeliis deſcribuntur, non mendacii ſignum, ut impii objiciunt, ſed ſe-* Hier. in 28. cap. Matth.
*dulæ viſitationis officium, dum crebro adeunt, & recedunt, & non patiuntur à ſepulchro*
*Domini diu abeſſe vel longius:* hæc ille.

Adeſt alia auctoritas de Nicodemo, qui venit peregrè viſitare ſepulchrum Domini, Joan. 19.
cum mixtura myrrhæ & aloës, quaſi librarum centum. De Joſeph ſimiliter ab Ari- Matth. 28.
mathia notabili viro, qui involvit ſyndone munda Dominicum corpus: hi tamen in Evangelio laudantur: ipſe etiam Dominus non dedignatus eſt ſe peregrinum oſtendere diſcipulis euntibus in Emaus. Item Hieronymus oſtendit, quomodo Virgo Maria Luca 24.
mater Dei viſitabat poſt aſcenſionem ejus loca paſſionis. Et hoc facit in ſermone de Tom. 9. epi
Aſſumptione B. Mariæ, ad Paulum, „ Chriſtus, *inquit*, ab omnibus eſt amandus, ex 10. ex iis, qua tri-
„ toto corde, ex tota anima, atque ex tota virtute quærendus, maximè tamen ab ea buuntur S.
„ ardentius, cujus & dominus erat & filius? fortaſsè ergò præ nimio amore, in loco, Hieronymo
„ quo ſepultus dicitur, interdum habitaſſe eam credimus, quatenus piis paſceretur in- ex editione
„ ternus amor obtutibus. Sic namque locus medius eſt hinc inde conſtitutus, ut adi- Mariani
„ re poſſet Aſcenſionis veſtigia, & locum ſepulturæ ac reſurrectionis, & omnia, in Victorii, ul-
„ quibus paſſus eſt, loca inviſere, non quod jam viventem quæreret cum mortuis, tra me-
„ ſed ut ſuis conſolaretur aſpectibus. Hoc quippe habet impatiens amor, ut quæ de- dium.
„ ſiderat, invenire ſe credat; ignorat ſiquidem judicium, multotiens ratione caret,
„ modum neſcit, nec aliud cogitare poteſt, quàm quod diligit, amor non capit de
„ impoſſibilitate ſolatium, neque ex difficultate remedium": hæc Hieronymus.

EX quibus apparet, cum quali devotione, & in quanto honore à fidelibus habitum ſit ſepulchrum Domini, ut ſic impleta ſit hæc Prophetia Iſaiæ 11. cap. de illo loquens, cum ait: *Et erit ſepulchrum ejus glorioſum.* De cruce autem Domini loquitur B. Auguſtinus lib. de viſitatione infirmorum cap. 3. oſtendens, quod in magna reverentia habeatur à Chriſtianis, & dicit ſic: „ Habent ſiquidem Chriſtianorum arcana, Esaiæ 11. Aug. de viſitatione infirmorum lib. 2. cap. 3. & 4.
„ illius Dominicæ crucis quoddam venerabile monumentum, quod de crucis ipſius
„ imaginatione crucem cognominant, quod & nos omni veneratione digniſſimum
„ fatemur, & ad recordationem crucifixi noſtri veneramur. Adjicitur etiam ſuper
„ crucem quædam hominis inibi patientis imago, per quod ſalutifera Jeſu nobis re-
„ novatur paſſio: hanc complectere humiliter, venerare ſuppliciter, cum hoc ad me-
„ moriam tibi ipſum reducat crucifixum": hæc ille. Poſt hoc immediatè ſequitur notabilis proceſſus de confeſſione vocali facienda. Præterea peregrinatio magna commemoratur ad locum, ubi Dominus cœlos aſcendit, de quo Sulpitius ita loquitur:
„ Illud autem mirum eſt, quia locus ille, in quo poſtremo inſtiterant divina veſtigia, Sulpitius in ſacra hiſtoria lib. 2. ultra medium.
„ cum in cœlum Dominus nube ſublatus eſt, continuari pavimento cum reliquo ſtra-
„ torum parte non potuit, ſiquidem quæcunque applicabantur, inſolens humana ſuſ-
„ cipere, terra reſpueret, excuſſis in ora apponentium ſæpè marmoribus; quin etiam
„ calcati à Deo pulveris adeò documentum perenne eſt, ut veſtigia impreſſa cernan-
„ tur. Et cum quotidie confluentium fides certatim Domino calcata diripiat, dam-
„ num tamen area non ſentit, & eandem adhuc ſui ſpeciem, velut impreſſis ſigna veſti-
„ giis terra cuſtodit". Prorſus de peregrinatione ad ſepulchrum Domini legitur 12. Socrates lib. 7. c. 46.
lib. hiſtoriæ tripartitæ, capit. 15. de qua dicit Caſſiodorus: „ Theodoſius Imperator
„ pro beneficiis ſibi à Deo collatis, gratias referebat, pluribus honoribus Chriſto ſua
„ vota compenſans, conjugemque ſuam Eudociam, ad Hieroſolymam deſtinavit, hæc
„ enim & ipſa votum habuerat, ſi filiam videret nuptam, quæ tam Hieroſolymis Ec-



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433. „ cleſias conſtitutas, quàm per ſingulas civitates poſitas, honoravit, & cum pergeret, „ & cum denuò remearet": hæc ille. Proinde B. Hieronymus epiſt. contra errorem Arrianæ & Eunomianæ perfidiæ circa peregrinationem ad loca ſancta, ad Ruſticum, ipſum peregrè proficiſcendum ad loca ſancta invitat. Dicit enim ſic: „ Narravit mihi „ uxor quondam tua, nunc ſoror, atque conſerva, quod juxta præceptum Apoſtoli, „ ex conſenſu abſtinueritis vos ab opere nuptiarum, ut vacaretis orationi". Et infrà: „ Cumque vos rabies Barbarorum, & imminens captivitas ſepararet, ſub jurisjurandi „ teſtificatione pollicitum, ut ad ſancta tranſeuntem loca vel ſtatim vel poſtea ſeque- „ reris, & ſervares animam tuam, quam viſus fueras negligentia perdidiſſe. Redde „ ergò, quod præſente Deo ſpopondiſti. Incerta eſt vita mortalium, ne ante rapia- „ ris, quàm impleas ſponſionem. Imitare eam, quam docere debueras: *ſequitur poſt:* „ tu vagaris in patria, imo non in patria, quia patriam perdidiſti? Iſta pro te in locis „ venerabilibus reſurrectionis & crucis, & cunabulorum Domini Salvatoris, in quibus „ parvulus vagit, tui nominis recordatur, teque ad ſe orationibus trahit, ut ſi non „ tuo merito, ſaltem hujus ſalveris fide": hæc Hieron. Deinde Auguſtinus lib. de diffinitionibus rectæ fidei, cap. 40. ſic inquit: „ Sanctorum corpora, & maximè bea- „ torum Martyrum reliquias, ac ſi Chriſti membra, ſinceriſſimè honoranda, & Baſi- „ licas eorum nominibus appellatas, velut loca ſancta, & divino cultui mancipata af- „ fectu piiſſimo, & devotione fideliſſima adeundas credimus. Si quis contra hanc ſen- „ tentiam venerit, non Chriſtianus, ſed Eunomianus & Vigilantianus credatur": hæc ille. In Gangrenſi etiam Concilio ſtatutum legitur in hunc modum: „ Si quis per ſu- „ perbiam, tanquam perfectum ſe exiſtimans, conventus, qui per loca & Baſilicas „ Martyrum fiunt, vel accuſaverit, vel oblationes, quæ ibi celebrantur, ſpernendas „ eſſe crediderit, memoriasque Sanctorum contemnendas; Anathema ſit". Rurſus Auguſtinus contra Fauſtum, lib. 20. „ Populus, *inquit*, Chriſtianus memorias Mar- „ tyrum religioſa ſolemnitate concelebrat & ad excitandam imitationem, & ut meri- „ tis eorum conſocietur, atque orationibus adjuvetur". Et infrà: „ quod offertur „ Deo, qui Martyres coronavit, & apud memorias eorum, quos coronavit, ut ex „ ipſorum locorum admonitione major affectus exurgat, ad acuendam caritatem, & in „ illos, quos imitari poſſumus, & in illum, quo adjuvante poſſumus: hæc ille". Dicit Auguſtinus, quod licitum & caritativum eſt, viſitare Martyrum memorias, in locis illis oblationes facere. Peregrinationum veritatem teſtantur Stationes Romæ, quas ferunt B. inſtituiſſe Gregorium. Quàm plurima dicta Sanctorum tranſeo, contentus ſufficienter probaſſe, peregrinationes fundamentum habere in divina Scriptura, & firmamentum in ſanctis Doctoribus, profectò ſe in divina lege fundantibus. Ac per hoc nec eſſe inventiones hominum, nec ſuperſtitioſas, nec idololatriam ſapientes, nec per ſe cleri avaritiam nutrientes. Nam oblata, *Deo*, ut dicit ſanctus Auguſtinus, offeruntur, in veteri etiam lege præcipiuntur, nec oblatorum clerus eſt proprietarius, ſed poſſeſſor uſufructuarius, miniſter, & diſpenſator. Si per accidens avaritia cleri ſe immergat, hoc malum eſt, hoc per eos, ad quos ſpectat, ſuperiores, ſcilicet, cum juſtitia puniendum, per alios caritativè arguendum, modis tamen ſuprà dictis.

*Ruſticum.* *Auguſt. de dogmatibus Eccleſiaſticis. c. 73. Tom. 3.* *Concilium Gan. Can. 20.* *Aug. contra Fauſtum. l. 20. cap. 21. Tom. 6.*

Reliquiæ. Circa multa, quæ in veneratione reliquiarum contingunt peccata, ut narravit proponens, ut ſunt expoſitiones earum venalitate facta, ſpoliatio pauperum peccatorum, horrenda continuatio avaritiæ ſacerdotum, & ſimulata ſpes ponendi aliquid numinis in eiſdem, &c. hoc unum dico, quod veneratio ſanctarum reliquiarum Sanctorum & Sanctarum non eſt improbanda. Etenim de ſe honeſta & licita & ſancta. Verùm non pluri honore aut majori ſunt venerandæ reliquiæ, quàm Sancti, quorum ſunt. Supponendum eſt enim ex Doctoribus, triplicem eſſe adorationem, ſcilicet latriæ, hyperduliæ & duliæ. Latriæ, quæ Deo; hyperduliæ, quæ creaturæ ſub ratione magnæ excellentiæ, ut virgini Mariæ, in quantum eſt mater Dei; duliæ, quæ cæteris creaturis ratione excellentiæ exhibetur. Et quidem pro nunc non eſt loquendum de dulia, quæ debetur ſuperioribus ratione dominii. Nam ſic etiam debetur non modò bonis, ſed & malis; ſed de ea, quæ exhibetur Sanctis, ratione ſanctitatis, hæc debitè Sanctorum reliquiis exhibetur, non quaſi in iſtis numinis aliquid vel ſanctitatis exiſtat, ſed propter ordinem, quem habuerunt ad Sanctos, quorum ſunt reliquiæ. Habent etiam Doctores, in 3. quomodo cultus ſeu adoratio debetur alicui per ſe, in quo conſiderandum, quid adoretur, & ratio, cur adoretur. Quod adoratur, ſuppoſitum eſt vel perſona. Cur adoratur, ut nunc loquimur, eſt virtus vel ſanctitas: debetur autem alicui per accidens, nomine habitudinis ad eum, cui per ſe debetur, ut cruci Chriſti, imagini ejus, & Sanctorum, & hoc modo reliquiæ adorantur, nec hoc eſt idololatrare, quoniam cultus latriæ nullis Sanctorum, qui fuerunt puræ creaturæ, exhibendus eſt. Idololatria enim dicitur latria exhibita idolo, ſive puræ creaturæ: Quod autem ratione habitudinis ad aliquem, honor ſit exhibendus, ut veſti regiæ, propter Regem, probatur ex eo, quod 1. Reg. 24. dicitur, cum præcidiſſet David oram chlamydis

*Latria.* *Adoratio.* *1. Reg. 24.*

Digitized by Google

mydis Saul, percussit cor David, dicens: *Propitius sit mihi Deus, ne faciam hanc rem domino meo Christo domini*, tamen Regem non tetigerat, sed chlamydem. Præterea inter divinas contumelias Christus prophetice commemorat, quod crucifixores ejus diviserunt vestimenta, & vestem sorti exposuerunt, dicens: *Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* Quam certè vestem venerabilem, imò (a) adorabilem, Joannes in Apocal. 19. dicit esse conspersam sanguine, & in eo, & in femore ipsius Domini scriptum erat: *Rex Regum, Dominus dominantium.* Præterea B. Hieronymus ad Ruffinum, lib. 3. scribit, se adorasse præsepe & sancta cunabula Salvatoris. *Contendi*, inquit, *Ægyptum, lustravi monasteria Nitriæ, & inter Sanctorum choros aspides latere perspexi, protinus concito gradu Bethlehem meam reversus sum, ubi adoravi præsepe & incunabula Salvatoris.* Idem de sancta Paula in ejus Epitaphio, sic ait, *perrexit Bethlehem*, scilicet sancta Paula, *& in dextera parte itineris stetit ad sepulchrum Rachel, atque inde specum Salvatoris ingrediens, postquam vidit sacrum virginis diversorium, & in stabulum, in quo agnovit bos possessorem suum, &c.* Post pauca, *jurabat se cernere fidei oculis infantem pannis involutum, vagientem in præsepe Dominum, Magos adorantes.* Et multa ibi de sublimibus consolationibus ponit, quas sancta Paula merebatur. De adoratione autem crucis Christi, loquitur Damascenus 4. lib. sententiarum, cap. 3. dicens: *Adorandum signum Christi, ubi utique fuerit signum, illic & ipse erit.* Sequitur: *Omnia ergò, quæ Deo adjacent, adoramus, ut ipsi venerationem offerentes.* Quoniam autem non puto, proponentem detrahere veneration, aut adorationi sanctarum reliquiarum propter habitudinem quam ad Sanctos, cujus sunt, habuerunt, scilicet fortè, quia sunt ossa, vestes, aut alia artificialia, aut naturalia, multa dicenda de hac materia prætereo. Abusus autem per ante narratos vitupero, & reprehensione dignos judico.

SÆC. XV. ANNO 1433.

Joan. 19.

(a) Alterum exemplar habet honorabilem.

Apoc. 19.

Hieron. adversus Ruffinum lib. 3. c. 7. CANIS.

Hieron. ep. 27. Tom. 1.

Isaiæ 1.

Vide Damasc. lib. 4. ortho. fidei c. 17. & in orationibus de imaginibus.

Literas confraternitatum & confessionales proponens vituperat, & revera non dubium, quin multa mala sub hac specie pietatis parantur, puta questus illiciti, deordinati favores, audacia peccandi, & multa similia. Verùm non sunt de se illicitæ confraternitates ipsæ, imò honestatis titulum habent & parere possunt fructum. Nam *frater, qui juvatur à fratre, quasi civitas firma*, Prov. 18. Licet enim suffragia Ecclesiæ prosint omnibus in unitate ejus existentibus, ex parte caritatis, quæ non quærit, quæ sua sunt, sed facit omnia communia, ut dicit Apostolus; tamen ex parte intentionis, his, quibus applicantur, prosunt magis, quàm aliis. Et per hoc institutæ, concessæ, vel permissæ sunt fraternitates ipsæ. Ostendo, quod hæc in Scriptura sunt fundatæ. Nam ut habetur Exod. 8. Impius Pharao vocans Moysen & Aaron, ait: *Adorate Dominum, ut auferat ranas à me, & populo meo, & dimittam populum, ut sacrificet Domino.* Et in eodem cap. ait: *Ego dimittam vos, ut sacrificetis Domino, rogate pro me.* Ecce principem paganum, qui orationes postulat, quomodo ergò precibus se communicare negabit fidelis? Item apparet de Heliodoro, cujus amici rogaverunt Oniam summum Sacerdotem, ut oraret pro illo, ut habetur 2. Machab. 3. Rursus probo, quod Apostoli fecerunt homines participes suorum suffragiorum. Primò sic Apostolus Ephesios per litteram suam facit esse participes suarum orationum, nam sic eis scribit in primo cap. *Propterea ego audiens fidem vestram, quæ est in Christo Jesu, & dilectionem in omnes Sanctos, non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis.* Nec tantum Paulus commemorat orationes, sed alia meritoria opera offert facere pro Philippensibus. Nam in primo cap. dicit: *Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri, semper in cunctis orationibus meis, pro omnibus vobis cum gaudio deprecationem faciens, super communicatione vestra, in Evangelio Christi, à prima die usque nunc.* Qui ergò dicit, *in cunctis orationibus meis*, nihil minus dicit implicitè, quàm literæ, quæ Vigilias, Missas, prædicationes, jejunia, & similia concedunt Christi fidelibus, eas facientibus esse communes. Item idem ad Colossenses primo scribit: *Nunc gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt passioni Christi in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia*, nulla litera fraternitatis modò talia promittit, quanta fecit Apostolus pro Colossensibus. Præterea Chrysostomus super Matth. in opere imperfecto homilia 14. ait: „ Libenter audit Deus, quando Christianus non solùm pro se, sed etiam pro aliis orat, pro se enim orare naturæ est, pro altero autem gratiæ, pro se orare necessitas rei cogit, pro altero autem caritas fraternitatis hortatur; dulcior est autem oratio ante Deum, non quam necessitas rei transmittit, sed quam caritas fraternitatis commendat". Ex qua fraternitas commendatur, & Deo acceptabilis ostenditur: Item Augustinus. „ pro se oratione impetrat, qui se precibus Ecclesiæ, Virginum, Confessorum, in „ domo Julianæ inferi postulat", libro de sancta Viduitate in fine dicens: „ Obsecro „ vos per illum, à quo donum hoc accepistis, & hujus doni præmia speratis, ut me „ quoque orationibus vestris memineritis inserere, cum tota domestica vestra Ecclesia". Et inter epistolas Augustini in epistola 16. quæ est Paulini ad Augustinum, ait Paulinus: „ Omnes

Confraternitates.

Prov. 18.

1. Cor. 13.

Exod. 8.

2. Mach. 3.

Ephes. 1.

Ad Phil. 1.

Ad Col. 1.

Chrys. in opere imperfecto, in Matth. homil. 14.

Aug. de dono Viduitatis, cap. 23. Tom. 4.

Ang. epist. 33. Tom. 2.



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

„ Omnes in Christo Sanctos, quales tibi cohærere non est dubium, à nobis saluta, „ commenda nos omnibus Sanctis, ut tecum pro nobis orare dignentur": hæc ille. Et Augustinus Epist. 74. quæ est ad Profuturum, dicit: „ Commendamus Sanctis o- „ rationibus tuis & dies & noctes nostras, ut oretis pro nobis, ne diebus intemperan- „ ter utamur, ut noctes æquo animo toleremus, ut etiam si ambulemus in medio um- „ bræ mortis, nobiscum sit Dominus, ne timeamus mala". hæc Augustinus. Reperiuntur & multa opera B. Gregorii, in quibus petit sociari precibus Sanctorum. Item Ambrosii, Anselmi, Ivonis Carnotensis. Tales auctoritates valdè multas, amore brevitatis, omitto, unde non sophismata sunt litteræ fraternitatum, sed Christianis utilia subsidia, tamen abusum vitupero, turpes questus perhorresco. Confessionales etiam literas concedere, ex causa rationabili justum est. Nam & privilegia de confessionibus audiendis, nullus Doctor notabilium reprobat, imò approbat. Data enim sunt non in favorem Confessorum, aut odium alicujus, sed in favorem Pœnitentium.

*Aug. epist. 149.*

*Litera confessionales.*

*Excommunicationes.*

AD rationes per proponentem factas cum aliis respondebo, De sententia excommunicationis dicit, quod feruntur ex livore vindictæ aut odio. *Si fiunt*, inquit, *ob veritatem, & in hominem in gratia permanentem, sunt irritæ & inanes.* Si velit dicere, quod sententia lata à judice ex odio aut invidia, aut propter vindictam, nullo casu teneat, hujus oppositum dico, cum Doctoribus: B. Thomas in 4. dist. 18. sic dicit in forma. „ Excommunicatio, *inquit*, potest dici injusta dupliciter. Primò, „ ex parte excommunicantis, quia ex odio vel ira excommunicat, & tunc excommu- „ nicatio nihilominus habet effectum suum, quamvis ille, qui exercet, peccet, quia ille „ justè patitur, quamvis iste injustè ferat. Alio modo ex parte ipsius excommunicationis, „ vel quia causa excommunicationis est indebita, vel quia fertur sententia juris ordine „ prætermisso. Et tunc si sit talis error ex parte sententiæ, quæ sententiam nullam faciat „ esse, non habet effectum, quia non est excommunicatio. Si autem sententiam non „ annullet, habet effectum suum, & debet excommunicatus humiliter obedire, & „ erit ei ad meritum; vel solutionem petere ab excommunicante; vel ad superiorem „ judicem recurrere; Si autem contemneret, eo ipso mortaliter peccaret. Contin- „ git autem quandoque, quod est debita causa ex parte excommunicationis, quæ non „ est debita ex parte excommunicati, sicut cum quis pro falso crimine in judicio pro- „ bato excommunicatur, & tunc si humiliter sustinet, humilitatis meritum recompen- „ sat excommunicationis damnum". Ex eo sequitur, quod excommunicatus pro falso crimine, tamen probato in judicio, licet per falsos testes, vel confessato, censetur verè excommunicatus in foro exteriori Ecclesiæ militantis, tamen est in gratia. Nam dicit, quod humilitatis meritum recompensat excommunicationis damnum. Igitur talis incurrit damnum excommunicationis, & sic patet, quod in casu reputatur verè excommunicatus, qui est in gratia; nec judex peccat, si nihil prætermittat de contingentibus, secundùm ordinem juris, & maximè, dum sibi non constat de innocentia rei.

*S. Thom. dist. 18. q. 2. art. 1. ad 4.*

An mors inferenda errantibus?

AD rationes autem factas, pro uno notabili, quo probare videtur, quod non sit per legem humanam inferendum alicui mortis supplicium. Primò respondendum est, & primò ad illam de Circumcellionibus, quæ est Augustini ad Marcellinum comitem, dico cum Alexandro de Ales, quamvis pro illis sceleratis Augustinus suppli- cando spatium vitæ eis reservare poposcerit, non legum severitatem, qua tales morte plectuntur, non servandam esse docuit. Unde noto ibi quatuor: primò, quod Augustinus dat intelligere, quod secundùm severitatem legum erant graviora passuri, quàm poscebat. Et quia poscebat vitam eis servari, sequitur, quod erant vitam, juxta legum sanctiones, amissuri. Et hoc ibi, *ne fortè sublimitas tua censeat eos tanta legum severitate esse plectendos, ut qualia fecerunt, talia patiantur.* Et quoniam occiderunt aliquos presbyteros Catholicos, erant enim isti occidentes Donatistæ, digni erant morte. Secundò, quod supplicat pro misericordia, ut scilicet misericorditer cum eis agatur. Nam ibi dicitur, *ideoque his literis obtestor fidem tuam, quam habes in Christo, per ipsius Domini nostri Jesu Christi misericordiam, ut hoc non facias*: ideò de misericordia hoc petit, non de justitia. Tertiò dicit, quod dissimulare posset, quia non per suos delati erant ad Comitem, sed per (a) Notarios, ad quos tuendæ pacis vigilantia pertinebat. Ex quo duo implicitè dantur intelligi, primum, quod poterat dissimulare, ideò quod faciebat, erat opus supererogationis. Et sic si Comes non acquiescebat, sed justitiam faciebat, non peccabat. Secundum, quod Notarii, id est, Officiarii habent vigilantiam de salvanda pace Reipublicæ, & sic obsistere & denunciare possunt reos judici seculari, qui potest facere justitiam. Et hoc patet per illud, quod sequitur: *Non quod sceleratis hominibus licentiam facinorum prohibeamus auferri*, ait Augustinus, & illud secundum hîc notatum est. Quartò, quod ex capitulo

*Alex. ab Ales. parte 3. q. 34. art. 3.*

*Aug epist. 159. ad Marcellinum tribunum. to. 2.*

(a) *Notoria habet textus impressus.* CAN.

Digitized by Google

tulo elicitur, & breviter consideranti totum illud capitulum apparet, quod Augustinus flectit ad misericordiam, ut severitatem legum per hoc avertat, & maximè, quia isti Circumcelliones erant clerici, licet essent Donatistæ; nec ex hoc habetur, quod peccasset ille Comes, si eos occidisset, sed admonetur, ut agat misericorditer. SÆC. XV. ANNO 1433.

Ad rationes hujus, quod tangit Chrysostomus super (a) Jeremiam, dico, quod duplices sunt modi peccantium, quidam ex infirmitate, aut ignorantia, alii ex consuetudine vel malitia. Item quidam animo verecundi sunt, alii sine verecundia. Cum primis mitius est agendum, cum secundis durius, de istis secundis verò non loquitur Chrysostomus, sed de primis. Ad illud Prover. 30. *qui nimis emungit.* Item ad illud, *justitia vel misericordia multum discutitur*, ad illa duo uno verbo dico, quod in omni virtuoso actu oportet, quod prudentia habeat ducatum, est enim origo virtutum, ut omnes morales virtutes in ea connectuntur, 6. Ethicor. Prudentiæ uni existenti, omnes simul inerunt, & ita oportet esse directionem omnium mediorum ad finem, ut nihil minus fiat: hoc dicit Sapiens Proverb. 30. hoc quod dicit illud decretum allegatum, ut misericordia temperet severitatem justitiæ, & justitia erigat remissionem misericordiæ.

(a) *forte super Joannem.* *Proverb.* 30. *Arist. Ethico. lib. 6. c. 13.*

Ad illam Chrysostomi super illo Matth. 13. *Sinite utraque crescere*, &c. dico, quod si bene verba ejus considerentur, sunt pro me: nam loquitur de occisione hæreticorum, ex qua sequeretur schisma, aut turbatio Ecclesiæ. Et ego concessi, quod in tali casu non oportet secundùm judicium vindicare: dixi enim, peccata esse punienda, tribus concurrentibus, scilicet jurisdictione, convictione, & pace salva. Et hoc non esset in proposito; sed ubi pace salva fieri posset, erunt occidendi, nec oppositum dicit Chrysostomus. *Chrys. hom 47. in Matt. Tom. 2.*

JAm accedendum est ad principales rationes proponentis, primò ad illas, per quas visus est probare articulum. Ad primam, ubi dicit, quod Deus præcepit Deuteronomii 13. ut filii Israel auferant malum de medio sui, dico, cùm Deus præcipiat hominibus, non præcipit, nisi quod possibile est hujusmodi, ut scilicet auferat malum de medio populi, jurisdictione, convictione, & pace salva concurrentibus, ut dictum est. Item dico secundùm Augustinum, in libro contra epistolam Parmeniani tractantem id verbum Apostoli: *Auferte malum ex vobis*, quod ubi mali, salva pacis unitate, separari possunt à bonis, separandi sunt corporaliter; ubi hoc fieri non potest, est faciendum spiritualiter, scilicet, non consentiendo peccatis illorum, unde sic malum auferant ex eis, etsi non possint malos separare à congregatione sua. Ibi enim dicit Augustinus in forma: *Videamus, si fortè non frustra non dixerit Apostolus: Auferte malos à congregatione vestra, sed auferte malum ex vobis ipsis, quia cum quisque impeditur ab Ecclesiæ congregatione malos homines separare, si à se ipso auferat malum, non eis corde miscetur, atque ita spiritualiter non solùm conjungitur bonis, sed separatur à malis.* Vel secundùm eundem Augustinum, lib. de decem Chordis, dicendum, quod quidam sunt flagitiosi, qui non nocent aliis, quidam facinorosi, qui nocent aliis: propter istos leges positæ sunt, ut satis in positione dictum est. Ideò isti tollendi sunt de medio populi, proscribendo, incarcerando, aut aliter, aut mortis supplicio, salvis tribus prædictis, jurisdictione, convictione, & pace salva. Et ad hoc ostendendum, dum dicit Dominus: *Auferant malum*, addidit, *de medio sui*, & Apostolus, cum dixisset, *Auferte malum*, subjunxit, *de medio vestri.* Rationes Bohemorum. *Deut. 13.* *Aug. Tom. 7. lib. 3. cont. Parmen. cap. 1. & seq.* *Aug. de decem Chordis.*

Ad secundam Levitici 19. dico cum de Lyra, quod intelligitur, *non oderis fratrem tuum*, ex rancore & odio, dissimulans peccatum suum, donec possis eum destruere, *sed publicè argue eum*, hoc est, voce expressa. Juxta illud Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus.* Non autem dicit, *publicè*, id est, coram omnibus corripe eum correctione fraterna. Si autem per ly *publicè* intelligatur correctio facta in publico, seu judicio, tunc est intelligendum de peccatis, quæ possunt probari. Et tunc talis correctio pertinet ad judicem exequendo, ad accusantem denunciando, ad testes probando. Et sic patet, quod non omnia peccata, &c. possunt puniri, sed solùm concurrentibus tribus jam dictis. *Levit. 19.* *Matth. 18.*

Ad tertiam objectionem 23. Deuter. de prohibitione meretricii dico, quod lege divina, & olim, & nunc meretricium est prohibitum in illo præcepto morali, *Non mæchaberis:* verùm, quod in lege veteri ultra hoc præceptum decalogi, erat datum judiciale de prohibitione meretricii. Nunc verò non prohibetur ab homine per judicium civile legis humanæ; sed nec potest convenienter legem divinam prohibentem homo executioni demandare, non enim subest ei potentia huic legi adæquata. Nec est omnipotens, ut sciat ex malo elicere bonum, ut Deus, ideò ne deterius contingat, tolerat, & permittit. Cur autem in lege veteri prohibebatur judicialiter hoc peccatum, non nunc lege humana; ratio est secundùm aliquos Doctores, quia tunc permittebatur Judæis repudiare uxores, & hoc, quia proni erant ad odiendum ex duritia De meretricibus. *Deut. 23.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

ritia cordis sui, & occidendum eos. Ideò si improhibitè fornicari potuissent, magnum fomentum odii habuissent. Nunc autem non licet, nec permittitur uxorem repudiare, nec sunt ita faciliter odiosi in uxores viri.

De destructione imaginum. *Aug. ep. 48. Tom. 2. non procul à medio Diony. Areop. in epistol. ad Titum.*

Ad quartam, de destructione idolorum. &c. Respondeo primò cum B. Augustino contra Donatistas, quod ex sensu mystico non sumitur conveniens Argumentum. Nam & magnus Areopagita dicit, quod Theologia symbolica non est argumentativa: unde si ad literam de destructione idolorum, ejectione leprosorum, & exterminatione septem Gentium, ratio literalis quæritur, plana est solutio, quia idola erant Judæis incitamentum idololatriæ, ad quam erant promptissimi. Præterea lepra est morbus infectivus, ideò pelli debet leprosus de cœtu sanorum. Septem istæ nationes ideò exterminari jubentur, quod idololatriam suasissent. Ex sensu allegorico rationem factam sic solvo. Nomine idolorum peccata infidelitatis accipio, nomine lepræ peccatum hæresis. Ita exponit venerabilis Beda in Homilia super illud Lucæ 17. *Dum ingrederetur*, scilicet Jesus, *in quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi*, inquit, *hæretici non absurdè intelligi possunt, quia scientiam veræ fidei non habentes, varias doctrinas profitentur erroris, non enim vel abscondunt imperitiam suam, sed pro summa peritia proferunt in lucem*, & reliqua ut ibi. Potest etiam per lepram intelligi mala doctrina in moribus. Talia peccata sunt non modò fraterna correctione arguenda & castiganda, sed si publica sint, etiam per justitiam cohibenda & punienda. De talibus possunt inferiores publicè superiores arguere, quia jam specialiter per peccatum infidelitatis desinunt esse superiores, quoad hoc: & ista dicta sunt in positione. Ratio autem hujus; quod peccata infidelitatis & hæresis, similiter & malæ doctrinæ nimis contagiosa sunt. Illorum, enim puta infidelium, aut hæreticorum sermo, ut cancer serpit, dicit Apostolus 2. Tim. 2. Quod in septem Gentibus, quas præcepit Dominus exterminari, septem peccata mortalia intelliguntur, non est ad propositum arguentis, sed oppositum est, & ad propositum meum, imò verò est de Scriptura sacra sumptum: dicitur enim Judicum primo, quod filii Benjamin inhabitabant in Hierusalem; nec deleverunt Jebusæos habitatores urbis. Item quod Cananæus cœpit habitare cum tribu Manasse, quod tribus Effraim non interfecit Cananæum, qui habitabat in Gaser. Et plura talia. In secundo capitulo: *Iratusque est furor Domini in Israel, & ait: Quia irritum fecit Gens ista pactum meum, quod pepigeram cum patribus eorum, & vocem meam audire contempsit; Et ego non delebo Gentes, quas dimisit Josue, & mortuus est, ut in ipsis experiar Israel, utrum custodiant viam Domini, & ambulent in ea, sicut custodierunt patres eorum.* An non apparet, quod permisit Dominus istas Gentes ad exercitium, ex quo experimentum accipitur? Ex quo apparet, quod mali multi sunt permittendi inter bonos, ad probationem bonorum, vel exercitium, secundùm quod dicit Apostolus prima ad Corinth. 11. *Oportet hæreses esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant*, vel ut ipsi mali sic permissi per divinam patientiam expectentur ad pœnitentiam, aut ut impœnitentes thesaurizent sibi iram Domini in die furoris ejus, vel alia causa nota divinæ dispositioni: unde ratio secunda est ad propositum meum, & oppositum ejus: probat enim, quod boni tolerant secum malos, quia filii Israel non deleverunt Jebusæos, per quos, secundùm proponentem, peccata, vel peccatores intelliguntur, sicut per filios Israel boni. Item simili modo dicerem, quod cùm permitterentur esse in populo cæci & claudi, grandi aut parvo naso, per quæ peccata, ut exponunt Doctores, signantur, mali inter bonos sunt permittendi, si tamen pace salva ejici non possint: nam & grex porcorum juxta homines fuisse legitur Matth. 8. ubi per porcos gloss. carnaliter viventes intelligit, & per homines, rationabiles, à *quibus* dæmones, id est, peccatum mortale, expelluntur, & permittuntur à Deo intrare porcos, hoc est, vitam pecudum eligentes.

*2. Tim. 2.* *Judic. 1.* *Jud. 2.* *1. Cor. 11.* *Matth. 8.*

De pœnis quæ debent infligi. *Levit. 26. Deut. 28. Psalm. 78.*

Ad quartam de communicationibus divinis Levit. 26. & Deuter. 28. concedo eas, & per hoc ostenditur, quod Dominus ipse omnia mortalia potest punire, sicut & prohibet. Propterea lex Domini immaculata est, ait Propheta: Non sic homo, qui interiora non judicat, quia homo videt ea quæ parent, primo Regum 16. Nec omnia exteriora rectificat, propter defectum potentiæ executivæ, nam non potest, ut Deus, de lapidibus, id est obstinatis suscitare filios Abrahæ, scilicet facere fideliter credentes, & sanctè viventes.

Ad sextam, Deuteronom. 21. Dominus dedit præceptum, *Si genuerit homo*, &c. dico, quod illud est verum, & ad literam, filius contumax, nolens patris aut matris obedire præceptis, lapidabatur. Sed secundùm sensum literalem non accipit opponens: quia non vult leges humanas mortis supplicium inferre, licet opppsitum probatum sit. Glossam tamen non nego, imò recipio, sciens quid dicat Origenes super Levitico circa principium 24. cap. comparans innitentem sensui literali, Ægyptio, & innitentem sensui spirituali, Israelitæ: & quod qui literam tenet, & sensum literalem grammaticalem, Ægyptius est, matrem habens Israelitam, quia literam Scripturæ, sed

Digitized by Google

ſed patrem Ægyptium, quia ſenſum carnalem. Qui verò literam tenet, & ſenſum ſpiritualem, ex toto eſt Iſraelita, ex matre propter literam, ex patre propter ſpiritualem ſenſum. Et quomodo Ægyptius cadit, quia litera occidit, Iſraelita ſtat, quia ſpiritus vivificat, hoc dictum totum eſt, ut pateat, quod Scriptura non eſt intelligenda ſemper ſecundùm ſenſum Grammaticalem, ſed ſecundùm ſenſum literalem, quem primò per verba intelligit Spiritus ſanctus, & ſecundùm ſenſus myſticos. Placet ergò, quod filius contumax puniebatur, quia contumacia illa erat grave peccatum, & janua omnium malorum, propter abjectionem diſciplinæ. Propterea hoc morale hîc inſerendum eſt, Magna cura Eccleſiæ eſſe debet, & huic ſanctæ Synodo, ut juvenes ſub virga diſciplinæ arceantur, nec Magiſtri auctoritas ſit remiſſa, nec torpeat diſciplina; deturque per loca talis ſcolarum ordo, ut à puero amor Dei & timor, virtutum honeſtas, & fœditas vitiorum primum, poſtea literæ doceantur. Nec nego, peccata publica eſſe punienda, ſi tamen aſſint prædicta. Quantum ad punitionem juſtitiæ, ſcilicet juriſdictio, convictio, pax ſalva, cum aliis debitis circumſtantiis.

Ad auctoritatem Hieremiæ primo: *Ecce dedi verba mea in ore tuo, &c.* concedo illam, & quod Prædicator habet evellere, diſſipare, diſperdere, & deſtruere verbo prædicationis vitia, plantare & ædificare virtutes; ſed quia actus prædicationis eſt actus virtutis, dirigi debet prudentiâ, & debet habere circumſtantias tactas ibi, *quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando*, ne quando populum inſtruere molitur, ſcandalizet. *Hierem. 1.*

Ad auctoritatem Iſaiæ etiam concedo ſimpliciter, & etiam auctoritatem Ezechielis 34. ubi Dominus comminatur paſtoribus, qui, quod infirmum fuit, non conſolidaverunt, ibi enim arguitur negligentia paſtorum, dum quod poterant ſanare, non ſanaverunt, & infirma non confortaverunt, & ſic de aliis. Item abuſus bonorum ſibi ad uſum conceſſorum ſub divinæ maledictionis obteſtatione prohibetur. *Ezech. 34.*

Ad rationes de Novo Teſtamento, Matth. 18. præcipitur. *Si peccaverit in te frater tuus*: iſtam omninò concedo, & eſt pro me, ſicut pro opponente, loquitur enim de correctione fraterna, de qua conceſſum eſt in prima concluſione ſecundi puncti, quod eſt exercenda, & quomodo ibi viſum eſt. *Matth. 18.*

Ad illam de Apoſtolis, 2. Timoth. 4. illam concedo, nam inſtruit Timotheum Apoſtolus in regimine populi, tam in correctione fraterna, quàm paterna. *2. Tim. 4.*

Ad illam Apoſtoli prima Timoth. 5. *Peccantem coram omnibus, &c.* dico, quod illa auctoritas intelligitur de correctione paterna, ſecundùm quam judex ſubditum poteſt corripere, arguere, caſtigare, vel punire publicè de peccato publico.

Ad rationem 1. Corinth. 5. *Omninò auditur inter vos talis fornicatio, &c.* dico illam auctoritatem eſſe pro me: nam conceſſum eſt publica peccata mortalia punienda, modo ibi dicto, & maximè gravia multum ſcandalizantia Eccleſiam, & turbantia populum, quale erat peccatum Corinthii, de quo loquitur auctoritas, quia habebat uxorem patris ſui. Et ut textus habet, & de Lyra etiam dixit, talis fornicatio nunquam licita fuit judicata etiam inter Gentes. Nam ab initio mundi, ait de Lyra, fuit hoc excluſum, tanquam illicitum: propter reverentiam enim naturalem, quæ debet haberi ad patrem & matrem, iſtæ duæ perſonæ à matrimonio ſemper fuerunt excluſæ, tanquam à dictamine legis naturalis. Hunc ergò fornicatorem tam abominabilem, coram Corinthiis punivit Apoſtolus, quia auctoritatem habebat à Domino. Et peccatum erat publicum & ſcandaloſum, neque ex hoc ullum ſequebatur periculum ſchiſmatis in Eccleſia, quod dedit ejus corpus vexandum Sathanæ, ut ſpiritus ejus ſalvus eſſet. *1. Cor. 5. De fornicatione.*

Ad rationem primæ Theſſalonicenſ. ult. Corripite, &c. concedo eam ſimpliciter: loquitur enim Apoſtolus de fraterna correctione. *1. Theſſ. 5.*

Ad auctoritatem Apoſtoli, Epheſ. 6. *Et vos patres nolite ad iracundiam, &c.* Iſta ratio eſt de diſciplina patris familias: & concedo eam penitus, nec probat ex hoc, quod omnia peccata ſunt punienda, cùm patres ſolùm ſuper liberos & familiam habeant regimen œconomicum, & ſuper extraneos non: & aliqua poſſibilia peccata ſuæ familiæ ſufficienter punire non poſſunt. *Epheſ. 6.*

Ad rationem, Matth. 18. *Qui ſcandalizaverit, &c.* poteſt dici, quod illud intelligitur de ſcandalo in fide, quod ſit peccato infidelitatis. Non tantum dixit Dominus, *Qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis*, ſed adjunxit, *qui in me credunt*, quaſi diceret: Qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, propter fidem, qua in me credunt. Alio modo, quod intelligitur de ſcandalo activo generaliter. Et ſic ſecundùm Gregor. in paſtorali, & Nicolaum de Gorra, ſenſus eſt, qui ſanctitatis ſpecie, verbo, vel exemplo cæteros deſtruit, melius (id eſt minus malum) eſſet, ut eum ſub exteriori habitu ad mortem terrena (a) pœna conſtringeret, quam propter ſacra officia, in culpa cæteris imitabilem ſe oſtenderet, quia ſi ſolus caderet, tolerabilior eum pœna cruciaret. Qui enim peccat in habitu religioſo, multos lædit malo exemplo. Et ſic *Matth. 18. Gloſſa ordinaria c. 18. Matth.*

(a) *textus impreſſus habet actu.*

illud

Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433. illud est de speciali peccato, scilicet hypocrisis: ex quo non potest inferri universalis conclusio, de propulsione peccatorum. Chrysostomus conformiter innuit, quod de speciali peccato hoc intelligitur. Nam dicit: *Si autem convitium scandalum vocat, ne mireris, multi enim pusillanimes ex eo, quod despiciuntur, scandalizati sunt.*

*Chrysost. in idem cap. Lucæ 19.* Ad illud, Lucæ 19. *Et ingressus in templum, &c.* dico, quod ista ratio est contra facientem. Apparet enim, quod Dominus peccata sacerdotum per se ipsum punire

*Matth. 21.* voluit, quæ erant in pecuniæ mutatione, & venditione columbarum. Hæc enim fie-

*Greg. lib. 25 moral. cap. 21.* bant ad utilitatem eorum, & ipsorum ordinationem. Propterea dicit Gregorius 25. Moralium: *Neque enim frustra per semetipsum Dominus æs nummulariorum fudit, & cathedras vendentium columbas evertit, nimirum, significans, quia per Magistros quidem judicat vitam plebium, sed per semetipsum facta examinat Magistrorum*, ut dictum fuit. Non ergò per inferiores fideles, sunt prælati puniendi, per cohibitionem pœnæ, nec per eos coram aliis reprehendendi, ut dixit proponens, nisi de peccatis infidelitatis, schismatis, aut malæ doctrinæ, directè vergentibus in nocumentum aliorum fidelium.

*Lucæ 18.* Ad illam, Lucæ 18. *Deus autem non faciet, &c.* dico quod illa non probat propositum suum, quod à quolibet fideli omnia peccata sunt corrigenda, castiganda, &c.

*Albertus in idem caput.* Sed quod à Deo, quod concedo; ibi enim, secundùm Albertum, isto passu, & etiam Nicolaum de Gorra, ostenditur præeminentia divinæ justitiæ, ad judicem iniquum, qui, ut parabola habet, Viduæ diu justitiam distulerat, & adhuc, non amore justitiæ, sed causa molestiæ vitandæ, tardè reddiderat. Non sic verò Deus, scilicet faciet, &c. & sic nihil concludit.

*1. Joan. 3.* Ad illam primæ Joan. 3. *Scitis, quia ille apparuit, &c.* dico cum Ægidio de Roma in hoc passu, quod tollere peccatum tripliciter est. Primò diminuendo facta, Joan. primo. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Secundò, adjuvando, ne fiant. Tertiò, ducendo ad vitam, ubi omninò fieri non possunt. Et in omnibus his modis Christus tollit peccata mundi. Ex duobus primis modis apparet magis oppositum proponentis, quàm propositum: ex tertio non arguitur ad propositum, quia est de Ecclesia triumphante. Item dico, quod tollit peccata, quia legem immaculatam, omne mortale prohibentem instituit: tamen manifestum est, quod peccata aliqua permisit, manserunt etiam peccata Judæorum, remanserunt & Gentium, crucem

*1. Cor. 1.* putantibus Judæis scandalum, & Gentibus stultitiam, ut dicit Apostolus 1. Corinth. 1.

*1. Joan. 3.* Similem intellectum habet illud: *In hoc apparet filius Dei, ut dissolvat opera diaboli.*

Ad illam de epistola Judæ, *Ecce venit Dominus, &c.* dico, quod istud allegatum loquitur de adventu Domini ad judicium, in quo omnia mala tunc punientur. Et hoc sonat, quod adhortativè subditur, *hos quidem arguite, illos verò salvate de igne rapientes*, hoc est, eripientes de igne inferni, in quo sunt impœnitentes & incorrigibiles. Iterum hoc accipitur ex gloss. de Lyra in hoc passu.

*2. Cor. 10.* Ad illam 2. Cor. 10. *In promptu, &c.* dico cum Petro de Tharantasio, post modum Innocentio quarto, quod illud, *ulciscì omnem inobedientiam*, facit distributionem pro generibus singulorum, ita ut in omni statu, minorum scilicet & majorum, & mediocrium inobedientia in promptu vindicetur, aut in omni modo, scilicet cordis, oris, & operis, sed non habet opponens, quod faciat distributionem pro singulis generum.

*2. Tim. 3.* Ad illam, 2. Timoth. 3. *Omnis Scriptura divinitus, &c.* dico uno modo, quod hæc ratio arguit de correctione in verbo prædicationis, quæ fit per modum exhortationis, declamationis, aut exprobrationis, quæ quamvis modum correctionis fraternæ excedat, quia fit publicè, tamen ex caritate procedit, aut procedere debet; nec per eam puniuntur in speciali peccata, nec propriè puniuntur, sed reprobantur, & instruuntur auditores, ut perfecti sint ad omne opus bonum. Alio modo, quod loquitur indistinctè, de omni utilitate Scripturæ divinitus inspiratæ, & sic habet gloss. ord. cum dicit: *Utilis est ad docendum nescientes, ad arguendam & convincendum de malo negligentes, ad corripiendum, id est, increpandum duriter in malo persistentes, ad erudiendum pœnitentes & incipientes discere.* Nec hæc expositio aliquid arguit contra dicta.

*Tit. 1.* Ad illam, ad Titum primo. *Oportet Episcopum sine crimine esse, &c.* sequitur, *Sunt enim multi vaniloqui, seductores maximè, qui ex circumcisione sunt, &c.* dico,

*Glossa decreti dist. 25. post cap. seri.* quod secundùm glossam decreti dist. 25. *Nunc autem:* crimen quadrupliciter accipitur, Primo modo largè pro omni delicto, sive mortali sive veniali, sive ex deliberatione, sive non, sicut dicitur in Catone: *Nemo sine crimine vivit.* Secundo modo, strictè pro omni culpa, sive venialì, sive mortali, ex deliberatione procedente. Tertio modo strictius pro omni culpa mortali, quæ est criminalis infamia, de hoc dicit textus: *Crimen est querela*, id est, *peccatum accusatione & damnatione dignum*, hoc

*Dist. 81. c. Apostolus 1.* modo accipitur in textu allegato, Titi primo, *Oportet Episcopum sine crimine esse.* Quale autem sit, declaratur dist. 81. cap. Apostolus Paulus. *Si quis*, ait textus, *est*

*sine*

Digitized by Google

*ſine crimine, ut eſt homicidium, adulterium, & aliqua immunditia fornicationis, furtum, fraus, ſacrilegium.* Quarto modo ſumitur ſtrictiſſimè, prout eſt grave peccatum accuſatione & damnatione dignìſſimum. Sumendo igitur tertio modo, dico, quod omne crimen eſt peccatum mortale, ſed non è contra, ſed ſolum mortale capitale dicitur crimen. Doctores autem aliqui enumerant XI. ſpecies talium, ſcilicet peccatum infidelitatis, peccatum contra naturam, homicidium, crimen læſæ Majeſtatis, ſacrilegium, inceſtus, conſpiratio, adulterium, falſum teſtimonium, ſimonia, uſura. Dicuntur autem iſta eſſe capitalia, quia ſecundùm Doctores inducunt ad damnationem, exilium, vel aliam pœnam, ſecundùm leges civiles, vel excommunicationem, depoſitionem, vel aliam pœnam, ſecundùm leges canonicas & jura. S. Thomas 2. 2. quæſt. 108. art. 3. recitat ſecundùm Auguſtinum, ſequentem Tullium, octo pœnas, quas infligere ſolet lex civilis, & ſunt mors, verbera, talio, ſervitus, vincula, exilium, damnum, ignominia. Et accipiuntur iſtæ octo pœnæ, ſecundùm octo, quæ homo maximè diligit, & in hoc, quod quælibet pœna eſt alicujus horum privativa. Quæ octo ſunt, vita, jocunditas, integritas, libertas, expedita operatio, patria, bona temporalia, fama. Mors eſt contra vitam, verbera contra jocunditatem, talio, puta oculum, pedem, &c. contra integritatem, ſervitus contra libertatem, vincula contra expeditam operationem, exilium contra patriam, damnum contra temporalia bona, ignominia contra famam. Sex verò communiter aſſignantur in genere pœnæ juris canonici, ſuſpenſio, excommunicatio, depoſitio, intruſio, carceratio, verberatio: hæc per diſgreſſionem dicta ſunt. Dico igitur ad propoſitum, quod auctoritas Apoſtoli vera eſt, *oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe*, ſumendo crimen tertio modo. Quantum ad illud: *ſunt enim multi inobedientes, &c.* dico, quod textus ſolvit ſeipſum. Crimen enim ſeductionis & ſubverſionis eſt valdè grave, & maximè, ſi ſit in fide, unde non eſt neceſsè in talibus præcedere ſecretam monitionem, ſed ſi periculum eſt in mora, proceditur ad denunciationem coram ſuperiori. Et ubi imminet citò periculum, ut dictum eſt, poteſt argui, quoad talia, coram omnibus: quia omnes tangit, & maximè in infidelitatis crimine, ex quo, qui erat ſuperior, deſinit, quoad hoc eſſe ſuperior. De iſtis loquitur Apoſtolus, verum adhuc ſolùm loquitur Tito, ibi Epiſcopo, cui ex officio incumbit. Sic ergò nec de crimine omni, nec omni homine loquuntur allegata.

*Criminalia peccata XI.*

*Pœna 8. S. Thom. 2. 2. q. 108. art. 3. Aug. 12. de civit. Dei, c. 11.*

Ad rationes, Rom. 13. *Si malè feceris time, non enim ſine cauſa princeps gladium portat, &c.* Et infrà, prima Petri 2. *Subjecti eſtote omni humanæ creaturæ, propter Deum, ſive Regi, quaſi præcedenti, ſive ducibus, quaſi ab eo miſſis, &c.* ad Hebr. 12. *Quis enim filius, quem non corripit pater? &c.* concedo iſtas omninò. Duæ primæ loquuntur de punitione juſtitiæ ab homine, ut Dei miniſtro: tertia de ipſa divina juſtitia, qua nunc, ut pater filios caſtigat. Nam juxta Prophetam, Pſalm. 44. *Virga directionis, virga regni tui.* Quod verò allegat Gregorium dicentem, quod per hoc, quod Dominus ejecit dæmonia, & quod conceſſit Diſcipulis hoc facere, ſignat, &c. hoc etiam concedo, ſed eſt ad oppoſitum, & non propoſitum proponentis, quia non omnia dæmonia Diſcipuli ejicere potuerunt, patet Matth. 17. Marc. 9. ubi apparet, quod Diſcipuli dæmonia lunatica non potuerunt ejicere. Nam & Dominus dicit hoc genus dæmoniorum non ejici, niſi in oratione & jejunio, per quod, juxta multos Doctores, ſignatur peccatum luxuriæ, quod revera ſine oratione & jejunio, vel moderata abſtinentia, difficile comprimitur. Et quia populus communiter pro magna parte non inſtat orationi & jejunio, & hoc rector homo cognoſcit, non punit ſimplex meretricium, ſed tolerat, ad majus malum vitandum.

*Rom. 13. 1. Petri 2. Hebr. 12.*

Ad rationes de praxi Chriſti Apoſtolorum, & primitivæ Eccleſiæ. Ad iſtam de praxi Chriſti, qui durè clerum & alios arguit, dico, quod Chriſtus clerum arguebat propter crimen infidelitatis, quia legem veritatis intelligere nolebat. Unde proſtravit Paulum, & cæcavit, quia perſecutor erat veritatis; quamvis pro crimine infidelitatis, quilibet poſſit ſuperiorem, ſcilicet, qui fuit ſuperior, arguere publicè, ubi tale periculum imminet, quod non patitur dilationem; non tamen pro peccatis publicis perſonalibus punire per judicium juſtitiæ & auctoritatis, licet poſſet fraterna correctione ſecretè arguere, ſuperiori ſcilicet, ſi opus fuerit, denunciando. Dico ultrà, quod non omnia opera Chriſti imitari tenemur: ut declarat Alexander de Ales, in 4. Sunt nempè tria genera operum Chriſti, quædam potentiæ, ut miracula, quædam ſapientiæ, ut inſtitutio Evangelicæ legis & ſimilia, quædam bonitatis: & hæc duplicia ſunt, quædam pietatis, quædam juſtitiæ punitivæ. In operibus potentiæ non vult Deus imitari à nobis: imò Angelus in hoc, quod in potentia Dominum imitari voluit, peccavit. Nec in ſecundis: nam in hoc Adam peccavit. In tertiis verò vult, quantum ad opera pietatis, Matth. 5. *Eſtote miſericordes, ſicut pater veſter miſericors eſt.* Non autem, quoad opera juſtitiæ punitivæ, niſi quibus commiſſa eſt auctoritas à lege, vel inſpiratione probata per ſacram Scripturam, vel miracula. Ratio autem, cur



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

nisi habens auctoritatem, debet exercere actus justitiæ, quia gubernatio est opus Dei. Ideò illi soli competit gubernare, cui Deus commisit: hoc autem tantum per legem, aut voluntatem per revelationem consuevit committere. Summa ergò religionis est imitari quem columus, Christum, ut dicit Augustinus, quoad opera bonitatis & pietatis, quoad omnes; justitiæ, quoad habentes auctoritatem. In hoc, quod allegat opponens, Christum puniviſſe per temporalium subtractionem aliquos, nescio, ad quem finem hoc facit: si per hoc inducere vellet, quod principes possent temporalia subtrahere ab Ecclesiasticis, malè illis utentibus, hoc esset insustinibile; quia nullam habent jurisdictionem in illos, ut suprà dictum est, & pulchrè declarabit venerandus Doctor responsurus de ista materia; si, quod superior potest subditum suum per subtractionem bonorum temporalium interdum punire, hoc concedo. Concedo quod Christus exprobravit incredulitatem Discipulorum, & duritiam cordis. Concedo etiam, quod Angelis peccantibus non pepercit, sed tradidit vinculis æternis, &c. ut dicit Judas Apostolus in Canonica sua. Praxim Apostolicam in punitione peccatorum concedo, ut fuit allegatum de Petro, Actuum 5. & Paulo, Actuum 13. de Elyma mago, peccata enim ista, propter quæ puniverunt, aut punienda declaraverunt, quod dico propter punitionem Ananiæ & Saphiræ, secundùm multos, erant gravia & scandalosa, ut patet in litera. Praxim item Joannis Baptistæ, in reprobatione peccatorum per viam prædicationis & Prophetarum: sed ex hoc non concluditur, omnia peccata mortalia publica esse punienda, nec omnia puniverunt. Nam erant multi Pseudoapostoli tempore Pauli, nec legimus per eum aut alios Apostolos esse punitos. Galatæ insensati non dicuntur nec leguntur fuisse puniti per Apostolum pœna justitiæ, sed tantum per prædicationem correpti, ad Galat. 3. Ortum fuit murmur Græcorum adversus Judæos, quod viduæ eorum despiciebantur in quotidiano ministerio, Actuum 6. nec illud legitur punitum. Et facilè multa similia reperirentur impunita propter periculum schismatis in Ecclesia, aut alia occulta nobis, tamen justa ratione. Quod ad praxim primitivæ Ecclesiæ allegat, quod communitas Corinthi cum spiritu Apostoli tradidit Corinthium Sathanæ in carnis interitum, per hoc arguens, quod populus possit peccata publica punire, dico, quod ex serie textus non habetur, quod communitas Corinthiorum hoc fecerit, sed Apostolus. Nam dicitur sic: *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi, ut præsens, eum, qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis, & meo spiritu, cum virtute Domini Jesu tradere hujusmodi hominem Sathanæ*, textus dicit: *judicavi*, non judicavimus. Et Nicolaus de Lyra dicit: *Ego quidem habens auctoritatem super vos*, ubi patet, quod ipse, qui habebat auctoritatem, judicavit. Præterea punitio malorum presbyterorum, de qua Daniel 13. ostensa & sententiata est per Danielem auctoritate sibi à Deo data. Nam ibi dicitur: *Suscitavit Deus spiritum pueri junioris, cui nomen Daniel.* Executio autem per populum, & in veteri lege, multas executiones per populum legimus in spiritualibus casibus, ut in crimine idololatriæ Levitici 20. Deuteron. 13. & 18. In blasphemia Dei, Levitici 24. Num. 25. pro violatione Sabati in colligente ligna illo die, Num. 25. pro inobedientia contumaci filiorum ad parentes, Deut. 21. pro violatione virginis desponsatæ, Deuteron. 22. hanc executionem faciebat populus, sed auctoritate legis & judicum sententias ferentium secundùm legem. Ita dicit de Lyra super illo Deuteron. 13. *statim interficies*, *cum*, dicit, *judicatum fuerit per judices.* Allegat, quod populus Judæorum ab alienigenis, &c. Concedo hoc, sed non ideò hoc fecerunt sine peccato alienigenæ. Nam in subactione ista duo considera, actionem & intentionem captivantium. Aliquando enim, ut dicit Alexander in summa, utrumque à Deo excitatum est, dum utrumque est bonum, scilicet captivatio & intentio captivantis. Aliquando actio à Deo excitatur, & non intentio; dum actio bona est, quia à Deo volita, sed intentio mala, quia odio vel ira, aut alia mala passione excitata: Aliquando siquidem puniuntur peccata per scientes; aliquando per nescientes. Exemplum de secundis, ut populus Judæorum fuit punitus per Senacherib Isaiæ 10. *væ Assur virga furoris mei*, & per Nabuchodonosor 4. Reg. ultimo, Et etiam per Antiochum, primo Machabæorum primo. Exemplum de primis, ut quod peccata Amorræorum fuerunt punita per filios Israel. Hi enim sciebant se à Domino excitatos punire peccata harum nationum. Sed Assyrii, & Rex Babyloniæ, &c. etsi punirent, nesciebant, se ex divino præcepto punire. Nam filii Israel monebantur à Domino, quoad punitionem & intentionem punientis, quia hoc faciebant ex divino mandato accepto, & ut voluntatem Domini adimplerent: sed alienigenæ Assyrii, & cæteri, utique Domino movente subigebant populum Israel, sed non ut implerent Domini voluntatem, imò ex odio, cupiditate, aut alia mala intentione hoc faciebant, ideò peccabant. Ita populus vel civitas non habens usum jurisdictionis, puniendo pœnaliter, peccarent, nisi super hoc acciperent à Domino mandatum speciale, & hoc probarent sacrâ Scripturâ, aut miraculo, ut sibi esset credendum.

*Augustinus.*
*Judas in epist. Can.*
*Actor. 5.*
*Actor. 13.*
*2. Cor. 11.*
*Galat. 3.*
*Actor. 6.*
*1. Cor. 5.*
*Dan. 13.*
*Levit. 20.*
*Deut. 13. & 18.*
*Levit. 24.*
*Num. 25.*
*Deut. 21.*
*Deut. 22.*
*Deut. 13.*
*Alexander ab Ales 3. par. q. 35. num. 2. art. 2.*
*Esaiæ 10.*
*4. Reg. 25.*
*1. Mach. 1.*

Ad

Digitized by Google

Ad auctoritates Sanctorum: ad primam Augustini, super epistolam Joannis, & 24. quæ 5. *Non putes, &c.* Respondeo cum gloss. quod istud intelligitur de illis, qui habent aliquam potestatem super alios, vel de Canonica denunciatione, ad quam quilibet tenetur: Per Canonicam denunciationem intelligit gloss. fraternam correctionem. De multis verò modis habendi potestatem, habetur super 23. q. 4. *Duo ista,* ut est in Episcopo erga plebem suam, pauperi regenti domum suam, diviti regenti familiam suam, marito erga conjugem suam, patri erga prolem, judici erga provinciam, Regi erga Gentem. *Aug. super epist. Joan. tract. 7. Tom. 9. 24. q. 5 ca. 36. Non putes. 23. q. 4. cap. 35. Duo ista.*

Ad illam de (a) Augustino, *Non vos judicetis malevolos*, de quo 5. q. 5. dico cum gloss. quod textus ille de denunciatione loquitur, & de secreta correctione, & est argumentum, quod quilibet tenetur ad denunciationem, de quo 23. q. 5. *Non putes.* Ista sunt verba glossæ. Intelligo autem denunciationem hîc, admonitionem fraternam, ad quam quilibet tenetur pro loco, tempore, & aliis circumstantiis, aut denunciationem testibus factam, aut Ecclesiæ, si secreta monitio non sufficit. (a) *5. qua. cap. 1. Non res judicans. Aug. epist. 109. To. 2.*

Ad illam (b) Augustini in sermone de servo Centurionis, dico, quod Augustinus ostendit magnitudinem mali eorum, qui impunè peccant, nam peccatum est pœna magna peccantis. Et quia ex impunitate assumunt sibi ausum peccandi, tamen commodè è duobus malis minus malum, ad vitandum majus toleratur, & majus malum est malum totius, quàm partis. Permittitur malum in parte, ne sit malum in toto. Ideò ad vitandum schisma in Ecclesia, aut turbationem boni communis, aliqua manent ab homine impunita. *23. q. 5. cap. 36. Non putes. (b) Augustinus.*

Ad illam Augustini, *Si ea, de quibus Deus vehementer offenditur, &c.* 23. q. 4. dico, quod illud capitulum loquitur de punitione potestatis judiciariæ, & est verum, cum judex differt judicare & punire ea, unde Deus vehementer offenditur. Nota quod vehementer designat gravitatem, si tamen salva jurisdictione, & convictione hoc facere possit, Dei patientiam provocat; sed non si istis salvis punire non possit. *23. q. 4. cap. 50. Si ea de quibus.*

Ad illam Augustini ad Chrysostomum dico, quod est vera istis tribus jam concurrentibus, jurisdictione, convictione & pace salva, seu unitate Ecclesiæ, aut Reipublicæ. *Augustinus*

Ad illam Hieronymi 23. q. 5. Regum, ubi dicitur, *Regum est proprium, &c.* Ista auctoritas vera est, sed arguit ab insufficienti, assumit enim auctoritas, quod officium Regum proprium est facere judicium, & justitiam, scilicet in foro suo. Cæterosque casus enumerat, facere judicium & justitiam, ut liberare vi oppressos, de manu calumnantium, peregrino, pupillo, & viduæ præbere auxilium, sanguinem innocentem non effundere. Isti sunt casus (c) septem. Concedo, quod in istis, & in omnibus suæ legi subjectis pertinet facere judicium, sed ex hoc concludit, quod omnia peccata debet punire, si sint mortalia publica, & hæc insufficienter: tum, quia lex humana non prohibet omnia, tum quia homo legem divinam omnia prohibentem mortalia, non sufficienter potest executioni demandare, omnia scilicet puniendo pœnaliter, ut dictum est. Deficit autem argumentum, quia ex hoc, quod divina lex omnia mortalia prohibet, videtur concludere, quod ergò omnia in hoc seculo pœnaliter puniat, quod non concedo. Item, quia Ecclesiastici non subduntur potestati seculari, quoad personas, ideò, &c. Ad illam Hieronymi in libro Judicum: *Traduntur autem peccatores, &c.* illam concedo, nec video, quomodo est ad propositum. *Hieron. super Hierem. c. 22. 23. q. 5. c. 133. Regum officium est proprium. (c) pro septem, alter m.s. habet pii, ex similitudine harum literarum & numeri. Hieronym.*

Ad illam Hieronymi in prologo Bibliæ, *Sancta rusticitas.* Ista autem intelligitur de resistendo contra impugnatores fidei maximè, nam hoc modo potissimè Ecclesia impugnatur, & de resistentia ei competente, puta, orando, corripiendo, arguendo publicè fidei perversores, si & quando opus est, cum aliis circumstantiis requisitis. Bonum autem fit uno modo, malum autem multivario. Quod verò de talibus intelligatur, patet manifestè ex serie verborum illius capituli. *Cap. 4.*

Ad illam auctoritatem Gregorii in Registro Reginæ Francorum Brunichildæ: *Cum scriptum sit, justitia elevat Gentem, &c.* Hîc dico, quod in allegatione ista aperit opponens mentem suam manifestius, quàm in articulo suo, aut primo Corollario. Nam per hoc videtur sentire, quod principes seculares habeant auctoritatem puniendi peccata publica sacerdotum, & quod debeant hoc facere, ne Dominus manum ad feriendum extentam excutiat. Hoc autem ostensum est, esse falsum, in primo Corollario secundæ conclusionis, in secundo puncto. Dico igitur, quod auctoritas Gregorii intelligitur de correctione competente suæ jurisdictioni, puta, si sacerdotes sint publicè mali, ut Regina suis subditis prohibeat, ne in peccatis sacerdotum dent auxilium vel favorem: ut fœminas, cum quibus impudicè peccant, sicut etiam sonat auctoritas, proscribant de suis dominiis, aut alio modo licito, non autem in persona sacerdotum aut Ecclesiasticorum aliquem actum jurisdictionis exercendo; aut intelligitur de correctione fraterna, dum dicit, *de correctione sceleris studiosissimè cogitate.* *Greg. lib. 9. in Reg. ep. 64. in dist. 4. ad Brunichildam Reginam.*

Ad illam Gregorii ad Constantiam Reginam Galliæ, *Et quia summum, &c.* dico, quod hoc de justitia sectanda accipitur. Alligatur ad casum particularem, puta, quod *Gregorius.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433. quidam prædones villas Eccleſiæ Epiſcopi Juliani ſpoliaverunt, & nocturnis incendiis cremaverunt. Petit igitur Gregorius Papa, ut immunitas violata, præſumptio & ſacrilegium, ſicut auctoritate Eccleſiaſtica, ita regia dignitate talem finem accipiant, ne filii nequam, & membra diaboli talia præſumant de cætero attentare.

*Greg. in regiſtro lib. 9. cap. 53. in diſt. 4. ad Theodoricum Regem Francorum*

Ad illam Gregorii in Regiſtro, *Dum ſcripſimus, &c.* dico, quod illa loquitur de executione ſententiæ Eccleſiaſticæ, Regem monendo, ut illam exequatur, aut judicibus Eccleſiaſticis aſſiſtat, dicit enim: *veſtris amputari finibus faciatis: quid? carnalia vitia ſacerdotum, & ſimoniacam pravitatem, jam, ſcilicet, damnata, aut ut ſcripſimus per Epiſcopos & arguenda, illa à veſtris amputari finibus faciatis.*

*Gregor. in Reg. lib. 7. in diſt. 1. epiſt. 5. eadem 33. q. 4. c. 47. Si quos igitur. Deut. 16.*

Ad illam Gregorii Brunichildæ, Reginæ Francorum. *Si quos igitur, &c.* Ecce concedo illam, ſed accipiendo, ut hoc juſtè fiat. Nam non ſufficit juſtam rem facere, ſed juſtè, dicente Scriptura, Deut. 16. *Quod juſtum eſt, juſtè exequaris:* puta ut ſit juſtus ordo, non ergò niſi in ſubditos, & de crimine convictos. In illos correctio etiam juſtitiæ fieri poteſt, verùm, ubi magna populorum ſtrages immineret, parcendo multitudini, eſſet ſeveritati detrahendum, ut dicit Auguſtinus Bonifacio, & habetur 23. q. 4. *Ipſa pietas*, & hoc eſt, quod dictum eſt prius: quoniam crimina punienda ſunt, quando ſalva pace Eccleſiæ feriri poſſunt, ut dicit B. Auguſtinus in 2. & 3. lib. contra epiſtolam Parmeniani: & contra Fauſtum, ut habetur 23. q. 4. *Quid faciet?* ubi ſic dicitur: *Ecce quod crimina ſunt punienda, quando ſalva pace Eccleſiæ feriri poſſunt, in quo tamen diſcretio eſt adhibenda, aliquando enim delinquentium multitudo diu per patientiam eſt exſpectanda, aliquando in paucis eſt punienda, ut eorum exemplo cæteri terreantur.*

*Aug. epiſt. 50. Tom. 2. 23. q. 4. cap. 24. ipſa pietas. 23. q. 4. cap. 25. Quid faciet. Aug. epiſt. 168. Tom. 2.*

*Matth. 18. Chryſoſt. hom. 6.*

Ad auctoritatem Chryſoſtomi ſuper illo Matth. 18. *Si oculus tuus ſcandalizat te, &c.* dico, quod illa manifeſtè loquitur de correctione fraterna, & ſic illam concedo.

*Chryſoſt. in opere imperfecto in caput Matth. 5.*

Ad illam Chryſoſtomi in opere imperfecto ſuper illo Matth. 5. *Qui iraſcitur fratri ſuo, &c. hoc intelligendum eſt*; Illa non eſt ad propoſitum. Ibi enim reprehendit patientiam irrationabilem, quoniam, ut inquit, vitia ſeminat, negligentiam nutrit, bonos invitat ad malum: non tamen dico ego, ut per ſe agens, ſed ut removens prohibens, ut puto, quia iram per zelum, qui cauſa eſt correctionis & juſtitiæ exercendæ, removet: verum eſt tamen, quod B. Hieronymus in Homilia ſuper illo, ex ſententia Thomæ ſuper Matth. 5. allegatum ſic ait: *Omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, in quibuſdam codicibus additur (ſine cauſa) cæterum in veris diffinitiva ſententia eſt, & ira penitus tollitur, Scriptura dicente: Qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio. Si enim jubemur verberanti alteram præbere maxillam, & inimicos noſtros amare, & orare pro perſequentibus, omnis iræ occaſio tollitur: radendum eſt ergò (ſine cauſa) quia ira viri juſtitiam Dei non operatur:* hæc ille. Poſſet dici, quòd B. Hieronymus non damnat omnem iram, cum aliqua ſit juſta, ſcilicet, quæ eſt per zelum, ſicut ſcriptum eſt, Joannis 7. *Zelus domus tuæ comedit me*, ſed tanquam conſilium ſuadet, omnem iram de corde propellere. Ad illam in opere imperfecto ſuper illo Matth. 4. *Vade retro Sathana, exaſperatus eſt, &c.* dico, quòd vera eſt, & intelligitur, ut unuſquiſque modo ſibi convenienti injurias Dei, & offenſas, hoc eſt, peccata mortalia, & maximè, quæ ſunt in Deum directè, corrigat, nec patiatur inulta, ut princeps, per inflictionem pœnæ ex judicio, inferiores Subditi per correctionem fraternam, & iſta ſunt vera, modo tacto in poſitione.

*Joan. 7. Chryſoſt. in opere imperfecto in cap. Matth. 4. hom. 5.*

*Iſidor. lib. 3. de ſummo bono, cap. 53. 23. q. 5. cap. 20. Principes ſaculi. 32. diſt. cap. 20 Eos, qui.*

Ad illam Iſidori, de qua 23. q. 5. *Principes ſeculi*, dicit gloſſa ſic, quòd hîc quatuor capitula ad hoc inducuntur, ut principes Eccleſias defendant, & reos non permittant vivere, nec tamen ex iſto capitulo, aut aliis ſequentibus poteſt inferri, quòd principes in perſonas Eccleſiaſticas habeant exercere judicium, niſi in caſibus, qui in gloſſa exprimuntur. Et adhuc non poteſt illud, niſi ex ordinatione Eccleſiæ, & conceſſione ſpeciali, in ſubſidium Eccleſiaſticæ juriſdictionis. Primus, cum ſunt incorrigibiles: de quo 22. diſt. *eos, qui:* ibi enim dicitur, quòd, ſi diaconi poſt ſuſceptum ordinem velint vacare uxoribus, à ſacro ordine removeantur, id eſt, removendi jucantur, intelligo hoc, quoad adminiſtrationem, quia character eſt indelebilis; officio atque beneficio carere decernuntur; quod ſi ab Epiſcopo commoniti non ſe correxerint, principibus indulgemus licentiam, ut eorum fæminas mancipent ſervituti: Ex textu patet, quod non datur licentia, ut in perſonam diaconi juriſdictio ſecularis exerceatur etiam poſt monitionem Epiſcopi, ſed in fæminam ejus: & ad id dicit gloſſa, quod hoc eſt verum, cum Epiſcopus eam corripere non potuerit, aut ſuffecerit. Nam primò debet eas in ſervitutem redigere, ſi poteſt, ſed ſi non ſufficit, tunc itur ad brachium ſeculare, & ſecundùm gloſſam, per punitionem talis fæminæ dicitur exercere brachium ſeculare judicium in Eccleſia, quia ex quo illa eſt de familia ſacerdotis vel diaconi, poteſt dici, inquit gloſſa, quod eſt de foro Eccleſiæ, ſicut & alii, qui ſunt de familia ejus, ut 89. diſt. *Indicatum*, & 12. q. 2. *Eccleſiarum ſervos:* vel ideò cenſetur talis fæmina de foro Eccleſiæ, quia ratione delicti fit quis de foro alterius,

*diſt. 89. c. 5. indicatum eſt. 12. q. 2. c. 5. Eccleſiarum ſervos.*

ut 6.

Digitized by Google

ut 6. q. 7. placuit: de istis incorrigibilibus habetur 23. q. 5. de liguribus c. 43. Item 24. q. 3 cap. 18. *Ecce autem.* Secundus casus est propter ambitionem, 79. dist. *Si quis pecunia:* loquitur, de intruso in Papatu pecunia vel gratia humana, aut populari vel militari tumultu, &c. licitum est, inquit capitulum, *humano auxilio à Sede Apostolica pellere.* Tertius casus est, cum fidem moliuntur Ecclesiastici pervertere, 17. dist. *Nec licuit:* ubi in fine dicitur de obstinatis & contumacibus, eos ab eisdem Apostolicis sedibus, aut attrahi ad salutem, quoquo modo necesse est, aut, ne aliorum perditio esse possint, secundùm Canones per seculares comprimi potestates: de hoc satis dictum est suprà. Quartus casus, cum clericus est falsarius, ut extra de crimini falsi *ad falsariorum.* Quintus casus, cum Ecclesiastici schisma faciunt & contemnunt excommunicationem, ut hîc 23. q. 5. de liguribus. Sextus, ubi potestas Ecclesiastica deficit, ut in præsenti capitulo, *Principes.* Septimum de tributis transeo; extra illos & alios, si sint aliqui à jure determinati, nihil jurisdictionis habet laicus in clericum, hoc est, in personam clerici. Et quod habet in istis, est auctoritatis Ecclesiæ, in subsidium Ecclesiasticæ jurisdictionis, ut dictum est.

SÆC. XV. ANNO 1433.

*Ex Concilio Toletano 3. 6. q. 3. cap. 4. Placuit. dist. 79. cap. 9. Si quis pecunia. dist. 17. cap. 4. Nec licuit. Item de falsariis ad falsariorum. lib. 5. & 20. c. 7.*

Ad illam de Ambrosio 32. q. 1. Cum *annunciatum*, concedo illam, nec facit ad propositum, sed ostendit, quod in justificatione impii, dum culpa recedit, advenit gratia, & è contra in perversione.

*Cum annunciatum.*

Ad auctoritates Canonum. Ad primam Pelagii Apostolicæ auctoritatis, & 24. q. 3. ista est magis contra opponentem, quàm pro eo. Nam si exemplo Apostolicæ auctoritatis, puta Pauli, tradendi sunt Sathanæ, id est, excommunicandi peccantes, sequitur, quod non nisi habens auctoritatem, sicut ille habebat, super Corinth. nec nisi crimine scandalizante, ut erat illud facinus Corinthii, qui tenebat uxorem patris, aut aliud grave, alteri vel pluribus nocivum, debet ferre judicium pœnæ, & sic non pro quolibet peccato mortali etiam publico, nec quilibet potest per justitiam punire, quod est contra eum.

*24. q. 3. Apostolica auctoritatis, cap. 13. 32. q. 1. cap. 9.*

Ad illam de Leone Papa 24. q. 3. illud capitulum intelligitur de tolerantia conversationis quorundam Catholicorum cum hæreticis. Tolerare enim hoc grave peccatum est, quia nullum magis infectivum arbitror, & contagiosum peccatum, quàm hæreticam pravitatem, unde sacerdotes vel episcopi, in illo casu tacentes, cum tamen innotescat, canes muti dicendi sunt, non valentes latrare, cum lupi rapaces gregem invadunt, unde tunc eis dici potest illud Isaiæ 22. *Quid tu hîc? aut quasi quis hîc? Ecce Dominus asportari te faciet, sicut gallus gallinaceus asportatur.*

*24. q. 3. Illud sane cap. 24. Esaiæ 22.*

Ad illam Leonis Rustico Narbonensi Episcopo, &c. dico, quòd hoc dicit, quia non amore vindictæ, sed justitiæ; non odio personæ, sed vitii correctio est facienda. Et hoc dixi sæpius in secundo puncto, nec aliquo modo concludit, quod omnia peccata sunt punienda.

*Epist. 92. editionis antiquæ, 95 edit. Rom. 86. odio habeatur, cap. 2.*

Ad illam, Joannis 8. *Administratores, &c.* dico, quod loquitur de peccatis aliis nocentibus, ut patet. Nam dicit de rapacibus, de nocentibus pupillis & viduis, & quod querimonias audiant pro Episcorum tuitione illorum, &c. Ex hoc arguit ab insufficienti, quod ergo omnia peccata mortalia sint punienda, quia multa sunt, quæ nocent directè & per se aliis, nec est facilè totam multitudinem ab illis abstinere, & prohibitio talium cum punitione pœnali confusionem faceret in politia, aut schisma in Ecclesia, aut aliud grave periculum vel peccatum, sicut dictum est.

*23. q. 5. administratores cap. 26.*

Ad auctoritates conciliorum: Ad illam de concilio Apostolorum dico, quod à quatuor prohibuerunt abstinere fideles, scilicet ab immolatis, idolis, sanguine suffocato, & fornicatione; placet tamen mihi, quod omnia peccata mortalia sint divina lege prohibita. Nam hoc in prima parte conclusionis primi puncti dictum est, sed non sequitur, quod ideò sint omnia per hominem punienda. Ad illam ex concilio Turonensi, *incestuosi, parricidæ.* Illud capitulum loquitur de aliquibus gravibus peccatis puniendis, afflictione pœnæ, quia actores illorum monitis Ecclesiæ noluerunt obedire, ex qua particulari, nullo modo potest concludi universalis: omnia peccata mortalia publica sunt punienda per cohibitionem pœnæ.

*Concil. Turonense III. cap. 41. habetur 23. q. 5. incestuosi c. 22.*

Ad illam auctoritatem 2. Paralipomenon 30. qualiter muto concilio, &c. dico, quod apparentiam ad probandum universalem, omnia peccata, &c. non habet opponens, nisi ex illo textu, *destruxerunt altaria, quæ erant in Jerusalem, atque universa, in quibus idolis adolebatur incensum, subvertentes, &c.* tamen ille textus solum loquitur de destructione idololatriæ, & omnium ad eam pertinentium. Ex qua particulari destructione malè potest concludi omnium peccatorum destructio.

*2. Paral. 30.*

Ad illam, 2. Paral. 34. qualiter Josias convocatis universis, &c. dico, quod apparentiam accipit opponens ex illo, *Abstulit Josias cunctas abominationes, de universis regionibus filiorum Israel.* Ad quam dico, quod Scriptura non dixit, omnia peccata, sed, *cunctas abominationes*, per quas peccata idololatriæ intelliguntur, in multis passibus Scripturæ. Et hoc etiam videtur sonare textus sequens, cum subditur: *Et fecit*

*2. Paral. 34.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

*eos, qui reſidui erant in Iſrael ſervire Domini Deo ſuo.* Et expreſſus apparet idem 4. Reg. 23. tamen ſi per abominationes intelligantur peccata mortalia, dicendum videtur, quod ſit diſtributio accommoda, puta, quod majora peccata abſtulit, vel diſtributio pro generibus ſingulorum, tamen magis ſto in prima ſolutione, quia magis conſonat textui & gloſſæ de Lyra.

4. *Reg.* 23.

Ad illa, quæ circa probationem concluſionis ſeu articuli dicuntur, apparet, quod de correctione fraterna aſſumantur: Et ſpecialiter auctoritas Auguſtini, libro primo, contra Creſconium Grammaticum, dico, quod loquitur, quod perſequenda ſunt vitia, amore juſtitiæ, non libidine vindictæ, ita ut vitia, quia Chriſto inimica puniantur, non homo: & ſic arguit de modo punitionis, non de punitione; unde ſi ex modo inferat illam, immutat quale in quid, & fit fallacia. In declaratione dicitur unum bene notandum: nam proponens declaravit, quomodo unicuique congruat corripere peccata mortalia publica. Nam dicit, quod prædicatoribus prædicando, contemplantibus orando, vel aliter promerendo, ſecularibus judicibus, aut principibus ſecundùm potentiam coactivam conſervando, juxta legem Evangelicam convenit corrigere. Et quod omittens, juxta ſuum officium, peccat in Deum & proximum: & quantum & quomodo hæc non ſint vera, oſtenſum eſt, niſi vellet ſingula ſingulis referre, ita, ut cum loquitur de poteſtate judiciaria, intelligat reſpectu ſuorum ſubditorum, ſi de fraterna correctione intelligeretur, correctio aliud eſſet, ſicut monſtratum eſt.

*Auguſtinus.*

Ad rationes primi Corollarii, concedo rationem, quæ probat, quòd peccata mortalia publica, &c. non ſunt fovenda aut defendenda. Hæc fuit prima pars Corollarii. Ad rationes arguentes contra ſecundum partem, quod per rectores ſpirituales & ſeculares, ex eorum officio modis ipſis congruentibus, in communitatibus Chriſtianorum, & quolibet ſtatu eorum, ſunt cohibenda, corripienda, caſtiganda, & pro poſſe ab eiſdem propellenda. Ad primam Dominus Dominantium, Rex Regum, Deus Omnipotens hoc fecit, & hominibus faciendum injungit, ut patet ex diſcurſu Veteris & Novi Teſtamenti, ergò rectores hoc facere debent; dico, quod nec omnia peccata mortalia publica Dominus punivit in lege veteri, nec omnia in lege nova, ſicut latè deductum fuit in concluſione primi puncti, ſed nec omnia punienda mandavit in lege nova. Imò dicit Lucæ 6. *Eſtote miſericordes, ſicut pater veſter cæleſtis miſericors eſt.* Dixit & Matth. 18. cum quæreret Petrus, quotiens fratri in eum peccanti eſſet parcendum: *Non dico tibi uſque ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties.* Et iterum: *Nonne oportuit & te miſereri conſervi tui, ſicut & ego tui miſertus ſuum? & iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoaduſque redderet univerſum debitum, ſic,* inquit Salvator, *& pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſerit unuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris.* Dixit & Apoſtolus ad Epheſ. 4. *Eſtote invicem benigni, miſericordes, donantes invicem, ſicut & Deus in Chriſto donavit vobis.* Et Petrus prima Petri 3. *In fide autem omnes unanimes, compatientes, fraternitatis amatores, miſericordes, modeſti, humiles, non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, ſed è contrario benedicentes.*

*Luc. 6.* *Matth. 18.* *Epheſ. 4.* *1. Petri 3.*

Proponens allegat, quod Dominus punivit ſuperbiam in Lucifero & quibuſdam, avaritiam in Achor, & etiam certis perſonis, &c. quæ ad longum non recito, quia concedo ſemper: tamen argumentum ſuum deficit, quia arguit ab inſufficienti. Non enim ſequitur, punivit peccata in ipſis, ergò in omnibus. Siquidem judicia ſua ſunt abyſſus multa, & alta profunditas, & quis invenit eam? Interdum itaque ita durè corripuit, ut non ſolum homines peccantes, ſed & irrationabilia propter eos puniverit, ut apparet in theſauris Jericho, & animalibus Amalechitarum, in pecunia Symonis Magi, in poſſeſſionibus Ægyptiorum, & hoc, ſicut aperuit nobis Alexander Doctor irrefragabilis triplici de cauſa, ſcilicet, ratione Sacramenti, ratione deteſtationis peccati, ratione flagelli. Ratione Sacramenti theſauri Jericho, Joſue 6. Et animalia Amalechitarum, 1. Regum 15. puniuntur. Nam Jericho interpretatur luna, & ſignificat mundum, cujus avaritia damnatur cum theſauro Jericho. Anathematizantur Amalechitæ, qui interpretantur lingentes, ſignificant carnalium deſideriorum voluptates, quæ debent mortificari, quod denotatur in interfectione animalium Amalechitarum. Ratione deteſtationis peccati pecunia Symonis Magi damnata eſt pro peccato ſuo, Actuum 8. Ratione flagelli, poſſeſſiones Ægyptiorum traditæ ſunt grandini, Exod. 9. ut in illis puniantur & flagellentur, in quorum amore ſupra modum delectabantur. Interdum ita pepercit, ut duxerit juſtos in ſtuporem, dum non contenta fuit clementia ſua crucifixoribus parcere, ſed orabat pro eis. Videtis mirabilem divinæ diſpoſitionis ſcientiam, & arcanum inſcrutabile confortatum, ut non poſſimus ad eum; unde non debet ſumi argumentum pro punitione ab homine, ex punitione Dei; potius ſumendum eſt exemplum ignoſcendi aut corripiendi in ſpiritu lenitatis ex benignitate Chriſti, ipſo dicente: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris.* Et per Prophetam Joel peccatores vocante, cum

*Pſalm. 35.* *Joſue 6. & 7.* *Alexander ab Ales par 3. q. 41. mem. 4. art. 2. ad 2. & ſequentia.* *1. Reg. 15.* *Actor. 8.* *Exod. 9.* *Matth. 11.*

Digitized by Google

cum dicit: *Convertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus & misericors est, patiens & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia*, Joel. 2. Et cognoscite, quàm amarum est, dereliquisse Deum vestrum, *derelinquentes fontem aquæ vivæ, fodientes sibi cisternas dissipatas*, in nimio rigore, scilicet punitionis, *quæ non valent continere*, Jerem. 2. *aquas*, scilicet misericordiæ. SÆC. XV. ANNO 1433. *Joel 2. Hier. 2.*

Ad illam de Fabiano Papa 3. q. 1. *Deus ergò ad hoc præordinavit vos, &c.* dico, quòd illud capitulum loquitur de pœna infligenda contra facientes calumniam sacerdotibus, & vim eis inferentibus, quod patet primò ex rubro, patet etiam ex continuatione. Nam in fine capituli præcedentis dicitur: *Dominum crucifigunt, qui eum in suis sacerdotibus persequuntur:* quia crux à cruciatu dicitur, magnum autem cruciatum sustinet, qui vim patitur. Patet tertiò ex fine capituli, quod opponens obticuit. Nam postquam dixerat, *illum verò, qui calumniam vel opprobrium facit, abscindatis*, sequitur, quod tacitum fuit, *& Domino in suis sacerdotibus opem feratis*, hoc autem totum concedo, & est contra opponentem, qui dicere videtur apertè, per seculares sacerdotes esse puniendos. *Fabianus epist. 2. 3. quæst. 1. Deus ergò. cap. 6.*

Ad illam, *nisi in sancta communitate Christianorum, &c.* dico, quod ista ratio deficit, si tendat ad hoc, quod fornicatio simplex, & omnia mortalia non solum correctione prædicationis sunt corripienda, sed etiam per seculares potestates coërcenda, & omninò punienda aut expellenda de communitatibus Christianorum. Ista, inquam, ratio deficit in duobus, primò in hoc, quod non distinguit inter prohibitionem & punitionem, & tamen magna est distinctio facienda, cum lex Dei prohibeat omne mortale, nec tamen in hoc seculo Deus punivit omne mortale, etiam publicum, ut ostensum est. Nam arguit Paulum omnes fornicationes prohibuisse, & ex hoc concludit, quod omnes sunt puniendæ. Secundò deficit in hoc, quod non distinguit species peccatorum in uno genere, aut etiam genera, quia ex punitione fornicationis Corinthii vult arguere punitionem omnis fornicationis; quod fieri non debet, quia illa, quam punivit, non fuit simplex fornicatio, imò fuit incestus, & aliquo modo contra naturam, & contra reverentiam naturalem, quæ debetur patri, & ex hoc uxori ejus, quæ est cum illo una caro. Si tendat ratio, quod fornicatio & alia mortalia sunt correctione fraterna corripienda, non nego, imò concedo, absit etiam, quod sint fovenda; sed dico, quod est tolerandum simplex meretricium & permittendum, propter causas ante memoratas. Placet insuper mihi, quod omnia peccata mortalia sint Spiritu sancto dictante prohibita, sed concilium Apostolorum, Actuum 15. non omnia prohibuit, sed tantùm quatuor, scilicet, ab idololatriciis, suffocato, sanguine & fornicatione. Illa verò clausula, *& ea, quæ vobis fieri non vultis, ne feceritis*, non est de Canone seu textu: nec est apparentia, quod esse debeat, quia est unum principium legis naturæ, omnibus utentibus ratione notum: talia verò non cadunt sub consilio. Si tamen omnia mortalia prohibuisset, non ideò omnia essent hic pœnaliter punienda, sed in tribunali & foro adæquato divinæ justitiæ, puta in extremo judicio, & in foro conscientiæ de omnibus mortalibus occurrentibus memoriæ.

Ad rationes secundi Corollarii editas: ad primam, quæ nititur probare, quod communitates habeant punire peccata: primo ad primam de communitate Corinthiorum assumit, quod punivit Corinthium, dico, quod non sententiando punivit, sed Paulus, quia, ut dictum est, dixit: *judicavi hujusmodi hominem*, non dicit, judicavimus, nec judicastis. Est verum, quod hoc fecit illis congregatis cum suo spiritu, in vinculo fidei & caritatis, & etiam scientibus. Quod si aliquis contendere velit, quod illa judicavit, tunc diceretur, quod fuit cum Paulo & auctoritate ejus. Nam dicit: *Congregatis vobis & meo spiritu:* Quod allegat, *corrigite inquietos*, de Thessalonicensibus, intelligitur de instructione exhortatoria prælatorum, & non communitatis eorum, mox enim, cum eos de obedientia & sustentatione prælatorum docuerat, ut dicit Petrus de Tarantasia, & specialiter respectu curiosorum, & gyrovagorum, ideò dicitur, *inquietos*. Est hæc instructio Corinthiorum, qui sufferebant Pseudoapostolos, quos insipientes dicit, eoque quod in carne gloriabantur, reprehendit, & hoc est speciale & grave peccatum, contradictores, scilicet, verorum prædicatorum tolerare; non tamen concluditur, quod nulli peccatores sint tolerandi ex isto. Communitates non possunt punire sacerdotum delicta. *1. Thes. 5. 2. Cor. 11.*

Ad illam Ambrosii 23. q. 5. *Remittuntur*, dicentis, *puniuntur peccata per homines, &c.* dictum est suprà de hac materia satis: ad præsens tantùm dico, quod si communitas puniret, Deo ad punitionem ejus & intentionem movente, non peccaret; sic enim haberet auctoritatem: sed si puniret Deo ad actum punitionis movente, & non ad intentionem, peccaret; quia quamvis punitionis actio esset bona, non tamen intentio punientis. Præterea esto, quod communitas posset aliqua peccata punire ex auctoritate, non tamen ideò punire posset peccata clericorum, cum non sint eis subditi, ut palam factum est, nisi à Deo vel Ecclesia acciperent expressam potestatem, & tunc fieret Authoritate Dei, aut Ecclesiæ, & magis Deus vel Ecclesia hoc faceret. *Ambro. lib. 2. de Cain & Abel cap. 4. cap. 23. q. 5. Remittuntur. c. 49.*

Ad

Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

Ad illam de Anacleto Papa 24. q. 3. *Tam Sacerdos, quàm reliqui fideles, &c.* dico, quod illud capitulum intelligitur de correctione fraterna, quoad omnes, & de judiciaria poteſtate, quoad Sacerdotes, dum dicitur: *Aut ſi incorrigibiles apparuerint, ab Eccleſia ſeparentur.* Nam gloſſa dicit: *hìc eſt argumentum, quod iſtud, ſi peccaverint, ſpectat ad omnes:* & ſuper illò verbo, *ſeparentur*, dicit, *ergò Sacerdotes habent officium excommunicandi:* Et ita hæc ratio eſt pro me. Ad illam, Joan. 8. diſt. 86. dicente: *Facientis procul dubio, &c.* dico, quòd iſta omnia hìc allegata vera ſunt, de differentibus diſciplinam ex negligentia, aut aliqua inordinata, vel indiſcreta affectione, quaſi aliquid humanum paſſi; non autem de omittentibus ſeveritatem juſtitiæ, ex cauſis rationabilibus: præterea vera ſunt de negligentia punitionis peccatorum turbantium bonam conſiſtentiam politiæ, & eorum, à quibus facilè eſt plebeiam multitudinem abſtinere. Aliorum verò peccatorum punitio omittitur, pro ſalute boni communis, aut ad pejora vitanda, & non negligitur: neglectio enim eſt omiſſio ejus, quod quis ſcit & poteſt facere, & ad hoc tenetur. Impotens autem humana poteſtas non poteſt omnia peccata mortalia punire, nec omnia dirigere rectè. Ex quo fit, quòd cavet majora, & punit ex auctoritate minora, quamvis mortalia, relinquens divino examini, aut foro conſcientiæ vel finali.

*Anacletus epiſt. 3. 24. quæſt. 3. Tam Sacerdotes, cap. 14. diſt. 86. c. Facientis culpa. c. 3.*

Ad rationes tertii Corollarii. Ad illam, cùm dicitur: *Patet ex lege correctionis fraternæ, &c.* concedo, quòd ſuperiores poſſint ab inferioribus corripi correptione fraterna, ſed non ut opponens intelligit, in deductione, ſcilicet ut denunciatio poſt decretam monitionem fiat coram populo, ſed debet fieri coram ſuo ſuperiori. Et ſi Summus Pontifex peccet peccato perſonali, debet ſecretè cum humilitate & reverentia moneri. Si autem nolit acquieſcere poſt adhibitionem unius aut duorum teſtium, poterit denunciari Concilio generali; ſi non, ſic non eſt alter recurſus, res eſt Deo committenda, & pro eo orandum. Ad hoc, quod de Chriſto allegat, dico, quòd ſecundùm Gregorium in homilia, ut Thomas in expoſitione hujus paſſus recitat, non ſubmittit ſe Chriſtus correctioni populi, ſed ex ratione probat ſe peccatorem non eſſe, unde ait: *Penſate autem manſuetudinem Dei, relaxare peccata venerat, & dicebat: Quis ex vobis arguet me de peccato? non dedignatur ex ratione oſtendere ſe peccatorem non eſſe, qui ex virtute divinitatis poterat peccatores juſtificare.* Quod dicit de Moyſi, dico, quòd inſtructus fuit à Jethro. Nam dicitur in textu: *Audi conſilium meum*, non correctus, quia non peccavit. De David dicendum, quòd illa correctio, quam fecit Nathan, fuit fraterna, & etiam Nathan in ſpiritualibus erat major David, 2. q. 7. *Nos ſi*, quamvis par in parem, & major in minorem, & è contra poſſit iſtam exercere, debitis ſervatis circumſtantiis. De reſiſtentia Pauli erga Petrum, quod fuit publica, jam dictum eſt. Imminebat enim magnum periculum fidei. Nam Petrus ſimulatione inducebat ad obſervantiam legalium, contra veritatem Evangelii. De Salomone, qui depoſuit Abjathar ſacerdotem, dico primò cum de Lyra, quod fecit divino inſtinctu, ſeu divina voluntate, quia conſpiraverat contra ipſum Salomonem, & divinam ordinationem, atque David patris ejus, & ut impleretur ſermo Domini, quem locutus eſt ſuper domum Heli: ſicut etiam dicitur in textu. Dicerem ſecundò, quod ſacerdotium evangelicum ſuccedit magis ſacerdotio Melchiſedech, quàm Levitico, Propheta teſtante, cum ait: *Tu es ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.* Non enim hæreditate poſſidetur ſanctuarium Dei modò, ut in lege, ſed divina vocatione quis ad illud aſſumitur, non parentum favore, propterea etiam Melchiſedech non legitur habuiſſe patrem aut matrem. Erat enim Leviticum Sacerdotium ſatis ſervile, & ad illud per Reges aſſumebatur. Ideò non mirum, ſi ab officio potuerit per Regem Salomonem Abjathar deponi. Modo Regibus ſacerdotium evangelicum non eſt obnoxium, ideò nec Reges poſſunt tales inſtituere, vel deſtituere, aut juridicè punire. Et hæc ipſa, de ſucceſſione ſacerdotii Evangelici magis ſacerdotio Melchiſedech, probantur ex hoc, quod lex naturæ perficitur per Evangelicam, lex verò Moyſi evacuatur per eam, ſaltem quoad cærimonialia & judicialia: moralia verò, quæ manent, pertinent ad legem naturæ. Tranſlatio ergò legis infert tranſlationem ſacerdotii, ſicut è contrà Apoſtolus dicit ad Hebræos 7. *Tranſlato ſacerdotio, neceſſe eſt, ut legis tranſlatio fiat:* E quo ergo lex naturæ, in qua fuit ſacerdotium Melchiſedech, non eſt tranſlata, & lex Moyſi tranſlata eſt, ſive evacuata, in qua erat ſacerdotium Leviticum, habeo intentum.

*Gregorius hom. 18.* *Exod. 18.* *2. quæſt. 7. Nos ſi. cap. 41.* *2. Reg. 12.* *Galat. 2.*

Ad illam Hieremiæ 14. *Dixit totus populus, &c. ſacerdotes noſtri, &c.* dico quod aliud eſt Deo lacrymoſum querimonium facere propter peccata ſacerdotum: aliud eſt hujuſmodi peccata coram populo arguere. Primum licet interdum, maximè tamen, dum non habetur ad ſuperiorem hominem recurſus. Secundum non licet pro peccatis perſonalibus Prælatorum; primum faciebat populus, non ſecundum.

Ad illam, *Superiores ſæpiùs vivunt illicitè, &c.* dico, quòd inferiores ex hoc, quod non impugnant juridicè, ſeu ex poteſtate ſuperiores, quia non poſſunt, nec illos licet

pœna-

Digitized by Google

pœnaliter punire ſuperiores, non ſunt conſentientes. Ad hoc propoſitum dicit gloſſa interlinearis, ibi, *qui poteſt, debet & habet juriſdictionem.* Et conformiter dicit ad hoc, *nec caret ſcrupulo ſocietatis occulta, qui manifeſto facinori deſinit obviare, ſi poteſt, debet & habet juriſdictionem.* Et conformiter dicit ad hoc, *nec caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obviare, ſi poteſt:* dicit gloſſa. Et ſic exponitur de ſententia excommunicationis quantæ. Ad capitulum ergò allegatum poteſt reſponderi, ſicut ad illud: Facientis culpa, diſtinctione 86.

SÆC. XV. ANNO 1433. *De ſententia excommunicationis, cap. Quantæ, cap. 47.*

Ad illam de Gregorio, 2. q. 7. *ſicut*, inquit, *laudabile*; dico, quòd illud capitulum loquitur de correctione ex auctoritate. Nam ibi Gregorius incitat Epiſcopos in concilio Bizantii congregatos, ut Primatem Clementium informatione ſacerdotali prævia puniant aut judicent; & ſic non facit ad propoſitum proponentis, quod inferiores corrigant per inflictionem pœnæ ſuperiores, & laici Eccleſiaſticos, ſed magis ad propoſitum, quòd talis correctio fit per ſuperiores. *2.q.4. Sicut laudabile. c. 46. Greg. lib. 10 ep. 37. in ed. Rom. 35.*

Ad illam de Leone, 2. q. 7. dicente: *Nos ſi incompetenter aliquid agimus, &c.* dico cum Doctoribus, quod hæc ſubmiſſio fuit perfectionis & non debiti. Ad decretum allegatum, quod hoc ſit debitum, quod incipit; Nos ſi *incompetenter aliquid agimus, &c.* ubi inducitur Balaam Propheta reprehenſus ab aſino, in quo per Balaam ſuperior, per aſinam inferior intelligitur, dico, quod hoc non oſtendit, inferiores ex auctoritate poſſe reprehendere ſuperiores, nec ſuperiores ſe debere ſubjicere inferioribus in illa correctione. Patet in textu ibi ſequenti, ubi dicitur: *Verum eſt, quod per aſinam ſubditi, & per Balaam prælati intelliguntur, non tamen hoc exemplo probantur prælati accuſandi à ſubditis, ſed ſubditis forma tantùm datur humiliter renitendi prælatis, ſi fortè eos ad malum cogere voluerint.* Et poſt pauca ſubditur: *Licet eis in hujuſmodi vocem conqueſtionis prorumpere, & prælatis ſuis dicere: Cur nos verberibus affligitis? Cur nobis injuſtè iraſcimini? Nunquid vobis inobedientes aliquando fuimus, niſi tunc, cum ad malum cogimur?* *2. q. 7. Nos ſi incompetenter c. 41.*

Ad expoſitionem Bedæ dico, quòd licet prima facie videatur ad hoc venire, quòd prælati mali à ſubditis poſſint reprehendi, quòd ſi de fraternali correctione intelligeretur, non negarem; tamen benè conſideranti, loquitur de malis prælatis in fide errantibus, aut ſubditos prædicando ad malum trahentibus, unde ſic habetur in textu: *Qui etiam*, ſcilicet prælati, *in præcipitium ſuos mergunt auditores, quibus non ſalutaria, quæ corrigant, ſed quæ illos delectant erronea prædicant, de quibus apertè ſubditur*, ſcilicet in ſecunda epiſtola Petri, 2. *Hi ſunt fontes ſine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reſervatur, ſal infatuatum à porcis conculcatur. Et qui dicit: pax vobis, plerumque non columba, ſed corvus reputatur.* Profecto loquitur, ut apparet diligenter conſideranti de prælatis male docentibus, & dictum eſt ſuprà, quod talibus poſſint ſubditi reſiſtere ad ſuperiorem recurrendo; Et ſi periculum ſit, iſtos publicè reprehendere. Non ſic autem pro peccatis perſonalibus, ſeu pro vita eorum mala. *Beda.* *2. Petri 2.*

Ad illam Auguſtini ſuper Pſalmo 81. & habetur 23. q. 3. *Oſtendit Propheta, &c.* dico, quòd differentia eſt inter prohibere & punire, & quòd poteſt quis prohibere ſuperiori, ne peccet, modo ſuo, monendo, exhortando, & ſic prohibitio eſt in reſpectu futuri, punitio per pœnæ inflictionem non fit niſi per ſuperiorem, & eſt reſpectu peccati præteriti. Dico ergò, quòd capitulum loquitur de prohibitione prælati, ne peccet, & hoc poteſt fieri per inferiorem, per modum exhortationis, & cum reverentia, ſed hæc non eſt punitio, quæ eſt actus juſtitiæ, nec correctionis fraternæ, ſed præſervatio à periculo, nec popularis multitudo aliud facere poteſt. *Auguſt. in Pſal. 81. 23. q. 3. Oſtendit. cap. 11.*

Ad illud, quod infert, quod oportet ſuperiorem clericum à laico judicari, &c. ſicut dixi à principio, eſt quadruplex, judicium aſſeſſionis, comparationis, diſcretionis, & condemnationis ſeu diffamationis, quæ eſt actus juſtitiæ. Primis tribus judiciis poteſt inferior de ſuperiori judicare, & hoc de manifeſtis, aut ubi eſt vehemens ſuſpicio, & hoc probant hîc allegata ſaltem de tertio modo. Quòd verò Chriſtus & Apoſtoli, & alii Sancti voluerunt, ut allegatur, ſe & opera ſua ſubſterni judicio laicorum: jam de Chriſto dixi, de Apoſtolis & Sanctis dicendum, quòd ſi fecerint, hoc fuit perfectionis, & non neceſſitatis.

Ad illud Hieronymi, 8. q. 1. dicentis: *Vereor, quomodo Regina Auſtri, &c.* dico, quod illud capitulum loquitur de judicio comparationis. Sic enim dicitur: *Regina Auſtri judicabit homines ſui temporis, & Ninivitæ, qui ad prædicationem Jonæ crediderunt, condemnabunt eos, qui majorem Jona Salvatorem contempſerunt.* Hoc eſt dicere, vita hominum temporibus Reginæ & Salomonis, comparata vitæ Reginæ, erit culpabilis & condemnanda: ſic & de vita Ninivitarum, & eorum, qui Salvatorem contempſerunt, dicendum. Et tunc illud, quod ſequitur: *Sic plurimi in populis Epiſcopos judicent*, eſt de eodem judicio comparationis accipiendum. Nam dicitur; *ſic*, id eſt, ſimili modo plurimi in populis *Epiſcopos judicent*, ſubtrahendo ſe ab Eccleſiaſtico gradu, ſcilicet quoad opera, & ea, quæ Epiſcopo conveniunt non exer- *8. q. 1. Vereor. cap. 22. Hier. in 1. cap. epiſt ad Titum.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

centes: *judicent* comparatione, hoc est, meliores laici comparati ad Episcopos malos, ostendent ex comparatione, malam esse vitam Episcoporum talium.

Ad illam, *Item in die judicii licebit, &c.* dico, quòd isto ratio arguit de judicio assessionis, aut comparationis, & postea transfert se in eadem ratione ad judicium discretionis, ex quo surgit sæpius correctio fraterna: De Salomone deponente Abjathar sacerdotem, de Daniele judicante duos iniquos sacerdotes, de Nabuchodonosor dictum est, quia proponens dicit, quod in hoc Nabuchodonosor non reprobatur, dico, quòd ex textu non laudatur in hoc, secundùm Alexandrum in 3. quoad intentionem, sed quantum ad actionem, quia cooperabatur Domino, dicitur servus Domini, & licet à Deo dicatur servus ejus, hoc est, quia ei dedit dominium, & quia Domino, quantum ad actionem, licet non quoad intentionem, servivit. De Tito & Vespasiano dicendum, quòd justo Dei judicio puniverunt sacerdotes & habitatores Jerusalem, quia occiderunt filium Dei, & vendiderunt justum pro argento, Amos 2. Et ut impleretur verbum Dei, Lucæ 19. dicentis: *Venient & circumdabunt te vallo, & coangustabunt te undique, & ad terram prosternent te, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ.* Et præterea lex Moysi impleta erat, & sic figura cessaverat, quare & sacerdotium. Erat enim jam Synagoga ducta ad tumulum. De sancto Ambrosio dicendum, quod erat Arcadio in spiritualibus superior. Quod Hieronymus refert de Damaso, dicendum, quòd ista accusatio fuit pia insinuatio, super fama, aut potius super infamia de lubrico carnis. Et nullus negat, quoniam inferiores possint superiores arguere, tamen cum reverentia fraternaliter, aut eis infamiam clamorosam insinuare. Sed negandum est, quòd licet eos publicè coram populo, in speciali reprehendere, aut detractoriè infamare. Qualiter verò de illis in prædicatione agendum sit, est in fine conclusionis secundi puncti.

*Alexander ab Ales, p. 3. q. 35. mem. 1. art. 2. ad. 1. Item 23. q. 5. c. Remittuntur. 49. Ambros. de Cain & Abel. cap. 4. Amos 2. Luca 19.*

Ad rationes quarti Corollarii, Primò ad rationes de Rectoribus in spiritualibus &c. Ad illam Ezech. 3. & 33. capitulis. *Speculatorum, &c.* Ista probat comminationem factam à Deo, contra negligentiam Rectorum spiritualium, in officio prædicationis, si veritatem vitæ & justitiæ non docuerunt suos subditos. Et hoc etiam manifestè innuit auctoritas primæ ad Timoth. 5. *Si quis suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior:* & hoc nihil facit ad propositum de punitione per viam justitiæ superiorum per inferiores, & Ecclesiasticorum per laicos, Scabinos, aut judices, aut communitates.

*Ezech. 3. & 33.* *1 Tim. 5.*

Ad illam Origenis homilia 7. super Josue dicentis. *Quando sacerdos, &c.* Istam ominò concedo: arguit enim negligentiam superiorum in officio & prædicatione & punitione inferiorum. Sed ut sæpè dictum est, non est negligere, omittere corrigere, quod quis rationabiliter emendare non posset, unde Rector spiritualis peccata publica gladio verbi, & auctoritate justitiæ tenetur corrigere, prout potest. Quæ verò per inflictionem pœnæ non potest castigare, verbo Dei detestatur.

*Orig. hom. 7. in 6. cap. Josue.*

Ad illam de Rectoribus secularibus, Numer. 25. ubi tangitur periculum eorum, si mala in communitatibus eorum non cohibuerunt. Et ad Origenem, ibi, *populus peccat, & principes ostentantur.* Dico, quod pro peccato populi, principes interdum puniuntur, quia propter negligentiam correctionis populi, multitudo licentior fit ad malum & proclivior. Quoniam autem curam populi princeps susceptit, si culpabili omissione peccata permiserit impunita, reus erit insolentiæ ejus. Tales autem fortasse fuêre principes populi, qui cùm viderent filias Moab missas ex consilio Balaam, ad castra filiorum Israel, ut propter eos populus peccaret & vinceretur, qui ab eodem maledici non poterat, non cohibuerunt populum ad eas accedere, cum unus Zambri scilicet, coram filiis Israel legatur accessisse ad Cozbi Madianitidem filiam Ducis, & cum ea peccare non erubuerit. Et nihilominus reperimus unum pro alio puniri interdum, absque peccato, tribus causis, ut dicit Alexander: Prima est excitatio sollicitudinis caritatis, ut non tantùm quisque se observet à peccato, pro se, sed etiam alii diligentiam adhibeant ad custodiam unius, ne & ipsi pro illo puniantur. Secunda causa est ostensio unitatis, quæ debet esse quantum ad vinculum societatis. Nam propter peccatum Achaz, ut dictum est, peccavit populus. Tertia causa est detestatio peccati, & ostensio magnitudinis ejus, ut videatur quantum peccaret multitudo, hoc vel illud faciendo, quoniam unus sic agendo peccavit tantum. Thomas verò 2. 2. q. c. 8. art. 3. ad primum, ostendit, quòd tribus modis unus aliquando pro alio punitur. Primò, quia est aliquo modo alterius, ut filius punitur pro peccato patris. Secundò, per derivationem unius in alium, aut quia unus alium imitatur, aut per modum meriti, ut subditi pro peccato principis, patet in punitione populi, pro peccato David, numerantis populum, 2. Reg. 24. propter quod dicit quidam: *Quidquid delirant Reges, plectuntur Achivi.* Tertio, ad commendandum unitatem humanæ societatis, & sic unus, etiam bonus, pro malis in eadem societate patitur. Juxta istos modos satis manifestum est, nonnunquam aliquem sine culpa, non tamen sine causa puniri. Verùntamen

*Orig. in cap. 25. Num. hom. 20.* *Alexander ab Ales, p. 3. q. 41. in 4. art. 1.* *Aug. in qu. super Josue, lib. 6. c. 8. Tom. 4.* *Thom. 2. 2. q. 108. a. 3. ad 1.* *2. Reg. 24.*

Digitized by Google

tamen principes filiorum Iſrael, non ſine culpa eorum æſtimandum fortè eſt, fuiſſe punitos pro peccato populi, quia corrigere neglexerunt, cùm poſſent, ut tangit Origenes. SÆC. XV. ANNO 1435.

Ad auctoritatem Auguſtini, 2. q. 7. *Qui nec*, increpantis Rectores, nec ſui nec ſuorum curam habentes, concedo. Rurſus ad illam, quæ de vindicta Heli loquitur, in comminatione Angeli Eccleſiæ Sardis, propter eorum negligentias in correctione ſuorum, etiam concedo. Illam etiam, quæ eſt Leonis ad Aquilegienſem Epiſcopum: Inferiorum ordinum culpæ, &c. *2. q. 7. Qui nec. c. 32. 1. Reg. 2. Apoc. 2. Diſt. 86. Inferiorum culpæ ordinum, c. 1. Leo Aquilegienſi Epiſcopo, ep. 3. & 84. ſeu 86.*

Ad auctoritatem Iſidori, lib. 3. de ſummo bono, quæ vera eſt, de omittentibus doctrinam miniſtrare, & ſarculo correctionis fraternæ vitiorum ſpinas purgare, dum & quibus, cum aliis circumſtantiis, obligantur, & maximè de illis, qui paſtoralis dignitatis, aut vocationis officio adhuc ſtrictius tenentur. Propterea Apoſtolus prima Corinth. 5. Corinthios arguit, quod non corripuerunt illum notorium fornicatorem correctione fraterna, de quo ſæpè eſt mentio facta. *1. Cor. 5.*

Poſuit proponens quatuor cauſas, propter quas corripienda & caſtiganda ſunt peccata. Prima, quia populus videns peccatores non puniri vel argui per Eccleſiam & publicè, credunt ea, quæ committunt non eſſe peccata, vel non tam gravia, ſicut in ſe ſunt. Secundò, quia ipſi alliciuntur ad peccandum ſimilibus peccatis. Tertiò, quia facilius ad aliqua graviora ruunt. Quartò, quia una communitas coram Deo propter publicos peccatores damnatur, ut populus Iſrael propter fornicantes cum Madianitis, &c. Nullus profectò ſanæ mentis eſt, qui non dicat, peccata mortalia publica eſſe punienda, dicentes enim oppoſitum, fautores eſſent criminum, ac meo judicio ſeveriori diſciplina arcendi, quàm crimina facientes, eo, quod non paucorum auctores eſſent, ſed omnium, quæ ſub prætextu illius erroneæ doctrinæ licentius agerentur. Ideò pono, quod multa peccata publica ſunt punienda per inflictionem pœnæ, ab his, qui juriſdictionem habent ſuper illos. Et in hoc proponens & ego non ſumus diſcordes: differimus autem, quantum potui ex articuli Corollariis notabilibus, & rationibus accipere, in quatuor. Primò, quia ponit omnia peccata mortalia publica eſſe punienda per judicium, & hoc apparet, quia in articulo dicit, peccata mortalia publica indefinitè, & tales in moralibus regulariter æquivalent univerſalibus. Et ex rationibus ad eundem, ſpecialiter ex declaratione, quæ incipit, *Unde id apparet*, & ego pono oppoſitum. Secundò, quia ponit, quod à quolibet Chriſti fideli peccata mortalia publica quorumcunque, tam Eccleſiaſticorum, quàm ſecularium, ſunt publicè coram quibuſcunque charitativè arguenda, patet ex ſecundo Corollario & tertio, & ex declaratione ante Corollaria, quæ incipit, *patet etiam ex dilectione Dei, &c.* Et ego pono oppoſitum. Tertiò, quia ponit, quod peccata publica mortalia ſuperiorum ſunt prædicanda etiam coram populo, & hoc apparet ex tertio Corollario, & rationibus, & declaratione, quæ incipit: *Sunt multa alia peccata prælatorum.* Et ego dico, quod peccata clericorum, ſpecialia illi ſtatui, non ſunt populo nuncianda in verbo prædicationis immoderatè, imò cum magna diſcretione & ſobriè, etiam ubi faciendum eſſet, puta, ſi veriſimiliter populus crederet ea, quæ Sacerdotes committunt non eſſe peccata, aut minora, quàm ſint, aut caperent auſum peccandi ab eis, aut aliquid aliud ſimile. Rationes hujus ſuo loco tangentur. Quartò, quia ponit, quòd peccata mortalia publica quorumcunque ſunt per poteſtates ſeculares coactivè punienda, & hoc ubi correctio fraterna, aut generalis reprehenſio per prædicationem verbi Dei non ſufficeret. Apparet ex declaratione, quæ incipit: *Unde, quia lex divina.* Et ego pono oppoſitum ad non ſubjectos: Dico enim, quòd peccata clericorum non ſunt pœnaliter per judices ſeculares corrigenda, aut coram eis arguenda, niſi eſſet peccatum in fide, aut ſubverſione morum per falſam doctrinam, & caſibus exceptis à jure in una reſponſione ſpecialiter, & ut ibi expreſſis, aut ſi aliqui alii ſint à jure conceſſi, hoc enim & ſolùm poſſunt in illis, quod eis concedit jus, & indulget: & quod hoc non poſſunt in illos, eſt in favorem juriſdictionis Eccleſiaſtici. Alioquin Eccleſia, ſi poteſtate ſeculari ſubjaceret, cum fletu clamare deberet illud Threnorum primo: *Facta eſt quaſi vidua domina gentium, princeps provinciarum facta eſt ſub tributo: Ideò plorans ploravit in nocte, & lachrymæ ejus in maxillis ejus.* Iſta verò, quæ pono adverſus dicta proponentis, per extenſum in poſitione declarata ſunt. Addit opponens, quod quamdiu peccata mortalia publica in communitatibus non prohibebuntur, tamdiu majores in plebe & cum plebe erunt in periculo damnationis: quod non apparet verum, de peccatis non ſubditorum, & ſi prohibeant ipſos non ſubditos, modo ſibi competenti illis, ſcilicet, correctione fraterna, quia erga illos alius modus eis non convenit: & quamvis peccatores, inquit, inter alios exiſtentes ſuo exemplo aliquos aliquo modo attrahant, non tamen ſunt omnes ut contagioſi: ſicut enim dictum eſt antè, ſunt quidam flagitioſi ſecundùm doctrinam B. Auguſtini, lib. de decem chordis, & ſecundo de doctrina Chriſtiana, & quidam fa- *Threnor. 1. Differentia inter reſpondentem & proponentem in hoc articulo. I. II. III. IV. Aug. lib. de decem chordis de doctrina Chriſtiana, lib. 3. c 10. Tom. 3.*

SÆC. XV. ANNO 1433.

cinorosi. Primi sunt, qui non nocent aliis, secundi, qui nocent. Contagiosa igitur peccata sunt hæreses & schismata, mala doctrina in moribus, defensiones vel excusationes publicæ in peccatis, incitamenta aliorum ad peccandum, & similia, taliter peccantes dicuntur oves morbidæ contagiosæ: peccantes aliis peccatis, non. Tales fuerunt illi impii Chore & Abyron, erant namque schismatici, alios ad schisma provocantes, unde benè dicitur per Rectorem: *Recedite à tabernaculis impiorum hominum*, ne, scilicet, infecti eorum peccatis, involuamini in eorum pœnis. De illis dicit Hieronymus super Jeremiam: *Polluitur ex uno peccatore populus, sicut ex una ove morbida universus grex inficitur.* Quod verò allegatur 45. dist. ab eodem, & ab Origene, quod prius fuit allegatum, & ad hoc responsum est, de negligentia sacerdotum, aut pusillanimitate, aut timore servili peccata arguere dissimulantium, verentium linguas corrigendorum, ex quo peccato omissionis aliquando venit ira Dei super populum, est magis ad oppositum, quàm ad propositum, quia per hoc ostenditur auctoritas Sacerdotum super aliis, quorum est suis subditis viam salutis ostendere: ex cujus defectu graviter peccant: non ergò subjiciuntur judicio definitionis secularium.

*Num. 16.* *Rabani sunt, non Hieronymi.* CAN. *dist. 45. Sed illud. c. 17.*

Circa peccata Prælatorum & Sacerdotum, quia causæ ruinæ populi sunt Sacerdotes mali, ait Gregorius. Et proponens allegat, & ex hoc concludit, quod eorum peccata sunt maximè arguenda, dico, quod hæc sunt vera; sed intendit, non per seculares pœnali judicio, non per prædicatores coram populo, nisi cum moderamine & sobria gravitate verborum; nisi error esset in populo credente, quod talia licerent, tunc enim essent talia peccata severius detestanda in se, sed non referendo ad auctores coram populo liberè & sine freno, ut prætendunt dicta proponentis. Nam per quoslibet charitativè, ut dicit, coram aliis corripienda sunt, ergò arguenda peccata Prælatorum & Sacerdotum, primò caritativè, & correctione fraterna, etiam à quolibet; ubi non sufficit, procedendum est ultra, juxta formam Salvatoris. Adhibendus est unus testis, vel duo, & coram illis commonendus est, ut desistat, quòd si non audierit, dicendum est Ecclesiæ, id est, Prælato. Et si neglexerit, ab eo potest ad superiorem, scilicet, ad Summum Pontificem iri. Quod si dissimulaverit, aut ipsemet peccaverit, dicendum est Ecclesiæ, id est, generali concilio, quod, ut dictum fuit, correctionem nullatenus omittere credendum est. Si concilium non audierit, sit tibi ut ethnicus & publicanus, excommunicatus, excluſus, à cœtu fidelium. Aliud non habent Christi fideles laici in Sacerdotes. Sunt etiam arguenda peccata prædictorum, per prædicatores, & generaliter reprehendenda, sed potius in sermonibus ad clerum, & ibi duriter, interdum suaviter est agendum. Emplastrum ex pietate & justitia conficiendum est, pietas exhibeatur ut mater, justitia ut pater assistat. Simoniacam pravitatem in clero & diversis statibus aggravavit, & ego illam pariter detestor. Abradenda est de Ecclesia hæc pessima pestis. Allegavit ipse proponens multa dicta Sanctorum hoc mortiferum virus reprobantia, quæ sane intellecta etiam ipse accepto pertransiens diversos modos simoniæ, qui veri sunt.

*Gregorius.* *Peccata prælatorum & sacerdotum quomodo arguenda.*

Accedo ad rationes, quibus probare videbatur, factas absolutiones à pœnâ & à culpa, & indulgentias, non esse in lege Dei fundatas. Primò assumit illud Isaiæ 3. *Populе meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt.* Secundò assumit illud Jeremiæ 6. *Curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia dicentes, pax, pax, & non erat pax.* Item illud Ezechielis 13. *Væ, qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis, ad capiendas animas, & cum caperent animas populi mei, vivificabant animas eorum, & violabant me ad populum meum, propter pugillum hordei & fragmentum panis, ut interficerent animas, quæ non moriuntur, & vivificarent animas, quæ non vivunt, mentientes populo meo credenti mendaciis.* Jam dixi quoad absolutiones à pœna & à culpa, quod non est communis modus tradendi isto modo eas, sed dantur sub modo remissionis omnium peccatorum, id est, omnium pœnarum pro peccatis deditarum, aut alicujus partis illarum. Tunc dico ad has tres rationes, quod petunt principium, loquuntur enim de seducentibus populum per falsam exhortationem, aut intuitu gratiæ captandæ aut avari quæstus: & cum applicat ad propositum absolutionis & indulgentiarum, supponit, quod sint mendacia, cum veritates sunt, & præparationes fructuosæ ad viam salutis, si tamen servetur debitus ordo, & moderatio honesta in eis. Et quasi videtur arguere à superiori ad inferius affirmativè. Et hic locus non tenet secundùm logicos. Arguit enim æquivalenter Pastores in multis, ut dicendo populo scelerato, quod est beatus; dicendo affligendæ plebi, quod est pax; & multa eidem pro temporalibus recipiendis fingentibus, seducunt illum, ergò seducunt eum in isto proposito de absolutionibus & indulgentiis.

*Absolutiones à pœna & culpa.* *Esaiæ 3.* *Hierem. 6.* *Ezech. 13.*

Jam ad rationes contra peregrinationes procedamus. Ad primam, assumit illud Matth. 24. *Ecce prædixi vobis. Si ergò dixerint vobis, &c.* dico, quod ista auctoritas non allegatur ad propositum. Non enim est contra Deum aut Sanctos colentes, &

*De peregrinationibus, Matth. 24.*

Eccle-

Digitized by Google

Ecclesias ex devotione visitantes. Sed contra eos, qui dicunt Ecclesiam Catholicam esse in aliquo angulo terræ, aut fidem Catholicam in aliqua particulari regione, sicut per expositiones Hieronymi & Augustini superius ostensum est: Ad secundam Hieremiæ, id est, *Pastores eorum seduxerunt eos, feceruntque vagari in montibus*, &c. dico, quod istud Propheta dixit, quia Rectores populi provocabant populum ad quærendum Dominum extra terram suam & locum, quem elegerat. Siquidem in lege veteri erat locus determinatus in Judæa, ubi oportebat adorare, nec extra terram erat verus cultus Dei, sed idololatria tantùm, secundùm Prophetam: *Notus in Judæa Deus*. Propterea incitare populum, ut adoraret alibi, quàm in terra Juda, erat eum seducere, Nunc quia venit plenitudo temporis, colitur Deus ab ortu solis usque ad occasum, quoniam ubique pro fide ejus sanguine Martyrum rubricata est terra. Ideò prohibere visitare loca Sanctorum, & ex speciali devotione propter præsentiam pignorum suorum, id est, corporum & cinerum ibi existentium eos ibi quærere, hoc videtur impium. Ad tertiam de Aza, 2. Paralipom. 14. dico, quod Aza prohuibuit idololatriam, confregit idola, lucos succidit & portavit, imò præcepit adorare Dominum. In istis placuit Deo, non autem prohibuit peregrinationem in Hierusalem, ter in anno, secundùm quod erat præceptum in lege Domini. Ipse enim solvisset legem. Et hoc est, quod dicitur in textu allegato: *Subvertit altaria peregrini cultus*, id est, idololatriæ, & *excelsa, & confregit statuas lucosque succidit ac præcepit Judæ, ut quærerent Dominum Deum patrum suorum*. Et ex illa clausula, *præcepit Judæ, ut quæreret*, sequitur, quod implicitè præceperit peregrinationem populo in Hierusalem. Ibi enim specialiter & excellentiori modo colebatur. Nec ex diffidentia peregrinatur populus, sed propter octo causas. Prima, ad excitandum Sanctorum imitationem. Secunda, propter acuendam devotionem. Tertia, ut Sanctorum meritis fideles ipsi socientur. Quarta, ut eorum orationibus adjuventur. Quinta, ut sint ad orandum Deum plus memores. Sexta, ut satisfiat honori Sanctorum, pro eorum laboribus. Septima, ut ex Sanctorum præsentia coram omni Ecclesia rutilemus splendidius. Octava, ut Ecclesiæ obediant, cum per pœnitentiam peregrinatio eis injungitur, & sic obediendo satisfaciant pro peccatis. Quomodo igitur prohiberi possunt peregrinationes, ad quas Deus vocat? Vocavit Moysen ad rubum ardentem, & discalceatus accedit, cum Saul etiam malus ad cuneum Prophetarum venisset, prophetare cœpit. Non facerent Sanctorum reliquiæ in beata (a) requie manentium, quod mortalium viatorum fecit præsentia? An aliquis limina Sanctorum visitare prohibebitur, & concessum erat adire Prophetas? Non modica est enim recreatio mentium devotarum, relicta quandoque Ecclesia sua domestica, alia loca sancta, vel Sanctos Dei servos, accessu ipso corporeo, & petere & contemplari ad oculum, velut de eo, qui mortuum suum in loco sacro elegit sepeliri. Notat Augustinus lib. de cura pro mortuis agenda, dicens c. 5. *Cum plurimum interest, ubi ponatur corpus mortui sui, quod pro spiritu ejus Deo supplicat, quia & præcedens affectus locum elegit sanctum, & illic corpore posito recordatus locus sanctus eum, qui præcesserat, renovat, & auget affectum*: hæc ille. Per hoc ad illud Sapientiæ: *Confide in Deo, & mane in loco tuo, &c.* dico, quod loquitur de permanentia & quiete cordis, ex cujus inquietudine fiunt homines vagi, mobiles, & instabiles ad omne opus bonum: hæc enim mala instabilitas. Sed devotè peregrinantes confidunt in Domino, manent in loco suo, scilicet in Deo suo, in quo justus secundùm divinam Scripturam manere perhibetur, licet corpore ambulet, secundùm quod dicit quidam: *Cœlum non animum mutat, qui trans mare currit.*

SÆC. XV. ANNO 1433.

*Hierem. 50.*

*Psalm. 75.*

*2. Par. 14.*

*Causæ peregrinationum.*

I. II. III. IV. V. VI. VII. VIII.

*Exod. 3. 1. Reg. 19.*

(a) *Virgine.*

*Aug. de cura pro mortuis agenda, cap. 5. Tom. 4.*

*Eccles. 11.*

Ad illam, quod Dominus noster Jesus Christus peregrinationem illam solemnem, quæ erat Hierusalem ter in anno, revocaverit, seu spiritualem intelligentiam hujus dederit, cum allegat illud Joan. 4. *Mulier crede mihi, venit hora, quando nec in monte hoc, nec Jerosolymis adorabitis patrem, &c.* dico, quòd Dominus de modo colendi eum, illam instruit, quod non secundùm cæremonias legis, ut in monte Syon usque tunc fiebat, esset colendus, sed in spiritu & veritate doctrinæ Evangelicæ. Ideò Augustinus epistola prima ad Hipponensem Ecclesiam ait: *Ubique quidem Deus est, & nullo continetur loco vel clauditur, qui condidit omnia, & eum à veris adoratoribus in spiritu & veritate oportet adorari, ut in occulto exaudiens, in occulto etiam justificet & coronet. Veruntamen ad ista, quæ hominibus visibiliter nota sunt, quis potest ejus consilium perscrutari, quare in aliis locis hæc mirabilia fiant, & in aliis non fiant? In multis enim notissima est sanctitas loci, ubi sancti Felicis Nolensis corpus conditum est, quo volui, ut pergerent, quia inde nobis facilius fideliusque scribi potest, quidquid in eorum aliquo divinitus fuerit propalatum. Nam & nos novimus Mediolani apud memoriam Sanctorum, ubi mirabiliter & terribiliter dæmones confitentur, furem quendam, qui ad eum locum venerat, ut falsum jurando deciperet, compulsum fuisse confiteri furtum, & quod abstulerat reddere. Nunquid & non Affrica martyrum corporibus plena est? & tamen nusquam scimus hîc talia fieri, sicut enim, quod Apostolus dicit: Non*

*Joan. 4.*

*Augustin. epist. 137.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

*omnes Sancti habent dona curationis, nec omnes habent dijudicationem ſpirituum, nec in omnibus memoriis Sanctorum iſta voluit fieri ille, qui dividit propria unicuique, prout vult:* hæc ille. Ex quo patet, quod licet ſit ubique Deus, in uno ſolo templo colatur, tamen dignatus eſt ad honorem alicujus Sancti miracula facere uno loco, & non alio, & alia hic, alia ibi. Nam & de ſancto Fortunato, libro primo dialogorum,

*Greg. lib. 1. dialog. cap. 10.* cap. 10. dicit B. Gregorius: *Cur multa de ejus vita dicimus, cum nunc uſque, ad corpus illius tot virtutum documenta teneamus? Dæmoniacos quippe abſolvere, ægros curare, quotiens ex fide petitur, ut vivens conſueverat, hoc indeſinenter facere, & apud mortua ſua oſſa indeſinenter perſeverat:* hæc ille. Itaque peregrinatio in montem Sion, & civitatem ſanctam, per doctrinam Salvatoris non eſt damnata, ſed ad intelligentiam ſpiritualem declarata, ut quæratur Deus, & Sanctorum ſuffragia poſtulentur, ubi devotio ſpiritualis & ſanctitatis ſuccenſus ignis ardebit, & hoc eſt, quod di-

*Joan. 4.* xit mulieri Samaritanæ: *Venit hora & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt patrem in ſpiritu & veritate:* nec occaſione peregrinationum utique laicorum, ſi ex charitate fiant, putet quis proprias parochias eſſe contemnendas ſicut nec tempore illo figurali Synagogæ ſpernebantur, licet ter in anno eſſet aſcenſus in Hieruſalem. Concedo tamen, quod peregrinationes abſque devotione charitatis modicum aut nihil proſunt ad meritum vitæ æternæ. Et hoc eſt, quod dicit beatus Auguſtinus de verbis

*Aug. hom. 2. de verbis Apoſtoli. Aug. tractatu 26. in Joan.* Apoſtoli ſerm. 2. *Non corpore*, inquit, *impellitur quis ad Chriſtum venire, ſed deſiderio colligatur*, &c. Idem dicit Auguſtinus ſuper illo: *Nemo poteſt venire ad me, niſi pater meus traxerit eum.* Cum ait: *Non ambulando ad Chriſtum currimus, ſed credendo.*

*Joan. 6. Hieron. in 24. caput Matth.* Ad auctoritatem Hieronymi dicentis ſuper illo Matth. 24. *Nolite exire, nolite credere*, &c. *Stultum eſt enim in parvo loco vel abſcondito quærere, qui totius mundi lumen eſt:* dico, quod non eſt contra peregrinationes, ſed contra putantes, Catholicam Eccleſiam, aut fidem eſſe in una parva regione, ut dictum eſt.

Ad auctoritatem Bedæ, ſuper illo Matth. 9. *Sequere*, &c. dicentis, *ſequere me, & non tam inceſſu pedum, quàm executione morum*, dico, quod verum eſt, quod peregrinatio corporalis, ſine ſpirituali pinguedine devotionis, parum prodeſt; juxta dictum

*2. Tim. 4.* Apoſtoli prima ad Timoth. 4. *Exercitatio corporalis ad modicum utilis eſt, pietas ad omnia valet.* Narrat proponens multa peccata & abuſus circa peregrinationes, quas non diſcredo, ſed puto eſſe vera, & illi ab omni bono viro pro poſſe tollendi ſunt. Hoc non vitiat peregrinationes, quando ſunt benè factæ ex charitate & aliis circumſtantiis debitis, niſi enim eſſent bonæ, non eſſent approbatæ à ſanctis Patribus. Igitur cum ſint per Doctores ſanctos juſtificatæ, patet, quod ſint licitæ: hoc etiam probatur.

*Anno 71. à Chriſto nato.* Nam de Cleto Papa tertio à Petro, vel ejus coadjutore dicitur, in Chronica Martini ſic. *Hic Cletus Pontifex ſcribens omnibus populis approbat & commendat peregrinationes ad Sanctos, & maximè ad limina S. Petri, aſſerens quod validior eſt ad ſalutem S. Petri viſitatio, quam duorum annorum jejunium, & illos anathemate execratur, qui viſitationem Apoſtolorum impediunt vel diſſuadent:* hæc ibi. Siquidem virtutibus ipſis,

*1. Cor. 8.* ut objecto, contingit malè uti, ut dicunt Doctores. Nam dicit Apoſtolus: *Scientia inflat*, ſed non, ut in principio eliciente actum, cur etiam non potuerunt aliqui malè uti, ut objecto peregrinationibus.

*Sancta reliquiæ. De reliq. & ven. Sanct. cum ex to. c. 2.* POſt prædicta veniendum eſt ad objecta circa venerationem ſanctarum reliquiarum. Ad auctoritatem Innocentii de rel. & venerat. ſanctorum, *cum ex eo, quod quidam*, &c. Concedo illud decretum: prohibetur enim, ne antiquæ reliquiæ extra capſam trahantur propter turpem quæſtum, aut ut vendantur, & ne de novo inventæ ſine auctoritate Sedis Apoſtolicæ venerentur: per hoc dico ad id, quod de novitate, &c. Nam ſi auctoritate Sedis Apoſtolicæ hoc approbatum eſt, peregrinatio, & conſequenter veneratio iſta laudabilis eſt, ſi non: tunc fieri non debet.

*Chryſoſt. in opere imperfecto, in c. Mat. 23. hom. 45.* Ad auctoritatem Chryſoſt. in opere imperfecto ſuper Matth. 10. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ*, &c. dico, quòd Chryſoſt. improbat faſtum ædificantium ſepulcra pretioſa ex ſubſtantia pauperum, qui illos eviſcerant, ut celebrent ſibi nomen ſempiternum, putantes ſtultè, felicem vitam in memoriis hominum debere recondi, nec minori ratione arguendi ſunt, qui Baſilicas extruunt de bonis alienis, velut enim

*Eccleſ. 34.* interfectores filiorum ante faciem patris, computat illos Sapiens. Nam dicit Eccleſ. 34. *Qui offert ſacrificium de ſubſtantia pauperis, quaſi victimet filium in conſpectu patris.* Nec licere judico, debere deſtruere antiquas Dei Eccleſias, ut novæ ædificentur, ſed ob reverentiam Dei & Sanctorum, de proprio monumenta ædificari Martyribus & aliis Dei ſervis, prorſus laudabile eſt. Siquidem Beda ornatum ſepulcri Domini, libro ultimo ſuper Marcum exponit, ita dicens: *De monumento Domini ferunt, qui in noſtra ætate de Hieroſolymis in Britanniam venere: quod domus fuit rotunda, de ſubjacente rupe exciſa, tantæ altitudinis, ut intra conſiſtens homo vix manu extenta culmen poſſit attingere.*

Digitized by Google

*attingere.* Et finaliter inquit: *Color autem ejuſdem monumenti ac loculi rubicundo & albo dicitur eſſe permixtus.* Ecce domus & ſepulcrum Domini ſpatioſa & ampla atque honorata à matre Domini, ab Apoſtolis, à Chriſti fidelibus, qui etiam inter fremitus infidelium ipſum ſepulcrum adorare venerunt. Narrat hoc feciſſe S. Ambroſius Helenam Reginam, S. Hieronymus S. Paulam, cæterique Sancti quàm plurimos. Audite de decore ſepulcri B. Mariæ Virginis, B. Hieronymum in ſermone de aſſumptione illius ad Paulam & Euſtochium dicentem: *Monſtratur ſepulcrum ejus cernentibus nobis uſque ad præſens in vallis Joſaphat medio, quæ vallis eſt inter montem Sion, & montem oliveti poſita, quam & tu O Paula aſpexiſti, ubi in ejus honore fabricata eſt Eccleſia miro lapide tabulata, in qua ſepulta fuiſſe, ut ſcire poteſtis, ab omnibus ibidem prædicatur, ſed nunc vacuum eſſe Mauſoleum cernentibus oſtenditur.* Habetur etiam Marci 6. de Joanne Baptiſta, quod diſcipuli venerunt & tulerunt corpus ejus, & poſuerunt illud in monumento. Refert Beda, quod Joſephus & Euſebius de hac ſepultura reſcripſerunt, ſcilicet, de venerabili ſepulcro Joannis. De hac ſepultura & de veneratione fidelium, & miraculorum cerebro concurſu in epitaphio ſanctæ Paulæ, qualiter illuc venit peregrè, docet Hieronymus, quod gratia brevitatis omitto.

SÆC. XV. ANNO 1433.

*Amb. to. 3. de obitu Theodoſii Imp. poſt med.*

*Hieron. de aſſumptione Deiparæ virginis poſt initium.*

*Marci 6.*

*Hieron. in Epitaph. Paulæ. c. 6.*

Allegat peccata prælatorum & ſacerdotum, in omiſſione culpabili prædicationis verbi Dei, & prohibitione prædicare volentium, in non communicando laicos, nullius mortalis conſcios, ſub utraque ſpecie, ſcilicet panis & vini. In habendo dominia civilia ſuper divitiis & bonis temporalibus. Ad quæ reſponderi per me non oportet, cum quilibet horum trium articulorum peritiſſimos habeat defenſores. Tetigit etiam de ſententia lata per Felicem Regin. Alexandrum Papam quartum, prædicationem verbum Dei prohibentem extra clauſtra & particulares Eccleſias. Rurſus de ſententia Conſtantienſis Concilii lata contra communicantes laicos ſub utraque ſpecie. De hinc de defenſione dominiorum temporalium, per Papam & cæteros prælatos. Quas materias patribus meis memoratis defendendas remitto: Tetigit verbum de erectione cruciatæ contra Bohemos, & invectione in ſacerdotes, ſi ſitiant ſanguinem eorundem vel non: verum quoniam quærentibus pacem, occaſiones ſunt amputandæ jurgiorum, ſatius hac vice de hac re ſuperſedere arbitratus ſum; docet enim me ille, qui dicit, *claudite jam rivos pueri, ſat prata biberunt.*

*Item in antecedentibus & ſequentibus.*

*Alexander IV. alius liber m. ſ. habet V. Vide de hæreticis c. excommunicamus. §. Quia verò. cap. 13.* Cruciata adverſus Bohemos.

Cum de Bulla Alexandri fecit mentionem, prædicationem reſtringentis, &c. Subjunxit, quod emanavit principaliter, & maximè ob Magiſtrum bonæ & laudabilis, ac ſanctæ memoriæ Joannem Hus, ut ſperatur, ſacræ paginæ Baccalaureum formatum, & prædicatorem utique Evangelicum, virum bonum, juſtum & Catholicum, à multis annis, in regno noſtro vita & moribus, & fama laudabiliter approbatum: debebat, ut ſalva pace loquar, proponens, iſta ſubticere, qui geſtorum in ſacro Concilio Conſtantienſi volebat approbationem audire, debebat ſubticere iſta, quæ Joannes Hus articulos reprobatos & damnatos ſub medio poſitos eſſe cupiebat. Qui deſiderat concordiam, præteritæ litis acta non (a) referat. Dicam, ſola veritate motus, teſte Deo, quoniam Concilia generalia in materia fidei errare non poſſunt, inter quæ Conſtantienſe Concilium Joannem Hus (b) præter ſuas aſſertiones erroneas condemnavit, nullus de cætero eum pro Catholico habeat, aut Evangelico prædicatore. Nec Joannem Wichleff, cujus errores graviſſimi ſunt, quorum nonnulli pro quanto, errores antiquorum hæreticorum Pelagii, Manichæi, Donati, Berengarii, Maſſilani, & quorundam aliorum, ſapiunt, ſi opus fuerit ad plenum declarandorum, dudum ante noſtra tempora damnati fuêre. Æſtimo fortè, quod ſi proponens, articulos Joannis Wichleff, & Joannis Hus attendiſſet, & libros eorum legiſſet, ut patres, qui fuerant in Conſtantienſi Concilio, nobiſcum diceret, non poſſe eos fateri Catholicos. Hieronymum verò non nimium extollat nobis; coram expertis loquitur Doctoribus & Magiſtris almæ matris meæ Univerſitatis Pariſienſis, qui verboſitatem ſuam non modicam triduo ſuſtinentes in repetitione per eum facta in ſancto Bernardo Pariſiis ad omnino quare & in omnibus, volente autem ita Domino, ne inaniter gloriaretur, ſoli regentes vici ſtraminis, & in pauco numero ſe illi objecerunt, illius tumentia verba reprimentes. Non enim dignum judicabatur, graviſſimos patres, in Theologia, & Decretorum Facultatibus Profeſſores ſe tam levi perſonæ debere opponere. Ego autem tunc conflictum vidi, finem exſpectavi, confuſionem ſuam vidi, ita ut receſſerit hoſpite inſalutato, & neceſſe ſibi erat. Alioquin aliqua minus benè dicta coactus fuiſſet revocare. Iſta precor non amaro animo quis ſuſcipiat. Nam hæc ideò dicta ſunt, ne dicta per antè à proponente de illorum juſtitia cordi inſideant, ſed veritas, quæ à me dicta eſt, eluceſcat. Nec enim novum eſt, populos occaſionem ſumpſiſſe credendi alicui perſonæ pro ſua apparenti ſanctitate, dudum enim ſimilia prioribus contigerunt, unde citius eſt talibus indulgendum, dum propter ſpeciem pietatis, ipſi quaſi inſcii in impietatem labuntur.

Johannes Hus.

(a) al. referat.

(b) Propter.

*Locus hic corruptus eſt.*

*Hieronym. Pragenſis fuit Pariſiis.*

Conſequenter mentem ſuam proponens aperit de modo reprehenſionis peccatorum publi-

SÆC. XV. ANNO 1433.

publicorum prælatorum & ſacerdotum, per viam prædicationis, & alias; dicit enim, quod omnia talia ſunt in prædicatione per ſacerdotes, & aliis modis per omnes Chriſti fideles, ſecundùm quod eorum ſtatui competit, data pernacia, charitativè arguenda & detegenda, etiam coram clero & populo.

Tres correctionum modi.

Reſolvendo dicta ſua, tres modos correctionis invenio peccatorum, & habet, ut dicit, quilibet ſuos executores. Primus eſt correctionis fraternæ, & hic competit omnibus Chriſti fidelibus. Secundus modus correctionis per viam juſtitiæ, & hic competit judicibus. Tertius eſt modus correctionis in prædicatione, & hic competit prædicatoribus. Ecce tres modos, & apparet, quis cuilibet ſtatui competat. Quomodo igitur peccata Prælatorum & Sacerdotum ſint per homines corripienda correctione fraterna, dictum eſt, & ibi tactum, quod peccata eorum perſonalia non ſunt arguenda coram multitudine, & ſufficienter deductum, quod hoc eſt prætermittere ordinem fraternæ correctionis, & quod hoc rationabiliter fieri non debet, niſi in caſibus jam dictis. De correctione ex auctoritate poteſtatis, quæ à pluribus dicitur paterna, etiam dictum eſt ſufficienter, quòd laici judices Eccleſiaſticos non poſſunt per judicium pro delictis, aut peccatis publicis punire, cum non ſint ſuæ juriſdictionis, niſi in certis caſibus, tactis in una reſponſione, & adhuc auctoritate Eccleſiæ. De correctione generali, quæ fit per prædicatores, quia latius illam deduxit, jam dixi, & iterum dico, quod coram clero hoc fieri poteſt planè juxta exigentiam tranſgreſſionum, aliquando durè, aliquando ſuaviter, aliquando mixtim, ut tempus poſtulat aut perſonæ: coram populo, dico ut prius cum Doctoribus, quod non eſt facienda de peccatis Prælatorum perſonalibus, & Sacerdotum, niſi cum magno moderamine verborum & competenti decentia. Etiam cum ratio indicat hoc eſſe faciendum, quod fortè eſſet, ubi populus occaſione accepta à vita Sacerdotum crederet talia peccata ideò non eſſe peccata, aut non tam gravia, ut ſunt, eò quod impunè videt talia committi. Et hæc plaga populi probabiliter prædicatori innoteſceret, aut ubi populus ſine verecundia ſimilia ſacerdotibus perpetraret. Dico ſecundò, quod peccatum infidelitatis Prælatorum aut Sacerdotum, ſi quod eſſet, & per malam doctrinam populum inficeret, eſt publicè populo prædicandum, & inſtruendus populus, ut ſe à talibus obſervet. Sic Dominus & Salvator fecit, cùm prædicabat, dicens: Matth. 7. *Attendite à falſis Phrophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.* Dico tertiò, quod peccatum ſollicitationis ad malum, qua populum commoverent ad peccandum, vel in Deum vel in proximum, in irreverentiam Eccleſiæ, aut in obedientiam principum, tale eſſe publicè populo denunciandum, & coram eo arguendum. Sic ait Dominus, Matth. 16. *Cavete à fermento Phariſæorum & Saducæorum.* Et idem habetur Marci 8. Et benè *Phariſæorum*, Phariſæi enim interpretantur diviſi, dividentes vel violenti, aut diſſipantes. Sacerdotes autem ſic ſuadentes populo, eſſent à Deo per peccatum diviſi, dividerent populum à Deo ſuo, gravem inferrent juſtitiæ & veritati violentiam, & diſſiparent profectò Rempublicam, quæ non tam viris conſtat, quàm moribus. Dico quartò, ſi Sacerdotes committerent publicè caſus, pro quibus juriſdictioni ſeculari, ex conceſſione juris canonici ſubjiciuntur, illos poſſet prædicator coram judicibus ipſis aperire, tamen cum proteſtatione de non tendendo ad pœnam ſanguinis. Patet, quia peccata publica licitè poſſunt denunciari ad judices competentes. Nam ſicut ſuprà ſecundo puncto dictum fuit, remedium adhiberi debet non ſolùm peccanti, ſed aliis, ne ſcandalizentur, & maximè hoc fit, cum denunciatur peccatum his, qui poſſunt providere. Dico quintò, quòd peccata perſonalia alia à præmiſſis, aut ad illa reducibilibus, Prælatorum aut Sacerdotum, non videntur in prædicatione coram populo detegenda ſpecialiter, ea referendo ad ſtatum Eccleſiaſticum; niſi ut habitum eſt in primo dicto. Actus enim prædicationis ex charitate procedere debet ad emendationem nedum peccantium, ſed & aſtantium, quibus peccata narrantur. Sic enim faciendo peccantes coram ſubditis ſcandalizarentur, & ſic verecundia eſſet eis ablata. Subditi verò vilitatem ſuperiorum cognoſcentes, eos contemnerent: putando ergò, ſanare unum aut paucos, prædicator læderet plures, ſuperiores ſcilicet & inferiores; debet enim non modò prædicator eſſe utilis in verbo, ſed & diſcretus eloquio, ut non ſolùm prava nullo modo, ſed nec recta quidem nimiò & inordinatè proferantur, quia ſæpè dictorum virtus perditur, cum apud audientium corda loquacitas incauta oportunitate levigatur: hinc eſt, quod in veſte ſacerdotis erant tintinnabula, ut ſonus prædicationis ejus audiretur. Erant & illis juncta mala punica, in quibus unitas fidelium deſignatur, per quod ſignatur, ut talis ſit prædicatio ſacerdotis, & tam diſcreta, ut non ſcindatur vinculum unitatis: hæc in ſententia habentur à B. Gregorio, libro ſecundo paſtoralis ſui, c. 4. & 43. diſt. *Si Rector, &c.* Si dicatur, ubi conſcientia & fama conſcientia: verum eſt, cæteris paribus; ſed conſcientiæ ſuccurrendum eſt poſtpoſita fama, recurrendo ad ſuperiorem. Et ita dicunt Doctores, cum oportet procedere ad de-

*B Greg. par. 2. paſtoral. cap. 4. Diſt. 43. Si Rector, c. 1.*

Digitized by Google

denunciationem non ad inferiores. * Item cum creditur ſervari unius conſcientia, ſervetur & illius, propter ſcandalum & populi, quia illum ſuperiorem, aut ſuperiores corrigere non valet, & tamen eos contemnit. Aliter faciendo, ſcilicet peccata perſonalia publica à præmiſſis, &c. in prædicatione coram populo facta publicè arguendo, & ſpecialiter referendo ad ſtatum Eccleſiaſticum cum improperio, & non modeſtè & ſobriè, ſequuntur iſta inconvenientia. Primum, ſacerdotes infamantur, & fiunt inverecundi amiſſo ſuo honore, & ſic procliviores ad mala. Secundum, eorum ſtatus, qui digniſſimus eſt, læditur & coguntur recedere, quaſi ab hominibus, Eccl. 33. *Si læſeris eum injuſtè, in fugam convertetur.* Tertium, boni propter malos diffamatos ſcandalizantur, & tunc currit pœna contra ſcandalizantes, de quo Matth. 18. *Qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, qui in me credunt:* ſtatu ſiquidem ſacerdotii læſo, bonos in iſto ſtatu ſcandalizari neceſſe eſt. Quartum, ſubditi laici contemnunt ſuos paſtores, propter malam eorum vitam palam ipſis prædicatam. Et contemnunt Dominum ſacerdotum Jeſum Chriſtum, Lucæ 10. *Qui vos ſpernit, me ſpernit, & qui vos odit, me odit, & qui me ſpernit, ſpernit eum, qui miſit me.* Quintum, ſacerdotes fiunt populo odioſi, nam ex contemptu mox ſurgit odium & rancor: unde Pſalm. 108. *Locuti ſunt adverſus me lingua doloſa, & ſermonibus odii circumdederunt me.* Sextum, populus paratur per odium ad inobedientiam ad ſuperiores, & irreverentiam, maximè, quia valdè multi ex illo ſunt clericis infeſti, prout dicitur 6. lib. *Clericis laicos oppido infeſtos tradit antiquitas*, unde ira Domini venit ſuper eos, ſecundùm quod ſcriptum eſt Danielis 9. *Peccavimus, iniquitatem fecimus, impiè egimus, receſſimus, & declinavimus à mandatis tuis ac judiciis, non obedivimus ſervis tuis, Prophetis, qui locuti ſunt in nomine tuo, regibus noſtis, principibus noſtris, patribus noſtris omnique populo terræ, tibi, Domine, juſtitia, nobis autem confuſio faciei, ſicut & hodie, &c.* Sacerdotes autem mali, ſi tamen rectè doceant, ſervi Dei dicuntur, & Prophetæ, quia alta, & à cognitione populi longè poſita nunciant. Quod autem inobedientia iſta mala ſit, apparet, quia dicit Dominus de ſacerdotibus in mortem ſuam conſpirantibus, avaris, *quæ dicunt facite.* Septimum inconveniens eſt, ſubtractio decimarum, oblationum, & aliorum reddituum debitorum ſacerdotibus. Nemo enim inimico in ratione dati vel accepti libenter communicat, & in hoc populus mandatum Dei prævaricatur. Quia Malachiæ 3. ſcriptum eſt: *Inferte omnem decimam in horreum meum, ut ſit cibus in domo mea*, & Apoſtolicum, quia primæ Corinth. 9. *Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus?* quaſi dicat, non eſt. Deuteron. 25. lex dicit: *Non alligabis os bovis triturantis.* Et quod illud propter prælatos & ſacerdotes prædicantes dictum ſit, patet, quia ſequitur: *Nunquid de bobus cura eſt Deo? an propter nos utique hæc dicta ſunt?*

SÆC. XV. ANNO 1433.

* *Locus intricatus, & ut videtur corruptus.*

*Reprehenſiones publicas ad ſtatum Eccleſiaſticum peculiariter relatas ſequuntur varia inconvenientia.*

I. II. III. IV. V. VI. VII.

*Ecclı. 34.*

*Matth. 18.*

*Luca 10.*

*Pſal. 108.*

*Clerici laicos lib. 6. de immunitate Eccleſiarum, c. 6. Daniel. 9.*

*Malach. 3.*

*1. Cor. 9.*

*Deuter. 25.*

Ad utilitates, quas dicit opponens ſequi ex tali publica prædicatione coram populo, contra clerum, dico, quod etſi per accidens aliqua utilitas accederet, per ſe ſequerentur plura mala. Correctio enim illa generalis niſi moderamen maximum, & cautela adeſſet, induceret ex ſe inferiorum ad ſuperiores contemptum, & alia, quæ dicta ſunt. Ideò oſtendens, quomodo ſobriè loquendum eſt de ſuperiorum defectibus, coram inferioribus, ut maneat devotio eorundem apud illos, dicit Nicolaus Papa: Et habetur 21. diſtinction. Nolite. *Nolite nos æſtimare, facta cujuſcunque proximorum noſtrorum, quæ ſunt digna reprehenſione, velle defendere, ſed quod ita velim filios circa ſpiritualem patrem, & diſcipulos erga Magiſtros devotos eſſe & ſobrios, ut nulla penitus temeritate ad eorum vitam, non dicam dijudicandam, ſed nec ſaltem tenuiter reprehendendam proſiliant.* Præterea non credat prædicator neglexiſſe correctionem ſibi competentem ex officio, dum tamen clero ſufficienter in prædicatione peccata ejus annunciaverit. Eſto quod coram populo non fecerit, quia hoc ſibi non præcipitur, quoniam prædicatori Prophetæ dicit Dominus Iſaiæ 58. *Annuncia populo meo ſcelera eorum, & domui Jacob peccata eorum.* Non dicit, dic domui coram alio peccata eorum, ſed dixit: *domui Jacob peccata eorum.* Item ſpeculatori Ecechieli dicit: *Si tu annunciaveris impio, & ille non fuerit converſus ab impietate ſua, & à via ſua impia, ipſe quidem in impietate ſua morietur, tu autem animam tuam liberaſti.* Non dixit, ſi annunciaveris impio coram populo, &c.

*Eſaiæ 58.*

*Ezech. 3. & 33.*

Ad rationes, quibus probat, quod peccata Prælatorum & Sacerdotum ſunt coram populo publicè prædicanda. Ad primam Chriſtus arguit clerum coram turbis, Joan. 8. dum ait: *Vos ex patre diabolo eſtis, &c.* dico cum Lira, quòd Chriſtus illum clerum arguit, quia infidelis erat, nam auctorem fidei, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum volebat occidere: Et hoc eſt, quod ſubditur in textu allegato, *quia vultis me interficere.* Nec legerè coram populo hoc Evangelium, eſt clerum Evangelicum per prædicationem corrigere, ſed recitare, quomodo Chriſtus clero figurali & turbis prædicabat. Et iſte caſus eſt exceptus per antè. Nec volo dicere, quod ubi eſſet cle-



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

rus & populus in unum congregati, quoniam communia vitia utriusque ſtatui competentia poſſint debitè reprobari; ſed intentio mea eſt de vitiis perſonalibus & ſpecialibus ſtatui clericali pertinentibus, quòd talia maximè ad illum referendo, non ſunt publicè coram populo denuncianda, niſi modo præmiſſo.

Ad ſecundam, *Apoſtolus præcipit*, &c. dico, quod verum eſt, quod Apoſtolus loquitur Timotheo Epiſcopo, ſed non dicit, prædica coram omnibus ſtatibus vitia cleri, ſed dicit, *prædica verbum, inſta, oportunè, importunè, argue, obſecra, increpa in omni patientia*, & ſic arguit ratio ab inſufficienti.

2. *Tim.* 4.

Ad tertiam, *Prophetæ ſancti, Sacerdotes*, (a) *ruſtici*, &c. dico, quod Daniel presbyteros occidit, nam illi ſollicitabant ad malum mulieres. Dicitur enim Daniel 13. *Sic faciebatis filiabus Iſrael, & illæ timentes loquebantur vobis.* Et ille caſus fuit exceptus. Ita de Elia dicendum, nam Prophetæ Baal malè docebant, patet 3. Reg. 18.

(a) *Forſan: interfici juſſerunt.*

*Daniel.* 13.

3. *Reg.* 18.

Ad quartam, *Licet toti Eccleſiæ*, &c. Iſtam rationem concedo, & eſt caſus exceptus, ſecundùm quod prius dictum eſt.

Ad quintam, *Licet conſtitutionem Eccleſiæ ſanctam denunciare*, &c. dico, quod hoc eſt promulgare conſtitutionem Eccleſiæ, ſed hoc non eſt prædicare. Illa enim conſtitutio de vitando notorios concubinarios, eſt pœnalis; pœnæ autem non inferuntur per legem, niſi contra tranſgreſſores, & ſic non puniuntur boni; ſed improperio vitiorum per prædicatorem coram laicis, etiam boni ſcandalizantur, quia per eam non ſecernuntur à malis particulariter.

Ad ſextam, *Licet clericos inobedientes*, &c. concedo totum. Valdè enim ſuadeo peccata cleri publica puniri per ſuos judices, quod fit, cùm propter inobedientiam, canonica monitione præcedente, excommunicantur, aut alia pœna juris, ut ſuſpenſionis, intruſionis, carcerationis, depoſitionis puniuntur. Ratio autem ſtatim viſa eſt, quare licet publicè, etiam laicis videntibus, punire clericos, & non vita cleri coram illis in prædicatione detegere, ſine magno verborum moderamine.

Ad ſeptimam, *Significat unum cœtum clericorum in hæreſim*, &c. concedo rationem, & eſt pro dictis.

Ad octavam, *Quod clerus publicè & ſingulariter alii clero imponit*, &c. dico, quod clerus imponens alteri manifeſta crimina, in appellationibus, hoc facit coram ſuo judice, ita, quod cleri & ſacerdotes poſt fraternam correctionem ſecretam, ſi non corrigantur, poſſunt ſuo ſuperiori denunciari: & hæc eſt via tenenda in correctione clericorum.

Ad nonam, *Licet, ut communiter dicunt*, &c. dico, quod pro aliquibus criminibus clericus poteſt publicè puniri, imò dicunt jura, quod per judicem ſecularem, ſententiâ Eccleſiæ prævià, ſicut cum eſt falſarius, & de aliis: ſed non ſequitur, quod ideò licet in prædicatione coram populo ipſum ſic infamare aut denunciare. Ratio, quia prædicatio eſt actus charitatis, punitio juſta, (b) lationis, aut alia publica, eſt actus juſtitiæ: & juſtum eſt, quòd publica crimina non ſint occulta punitione corrigenda, nam in punitione per juſtitiam ſolus reus infamatur: in prædicatione coram populo non ſolus, qui peccat, ſed boni propter eum, quia non diſcernitur ſingulariter in verbo prædicationis, ſicut in judicio.

(b) *lationis, forſan talionis.*

Ad decimam, *Quando dicit*, &c. dico, quod non eſt illicitum ſcribere, quod licitum eſt proferre. Cùm ergò Dominus illos Scribas & Phariſæos durè pro eo, quod veritatem non cognoverunt, neque tempus viſitationis ſuæ, arguerit, & etiam coram turbis, quid mirum eſt, ſi hoc ſcripſerunt Evangeliſtæ?

Ad undecimam, *Dominus Jeſus*, &c. jam dixi, quod contra clerum infidelem prædicavit, cujus erat ſacerdotium transferendum cum tranſlatione legis: Ita contra ſacerdotes infideles, ſi qui eſſent, liceret prædicatorem populum monere, imò etiam quilibet Chriſti fidelis poſſet ibi contradicere, maximè, ubi immineret fidei periculum.

Poſuit proponens multa ſigna peccatorum mortalium, in apparatu, in geſtu, in colloquiis, & aliis, quæ non neceſſarium ad memoriam reducere puto, quoniam illa lucidè narravit, & memoriter intellexiſtis, ut æſtimo.*

JAm dictis cupiens finem imponere, quatuor differentias in materia correctionis & punitionis peccatorum publicorum inter nos exiſtentes, prout concipere poſſum, ſub Epilogo repeto. Prima, quia ponit omnia peccata mortalia eſſe punienda per cohibitionem pœnæ. Quod dico ad differentiam correctionis fraternæ. Et ego probavi oppoſitum: habeo enim legem divinam, praxim Chriſti, & Apoſtolorum, ac primitivæ Eccleſiæ, auctoritates ſacrorum Canonum, & dicta ſanctorum Doctorum Auguſtini, Hieronymi, Gregorii, in lege divina veraciter ſe fundantium, ut audiſtis.

I. *Differentia inter proponentis & opponentis ſententias.*

II. Secunda differentia: à quolibet Chriſti fideli peccata mortalia publica Prælatorum & Sacerdotum, data eorum pertinacia, eſſe publicè coram laicis arguenda. Et ego poſui

Digitized by Google

sui oppositum. Habeo Doctores, Albertum, Thomam, Richardum de Media Villa, Sæc. Hostiensem, & nonnullos alios, qui dicunt, quod resistere coram omnibus in facie superiori, inferiorem non decet. Et quod Paulus hoc Petro non feciſſet, nisi aliquo modo par ei fuisset, quantum ad fidei defensionem. Et ita dicit glossa, ad Galatas secundo, secundùm quod diffusè monstratum est. Tertia differentia, quia ponit, quod peccata mortalia publica Prælatorum & Sacerdotum sunt prædicanda etiam coram populo. Et ego dixi, quod peccata personalia clericorum specialia illi statui, non sunt populo nuncianda per prædicationem immoderatè, sed cum sobrietate & discretione, dum ratio indicat coram eo hoc esse faciendum: Dixi *personalia*, ad differentiam peccatorum populo directè nocentium, ut est infidelitas, & mala doctrina in moribus. Dixi, *specialia illi statui*, quod communia peccata illis & populo, potest prædicator arguere coram populo, potest & ea, quæ directa sunt populi infectiva, modo superius expresso. Sed personalia & propria statui clericorum immoderatè aut cum exprobratione, vel improperio coram populo non sunt per prædicatores arguenda. Prædicatio enim non fit pro peccato unius personæ, sed multitudinis. Modò multitudo modestè & leviter arguenda est, ut dicit B. Augustinus epistola ad Aurelium prius allegata, etiam quia talis contra finem, ad quem instituta est, militaret; est enim ad correctionem & emendationem, & talis foret ad confusionem magnam. Quarta differentia, quia ponit, quod peccata mortalia publica quorumcunque sunt per potestates seculares coactivè punienda, ubi correctio fraterna, vel generalis reprehensio per prædicationem verbi Dei, non sufficeret. Et in hoc, quod ponit de peccatis prælatorum, sacerdotum, & Ecclesiasticorum quorumcunque, quia dixerat universaliter, *quorumcunque*. Ego posui oppositum, & ostendi, quod peccata personalia Ecclesiasticorum, puta, quæ neque fidem aut bonos mores, exceptis etiam casibus à jure potestate seculari concessis, non sunt per eam pœnaliter punienda. Et habeo Scripturam sacram, praxim Christi & Apostolorum, sacros Canones, & dicta sanctorum Doctorum, se in lege divina veraciter fundantium, ut in secunda conclusione secundi puncti diffusè probatum est. Sunt & aliæ differentiæ, una, quia negat legem humanam posse licitè punire reos mortis supplicio. Et ego probavi oppositum. Altera differentia est, quia negat indulgentias, & dicit eas in lege Dei non esse fundatas. Ego autem probavi eas fundamentum in lege Dei habere, & Ecclesiæ auctoritate fuisse introductas, ad magnam utilitatem fidelium, ad honorem Dei & Ecclesiæ profectum. Altera differentia, quia dicit, peregrinationes esse ex inventione hominum, idololatriam sapere & superstitionem. Ego probavi oppositum, & ostendi, quod in lege veteri fuerunt institutæ & præceptæ, & à Christo Salvatore observatæ, & à Sanctis sollicitè usitatæ, & satis extensè, ut audivistis. Altera differentia, quia ponit, quod literæ fraternitatum non videntur à Domino Deo nostro Jesu Christo introductæ, neque ab Apostolis concessæ, aut visitatæ, sed magis videntur detestandæ, cum per talia sophismata lex Dei sufficiens ad populum fidelem regendum, contemnatur. Et ego dixi & probavi oppositum, quod hæ sunt in Scriptura fundatæ. Alia differentia inter nos est, in absolutionibus & excommunicationibus, ut audistis, excessus aggravavit, tantum ignem zeli succendit, ut si ita foret, ut vult, Ecclesiastica Hierarchia turbaretur, tumultuaretur ignobilis contra nobilem, puer contra senem, apertus esset puteus dissensionum, abyssus scandalorum. Surrexi igitur, ut ignem mitigarem, non exstinguerem, correctionem peccatorum non tollerem, sed ordinarem: hæc modificatio, quæ per me dicta est, est aqua flammam sub olla, de qua ab initio, remittens, ut peccata per disciplinam ardeant, sed succendentes prunas non consumant. Corrigantur peccata, permaneat Ecclesiasticus ordo, & debito gradu cuncta subsistant. Si paululum dilectus meus faber succendere desinat, modum ponat in vindicta peccatorum, mecumque de indulgentiis, & aliis prædictis sentire velit, desinam aquam moderationis aspergere secum, ut alter fabrum ignem moderatæ punitionis peccatorum sufflabo, ut in olla ardente versa ad faciem Aquilonis, peccata ut possibile est, urantur. Et si sibi videatur aqua mea amara, quia aqua contradictionis est, erit tamen sibi, ut aqua Siloe, quæ vadit cum silentio. Paratum auxilium in hac sacra Synodo est situm: in modo correctionis unanimes sumus, qui, quod corrigenda sunt vitia, concordamus. Expurgabit in olla charitate Christi succensa peccatorum rubigines. Et exibit opus ejus de fornace ignis, ut vas purissimum, erit Ecclesia in camino hoc ignis examinata & purgata, ut non jam sint columbæ Christi unicæ sponsæ ejus, id est, *Ecclesiæ, pennæ deargentatæ & posteriora dorsi ejus in pallore auri. Sed de auro mundo veræ charitatis, ut fulgeant justi, & tanquam scintillæ in ardimento discurrant. Quod nobis præstet in commune, in cujus nomine congregati sumus, Dominus noster Jesus Christus, cui cum Patre & Spiritu sancto est imperium, honor & gloria in secula seculorum, Amen.

XV. ANNO 1433.

III. Galas. 2.

IV.

V.

VI.

VII.

VIII.

IX.

*Alterum exemplar habet, etiam. Psalm. 67. Sapien. 3.

ORA-

(a) Explicit responsio articuli secundi, videlicet de punitione peccatorum publicorum mortalium, facta in generali Concilio Basilienſi, per Magistrum Ægidium Decanum Cameracensem. (a) Ita alter codex m. s.



Digitized by Google

# ORATIO,

## HENRICI KALTELSEN

### DOMINICANI,

PROFESSORIS SACRÆ THEOLOGIÆ

In celeberrima Colonienſi Academia, & hæreticæ pravitatis Inquiſitoris,

QUA IN

## CONCILIO BASILIENSI,

ANNO M. CCCCXXXIII.

*Per dies tres refutavit tertium articulum Bohemorum,*

# DE LIBERA PRÆDICATIONE VERBI DEI,

Quem propoſuit per biduum

## UDALRICUS Presbyter Orphanorum.

SÆC. XV. ANNO 1433.

PAtres & Domini Reverendiſſimi, Doctores prudentiſſimi, inclyti Bohemiæ regni Oratores egregii, cæterique confratres mei præclariſſimi! In medio tam magnatorum, tamque auditorii diviniſſimi locuturus, renuit conſolari anima mea, niſi conſolationes Dei lætificaſſent eam cum Pſalmiſta. Quamobrem ſpem finaliter in ejus poſui exuberantiam, qui dat omnibus affluenter, Jacobi primo, qui aſſecurat, promittens, *Aperi os tuum, & ego implebo illud,* dans verba Evangelizantibus virtute multa, in Pſalmo, Beatiſſima interveniente Dei genitrice virgine Maria, per quam veluti per canalem, & aquæductum gratiarum, quidquid divina largitas influit, quidquid humano generi dare virtutis & gratiæ diſpoſuit, largiſſimo ſancti Spiritus imbre infundit, ſecundùm mellifluum Bernardum in ſermone, beatis omnibus occurrentibus Dei Sanctis, qui charitatis vinculo conſtricti nobis miſeris invocantibus, non minus quàm Hieremias Dei Propheta multum orans pro populo & univerſa civitate dicitur 2. Machabæ. ultimo, quorum ſuffultus meritis juxta materiam articuli tertii, in ordine propoſitorum, qui eſt de prædicatione verbi Dei, parumper locuturus, aſſumo verba thematis Dominicæ jam currentis, Lucæ 8. conſcripta: *Qui in corde bono & optimo audientes retinent verbum, fructum afferunt in patientia.* Pro cujus introductione noto cum B. Thoma 2. 2. quæſt. 177. articulo primo, ad hoc, quod verbi Dei orator efficaciter loquatur, tria requiruntur, ut ſcilicet doceat, delectet, & flectat, doceat intellectum inſtruendo, delectet affectum demulcendo, flectat effectum procreando. Et quanquam duo prima in facultate docentis ut plurimum reperiantur, tertium tamen ſolius Dei eſſe dignoſcitur: niſi enim interius Spiritus ſanctus doceat, incaſſum exterius vox Doctoris laborat, ſecundùm beatum Gregorium, in homilia de feſto Pentecoſtes: ſicut enim impoſſi-

*Pſalm.* 93. *Jacob.* 1. *Pſalm.* 80. *Pſalm.* 67. *Bernardus ſermone de nativitate Mariæ.* 2. *Mach.* 15. *Luca* 8. *Gregor. hom.* 30.

Digitized by Google

impoſſibile eſt, quod ſola pluvia fructificet terram, niſi flaverit etiam ventus; ſic non eſt poſſibile, quod ſola doctrina corrigat hominem, niſi cooperatus fuerit Spiritus ſanctus in corde ipſius, ut ait beatus Chryſoſtomus, homilia vigeſima. Idcircò ut per me dicenda, in cunctis nobis fructum afferant in patientia, tria noto. Primum ut locus congruus adaptetur, *in corde bono & optimo.* Secundum, ut modus debitus obſervetur, *audientes verbum retinent.* Tertium, ut fructus debitus reportetur, *fructum afferunt in patientia.* Primum docet intellectum. Secundum demulcet affectum. Tertium flectet effectum, ut ſic his ſimul concurrentibus opus præſentis actus optatum reportet profectum. Dico primò & principaliter, reſervatis duobus membris pro ſequentibus diebus, ut fructum verbi Dei in patientia auferamus, neceſſe eſſe nobis locum congruum, ut adoptemus, qui eſt *in corde bono & optimo:* bono per induſtriam naturalem, & optimo per gratiam juſtificantem, ait Nicolaus de Lyra ibidem; *bono*, per fidem illuminantem, & *optimo*, per gratiam operantem. Optimum enim eſt gratiâ ſtabilire cor. Unde Gorra ſuper eodem, *in corde bono*, per diſciplinæ & virtutis exercitium, & *optimo*, per internæ contemplationis & conſolationis ſolatium. Secundùm Albertum, *in corde bono*, id eſt, mundo à peccato, Matthæi quinto, & *optimo*, ſcilicet divinæ voluntati in omnibus conformato, ſecundùm beatum Auguſtinum, ſuper illo Pſalmo. *Qui ſalvos facit rectos corde: in corde bono*, per dilectionem proximi ut ſeipſum, & *optimo*, per dilectionem Dei ſuper omnia: ſic *Maria optimam partem elegit*, Lucæ 10. ac ut reor ex cauſa quidam hæſitanti, quid offerre poſſet Deo gratiſſimum, edoctus eſt per Angelum, offerre curvitatem lunæ, rotunditatem ſolis, & primam partem rotæ; per quæ intelligi docuit, C per curvitatem, O per rotunditatem, & R per rotæ primam partem ſeu literam, quæ tria ſimul compoſita hoc nomen, *cor*, efficiunt, hinc ſecundùm Iſidorum & Catholicon *cor* etymologiſatur. c. cuſtos, o. omnium, r. rerum, quare hoc volens ſibi Dominus præparare clamat: *Quis eſt iſte, qui cor ſuum applicet, ut appropinquet mihi? eritiſque mihi in populum, & ego ero vobis in Deum*, Hieremiæ 30. Aliter autem formatur animal à natura, aliter à pictura. Nam natura animal formando, incipit à corde, & ſic ſecundùm proportionem cordis cætera membra figurat, ait Ariſtoteles 16. de animalibus: pictor verò nihil curat de corde, & tota ſollicitudo eſt circa membra exteriora componenda: ſic ſi ſacram unionem cupimus, ſi veritatis normam quærimus, ſi reformationem ſalutarem appetimus, non in verbis exterioribus, ſed cordis optimi penetralibus, id eſt, non lingua tantùm, ſed opere & veritate amplecti debemus. Ad hoc quæſo *hodie*, *Si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda veſtra*, ait Pſalmiſta, quoniam *cor durum malè habebit in noviſſimis.* Eccleſiaſtici tertio. Cor durum eſt, quod ſeipſum non exhorret, nec ſentit, quod cor durum ſit, quod nec compunctione ſcinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur, ingratum ad beneficia, ad conſilia infidum. Nemo duri cordis ſalutem unquam adeptus eſt, niſi fortè quem miſerans Deus, abſtulerit ab eo cor lapideum, & dederit cor carneum, juxta Prophetam. Bernardus de conſideratione libro primo: quidam namque reproborum in poteſtatem dæmonum occulto & juſtiſſimo Dei judicio rediguntur, Iſaia atteſtante: *Ipſe miſit eis ſortem, & manus Dei diviſit eis eam in menſuram, uſque in æternum poſſidebunt eam:* quidam electorum dimittuntur à Deo, ex divina juſtitia incidere in errorem peccati, ſed tamen miſeratione ejus reducti, denuò convertuntur: de talibus enim Dominus per Prophetam loquitur: *& diviſi eum, & reduxi eum, & reddidi conſolationes ipſi:* Sanctus Iſidorus de ſummo bono, lib. 20. cap. 15. talis ſic à Domino reductus, poteſt aptè cum Propheta dicere: *Invenit ſervus tuus cor ſuum, ut oret te.* 2. Regum 7. ſic Nabuchodonoſor per tempora multa, ſua exigente culpa, à Deo derelictus, tandem reductus eſt, & reſtituta figura priſtina, id eſt, intelligentia humana, Danielis 4. Hoc David petivit, cum ait: *Cor mundum crea in mei Deus*, ſciens, quod *beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*, Matth. 5. quæ viſio tota merces eſt, quæ viſio ſummum bonum finale & æternum gaudium eſt, quam nobis concedat benedictus Jeſus, qui imperat & regnat, Amen.

SÆC. XV. ANNO 1433.

*Chryſoſt. hom. 25. in opere imp.*

*Nicol. de Lyra. Hebr. 13.*

*Matth. 5. Albertus Magnus in Lucam, cap. 8. Auguſtin. Pſalm. 7. Luce 10.*

*Hierem. 30.*

*Ariſt. de partibus animalium. lib. 3. c. 4.*

*Pſalm. 94.*

*Eccleſ. 3.*

*Ezech. 36.*

*Bernard. lib. 1. de conſid. ad Eug.*

*Eſaiæ 34.*

*Eſaiæ 57. Iſidorus.*

*2. Reg. 7.*

*Daniel. 4. Pſalm. 50. Matth. 5.*

QUemadmodum Deus & natura nihil agunt fruſtra, ſed ſicut in neceſſariis non deficiunt, nec abundant in ſuperfluis, ita imitator utriuſque prout, ipſe ex alto conceſſerit, nec in ſuperfluis abundare, nec in neceſſariis deficere, propono: ſed juxta materias per dominum proponentem miniſtratas, notanda quædam obſcurè poſita declarabo, omiſſa ſupplebo, ſed & à veritate devia arguendo emendabo, juxta Apoſtolicam doctrinam, ut ſit veritatis Doctor exhortari potens in doctrina, & eos, qui contradicunt arguere. Obtulit Dominus venerabilis Ulricus proponens in ſua propoſitione certa enthymemata, circa quæ intendo declarationi inſiſtere arguendo ſic: Chriſtus mandat hoc, ergò hoc eſt faciendum. Chriſtus prohibet hoc, ergò hoc non eſt faciendum: benè ſequitur, non autem ſequitur de puro homine ſic. Papa mandat

*Tit. 1.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

hoc, ergò hoc est faciendum. Papa prohibet hoc, ergò hoc non est faciendum, &c. nisi addito isto medio, & in lege Dei veraciter se fundat. Obtulit in primo notabili, duplex esse verbum Dei, scilicet, *Christum Jesum*, qui est verus Deus & homo, & utrumque Testamentum; ibi defectum per eum commissum intendo supplere, deinceps quædam intulit, quæ intendo constanter redarguere, vel modificare, & veritatem credi necessariam, adducere, quorum primum est: Tantæ perfectionis sunt verba Dei, quod eis nil licet addere, nec subtrahere. Secundum quod causa ruinæ populi maximè est culpa malorum sacerdotum: hoc declarabo lucidius propter multa mala de sacerdotibus Domini. In secundo notabili enarrata, ubi additur, quod nemo amplius nocet, nec Ecclesiam scindit, sicut sacerdotes mali; hoc intendo modificare: in notabili tertio, quod tenetur præceptivè, ubi inter multa redarguenda sunt hæc inserta: Primum quod, non observantia consilii Dei obligat non observantem ad peccatum veniale, sicut præcepti ad mortale. Secundum, quod est præceptum Domini cuilibet diacono & presbytero liberè prædicare verbum Dei, ita quod sub præcepto obligante non prædicantem ad peccatum mortale, cadit actus prædicandi in ipsis. In quarto proposuit super verbo, *liberè*, quod diaconus & presbyter libertantur ad prædicandum, dum suscipiunt diaconatus & presbyteratus ordinem legitimè, & quod ex tunc nullum impedimentum illegitimum obsistere debet, secundùm legem Domini nostri *Jesu Christi:* ibi etiam reprehendit, quod missantes plurimi, sed prædicantes sunt pauciſſimi, & altarium multiplicationem. Consequenter prædicta probando venerabilis Ulricus proponens probat articulum auctoritatibus & rationibus sibi gratis. Et infert primo istam conclusionem: Non obstante inhibitione, aut prætensa excommunicatione lata jam aut minata, sacerdos Domini debet fideliter & liberè verbum Domini verbum Domini annunciare, quia debet Deo magis, quàm hominibus obedire. Addit secundò, quod sacerdos dimittens fidelem prædicationem, propter hominum inhibitionem, seu prætensam excommunicationem, est apud Deum excommunicatus, quia tales non servant mandatum Dei, & ergò maledicti, & excommunicati. Et sunt hæc, primæ veritatis, quæ Deus est, cum adjutorio, constanter reprobanda. Tertio, quod sacerdotes Dei verbi prædicationem fidelem non debent omittere propter scandalum perversorum. Quartò, quod non solùm sacerdotes minores, sed & prælati majores tenentur verbum Dei fideliter annunciare. Hæc est dicendorum materia, prout propositio cogit vestra. Antequam harum difficultatum declarationem aggrediar, præsupposita recognitione ignorantiæ meæ, & imbecillitatis notoriæ, quam recognosco corde, & confiteor ore. Nihilominus ex mihi injuncto, colla obedientiæ submittens, jugo, vires hinc resumo, quoniam causam Dei agimus, quoniam salutem animarum quærimus, in quibus nostra sufficientia ex Deo est, qui promisit, *dum steteris ante Reges & præsides nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini.*

*Secundum.*

*Tertium.*

*Quartum.*

Conclusiones, an injuste excommunicatus debeat prædicare verbum.

I. *Actor.* 5.

II.

III.

IV.

2. *Cor.* 3. *Matth.* 10.

Protestatio.

Duo autem inter multa mihi necessaria protestor. Primo, quod omnia per me unquam dicta, nunc & in futurum dicenda, judicio, ac diffinitioni hujus sacrosancti generalis Concilii Basilienſis sincerè & plenè submitto, credens & confitens, quidquid ipsa sancta Synodus credit & confitetur: quod si aliud dixero, quod avertat Altissimus, ex nunc revoco & retracto, pro non dicto haberi desiderans; secundùm quod non est mentis meæ, piarum aurium offendicula verba proferre, aut salvo conductui venerabilium oratorum inclyti regni Bohemiæ quovis modo præjudicare: quod si ex lapsu linguæ contigerit, ex nunc veniam postulo, qua indiget lingua seu maxilla in chamo & fræno rationis seu imperio voluntatis non constricta, quibus protestationibus, in qualibet sequentium materiarum quasi innovatis ac iteratis, præsuppositis, Prædicatorum Ordinis ego minimus prædicationem verbi Dei defensurus juxta articuli tertii exigentiam, quam adduxit venerabilis Ulricus dominus proponens inclyti regni Bohemiæ orator, secundùm formam per ipsum servatam procedere intendo. Et ideò si formalitatem aliquando egressus fuero, non mihi indignemini, quia formam traditam investigabo.

*Articulus propositus. Verbum Dei exemplo Christi & Apostolorum à sacerdotibus Domini liberè & sine impedimento, fideliter & veraciter debet prædicari & annunciari.*

Articulus proponentis iste est. *Verbum Dei exemplo Christi & Apostolorum, à Sacerdotibus Domini liberè, & sine impedimento fideliter & veraciter debet prædicari & annunciari:* juxta cujus deductionem dominus Ulricus proponens venerabilis talem habuit ordinem. Primò notabilia, circa aliquorum terminorum expositionem, præmittendo. Secundò, articuli decisionem annectendo. Secundùm ergò ordinem vestri processus, erit forma mei progressus: hoc promisso, quod nedum propositionibus positis, sed & earum probationibus declarandis insistam, ne dum verbis, sed & intentioni, prout ex verbis colligere potui, innitendo, & primò in procemio suæ collationis inter cætera ista fuerunt verba ejusdem, *Istud est argumentum infallibile, hoc mandat Christus Jesus, ergo hoc est faciendum. Hoc prohibet Christus, ergò hoc non est faciendum: De puro autem homine infallibiliter non sic sequitur de forma, non enim sequitur*

Digitized by Google

*quitur universaliter, Hoc mandat Romanus Pontifex, hoc dicit Eugenius Papa, ergò verum, aut faciendum: hoc prohibet Papa, ergò non faciendum. Sed addito isto medio benè sequitur, hoc dicit Romanus Pontifex, & in scriptura Canonica se fundat veraciter, ergò hoc est verum, aut faciendum:* & quanquam hoc in superficie videatur tutè dictum, tamen quia primæ consequentiæ possent multis materiam ministrare erroris, & inobedientiæ & rebellionis, ideò circa eas parum insistere, non absonum judicabunt. Obtulit dominus proponens argumentationem talem, *Christus Jesus mandat hoc, ergò hoc est faciendum: Christus Jesus prohibet hoc, ergò hoc omittendum:* circa quam sciendum, quod non omne mandatum Christi, quod habet notam mandati, habet efficaciam mandati, dicit enim venerabilis Gorra. Lucæ 7. quod est triplex præceptum Domini, unum propriè dictum, obligans ad faciendum, ut illud, *honora Patrem & Matrem.* Exod. 29. Aliud minus propriè dictum, tentans ad probandum, ut illud, *tolle filium tuum*, Genes. 22. Tertium impropriè dictum, scilicet docens tantum ad sciendum, ut dum Dominus præcepit ei, quem curavit, nè cuiquam diceret: hæc ille: cui alludit Magister primò sententiarum, lib. 1. dist. 45. dicens: Quod Deus non vult ab hominibus fieri omnia, quæ præcepit, vel non fieri, quæ prohibet; præcepit enim Abraham immolare, nec tamen voluit. Non enim ideò præcepit, ut fieret, sed ad probandum fidem Abrahæ. Et in Evangelio præcepit sanato, ne cuiquam diceret, ille autem prædicavit ubique, intelligens Deum non ideò prohibuisse, quin vellet opus suum prædicari; sed ut daret formam homini, laudem humanam declinandi: & capitulo finali dicit, distinguens de voluntate signi & beneplaciti. „ Fit „ omne, quod Deus beneplacito vult fieri; & omne, quod vult non fieri, nequa„ quam fit: non ita est de signis, quia sic præcipit Deus multis, quæ non faciunt, & „ prohibet, quæ non cavent, & consulit, quæ non implent": hæc ille, Ubi dicit sanctus Thomas: „ Quamvis non vellet Deus voluntate consequente, quod Abraham „ filium occideret, voluit tamen voluntate antecedente, quod voluntas Abrahæ in „ hoc ferretur, secundùm quod jam erat ordinatum. Et talem voluntatem præceptum „ expressit, & sic fictio non fuit ista, & de illis, qui contra præceptum Domini opus „ prædicant, licet Christus noluerit hoc, quod præcepit voluntate consequente, vo„ luit tamen voluntate antecedente homines in hoc tendere, ut gloriam mundanam „ de temporalibus bonis non quærerent, sed Dei; & hoc præceptum expressit": hæc ille. Unde communiter tenent Doctores, circa distinctionem quadragesimam quartam, primi sententiarum, quod quando præceptum datur in documentum, non in præceptum, non obligat; sicut si Prælatus præciperet aliquid grande suo monacho, & tamen cordetenus, nollet illud fieri, sed statim, cùm frater hoc facere inciperet, eum revocaret, ita quod præceptum illud est directè signum voluntatis præcipientis, ita quod velit obligare subditum ad exequendum voluntatem præcipientis, sed non est directè signum, quod velit rem præceptam impleri, talia enim fiunt ad sumendum experientiam de obedientia subditi, vel ad ostendendum pluribus obedientiam unius exemplo. Ideò recitat ibidem quatuor solemnes opiniones dominus Patriarcha de palude, circa istam conclusionem, *Deus quandoque præcipit fieri, quod tamen non vult fieri.*

SÆC. XV. ANNO 1433.

*Triplex mandatum Domini.* *Exod 20.* *Genes. 22.* *Mag. sent. lib. 1. dist. 45.* Deus non vult fieri omnia quæ jubet. *Dist. 47. q. 1. art. 4. ad 1.*

Secundò addit venerabilis proponens Ulricus enthymema. *Non sequitur, Papa mandat hoc, ergò hoc est faciendum, nisi addito isto medio, & in lege divina veraciter se fundat.* Ego assumo sic: *Papa mandat hoc, & in lege Domini saltem expressè se veraciter non fundat, dummodo contra mandatum Domini non præcipiat, neque contra sacrorum generalium Conciliorum statuta, ergò hoc est faciendum.* Pro cujus deductione duxi aliqua notare. Primum est, quod Papa non est nomen ordinis, sed tantùm jurisdictionis, & officii, patet, quia Papa potest cedere Papatui, ita quod non sit amplius Papa, non tamen potest cedere sacro ordini, quin semper sit ordinatus, postquam est ordinatus. Secundò, quia Papa ut Papa, non habet potestatem conficiendi Corpus Christi verum, nisi consecretur in presbyterum; quamvis posset gubernare Corpus Christi mysticum, etiamsi non habeat sacerdotii gradum, ut deducit venerabilis magister Augustinus de Ancona, in libro de Ecclesiastica potestate, q. 4. art. 2. Secundum quòd quamdiu Papa est fidelis, etsi in moribus sit malus, potest & debet dici sanctus aut sanctissimus, non quidem ex vitæ merito, sicut Christus dicitur sanctus Sanctorum, sed ex sanctificandi alios officio, sic enim Num. 18. dixit Dominus ad Moysen, *tu & filii tui, & domus patris tui portabitis iniquitatem sanctuarii,* & secundùm translationem antiquam 70. interpretum, dicitur, *sumetis peccata Sanctorum,* ubi clarè patet, quod etiam homines peccatores dicuntur sancti, ex officio, quia Moyses cum familia signati sunt portare iniquitatem sanctuarii, & sumere peccata Sanctorum: si sanctuarium, quomodo habet iniquitatem? & si sancti sunt, quomodo habent peccata? Venerabilis Thomas de Walden lib. 2. c. 36. sic & concilia generalia dicuntur sancta & sanctissima, non à sanctitate personarum inibi existentium, sed ex pleni-

I. *Papa non est nomen ordinis, sed jurisdictionis & officii.* *Papa potest non esse Presbyter.* *August. de Ancona, de potestate Ecclesiastica, ca. q. 4. art. 1.* II. *Num. 18.* *Thomas Walden. lib. 2. doct. fidei. c. 37.* & 37.

Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

plenitudine officii ſanctificandi, & infallibili aſſiſtentia Spiritus ſancti: ſic & Eccleſia Catholica dicitur ſancta, non propter ſanctitatem omnium exiſtentium in ea, cùm ſint multi peccatores, ſed propter ſanctiſſima ejus officia, propter Sacramentorum ſanctitatem exiſtentium in ea: non enim talia dicuntur ſancta ex opere operante, ſed opere operato. Ideo ſanctus Cyrillus in epiſtola Synodica directa Neſtorio, quæ incipit: *Religioſo & Deo amabili*, nominat Papam ſanctiſſimum ac venerandiſſimum, ſimiliter ſacrum generale Concilium, ſimiliter ſanctus Hieronymus Papam vocat ſanctiſſimum, gloriam ſanctitatis ſuæ magnificans in libro, qui intitulatur de geſtis Romanorum Pontificum, in principio ſcribens ad Damaſum Papam. Tertium, quod Papa ratione officii ſæpè aptiſſimè nominatur beatus ſeu beatiſſimus, non quaſi extra ſtatum viæ æternaliter conſtitutus beatus, ſed propter admirandam ſuæ poteſtatis excellentiam, quæ propè Chriſtum attingit: quidquid enim poteſtatis, quidquid gratiæ Sacramentalis, quidquid diſpenſationis cœleſtis à Chriſto, capite Eccleſiæ, commiſſum eſt, ipſa Eccleſia diſperſa, & Papa in fide non errante, totum eſt ejus diſpenſationi commiſſum. Hinc beatus Hilarius etiam Imperatorem Conſtantinum propter auctoritatem imperialem beatiſſimum nuncupavit in epiſtola ſua ad eundem de fide. Et beatus Ambroſius quibuſdam ſcribens Epiſcopis & ſacerdotibus malis, quos de ſymonia & multis exceſſibus redarguit, beatiſſimos & ſanctiſſimos patres nominat in libro ſuo paſtorali, quem de obſervantiis ipſorum intitulat. Quartò ergò dico, quod ſi Papa aliquid mandat faciendum, quod non eſt contra legem Dei expreſsè, aut contrà ſtatuta aliqua ſanctorum Patrum, etiamſi ſe literaliter in lege Dei veraciter non fundat, ei obediendum eſt: Hinc dicit beatus Cyrillus Epiſcopus Alexandrinus, in libro theſaurorum, *ut membra maneamus in capite noſtro; Apoſtolico throno Romanorum Pontificum, à quo medium eſt quærere, quid credere, & quid tenere debeamus, ipſum venerantes, ipſum rogantes præ omnibus, quoniam ipſius ſolius eſt reprehendere, corrigere, ſtatuere, diſponere, ligare, & ſolvere, loco illius, qui ipſum ædificavit, & nulli alii, quod ſuum eſt plenè, ſed ipſi ſoli dedit, cui omnes jure divino caput inclinant, & primates mundi tanquam ipſi Jeſu Chriſto obediunt:* hæc ille. Pariformiter ſanctus Chryſoſtomus cum omnibus Doctoribus ſuper illo: *Paſce oves meas*, ſcribentibus, & beatus Bernardus in principio tertii libri ad Eugenium. Sed dices: Papa malus eſt, & prælati peſſimi ſunt: reſpondet Dominus: *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi, omnia quæ vobis dixerint, facite, ſecundùm opera eorum nolite facere*, Matth. 23. Et ejus Vicarius immediatus inquit: *Obedite præpoſitis veſtris, non tantùm bonis, ſed & diſcolis*, primæ Petri 2. cujus rationem aſſignat beatus Hieronymus, lib. 1. contra Jovinianum, dicens: *Epiſcopus, & presbyter, & diaconus non ſunt meritorum nomina, ſed officiorum. Nec dicitur, ſi quis Epiſcopatum deſiderat, bonum gradum deſiderat, ſed bonum opus deſiderat, quod in majori ordine conſtitutus, poſſit, ſi velit, occaſionem exercendarum habere virtutum:* hæc ille. Unde Beatus Bernardus ſuper canticis ſermone 67. „ Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi, & qui non obedierunt eis, tanquam Epiſcopis, inobedientiæ rei fuerunt, „ etiam in ipſum Dominum præcipientem & dicentem, quæ dicunt, facite: patet, „ quamvis Scribæ, quamvis Phariſæi, quamvis peccatores maximi, propter Cathedram „ tamen Moyſi, ad eos quoque nihilominus pertinere, quod idem dicit: qui vos au- „ dit, me audit, & qui vos ſpernit me ſpernit": hæc ille. Patet ergò, quid ſit de illa argumentatione ſentiendum: Papa mandat hoc, ergò hoc eſt faciendum, etiamſi ſe non fundet expreſsè in divina lege. Et tantum de procœmio domini proponentis.

III.

IV.

*Vide Wald. in loco citato.*

*Ambroſ. lib. de ſacerdotali dignitate, c. 2. to. 4.*

*Cyrillus.*

*Chryſoſt. in 21. cap. Joan.*

*Bernardus de conſ. l. 3.*

*Matth. 23.*

*1. Petr. 2.*

*Hieron. lib. 1. contra Jovin. cap. 19.*

*Bern. ſermone ſuper cantica 66.*

*Luca 10.*

Poſt hoc, expedito procœmio, dominus proponens in articulo incepit proponere notabilia, & fuit primum notabile circa illud complexum, *verbum Dei*, ubi in ſermone vel ſententia diſtinxit, verbum Dei dupliciter per eum intelligi: uno modo accipiendo pro Chriſto Jeſu, Deo vero & homine. Secundo modo pro omni verbo veritatis, quod locutus eſt Dominus per ſuos Angelos, Prophetas veros, & filium ſuum, & per ſanctos ſuos Apoſtolos, & in ſcriptis reliquit ad futura tempora. Et iſto ſecundo modo dicebat ſe uſurum, in propoſito illo complexo, *verbum Dei*, & quanquam iſtud non ſit reprehenſibile, quoad ea, quæ dicta ſunt, eſt tamen reprehenſibile propter ea, quæ omiſſa ſunt. Unde dico, fuit enim neceſſe addi tertium modum, quod ſcilicet Dei verbum eſt verbum inſpiratum, hoc enim oportet uti verbi Dei prædicatorem, ſi non vult inducere populum in errorem: unde dico, quod triplex eſt Dei verbum, non ſolum incarnatum, & exaratum, ſed etiam inſpiratum, & hoc eſt geminum, unum privatum, aliud publicum. Primò inquam, eſt verbum Dei meritò dicendum & nuncupandum, ſcilicet inſpiratum privatum, id eſt, perſonis privatis, de quibus ait vertex Apoſtolicus: *Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt homines Dei.* Et Pſalmiſta: *Audiam, quid loquatur in me Deus:* hinc Apoſtolus & ejus utilitatem expreſſit, *Omnis doctrina divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum, ut perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus*, ſecundo ad Tim.

*Primum notabile adverſarii.* de verbo Dei.

*Triplex verbum Dei.*

*Incarnatum, Exaratum, Inſpiratum, Privatum, Publicum.*

*2. Petr. 1. Pſalm. 84.*

*2. Tim. 3.*

Digitized by Google

Tim. 3. non ſunt ergò S. Doctorum ſcripta, quorum prudentiſſima ſcientia explanat ſcripturæ ſecreta, ab aliquo vilipendenda, ſed quaſi à Deo veneranda: quia eſt regula, quod eodem ſpiritu Scriptura ſacra exponitur, quo fuit inſpirata, quod elegantèr Apoſtolus oſtendit, dicens: quod Chriſtus ad conſummationem Sanctorum dedit quoſdam Apoſtolos, quoſdam Prophetas; & ne ibi crederetur eſſe ſtatus, quaſi aliorum ſcripturæ non eſſent à Deo, ſubdit, *quoſdam verò Doctores*, cujuſmodi ſunt ſcripturæ ſanctorum Gregorii, Auguſtini, Hieronymi, Ambroſii. Poſt hos beatorum, Bernardi, ſancti Thomæ, & aliorum multorum, etiam non canonizatorum, quibus procul dubio Spiritus ſanctus aperuit ſenſum, ut intelligerent ſcripturas, quatenus myſticos ſenſus, quibus ſacra Scriptura eſt gravida, aperirent, & ad communem hominum capacitatem redigerent; alioquin quomodo Deus præcepiſſet, Deut. 17. in his, quæ ſunt ambigua & difficilia, refugiendum eſſe ad ſacerdotes Levitici generis, & ad judicem, qui fuerit illo tempore? *Et facies, quæcunque dixerint tibi, qui præſunt loco, quem elegit Dominus, & docuerit te juxta legem ejus, ſequeriſque ſententiam illorum, non declinabis ad dexteram neque ſiniſtram*, ubi continuò ſubjungitur, *qui autem ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex decreto judicis, morietur homo ille, & auferes malum de domo Iſrael, cunctuſque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumeſcat ſuperbia*, Ideòque diſt. 15. in cap. *Sancta Romana Eccleſia*, multa ſanctorum Doctorum enumerantur opuſcula, jam per Eccleſiam acceptata, & ſibi ſoli ad judicandum reſervata. Et ſubditur, propter Doctores ibi non expreſſos, quod etiam aliorum Doctorum, Patrum orthodoxorum, qui in nullo à ſancto conſortio Romanæ Eccleſiæ deviarunt, nec ab ejus fide & prædicatione ſemoti ſunt, ſcripta ſuſcipienda & legenda ſint. Alii autem moderni non canonizati, ad legendum conceduntur, & ad impugnandum etiam à ſingularibus perſonis, ſi in eis aliquid veritati diſſonum reperitur: ſecundùm quem modum beatus Auguſtinus dicta ſua ad aliorum exponebat diſcutientiam, dicens in epiſtola ad Fortunatianum: „ Neque enim quorumlibet diſputationes, quamvis Catholi„ corum & laudatorum hominum, velut ſcripturas Canonicas habere debemus, ut „ nobis non liceat, ſalva honorificentia, quæ illis hominibus debetur, aliquid in eo„ rum ſcriptis improbare, atque reſpuere, ſi fortè invenerimus, quod aliter ſenſerint, „ quam veritas habet, divino adjutorio, vel ab aliis intellecta, vel à nobis; nam talis, „ *inquit*, ego ſum in ſcripturis aliorum, quales volo eſſe intellectores meorum": hæc ille. Eſt ergò verbum Dei verbum inſpiratum, ad prædicandum neceſſarium ſanctis Doctoribus, in ædificationem Corporis Chriſti myſtici, quibus ait Dominus. *Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis:* ut quilibet talis dicere poſſit, *Spiritus Domini locutus eſt per me, & ſermo ejus per linguam meam.* 2. Reg. 23. & hoc de privato. Ex quibus elicio, quod etiam illud non verè dictum eſt, ubi dicit proponens venerabilis, verbum Dei eſſe tantæ perfectionis, quod nihil poſſit ei addi vel ſubtrahi, quia licet ea explanare, & dubia emergentia determinare, & talibus promittitur merces magna, dicente ſapientia: Qui elucidant me, vitam æternam habebunt, Eccleſ. 24. non ergò licet ſubtrahere, id quod eſt neceſſitatis ſcripturæ, ſed licet addere, quod eſt pro ejus elucidatione, quod tam pulchrè oſtendit Dominus in expoſitione parabolæ Evangelii præſentis Dominicæ, ubi ſic ait beatus Gregorius: *Eſt quod ſollicitè in hac ipſa expoſitione Dominica penſare debetis, quia ſi nos vobis ſemen verbum, agrum mundum, volucres dæmonia, ſpinas divitias ſignificare diceremus, ad credendum nobis, forſitan mens veſtra dubitaret. Unde & idem Dominus per ſemetipſum dignatus eſt exponere, quod dicebat, ut ſciatis rerum ſignificationes quærere in his etiam, quæ per ſemetipſum noluit explanare. Exponendo ergò, quod dixit, figuratè ſe loqui innotuit, quatenus certos vos redderet, cum vobis noſtra fragilitas verborum ejus figuras aperiret:* hæc ille. Auctoritates in contrarium adductæ intelliguntur, *qui addiderint*, id ſcilicet, quod textum falſificaret, aut perfidiam ſaperet, prout nuper ſatis declaratum eſt.

*Eodem ſpiritu ſacra exponitur, quo inſpiratur. Epheſ. 4.*

*Deut. 17.*

*Diſt. 15. Sancta Romana. c. 3.*

*S. Auguſt. ad Fortunatianum. Epiſt. 111.*

*Matth. 10.*

*2. Reg. 23.*

*Eccleſ. 24. Greg. hom. 15.*

Quantum ad aliud verbum inſpiratum, verbum Dei aptiſſimè nominatum, & per omnia verbi Dei prædicatoribus neceſſarium, quod eſt inſpiratum publicum, eſt cujuſlibet generalis Concilii legitimè congregati ſtatutum & decretum, cujus auctoritatem Dominus ſibi aſcripſit, dicens collegio Apoſtolorum, *qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit*, Lucæ 10. quibus ſuam promiſit aſſiſtentiam, dicens: *Ubi congregati fuerint duo vel tres in nomine meo, in medio eorum ſum:* quod de congregatione generalium Conciliorum intelligendum exponit beatus Cæleſtinus in epiſtola ad Synodum tranſmiſſa, ut refert Iſidorus, in libro Conciliorum. Hoc expreſſius idem Salvator noſter innuit, Concilio Apoſtolico promittens in perſona Eccleſiæ, *adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò. Paraclitus autem Spiritus ſanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.* Joan. 16. & ne hæc credantur dicta perſonis

*Inſpiratum verbum publicum.*

*Luca 10. Matth. 18.*

*Cæleſtinus ep. 7. editionis Romanæ.*

*Joan. 16.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

Apoſtolorum tantùm, ait capitulo 15. *Ego rogabo patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, Spiritum veritatis, ut maneat vobiſcum in æternum.* Ergò ineſt ille Spiritus ſanctus omnibus congregationibus generalium Conciliorum, & omnia ibi concluſa ſunt verba Spiritus ſancti, ideoque determinationem ſacri Concilii non ſibi Apoſtoli, ſed Spiritui ſancto attribuerunt. *Placuit*, inquiunt, *Spiritui ſancto & nobis.* Actuum 15. Unde valdè cavendum eſt, ne ab informatione & ſententia finali hujus ſacri Concilii generalis Baſilienſis, in Spiritu ſancto legitimè congregati, quiſquam ſe alienum reddat, ne contra Dei ſententiam videatur recalcitrare, verba Spiritus ſancti abnegare, & à Catholica Eccleſiæ ſanctæ ſe unione ſeparare. Hæc modica conſcripſi, reſidua conſervans replicationi, &, ſi contingat, fraternali confabulationi: unde concludere pro nunc poſſumus, quod diſtinctionem circa id complexum, *verbum Dei*, minus completè poſuit Proponens, cùm in ædificatione corporis myſtici oporteat, ad minus etiam verbo inſpirato uti. Ideò non ſolum quatuor Concilia prima, ſed & omnia ſanctis inſtituta cuſtodienda & recipienda mandantur & decernuntur, diſtinctione 15. alia à *Sancta Romana Eccleſia.*

*Joan. 15.* *Concilio-rum autoritas.* *Actor. 15.* *Diſt. 15. Sancta Romana. c. 3.*

Demùm ad ſecundum notabile procedendo ſuper illo complexo, *à ſacerdotibus Domini*, diſtinxit dominus proponens, de ſacerdotibus bonis & malis, poſt multa vitia malorum ſacerdotum enarrata, & quomodo nemo amplius nocet Eccleſiæ Dei, quàm ſacerdotes mali; & quia tanta mala enarravit de malis, & pauciora bona de bonis, dicam ſubſequentia. Prælati & presbyteri mali, non ſolùm boni, ſunt magnificè honorandi & reverendi, ne videantur omninò ſpernendi, quos glorioſus Deus ſibi ſpecialiter elegit ex Gentibus mundi; non ad confortandum eos in malum, ſed magis ad revocandum presbyteros malos, & confirmandum bonos, & docendum cunctos, in qua honorifica majeſtate conſtituit Dominus presbyteros Eccleſiæ. Et primo ex veteri Teſtamento, Geneſ. 9. ubi dicitur, quod Noë inebriatus dormivit detectis verendis jacuit in tabernaculo ſuo: quod cùm vidiſſet Cham, non eum texit, ſed duobus fratribus annunciavit. At verò Sem & Japheth videntes, avertebant facies ſuas. *Quid eſt ergò, quod filii pallio verenda patris ſuperjecto dorſis pallio averſi veniendo operiunt? Niſi quod bonis ſubditis, ſic præpoſitorum ſuorum mala diſplicent, ut ab aliis nota occultent? Operimentum averſi deferunt, quia dijudicantes factum, & venerantes magiſterium, nolunt videre, quod tegunt.* Et nota, quod pater expergiſcens ſemen Cham maledixit, ſed duos patrem tegentes benedixit. Hanc maledictionem fugere voluit ſanctiſſimus Imperator Conſtantinus, de quo in Eccleſiaſtica hiſtoria, libro quarto, capitulo 10. dixiſſe narratur. *Si propriis oculis vidiſſem ſacerdotem Dei, aut aliquem eorum, qui monaſtico habitu circumamicti ſunt, peccantem, chlamidem meam explicarem, & cooperirem eum, ne ab aliquo videretur:* Hoc autem Chriſtus adhuc in vita ſibi partim recompenſavit, quia poſtmodum in bellis feliciſſimus fuit, ut dicit beatus Auguſtinus de civitate Dei, lib. 5. Secundò idem expreſsè Dominus præcepit, Exod. 22. *Diis ne detrahes, & principi populi tui non maledices.* Gloſſa, id eſt, *ſacerdotibus & Eccleſiæ Doctoribus, qui populis principantur*, cùm enim omnis detractio pernicioſa ſit, in illos eſt pernicioſior. Tertiò, Deuter. 5. *Honora patrem & matrem tuam, ut longo vivas tempore.* Gloſſa: *Hoc eſt maximum & primum mandatum, in altera tabula, honora, ſcilicet patrem corporalem & ſpiritualem, officio pietatis, & honora ſimiliter matrem, id eſt, Eccleſiam ſanctam.* Quartò, quia Threnor. 4. Hieremias deſtructionis cauſam aſſignans, ait: *Facies ſacerdotum non erubuerunt, neque ſenum miſerti ſunt.* Gloſſa: *Immò Deum in ſuis ſacerdotibus contempſerunt, nec Deum in his reveriti ſunt, ideò diviſi ſunt à facie Domini, quia per orbem diſperſi ſunt:* & alia gloſſa. *Nota, quàm terribile ſit ſacerdotes contemnere, nec faciem eorum erubeſcere, id eſt, illis monentibus & videntibus, à ſceleribus non ceſſare.* Quintò patet per David, qui quamvis ſciret Saul malum, tamen quia unctus erat in Regem & conſecratus, & coram populo nondum depoſitus, eundem nunquam graviter inhonoravit, ſed in ſpelunca, in papilione, & ubique pepercit. Unde gloſſa 1. Regum 24. & eſt venerabilis Bedæ & beati Gregorii: „ Quid per Saul, niſi mali rectores? „ quid per David, niſi boni ſubditi ſignantur? Saul ventrem purgare, eſt pravos præ„ poſitos conceptam in corde malitiam, uſque ad opera miſeri odoris extendere, & „ cogitata apud ſe noxia, factis exterioribus exequendo monſtrare, quem tamen Da„ vid ferire metuit, quia piæ ſubditorum mentes ab omni ſe peſte obtrectationis ab„ ſtinentes præpoſitorum vitam nullo gladio linguæ percutiunt, etiam cum imper„ fectionem reprehendunt: qui etſi quando propter infirmitatem ſe abſtinere vix poſ„ ſunt, extrema quædam atque exteriora præpoſitorum mala, ſed tamen humiliter „ loquuntur, & quaſi oram Chlamidis ſilenter incidunt, quia dum prælati dignitati, „ ſaltem innoxiæ, & latenter derogant, quaſi Regis ſuppoſiti veſtem ſecant: ſed ta„ men ad ſemetipſos redeunt, ſeque de tenuiſſima verbi laceratione reprehendunt". Inſuper ex novo Teſtamento, & primò per Chriſti facta & juſſa, nam Matth. 8. ſana-

*Sacerdotes etiam mali honorandi.* *Probatur exemplis veteris Teſtamenti.* *Geneſ. 9.* *Greg. in lib. 25. cap. 22.* *Gloſſa ordinaria. Gen. 9.* *Eccleſiaſt. hiſtoria Theod. lib. 1. c. 11.* II. *Aug. de civit. Dei lib. 5. cap. 25.* *Exod. 22.* *Gloſſa interlinearis. Ibidem.* III. *Deuter. 5.* *In utraque Gloſſa.* IV. *Threnor. 41. Gloſſa ordinaria. Ibidem.* *1. Reg. 24.* *Gloſſa ordinaria, in 1. Reg. c. 24.* *Item & novi. Matth. 8.*



Digitized by Google

to à se leproso ait: *vade, ostende te sacerdotibus*, quòs scivit pro tunc pessimos, & *offer*, inquit, *munus, quod præcepit Moyses, in testimonium illis*, cui glossa, *mittit ad sacerdotes propter humilitatem, ut sacerdotibus deferat honorem.* Secundò per illud, Lucæ 17. *Ite, ostendite vos sacerdotibus.* Super quo B. Augustinus libro de Baptismo: „ Nonne Sodomitæ ethnici erant Gentiles? pejores ergò Judæi, quibus Dominus di- „ cit: tolerabilius erit Sodomis in die judicii, quàm vobis. Et quibus Propheta dixit: „ justificastis Sodomam, id est, in comparatione ad vos justificata est. Nunquid tamen „ ideo Sacramenta divina, quæ apud Judæos erant, talia, quales erant ipsi, quæ Do- „ minus quoque ipse suscepit, & ad ea celebranda leprosos, quos ipse mundaverat, „ misit? & *sequitur*. Eadem Sacramenta, & in bonis hominibus illius temporis, „ erant & in malis pejoribus, quàm sint Ethnici, quandoquidem Sodomitis in malitia „ prælati sunt, & tamen illa Sacramenta erant in utrisque integra & divina": hæc ille. Hoc tertiò expressius habetur ex verbo Christi, Matth. 23. *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, omnia quæcunque dixerint vobis, facite, secundùm verò opera eorum nolite facere.* Ubi B. Chrysostomus dicit: *Sicut aurum de terra eligitur, & terra relinquitur, sic & auditores doctrinam suscipiant, & mores relinquant.* Frequenter enim de homine malo procedunt bona. Hoc expressius Dominus docuit, qui Judam multis honoribus decoravit, quamvis enim sciret, eum esse peccatorem, furem & proditorem, imò vocavit eum diabolum; nihilominus in tantum eum honoravit, quod potestatem dedit super omnia dæmonia, & ut languores curaret, & ante faciem suam prædicaret & baptizaret. Hoc, secundùm beatum Augustinum, factum est, ut discamus non contemnere Sanctorum collegia, si contingat aliquem malum inter eos reperiri.. Nullum est, nec unquam fuit sanctius collegium, dicit sanctus Thomas super Joan. 6. quàm collegium Apostolorum, in quo tamen unus inventus est proditor & latro. Ideò dicit sanctus Thomas 2. 2. q. 103. art. 2. quod prælati non honorantur propter excellentiam propriæ virtutis, sed propter excellentiam dignitatis, secundùm quam sunt Dei ministri, & in eis etiam honoratur tota communitas, cui præsunt.

SÆC. XV. ANNO 1433. II. *Luc. 17. Aug. de Baptismo, contra Donatistas, l. 6. c. 44. Matt. 10. & 11. Luc. 10. 1. q. 1. c. Nonne. 37.* III. *Chrysost. ibidem in opere imp. Augustinus. Thomas in c. Joan. 6. & 3. Thomas 2. 2. q. 103. a. 2. ad 2.*

Sunt autem notabiles causæ, quare populus Dei multum debet honorare sacerdotes. Prima, quia eum, qui mundum creavit, soli de cœlis adducere queunt, in altari Missàm celebrando, quia discipulis, quos in sacerdotes consecravit, Dominus ait in cœna: *Hoc facite in meam commemorationem*, Lucæ 22. Secunda, quia eis omnia Sacramenta, & velut medicinas contra omnes animæ morbos principaliter, & ex officio commendavit, quia stabellarii Evangelici sauciati soli habent curam, prout de Samaritano tangitur, Lucæ 10. Tertia, quia soli habent auctoritatem ligandi & solvendi à peccatis, & ab excommunicationibus, secundùm illud Matth. 18. *Amen dico vobis, quodcunque ligaveritis super terram, erit ligatum & in cœlo, & quæcunque solveritis, erunt soluta & in cœlo.* Quarta, quia de orationibus eorum, eò, quod sunt ministri Ecclesiæ, certius est, quod efficaciam pro populo & animabus fortiantur, quia quando, ut ministri Ecclesiæ, quidquam faciunt celebrando, vel hujusmodi, Pontificis vicem gerunt, de quo ad Hebræos 5. *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, in his, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis.* Quinta, quia in animabus & corporibus per septem ordines distinctos, quos quilibet recipit, Deo amplius consecrati sunt, & per consequens distinctos characteres super laicos habet impressos, propter septem ordines, propter quod prima Petri secundo dicitur: *Vos autem Genus electum, regale sacerdotium, Gens sancta, populus acquisitionis.* Sexta, quia lumen Ecclesiæ sunt & Doctores, de quibus Matthæi quinto: *Vos estis lux mundi & sal terræ.* Ultima, quia per manus eorum solùm benedicuntur omnia, quæ in cultum Dei habent consecrari, sicut Ecclesiæ altaria, vestes, Eucharistia, Matrimonium, & sic de similibus: his ait Dominus: *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Lucæ 10. Qui ergò sacerdotes non audit, sed spernit, atque vita sua neglecta, discutit nimis sacerdotum opera; non mirum, si Dominus tales cadere permittit, ut etiam Ecclesiastica contemnant Sacramenta, & finaliter infideles moriantur, ut deducit B. Gregorius, 1. q. 1. Multi secularium.

I. *Cur populus Dei honorare meritò debeat sacerdotes*, I. *Luc. 22.* II. *Luc. 10.* III. *Matth. 18.* IV. *Hebræor. 5.* V. *1. Petr. 2.* VI. *Matth. 5.* VII. *Luc. 10. 1. q. 1. Multi c. 84.*

Inter cætera, etiam istud Corollarium dominus Ulricus proponens subintulit, *Causa ruinæ populi fit maximè ex culpa sacerdotum malorum:* circa quæ dicta, istam propono conclusionem: *Etsi interdum ita contingat, non tamen est universaliter verum, quòd ruinæ populi causa fit maximè sacerdotum malorum ex culpa: quinimo sæpè ex malitia populi, propterea provenit sibi ruina, & populi demeritis exigentibus, degenerare permittitur à Deo,* (a) *sacerdotum à bonis moribus.* Hanc probo primò, similitudine: secundò, ratione: tertiò, auctoritate: hoc enim pro tanto judicavi necessarium fore, quia non videtur aliud dictum, *Omnis ruina populi provenit ex malitia clericorum*, nisi quod clericus detur per hoc ad manus gladii laicorum, ne patiantur ruinam propter

An mali sacerdotes sint *maxime* causa ruinæ populorum. (a) *forsan: sacerdotium. Non omnis ruina populi à sacer-*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

pter exceſſus clericorum. Unde iſtam (a) ſeditionis volens determinare malitiam, primò accedo ſimilitudinem hoc modo: Comparamus cum Doctoribus allegorizantibus illum textum, Geneſis primo: *In principio creavit Deus cœlum & terram.* Clerum mundo ſuperiori, id eſt, cœlo cum ſtellis, & reſiduum populum mundo inferiori, ſcilicet terræ cum plantis comparando: ut aptè poſſumus, ex hoc; quod ſicut ſecundùm Philoſophos inferior mundus à cœlo & ſtellis guberniatur, ita tota virtus reſidui populi à clero dependere habet, & augeri, atque in ultimum felicitatis finem dirigi. Cum ergò cœtus laicalis ſubordinatus eſt cœtui clericali, tanquam ſuo magiſtratui, ut ab illo doctrinis illuminetur, virtutibus roboretur, & fructibus repleatur. Ideò clerus, de quo ſcriptum eſt: *Regale Sacerdotium, genus electum*, congruè reſpectu laicalis populi, cœlum eſt, plenum ſtellis magnis, & parvis, fixis & erraticis. Stellæ majores, prælatos; minores, ſubditos, quorum quidam comparantur ſtellis fixis, ſicut hi, qui ad certam diœceſim, vel parochiam ſunt limitati, ad illuminandum illos, quibus ipſi ſunt præfecti, ut eos ex alto ſcientiæ illuminent, fructumque ſalutis fæcundent. Stellis autem erraticis, alii prædicatores per mundum diſcurrentes: ſic enim, qui docti fuerunt, *quaſi ſtellæ erunt in perpetuas æternitates*, Danielis 12. Sicut igitur interdum eſt, non ſemper, quod ſecundùm habitudinem & diſpoſitionem ſtellarum cœli bonam, & malam, alteratur & diſponitur hic inferior mundus convenienter, vel diſconvenienter; ita ſæpè propter defectus & indebitos reſpectus in invicem ſtellarum firmamenti, quod eſt allegoricè clerus, variis turbatur moleſtiis inferior populus: verùm, quod ſicut non omnia inferioris mundi incommoda ex influentia ſuperioris proveniunt, ſed ſæpiſſimè ab inferiori, ut ſi iſta inferiora ſuperiorum influxum non recipiunt, ubi & quando deberent, vel ſi per vapores vel nubes ab infrà aſcendentes abſconduntur ſtellæ, & per conſequens debitus earum impeditur influxus ad iſta inferiora: vel ſicut terra & aqua eclipſant lunam, & luna ſolem: ita terreni populi cæcata voluptas & avaritia eclipſant poteſtatem ſecularem, quæ eiſdem vitiis tenebroſa facta, eclipſat ſæpè poteſtatem ſpiritualem: unde ſecurè aſſero, quod ſicut exorbitantiæ & deordinationes inferiorum mundi, tam in naturalibus, quàm in moralibus, non ſemper reputandæ ſunt deordinationi curſus ſtellarum, & qui contrarium ſentiunt, magnam cœlo injuriam faciunt, ut dicit beatus Auguſtinus libro 5. de civitate Dei, capitulo primo: ita non eſt verum dicere, quod omnis ruina populi proveniat ex inordinationibus cleri, quinimo ſtaret, clerum eſſe regulariſſimum, & populum deordinatum, ſicut fuit in Eccleſia primitiva, ubi erat clerus ſanctiſſimus, & populus tyrannis plenus. Inſuper à primævo ita fuit, tempore Moyſis, qui fuit ſacerdos & rector filiorum Iſrael optimus, & tamen populus fuit duriſſimæ cervicis, & à Domino multipliciter flagellatus, propter peccata ſua propria, & multo ſæpius fuiſſet, ſi non Moyſes, ſervus Domini, ſtetiſſet in confractione in conſpectu Dei. Inſuper, tempore Chriſti, Apoſtolorum, & ſanctorum Martyrum, qui omnes fuerunt optimi, & peſſimi populi multi.

*Dotibus malis provenit, probatur primò ſimilitudine.*

(a) *alius liber melius: ſeductionis.* CAN.

*Daniel. 12.*

*Aug. lib. 5. de civita. Dei, c. 1.*

*Pſal. 105.*

*Secundò ratione quadrupliciter.*

I. *Pſalm. 88.*

Secundò hoc probatur ratione. Ruinæ populi maximæ proveniunt ex peccatis populi, juxta illud Pſalmiſtæ: *Viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum:* ſed maxima cauſa ruinæ populi eſt malitia ſui liberi arbitrii; cùm nemo ad peccandum poſſit cogi, nec eſt peccatum, niſi in quantum voluntarium, ſaltem actuale, ergò non ſemper cauſa ruinæ populi ſunt ſacerdotes mali; ſed inclinatio in

II. malum liberi ſui arbitrii. Secundò: hæc, quæ ſæpè fiunt divina permiſſione ex malitia ſpiritus maligni, non ſunt attribuenda clero innocenti; Sed pleræque ruinæ & plagæ in populos proveniunt divina permiſſione à ſpiritibus malignis, juxta illud Pſalmiſtæ, *Miſit in eos iram indignationis ſuæ, indignationem & tribulationem, immiſſionem per Angelos malos.*

*Pſalm. 77.*

III. Tertiò illa delicta non ſunt clero imponenda, quæ committunt populi, & ſufficienter arguuntur per prælatos, nec ab eis ſuſcipiunt talium peccatorum exemplum: ſed infinita peccata committuntur à populis, quorum nullum exemplum vident in ſacerdotibus, imò publicè arguuntur ab eis in ſermonibus, & privatim in confeſſionibus: ergò ſi aliqua patiuntur populi, talis ruina non eſt culpa cleri. Ad hoc eſt experientia: dicimus enim, quod tempore beati Gregorii & Ambroſii, fuit clerus bonus & regulatus, & multi ex eis ſunt ſancti canonizati, & tamen tunc tot fuerunt ruinæ in populis, quod beatus Gregorius in homilia ſecundæ Dominicæ adventus, ſcribit omnia ſigna in Evangelio conſcripta de ruinis bellorum, peſtilentiarum, & ſeditionum ante diem judicii ventura, ſuis in temporibus fuiſſe completa; ergo tales ruinæ non ſunt clero aſcribendæ. Quartò ſic. Illæ ruinæ non ſunt quocunque modo clero attribuendæ, quæ nec ex populi nec cleri culpa ſciuntur evenire, ſed ſic eſt, quod multa flagella Dei eveniunt multis, non propter cujuſcunque culpam, ſed Dei gloriam oſtendendam, ſicut cæcus natus fuit, de quo Dominus ait: *Neque hic peccavit, neque parentes ejus, ſed ut manifeſtentur opera Dei in illo.* Joannis nono. Sic & ſanctus Job creditur multipliciter flagellatus, non quod ipſe, vel aliquis

*Greg. hom. ſecunda Dominica Adventus.*

IV.

*Joan. 9.*

Digitized by Google

liquis alius hoc demeruerit, ſed ut patientiæ ſuæ virtus toti mundo innoteſceret, ſecundùm beatum Gregorium, Job primo. Ergò ut prius. Ultimò, ſicut illa, quæ ſæpè proveniunt ex cauſis naturalibus, etiamſi totus mundus eſſet optimus, non ſunt ſacerdotibus permaxime imputanda, ita eſt de ſterilitate terræ, de aëris intempeſtate, peſtilentiarum immenſitate, quæ & ſimilia ſæpè ex cauſis naturalibus proveniunt hominibus: ergò non eſt tutum dicere, omnes ruinas populorum ex culpa ſacerdotum evenire. Sæc. XV. Anno 1433. *Greg. in Job. c. 1. V.*

Tertiò hoc probatur auctoritatibus ſacræ Scripturæ, & primò Job 34. dicitur: *Deus regnare facit hypocritam propter peccata populi.* Ubi beatus Gregorius Moralium libro 25. dicit: *Alibi quoque per Prophetam dicit: Dabo tibi Regem in furore meo, & auferam in indignatione mea: quid ergò nobis illos præeſſe deſpicimus, quorum regimina ſuper nos ex Domini furore ſuſcipimus? ſi autem ſecundùm merita ſubditorum, perſonæ regentium tribuuntur, ut ſæpè, qui boni videntur, accepto regimine, mox mutentur, ſicut de Saule Scriptura exprimit, qui cor cum dignitate mutavit. Cùm, inquit, parvulus eſſes in oculis tuis, caput in tribubus Iſrael factus es: quare feciſti ergò malum in oculis Domini? ſic ergò pro qualitate ſubditorum diſponuntur corda rectorum, ut ſæpè pro merito gregis delinquat vita paſtoris:* & ſequitur. *Denique certum eſt, quod ita ſibi invicem rectorum vita connectantur, & plebium, ut ſæpè ex culpa paſtorum deterior fiat vita plebium, & ſæpè ex vita plebium mutetur vita paſtorum:* Ex quo habetur, quod propter peccata populi quandoque efficiuntur ſacerdotes boni, mali, quia non merentur habere bonos, ſicut malum corpus non meretur habere caput bonum. Cui conformiter loquitur beatus Iſidorus de ſummo bono, libro quarto, capitulo decimo, inquiens: „ Propheta dicit: dabo tibi regem in furore meo: ex hoc manifeſtè „ claret, bonam malamque poteſtatem à Deo ordinari, ſed bonam Deo propicio, ma„ lam irato. Reges quando boni ſunt, muneris eſſe Dei, quando verò mali, ſceleris „ eſſe populi: nam ſecundùm merita plebium diſponitur vita rectorum; iraſcente enim „ Deo talem rectorem populi ſuſcipiunt, qualem pro peccato meruerunt: nonnun„ quam etiam pro malitia plebis Reges mutantur, & qui ante videbantur boni, ac„ cepto regno, fiunt iniqui". Et libro tertio, capitulo trigeſimo nono, dicit: „ Pro merito plebium diſponitur à Deo vita rectorum, exemplo David peccantis in „ comparatione principum, qui ex merito plebis prævaricantur". Hæc ille. Beatus Hieronymus octava quæſt. 1. „ audacter fortaſsè aliquid dicimus, tamen quod ſcri„ ptum eſt dicimus, non ſemper princeps populi & Eccleſiæ per Dei arbitrium da„ tur, ſed prout merita noſtra depoſcunt: ſi mali ſunt actus noſtri, & operamur ma„ lignum in conſpectu Domini; dantur nobis principes ſecundùm cor noſtrum: & hoc „ tibi de ſcripturis probabo: audi namque, quod Dominus dicit: fecerunt ſibi Re„ gem, & non per me; principem, & non per conſilium meum: & hoc videtur di„ ctum de Saule, quem utique ipſe Dominus elegerat, & Regem fieri juſſerat: ſed „ quoniam non ſecundùm Dei voluntatem, ſed ſecundùm populi peccatoris meritum „ fuerat electus, negat eum cum ſua voluntate vel conſilio conſtitutum: tale ergò a„ liquid intelligimus etiam in Eccleſiis fieri, quod pro meritis populi, aut in verbo „ aut in opere potens à Deo tribuitur rector Eccleſiæ, aut ſi malignum faciat popu„ lus in conſpectu Domini, talis Eccleſiæ datur judex, ſub quo famem & ſitim popu„ lus patiatur": hæc ille. Ecce quàm lucidè claret, quod non omne malum ruinæ populorum ex culpa proveniat ſacerdotum malorum. Per hoc patere poteſt, quid reſpondendum ſit ad auctoritates per dominum opponentem inductas, & multas ſimiles, ſcilicet Bedæ ſuper Matth. 21. dicentis: Quod ideo Dominus de templo ejecit vendentes, quia cauſa ruinæ populi maximè fuit ſacerdotum culpa. Ad idem allegavit Gregorium dicentem ibidem. Similiter audiſtis jam mentem beati Gregorii, & ita poſſim de aliis exemplificare. Nunquam fuit mens beati Gregorii, quod omnes ruinæ populi eſſent ex culpa cleri, ſicut nec dominus proponens univerſaliter, ſed indefinitè tantùm poſuit, & tanto cautius. Quia tamen nonnunquam ſimplices audientes, neſcientes inter univerſale & particulare diſtinguere, ſeducuntur; ideò ſciendùm, quod modus loquendi Doctorum eſt, quod ſicut ſæpè in ſcripturis pars ſumitur pro toto, & è converſò, ita & in propoſito, quando dicitur maximè, id eſt, ſæpè, & pro magna parte, ſicut etiam communiter ſumi ſolet, ſemper pro frequenter, & cauſa pro occaſione: quæ tamen occaſio non eſt cauſa, niſi per accidens. Eſt ergò fideliter credendum, quod ſicut ſæpè ruinæ populi proveniunt ex culpis cleri, ita è converſo, ſæpè ruinæ cleri proveniunt ex culpis populi: hujus diſtinctionem ſolus novit, qui omnes ſimiliter, clerum & populum, judicabit, qui eſt diſcretor meritorum, & diſtributor mercedum unicuique, prout geſſit in corpore. Ceſſet ergò proverbium iſtud in Iſrael: *Patres noſtri comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt, quoniam filius non portabit iniquitatem patris, nec pater filii, ſed anima, quæ peccaverit, ipſa morietur.* Ezechielis 18. Hæc de primo.

*Tertiò auctoritate. Job 34. Greg. mor. l. 25. c. 20. Oſea 13. 1. Reg. 15. Iſidorus. 8. q. 1. cap. Audaciter. 18. Non eſt Hieron. ſed Origen. hom. 4. in lib. Judic. 2. Cor. 5. Ezech. 18.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433. De Johanne Hus.

Consequenter dominus proponens Joannem Hus extollit præconiis multis: ad hoc dico, quod non propter virtutes suas, nec propter hoc, quod Simoniacam hæresim detestatus est, ut proponens dicit, sed propter errores multos, quorum quosdam per se fassus est, quosdam in suis tractatulis conscripsit, quosdam proborum testimonio convictus est. Unde non de bono opere, sed propter blasphemiam judicatus est, de quo heri satis dictum est: ideò supersedeo. Ego autem nunc volens basim & fundamentum omnium dicendorum de materia prædictorum sacerdotum ponere, Pono aliud, & est istud notabile super eodem complexo, de sacerdotibus Domini, scilicet quod sunt duplices sacerdotes Domini, sive boni sint, sive mali. Aliqui curati, alii non curati. Et soli curati habent ordinariè verbum Dei prædicare post prælatos majores, scilicet Episcopos. Alii non curati, non tenentur, nec debent prædicare verbum Dei, nisi ex speciali licentia prælati. Pro cujus deductione, duo sunt notanda. Primum de scientia in quolibet presbytero requisita, & si reperiremus, quod minor sufficit sacerdoti ad sacerdotium, quàm ad prædicandum requiratur, habeo propositum. Secundum de originali successione presbyterorum, qui scilicet succedant ordinariis primis prædicatoribus, quorum fuit officium per verbi Dei prædicationem illuminare mundum: sicut Apostoli & 72. Discipuli.

*Sacerdotes curati & non curati.*

*Minor scientia sufficit sacerdoti ad sacerdotium, quàm ad curam animarum.*

Quanta scientia requiratur in Sacerdote.

Qantum ad primum, nota verba sancti Thomæ, in quarto Sententiarum, distinctione 23. in quæstione tertia, quanta scientia requiratur in ordinando, in responsione ad primum articulum, scilicet ad auctoritatem Malachiæ secundo: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem de manu ejus requirant*, ostendere volens, de quibus sacerdotibus hæc verba intelligantur, dicit de curatis tantùm. „ Sacerdos, *inquiens*, „ habet duos actus, unum principalem super corpus Christi verum, & alium secun„ darium super corpus Christi mysticum, & secundus actus dependet à primo, sed „ non convertitur, & ideò aliqui ad sacerdotium promoventur, quibus primus actus „ tantùm committitur, sicut religiosi, quibus animarum cura non committitur, & à „ talium ore non requiritur lex, sed solùm, quod Sacramenta conficiant, & ideò ta„ libus sufficit, si tantùm de scientia habeant, quod ea, quæ ad Sacramentum spe„ ctant, ritè perficere possint, sicut in vitis patrum, multi simpliciſſimi presbyteri le„ guntur fuisse, qui vitæ erant sanctissimæ. Alii autem promoventur ad alium actum, „ qui est super corpus Christi mysticum, & à talium ore populus legem requirit: un„ de in illis scientia legis esse debet, non quidem, ut sciant omnes difficiles quæstio„ nes legis: quia in his debet recursus ad superiores fieri, sed sciant ea, quæ popu„ lus tenetur scire vel credere de lege: sed ad superiores sacerdotes, scilicet Episco„ pos, pertinet, ut etiam ad ea, quæ difficultatem in lege facere possint, sciant, & „ tanto magis, quantum in gradu altiori collocantur": hæc ille. Ad eandem con*Albertus Magnus.* cordat sententiam dominus Albertus Magnus, eadem distinctione, dicens: „ Distin„ guendum videtur mihi in ordinandis, quidam enim ordines sumunt ex sola devo„ tione, ut monachi, & alii quidam religiosi. Alii recipiunt ordines, ut in illis mi„ nistrent populo, verba, Sacramenta ministrando seu dispensando, ut religiosi qui„ dam, & illi, qui sunt intitulati ad curam animarum. De primis distinguendum „ puto, aut enim habent curam animarum, in suis ordinibus, ut Abbates & Confes„ sores, ab Abbatibus constituti, aut non habent, nec habebunt: si habent, idem ju„ cium videtur de eis, quod de aliis habentibus curam animarum: si autem non ha„ bent, ut hi qui causa devotionis tantùm ordinem suscipiunt, videtur mihi, quod „ non teneantur, nisi ut sciant pronunciationem Psalmorum, & lectionum, & illo„ rum distinctiones, quæ ex scientia Grammaticæ addiscuntur. Si autem officium „ docendi suscipiunt, ex beneficio, ut clerici intitulati, vel ex professione, ut qui„ dam religiosi, dicendum videtur, quod tenentur plura scire, & ea credo esse, quæ „ grossè sunt exponenda populo in fide & moribus, quæ rudimenta Christianæ fidei „ vocantur, & ut in aliis determinent casus & quæstiones secundùm consilia supe„ riorum. Unde omnes, *inquit*, auctoritates inductas in contrarium, inter quas *Malach. 2.* „ etiam est illa jam allegata, *Malachiæ secundo*, intelligo de hujusmodi ordinatis, & „ quantum ad hujusmodi scientiam, scilicet discernendi, quid mortale, & quod ve„ niale, in quibus, & qui articuli solemnizati ab Ecclesia, & cætera talia: Et ad „ alia, meo judicio, non tenetur, nisi sit in altiori gradu constitutus": hæc Albertus.

*Ostiensis.* Concordat Ostiensis, libro primo, Rubrica secunda, de tempore ordinand. capite quarto & cui sub §. quarta, regula, ubi in summa satis etiam videtur concordare

*Raymundus.* Raymundus paragrapho ultimo, in summa, & multi sunt alii ad idem scribentes, quorum dicta omitto hîc conscribere brevitatis gratia, & ob hujus distinctionis causam æstimo inolevisse hanc consuetudinem, quæ in antiquissimis Ecclesiis observatur, sicut in Ecclesia Treverensi, in qua, quicunque debet promoveri ad gradum sacerdotalem, fertur, si non habet beneficium curatum, promittit. Hoc etiam habet communis practica Ecclesiæ, quod si unquam beneficium curatum adipiscitur, se de novo ad examen

Digitized by Google

examen manifeſtare ſeu præſentare, quia oportet ipſum ex tunc populo prædicare, & ſacramenta miniſtrare, ad quod prius non fuit obligatus, & de iſtis ſacerdotibus, ſic ad curam animarum ordinatis, dicit Canon, *Ignorantia*, diſtinct. 38. *Ignorantia mater cunctorum malorum, maximè in ſacerdotibus Dei vitanda eſt, qui docendi officium in populis Dei ſuſceperunt:* non loquitur ergò, niſi tantùm de curatis, quod oſtendit capitulum ſequens, ex Concilio Toletano, dicens: *Quando presbyteri in parochiis ordinantur, libellum officialem à ſuo ſacerdote accipiant, ut ad Eccleſias ſibi deputatas inſtructi accedant*, & eſt libellus officiorum in quo officium presbyteri officiandi, baptizandi, & Sacramenta miniſtrandi continetur, ut dicit gloſſa ibidem. Et ſic patet primum, ſcilicet, quod minor ſcientia requiritur ad ſacerdotium, quàm ad prædicandum, ergò non omnes ſacerdotes ſunt obligati, ſub præcepto Domini, prædicare verbum Dei. Sequitur etiam, quod non niſi curati, vel ex profeſſione religionis obligati tenentur prædicare ordinariè verbum Dei.

ANNO 1433.

*Diſt. 38. c. Ignorantia. I.*

*Diſt. 38. c. Quando. II.*

*Libellus officialis quid?*

Quantum ad ſecundum, ſcilicet, quomodo hoc pateat ex originali ſucceſſione presbyterorum, dico, quod ſicut ſoli Pontifices vel Epiſcopi ſunt ordinarii ſucceſſores Apoſtolorum, quanquam ſunt multi alii prælati in Eccleſia Dei; ita ſoli presbyteri curati ſuccedunt 72. diſcipulis Domini, quanquam ſint multi alii presbyteri, & diaconi. Iſtud patet originaliter ex gloſſa Lucæ 10. ubi dicitur ſic: *Sicut in Apoſtolis præceſſit forma Epiſcoporum, ita in 72. Diſcipulis figura relucet minorum presbyterorum*, hoc ſecundariò claret diſtinction. 23. in novo: ubi ſic dicitur: *Videntes Apoſtoli meſſem eſſe multam, & operarios paucos, rogaverunt Dominum meſſis: ut mittat operarios in meſſem. Unde ab eis electi ſunt 72. Diſcipuli, quorum typum gerunt presbyteri, atque in eorum loca ſunt conſtituti in Eccleſia:* de quibus ſacerdotibus hoc intelligatur, ibidem exprimitur in capitulo præcedenti decreti: ubi dicitur ſic: *Simpliciter verò majorum & minorum ſacerdotum diſcretio in novo Teſtamento ab ipſo Chriſto ſumpſit exordium, qui duodecim Apoſtolos tanquam majores ſacerdotes, & 72. Diſcipulos, quaſi minores ſacerdotes inſtituit, ita quod veri paſtores ſunt tantùm Epiſcopi, ſed plebani ſunt paſtores ſubſtituti, ac cooperatores inſtituti.* Item dicit venerabilis Doctor frater Auguſtinus de Ancona, in libro de Eccleſiaſtica poteſtate, c. 104. articulo primo, quod ſoli curati, qui vocantur ſecundi ordinis presbyteri ſuccedunt 72. Diſcipulis Domini, non quod ſit per omnia ſimilitudo, ſed inter multas differentias quatuor reperio eorum convenientias. Prima eſt in poteſtate Domini: acceperunt enim Diſcipuli à Chriſto poteſtatis dominium, quando dictum eſt eis, Lucæ 10. *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit*, ac ſi diceret, dedi vobis poteſtatem ejiciendi omne genus immundorum ſpirituum ab obſeſſis corporibus, & hoc ne putaretur eſſe dictum de beſtiis, ut exponit beatus Chryſoſtomus. Iſtud autem repræſentant presbyteri curati in Sacramentorum adminiſtratione, ubi, & per quæ dæmones ſeu ſerpentes, id eſt, peccata expelluntur à pœnitentibus. Secundò in adminiſtrationis officio, quod 72. Diſcipuli receperunt, quando dictum eſt eis: *In quamcunque domum intraveritis, primùm dicite: pax huic domui*, quia enim bonorum omnium pax mater eſt, ſine qua cætera inania ſunt. Ideò Chriſtus miſit diſcipulos pacem primò offerre tanquam bonorum omnium initium, quorum miniſtros eos faciebat, ut dicit beatus Chryſoſtomus: hoc autem repræſentant curati presbyteri in Evangelii ſancti prædicatione, in qua primò numeranda eſt pax, juxta illud, ad Romanos decimo. *Quàm ſpecioſi pedes Evangelizantium pacem, Evangelizantium bona.* Tertiò, in charitatis vinculo, quod 72. receperunt, quando bini miſſi ſunt in omnem civitatem & locum, in ſignum, quod qui charitatem Dei & proximi non habent, officium prædicationis nullatenus aſſumere debent: ut Beatus Gregorius exponit. Iſtud totum repræſentant presbyteri in plebis curæ receptione, pro qua ipſam animam & vitam propriam tenentur exponere. Ultimò in honoris præconio, quod 72. Diſcipuli receperunt, dum reverſi cum gaudio dixerunt: *Domini, etiam dæmonia ſubjiciuntur nobis in nomine tuo:* ut dicit gloſſa, Gaudebant enim, quod quaſi ſublimes effecti terribiles dæmonibus & hominibus erant; hoc autem repræſentant presbyteri, in ſubditorum juriſdictione, à quibus, ſi benè præſunt eis, digni duplici honore debent haberi: ut dicit Apoſtolus, primo ad Timotheum quinto. Repræſentant ergò Diſcipulos Chriſti Domini ſacerdotes curati hoc modo; quamvis etiam ſit diſſimilitudo, quia iſti non poſſunt facere miracula, ſicut illi, nec habebant determinatas parochias, ſicut iſti, ſed prædicabant in omni loco, quo erat Chriſtus venturus, Lucæ decimo. Ex quo iterum ſic arguo: Illis tantùm convenit ex officio ordinariè prædicare, qui ſuccedunt Apoſtolis, & ſeptuaginta duobus Diſcipulis; ſed nulli eis ſuccedunt, niſi tantùm Epiſcopi & curati; ergò diaconis & presbyteris non curatis, non convenit ullo præcepto Domini actus prædicationis. Et tantùm de notabili ſecundo, permaximè in hac materia oportuno. Ex iſto ſequitur, quod totum fundamentum veſtrum eſt debile, & à veritate arenoſum, ubi dixiſtis,

Curati ſucceſſores LXXII. Diſcipulorum.

*Diſt. 21. In novo. cap. 2.*

*c. præcedenti.*

*Aug. de Ancona, de poteſtate Eccleſiaſt. cap. 404.*

*Luca. 10.*

*Curati ſuccedunt 72. Diſcipulis.*

ſuper

Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

super notabili, liberè, quod libertas prædicandi confertur à Domino cuilibet diacono & presbytero, per ministerium Episcopi in sua ordinatione, & quod tale officium debent liberè exequi, irrequisitis, imò nolentibus prælatis: patet ex jam dictis, luce meridiana clarius. Et istud probo sic limpidius. Omne, quod confertur presbytero in collatione sacri Ordinis, est aut ratione characteris, aut auctoritate clavium, sed neutrum eorum dat presbytero libertatem actus prædicandi, nisi habeat curam commissi populi, ergò non convenit sibi prædicare, ratione accepti ordinis, per ministerium Episcopi. Assumptum declaratur pro majori, quia secundùm omnium Theologorum scholam in sacerdotio non confertur, nisi duplex potestas, una super corpus Christi verum illud, ad conficiendum, & hoc virtute characteris sacerdotalis. Alia super corpus Christi mysticum, quæ est potestas clavium, scilicet potentia ligandi & solvendi, & scientia discernendi inter lepram & lepram: quæ scientia non dicit novum habitum, sed auctoritatem discernendi in foro conscientiæ, quam prius non habuit; & executionem utriusque non habet, nisi materiam aptam, & sibi ministratam accipiat. Unde sicut cæteri presbyteri non possent missam celebrare, si hostiam aptam, quasi materiam requisitam, non haberent, ita nec possunt absolvere, vel ligare, nisi populum sibi commissum, id est, materiam requisitam, accipiant. Nam omnis actio hominum seu naturalis, sicut requirit potentiam, qua fiat, ita requirit materiam in qua fiat: non plus legi ego conferri presbytero, per Episcopi ministerium in collatione characteris & clavium sacerdotalium. Et sic patet major. Minor probatur de utroque & primò, quod non virtute clavium: quia, ut dictum est, virtus clavium sacerdotii est in ligando, solvendo & discernendo in foro conscientiæ: sed hîc nulla fit mentio de prædicatione: ergò non potest ritè dici, quod ratione sacerdotii habeat libertatem prædicandi. Secundò nec ratione characteris, quod patet ex descriptione ejus, quæ est triplex, ut communiter allegatur circa quartum Sententiarum, distinctione quarta. Prima est, *Character est signum distinctivum, quo quis ab aliis dividitur, & ad aliquod spirituale dandum vel suscipiendum deputatur:* Secunda est: *Character est signum sacrum communionis fidei, & potestatis divinorum, & sacræ ordinationis fidelium, datum à divina beatitudine.* Tertia est: *Character est distinctio à charactere æterno impressa animæ rationali secundùm imaginem, consignans trinitatem creatam, trinitati creanti, & recreanti, & distinguens à non figuratis secundùm statum fidei:* & constat diligenter intuenti, singulas particulas harum descriptionum, quod nulla earum importat prædicandi actum liberè; ergò ratione characteris, ut character est, nullus habet auctoritatem exercendi actum prædicationis. Confirmatur: Apostoli in cœna Domini virtute characteris ex consecratione sacerdotali non receperunt potestatem liberè prædicandi, ergò nec modò presbyteri illam recipiunt ratione Episcopalis ministerii. Tenet consequentia, quia in cœna Domini fuerunt consecrati in presbyteros, per illa verba, *hoc facite in meam commemorationem*, & receperunt characterem sacerdotalem, sed in die Paschæ pòst dedit eis potestatem prædicandi, dicens: *Sicut misit me vivens pater, & ego mitto vos*, Joan. 20. Et dicit sanctus Thomas, quod in illa cœna non dedit eis Dominus nisi actum principalem sacerdotii, scilicet conficiendi corpus Christi verum: sed pòst in die Resurrectionis superaddidit aliam potestatem, scilicet ligandi & solvendi, dicens: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Joan. 20. In quarto Sententiarum, distinctione 23. ubi vult Scotus, quod fortè propter has distinctas potestates characteris & clavium adhuc hodie imprimatur sacerdotibus duplex character: unus, quando Episcopus dat sibi calicem cum patena, hic dicitur character ordinis. Alius, quando Episcopus imponit sacerdoti manus, dicens: *Accipite Spiritum sanctum:* qui diceretur character clavis; nusquam autem legitur, quod imprimatur aliquis alius character, virtute cujus sibi conferatur libertas ubique prædicandi: & de his habemus postea clarius & prolixius in Corollario articuli principalis, quod est primum in ordine Corollarium: & tantùm de notabili secundo.

*Character quid?*

*Apostoli quando facti sunt sacerdotes.*

*Thom. 4. Dist. 24. q. 2. a. 5. ad 2.*

*Scotus 4. sent. dist. 24.*

*Terttium notabile adversarii.*

Circa tertium notabile domini proponentis, super illo verbo, *debet*, dixit proponens debere capi præceptivè, ita quod ex præcepto Domini sacerdotes essent obligati prædicare verbum Dei, de quo pòst videbitur in materia principali, quæ est materia articuli: ibi etiam notavit unum silentio non prætereundum, scilicet, quod hæc esset differentia inter præceptum & consilium, quod præceptum Dei est doctrina seu statutum obligans hominem, sub pœna peccati mortalis. Consilium autem Dei est doctrina specialis, solùm obligans sub pœna peccati venialis. Istud restat impugnandum, quoad secundam partem, quia à veritate est omninò devium, & dico securè, quod non observantia consiliorum divinorum in Evangelio conscriptorum, ea ratione, qua consilia sunt, nullum obligat ad peccatum veniale, nisi tantùm eum, qui servare vovit; quia illi deinceps non sunt consilia, sed vota, quorum transgressio non est venialis, sed mortalis culpa, juxta illud Psalmistæ: *vovete & reddite.* Glossa beati Augustini,

*Consilia non obligant ad veniale, ut vult adversarius.*

*Aug. in Ps. 75.*

Digitized by Google

ſtini, *vovere eſt voluntatis, ſed reddere neceſſitatis.* Et dixi notanter, quod tranſgreſſio conſiliorum, ut conſilia ſunt, non obligat, cum talia ſub certo modo intellecta, non ſint conſilia, ſed præcepta, & ſic eorum tranſgreſſio eſt mortalis, non venialis culpa. Ponamus ſub exemplo unum conſilium ex Matth. 5. *Diligite inimicos veſtros,* iſtud eſt præceptum quantum ad dilectionis affectum, ſed quantum ad dilectionis effectus eſt conſilium, quia inimico velle gratiam & gloriam neceſſitatis & præcepti eſt, ſed oſtendere illis ſigna benevolentiæ, hoc perfectionis & conſilii eſt. Unde ad hoc non omnes tenentur. Inſuper illud: *Si quis percuſſerit te ad unam maxillam: præbe ei aliam,* eſt conſilium quoad exteriorem exhibitionem, ſed præceptum eſt quoad interiorem animi præparationem, ut ſcilicet homo paratus ſit ſuſtinere patienter, & alteram percuſſionem, ſi cedere hoc crederet in bonum. Præterea corrigere fratrem delinquentem, eſt conſilium, ſi frater peccet venialiter, ſed eſt præceptum, ſi peccet mortaliter, & ubi ſpes ſit de ejus emendatione, & ita de aliis multis, cæteris circumſtantiis ſalvis. Tunc propoſitum oſtenditur falſum primò auctoritatibus, ſecundò rationibus: & primò auctoritatibus: dicit enim Hieronymus contra Jovinianum, 14. quæſtione prima: *quod præcipitur, imperatur, quod imperatur, neceſſe eſt fieri: ſi non fiat, pœnam habet; ubi conſilium datur, offerentis arbitrium eſt,* ergò ſi in pura arbitrii libertate conſiſtit conſilium, non obſervantia nullum erit peccatum. Secundò auctoritate ſacri generalis Concilii Carthaginenſis quarti dicitur: *Conſilia Domini non præcipientis, ſed exhortantis ſunt:* exponendo illud Evangelium: Si quis vult tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. Et habetur ibidem capitulo: *Epiſcopus.* Tertiò, auctoritate per proponentem allegata in capitulo, *Quod debetur.* Ubi dicit beatus Auguſtinus: *Præcepto Domini non obtemperare, peccatum eſt, & conſilio ſi uti nolueris, minus boni adipiſceris, non mali quidquam vel aliquid perpetrabis.* Ubi expreſſe innuitur ex beato Auguſtino, quod aliquid mali non perpetrat, qui conſilia Domini non ſervat, ergò nec venialiter peccat, cùm venialiter peccare ſit aliquid mali perpetrare. Quartò, expoſitione Archidiaconi, qui dicit ibidem, quod eſt duplex conſilium. Primum eſt conſilium reverentiæ, & qui hoc non recipit, peccat: ſexta diſtinctione, c. *Teſtamentum:* ſicut conſulebatur in veteri Teſtamento, quod pollutus niſi aqua lotus fuerit, ei uſque ad veſperam Eccleſiam intrare non permittebatur, & ſic nunc de pollutione dicit, quod aliquando à celebratione cogit abſtinere, quod cadit ſub conſilio reverentiæ, quam ad Sacramentum homo debet habere. Aliud eſt conſilium, inquit, perfectionis, cui licet non pareatur, non eſt peccatum: ergò ſecundùm Archidiaconum non ſervare conſilia, quæ ſunt perfectionis exhortamenta, non eſt aliqua culpa. Quintò, eſt ad idem Hugutius, qui dicit ibidem, hanc eſſe differentiam inter præceptum & mandatum, quia mandatum tenet medium inter conſilium & præceptum, in hoc quod mandatum eſt ultra conſilium & citra præceptum, mandatum enim cogit ſicut præceptum, & peccatur, ſi non impletur: & hoc, inquit, differt mandatum à conſilio, ita quod ſi conſilium non impletur, nec peccatur. Ergò nec venialiter, cum veniale peccatum ſit utique peccatum.

Matth. 5. 14. q. 1. c. Quisquis 1. 14 q. Epiſcopus c. 1. Aug. lib. 19. contra Fauſtum. c. 25. 14. q. 1. c. 2. Quod debetur. Diſt. c. Teſtamentum. 1. Conſilium reverentiæ. Perfectionis.

Ex his duobus elicio primum, inter præceptum & conſilium eſſe multiplicem diſtinctionem. Secundum, non ſervare conſilia non obligat fideles ad veniale peccatum. Quantum ad primum: prima diſtinctio eſt quod conſilium eſt perſuaſio boni melioris, ad quod non tenentur Chriſtiani, niſi velint; ſed præceptum eſt obligatio boni neceſſarii, ad quod ſinguli obligantur, etiam ſi nolint. Unde ſervare Dei præcepta cunctis eſt neceſſitatis; ſervare conſilia, eſt puræ voluntatis, id eſt, libertatis. Secunda, quia conſilia pertinent ad perfectos; præcepta ad perficiendos, ſed permiſſio ad imperfectos ſeu infirmos. Tertia, præcepta ſeparant nos ab illicitis, ſed conſilia à conceſſis. Quarta, per præcepta declinamus à peccato, per conſilia ab occaſione peccandi. Quinta, per præcepta maximè negativa, pœnam fugimus, ſed per conſilia præmia annullamus. Sexta, ad præcepta conſtringimur ex debito, ad conſilia non niſi ex voto. Septima, præceptum nunquam fit conſilium, ſed conſilium per votum fit præceptum. Octava, præcepta data ſunt ad conſequendum finem beatitudinis, Sed conſilia ad expeditiùs conſequendum illum finem. Unde præcepta ordinant ad finem: ſed conſilia ſunt quaſi media aptiſſima ad conſequendum illum finem, ſicut equum aſcendere, eſt aptius medium perveniendi ad terminum, quàm peditare. Nona, præcepta ſunt omnibus expedientia, ſed conſilia non, propter indiſpoſitionem aliquorum, quia eorum affectus ad ea non inclinatur. Et ideò dominus conſilia Evangelica proponens, ſemper facit mentionem de idoneitate & voluntate hominum, ad obſervantiam conſiliorum. Dans enim conſilium perpetuæ paupertatis, Matth. 19. præmittit: *Si vis perfectus eſſe,* & tunc ſubdit: *vade, & vende omnia:* ſimiliter dans conſilium perpetuæ caſtitatis, cùm dixit: *Sunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtraverint propter regnum cœlorum.* Statim ſubdit: *Qui poteſt capere, capiat.* Et ſimiliter Apoſtolus, 1. ad Cor. 7. præmiſſo conſilio ſuggerens, dicit: *Porrò hoc ad utilitatem veſtram di-*

Conſilii & præcepti diſcrimen. Diſtinctio præcepti & conſilii. I. II. III. IV. V. Conſilia, qui non ſequitur, præmia conſiliorum non aſſequitur. VI. VII. VIII. IX. Matth. 19. 1. Cor. 7.



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

*co, non ut laqueum vobis injiciam:* & ita patet distinctio inter consilia & præcepta Evangelica.

Non observantia Consil. non est Peccatum.

Ex his sequitur statim secundum, scilicet, quod non observantia consiliorum non obligat fideles ad veniale peccatum: quod probatur ex tribus. Primò, quia secundùm omnes Doctores, peccatum veniale obligat facientem ad aliquam pœnam, in præsenti vel futuro persolvendam, licet non sit gravis, & cito soluta; sed non observantia consiliorum ab his, qui non voverunt, nullum obligat ad quamcunque pœnam in præsenti aut futuro sustinendam, quia illam nec pœnitentiarii injungunt, nec non

I. observantes consilia, talem pœnam solvunt, ergò non videtur eos incurrere talem culpam venialem: patet assumptum, quia peccatum veniale dicitur id, quod aliqua venia indiget seu indulgentia, sed non observantia consiliorum non indiget venia, cùm

II. nihil mali actum sit, ut dictum est, ergò ut prius. Secundò, hoc illud, quod est in pura voluntate hominis, non obligat hominem ad eligendum vel respuendum, sub quacunque specie peccati, imò potest libere hoc acceptare, vel non acceptare. Sed sic est de consiliis Evangelicis, ergò si non acceptantur, nullum peccatum incurritur.

III. Tertiò sic: id, ad quod nemo obligatur, nisi ex voto proprio, si non facit, nullo modo peccat, sed ad consiliorum observantiam nullus obligatur, nisi qui vovit, ut dictum est, ergo qui talia non servat consilia, nullo modo peccat. Pro quo sciendum,

I. quod istud valde periculosum est dicere, propter quatuor præcipuè, primò si non observantia consiliorum obligaret ad peccatum veniale, & peccatum veniale ad aliquam pœnam licet modicam, peccatum veniale secundum obligaret ad duplam pœnam; tertium ad triplam; & sic deinceps. Sed valde grave esset omnibus fidelibus, qui consilia non servant, nec unquam servare proponunt, quod toties peccatum veniale incurrerent, quia gravem, & diutinam pœnam finaliter solverent: ergò non est veri-

II. simile, quod non observantia consiliorum inducat veniale peccatum. Secundò, quia veniale peccatum ultra hoc multiplicia incommoda animæ affert: nam primò animam maculat, quod sic intelligendum est, si sit imago aliqua depicta, aliquando verò obscuratur, ut videri quidem possit, sed non plenè discerni. Et ideò propter talem

*S. Greg. citatur à S. Thoma, dist. 16. lib. 4. q. 2. a. 2. ad 3. Aug. de pœn cap. 2. & serm. 4. de Sanctis. Thomas 1. 2. art. 1. q. 89.*

denigrationem dicit beatus Gregorius, quod veniale obscurat, mortale denigrat. De quo etiam beatus Augustinus, in libro de pœnitentia ait: *Peccata venialia, si multiplicentur, decorem nostrum ita exterminant, ut à cœlestis sponsi amplexibus nos separent,* quod exponit beatus Thomas, prima secundæ, quæstione 89. articulo primo, quod hoc verum est dispositivè, in casu, ubi multa venialia disponunt ad mortale. Secundus effectus est, quod venialia peccata imminuunt fervorem charitatis, sicut aqua in ignem projecta, licet ignem non extinguat, tamen fervorem illius minuit. Tertius est, quod potentias animæ in operibus bonis lassat, sicut quando ponitur onus super equum, licet non succumbat, tamen est minus promptus ad ambulandum. Quartus, quod retardat ad gloriam, quia homo, qui deberet & posset statim post mortem evolare, cogetur ad tempus propter venialia in purgatorio stare. Quis unquam tantæ crudelitatis esset, quod omnes has pœnalitates vellet cuilibet, qui consilia non serva-

III. ret, infligere? Insuper tertiò, quia omnium Doctorum hæc veritas est, ut prædixi, quod præbere alteram maxillam est consilium, & tamen Christus hoc non fecit, ergò Christus venialiter peccasset, contra illud Evangelii: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Joannis octavo, *qui peccatum non fecit*, prima Petri secundo: finaliter quartò

*Joan. 8.*

IV. ex eo, quod sicut ad remissionem peccati mortalis exigitur desertio actus peccandi, cum voluntate in posterum abstinendi, sic quoque peccatum veniale in præsenti factum, non dimittitur, nisi actu & proposito deseratur. Constat autem, quod non observantes consilia, ut frequenter, nec actu recipiunt, nec proposito intendunt servare ea. Ergò talibus illa peccata venialia nunquam remitterentur in præsenti vita, sed restaret longa & acerba pœna à talibus hominibus post hanc vitam sustinenda, quod negat omnis & tota Theologorum schola, quia de consiliis Apostolus loquens, ait, ut prædictum est, *hoc ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis injiciam,* prima ad Corinthios septimo. Ex his patet responsio ad ea, quæ Proponens allega-

*1. Cor. 7. 14. q 1. Quod debetur. c. 2. & Quisquis. cap. 3. Aug. lib. 19. contra Faustum cap. 21.*

vit. 14. quæstione prima, *quod debetur*, non habetur ibi quod transgrediens consilium Dei, peccet venialiter, sed tantùm, quod si consilium non servas, minus bonum adipiscaris, sed inquit, *non mali aliquid perpetrabis*, & hoc contra ipsum, quia si non mali aliquid perpetrat, ergò nec venialiter peccat. Similiter in capitulo sequenti, quod etiam contra se adducit, ubi dicitur, quod consilium datur offerentis arbitrio, ergò non obligat ad veniale aliquo modo. Insuper super illo complexo, exemplo Christi & Apostolorum, notavi, quomodo, & ad quantum exempla Christi, Apostolorum, & primitivæ praxes, & exempla non obligant, pro eorum sequela, sed quia dicta sunt in sententia per Reverendum Magistrum meum, Joannem de Ragusio, ideò nunc supersedeo, quia habentur in alio opusculo meo. Epilogus præsentis lectionis hic est in summa, quod arguendo sic primò, *Christus mandat hoc, ergò hoc est faciendum,*

*Epilogus actus primi diei.*

Digitized by Google

*dum*, non valet ex forma, sed fortè ex materia, quia Christus aliquando mandat, quod non vult fieri, quia non mandat sub forma præcepti, sed per modum alicujus documenti. Item benè sequitur: *Papa mandat hoc, & non fundat se expressè in lege divina*, ut superius dictum est, *ergò hoc est faciendum:* quia quidquid mandat, quod legi Dei, aut aliquibus sacris Canonibus non obviat, licet expressè hoc non contineat, faciendum est: quia, ut deduxi, Papa non est nomen ordinis, sed officii & jurisdictionis, & dicitur sanctissimus & beatissimus, etiamsi sit malus, dummodo non sit hæreticus; quia hæc sibi conveniunt, non ratione meriti personalis, sed ratione officii, potestatis, & universalis jurisdictionis. Hæc circa argumenta dicta sint. SÆC. XV. ANNO 1433.

CIrca primum notabile habemus, quod verbum Dei diminutè expressit, eo quod verbum Dei tertio modo captum, scilicet inspiratum non posuit, quod tamen necessarium est prædicatoribus. Ex quo ulterius deduxi, quod verbum Dei inspiratum est duplex, scilicet privatum, quod Deus per sanctos Doctores expressit; & publicum, quod scilicet per statuta generalium conciliorum statuit & diffinit. Circa hoc concluси, quod illud per dominum proponentem adductum, scilicet, quod verbum Dei tantæ sit perfectionis, quod ei nil addi aut auferri possit, sub allegatis pœnis, quod licet sit maximæ perfectionis, possumus tamen addere ad declarandum, licet non debeat addi contrarium. Circa secundum notabile, de sacerdotibus Domini, distinxi inter curatos & non curatos, ostendens, quod non curati ordinariè non tenentur prædicare verbum Dei, & quod soli curati presbyteri succedunt 72. Discipulis Domini, non in omnibus secundùm æqualitatem, sed secundùm figuram & similitudinem, ex quo concluси, quod non est universaliter verum, omnes ruinas populi provenire ex culpa malorum Sacerdotum, quia sæpe propter peccata populi dantur à Deo eis sacerdotes & prælati mali. Unde dominus proponens cautè egit, quod indefinitè, non universaliter posuit. Circa tertium notabile super verbo, *debet*, ubi dixit illud capiendum præceptivè, asserendo, quod transgrediendo consilium Dei, committat quis peccatum veniale: reprobavi hoc multipliciter & veraciter. Ostendo, quod consilium Christi non obligat unquam ad peccatum veniale, cæteris paribus, sed sæpe ad mortale eum, qui vovit, vel in casu, quo consilium præcipitur. Hæc est summa dictorum, quæ, quæso, accipite in corde bono & optimo, ut præmisi in themate, ut fructus sequatur in patientia, de quo Dominus ait: *In patientia vestra possidebitis animas vestras*, in præsenti per gratiam, in futuro per gloriam, Amen. *Luca 21.*

## SEQUITUR

# ACTUS SECUNDI DIEI.

MUltifariè, *multisque modis*, Patres & domini venerandissimi, *olim Deus loquens*, voluntatis suæ beneplacita Patribus Veteris Testamenti pandens *in Prophetis*, *novissimè diebus istis locutus est nobis in filio suo unigenito*, ad Hebræos primo, quem ex matre, sed Virgine nasciturum: eandem Pater obumbravit, Filius imprægnavit, & Spiritus sanctus adaptavit, ut esset sine gravamine gravida, sine corruptione fœcunda, sine dolore puerpera, secundùm Bernardum in sermone, qui ex voluntate patris, ut dispersos in unum colligeret, quos tandem in æterno ovili unico unicus ipse pastor reficeret, in totius sui in humanis discursus periodo, in hujus mundi agro duo inseruit, scilicet veritatem & gratiam, quoniam veritas & gratia per Jesum Christum facta est, Joan. primo: veritatem, id est, fidem illuminantem intellectum; & gratiam, id est, dilectionem justificantem affectum, quæ sunt duo in corde bono & optimo requisita, prout heri dixi per thematis verba, *qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent, fructum adferunt in patientia*, ubi postquam expositum est primum principale, quod est locus aptificandus in corde bono & optimo, restat declarare secundum, ut annectatur modus congruus, per quem demulceatur & delectetur auditorum animus, utique audientes verbum Domini retinent intellectu, ut instruantur affectu, ut delectentur re, ut teneantur memoriter, & re impleant efficaciter. Non minus reus est, qui verbum Dei audierit negligenter, quàm qui corpus Christi in terram sua negligentia cadere permisit: prima, quæstione prima, *interrogo. Omnis etiam, qui audit verba mea, & facit ea, similis est homini, qui ædificat domum suam supra firmam petram*, Matthæi septimo, *sic consentiens esto adversario tuo*, Matthæi quinto. Adversarius tuus, verbum Dei est, si facis, *Hebr. 1.* *Bernard. sermone 3. de laudibus Mariæ virginis, & alibi.* *Joan. 1.* *1. q. 1. c. Interrogo. cap. 94.* *Aug. lib. 5. homiliarum homil. 26.* *Matth. 7.* *Matth. 5.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

facis, quod audis, concordasti cum eo, si autem non facis, rixaris cum eo, & si non compolueris te, ut facias, tradet te judici tuo, & judex ministro, & in carcerem mittent te. Beatus Augustinus, in libro de decem chordis, capitulo decimo. Sed diceret fortè simplex laicus, aut hirsutus clericus: Certè hoc facio, verbo Dei me conformo, sicut prædicat prælatus meus, ita credò, ita & ago. Respondeo, optimè facis, si benè te docet ille prælatus vel sacerdos. Nam in his, quæ pertinent ad fidem, & ad bonos mores, nullus excusatur, si sequatur errorem cujuscunque docentis: in talibus nec ignorantia, nec simplicitas excusat, Ait sanctus Thomas, quodlibeto tertio, articulo decimo: ita Evangelium diffinit, si cæcus Doctor cæco populo ducatum præstet, neuter excusabitur, sed ambo simul in foveam cadunt, Matth. decimo quinto. Sed quid igitur facit clerus & populus insurgentibus doctrinis insolitis, à quibuscunque Doctoribus? Respondet beatus Augustinus, libro tertio de doctrina Christiana, consulere debet regulam fidei, quam de Scripturarum locis planioribus, & Ecclesiæ auctoritate percepit, & id credere, quod secundum Ecclesiæ auctoritatem tenetur publicè, debet etiam ad Dei misericordiam recurrere, & ejus illuminationem incessanter implorare, dicens cum Psalmista: *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte:* orans cum Ecclesia, *à cæcitate cordis libera nos Domine.* Debet etiam ab aliis peritioribus inquirere, non enim Deus deficiet suis, nisi in pulsando fuerint negligentes. Nam *custodit Dominus omnes diligentes se*, in Psalmo: custodietque rectorum salutem, & proteget gradientes simpliciter, Proverbiorum secundo: debent & ultimò simul omnes ad scrutamen conscientiæ recurrere, & se toto corde contrito & humiliato Deo committere, ut insonet illa vox Domini in tantæ perplexitatis turbine in auribus tam docentium, quàm audientium subjectorum. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis*, quæ geminatur, Lucæ 13. quia sæpè Dominus iratus malos prædicatores malis mittit, ut utrumque per utrosque justè damnet, ait sanctus Eusebius, super illo, *quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* ad Romanos 10. Nempè pro malo merito plebis, aufertur doctrina prædicatoris, & pro bono merito audientis tribuitur sermo Doctoris. In potestate enim divina consistit, ut cui velit Deus doctrinam veram dare, vel auferre, faciat, & hoc pro dicentis vel audientis fit merito, ut modò pro culpa plebis auferatur sermo Doctoris, modò verò pro utriusque meritis tribuatur. Sanctus Isidorus, libro tertio de summo bono, capitulo 44. *Melius illis erat viam justitiæ non agnoscere, quàm post agnitionem retrò converti, &c.* 2. Petri 2. *Beati ergò, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Lucæ 11. hoc est retinere, tenere, scilicet implere opere, ut gratiam in præsenti, & gloriam sempiternam valeamus reportare, quam nobis concedat Jesus gloriosus, qui imperat & regnat, Amen.

*Aug. de decem chordis, cap. 10.*
*Thom. Quodlibeto 3. a. 10.*
*Matth. 15.*
*Aug de doct. Christ. lib. 3. c. 37. Item 26.*
*Psalm. 11.*
*Psalm. 144.*
*Proverb. 2.*
*Luca 13.*
*Eusebius.*
*Roman. 10.*
*Isidorus.*
*2. Petri 2.*
*Luca 11.*

# SEQUITUR ARTICULUS.

Sacerdotes debent mitti a Prælato.

*SAcerdotes Domini, exemplo Christi & Apostolorum, non debent liberè & sine impedimento prædicare verbum Dei, nisi ultra & supra omnem potestatem, quam in sua consecratione sacerdotali acceperunt, se probare possint, esse missos à Deo, vel ad hoc sufficienti Ecclesiæ prælato.* Simile per omnia, & multò fortius est de diacono, ut infrà patebit, & hoc ad sensum expositionis terminorum proponentis. Ista conclusio restat probanda multipliciter, primò lege divina, secundò, praxi Christi, tertiò, praxi Apostolorum, quartò, praxi Ecclesiæ primitivæ, quintò, sacrorum Conciliorum, sextò, Doctorum in lege Domini veraciter se fundantium. Circa primum notandum, quod per legem divinam intelligo legem quadrifariam, æternam, Moysaicam, Evangelicam, & Canonicam. Probatur conclusio primò per legem æternam. Nam lex æterna est ratio summa in summo principe Deo, cui semper obtemperandum est, per quam mali miseriam, boni bonam vitam merentur, per quam illa, quæ temporalis est, rectè fertur, rectèque mutatur, secundùm beatum Augustinum, libro primo, de libero arbitrio, & ibidem, ut breviter tibi notionem æternæ legis explicem, lex æterna est, qua justum est, ut omnia sint ordinatissima: quod declarans sanctus Thomas in prima secundæ, quæ. 93. articulo secundo, deducit, quod omnis lex Hierarchiæ derivatur à lege æterna, ac per hoc omnia sunt constituta in ordine debito, si suo modo regulantur à lege æterna, dicens, sic lex importat quandam rationem directivam actuum in finem ordinatum, constat autem, quod in omnibus moventibus ordinatis, oportet, quod virtus secundi moventis derivetur à virtute moventis primi, quia movens secundarium non movet, nisi quantum à primo movetur, hoc patet in artificialibus & moralibus. In artificialibus quidem ratio artificialium actuum derivatur ab architectore ad inferiores artifices, qui manu operantur. In moralibus etiam in omnibus gubernan-

*Probatur conclusio per legem æternam.*
*Aug. lib. 1. de lib. arb. cap. 6.*
*Thom. 1. 2. q. 93. art. 2. & 3.*

tibus

Digitized by Google

tibus videmus, quod nomen gubernationis derivatur à primo gubernatore ad secundos & inferiores subordinatos. Cùm ergò lex æterna sit ratio gubernationis in supremo gubernante, necesse est, quod omnes rationes gubernationis, quæ sunt in inferioribus gubernantibus, à lege æterna deriventur: hæc ille. Quæ autem sit ratio, & quis ordo in illuminatione fidelium servandus ab æterna lege derivatus, Notandum, quod sicut in Ecclesia triumphante sunt tres Angelicæ Hierarchiæ, quarum Trinitas beatissima caput est, quarum supremam illuminat ipsa Trinitas per se, suprema mediam, & media infimam: & non è converso: ita in Ecclesia militante sunt tres status suo modo illam imitantes, sub uno capite, quod est Christus, secundum quod homo: summum Papa loco Christi tenet in terris: medium Episcopi, loco Apostolorum; tertium curati, loco 70. duorum Discipulorum. Ex quibus apparet, qui secundùm divini principatus ordinem, quæ Hierarchia vocatur, sint ordinarii Ecclesiæ Doctores, ad quos inexcusabiliter, ratione qualitatis sui status, pertinet illuminare populum Dei ac cæteros actus Hierarchicos exercere, scilicet ad Papam, Episcopos, ac plebanos, vel loca eorum tenentes. SÆC. XV. ANNO 1433.

Ex hac consideratione subsequentia consideranda sunt attenta mente. Primum est quodammodo quædam causa & ratio, quare modò cessent speciales visibiles illuminationes & inspirationes hominum ab Angelis, quæ tamen olim abundabant. Ratio esse potest, quia quando homo facit debitum suum, ut de salutaribus erudiatur, si non est doctrina inter homines, qua erudiri possit, consequens est, ut juxta divinum ordinem jam expressum illuminetur ab Angelis, & ita erat & est de profundis mysteriis divinis, quæ ultra hominem sunt, pro quibus erat opus revelatione: modò autem, quia scientia Domini plena est terra, & de omnibus sufficienter Ecclesia Christiana erudita, ita quod si diligentiam volunt facere, quorum interest, & diligenter addiscere, quæ scire debent, possent ex scripturis omnia negotia, & omnem casum necessarium ad salutem salubriter expedire & discutere; & ita videtur, quod exspectare jam divinam revelationem in casibus etiam arduis, sit tentare Deum, ex quo Deus sufficienter illuminavit Ecclesiam in omni scientia divina pariter & humana.

Secundum est, quod distinctionem & varietatem statuum in Ecclesiastica Hierarchia est necessarium facere, quod ostendit sanctus Thomas secunda secundæ, quæst. centesima 83. articulo secundo, propter tria. Primò propter sanctæ universalis Ecclesiæ perfectionem. Sicut enim in rerum naturalium ordine, perfectio, quæ in Deo uniformiter & simpliciter invenitur, non potuit in universitate creaturarum reperiri, nisi difformiter & multipliciter: Ita etiam multitudo gratiæ, quæ est in Christo, ut in capite, diversimodè ad ejus membra redundat, ad hoc, quod corpus Ecclesiæ sit perfectum, & hoc est, quod Apostolus ait ad Ephesios quarto: *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi*, glossa. *Ecce, quomodo alii plus, alii minus dedit, hominibus dat ad mensuram, ipse verò non ad mensuram accipit: hos autem omnes dedit in opus ministerii, ut scilicet quisquam posset plenè facere opus ministrationis sibi creditæ, si enim unus omnia haberet, non perfectè agerent singula:* hæc ille. Secundò, propter necessitates actionum, quæ in Ecclesia sunt necessariæ, oportet, inquit, ad diversa officia, seu diversas actiones, diversos homines deputari, ad hoc quod expeditius, & sine confusione singula expediantur, & hoc est, quod Apostolus dicit, ad Rom. 12. *Sicut in uno corpore multa habemus membra, non autem omnia membra eundem actum habent*: Ita, *multi unum corpus sumus in Christo*. Tertiò hoc pertinet ad dignitatem & pulchritudinem Ecclesiæ, quæ in quodam ordine consistit: unde in laudem Ecclesiæ dicitur in Psalmo, quod est circumamicta varietate, glorioſa doctrina Apostolorum, confessione Martyrum, puritate Virginum, & lamento Monachorum seu Pœnitentium ornatur Regina, id est Ecclesia, in cujus figuram Regina Saba videns omnem sapientiam Salomonis & habitacula servorum, ordinesque ministrantium, non habebat ultra spiritum, tertio Regum decimo capitulo. Nam in magna domo non solùm sunt vasa aurea & argentea, sed lignea & fictilia: hæc sanctus Doctor. Idem sub aliis verbis ostendit dominus Petrus de Taranthasia, qui & Innocentius quartus, ad Ephesios quarto, & præter prædicta, addit duas rationes alias, dicens: „ facta est distinctio officiorum „ propter mystici corporis integritatem, secundùm illud primo ad Corinth. 12. si totum corpus oculus, ubi auditus? Secundum, propter singulorum membrorum utilitatem, dicitur enim prima Corinth. 12. non potest dicere caput pedibus, non estis mihi necessarii: & Deut. 1. Non possum solus sustinere vos, ait ille fidelis Moyses: ad quod refertur, quod Apostolus ad Ephes. 4. dicit, veritatem facientes in charitate crescamus, in illo scilicet Christo, ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem junctura subministrationis, secundùm mensuram in operationem uniuscujusque membri: quia secundùm diversos gradus Ecclesiæ membrorum, „ compe-

*Thom. 2. 2. q. 183. art. 2.* *Diversitas statuum in Ecclesia necessaria est:* I. *Ephes. 4.* *Gloss. ord. ibidem.* II. *Psalm. 44. Cassiod. paulo aliter habet.* III. *3. Reg. 10. 2. Tim. 2.* *Ephes. 4.* *Distinctio officiorum in Ecclesia cur instituta.* I. *1. Cor. 12.* II. *Deuter. 1.* *Ephes. 4.*

SÆC. XV. ANNO 1433. III.

„ competunt diversis diversi actus, minores scilicet & majores, sicut alii Episcopis, alii „ sacerdotibus, alii religiosis, secundùm expositionem Lucæ ibidem.

Tertium, quod isti diversi status in Ecclesia sunt fundati per Christum, dum iret personaliter in terris, per expressas similitudines. Quarum una est, quod Apostoli, & septuaginta duo Discipuli non fuerunt presbyteri, nec Diaconi usque ad cœnam Domini, tunc enim soli Apostoli fuerunt sacerdotes consecrati, sed de 72. Discipulis non reperimus ex textu, nisi quod fortè Matthias, qui successit in locum Judæ, & septem, qui ex eis creduntur per Apostolos facti diaconi, sic sunt ab Apostolis ordinati: non est ergò dicendum, quod illi, qui nec sunt Episcopi, nec plebani, sint à diabolo introducti, cùm præfati neutrum horum essent, dum à Christo fuerunt electi.

*Matth. 24.* Alia via est, quia Matth. 24. Dominus noster diversitatem omnium ad Ecclesiam pertinentium volens ostendere, ait sub similitudine, *duo in agro, duo in lecto, duo in mola, alter assumetur, alter relinquetur*, ubi secundùm beatum Augustinum, libro quæstionum super Evangelio, quæstione 46. tres status Ecclesiæ patescunt: per duos in agro intelliguntur prælati, per existentes in lecto religiosi, per gyrantes in mola laici, quorum semper unus assumetur, scilicet bono fine terminans, alter relinquetur, malè finiens. Nam in agro sunt, qui in Ecclesia laborando præsunt. In lecto sunt, qui contemplationi in claustris vacant. In mola autem sunt, qui in mundanis sollicitudinibus gyrant. De his etiam tribus statibus, Ezechielis 14. *Hi tres viri, Noe, Job, & Daniel in sua justitia salvabunt animas suas*, secundùm beatum Augustinum parte prima sermonum, sermone 29. Beda, libro 5. super Lucam, capitulo 7. per Noe, qui Archam rexit, prælati; per Danielem, qui contemplationi vacuit, religiosi; per Job, qui uxoratus fuit, laici intelliguntur. Hunc ordinem Psalmista intelligens dixit: *Ecce, quàm bonum, & quàm jocundum habitare fratres in unum*, & quæ sit ista unitas, subdit: *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, de hinc in oram vestimenti.* Nam unguentum, id est, pinguedo totius Ecclesiasticæ sanctitatis, ut est in capite, scilicet in Christo homine, prout congruit Ecclesiasticæ Hierarchiæ, descendit in barbam suam, id est, beatum Petrum, proximum ejus Vicarium, & quemlibet ejusdem legitimum successorem. Dehinc in barbam Aaron, id est, cujuslibet prælati seu Episcopi legitimè succedentis; de hinc in vestimentum, id est, Ecclesiasticos; dehinc in oram vestimenti, id est, populares, qui sunt extrema pars Ecclesiasticæ Hierarchiæ. De quo ordine ait mellifluus Bernardus 3. de consideratione dicens: *Nec vilem reputes formam hanc, quia in terris est, exemplar enim è cœlo habet, neque enim filius potest facere quidquam, nisi quod viderit patrem facientem, præsertim cum ei sub nomine Moysi sit dictum: vide, ut omnia facias secundùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est; viderat hoc, qui dicebat: vidi civitatem sanctam, Hierusalem novam, descendentem de cœlo, à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo. Ego enim propter similitudinem dictam reor, quod sicut illic Seraphim & Cherubim, ac cæteri quique usque ad Archangelos & Angelos, ordinantur sub uno capite Deo: ita hic quoque sub uno summo Pontifice, Primates vel Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Presbyteri vel Abbates, & reliqui in hunc modum. Non est parvi pendendum, quod & Deum habet auctorem, & de cœlo ducit originem. Quod si dicat Episcopus: nolo esse sub Archiepiscopo; & Abbas: nolo obedire Episcopo: hoc de cœlo non est, nisi tu fortè quempiam Angelorum de cœlo audisti dicentem: Nolo esse sub Archangelis, aut ex alio quolibet inferiorum ordinum aliquem non ferentem subesse cuiquam, nisi soli Deo:* hæc sanctus Bernardus.

*Aug. lib. 2. q. Evangelicarum c. 44. infrà 168. & 169.*

*Ezech. 14.*

*Augustin. Beda.*

*Psalm 132.*

*Bernardus lib. 3. de consideratione ultra medium. Josue 5. Exod. 25. Apoc. 21. Seraphim & Cherubim.*

IV. *Hierarchia Ecclesiastica non labefactanda.*

Quartum, quod summa diligentia invigilandum, ne hic ordo Hierarchicus tam regulariter à Deo institutus, ab ullo infringi patiatur: Infringetur autem & confundetur, si quilibet sacerdos, qui se non posset probare à Deo vel prælato Ecclesiæ missum, sibi officium prædicationis usurparet, quod ex tribus claret: primò quia talis ordinem divinitus institutum, jam regulariter enarratum, prostitueret, quia nec de primo gradu I. Ecclesiasticorum illuminatorum, qui est Papa, nec de secundo, qui sunt Episcopi, II. nec de tertio, qui sunt plebani, existens, nec ad hoc assumptus, officium cuilibet eorum surriperet, contra Hierarchicum divinæ ordinationis modum, qui est, quod nil bonitatis in inferioribus effulgeat, quod à superiori potestate non derivetur. Æquissima enim divinitatis hæc lex est, ut infima per media, media per suprema in Deum reducantur, secundùm beatum Dionysium. Secundò, tales presbyteri ex hoc perturbarent ordinem Ecclesiasticum, quia si tres, quatuor vel decem ad eandem Ecclesiam venirent, & quilibet eorum prædicare vellet, nec alter alteri cedere; quilibet sanæ mentis intelligere potest, quantæ ex hoc sequerentur seditiones in populis, contradictiones in sermonibus, & ita in actibus Ecclesiasticis nullus ordo, sed sempiternus III. horror pararetur. Tertiò, quod eadem ratione, qua sic liceret cuilibet diacono & presbytero ubique prædicare, liceret etiam tam liberè & sine impedimento quemlibet sacerdotem ubique confessiones audire, ligare, solvere, excommunicare, & absolve-

re,

Digitized by Google

re, omnia Sacramenta miniſtrare, quemlibet Epiſcopum in qualibet Eccleſia ordines conferre, & quemlibet judicem, videlicet Eccleſiaſticum prælatum ubique juriſdictionem exercere, tot diſturbia inſurgerent, quod non niſi horror ſine ordine in Eccleſiaſtica Hierarchia eſſet: ſed quantum talis confuſio repellitur & deteſtatur à Sanctis, audiamus. Nam beatus Gregorius in Regiſtro, ubi ſcribit Romano defenſori Siciliæ, hoc habetur 11. q. 1. *Pervenit ad nos.* Nam ſi unicuique Epiſcopo juriſdictio non ſervetur, quid aliud agitur, niſi ut per eos, per quos Eccleſiaſticus ille ordo cuſtodiri debuit, confundatur? & ſicut dicitur de Epiſcopo, ita de inferioribus prælatis & plebanis dici poteſt. Ex tali enim confuſione ordo honeſtus à rebus tollitur. Ideò beatus Auguſtinus dicit tertio de natura boni: *Omnia tanto magis bona ſunt, quanto magis ordinata ſunt, & tanto minus bona ſunt, quanto minus ordinata ſunt.* Et libro ſexto ſuæ muſicæ idem inquit: *Inhæreamus Deo, & non teneamus tantùm illius ordinationem, ſed etiam noſtrum ordinem inconcuſſum, certumque teneamus,* (a) contra quod ad literam Apoſtolus de in Eccleſia prophetantibus, providens ait: *Omnia honeſtè & ſecundùm ordinem fiant in vobis:* primo ad Corint. 14. *Quæ namque à Deo ſunt, ordinata ſunt,* ſcribitur ad Rom. 13. Ecce lex æterna pro concluſione noſtra.

Sæc. XV. Anno 1433.

11. q. 1. *Pervenit ad nos.* c. 39. *Greg. lib. 8. epiſt. 32.*

*Aug. de natura boni. cap. 3. Tom. 6.*

*Aug. lib. 6. ſuæ muſicæ. cap. 14.*

(a) *forſan, circa. 1. Cor. 14. Roman. 13.*

Secundò probatur eadem concluſio per legem Moſaycam. Nam ſanctus Hieremias in utero ſanctificatus, fuit ſacerdos, & tamen oblatum à Domino prædicationis officium non ſolùm non importunè acceptavit, ſed & humiliter recuſavit, quanquam finaliter acceptaret. Ergò concluſio vera, conſequentia nota. Major probatur, quia in principio ſuæ Prophetiæ dicitur: *Verba Hieremiæ filii Helchiæ de ſacerdotibus, qui fuerunt in Anathot.* Et B. Hieronymus in prologo Hieremiæ, qui incipit: *Hieremias Propheta,* dicit, *fuit enim Anatothites, quæ eſt uſque hodie viculus tribus diſtans millibus à Hieroſolymis, ſacerdos ex ſacerdotibus, & in utero matris ſanctificatus.* Minor patet, quod non obſtante, quod fuit tantus, tamen dum eum Dominus mitteret, non prius ſe de prædicationis officio intromiſerat, ſed nec tunc acceptare decreverat, imò recuſavit dicens: *A a a. Domine, neſcio loqui, quia puer ego ſum.* Ubi dicit ſanctus Thomas ad propoſitum ejus de presbyteris & omnibus: *Non miſſi, non ſunt audiendi propter præſumptam auctoritatem.* Et quid per multa diſcurrimus? Ezechiel fuit ſacerdos, ut dicit beatus Hieronymus in principio ejuſdem, Daniel ſacerdos, ut ſeptuaginta interpretes dicunt, licet Magiſter hiſtoriarum dicat eum de ſemine Regio progenitum, in principio libri: & ſic de multis ſanctis Domini Prophetis.

*Per legem Moſaycam.*

*Hierem. 1.*

*Hierem. 1.*

In lege etiam naturæ omnes primogeniti à Noë uſque ad Aaron ſacerdotes fuiſſe, qui in conviviis, & oblationibus populo benedicebant, ait Magiſter in hiſtoria ſcholaſtica. Exod. 14. capitulo de victoria Abrahæ.

*Per legem naturæ.*

Poſt hanc legem naturalem, in lege ſcripta Deus inſtituit ſacerdotes, Gen. 29. dicens Moyſi: *Facies, ut mihi in ſacerdotio conſecrentur. Aaron & filios ejus applicabis ad oſtium tabernaculi teſtimonii, eruntque Aaron & filii ejus ſacerdotes in religione perpetua.* Unde nullus tunc debebat fungi ſacerdotio, niſi de tribu Levi & ſemine Aaron. Unde, quia Chore, Datan & Abiron volebant ſibi uſurpare ſacerdotium, incenſum offerendo, terra deglutivit eos, ut patet Num. 16. Sed conſtat de omnibus his, quòd licet Sacerdotes eſſent, nullus tamen ſe de prædicationis officio intromiſit, niſi ſpecialiter ſibi ex *Deo* expreſsè imponeretur, quod etiam ſignis patentibus probaverunt. Ergò concluſio vera, quæ dicit, quod ſuper omnem poteſtatem, quam Sacerdos accipit in ſacerdotali Ordinatione, requiritur adhuc, ut poſſit ſe probare miſſum à Deo, vel ejus Vicario, ſcilicet ſufficienti Eccleſiæ Prælato.

*Exod. 29.*

*Num. 16.*

Tertiò probatur eadem concluſio ex lege Evangelica dupliciter. Et primò ſic: Poſtquam miſit Apoſtolos & ſeptuaginta duos Diſcipulos, Apoſtolos, tanquam Epiſcopos, ſeptuaginta duos, tanquam plebanos, licet adhuc non eſſent tales, tamen figuram eorum ferebant, ſecundum gloſſam Luc. 10. Illo non obſtante, quòd ipſe eos miſit, non obſtante, quòd etiam figuram omnium curatorum gerebant, adhuc oſtendere volens, quòd auctoritate ſuperiorum indigebant, ait illis: *Meſſis quidem multa, operarii autem pauci, rogate ergò dominum meſſis, ut mittat operarios in meſſem ſuam,* quod ad litteram exponitur de meſſe prædicationis verbi Dei: unde ſi quæritur, quare vult rogari? reſpondet gloſſa, quòd, ideò ut ſcilicet ex ſua miſericordia per internam inſpirationem, vel per miniſtros ſuos mittat prædicatores in Eccleſiam ſuam. Alia ratio multorum Doctorum eſt, ut per hoc doceat ordinem, quem omnis prædicaturis ſervare debet, ut ſcilicet à ſuperiori ſuam admiſſionem exſpectet, prout exponit Archidiaconus diſtinct. 21. *In novo:* ubi hæc authoritas ponitur. Secundò ſic: Certum eſt omnibus, quòd ſanctus Baptiſta fuit Sacerdos: quia primogenitus filius Sacerdotis, miſſus à Deo, ut teſtimonium perhiberet de Dei filio, ut patet Joan. 1. Hic quanquam Spiritu ſancto repletus tantæ ſanctitatis, quòd Chriſtus eſſe potuiſſet credi, tamen de prædicationis officio ſe intromittere auſus non fuit, donec ſupra auctoritatem ſacerdotalem, etiam novam divinam commiſſionem recepit, dum factum eſt verbum

*Per legem Evangelicam. Luc. 10.*

*Diſtinct. 21. In novo, cap. 2. Joan. 1.*

Domini

Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

Domini ſuper Joannem in deſerto, & tunc primò incepit prædicare, ut patet Lucæ 3. ubi dicit dominus Albertus ſic, quòd ibi data Joanni auctoritas prædicandi. Nota: dicit ibi datam, ergò priùs non habuit eam, licet eſſet Sacerdos ſanctiſſimus; dicit eum ibi primò miſſum ad prædicandum, ſine qua ſpeciali miſſione non habuiſſet auctoritatem prædicandi, ut dicit. Unde quatuor ibi exprimuntur, ſcilicet, modus prædicandi verbum, verbum prædicatum, auctoritas injungentis, & prædicationis ſublimitas. Et conſequenter oſtendit Albertus, quòd etiam iſtud ſe extendit ad omnes alios Sacerdotes, dicens: *Factum eſt verbum Dei*, Ecce auctoritas. Dominus enim miſit eum ad prædicandum, & non aliter prædicaret, juxta illud ad Romanos 10. *Quomodo prædicabunt, niſi mittantur?* Hæc ille. Quid ergò nos dicemus, qui ultra ſacerdotalem ordinationem aliam ſuperiorem auctoritatem volumus?

*Luc. 3.* *Albertus in Luc. cap. 3.* *Roman. 10.*

*Per legem canonicam.* *2. Timoth. 2.* *Gloſſa interl.*

Quartò probatur per legem divinam Canonicam. Et primo ſic. Secunda ad Timotheum 2. cap. *Fili*, inquit Apoſtolus, *confortare in gratia, quæ eſt in Chriſto Jeſu, & quæ audiſti à me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere:* Gloſſa, *qui idonei ſunt ſcientia, facundia, & vita, alios docere, illis debet prædicatio committi, quia apti reputantur.* Nota, quòd dicit, *commenda*, in textu; & *committi debet*, in gloſſa: non quòd quilibet etiam Sacerdos ſeipſum ingerat, ſed quòd expectet uſque dum ſibi committatur officium prædicationis. Sed diceres, Quis eſt idoneus? Reſpondeo, quòd etſi hoc certitudinaliter ſciri non poſſit, hoc tamen ex certis ſignis haberi poteſt, quæ ponit venerabilis Auguſtinus de Ancona, Eremitarum ordinis in libro de Eccleſiaſtica poteſtate, quæſt. 15. artic. 2. Primum ſi per eum veritas fidei non pervertatur. Secundum, ſi per eum Eccleſiæ mandatum non contemnatur. Tertium, ſi per eum peccatum accuſatione dignum toto conatu fugiatur. Quartum, ſi per eum novus vivendi ritus non inducatur. Quintum, ſi per eum etiam verbum Dei delectabiliter audiatur. Sextum, ſi per eum caritas proximi non ſpernatur. Septimum, ſi per eum de operibus bonis mundi gloria non quæratur. Et hanc concluſionem noſtram beatus Apoſtolus tam expreſsè declarat de ſeipſo. 2. ad Corinth. 10. Unde arguo ſic: Paulus fuit Sacerdos, Epiſcopus & doctor gentium: ſed ipſe noluit ſe extendere ad prædicandum, niſi tantùm illuc, ubi fuit à Chriſto ſpecialiter miſſus: ergò nullo modo licet alicui alicubi prædicare, niſi ſolùm in illo loco, ubi miſſum à Deo vel Prælato ſe poteſt oſtendere. Conſequentia nota eſt. Major omnibus clara eſt, Minor oſtendetur: Dicit enim ſic: *Nos autem non gloriabimur in immenſum, ſed ſecundum menſuram regulæ, quam menſus eſt nobis* Deus, *menſuram pertingendi uſque ad vos in Evangelio Chriſti, non enim ſuper extendemus nos in alienis laboribus gloriantes, & in aliena regula:* & increpans eos, qui ſe intromittunt prædicare populis, qui ſunt aliis commiſſi, dicit: *Non in aliena regula, in his quæ ſunt præparata gloriari: qui autem gloriatur; non enim qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat.* Hæc ille. Senſus eſt. *Non gloriabimur in immenſum*, id eſt, non exercebimus poteſtatem prædicandi ultra menſuram noſtram, quia Deus voluit, quòd ſolis Corinthiis pro tunc prædicaret, ſecundum Ambroſium, *nec ſuperextendimus*, id eſt, ultra poteſtatem nobis commiſſam, prædicationem noſtram non extendimus. Nam ſuperextendere, ſecundum gloſſam eſt, ultra quam conceditur extendi, *uſque ad vos enim pervenimus*, id eſt, poteſtas nobis conceſſa ad vos ſe extendit: & ita dicit ſe non habere gloriari in alienis laboribus & in aliena regula, quia non debuit prædicare ſibi non commiſſis, & hoc ex lege divina.

*Auguſt. de Ancon. q. 15. art. 2. Quis ſit idoneus Prædicator.* *2. Cor. 10.*

*Ex praxi domini noſtri Jeſu Chriſti.*

Eſt ergò ſecundò eadem concluſio deducenda ex praxi Domini noſtri Jeſu Chriſti, per quam eadem hoc modo oſtenditur concluſio; & primò in ſeipſo, ſecundò, in ſuis Apoſtolis. In ſe quidem, cum ipſe eſſet Sacerdos diviniſſimus in utero matris, in primo inſtanti ſuæ conceptionis conſecratus, officium tamen prædicationis non exercuit, niſi dum ultra omnem auctoritatem ſacerdotalem quodammodo auctorizatus eſſet, ita quòd Spiritus ſanctus corporali ſpecie, ſicut columba in ipſum deſcendit, & vox patris intonuit: *Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi benè complacui*, Luc. 3. Et adjecit, *ipſum audite.* Matth. 17. Secundò patet hoc idem ex hoc, quod ut nos doceret, quantumcunque presbyteros doctos & ſanctos non habere jus vel præceptum alibi prædicandi, niſi quo poſſemus nos miſſos probare. Ait: *Non ſum miſſus, niſi ad oves quæ perierunt domus Iſrael*, Matth. 15. ſcilicet ad prædicandum perſonaliter, niſi tantùm Judæis, ſecundum Gloſſam, licet per Apoſtolos prædicaret tandem toti mundo: ecce praxis Chriſti in ſe: quis audeat ergo ſibi liberè poſſe ubique aſſerere? Secundò idem in ſuis Apoſtolis ſervavit: & hæc eſt ita clara, quòd meritò ſufficeret pro omni doctrina. Primo ſic. Nam Dominus noſter ſuos Apoſtolos in Cœna conſecravit in Sacerdotes, dum ait: *Hoc facite in meam commemorationem.* Lucæ viceſimo ſecundo. Et tamen oſtendit quòd non ſufficit eis auctoritas ſacerdotii, ad officium prædicandi, niſi eſſent de novo, & iterum ad hoc miſſi. Ideò poſt ſacerdotium, primo in die Paſchæ miſit eos ad prædicandum, dans auctoritatem, Joan. viceſimo,

*Luc. 3.* *Matth. 17.* *Matth. 15.*

II.

*Luc. 22.*

Digitized by Google

simo, &c. dicens: *Sicut misit me vivens Pater, ita & ego mitto vos:* & illa missione non obstante, ut scirent, ubi deberent prædicare, scilicet, ne crederent in sola Judæa debere permanere, sicut prius quando præceperat eis, quod in viam gentium non abirent, iterum misit illos dicens: *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ*, Marc. & Matth. ultimo. Secundò sic. Quanquam Apostoli essent Sacerdotes, & jam bis missi, de novo ad prædicandum, scilicet die ascensionis, & Paschæ, nihilominus adhuc volens docere, non licere etiam cuilibet presbytero sanctissimo & doctissimo, ubi & quando vellet prædicare, absque nova superioris commissione, quæ fit Spiritus sancti auctoritate, ait eis in hora suæ ascensionis. *Ecce ego mittam Spiritum Patris in vos, vos autem sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto:* quod tractans beatus Gregorius in suo libro tertio pastorali capitulo vigesimo sexto, ait: *Admonendi sunt ergò, quos à prædicationis officio vel imperfectio, vel ætas prohibet, & tamen præcipitatio impellit, ne dum sibi tanti onus officii præcipitatione arrogant, viam sibi subsequentis emendationis abscindant: Ipsa enim veritas, quæ repentè, quos vellet, roborare posset, & ut exemplum sequentibus daret, ne imperfecti prædicare præsumerent, postquam plenè Discipulos de prædicationis virtute instruxit, mandavit eis, ut in civitate sederent, donec induerentur virtute ex alto.*

Idem sanctus Thomas in glossa *continua.* Idem Hugo: idem Glossa ordinaria. Ecce praxis Domini nostri Jesu Christi.

Tertiò probatur conclusio ex praxi Apostolica, qua clarè deducitur conclusio prædicta. Et primò ex praxi Apostolorum, & praxi septuaginta duorum Discipulorum. Primum arguitur: primò in speciali de aliquibus, secundò in generali de omnibus. Quantum ad specialem praxin quorundam Apostolorum, patet, licet presbyteri essent, non tamen alicubi prædicaverunt, nisi quo speciali Dei vel beati Petri summi Pontificis auctoritate fuissent missi.

Et primò hoc beato Petro accidit, de quo dicit Martinus in Chronica, capitulo tertio, quòd ipse adhuc vivens in carne sibi duos substituit, qui ambo presbyteri fuerunt, scilicet Linus & Cletus, volens quòd ipsi curæ omnium Ecclesiarum intenderent, ita scilicet, quòd non prædicarent, ipse verò Petrus verbi Dei prædicationi & orationi ac contemplationi insisterent. Præterea Paulus, licet à Christo missus, licet Vas electionis, & Sacerdos sanctissimus, imò Angelus terrestris, & homo divinus, secundum Dionysium, scribit se non fuisse ausum, sed prohibitum prædicare in Asia à Spiritu sancto, qui etiam eum, quò minùs intendit, misit ad Macedones, ut ibi prædicaret, Actor. 16. Demùm idem sanctus Apostolus multos presbyteros secum habuit, sed nullum ex his misit Corinthiis ad prædicandum, nisi solum Timotheum, qui licet presbyter esset, tamen missionem Apostoli exspectavit, nec quisquam aliorum ab Apostolo non missorum adivit, ne mittentis conculcaretur auctoritas, & extolleretur missionis utilitas, unde dicit primo ad Corinth. 4. *Misi ad vos Timotheum, qui est filius meus carissimus & fidelis in Domino, qui vos commonefaciat vias meas in Christo Jesu:* quasi dicat secundum beatum Augustinum in libro sermonum Domini in monte sermon. 49. *Neminem enim habeo tam inibi unanimem, qui sincera affectione pro vobis sollicitus sit. Nonne*, inquit, *cum illo multi erant? Sed quid sequitur? Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi, & ego Pastorem vobis mittere volui, non mercenarium. Nam multi mercenarii sunt, & vix invenit Paulus unum Pastorem, quem mitteret inter multos mercenarios, quoniam pauci Pastores, multi mercenarii.* Hæc ille. Ex quo claret expressè, quod Apostolus sibi reservavit auctoritatem mittendi Prædicatores, quos vellet, & non mittendi, quos nollet, licet Sacerdotes essent, hi qui secum erant: ita & nunc fit in Ecclesia, dum Prælatus deliberat ex multis bonis quem mittere ad prædicandum placeat. Ultimo beatus Marcus Evangelista, nostris presbyteris utique non inferior, Sacerdos fuit & non minùs conscius secretorum Dei, qui quanquam Evangelium scripserat, adhuc missionem Petri expectavit, cujus ipse discipulus fuit. Unde venerabilis Beda in expositione primæ Canonicæ Petri super illo. *Salutat vos Marcus filius meus charissimus*, dicit, *Marcum filium nominat, quia ejus baptismate dicitur filius effectus. Unde patet*, inquit, *quòd priùs quàm Marcum de Roma Alexandriam ad Evangelizandum mitteret, Epistolam scripserat, tempore autem Claudii Principis, & Petrus & Marcus Romam venerunt, & ipse Marcus descripto Romæ Evangelio suo, Alexandriam missus est.* Hæc Beda.

Ecce praxis Apostolorum specialis, docet ultra Sacerdotii auctoritatem requiri superioris missionem. Idem dixi ex praxi eorundem deducendum generali. Deducit namque Dominus Patriarcha Petrus de Palude, ordinis mei Prædicatorum Theologus & Jurista eximius, in tractatu de Ecclesiastica potestate, articulo secundo, conclusione secunda. Quod, quamvis Apostoli ante Christi passionem fuerunt regimini Christi immediatè subjecti, tamen post gloriosam ejus ascensionem in prædicando, absolvendo, baptizando, fuerunt summo eorum Pontifici Petro subjecti, non solùm

SÆC. XV. ANNO 1433.

Matth. 28. Marc. 16.

Greg. lib. 3. pastoral. cura cap. 26.

In cap. 24. Luc.

Ex praxi Apostolorum.

Actor. 16.

1. Cor. 4. August. similiquid habet tract. 46. in Evang. Joan. tom. 9. de verbis domini Jermon. 49. Philip. 3.

Beda.

Petrus Paludanus de Ecclesiastica potestate collata Apostolis; concluf. 1. Petri Primatus.



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

Christi institutione, qui eum omnibus præfecit, dicens: *Pasce oves meas*; Sed etiam Apostolorum volitione, quoniam ipsi Apostoli voluerunt beatum Petrum esse summum Pontificem eorum, ut dicunt Hugutius & Archidiaconus, & est textus distinctione 22. *Sacrosancta.* Quid mirum? nam dixerat Dominus, *Fiat unum ovile & unus pastor.* Joan. 10. Et hunc unum designans soli Petro ait: *Pasce oves meas:* ergo ex tunc, nullus nisi auctoritate Petri, habuit oves pascere, nec regere ubicunque. Unde ipsius auctoritatis fuit vocare alios in partem solicitudinis, scilicet pastores, quemadmodum ipse ordinavit de successore Judæ in Apostolatu, quanquam Apostolis aliis dederit electionem, & omnia cum consensu disposuit Apostolorum, sicut nunc Papa de consilio confratrum suorum Cardinalium. Similiter ipsius officii fuit de Diaconibus, Officialibus & Prædicatoribus, ordinare & eos in officia mittere, licet electionem aliis voluerit committere, sicut fecit, dum ait: *Considerate ex vobis viros boni testimonii*, & elegerunt Stephanum primum Primicerium septem Diaconorum, Actorum. 6. sicut etiam Moyses constitutos sub se Principes, quamvis per se potuisset eligere, tamen electionem populo commisit. *Date ex vobis viros, &c.* Deuteronom. primo. Unde omnis electio & institutio ad aliquam rectoriam, pro tunc in tota Dei Ecclesia oportuit fieri à Petro, & deinceps ab ejus successore, ut dicit Clemens Papa successor beati Petri distinct. 80. *In illis.* Idem dicit sanctus Thomas quarto sententiarum distinct. 19. articulo primo ad primum, quod licet potestas ordinis æqualiter collata Apostolis, tamen potestas jurisdictionis non est data eis, nisi præsupposita auctoritate distributiva Petri, ita quod omnia facerent secundum ejus ordinationem. Item contra gentiles, libro quarto, capitulo 76. Idem ostendit per hoc, quod soli Petro dictum est post passionem, *pasce oves meas.* Et ante passionem, *& tu conversus, confirma fratres tuos*, & quia sibi soli promisit claves regni cœlorum, prout glorioſissimè deducit ibidem, & concludit, dicens: *per hoc concluditur quorundam præsumptuosus error, qui se subducere nituntur ab obedientia & subjectione Petri, successorem ejus Pontificem Romanum universalis Ecclesiæ pastorem non recognoscentes:* hæc ille. Idem Hugutius & Archidiaconus in capitulo, *Ita Dominus.* Idem dominus Cameracensis, qui in tractatu de Ecclesiastica potestate, enumerans sex genera potestatum, concludit, omnes æqualiter datas Apostolis, ultima dempta, quæ est potestas distributionis, soli Petro commissa. Omnem ergò potestatem prædicandi, baptizandi, & similes receperunt Apostoli à B. Petro, post ascensionem Domini, non quoad auctoritatem, quia illam à Christo receperunt, sed quoad authoritatis executionem, ne quis mitteret falcem in messem alienam spiritualiter aut temporaliter: unde ejus fuit diœceses dividere, unicuique suam assignare. Nec obstat, quòd Christus eos misit in orbem universum, quia ipse indistinctè misit, distinctionem verò Petro reliquit: sicut Josue divisit terram in funiculo distributionis, quam tamen non ipse, sed Dominus dedit, ita beatus Petrus Ecclesiam distribuit, quam tamen non Petrus, sed solus Christus proprio sanguine suo acquisivit: unde dicit glossa 2. Corinth. 10. *nutu enim Dei factum est quod partitum erat unicuique, ad quos in prædicatione dirigeretur, ut singuli aliquos populos haberent proprios, de quorum fide gloriarentur.* Ecce praxis Apostolica quàm expresè est pro conclusione nostra. Idem duxi deducendum per praxim 72. discipulorum, illi enim non leguntur à Domini missi, nisi ante ejus passionem, & tunc tantum in Judæa non ita amplè sicut Apostoli, qui fuerunt per totam Judæam missi, sed restricti, ne alibi prædicarent, nisi quo Christus venturus erat personaliter ad prædicandum, ut patet Luc. 10. unde ipsi post Christi ascensionem, ut prædicarent, leguntur per Apostolos ad hoc officium de novo electi, ut dicitur 21. dist. *in novo, videntes*, inquit, *Apostoli messem multam, id est, totum mundum verbo Evangelii illuminandum, & operarios paucos, quia ipsi pauci erant pro tanta multitudine convertenda, rogaverunt dominum, ut mitteret operarios in messem suam, & ipsi elegerunt 72. discipulos, & miserunt eos ad prædicandum:* ubi dicit Hugutius, quod Dominus in veteri testamento Levitas per se instituit, sed in novo per Apostolos, dist. 93. *diaconi.* Ex quo patet conclusio assumpta ex praxi Apostolorum, & 72. discipulorum, ex quibus Eusebius in historia sua Ecclesiastica lib. 2. c. 1. dicit, quod Dominus post resurrectionem suam Petro, & omnibus Apostolis omnem scientiam tradidit, qui etiam ulterius 72. discipulis tradiderunt: hæc ille.

Quarto probatur hæc conclusio ex praxi Ecclesiæ primitivæ, à cujus ergò exordio inchoantes, ipse B. Clemens qui fuit immediatus successor S. Petri, quem B. Petrus-met in summum Pontificem erexit, in articulo mortis suæ hæc scribit in epistola sua ad Jacobum Jerosolymorum Episcopum in fine epistolæ, dicens, nullum presbyterum in alicujus Episcopi parochia aliquid agere debere absque ejus permissu, cunctos etiam presbyteros propriis Episcopis, in omnibus absque mora obedientes, instituente Domino, esse debere docebat: hæc ille. Hinc B. Dionys. Areopagita discipulus B. Pauli distinguens tres actus Hierarchicos attribuit diacono, purgare, illuminare presbytero,

Joan. 10. *Distinct.* 22. *Sacrosancta. c* 2. *Ex Anacleti Epist.* 3. *cap.* 3. *Actor.* 6. *Deuter.* 1. *Dist.* 80. *In illis. cap.* 2. *Clemens ad Jacob. ep.* 1. *S. Thom* 4. *sentent. dist.* 19. *quæst.* 1. *articul.* 3. *ad* 1. *Item lib.* 4. *contra gentiles c.* 76. *Joan.* 21. *Luc.* 22. *Matth.* 16. *dist.* 19. *Ita Dominus c.* 7. *Leo Papa ep.* 78. 2. *Cor.* 10. *glossa ordinaria ibidem.* *Luc.* 10. *dist.* 21. *in novo. c.* 2. *dist.* 93. *Diaconi.* *Euseb. lib.* 2. *cap.* 3. *Ex praxi Ecclesiæ primitivæ.* Clem. ep. ad Jacob.

Digitized by Google

tero, ſed Epiſcopo perficere: ita quod in primitiva Eccleſia diáconus dicebatur baptizandos purgare, id eſt, exorcizare. Sed presbyter illuminavit dum baptizavit, non enim intelligitur ibi illuminare, id eſt, prædicare. Sed dicitur baptiſatio illuminatio, quia baptizato divina lumina communicantur, quæ ſunt habitus virtutum theologicarum fidei, ſpei & charitatis, quæ ibi infunduntur, ſecundum expoſitionem Alberti Magni; ſed ſolius Epiſcopi erat baptizatum perficere, id eſt, prædicare & confirmare: ita exponunt commentatores c. 5. in Eccleſiaſt. Hierarchia. Poſt hoc Papa Martinus in chronica, & habetur 23. q. 1. *Eccleſias ſingulas:* qui ſedit anno Domini 270. cum prius non eſſent niſi parochiæ & plebani erant (a) oves Epiſcopi, ipſe diſtinxit parochias ab epiſcopatibus & diœceſes à provinciis, dans ſingulos ſingulis presbyteros, mandans ut ſinguli ſuis terminis contenti eſſent, & alienos non uſurparent, quanquam multi presbyteri tunc eſſent. Ex quo patet clarè, praxin Eccleſiæ primitivæ pro concluſione aſſumpta ſententiare.

SÆC. XV. ANNO 1433.

*Dionyſ. c. 5. Eccleſ. Hierarch. Dionyſ. ut habet 23. q. 1. Eccleſias ſingulas cap. 1.*

(a) *alia lectio habet omnes. Dionyſ. Ep. 2.*

Quinto, hæc concluſio probatur per concilia antiqua & per omnia idem oſtenditur nobis lib. 5. de hæret. cap. *cum ex injuncto:* ex Concilio Lateranenſi habetur ſic: *ſicut multa ſunt membra unius corporis, omnia vero non eundem actum habent, ita ſunt ordines in Eccleſia diverſi, ſed non habent omnes eundem actum ſeu idem officium. Nam ſecundum Apoſtolum, alios dedit Dominus Apoſtolos, alios Prophetas, alios doctores; Cum ergo doctorum ordo ſit quaſi præcipuus in Eccleſia, non debet ſibi quisquam indifferenter prædicationis officium uſurpare. Nam ſecundum Apoſtolum, quomodo prædicabunt, niſi mittantur? & veritas ipſa præcepit, rogate Dominum meſſis, ut mittat operarios in vineam ſuam,* & in c. *excommunicamus: quia verò,* dicitur ſic: *omnes qui prohibiti, vel non miſſi, præter auctoritatem ab Apoſtolica ſede, vel loci Epiſcopo ſuſceptam, publicè vel privatim ſibi prædicationis officium uſurpaverint, excommunicationis vinculo nodentur, & niſi quantocius reſipuerint, alia competenti pœna plectantur:* hæc ille: notate hæc verba, ſignate myſteria: idem habetur ſententialiter ex conciliis generalibus ut patet diſt. 71. & 72. ex Conciliis Carthaginenſibus, primo, quarto & quinto, Antiocheno & Romano, & Milevitano, ubi præcipitur in omnibus iſtis, quod presbyteri vel diaconi, aut in quocunque ordine Eccleſiaſtico conſtituti fuerint, ſi receſſerint de Eccleſiis ſuis, non debeant ſuſcipi aliena in Eccleſia, ſed cogi etiam per excommunicationem, ut inde exeant, & ad ſuas redeant. Idem dicitur 7. q. 1. Epiſcopi, ex Concilio Carthaginenſi. Epiſcopi vel presbyteri ſi cauſa *viſitandi ad Eccleſiam alterius Epiſcopi veniunt, in ſuo gradu, id eſt, honore ſuſcipiantur, & tam ad verbum faciendum, quàm ad oblationem conſecrandam invitentur:* gloſ. Hugucii & Archidiaconus, *quòd niſi invitentur, eis non licet:* 9. q. 2. *Nullus primas.* Unde presbyteri debent ſecum gerere literas dimiſſorias Epiſcopi, aliàs non debent recipi, nec ad quidquam admitti: diſtinct. 71. *hortamur.* Et ſic patet concluſio noſtra per ſacra Concilia.

Ex conciliis antiquis.

*De hæret. cum ex injuncto. l. 5. tit. 7. c. 12.*

*Epheſ. 4. Rom. 10. Luc. 10.*

*Lib. 5. de hæreticis. Excommunicamus. tit. 7. cap. 13. §. Quia verò.*

*7. q. 1. Epiſcopi. c. 38.*

*9. q. 2. Nullus primas. diſt. 71. hortamur. c. 8.*

Loco ſexto ſi imploraveritis dicta doctorum, in lege Dei veraciter ſe fundantium, inter multa pauca pro nunc adducam, reſidua poſt allegaturus partim. Sit primus beatus Ambroſius, ſuper epiſtolam ad Epheſios, dicens „ ut creſceret plebs & mul„ tiplicaretur, inter initia omnibus conceſſum eſt, & evangelizare & baptizare, & „ ſcripturas in Eccleſia explanare. At ubi omnia loca circumplexa eſt Eccleſia, con„ venticula conſtituta ſunt, & rectores & cætera officia in Eccleſiis ordinata. *Se„ quitur:* quaſi omnes eadem poſſent, irrationabile eſſet, & vulgaris res & viliſſima „ videretur": hæc ille. Secundus, beatus Gregorius, & aſſumitur 6. q. 3. „ ſcriptum „ eſt in lege per alienam meſſem tranſiens falcem mittere non debes, ſed manu ſpicas „ conterere, & manducare. Falcem ergò judicii mittere non debes in eam ſege„ tem, quæ alteri videtur eſſe commiſſa, ſed per effectum boni operis frumenta do„ minica vitiorum ſuorum paleis expolia, & in Eccleſiæ corpus admovendo & per„ ſuadendo quaſi mandendo converte": quod exponit gloſſa Hugucii & Archidiaconus, ad literam de prædicatione verbi Dei, quam nemo debet in Eccleſiis exercere quaſi jus habens in eis, absque licentia prælati Eccleſiæ illius, ſed benè poteſt transeundo aliqua verba ædificatoria occurrentibus dicere, & ſic eos in hortum Eccleſiæ, quaſi mandendo corroborare. Sit tertius beatus Bernardus ſuper cantica, ſermone 64. inquiens, „ nec quiſquam ſibi ſumit honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam „ Aaron. Et Apoſtolus ait, quomodo prædicabunt, niſi mittantur? & ſcimus mona„ chi non eſſe officium docere, ſed lugere. Ex his ſimilibusque collectis mihi texo „ rete, & capio vulpem, ne demoliatur vineam: claret namque & certum eſt, quòd „ prædicare nec (b) publicè convenit monacho, nec novitio expedit, nec non miſſo „ licet. Porrò contra hæc tria venire, quanta conſcientiæ demolitio eſt? ergò quic„ quid tale ingeratur animo, ſive illud ſit tua cogitatio, ſive immiſſio per angelum „ malum, doloſam agnoſce vulpeculam, & malum ſub ſpecie boni": hæc ille. Sit quartus S. Thomas, qui quodlibet. 12. q. 17. iſtam materiam determinat, & quæſtionem

*Ex doctrina doctorum. Ambroſ. in 4. c. ad Eph. 6. q. 3. ſcriptum eſt c. 1. reſponſione 9. ad Auguſtin. Deut. 23. Bernardus in Cantic. Serm. 64. Hebr. 5. Rom. 10.*

(b) *publicè in textu impreſſo non habetur. S. Thomas Quodlibetico 12. q. 17. art. 29.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

in terminis propriis movet, an scilicet liceat prædicare cuicumque absque licentia Prælati superioris, & respondendo dicit, quòd nullus quantumcunque doctus vel sanctus, debet prædicare absque Prælati auctoritate, quia nullum agens natum est agere nisi super determinatam materiam, sibi ministratam; prædicatio autem publica respicit totam Ecclesiam. Tota autem Ecclesia & cura publica Ecclesiæ Prælatis est commissa, & ideò nullus debet exercere, quòd requirat auctoritatem publicam, nisi auctoritate prælati: hæc ille. Sit quintus doctor solennis, licet modernus, Henricus de Hassia, qui parte ultima super Genesim dicit, quod prædicatio non permittitur, nisi missis, scilicet ultra gradum sacerdotalem, specialiter à Deo tantum, vel à Deo per hominem, secundùm illud ad Romanos 10. *quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Alioquin pseudoprædicatores non essent prohibendi, cùm tamen & ipsi prædicent in nomine Christi, & plerunque idem quod veri prædicatores, ut clarum est. *Insuper*, inquit, *& si facientes miracula in nomine Christi, non debent prohiberi, quia nullius usurpant officium, nec cuiquam injuriantur, tamen publicæ prædicationes in diœcesibus alienis, absque canonica missione prohiberi debent, quoniam Episcoporum & curatorum presbyterorum usurpant officium, & eis injuriantur:* & postea declarat, quomodo dicentes se missos à Deo, tenentur hoc probare per scripturam, ut Joannes, vel per miracula, ut Moyses, prout jam dictum est, ex conciliorum determinatione. Sit sextus venerabilis Augustinus de Ancona in Ecclesiastica potestate, q. 64. art. 2. dicens, quod nec Episcopis nec presbyteris liceat prædicare, nisi missis eis specialiter auctoritate Papæ. Nam actus prædicationis est actus jurisdictionis, licet non coactivæ: sed omnis jurisdictio à Papa dependet, cujus est signum, quod ipse cuilibet Episcopo suam præfigit diœcesim, & auctoritate sua quilibet plebanus suam & sibi commissam gubernat Ecclesiam; ergo sicut absque auctoritate superioris, nec ipsi sunt diœcesani, nec plebani curati, ita nec sine auctoritate Papæ convenit eis prædicare. Sit pro nunc septimus honorabilis Thomas de Walden Anglicus, qui per omnia quasi in propriis terminis concordat, prout patebit inferius. Ad idem sunt omnes postea in corollario allegandi, ad idem sunt omnes prius per alios indices allegati, & prout præmisi, non credatis nos in sententia concurrere, quia ambo dicimus, quod sacerdos vel diaconus ad hoc quod prædicet, debet esse missus; sed in hoc differimus, quod vos dicitis, quod illa missio fit ex mandato Domini, & ex ministerio Episcopi in collatione ordinis diaconatus vel sacerdotii; & contra hoc militant quæ dicta sunt, & quæ dicentur, reprobabunt illud. Octavus sit Wilhelmus Episcopus Parisiensis in suo sacerdotali, dicit quòd autoritas prædicandi presbytero non datur, *nisi dum cura animarum sibi committitur*: hoc enim officium est curæ animarum annexum. Nunquam enim dicitur eis in sua ordinatione, ite, docete, *seu* prædicate; docere enim seu prædicare speciale est officium Episcoporum, propter quod in suis consecrationibus dicitur eis, ite, prædicate populis. Episcoporum etiam est, doctores in diœcesibus constituere, quia nulli licet prædicare in quacunque diœcesi, nisi de mandato Episcopi: hæc ille.

*Henricus de Hassia.*

*Rom. 10.*

*Augusl. de Ancona, de ecclesiastica potesta. q. 64. art. 2.*

*Thomas Waldensis.*

*Guilielmus Parisiensis.*

ISta pro tanto conscripsi, quia horum oppositum directè in vestris præsentatis *scriptis* reperi, dixistis enim in una conclusione, quod quilibet prædicator verbi Dei debet esse missus: & in notabili super termino, *liberè* dixit proponens quòd talis missio seu licentia datur per ministerium Episcopi & à domino, quando ad ordinem diaconatus vel presbyteratus quis promovetur: concluistis ergò, quod ex mandato Christi tenentur prædicare, nec possent ab ullo prohiberi, & ne videretur hoc mirabile, direxistis ad rationes, quas facitis consequenter ad probandum oppositum eorum, quæ dixi, ad quas respondebo hoc modo. Prima fuit hæc: sacerdos Domini, spiritu Jesu instigante, potest sine speciali Episcopi licentia aut Prælati prædicare verbum Dei, ergò sibi licet; tenet consequentia, quia *oportet magis obedire Deo quàm hominibus.* Act. quinto. Respondeo, quod assumptum verum est, si aliquis sacerdos se à spiritu Jesu instigatum ad prædicandum probare potest: *nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus an ex Deo sint.* Circa istam materiam, qua quidam dicunt se spiritu Jesu instigari ad prædicandum, notandum, quod valdè dubiosum est & periculosum homini semper, se præsumere inspiratum à Spiritu S. sciendum, quod secundum B. Thomam 2. 2. q. 171. ar. 5. mens humana inspiratur à Spiritu sancto dupliciter: uno modo per expressam revelationem, puta per spiritum prophetiæ, vel per donum discretionis spirituum: & qui hoc modo inspiratur, certissimus est quod non decipitur; veruntamen ut prædixi, nec isti missioni credere tenentur alii, nisi probet se sic missum per scripturam, vel miraculum, *de hæreticis. Cum ex injuncto.* Alia est inspiratio per internam instigationem, quæ vocatur instinctus, quem interdum etiam nescientes humanæ mentes patiuntur, ut dicit beatus Augustinus libro 2. super Genesin: & distinguere, an talis instinctus sit à Deo, an à Diabolo, tam est difficile, ut vix aliquis vivens in hoc semper posset esse certus, ut dicit B. Bernardus super Cantica, homil. 33.

*Responsio ad primum argumentum adversarii. Actor. 5. 1. Joh. 4.*

*Thom. 2. 2. q. 171. art. 5.*

*De hæreticis: cum ex injuncto. supra in 5. probatione conclusionis. Aug. l. 2. in Genes. c. 17. tom. 3. Bernard. in Cant. hom. 33.*

& hoc

Digitized by Google

& hoc propter motionem mentis noſtræ, & Spiritus ſancti maximam ſimilitudinem, & Angeli Sathanæ in Angelum lucis transfigurationem. Unde quàm ſtultum ſit, ſemper credere tales inſtinctus à Deo veniſſe, patet ex hoc, quod etiam Prophetæ decepti ſunt nonnunquam, putantes eſſe ſpiritum Dei, cum ſpiritus proprius loqueretur, ut dicit beatus Gregorius ſupra Ezechielem: ſunt tamen aliqua ſigna, quibus diſcerni poteſt, an ſit inſtinctus à Deo. Primum ſi ſit conformis divinis ſcripturis: unde dicit beatus Gregorius moralium 23. ſuper illo Job 33. *Semel loquitur Deus & idipſum ſecundò non repetit, hoc eſt dicere, Deus ſingulorum cordibus privatis vocibus non reſpondet, ſed tale eloquium conſtruit, per quod cunctorum quæſtionibus ſatisfacit, in ſcripturæ quippe ejus eloquio, cauſſas noſtras ſinguli ſi requirimus, invenimus:* hæc ille. Secundum, ſi talis motio approbatur ſpiritualium virorum & maximè Prælatorum judicio, ſecundùm Bernardum: propter hoc Paulus etiam poſtquam revelationem Chriſti habuit, mittitur ad Ananiam, Cornelius ad Petrum, ſic Eunuchus inſtruitur per Philippum, ut approbationem & judicium virorum ſpiritualium requirere doceremur, ſicut de hoc plenius in collatione patrum habetur. Tertium eſt affectus, quem talis interior motio cauſat. Nam ſpiritus divinus facit hominem intus humilem, flexibilem. Spiritus Diabolicus præſumptuoſum & pertinacem. Nam ſunt viæ Diaboli, ſecundùm beatum Bernardum, ſuper illud Pſalmiſtæ: *Qui habitat.* Quartum eſt ordo inſpirandi, quia ordo commotionis Spiritus ſancti eſt, quod loquitur primo in turbine, facit hominem pavidum, timoratum & percuſſum, & propriam fragilitatem cognoſcere, & poſtea erigit in ſpem. E contra autem diabolicus ſpiritus, ut dicunt gloſſæ Luc. 1. & Matth. ult. de terrore boni Angeli, qui virginem beatiſſimam Mariam ſalutando, & mulieres terruit circa ſepulchrum. Quintum eſt ſecundum circumſtantias perſonæ, ſi inſtinctus non trahat ſupra propriam (a) perſonam, & contra debitum ordinem perſonarum, inter quas vivit: nam quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt, ad Rom. 13. Sextum, ſecundùm circumſtantias perſonarum, inter quas vivit, ſi charitatem non infringit, ſi pacem non turbat, ut beatus Bernardus reſpondit cuidam Abbati, qui ſe putabat ſpiritu Dei moveri. Multa talia ſigna poni poſſunt non tanquam certæ ſcientiæ, ſed tanquam quædam conjecturæ, quia, ut dictum eſt, ſcientiam de talibus vix aliquis habere poteſt. Unde Job 9. *ſi venerit ad me, non videbo eum, & ſi abierit, non intelligam.* Ubi dicit beatus Gregorius: *donec rerum alternantium finis neſcitur, acceſſus receſſuſque divinus ignoratur. Spiritus enim ubi vult, ſpirat, & neſcis unde veniat, aut quo vadat, ideo periculoſum eſt omni ſpiritui credere, ſed probandi ſunt ſpiritus, ſi ex Deo ſint,* docet beatus Joannes Evangeliſta.

Si ergo quæris, quis inſtinctus ad prædicandum, & lucrificandum animam proximi divinus poſſit dici. Reſpondeo, quod hoc ex quinque poſſit diſcerni: primum eſt, ſi illi ſic moti non moventur ex affectu & deſiderio proprio, ſed quantum in ipſis eſt ſemper deſiderant ſibi vacare, & nequaquam officio prædicationis deſervire, ſed neceſſitatis charitate, vel ſuperioris imperio, ad hoc coguntur, arrogantes verò & appetitu laudis vanæ moventur, ſeipſos ingerunt, & occaſionem quærunt, ut loqui & docere poſſint, nec expectant, donec utilitas exigat vel neceſſitas requirat. Secundum eſt, quòd illi, qui benè afficiuntur, non ſe eſſe ex hoc aliis meliores, reputant, eò quod ipſi alios docent, ſed ſe magis reputant, ſicut veraciter ſunt, in majori periculo, arrogantes autem peccatores alios deſpiciunt, ſe cunctis ſapientiores & meliores reputantes. His duobus dicit beatus Gregorius 23. libro moralium. „ Sanctæ „ univerſalis Eccleſiæ ſpiritualis quiſque prædicator, in cunctis quæ dicit ſolerti cura „ ſe inſpicit, ne in eo quod rectè prædicat, vitio ſe elationis extollat, ne vita à lingua „ diſcordet, & *infrà*, indignum ſe omnibus judicat, etiam cum dignus cunctis vivat, „ ſcit enim, quòd bona, quæ innoteſcunt hominibus, ſine periculo vix eſſe poſſint, „ & quamvis ſapientem ſe eſſe ſentiat, vellet tamen eſſe ſapiens, nec videri, atque ſibi „ hoc omnimodo quod loquendo proditur, pertimeſcit, & ſi liceat tacere, appetit, „ dum eſſe multis tutius ſilentium cernit, eoſque ſe feliciores putat, quos intra ſanctam „ Eccleſiam, locus inferior per ſilentium occultat; & tamen ut ſanctam Eccleſiam „ defendat, quia ad loquendum vi charitatis impellitur, ex neceſſitate quidem officium „ locutionis ſuſcipit, ſed ex magno deſiderio ocium taciturnitatis quærit, hoc ſervat „ voto, illud exercet miniſterio, hanc autem docendi formulam arrogantes ignorant. „ Neque enim loquuntur, quia cauſæ eveniunt, ſed quia cauſas venire appetunt, ut „ loquantur": hæc Gregorius. Tertium eſt, quando quis magno affectu accenditur ad prædicandum, cujus tamen ſtatui repugnat publicè prædicare, ſed magis incumbit in ſolitudine vacare, ſicut monachis multis, quorum officium eſt plangere, non docere, ſecundum B. Hieronymum. Quartum eſt, ſi aliquis debilis, & nondum (b) à concupiſcentiis (b) exercitatus & in humilitate fundatus inſtigetur ad prædicandum, volens aliis proficere, & ſe negligere. Unde beatus Bernard. ſuper Cantica, ſerm. 81. *quod tuum eſt ſpargis & perdis, ſi prius quàm infundaris tu; totus ſemiplenus feſtinas*

Anno 1433.

*Greg. hom. 1. in Ezech.*

*Signa quibus diſcernitur inſtinctus divinus à proprio.*

1. *Gregorius lib. moral. 23. c. 18. & 19.*

2. *Bernardus. Actor. 10. 9. 8.*

3. *Bernardus in Pſal. Qui habitat, in verſ. 11. ante medium. Serm. 11.*

4. 5.

(a) *alter liber menſuram.*

*Rom. 13.*

6. *Bernardus.*

*Job. 9.*

*S. Greg. lib. moral. 9. cap. 11.*

*Qualis inſtinctus ad prædicandum poſſit: dici divinus.*

1.

2.

*S. Gregor. lib. 23. mor. c. 4.*

3. *S. Hieron. adverſus Vigil. c. 6.*

4.

(b) *forſan extricatus.*

Canis. *Bernardus ſerm. 18. ſuper Cant.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

*festinas effundere, contra legem arans in primogenito bovis, & ovis primogenita tondens. Nimirum vita atque salute, quam alteri das, te fraudas, dum sana vacuus intentione, gloriæ inanis vento inflaris, aut terrenæ cupiditatis veneno inficeris, & lætali apostemate turgens interis:* hæc Bernardus. Quintum est, si affectus hominum ingerit ad prædicandum, qui nec à Prælatis missus est, nec à Deo, sive per vocationem spiritualem, & de his tribus ultimis dicit B. Bernardus super Cantica, serm. 64. *claret namque & est certum, quòd publicè prædicare monacho non convenit, nec novitio expedit, nec non misso licet. Porrò contra hæc tria venire quanta conscientiæ demolitio est? ergò quidquid tale animo suggeritur, sive illud sit tua cogitatio, sive immissio per Angelum malum, dolosam agnosce vulpeculam, id est, malum sub specie boni:* hæc ille. Et notandum quod ubi omnia hæc concurrunt, discerni potest, an inspiratio à Deo vel Diabolo provenerit, secundum humanam conjecturam, non secundum necessariam scientiam. Sed tria ultima sunt manifesta diabolicæ inspirationis indicia. Et sic patet, quod sit dicendum ad argumentum, ubi assumitur, Sacerdos spiritu Jesu inspiratus, potest prædicare, nolente Prælato quocunque. Ostendant se inspiratos, & credemus eis. Si quæritur, qualiter hoc probari debet, dico, quòd per miraculum, aut scripturæ sacræ testimonium, & hoc probo multipliciter. 1. ex veteri testamento: nam Ex. 3. dum Dominus mitteret Moysen ad denunciandum Pharaoni ejus voluntatem, ait Moyses, *quod signum ostendis mihi, ut credant mihi Pharao & filii Israel, quod me miseris?* statim virtutem miraculorum Dominus sibi dedit, ut virgam in colubrum, & è converso transformare posset. In novo: ex praxi Christi in se & in suis Apostolis. In se, quia cùm dixit: *ego ex Deo processi & veni in mundum; neque enim à meipso veni, sed ille me misit.* Joan. 8. volens ostendere, quomodo hoc esset verum, primo direxit (a) idem ad scripturas dicens, Joannis 5. *Scrutamini scripturas, illæ testimonium perhibent de me:* quæ autem fuerint illæ Scripturæ, ostendit ipse Lucæ ultimo, dum aperit discipulis sensum, ut intelligerent scripturas, dicens: *Oportet impleri omnia quæ scripta sunt de me: in lege Moysi & Prophetis & Psalmis*, & quia ad scripturarum testimonium non attenderunt, ut essent inexcusabiles, fecit opera miraculorum, quibus debebant ipsum credere à Deo missum, ait enim, *si opera non feciſſem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo*, Joan. 15. Ecce quomodo salvator docuit, quòd quicunque sese à spiritu Jesu instinctum ad prædicandum dicit, hoc probare tenetur miraculis, vel scripturis de se conscriptis. Idem in suis Apostolis idem practicavit. Nam ut statim dum eos misit, virtutem miraculorum eis tribuit dicens, *infirmos curate, leprosos mundate, &c.* Matt. 10. Eadem etiam fuit praxis Apostolorum, qui suam novam doctrinam confirmarunt per miraculorum consummationem: unde Marci ultimo: *illi autem profecti prædicaverunt ubique domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Ita beatus Paulus ait Corinthiis: *signa apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia, signis & prodigiis & virtutibus:* hoc est, apostolatus sua in vobis signa monstravit, per patientiam in moribus, & prodigia in signis, secundum beatum Hieronymum. Hoc promisit certitudinaliter propheta dicens, *Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa*, id est, virtute fidei & miraculorum, secundùm expositionem Cassiodori: hæc determinatio Concilii Lateranensis in capitulo, „ cum ex injuncto de hæreticis, *dicens*, quod si fortè quis „ argutè respondeat, quia tales invisibiliter mittantur à Deo, etsi non visibiliter mittantur ab homine, cùm invisibilis missio multò sit dignior quàm visibilis, & divina „ longè sit melior, quàm humana; potest rationabiliter responderi, quòd cum illa interior missio sit occulta, non sufficit cuiquam nudè tantùm asserere, quòd sit missus à Deo, cum hoc quilibet hæreticus asseveret; sed oportet quòd astruat illam invisibilem missionem per operationem miraculi, vel scripturæ testimonium speciale. „ Unde cum Dominus mittere vellet Moysen ad filios Israel in Ægyptum, ut crederent ei, quòd mitteretur ab ipso, dedit ei signum, ut mutaret virgam in colubrum, „ & virgam iterum reformaret. Joannes quoque Baptista, speciale suæ missionis testimonium protulit de scripturis, dicens: Ego vox clamantis in deserto: parate viam „ Domini, sicut dixit Isaias Propheta". Hæc iste. Et sic patet solutio ad primum.

*Bernardus super Cant. serm. 64.*

*Indicia veri prædicatoris.*

*Joan. 8. Joan. 5.*

(a) *forsan eosdem.*

*Luc. 24.*

*Joan. 15.*

*Matt. 10.*

*Marc. 1.*

*2. Cor. 12.*

*Hieron. in c. 12. 2. ad Corinth.*

*Psal. 67.*

*c. cum ex injuncto de hæreticis, lib. 5. c. 12.*

*Joan. 1. Esai. 40.*

*Responsio ad 2. arg.*

Secunda ratio fuit hæc: Laicus homo sub potestate regia constitutus, spiritu Dei instigatus, potest dare eleemosynam corporalem indigenti sine speciali licentia Regis, ergò multò magis sacerdos Domini potest licitè prædicare verbum Dei sine speciali licentia Prælati, cum eleemosyna spiritualis sit multò dignior corporali. Respondeo, negando consequentiam, non enim est similitudo conveniens. Nam laici possunt dare eleemosynam, & tamen non possunt prædicare ordinaria potestate, cùm sit solius sacerdotis officium, 16. q. 1. *adjicimus.* Insuper quòd sacerdos prædicet, requiritur quòd ultra sacerdotalem auctoritatem habeat commissionem specialem ad prædicandum, ut probatum longè satis superius. Sed hoc non oportet de dando eleemosynam corporalem, saltem regulariter loquendo, ergo claudicat similitudo. Tertio, quia licet

*16. q. 1. adjicimus. cap. 19.*

Digitized by Google

licet quilibet debet communicare eleemosynam spiritualem pro posse; tamen Apostolus docet singula secundum ordinem fieri debere: non autem esset debitus ordo, sed sempiternus horror; si quilibet sacerdos posset prædicare ubi vellet, absque speciali commissione, ut probatum est supra ex æterna lege. Quartò, quia ex eodem fundamento arguere possem: missare pro aliis est eleemosyna spiritualis, ergo cui licet dare eleemosynam corporalem, licet celebrare missam, cum major sit eleemosyna spiritualis, quàm corporalis, consequens falsum: ergo claudicat proverbium. Quintò, quia dare eleemosynam non est prohibitum, sed prædicare contra voluntatem Prælati est prohibitum sub pœna excommunicationis, in c. *cum ex injuncto*, ut jam dictum est, ergo, &c. Insuper non est simile de pane materiali & verbo Dei prædicando, quoniam ex eleemosyna materiali non sequitur periculum apud suscipientes eam, sicut periculum sæpè videmus sequi ex libertate prædicandi propter adjunctionem venenatam doctrinæ, quæ consuevit admisceri (a) cum forma veritatis eloqui, quemadmodum consueverunt facere (b) pastores hæreticorum, & ideo Ecclesia sancta volens hujusmodi pericula removere ex spiritu sancto edocta, ordinavit, quod nullus tribueret panem ovibus Christi publicè, absque autoritate superioris pastoris, qui agnosceret quale pabulum suis ovibus conveniret. S. Thomas in 4. dist. 15. solvit dicens de eleemosyna quæstione tertia, articulo 2. quòd sicut dare eleemosynam corporalem non cadit sub præcepto obligante, nisi ad tempus necessitatis, & ut alicui in necessariis vitæ subveniatur: Ita ad doctrinam alterius non obligatur homo præter debitum officium, nisi in his quæ sunt de necessitate salutis, & quando non esset qui instrueret, vel quando aliquis alium errantem videret, nisi esset alius qui ex officio facere teneretur. Aliàs autem docere, est consilium & supererogatio quædam, sicut & de eleemosyna corporali dictum est. hæc ibi.

(a) *alius liber farina veritatis eloquii.*
(b) *pistores.*
*S. Thom. 4. dist. 15. q. 3. art. 3. ad 1.*

Tertia ratio vestra fuit hæc: Consummato matrimonio, conjuges sine licentia speciali Prælati possunt licitè generare filios carnales: ergo sacerdotes Domini possunt licitè generare filios spirituales per prædicationem verbi Dei, sine licentia Prælati. Resp. negando consequentiam propter dissimilitudinem, quia generare filios carnales, est principalis finis & bonum matrimonii: alius finis, scilicet, quod est institum in remedium contra concupiscentiam, est secundarius. Sed generare per prædicationem filios spirituales non est principalis finis sacerdotii, quia ut dictum est prius in notabili, de distinctione sacerdotum curatorum & non curatorum: principalis est actus sacerdotii conficere Corpus Christi verum: sed secundarius est actus super Corpus Christi mysticum, scilicet generare filios spirituales in foro pœnitentiæ, vel sacramentorum collatione, aut verbi Dei prædicatione; sed iste secundus actus non convenit omnibus sacerdotibus, nisi tantum curatis, vel à Prælatis ad hoc deputatis, dicit idem S. Thom. & Albertus Magnus. Ad confirmationem qua sic assumitis: Pejus est semen verbi *Dei* non admittere vel suffocare, quàm semen carnale, sic è converso melius est semen verbi Dei spargere & suscipere, quo suscitentur filii Dei, quàm suscipere vel dare semen, de quo suscitentur filii carnis. Ideo dicit Dominus Matth. 10. *Quicunque non receperint vos, neque audierint sermones vestros, excutite pulverem de pedibus vestris. Amen dico vobis, quòd tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die judicii, quàm civitati illi.* Respondeo quod verum concluderetis, si prælati verbum Dei omninò suffocarent, & necessariam doctrinam populo subtraherent, quod utique non fit ex hoc, quod non quilibet sacerdos judicat, sed magis semen verbi Dei spargitur, quia per eos ad quos spectat, scilicet curatos, & à Prælatis missos, copiosè seminatur: unde si quis tales impediret vel prohiberet, ille semen doctrinæ suffocaret, & graviter reprehendendus esset. Quemadmodum B. Hieronymus scribit ad Rusticum monachum, & assumitur distinctione 95. *ecce ego*, dico reprehendendos Episcopos, qui prohibuerunt curatos, ne in præsentia eorum prædicarent populis, & sic doctrina necessaria subtrahebatur eis: sicut hic dicitur de semine spirituali non suffocando, ita dicit B. Thomas de non abscondendo, secunda 2. q. 185. articulo primo, quod ille dominica frumenta doctrinarum non dicitur abscondere, cui ex officio non competit dispensare, nec ei injungitur à superiori: sed ille dicitur abscondere ea, qui officium sibi commissum negligit, vel pertinaciter recipere renuit. Insuper, sicut non quilibet ager seminari debet à quolibet agricola, sed tantùm ab eo, cujus est, vel qui ad hoc conductus est, ita non quilibet populus à quolibet presbytero instruendus est per publicam prædicationem, nisi tantum ab eo, cujus est, scilicet curato, vel qui ad hoc à superiori conductus est. Nullus enim debet gloriari in aliena regula, nec in immensum extendere Evangelium, id est, prædicationis actum: ita 1. ad Corinth. 10. hoc est quod dicitur, *ne mittas falcem in messem alienam.* Præterea, licet semen carnale, si ad vas appropriatum seminatur, adhibitis debitis circumstantiis, est meritorium; Ita si seminetur in personam prohibitam, est fornicationis seu adulterii peccatum: ita quanquam verbum Dei secundum ordinationem Ecclesiæ seminare in locis

*Responsio ad 3. argumens.*

*Matth. 10.*

*dist. 95. c. ecce ego. c. 6.*

*S. Thom. 2. 2. q. 185. art. 1. ad 3.*

com-

Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

commissis sit licitum; tamen adulterari, id est, ibi prædicare, ubi prohibitum est fieri, est demeritorium: imo excommunicationis incurrunt tales periculum, ut patet de *hæreticis. Excommunicamus.*

Quarta ratio fuit hæc: cum Heldad & Medad prophetarent, noluit eis Moyses prohiberi, Num. 11. Sed dicit: *Quis det, ut omnis populus prophetizet?* Ergò, &c. Respondeo, negando consequentiam, quia magna est differentia inter prophetare & prædicare. Nam prophetare mulieribus convenit, sicut & viris. Sed prædicare non potest propriè convenire, nisi tantum viris. Nam mulieri docere non permitto, 1. Tim. 2. nec viris omnibus, nisi tantùm presbyteris regulariter, in capitulo adjicimus 16. q. 1. c. 19. quia toti populo fuisset utile recepisse donum prophetiæ, sed non utile Ecclesiæ, quod quilibet sacerdos vellet prædicare liberè, & si esset utile, omnes optaremus. Præterea ad prophetandum non requiritur aliquid per se, nisi illuminatio mentis propheticæ divinitus per lumen divinum impressum, sed ad prædicandum plus adhuc requiritur, scilicet missio ad certum locum seu populum: unde missio tria importat. 1. auctoritatem ex parte mittentis 2. idoneitatem ex parte missi, 3. determinatum locum seu populum, ad quem mittatur: primum est terminus à quo: secundum medium ad quod: tertium est terminus ad quem: sententia est domini Alberti Magni super Lucam, c. 10. de missione discipulorum. Insuper quinto, si Deus omnibus communicaret donum prophetiæ, ex hoc nulla (a) distasia fieri posset seu deordinatio Ecclesiasticæ hierarchiæ. Sed si singuli presbyteri indifferenter ubique prædicare vellent, sequeretur maximus error in ecclesiastica hierarchia, ut probatum est ex lege æterna, ergò non est simile prædicare & prophetizare. Sexto, quia habens donum prophetiæ, potest illo immediatè uti absque alia probatione, sed qui habet donum prædicandi, non potest eo uti, nisi probet se à Deo missum, per scripturam vel miraculum, ut dictum est in responsione ad primum argumentum vestrum: ergo iterum non est simile.

*Excommunicamus. cap. 13.*
*Responsio ad quartum argumentum. de prophetia. Num. 11. 1. Tim 2.*
*supra responsione ad 2. arg.*
*Missio tria importat.*
*Albertus in Luc. c. 10.*
*(a) alter liber discordia.*

Ultima ratio vestra fuit hæc. Ita licet facere Christi Sacerdotibus, sicut Apostolis & 72. discipulis: sed illi à Christo missi, non iverunt ad petendum licentiam prædicandi à Prælatis, vel alter ad alterum, ergo ita & nunc sine licentia speciali licet prædicare Presbyteris. Respondeo negando consequentiam: quia licet Apostoli potuissent prædicasse sine licentia aliorum prælatorum, quia habebant licentiam sui Prælati, scilicet Christi, non sequitur, quod ergò quilibet sacerdos, cum non sit omnis talis taliter licentiatus à Christo. Etiam consequentia non valet ex eo, quòd non omnes Presbyteri succedunt Apostolis, sed solùm Episcopi, ut patet dist. 21. *in novo:* in actu jurisdictionis. Respon. 2. negando illud quod pro minori assumitis, quia ut probatum est superius loco tertio, scilicet praxi Apostolorum & discipulorum Christi, dictum est, quòd Apostoli licet recepissent à Christo Domino immediatè auctoritatem prædicandi, tamen executionem illius auctoritatis receperunt à beato Petro, quia sibi soli tradita fuit potestas pascendi universaliter, & secundum ejus distributionem iverunt singuli Apostoli ad implendum præceptum Christi. In cujus signum etiam dictum est, quòd Apostoli voluerunt Petrum esse omnium eorum summum Pontificem, prout deductum est satis clarè ibidem. Resp. 3. quòd Apostoli & discipuli non indiguerunt petere licentiam à Prælatis illis, quibus volebant prædicare, quia poterant se probare missos à Deo per scripturas à Christo prophetatas, nunc impletas, qui debebat mittere discipulos. De quibus Psalmista. *In omnem terram exivit sonus eorum:* & iterum per signa miraculorum, quæ fecerunt copiosè: hæc enim sunt duo necessaria ei pro altero eorum, qui vult prædicare absque licentia Prælati, ut ostendat se missum esse à Deo, ut probatum est, responsione ad primam rationem vestram. Et iterum, quia illi Prælati non fuerunt superiores Apostolorum, sed Apostoli fuerunt Prælati ipsorum. De quibus Psalmista: *Constitues eos Principes super omnem terram.* Ad confirmationem qua assumitis contra prædicta; beatus Apostolus Paulus vocatus à Christo ad prædicandum, non ivit ad Apostolos petere licentiam, ut patet ad Galatas primo. Respondeo, quod ratio fuit, quæ dicta est, scilicet quia potuit probare se à Christo missum immediatè per signa miraculorum, ideò dicit sanctus Thomas ad Galatas secundo: Sed posset dicere aliquis Paulo, unde constat nobis, quòd tibi sit commissum Evangelium in gentibus? Respondet Paulus, *per operationem Christi.* Sicut etiam patet, quòd Petrus accepit Evangelium à Christo propter miracula, quæ fecit Christus per eum, ita patet, quod ego, scilicet Paulus, ab ipso accepi, scilicet Christo, etiam propter miracula, quæ operatus est in me: unde dicit, *qui operatus est Petro*, id est, qui Petrum Apostolum fecit in Judæa, scil. Christus, ipse operatus & mihi inter gentes, id est, me fecit Apostolum gentium, nec tamen totaliter omisit, sed venit ad Petrum, & contulit secum & cum aliis Apostolis Evangelium, ut patet ad Gal. 2.

*Responsio ad quintum arg.*
*dist. 21. in novo. c. 2.*
*Psalm. 18.*
*Psalm. 44.*
*Galat. 1.*
*Galat. 2.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

# SEQUITUR EPILOGUS.

QUod iſta concluſio, concluſioni proponentis contraria, eſt vera, ſecundùm expoſitionem terminorum præhabitam: *Verbum Dei Sacerdotibus Domini non debet liberè ac ſine impedimento fideliter prædicari & enunciari:* ex deductione ſequuntur iſta. Primò quod ordinariè prædicatores in Eccleſia ſunt Epiſcopi & curati, quia illi propriè ſuccedunt duodecim Apoſtolis & ſeptuaginta diſcipulis Domini. Secundum, quòd alii gradus in Eccleſia non ſunt à Diabolo, quia à Chriſto & in Veteri Teſtamento *ſunt præfigurati, ut in agro Prælati, in lecto Religioſi, in mola laici.* Tertium, quod jam non eſt expectanda revelatio à Deo, ut manifeſtet quid credere debeamus, quia ſcientia Domini plena eſt terra, & Eccleſia ſufficienter in omnibus illuſtrata. Quartum, quod multum decorat Eccleſiam Dei, eſſe diverſos ſtatus, ſicut decorat corpus humanum, quod habet diverſa membra, quorum quodlibet habet diſtinctum ſibi proprium actum. Quintum, quòd iſte ordo Eccleſiaſticus debet indefectibiliter ſervari, ne ſi quilibet vellet indifferenter prædicare, confunderetur tota monarchia principatus monarchici. Sextum, hoc probatum eſt auctoritatibus Veteris & Novi Teſtamenti. Septimum, quòd licet omnes Apoſtoli eſſent à Chriſto immediatè miſſi ad prædicandum, non tamen licuit cuilibet eorum ire quo voluiſſet, niſi præſuppoſita, ante eorum diviſionem, auctoritate Petri, quia ſoli dictum eſt, *paſce oves meas.* Octavum, quod valdè periculoſum eſt credere, ſe à Spiritu ſancto inſpiratum, niſi poſſit hoc probari per ſcripturam vel miraculum. Unde nulli creditur, quòd ſit miſſus ad prædicandum à Deo, niſi probet ſcriptura vel ſigno. Hæc quæſo in corde bono & optimo accipite, ut fructus optatus ſequi valeat. Quilibet veſtrum verbum quod audivit, attentè retineat loco ejus, qui ait: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* In præſenti gratiam, in futuro gloriam conferendo, quam nobis concedat Jeſus Chriſtus benedictus in ſecula glorioſus. Amen.

Concluſiones.

Joan. 14.

JAm pro tertio & actu finali in beatiſſimæ Trinitatis nomine, patris, inquam, miſericordiarum, cujus omnipotentia aperuit ora multorum, filii unigeniti, cujus omniſapientia diſertas facit linguas infantium, & Spiritus ſancti paracliti, cujus omniclementia materiam ſuggerit dicendorum, Patres reverendiſſimi, cæterique domini præſtantiſſimi, mediante beatiſſima Dei genitrice, cui non deeſt poteſtas, cum ſit mater omnipotentiæ, nec induſtria, cum ſit mater ſapientiæ, neque adjuvandi voluntas, cùm ſit mater totius clementiæ & miſericordiæ, ſecundum beatum mellifluum Bernardum in ſermone, actum nunc diebus continuatum geminis jam concludendum ſub brevibus, reſumo verba in altera vice alterata, *Qui in corde bono & optimo verbum Domini audientes retinent, fructum afferunt in patientia:* ubi poſtquam declaratum eſt primo, quòd locus congruus eſt aptificandus, in quo fructificare queat ſermo divinus, quod fit in corde bono & optimo. Conſequenter quomodo obſervandus eſt modus debitus, ſi audientes verbum retinent, finaliter eſt nunc concludendum, ſi ita fecerimus; quem conſequemur profectum, ſcilicet *fructum afferunt in patientia:* & quis eſt iſte fructus, quem intendimus, quem quærimus, quem Dominus donet ut reperiamus? certè non alius, quàm ille, quem in patientia expectamus, in hoc nomine *patientia* etymologizatus: hæc enim eſt etymologia ejus, *Patientia*, pacis entia, patientia, pacis ſcientia, patientia, pacis encænia. Nam pacis entia ſunt pax in gratia vel gloria, pacis entia in propria conſcientia, pax cum ſeipſo; pacis ſcientia, pax cum proximo; ſed pacis encænia, pax intelligitur cum Deo, pax conſcientiæ cum ſeipſo, & pax Angelicæ modulationis. *In terra*, inquit, *pax hominibus bonæ voluntatis.* Luc. 2. pax amicitiæ cum proximo eſt, pax apoſtolicæ prædicationis, optata ſolis filiis pacis, Luc. 10. pax gratiæ & gloriæ, eſt pax Chriſtiferæ ſalutationis, qua in unum congregatis, *pax*, inquit, *vobis.* Joan. 20. hanc itaque patientiam, veræ pacis exiſtentiam Pſalmiſta dicit, pacem multam, *pax multa diligentibus legem tuam*, multa, quia conſcientiæ, amicitiæ, & gratiæ; multa, quia Angelica, Apoſtolica, & Chriſtifera; multa, quia ſecum ipſo, proximo, & cum Deo; multa, quia per nos multos, multoties corde optata, ore poſtulata, & nunc opere exhibita, atque doctrina; multa, quia non unius hominus tantùm, ſed totius regni incliti Bohemiæ, Marchionatusque Moraviæ, pro ſalute æterna; multa, quia omnium noſtrum vobiſcum, & omnium veſtrum nobiſcum, unione fraterna. Pax multa utique erit, ſi una fides, unum baptiſma, unus omnium ſacramentorum Eccleſiæ ritus, unus clericalis vivendi modus, una ſpes certa, una charitas firma, & una Eccleſia ſancta Catholica, nobis

Dies tertius.

*Hoc caput in alio libro prorſus non habetur.* CANIS.

B. Virginis eloquium.

*Suprà initio.*

Patientia; pacis entia

*Luc. 10.*

*Joan. 20. Pſalm 118.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

omnibus cor unum fuerit, & anima una in Deo. Ecce fructus in patientia, in pacis veræ exiſtentia. Hinc conſilio Aurelii Auguſtini de verbis Domini ſermo. 8. *qui hanc pacem acceperit, ipſam teneat, qui perdiderit, ipſam repetat, qui amiſerit, ipſam requirat, qui enim in ea*, inquit, *inventus non fuerit, abdicatur à Patre, exhæredatur, à Filio, nihilominus alienus efficitur à Spiritu ſancto.* De hac pacis ſcientia orat quotidiè Eccleſia. *Da pacem hanc in diebus noſtris.* Et Pſalmiſta: *fiat pax in virtute tua.* In hac patientia, id eſt, veræ pacis efficientia, poſſidebitis animas veſtras, in præſenti in gratia, in futuro in gloria, quam nobis dignetur præſtare propter ſuam magnam gloriam, propter ſuæ infinitæ miſericordiæ clementiam, propter vulnerum ſuorum, mortis, crucis, & paſſionis patientiam & amaritudinem, Jeſus Dominus benedictus in ſecula glorioſus. Amen.

*Pſal.* 121.

*Corollaria.*

EX præſcriptis elicio aliqua corollaria, quorum cujuslibet dominus proponens oppoſitum mihi miniſtravit, ſaltem in ſententia. Primum, quòd non quilibet ſacerdos habet poteſtatem prædicandi liberè, ex vi ſacerdotalis conſecrationis, ſed virtute jurisdictionis. Secundum, Non eſt præceptum Domini, quemlibet Presbyterum prædicare verbum Dei. 3. licet Papæ vel Epiſcopo prohibere, ne quilibet ſacerdos prædicaret abſque ſua licentia liberè ubique, & ſub pœna excommunicationis ſententiæ. 4. multum ſalubre eſt multos miſſantes eſſe, etiamſi pauci prædicantes poſſent haberi. 5. congruit cultui divino, quod in Eccleſia Dei ſit altarium multiplicatio. 6. ex proprio diaconi officio ſibi non eſt præceptum à Domino, verbi Domini libera prædicatio. 7. propter ſcandalum perverſorum debent aliquando ſacerdotes Domini omittere verbi Dei prædicationem. 8. non obligantur Prælati majores prædicare verbum Dei, quin in certis caſibus poſſint licitè ſupportari. Primò dixi, quòd non quilibet ſacerdos habet facultatem prædicandi actualiter verbum Dei, ex virtute ſuæ conſecrationis, quia ſibi per miniſterium Epiſcopi confertur officium ſacerdotale, cujus oppoſitum venerabilis proponens dixit in notabili de libertate ſuper verbo, *liberè*, & probatur dictis multorum Doctorum. Primò ſancti Thomæ in tractatu de contra impugnantes Religionem, dicens, quòd poteſtas ſacerdotalis ad duo ordinatur. Primò & principaliter ſuper corpus Chriſti verum conſecrandum. Et hujus poteſtatis executionem ſtatim cum ordinatur accipit, niſi ſit defectus in ordinatione, vel in ordinato. Secundò ordinatur ad corpus Chriſti myſticum per claves Eccleſiæ, quæ ſibi committuntur, & hujus poteſtatis executionem non recipit, niſi cura ei committatur; vel niſi auctoritate alterius curam habentis hoc agat, nec tamen poteſtas ſacerdotalis fruſtrà datur ei, quia habet executionem in hoc ad quod eſt poteſtas ſacerdotii principaliter inſtituta: ſed, inquit, officium prædicationis non ordinatur ad aliud, niſi ad prædicandum: unde cum privilegium principis non debeat eſſe inutile, ut jura dicunt, ex hoc ipſo, quod Papa committit alicui officium prædicandi, ille habet executionem officii, quicunque ſit ille: hæc ibi. Secundò idem 2. 2. q. 185. art. 1. quod diſpenſatio frumentorum ſpiritualium, id eſt, doctrinarum non eſt facienda ad arbitrium cujuslibet: ſed primò & principaliter ſecundùm diſpoſitionem Dei, ſecundariò autem ad arbitrium ſuperiorum Prælatorum, ex quorum perſona dicitur, 1. Cor. 4. *ſic nos exiſtimet homo ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei:* hæc ille. Tertiò, dominus Albertus ſuper Eccleſiaſticam hierarchiam cap. 2. ubi B. Dionyſius docet, quomodo Epiſcopus debet prædicare ei, qui ad baptiſma accedit, arguit quod non debuit baptizantem inducere ad prædicandum, quia prædicare & baptizare ſunt diſtincta officia, & reſpondet, quòd licet ſint diſtincta officia, conveniunt tamen in relatione ad unum principium, à quo deſcendunt. Sicut enim jurisdictio prædicandi derivatur à pontifice in alios, ita & baptiſatio, ſicut dicitur ad Rom. 10. *quomodo prædicabunt, niſi mittantur?* Unde ponendo utrunque officium circa unam Pontificis perſonam, eſt intentio ſua oſtendere, quod utrunque deſcendit ab ipſo: hæc ille. Idem patet clare per ambos iſtos in 4. ſententiarum, diſtinct. 23. ut ſuprà allegatum eſt in notabili de diſtinct. ſacerdotum curatorum, & non curatorum. Quartò, idem oſtendit venerabilis Auguſtinus de Ancona in libro de Eccleſiaſtica poteſtate, q. 64. art. 1. oſtendens, quod etiam prædicare in Papa eſt officium jurisdictionis, & non ſacri ordinis: quia & Papa electus, qui non eſſet ſacerdos, prædicare poſſet per ſe, & cum hoc, officium prædicationis aliis committere: ſed non poſſet ea, quæ ſunt ordinis, niſi prius eſſet conſecratus. Et hoc ideo, quia id, quod eſt ordinis, reſpicit corpus Chriſti verum. Sed quod eſt juriſdictionis, reſpicit corpus Chriſti myſticum: & ibidem art. 2. probat, quòd prædicare non licet Epiſcopo vel Presbytero abſque licentia Papæ, quia prædicare eſt juriſdictionis actus. Sed omnis juriſdictio derivata eſt Epiſcopis & Presbyteris à Papa, ad quem ſpectat diœceſes & parochias diſtinguere, & cuilibet ſuam aſſignare: ergò abſque autoritate Papæ non licet eis prædicare. Quinto, idem per totum ſuum proceſſum ponit venerabilis Thomas de Walden,

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8.

*Primum corollarium. Non quilibet ſacerdos habet facultem prædicandi liberè, ex virtute conſecrationis ſacerdotalis. S. Thom. lib. cont. impugnantes religionem. c. 4. non procul à fine.*

2. *S. Thom. 2. 2. q. 185. art. 1. ad 3.* 1. *Cor.* 4.

*Albertus.*

3.

*Rom.* 10.

4. *Auguſt. de Ancona de Eccleſiaſtica poteſt. q. 64. art. 1. & 2.*

5.

Digitized by Google

den, qui non concedit, quòd ex ordine vel officio ſacerdotali cuiquam competit prædicare, niſi poſſit ſe miſſum probare per ſigna, ſi à Deo ſit; vel monimenta, ſi à Prælato ſe aſſerat miſſum. Sexto, hoc dominus Joannes Gerſon in tractatu de Eccleſiaſtica poteſtate videtur velle dicens, quòd poteſtas eccleſiaſtica juriſdictionis non coerciti- vè in ſua latitudine conſiderata, nedum ad ſacramentum pœnitentiæ, ſed etiam ad aliorum ſacramentorum adminiſtrationem, imò ad prædicationem eſt extenſa, quæ omnia reſpiciunt corpus Chriſti myſticum, horum ratio eſt, quæ pridie eſt dicta, quòd Presbytero in ſua conſecratione non datur, niſi duplex poteſtas, ſcilicet ordinis, & clavis, quarum neutra adfert libertatem prædicationis.

SÆC. XV. ANNO 1433.

*Thomas Waldenſis l. 2. doctrinalis fidei. c. 70. & ſeqq. To. 1.*

Ex iſto ſequitur ſecundum corollarium, ſcilicet, quod non obligatur quilibet ſacerdos ex præcepto Domini prædicare verbum Dei: quod quamvis ex dictis pateat, probatur tamen ex ſuperabundanti, & primò ex veteri lege ſic: Illud non eſt Presbyteris præceptum, de quo ſe licitè excuſare poſſunt: ſed Jeremias ſe licitè ab officio prædicationis excuſavit, nihilominus presbyter fuit, ut dictum eſt; ergo non fuit hoc præceptum. Major nota eſt, quia præceptum obligat non facientem ad peccatum mortale. Minor probatur per B. Gregorium in paſtorali, & S. Thomam, in gloſſa, Jerem. 1. ubi excuſat Moyſen & Jeremiam ex amore Dei voluiſſe contemplationi inſiſtere. Et Eſaiam, qui ſponte ſe obtulit ex amore proximi prodeſſe. Secundò, ſic ex lege nova. Nam Apoſtolus perfectionem Corporis Chriſti myſtici differens, dicit de Presbyteris, quòd Chriſtus dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores & doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum *Numquid*, inquit, *omnes Apoſtoli? numquid omnes Prophetæ? numquid omnes doctores? numquid omnes virtutes? numquid omnes gratiam habent curationum? numquid omnes linguis loquuntur? numquid omnes interpretantur?* 1. Cor. 12. Ex quo claret manifeſtè, quod non eſt omnibus Presbyteris præceptum prædicare, cùm non ſint omnes Apoſtoli, nec Evangeliſtæ. Tertio ſic, prædicare eſt paſcere; ſed non omnes Presbyteri ſunt Paſtores, cùm non habeant gregem ſibi commiſſum, juxta illud 1. Pet. 4. *paſcite eum qui in vobis eſt, gregem*, ſcilicet commiſſum, non alium: jubet ergo, &c. Quarto ſic: ad Presbyterum ſufficit aliqua ſcientia ſacrarum literarum, quæ non ſufficit ad prædicandum, ut prædictum eſt; ergo non oportet quemlibet ſacerdotem eſſe prædicatorem: patet conſequentia, quia da oppoſitum, & ſequitur, quod quilibet Sacerdos qui prædicare neſcit, ſit continuè in peccato mortali, quod falſum eſt, quia legimus de multis ſanctis Presbyteris, qui fuerunt ſimpliciſſimi, nec ſciverunt niſi Miſſam pro mortuis, vel de B. Virgine Maria, & fructum ſibi, & vivis, & defunctis fecerunt. Quintò ſic. Inter actus officii ſacerdotalis principalius eſt conſecrare Corpus Chriſti, & magis ſibi annexum, quàm prædicationis officium. Sed nullus dicit Sacerdotem ex præcepto obligari omni hebdomade celebrare Miſſam, aut etiam in menſe; imò ex familiari inſtinctu Spiritus Sancti ſi qui totaliter abſtinent à celebrando, excuſantur, ſicut legitur in vitis Patrum, de quodam Sancto, qui ordinatus nunquam poſtea celebravit, & beatus Marcus legitur, ſibi pollicis partem abſcidiſſe, ne celebrare poſſet, diſt. 13. 4. dicit ſanctus Thomas, ut etiam refert beatus Hieronymus in Prologo ſuper Marcum: ergo multo minus prædicatio ſic eſt præcepta, quòd non prædicantes obligentur ad mortale peccatum. Sextò ſic: ſi quilibet Sacerdos teneretur ex præcepto Domini prædicare populo, tunc nullus talis, niſi ex ſpeciali diſpenſatione Domini poſſet ſe dare ſolitariæ vitæ aut religioni, cui prædicare non competit, ſed contemplativæ vacare vitæ, quæ teſte beato Gregorio ſuper Ezechielem, eſt charitatem Dei & proximi tota mente retinere, ab exteriori actione quieſcere, & ſoli conditoris deſiderio inhærere, &c. conſequens falſum, ut patet de multis Sanctis, qui mundum fugerunt in deſertum, anachoreticam vitam duxerunt; & de aliis Presbyteris religioſis, qui nunquam prædicaverunt, ſed cum Maria Magdalena optimam vitam ſeu partem elegerunt. Luc. 10.

*Gerſon de poteſtate eccleſiaſtica conſideratione. 5. tom. 1.*

*Secundum corollarium. Non obligatur quilibet ſacerdos ex præcepto Domini prædicare verbum Dei.*

*Hier. 1. Greg. in paſtorali. part. 1. c. 7. Item in moralibus l. 35. c. 13.*

*Epheſ. 4. 1. Cor. 12. 3. 1. Pet. 4. 4.*

*5.*

*S. Thom. 4. diſt. 13. q. 1. art 2. q. 1. ad 1.*

*6.*

*Gregorius in Ezech. hom. 14. circa med.*

*Luc. 10.*

Reſtat ergò ſolvere auctoritates multas, quibus probare niſus eſt Venerabilis proponens, quemlibet Sacerdotem ad prædicandum obligari ex præcepto Domini. Primò illud Matth. & Marci ultimo, & Act. 10. *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ:* & Petrus ait, *nobis præcepit Deus prædicare populo:* & Matth. 10. hos 12. miſit, & præcepit eis dicens: *euntes prædicate dicentes, quia appropinquavit regnum Dei.* Ad hos omnes reſpondeo, quod veritas eſt, quod Chriſtus præcepit Apoſtolis prædicare, ſed ex hoc non ſequitur: ergo omnibus Presbyteris & diaconibus: quia Presbyteri & diaconi non ſunt ſucceſſores Apoſtolorum, ſed ſoli Epiſcopi. Unde Pſalmiſta, *pro patribus tuis nati ſunt tibi filii.* Gloſſa B. Auguſtini, *id eſt, pro Apoſtolis Epiſcopi.* Idem patet per gloſſam Matth. 10. & eſt ſuperius deductum in ſecunda differentia poſita inter ſacerdotes curatos, & non curatos, & ut clarius hoc conſtet, notandum quod hæc verba: *Ite in orbem*, vel, *euntes in mundum univer-*

*Solutio argumenti x. contrarii ex verbis, Ite prædicate. Matth. 28. Marc. 6. Actor. 10. Matth. 10.*

*Auguſt. in Pſalm. 44.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

*universum*, & similia non fuerunt præceptivè ad quemlibet Apostolorum dicta, quod probatur. Primò, quia si non; tunc omnes Apostoli peccassent mortaliter, eo quod nullus eorum ivit in orbem universum, nec aliquis eorum prædicavit Evangelium omni creaturæ, secundùm sensum literæ; & sic fuissent transgressores illius præcepti, & sic fuissent omnes damnati. Secundò nota, quòd etiam illa verba non fuerunt dicta Apostolis singulis, per modum consilii, quia frustrà daretur consilium, quòd nullus posset, etiamsi vellet perficere; sed non fuisset possibile humano more cuicunque Apostolorum, quòd perambulasset totum mundum: ergo hoc non fuit sibi à Domino consultum. Tertiò dico, quòd illa verba non fuerunt dicta cuilibet Apostolorum simpliciter, sed omnibus simul collectivè & generaliter: in cujus signum non dixit Dominus ad quemlibet, *vade:* sed collectivè, *ite*, vel, *euntes docete*, unde licet nullus eorum, tamen omnes collectivè prædicaverunt per mundum universum, sicut & nunc, licet quilibet Episcopus, qui est successor Apostolorum, non prædicet ubique, tamen omnes simul qui in mundo sunt, ita disponunt, quòd pabulum verbi Dei ministratur populo sufficienter. Quartò, quòd illud præceptum datum est Apostolis in-
*Joan. 21.* distinctè, ut intelligerent, quòd distinctionem Petro commisisset, cui soli dixit, *pasce oves meas.* Ita & nunc dato, quòd hoc præceptum Episcopos obligaret, qui sunt Apostolorum successores, adhuc nullus eorum esset sufficienter missus ad officium prædicationis per totum mundum, quia non possunt prædicare in aliena diœcesi, si prohibeantur ab Episcopo illius loci, nisi speciali sibi committeretur auctoritate Superioris, vel à Deo missos specialiter probare se possent. Quintò concludo, quòd per illa verba *euntes docete*, non est præceptum presbyteris & diaconibus, ubique prædicare, quia sic, si non facerent, essent in statu damnationis. Insuper & omnes Carthusienses, Cistercienses, & Religiosi alii, qui nunquam prædicarent, in peccato mortali essent, quia facerent contra præceptum Christi. Et ultimò, si sic in generali obligarentur, ipsi essent magis perplexi, quò essent missi, & ad quos. Si ad universum orbem, ubi exsequerentur? & si ad omnes, quomodo idiomata scirent? & si omni tempore, quando prædicabunt, & quando cessabunt? & si ad certum locum, ubi est expressus? si ad certos, nullibi est expressum. Nam ad actum prædicandi requiruntur tempus, locus, & auditores, quæ in illis verbis generalibus. *Ite in orbem. Euntes in mundum. Ite, docete omnes gentes*, non sunt assignata. Si dixeritis, quod sunt missi ut vadant juxta suum arbitrium, quocunque eis libuerit vel videbitur, & quando, & ubi; hoc faceret infinitam perturbationem in regno Ecclesiastico, & turbarent totius Ecclesiasticæ Hierarchiæ ordinem, quod reprobatum est supra in principio ex æterna lege.

*Ad 2. objectionem. Si non evangelizavero.* Secundo adducitis Apostolum 1. Cor. 9. *Væ mihi, si non evangelizavero:* respondeo quòd meritò, ipse enim ad prædicandum fuit obligatus, & expresse ad hoc à Domino legatus. *Non*, inquit, *misit me Dominus baptizare, sed evangelizare*, quia, secundum glossam, baptisare possunt minores Presbyteri, sed ad prædicandum requiruntur
*1. Cor. 1.* homines excellentioris virtutis, prima ad Corinth. 1. sed ex hoc non habetur propositum vestrum.

*Ad 3. Verbum Dei non est alligatum.* Tertiò ad id, 2. Tim. 2. *verbum Dei non est alligatum:* dico quod hoc verbum nihil videtur facere ad propositum, quia secundum textum & glossam ad literam, quod Apostolus ibi ostendit, quòd quanquam vinculatus esset corpore, non tamen ligatus fuit in ore, quòd non posset docere præsentes verbo, vel absentes scripto, ver-
*2. Tim. 2. Job 39. Greg. lib. moralium 31. c. 25.* bum Dei sic prædicando: unde præmittit ibidem, *secundum evangelium meum, in quo laboro, usque ad vincula.* Ad hunc sensum etiam B. Gregorius exponit eandem auctoritatem 3. moralium cap. 31. super illo verbo: *vibratur enim clypeus hasta*, sic inquiens, *verbum Dei non est alligatum, quia doctores sancti pro defensione fidei supplicia subeunt, ad eandem fidem, quos valent, rapere etiam inter verbera non desistunt. Unde idem Apostolus ait: in quo scilicet evangelio laboro usque ad vincula, quasi malè operans, sed verbum Dei non est alligatum, quasi diceret, hasta quidem suppliciorum ferior, sed tamen verborum sagittas emittere non desisto, vulnera crudelitatis accipio, sed cor infidelium vera loquens transfigo. Ideo Sancti cum vulnera patienter suscipiunt, prudenter contra corda infidelium sagittas prædicationis reddunt. Unde nonnunquam agitur, ut ipsi qui in persecutione sæviunt, non tam doleant, quòd cor prædicatoris non emolliunt, quàm quòd per ejus verba etiam alios amittunt:* hæc ille.

*Ad 4. object. Quis putas. Luc. 12.* Quartò illud Luc. 12. *quis, putas, est fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?* hoc omninò non probat propositum, quia intelligitur tantùm de curatis & Prælatis, prout eam exponunt omnes postillantes. Nam Dominus multa dixit in parabolis; volens beatus Petrus scire, an istæ parabolæ tangerent omnes generaliter, vel Apostolos specialiter, quærit, dicens: *Domine ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes?* Et respondet, quòd ad eos tantum, & ad loca eorum

tenen-

Digitized by Google

tenentes: unde ſubdit, *quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, ut det illis?* Albertus non extraneis, ſed illis, id eſt, ſibi commiſſis, quibus debet principaliter intendere quilibet Prælatus: juxta illud 1. Tim. 5. *ſi quis ſuorum, & maximè domeſticorum curam non gerit, fidem negavit, & eſt infideli deterior.* Hinc eſt, quod Dominus dicit Johannis 10. *proprias oves vocat nominatim, & ante eas vadit, & oves illum ſequuntur:* hinc eſt etiam quod Paulus dicit Act. 20. *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos poſuit Spiritus S. rectores & Epiſcopos*, quaſi diceret, illis ſpecialiter tenemini, qui regimini veſtro ſunt commiſſi: hæc Albertus. Cui alludit gloſſa Bedæ: vobis qui diſpenſatores eſtis inſtituti, hoc miniſterium ſpecialiter commiſi de cuſtodia & præparatione, ut & alios & vos præparetis in adventum judicis. Et Hugo ibidem: Dominus conſtituit ſervum *ſuper familiam ſuam*, id eſt, Eccleſiam, *ut det illis*, id eſt, ſuis, quibus tenetur magis quàm alienis; ſibi enim dicitur Prov. 27. *diligenter agnoſce vultum pecoris tui.*

SÆC. XV. ANNO 1433.

*Albertus in 12. cap. Lucæ*
*1. Tim. 5.*
*Joan. 10.*
*Act. 20.*
*Beda.*
*Hugo.*
*Prov. 27.*

Quintò ad illud 2. Tim. 4. *Prædica verbum.* Reſpondeo ut ſuprà, quia Timotheus fuit Epiſcopus Corinthiorum, Ideo beatus Apoſtolus oſtendit ſibi, quod ſit officium Epiſcopi, dicens, *prædica verbum*, ſcilicet in tua plebe, quia illuc te miſi, & non alibi.

*Ad 5. object. Prædica verbum. 2. Tim. 4.*

Tunc ad auctoritates veteris teſtamenti adduxiſtis Primò illud Eſa. 58. *Clama ne ceſſes:* & quadrageſimo: *vox dicentis: clama:* ibidem, *ſuper montem excelſum*, &c. Reſpondeo, quòd iſtud præceptum Iſaiam ſolum obligat, & ipſe tenebatur hoc facere, quia ſe ſponte obtulit, dum Dominus ait, *quem mittam?* ait ille. *Ecce ego: mitte me.* Iſaiæ ſexto. Nec exemplum ejus omnes Presbyter obligat quia ipſe Presbyter non fuit, cùm eſſet de ſemine regio, ſed Presbyteri erant de tribu Levi. Sed contra hoc aſſumpſit dicens. *Et ſi quis dicat, hoc fuiſſe tantùm Prophetis præceptum, audiat Apoſtolum ad Rom. 15. dicentem: Quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt. Et Jacobi 5. Exemplum accipite fratres exitus mali & longanimitatis, laboris & patientiæ, Prophetas, qui locuti ſunt in nomine Domini.* Reſpondeo, quòd ex hoc non habetis, quòd præcepta data Prophetis, obligent diaconos & ſacerdotes Novi Teſtamenti, ſub præcepto, prædicare verbum Dei; nec dicunt hoc Apoſtoli allegati, ſed S. Paulus dicit ſic: *ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt.* Sed quæ eſt doctrina, ſubdit, *ut per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus.* Per patientiam ſcripturarum, id eſt, per exempla patientiæ in Patribus oſtenſa, quæ reperiuntur in ſcriptura ſancta, ſpem retributionis æternæ concipiamus nos accepturos, ſecundum gloſſam, & ad hoc ſonant verba B. Jacobi allegata, ubi ſic præmittitur: *Patientes ergò eſtote Fratres uſque ad adventum Domini. Ecce agricola expectat fructum precioſum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum & ſerotinum.* Poſt ſubdit, quod allegaſtis, & concludit: *ecce lætificamus eos, qui ſuſtinuerunt, ſufferentiam Job audiſtis, & finem Domini vidiſtis, &c.* Ecce quod docent nos patientiam ſervare in adverſis, & nihil ad propoſitum eſt. Illa autem auctoritas, *ſuper montem excelſum aſcende*, probat directè contrarium ejus, quod intenditis, ſcilicet non eſſe præceptum Domini, quòd ſinguli Presbyteri debeant prædicare, niſi mittantur in ſpeciali: quod oſtendens Apoſtolus ait ad Rom. 10. *quomodo prædicabunt, niſi mittantur? ſicut ſcriptum eſt, quam ſpecioſi ſuper montes pedes Evangelizantium pacem?* ubi ſecundum expoſitionem almæ matris meæ univerſitatis Colonienſis, notanter dicit *pedes*, ut denotet ordinem prædicandi auctoritatis, quæ effluere debet & provenire à ſuperioribus: vel dico, quod ad ſolos Prælatos curatos ſe extendit, de quibus B. Gregor. jam exponit in paſtorali, cap. 15. Adduxiſtis etiam Ezechielem in capitulis 3. & 33. dicentem, *fili hominis, ſpeculatorem dedi te, & ſanguinem ejus de manu ſpeculatoris requiram.* Reſpondeo, quòd ſpeculator populi propriè eſt Epiſcopus ejus: unde dicit B. Iſidorus de ſummo bono, libro tertio cap. 35.. *Speculatores cæci omnes, id eſt, imperiti Epiſcopi, non valentes reſiſtendo malis, plebes commiſſas per verbum doctrinæ defendere:* hæc ille. Quod oſtendens etiam de curatis B. Gregorius in gloſſa ait, *prædicatorem ſpeculatorem vocat, cui enim aliena cura committitur, ſpeculator dicitur, ut in mentis altitudine ſedeat, & vocabulum nominis ex virtute actionis trahat.* Item illud Lev. 10. *habeatis ſcientiam diſcernere, &c. & doceatis filios Iſrael.* gloſſa exponit de curatis, dicens, *ſacerdotum eſt docere, & ſubjectos inſtruere:* ultimo illud Deut. 31. *leges verba legis hujus coram omni Iſrael.* Reſpondeo, quòd illa auctoritas non probat, quòd omnibus ſacerdotibus conveniat ſub præcepto Domini prædicare, quia illa verba dixit Moyſes tantum Joſue, quem ſibi Dominus ſubſtituit, qui eſſet dux populi in terram promiſſionis, & ſic legeret verba legis populis, ut ſervarent, ne occiderentur ante ingreſſum in terram promiſſionis: & ſic patet ſolutio ad auctoritates, quas adduxiſtis contra correllarium meæ concluſionis.

*Ad objectiones ex veteri teſtamento. Eſa. 58.*
*Eſa. 40.*
*Eſa. 6.*
*Rom. 15.*
*Jacob. 5.*
*Rom. 13.*
*Eſa. 52.*
*Greg. in lib. paſtorali, parte 2. c. 3. & 4.*
*Ezech. c. 3. & 33.*
*Iſidorus.*
*Gregorius in Ezech. hom. 11.*
*Lev. 10.*
*Gloſſ. interlinearis ibid. Deut. 31.*

Ad auctoritates Sanctorum quas adduxiſtis, reſpondeo. Ad primam, quæ eſt B. Gregorii diſt. 43. *ſit rector:* illa ſolvit ſeipſam, quia loquitur de rectoribus, id eſt, cura-

*Ad objectiones ex ſcripris*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

curatis, & concludendo vobiscum, quòd illi debent prædicare sibi commissis: unde dicit: *sit rector:* & continuè nominat pastores in eodem capitulo: & quidquid dicit de Sacerdotibus, ipsemet de pastoribus & rectoribus intelligi ostendit. Ad secundam, quæ est B. Augustini in Prologo sermonum, dicentis, quòd sacerdotes præesse non debent, qui prædicare nesciunt, nec alii tacere debent, quod sciunt, etiamsi non præsint. Respondeo, dubito, beatum Augustinum ita dixisse; tamen dico, nequaquam est mens B. Augustini, quòd velit aliquem sacerdotem non curatum, absque missione speciali à Deo vel Prælato, prædicare, quæ etiam probari possit esse alicui commissa, prout ipsemet probat, scribens contra epistolam fundamenti, c. 3. docens, quòd quicunque vult prædicare, primò & ante omnia de ejus Apostolatu est inquirendum, dicens, „ videamus quid me doceat Manichæus, & potissimum illum librum „ consideremus, quem fundamenti epistolam dicitis, ubi totum penè continetur, quod „ creditis, certè sic incipit: Manichæus Apostolus Jesu Christi, providentia Dei patris: hæc sunt salubria verba, de perenni ac vivo fonte. Jam patienter quæso attendite, quid quæram: Non credo istum esse Apostolum Christi, quæso, ne succenseatis & maledicere incipiatis, nostis enim me statuisse, nihil à vobis prolatum temere credere. Quæro igitur quis sit iste Manichæus, respondetis: Apostolus Jesu Christi. Non credo. Jam quid dicas, aut quid facias non habebis; promittebas enim scientiam veritatis, & nunc quod nescio, cogis ut credam. *Et infra.* Quod si in Evangelio aliquod apertissimum de Manichæi Apostolatu invenire potueris, infirmabis mihi catholicorum auctoritatem, qui jubent ut tibi non credam; qua infirmata jam nec evangelium credere potero, quia nisi per illos illi credideram: ita nihil apud me valebit quidquid inde protuleris. & *infra:* illi enim, scilicet evangelio, credens, non invenio quomodo possum etiam tibi credere, Apostolorum enim nomina, quæ ibi leguntur, non inter se continent nomen Manichæi. In loco autem Judæ, qui successerit, in actibus Apostolorum legitur": hæc ille. Constat autem quod Presbyteri, ex speciali commissione non missi ad prædicandum, non sunt pro Apostolis veris acceptandi; ergo nequaquam est de mente B. Augustini, quod qui curam non habent, prædicare debeant absque vocatione speciali: intelligere ergo oportet sua verba, jam dicta, & ad Orosium in fine libri, scilicet quod qui non præsunt Presbyteri, debent disponere cum Prælato se mitti, & sic prædicare populo, si videtur congruum Prælato: unde quod dicit in auctoritate, *debent*, non est debitum necessitatis, sed congruitatis, quam distinctionem S. Thomas ponit in pluribus locis, scilicet in 4. sent. dist. 5. de ministris baptismi, art. 2. ad 1. art. Et 3. part. q. 74. articulo 5. ad 3. quia non obligantur, nisi Prælato videatur congruere. Sic beatus Apostolus adhuc Saulus, accessit ad principem Sacerdotum, & petiit ab eo litteras in Damascum, ut admitteretur contra discipulos Domini, Actor. 8. Ad tertiam, quæ est B. Hieronymi, super illo textu Ezech. 3. *dicente me ad impium*, loquitur de curatis, quia dicit, *prædicare tenetur sacerdos*, sed probatum est supra ex beato Thoma & Alberto, quòd nullus tenetur prædicare, nisi curatus: unde ostendebatur distinctio inter Presbyteros curatos & non curatos. Vel loquitur de eo, cui hoc Dominus vel Prælatus præcipit, sicut Prophetæ fecit: ostensum autem est, quod non est præceptum Domini, sacerdotes non curatos prædicare. Ad quartam, quæ est Isidori, de summo bono, libro tertio, capitulo 56. *Sacerdotes damnabuntur, si peccantes non erudiant.* Respondeo, quod ad litteram loquitur de curatis Prælatis, unde subdit circa medium capituli: *nonnulli præsules gregis quosdam pro peccato à communione ejiciunt, ut pœniteant, sed quali sorte vivere debeant, ad melius exhortando, non visitant:* & circa finem capituli dicit *notandum ab omni Pontifice vehementer, quod tanto cautius agat, quanto durius à Christo formidet judicari.* Pro quo & sequentibus sciendum, quod antiqui doctores sæpe pro eodem ponunt istos terminos: Episcopus, præsul, rector, & sacerdos seu presbyter, sicut iste hic facit in eodem cap. quia antiquitus pro eodem censebantur quoad vocabulum, licet non quoad gradum & statum, prout notat Isidorus septimo etymologiarum, exponens viginti duo nomina Ecclesiæ ministrorum, & 21. distinctione, *Cleros.* Nec pro tunc erant multi Presbyteri, nisi Episcopi, & curati seculares, clerici vocabantur Monachi, de quibus loquitur tota causa 12. q. 1. ostendit enim ibi, quòd hoc nomine Episcopus significat Patriarchas, Sacerdotes Archiepiscopos, & Metropolitanos, illud nomen Sacerdos significabat Imperatores, Reges, Episcopos, & Presbyteros, quia & Reges erant Pontifices & Sacerdotes. Unde dicit Imperatores Romanorum Pontifices dictos, quorum rationes & diversitates exponit ibidem, ita in proposito, auctoritates sanctorum eosdem terminos sæpe pro eodem sumunt, & sic non possunt trahi purè ad sacerdotes præsentis temporis, sed pro sacerdotibus Episcopi & curati plebani accipiuntur. Ad quintam, quæ est Chrysostomi homilia 44. *Sacerdotes nisi omnem veritatem manifestaverint populo, dabunt rationem in die judicii,* possem respondere ut prius; tamen respondeo, quòd *omnem veritatem*, facit distributionem

*sanctorum Patrum. ad 1. dist. 43. sit rector. c. 1. Greg. part. 2. sui pastoralis. c. 4.*

*Ad secundam Augustinus.*

*Augustin. contra epistolam fundamenti. c. 5. Tom. 6.*

*S. Thom. 4. dist. 5. q. 2. art. 2. ad 1. 3. q. 64. ar. 5. ad 3.*

*Actor. 8.*

*Ad 3. Hier. in 3. c. Ezech.*

*Ad 4. Isidorus.*

*Pro eodem sumuntur sapè Episcopus, Præsul, rector Sacerdos, Presbyter. Isido. lib. 7. etym. c. 12. dist. 21. c. cleros. 13. q. 1.*

*Ad 5. Chrys. hom. 44. in Matt. in opere imperf. tom. 2.*

Digitized by Google

tionem accommodam, & non universalem distributionem, quia nullus est Sacerdos, qui sciat omnem veritatem. Sic etiam glossa dicit super illo: *Spiritus sanctus docebit omnem veritatem*, id est, necessariam ad salutem. Tamen ultra hoc dico, quòd manifestare fit per admonitionem fraternam, etsi non semper per prædicationem publicam. Hanc distinctionem innuit glossa 1. Cor. 2. ubi dicit Apostolus, *sermo meus, & prædicatio mea non fuit in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis. Sermo*, inquit Glossa, *dicitur, qui fiebat in privato, prædicatio in publico.* Ad sextam, quæ est B. Gregorii, dist. 43. Ephes. Respondeo, quòd illa modicum facit ad rem, quia Paulus ostendit se fecisse, quod sibi præceptum fuit, scilicet denunciare Ephesiis omne consilium Dei, ita & quilibet, cui sic præceptum est, tenetur facere. Ad septimam, quæ est B. Gregorii homilia 17. *nos qui ex oblationibus vivimus fidelium*, loquitur de pastoribus, sicut ipse erat pastor universalis Ecclesiæ, ideo dicit, *nos*. Ad octavam, quæ est B. Augustini in lib. contra Manichæos loquitur de curatis, unde dicit, *qui electus ab Ecclesia ministerium evangelizandi & baptizandi renuerit*, & infra: *qui autem curam lucrandorum refugit aliorum, &c.* Ad nonam 43. dist. *dispensatio est nobis cœlestis seminis injuncta:* loquitur de Episcopis, quia dicit, *nobis*, ita ex Concilio Carthaginensi quarto. Ad decimam, *Episcopus nullam rei familiaris ad se caussam revocet, sed ut lectioni, orationi, & prædicationis verbo tantummodò vacet:* expresse de Episcopis loquitur. Ad undecimam, ex Concilio Toletano in c. *Ignorantia*, dist. 38. *sciant Sacerdotes scripturas sacras & canones & omne opus eorum in prædicatione & doctrina consistat*, loquitur ad literam de curatis, quod probatur dupliciter: primò per verba ibidem expressa, quæ sunt, *ignorantia maximè vitanda est in Sacerdotibus, qui docendi officium in populis susceperunt:* & constat, quòd illi sunt curati. Insuper per capitulum immediatè sequens, quod loquitur de plebanis, dicens, quod dum ad suas Parochias ordinantur, debent recipere librum officialem, id est, officiorum. Et ita apparet, quòd auctoritates sunt competenter & veraciter solutæ.

*Joan. 16.* *1. Cor. 2.* *Liran. Ad sextam.* *Greg. lib. 1. Ep. 33.* *Actor. 20.* *Ad 7. Greg. homil. 17.* *Ad 8. Augustinus* *Ad 9. dist. 43. cap. 5. Dispensatio* *Ad 10. Concil. Carth. 4. c. 20. dist. 88 Episcopus nullam. cap. 6.* *Ad 11. Dist. 38. c. 1. Ignorantia ex Conc. Tolet. 4. c. 24. & Arelat. 4. c. 1.*

Ex præmissis sequitur corollarium tertium, scilicet quòd non est præceptum diaconibus à Domino, ex vi diaconatus officii, prædicare populis verbum Dei, cujus oppositum posuit dominus proponens. Patet ex omnibus his, quæ præmissa sunt ad probandum hoc, Presbyteris non esse præceptum, multò minus diaconibus. Præterea 2. illud non est diaconibus præceptum, quod exequi non debent absque commissione speciali, quia nec Presbytero, ut probatum est in conclusionis deductione, ergo diacono non est prædicare præceptum à Domino, nec sibi prædicare licet, nisi probet se missum à Deo vel ejus sufficienti Prælato. Tertio sic, hoc ex doctoribus sic deducitur. Illud quod solis sacerdotibus & Prælatis convenit, regulariter hoc non est præceptum diaconibus, sed neque licet eis absque auctoritate superioris. Ita est de actu prædicationis verbi Dei, quod regulariter nulli convenit, nisi tantùm sacerdotibus, & Episcopis, ut patet 16. q. 1. Adjicimus, hoc ergo officium nec præceptum est, nec congruit regulariter diaconibus, & hoc in cap: *perlectis:* distinct. 25. Quarto dicit Hugutius, quòd diaconibus nunquam licuit prædicare, nisi cum ad officium prædicandi à Sacerdotibus fuerant invitati vel rogati, sic enim & non aliter potest diaconus prædicare licite, dist. 92. *in sancta*, & c. *diaconus.* & 11. q. 1. *sicut enim.* Quintò, idem expresse dicit Dominus Wilhelmus Parisiensis in suo sacramentali de sacramento ordinis, quod diacono non convenit prædicare ex officio, eo quod dum consecratur, sibi in porrectione Evangelii, non dicitur, Accipe potestatem prædicandi, sed, *accipe potestatem legendi Evangelium, pro vivis & mortuis.* Sextò sic, beatus Thomas 4. distinctione 6. dicit, quòd diacono non licet prædicare, sed benè baptizatum instruere, quia solius Presbyteri & Episcopi actus est prædicare. Septimò sic, beatus Dionysius quinto capitulo Ecclesiasticæ hierarchiæ distinguit diaconum à Presbytero, eo quod diaconi est purgare ante baptismum catechizando, Presbyterorum illuminare baptizando, sed Episcoporum post baptismum perficere prædicando & confirmando: ergo prædicare non convenit diacono ex officio vel præcepto. Per hæc respondeo ad ea, quæ in contrarium adduxit, scilicet auctoritatem Isidori, & habetur 25. dist. *perlectis*, & per Magistrum in 4. distinctione 24. ubi dicitur: *Sicut lectoribus Vetus Testamentum, ita diaconibus novum prædicare præceptum est.* Ad hoc respondeo primò secundùm Hugucionem ibidem, quod intelligitur cum diaconus à Sacerdote rogatur vel invitatur, ut jam dictum est. Secundò, secundum Henricum Botz & habetur *de Hæreticis*, lib. 6. c. *cum ex injuncto:* dicentem, quòd diaconus non potest prædicare, nisi ex delegatione: 3. secundùm Joannem Teutonicum in glossa c. *adjicimus*, dicit, quòd prædicare ponitur pro legere publicè, & hæc est verissima responsio, quia diacono est præceptum publicè legere Evangelium. Hoc idem affirmat Laurentius dist. 92. *in sancta*, dicens, *hoc intellige ex delegatione, alias solius Presbyteri officium est prædicare. Vel*, inquit, *hic prædicationem appellat lectionem Evangelicam.* Idem loco tertio asserit Wilhelmus Duranti in rationali divinorum, in capitulo de

*Corollarium 3. Non est præceptum diaconibus à Domino ex vi Diaconatus officii, prædicare populis verb. Dei.* 2. 3. 4. *16. q. 1. c. 19. adjicimus.* *dist. 25. c. 1. perlectis.* *dist. 93. Diaconus cap. 13. & dist. 92. c. 2. in sancta. 11. q. 1. c. 30. sicut enim.* 5. 6. *Tho. 4. dist. 6. q. 2. a. 2.* 7. *Dion. Areopagita. c. 5. eccles. hierar. dist. 25. c. 1. perlectis. Magist. in 4. dist. 24. diaconorum ordo. de hære. cum ex injuncto l. 5. tit. 7. c. 12. dist. 9. c. 2. In sancta. Duran. in rationali divinorum*

Sæc. XV. Anno 1433.

de diacono, ubi de diacono dicit, quod præceptum est sibi prædicare, id est, legere Evangelium publicè. Et nota, si sic tunc lectores haberent prædicare vetus, diaconi Novum Testamentum, & sic officium prædicationis esset multum commune, & reputationis modicæ, & divisum quoad materiam prædicandorum.

*lib. 2. c. seu rubr. 9. Coroll. 4. Congruum est multos esse Missam celebrantes, etsi non sint tot prædicatores.*

EX isto sequitur quartò, quod valde congruum est, multos esse missantes, vel missam celebrantes, etiamsi non tot sint populo prædicantes, probatur multipliciter. Primò, quia prædicatio est pro loco & tempore moderanda, & intermittenda. Sed Missa est quotidiè continuanda: ergo propositio vera. Consequentia nota: & probatur major, quia dicit B. Gregorius in quadam homilia, *dispensanda est prædicatio pro loco, tempore, & auditorum capacitate, quæ si rara fuerit, non sufficit; si assidua, vilescit, nec multis sermonibus opus est, sed efficacibus*, ait Seneca epist. 38. Insuper Salvator noster triginta tribus annis in hoc mundo fuit, & tantum prædicavit tribus, triginta annis tacens: Et ad minorem accedamus, quæ probatur primò ex doctrina communi, quæ est S. Thomæ 4. dist. 13. & Innocentii in lib. de Missa, dicentis, quòd Missa debet esse in Ecclesia quotidiè quintuplici ratione. 1. quia oportet semper paratam esse medicinam contra quotidiana peccata. 2. ut lignum vitæ semper sit in medio paradisi. 3. ut nobis Christus quotidie uniatur sacramentaliter, & nos ei spiritualiter. Quartò, ut sit apud nos jugis memoria dominicæ passionis. 5. ut vero agno, loco typici, quotidiè utamur, quem Judæi ad vesperam convertendi esurient, famem patientes ut canes, secundùm Psalmistam. Secundò, hoc statutum est propter hæresum eliminationem, dicitur namque in rationali divinorum lib. 4. cap. 1. quòd dum hæreses in diœcesi Moguntina pullularent, scilicet, qui Trinitatem impugnarent, ex institutione Alcuini Magistri Caroli Magni, Bonifacii Archiepiscopi Maguntinensis rogatu, statuentis prima feria de Trinitate dicebatur Missa, secunda de sapientia, tertia feria de Spiritu sancto, quarta de charitate, quinta de Angelis, sexta de sancta cruce, septima de beata Virgine. Cessante causa illa, cessavit & effectus: hæc ibi. Hinc est, quòd propter devotionis reverentiam, & Sacramenti necessitatem plures Sacerdotes solentes plures Missas in eodem die celebrare, sicut de sancto Leone Papa legitur, quòd eandem Missam septies, aliquando novies celebravit, ut dicit Mimatensis, ubi prius. Tertio hoc est, ut sicut in veteri testamento fuit sacrificium, ita in novo panem accipiamus quotidianum. Quartò, propter multitudinem sacerdotum, quorum major est numerus, qui habent Missas celebrare, quàm Prælatorum, qui habent prædicare. Quintò ratione populi, quia populo jam fundato in fide, major est necessitas providendi de eo, quo negligentiæ quotidianæ purgantur, gratiæ augentur, & virtutes roborantur, ad quod est virtus Missæ. Non sic de prædicatione: ergo, &c.

*Missa debet celebrari quotidie. S. Thom. 4. dist. 13. q. 1. ar. 2. q. 3.*

*Psalm 58.*

*Mimatensis l. 4. c. 1.*

1.
2.
3.
4.
5.

*Ad objectionem.*

Ad ea, quæ in contrarium adducta sunt, primò sic: Christus tantum semel missavit, & pluries prædicavit. Ergò vultis ad minus hoc concludere: quòd si Sacerdos vult sæpe celebrare, debet etiam sæpe prædicare: Respondeo, negando consequentiam, tum primò, quia si omnes Presbyteri quotidie celebrarent Missam, adhibitis debitis circumstantiis, esset valde laudabile; sed si omnes quotidiè prædicarent, esset confusibile: tum secundò, quia Christus non instituit hoc Sacramentum propter seipsum, sed propter perfectionem viatorum, ut qui manducarent eum, haberent vitam æternam. Joan. 6. ergo non oportuit eum toties celebrare, sicut prædicare. Ideo dicit Apostolus ad Hebr. decimo, *una oblatione confirmavit sanctificatos in sempiternum:* & ideo quia homo quotidie indiget salutifera ejus virtute, potest quotidie laudabiliter illud sacramentum accedere, ideo dicit Dominus Luc. 11. ubi docet petere panem quotidianum, & beatus Augustinus dicit in expositione in libro de verbis Domini: *si quotidie acceperit hoc Sacramentum, quotidie tibi est hodie, tibi hodie est Christus, tibi quotidie resurgit, hodie enim est, quando Chhristus resurgit:* hæc ille, prout dicit S. Thomas in 3. parte q. 80. art. 1. Tum tertiò, finis etsi sit primum in intentione, est tamen ultimum in consecutione. Eucharistia autem est finis ad quem omnia sacramenta ordinantur, secundum B. Dionys. sed prædicatio Christi fuit dispositio fidelium ad credendum, & ad dignè suscipiendum hoc divinissimum Sacramentum: ergò licuit sæpè prædicare pro credentium prædicatione, tantum semel missare, sicut licet finis sit unicus, tamen media ad eundem finem sæpe sunt plura. Tum quartò, quia Missa suo modo tam plena est mysteriis, sicut sol atomis, mare guttis, firmamentum stellis, & sicut cœlum empyreum Angelis, oportuit præcedere multas dispositiones prædicationum ad finaliter credendum tantum mysterium, quod per unicam celebrationem Christi est institutum. Tum quintò, quia Missam quam Christus celebravit in memoriale suæ passionis instituit; sed tantum semel mori debuit, ergo sufficienter egit, & tantum semel celebravit, sed habuit in multis locis prædicare, & multa documenta in credendo, agendo, cavendo, gliscendo, timendoque tradere, quæ non potuit unico,

*Joan. 6. Hebr. 10.*

*Luc. c. 11. August. de verbis Domini Serm. 28. To. 10.*

Digitized by Google

co actu expedire: ergo decuit pluries eum prædicare, & tantum semel missare. Sæc. XV. Anno 1433.

Secundò sic arguit dominus proponens: Inter omnia Sacerdotis officia, post vitæ justitiam, plus est laudanda prædicatio, quia longè extensius prodest; ergo diligentior, vel æquè diligens debet esse sacerdos ad prædicandum, sicut ad missandum. Respondeo, quod antecendens est declarandum, ut patet ex dictis, quia actus missandi est præceptus omnibus sacerdotibus etiam sæpè fieri, addita commoditate, Domino dicente: *hoc facite, &c. quotiescunque feceritis, &c.* Luc. 22. ubi vox, *quotiescunque* importat multitudinem missationis: etiam actus prædicationis non est omnibus præceptus à Domino. Ergo, laudabilius est sacerdotes non curatos satisfacere præcepto Domini celebrando, ad quod sunt obligati, quàm prætermissis missationibus, prædicando, ad quod non sunt astricti. Insuper 2. quia missare est actus ordinis sacerdotalis, quem singuli habent ex charactere sacerdotali, sed prædicare est actus purè jurisdictionis non coërcitivæ, ut prædictum est, magis enim astringitur Sacerdos ad id, quod sibi convenit ex vi ordinis sacerdotalis, quàm ad id quod sibi non convenit, nisi superveniat commissio jurisdictionis. Sciendum tamen, quòd in casu fortè esset laudabilius prædicare ei, qui habet auctoritatem, quàm missare, scilicet si esset populus infirmus vel infidelis, deficiens in his, quæ credere vel agere tenerentur, tum, si talis Sacerdos simul utrumque facere non posset, potius esset ei prædicandum, quàm missandum, & tunc diceretur prædicare esse melius, quàm missare; non simpliciter & absolutè, sed stante tali conditione. Et sic secundum quid, cederet perfectius, minus perfecto, scilicet in ordine ad talem populum infirmum & ægrotantem, sicut vinum licet in se sit melius, quàm aqua, tamen aqua melior est febricitanti. Veruntamen ut communiter actus missandi non repugnat actui prædicandi, immò simul stant, & unus ordinatur ad alium, sicut prædicatio ordinatur ad hoc, ut populus devotius præparetur ad audiendum Missam. In cujus signum prædicatio sæpè solet fieri infra Missam ante elevationem. Sed secundum communem formam prædicatio non est præstantior his quæ sunt ad finem, sed prædicatio est ad finem missationis, scilicet ut celebrantes devotius agant, & astantes intimius consequantur ejus fructum. Unde secundum sanctum Thomam tertia parte, quæstione 79. art. 2. ad 2. effectus sacrificii in quolibet homine participantur secundum dispositionem, sicut & cujuslibet virtutis activæ: nam actus activorum sunt in patiente bene disposito, ad quam dispositionem operatur prædicatio. Certum etiam est, quòd missatio frequentata seu quotidiana est universali Ecclesiæ necessarior, quàm prædicatio quotidiana, attenta jam vulgata doctrina fidei. Ex quo sequitur quòd ista argumentatio non valet: Christus pluries prædicavit, & tantum semel missavit: ergo salubrius est prædicare quàm missare. Nam in simili forma non sequitur, Christus sæpe manducavit, sæpe oravit, sæpe cubavit, ergo melius est orare, manducare, cubare, quàm prædicare vel missare: non sequitur iterum: Christus sæpe prædicavit, & tantum semel crucifixus est: ergo utilior est ejus prædicatio, quàm passio: quia non arguitur semper perfectio ex hoc, quod aliquid multiplicatur in sua specie magis per individua, quàm aliud: immò magis arguit imperfectionem, eo quod hujusmodi multiplicatio individuorum super quadam defectibilitate sive indigentia fundatur, quia sicut species non potest perpetuari in uno individuo, sed appetit perpetuitatem in multis sibi succedentibus, sic in corruptibilibus est hujusmodi multiplicatio, quæ tamen non est in æternis. Insuper media ordinata in finem ultimum, quæ se habent ratione utilis, multiplicantur, sed finis ultimus, qui habet rationem honesti, non multiplicatur, ut clarum est, quia potior est conditio finis ultimi, qui non multiplicatur per individua, quàm conditio mediorum, quæ multiplicantur. Ergo, & cæt.

*Ad 2. objection.*

*In casu aliquo laudabilius est prædicare quàm missare.*

Ex isto sequitur corollarium aliud, scilicet quintum. Congruit cultui divino in Ecclesiis, ut sit rationalis altarium multiplicatio. Cum enim secundum dominum Wilhelmum Parisiensem in suo sacramentali, tanta sit necessitas missationis, quòd sine illo sacrificio non esset sufficienter provisum fideli populo, nec cultui divino, hinc ut dicit S. Thomas 2. 2. q. 85. art. 2. ad tertium, *templa & altaria Sanctis erigimus, non quod ipsos, sed solum Deum, qui nobis & ipsis Deus est, honoremus, ut dicit beatus Augustinus libro* 8. *de civitate Dei: unde Sacerdos super altari offerens sacrificium, non dicit, offero tibi sacrificium Petre, vel Paule, sed Deo de illorum victoriis gratias agimus, & nos ad imitationem eorum incitamur:* hæc S. Thomas. Hæc autem altaria sic ad Dei cultum erigere Patres veteres nos docuerunt. Nam Noë primus, deinde Abraham, Isaac & Jacob, altaria ædificasse leguntur, qui non aliud nisi lapides erecti intelliguntur, super quos sacrificia mactabant, quæ suppositio igne divino cremabantur. Moyses etiam fecit altare de lignis Sethim, & dicitur altare Thymiamatis, quod vestivit auro purissimo, pro ut legitur Exodi 25. 27. 30. capitulis, & 1. Mach. 4. Judas Machabæus, & fratres ejus, & universa Ecclesia statuerunt, ut dies dedicationis alta-

*Coroll. 5. Congruit cultui divino in Ecclesiis ut sit rationalis altarium multiplicatio.*

*S. Thom. 2. 2. q. 85. ar. 2. ad 3. Aug. de civis. Dei. l. 8. c. ult.*

*Exod. 25. 27. 30. 1. Mach. 4.*



*S. Thom. p. 3. q. 79. art. 2. ad 2. simile quid habet.*

Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433. altaris ab anno in annum, per dies octo celebretur: hinc in Psalmo dicitur: *Constituite diem solennem in condensis usque ad cornu altaris*, ut videlicet in diebus festis adeo conveniat populus ad Ecclesiam, quod fiat condensatio, id est, compressio usque ad cornu altaris, ita quod Ecclesia impleatur populo & clero, ideo translatio hebraica habet, *in congregationibus*, & translatio Romana habet *in confrequentationibus*, videlicet populi Christiani, secundum expositionem de Lyra. Unde beatus Gregorius 9. moralium: moraliter *solennem namque diem Domino in confrequentationibus constituit, quisquis se assidue in ejus desiderio afflixit, qui nimirum solennitatis dies usque ad altaris cornu tendi præcipitur: quia tamdiu necesse est, ut quisque se afficiat: quousque ad superni sacrificii altitudinem, id est, gaudia pertingat æterna:* hæc ille. Salomon quoque, sicut legitur tertio Regum septimo capite, Altare aureum fabricavit. Ab his ergo antiquis Patribus altaria modernorum sumpserunt exordium. Nempe altare & ara, quæ aliquoties indifferenter inveniuntur. Interest tamen, nam altare, quasi alta res, vel alta ara dicitur, in quo Sacerdotes incensum adolebant: Ara verò quasi area, id. est, plana, de ardore dicitur, quia in ea Sacrificia ardebant. Porrò triplici ex causa hæc altaria consecrantur. Primò ad Sacramentum in ipsis offerendum, juxta quod Genes. octavo dicitur: *ædificavit Noe altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis, obtulit holocausta super altare:* hoc autem Sacramentum est corpus & sanguis Christi, quod in memoriam passionis Christi immolamus, juxta illud: *hoc facite in meam commemorationem.* Secundò ad nomen Dei ibi invocandum: unde Gen. 12. *Ædificavit Abraham altare Domino, & invocavit ibi nomen Domini qui apparuit ei:* hæc autem invocatio, quæ fit super altare, propriè dicitur Missa, ex eo, quod cœlestis missus, scilicet Christus à Patre, qui ipsam hostiam consecrat, & per eundem à nobis Patri mittitur, ut pro nobis intercedat. Tertiò, ad cantandum Missas in eo: unde Ecclesiast. 47. *dedit illi contra inimicos potentiam, & stare fecit cantores contra altare, & in sono eorum dulces fecit modos.* Ex quibus apparet, quòd objectio Domini proponentis nulla est, ubi allegat contra pluralitatem altarium illud Oseæ 8. *Multiplicavit Effraim super altaria ad peccandum:* nec illud Amos 3. *visitabo super altaria Bethel.* Et Osee 10. *tribulus ascendit super aras eorum:* quia illa dicta sunt contra eos, qui ædificabant altaria idolis, & immolaverunt Dæmoniis, & non Deo, Diis quos ignorabant, ut dicitur Deuteronomii trigesimo secundo. Nos autem non sic, sed soli Deo vero, & Sanctis ejus in gloriam ipsius, quoniam *mirabilis Deus in Sanctis suis*, dicitur Psalmo ultimo, de quibus Psalmista dicit in plurali: *altaria tua, Domine virtutum, Rex meus & Deus meus.* Psalmo octogesimo tertio, ubi dicit beatus Augustinus super illo: *Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam. Est quoddam altare sublime, invisibile, quò non accedit injustus, ad illud altare solus accedit, qui ad istud visibile securus accedit, illuc invenient vitam suam, qui in isto discernit causam suam:* & Glossa ait, *notandum, quod ad altare Missam celebraturus, Sacerdos ascendens, ait: Introibo ad altare Dei, desiderio enim & amore superioris & invisibilis altaris hoc visibile adire cum modestia debet, æterna, non caduca petiturus, ut Christi celsitudinem humilitate sequatur, qui sic istud altare exponit dicens. Ad Deum scilicet introibo, qui lætificat juventutem meam; accedo enim modo in vetustate, tunc astabo gaudens in novitate,* hæc ibi: *sic ergo offeres munus tuum ad altare* Matth. 5.

*Triplici de causa altaria construuntur.* *Gen. 8.* *Luc. 22.* *Gen. 12.* *Eccl. 47.* *Oseæ. 8.* *Amos 3.* *Oseæ 10.* *Deut. 32.* *Psal. 150.* *Psal. 83.* *Psal 42.* *Augustin. ibidem.*

*Coroll. 6. Cuicunque ex causa rationabili Papa prohibet actum prædicationis sub sententia excommunicationis tenetur obedire. Si non vult pœnam illam incurrere.*

Sextum corollarium. Cuicunque ex causa rationabili Papa prohibet actum prædicationis, vel Episcopus loci sub sententia excommunicationis, tenetur obedire, si non vult pœnam illam incurrere. Pro ista declaratione hîc sunt notanda tria. 1. quod licet Papæ, Episcopo loci vel Prælatis prohibere, ne quilibet sacerdos prædicet in locis sibi commissis, vel diacono indistinctè. 2. quòd injustè excommunicati aliquando debent obedire, & sententiam multum timere. 3. quòd talis excommunicatio jam lata non meretur dici prætensa, sed verè & obligatoriè impensa, si prædicatio ex causa rationabili alicui fuerit prohibita. Patet 1. quia tota ratio domini proponentis cur illi hoc non possint, est, quia Presbyteri & Diaconi obligantur prædicare ex præcepto Dei, & ipsi non possunt contra præceptum Dei; igitur in tali præceptione non est eis obediendum. Et audistis ex præhabitis, quod non est præceptum taliter, ergo illa ratio nulla. Et probatur corollarium, quia licet illud Papæ & Episcopis circa officium prædicationis, quod licuit Christo statuere, & prohibere, & practicare in se & suis discipulis, ideò enim dicuntur vicarii Christi in terris; sed Christus in seipso practicavit, quod quamvis Sacerdos esset à primo conceptionis suæ instanti, tamen à prædicatione triginta annis abstinuit. Insuper in suis Apostolis statim dum eos misit, circa loca, immò maximam partem mundi, eis interdixit, dicens, *in viam gentium ne abieritis:* & 72. discipulis restrinxit, ne prædicarent nisi in loco ubi ipse erat venturus, præterea & Apostolos, quos in totum mundum misit, adhuc ad certos dies prædicare prohibuit, dicens, *sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto.* Simili-

*Matt. 10.* *Luc. 10.* *Luc. 24.* *Actor. 16.* *Rom. 15.*

Digitized by Google

militer Apoſtolus Paulus volens prædicare Romanis, tandem Antiochenis, prohibitus eſt à Spiritu ſancto. Si ergo tam licite Chriſtus & Spiritus ſanctus iſtos prohibuit, ne prædicarent, quando & ubi vellent, cur non Papa ita de Presbyteris & diaconibus facere poſſet? Et hæc de primo. Secundò Papa vel Epiſcopus poteſt illud promulgare, quod dudum ſtatutum & ſervatum eſt ab univerſali Eccleſia Dei; ſed univerſalis Eccleſia ſtatuit reſtrictionem prædicantium à principio, ſcilicet in Conciliis Nicæno, Carthaginenſi, Romano, & multis aliis, ut patet 71. & 72. diſtinctionibus: ergo ſi jam hoc ad practicam ponitur, non eſt rebellandum: dictum eſt enim, quod ibi præcipitur ſub ſententia excommunicationis, non admmittendos Presbyteros alienos in Eccleſiis abſque ſufficienti teſtimonio, & licentia ſui Epiſcopi. Tertio ſic in propriis terminis iſtud ponit Innocentius tertius, & acceptavit Eccleſia Dei univerſalis, ſcilicet, quod omnes prohibiti, vel non miſſi auctoritate ſummi Pontificis, aut Epiſcopi loci, non poſſunt prædicare ſub pœna excommunicationis, & aliis remediis, ut patet ibi, *quia vero, de hæreticis, cum ex injuncto.* Aut ergo Eccleſia Dei tanto tempore à Concilio Nicæno, uſque nunc licite accepit illa ſtatuta, aut non: ſi ſic, habebo propoſitum; ſi non, ergo interim univerſalis Eccleſia ſtetit in errore, quod eſt contra Evangelium, *portæ inferni non prævalebunt adverſus eam:* iterum: *ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſeculi, & ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.*

SÆC. XV. ANNO 1433.

*diſt. 71. 72.*

*De hær. c. cum ex injuncto. 11.*

*Matth. 16. Matth. 28. Luc. 22.*

Ad auctoritates, quas in oppoſitum inducit, prima eſt Bedæ ſuper iſto: *invenietis aſinam*, dicentis, quòd hic doctoribus præcipitur non deſiſtere à prædicatione. Reſpondeo, quòd loquitur de Doctoribus Eccleſiæ, & hi ſunt, hi qui ad prædicationis officium ſunt inſtituti, ſemper præſuppoſita auctoritate legitima. Nam Doctores præcipuum tenent ordinem in Eccleſia, & ſic Doctores intelliguntur Prælati magni, in c. ex injuncto: in illa auctoritate non nominantur Presbyteri aut diaconi, ſed ſoli Doctores, unde non probat propoſitum. Ad aliam Hieronymi ad Ruſticum, dico quod loquitur de Epiſcopis, qui prohibuerunt invidia diabolica permoti, curatos in præſentia eorum prædicare propriis populis ſibi commiſſis, & hoc non licuit, ut patet diſt. 95. *Ecce ego:* nec hoc fecerunt congruitate, ſed, *invidia ſtimulante*, dicitur ibidem. Tertia eſt Anacleti 43. diſtinct. *ſcimus*, ubi dicitur, quòd doctores non debent tempore perſecutionis ſubtrahere verbum: dico quod loquitur ad literam de curatis, unde dicit Rubrica ejusdem capituli, *verba prædicationis Prælati ſuis perſecutoribus non ſubtrahant:* idem dicit gloſſa ibidem, quia in iſtis auctoritatibus, ſcilicet Bedæ & Anacleti immediatè jam expreſſis, & ſæpe pariformiter in dictis Doctorum fit mentio de Doctoribus. Reſpondeo quod loquuntur aut de Doctoribus curatis, & ſic eſt plana res, talibus enim convenit prædicare nec fugere perſecutionis tempore. Aut de non curatis, & ſic eſt duplex opinio: una, quod Doctoribus ſacræ Theologiæ convenit ubique prædicare, ratione autoritatis doctoralis, quia ſic licentiantur, auctoritate Papæ: ſicut & Epiſcopus in tota diœceſi, & hoc vult Auguſtinus de Ancona in lib. de Eccleſia poteſtate, q. 64. & hoc videtur prætendere decretal. de hæret. *cum ex injuncto*, dicens, quod doctoris ordo eſt præcipuus in Eccleſia Dei: unde prædicationis officium nullus ſibi debet uſurpare, niſi miſſus, ex quo ſequi videtur, quod in tantum ſint doctores privilegiati, quod ſint actu miſſi, & ideo gloſſ. in c. *ſcimus* diſt. 43. comparare eos videtur vel ſaltem connumerare Prælatis, qui tacere non debent, ſed prædicare tempore perſecutionis; & illius opinionis videntur fuiſſe illi doctores per proponentem allegati: ſed eſt alia opinio his contraria ſancti Thomæ in libro contra impugnantes religionem, & domini Patriarchæ de Palude in libro de Eccleſiaſtica poteſtate dicentis, quod ex doctorali gradu non habent doctores poſſe prædicare ubilibet, niſi de bonoplacito curatoris ſingulariter obtentæ, ideo auctoritates illæ non ligant. Et quid eſt tot libros voluiſſe, & Doctores allegaſſe, cum, etſi omnes doctores mundi aliter, vel taliter ſenſiſſent, ſola Eccleſiæ auctoritas, quæ toties hanc materiam decidit, quæ hanc concluſionem, videlicet, quod licet prædicare diacono vel presbytero absque licentia ſuperioris ſedis Apoſtolicæ, aut Prælati loci, & quod ipſi hoc prohibere non poſſent licite, ſub pœna excommunicationis ſententiæ condemnavit, ut oſtenſum eſt, ſufficeret ad compellendum quemlibet catholicum, ad credendum ejus oppoſitum. Sic enim B. Hieron. poſtquam longo tractu diſputavit contra Luciferianum, concluſit: *poteram hoc unico ſolo, omnium diſputationum tuarum rivulos exſiccare:* de auctoritate univerſalis Eccleſiæ loquens, ita & nos credamus, ita quæſo ſingulos, determinationem Eccleſiæ clariorem ſole accipite, ſicque omnium doctorum, qui tamen ſua dicta ejusdem ſolis eradiationi expoſuerunt exſiccanda, corripienda, & emendanda intelligite.

*Ad Hieronymum ad Ruſticum Epiſcopum Narbonenſ. diſt. 95. Ecce ego. cap. 6. Ad Anacl. ep. 1. diſt. 43. Scimus. c. 3.*

*Aug. de Ancona de Eccl. poteſtate q. 64. a. 6.*

*diſt. 43. ſcimus c. 3.*

*Thom. contra impug. religi. c. 6. Petrus de Palude de Eccle. poteſtate. a. 6.*

*Hieronom. adverſ. Luciferianum.*

Quantum ad ſecundum, ſciendum, quòd ſententia injuſtè lata dummodo à ſuo judice fiat, ſemper eſt formidoloſè timenda, & hoc niſi ejus ſententia errorem inducat, vel peccatum mortale afferat, tunc enim nec timenda eſſet, nec tenenda. Et ſic probatur propoſitio primo ex VIII. Synodo 11. q. 4. *Si quis frater aut palàm aut abſcon-*

*Sententia à ſuo judice lata, etiam injuſta, formidanda.*

*11. q. 3. ſi quis. c. 28.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

*se fuerit locutus, cum excommunicato, aut junctus communione, statim cum eo excommunicationis contrahat pœnam.* Et Urbanus Papa ibid. *Quibus Episcopi non communicant, & quos ejecerint, non recipiatis; valdè enim timenda est sententia Episcopi, licet injustè liget:* hinc ex Concilio 4. Carthag. dicitur ibidem: *clericus qui Episcopi districtionem circa se putat injustam, recurrat ad Synodum:* Joh. insuper Chrysost. super epist. Pauli ad Heb. c. 2. *vincula ecclesiastica non sunt contemnenda, non enim homo, sed Christus est, qui ligat, qui hanc potestatem dedit, & dignos fecit homines tanti honoris:* & hoc est, quod dicit B. Gregor. in principio, *sententia pastoris, sive justa fuerit sive injusta, timenda est:* gloss. *nisi in duobus casibus, scilicet cum sententia est post appellationem lata, & cùm continet intolerabilem errorem* ext. de sen. ex. c. *per tuas.* Tertium casum apponunt quidam, cum pro indebitis exactionibus aliquis excommunicatur: extra de excessibus Prælatorum: *cum ad quorundam:* unde dicunt communiter doctores, quod ideo excommunicatio etiam injusta est timenda & servanda, quia non nocet innocenti, sed purgat eum, & sic licet judex injustè agat, iste tamen justè patitur, etiamsi non servaretur, forte ille contemptus tamen, injustam faceret justam: per talem autem excommunicationem injustam non tollitur charitas, sed solum excluditur homo à communione Ecclesiæ, & à suffragiis Ecclesiæ, quæ ita Prælati subtrahere possent, ut dicit venerabilis Aug. de Ancona, in libro de Ecclesiast. pot. qu. vigesima septima, hoc ei consulendum est, ut sustineat executionem patienter, humiliter & devotè, & quod præsentet se excommunicatori, offerens canonicam satisfactionem, si in aliquo offendit, & sic instanter petat absolutionem: si ita fecerit, erit ei ad meritum, aliàs si contemneret, peccaret mortaliter: de sententia excommunicationis. c. *per tuas*, vel potest querimoniari contra injustum excommunicatorem coram suo superiori, ut allegatum est.

*Clericus. c. 30. 11. q. 3. nemo. c. 31. Chrys. hom. 4. in ep. ad Hebr. Greg. hom. 26. in Evang. 11. q. 3. sententia. c. 1. de sent. exco. per tuas. c. 11. De excessibus Prælatorum. cum ad quorundam. c. 7. Aug. de Ancona de ecclesiasti. potest. q. 27. ar. 3.*

*Sententia Ecclesiæ prohibens quibusdam prædicationem, non est pretensa, sed veraciter impensa. Anconitanus ubi supra. Sententia non formidanda. in 7. casibus.*

Quantum ad tertium, si Ecclesia universalis prohiberet Sacerdotes, ubique prædicare, vel Prælati, verbum Dei, non sit excommunicatio prætensa, sed veraciter ordinatione impensa: probatur: sicut de Papa in universo orbe, & Concilio generali, ita similiter dicendum est de Episcopo in districtu diœcesis suæ. In septem casibus communiter secundùm omnem scholam Theologorum & Juristarum, non est sententia timenda nec tenenda. Primò, si conferatur à non suo judice. Secundò, si feratur à suo judice, sed excommunicato publicè; nam excommunicatus excommunicare non potest. Tertiò, si aliquis communicetur à delegato contra intentionem delegantis. Quartò, si lata est sententia post prolatam appellationem. Quinto, si feratur à suspenso à potestate jurisdictionis. Sextò, si feratur nulla admonitione præmissa, & nullo juris ordine servato. Septimò, si sententia contineat peccatum mortale, vel aliquid, quod sit contra fidem. Planum est autem, quòd nullo istorum modorum excommunicatio ista, qua prohibentur Prædicantes, ne ubique liberè prædicent, quodcunque istorum includit; nullus enim potest causare Ecclesiam universalem esse non suum judicem, vel sententiâ excommunicationis eam esse ligatam, nec etiam sententiam esse contra intentionem delegantis, nec à jurisdictione eam per aliquem superiorem esse suspensam, vel juris ordinem non servatum, cum Ecclesia in generali Concilio congregata, nullo juris ordine positivo ligetur; nec potest sententiare errorem, vel aliquid, quod est peccatum mortale, ut præfatum est superius in declarando, quid sit verbum inspiratum, scilicet verbum Spiritus sancti per sacra generalia Concilia decretum. Pariformiter de Papa & Episcopis est dicendum, ubi nullus obviat prædictorum casuum: ergo si talis sententia excommunicationis profertur contra eos, qui ubique volunt prædicare, Ecclesiasticam tranquillitatem perturbare, & horrorem sempiternum in Ecclesia ex hoc ponere, quis dubitat, quin talis sententia non debeat dici prætensa, sed veraciter, & ex obligatione impensa?

*Coroll. 7. Sacerdotes Domini debent aliquando omittere fidelem prædicationem, propter scandalum perversorum. Thren. 2.*

Corollarium septimum, cujus etiam dedit dominus exponens contrarium. Sacerdotes Domini debent aliquando omittere fidelem verbi prædicationem propter scandalum perversorum. Pro quo sciendum, quòd ea, quæ sunt populo prædicanda, sunt in triplici differentia. Aut enim sunt credenda, ut articuli fidei, aut agenda, ut moralia Dei præcepta, vel corrigenda, ut ea, quæ sunt circa informationem bonorum morum. Fallitates ergo & errores, quæ opponuntur credibilibus, & his quæ sunt de integritate fidei, & sacræ scripturæ, prædicator tacere non debet: transgressiones verò divinorum mandatorum eodem modo tacendo & non pronunciando esse peccata damnosa, est pestis: in persona enim talium dicitur Threnorum 2. *Propheta tui viderunt tibi falsa, stulta, & non aperiebant iniquitatem tuam*, quia tales ex gravioribus leviora, quasi divina auctoritate, peccantibus nunciant, dicentes bonum malum, & malum bonum, sicut glossa ibidem dicit: sed quæ sunt circa morum informationem corrigenda, propter vitationem majoris mali, & ne auditores pejores fiant, quandoque sunt dissimulanda, ut dicit venerabilis Augustinus de Ancona, ubi supra. Ex his elicio, quòd in duobus casibus licitè potest prædicator verbi Dei tacere, &

*Glossa ordinaria.*

non

Digitized by Google

non prædicare. Primus est ad (a) prædicandum malum majus, quàm ex sermone suo sequatur bonum, puta, schisma, vel rebellio contra fidem, vel contra præcepta Dei, aut superioris: non enim licet, vel saltem non tenetur prædicator populo prædicare, quem videt finaliter magis quoad singulos (b) deservire, quàm ex sua prædicatione proficere, juxta illud Matth. 7. *nolite sanctum dare canibus*, secundum expositionem beatorum Augustini & Chrysostomi ibidem: unde dicit B. Hieronymus super 12. Prophetas, & assumitur, 11. q. 3. *Quando ergo vir Ecclesiasticus prudens atque intelligens multas impietates in ea, quæ vocatur domus Dei, esse cognoverit, & non solum multas, sed & fortes, & quæ opprimere possunt justitiam, & in tantum doctorum rabiem processisse, ut accipiant precium in judicio, & omnia pro muneribus faciant, pauperes quoque devitent in portis, & audire contemnant, taceat illo tempore, non det sanctum canibus, & mittat margaritas ante porcos, qui conversi conculcent eas, & imitentur Jeremiam dicentem, solus sedebam, quia repletus sum amaritudine:* hæc ille. Hoc etiam Dominus discipulos docuit: *In quamcunque domum intraveritis, dicite, pax huic domui: qui autem non receperit vos, exite de illa civitate, etiam pulverem pedum vestrorum excutientes*, Item, *si persecuti vos fuerint in una civitate, fugite in aliam*: unde B. Augustinus in lib. 3. contra epistolam Parmeniani, & assumitur 23. q. 4. *non potest salubris esse correctio, nisi cum ille corripitur, qui non habet sociam multitudinem cum verò idem morbus plurimos occupaverit, nihil aliud bonis restat, quàm dolor & gemitus:* & infra. *Revera, si contagio peccandi multitudinem invaserit, disciplinæ divinæ severa misericordia necessaria est, nam consilia separationis, id est, excommunicationis, tunc inania sunt & pernicioſa atque sacrilega, quia impia & superba sunt, & plus perturbant infirmos bonos, quàm corrigant animosos malos:* hæc ille. Et hoc est, quod in Psal. Dominus dicit de seipso: *obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis*, scilicet quæ non docuit, quia salubrem admonitionem recipere non poterant, qui contentionum sententiam perquirebant, secundum expositionem (c) Isidori, & *dolor meus renovatus est*, scilicet pro contemptu & obstinatione malorum, sed renovatus est pro damno bonorum, qui amittunt pastum verbi Dei, secundum Hugucionem: hoc etiam de praxi Apostolorum exponit B. Augustinus super illo Psalmi & *veritas tua usque ad nubes*, dicens, *intelligimus doctores veritatis omnes portantes istam carnem caliginosam, per quos Deus coruscat miraculis, & tonat præceptis, de quibus dicit Dominus per Isai. Mandabo nubibus meis ne pluant super eam, videlicet super vineam malam, hoc est, plebem Judaicam, imbrem, id est, mandabo Apostolis meis, ut deserant Judæos, & non evangelisent:* hæc ille. In cujus figuram sancti Paulus & Timotheus vetiti sunt à Spiritu sancto loqui verbum Dei in Asia, & tamen volebant in Bithynia, non permisit eos Spiritus S. sed misit eos ad Macedones, Act. 16. Secundus casus est, si scandalum oriatur ex doctrina prædicantis inter audientes, quod exponit Alexander de Halis in fine secundæ partis. Si omnes scandalizantur, ut dicit sanctus Thomas secunda secundæ quæstione 43. articulo septimo, quod quæ sunt de necessitate salutis, omitti non debent propter cujuscunque scandalum, sed in his quæ de necessitate non sunt, dicendum videtur, quod scandalum quod ex his oritur, quandoque procedit ex malitia; cum scilicet aliqui volunt impedire hujusmodi spiritualia bona, scandalum concitando, & hoc est scandalum Pharisæorum, qui de doctrina Domini scandalizabantur, quod esse contemnendum Dominus docuit Matth. decimo quinto. Quandoque verò scandalum procedit ex infirmitate vel ignorantia, & hujusmodi est scandalum pusillorum, propter quod sunt spiritualia opera vel occultanda, vel etiam interdum differenda, ubi periculum non imminet, quousque reddita ratione hujusmodi scandalum cessèt. Si autem post redditam rationem hujusmodi scandalum duret, non videtur nisi ex malicia esse, & sic propter ipsum non sunt hujusmodi spiritualia opera dimittenda: unde idem dicit & in 4. sententiarum dist. 38. articulo 7. quod licet nunquam sit falsum docendum, est tamen actus docendi aliquando licitè differendus propter melius, scilicet propter scandalum pusillorum præservandum, cujus rationem reddit ibidem Dominus Patriarcha de Palude dicens, quòd doctrina cum sit eleemosyna spiritualis, ad sublevandam miseriam alterius, non est dimittenda quando creditur, quòd ex ea sequitur spiritualis profectus; quando autem talis profectus non sequitur, sed magis irritatio audientis, jam non est bonum spirituale & ideo si ad tempus dimittitur, propter scandalum audientis, non omittitur aliquid, quod pro tunc habeat rationem spiritualis boni: hæc ille: & per hæc sunt soluta, quæ adducit dominus proponens pro parte sua, quia intelligitur dum scandalum nascitur de his, quæ ad salutem audientium spectant, sine quibus salvari non possent, tunc enim propter scandalum perversorum non est omittendum verbum Dei, ut dictum est, non ergo fuit tutum, illam conclusionem ponere absolute, & sine necessaria distinctione.

Ultimum corollarium dominus proponens dixit: *non solum Sacerdotes minores, sed & Prælati majores tenentur verbum Dei fideliter annunciare*, ad quod declarandum

(a) *for. præcavendum.*
(b) *for. deficere.*
(c) *alter liber Cassiodorus.*

*Matth. 7.*
*Aug. de Sermone Domini in monte. li. 2.*
*Chrys. in eum locum. hom. 24.*
*11. q. 3. quando ergo. c. 23.*
*Hieron. in Amos Prophet. cap. 15.*
*Hier. 15. Matth. 10.*
*Aug. lib. 3. cont. epist. Parmeniani c. 2. 23.*
*9. 4 Non potest c. 32.*
*Psal. 38.*
*Isidorus.*
*Psal. 35.*
*Aug. ibid.*
*Esa. 5.*
*Actor. 13.*
*Act. 16.*
*Alexan. ab Ales. part. 2. q. 169.*
*Tho. 2. 2. q. 43. art. 7.*
*Matth. 15.*
*Thom. 4. dist. 38. q. 4. art. 2.*
*Petrus de Palude 4. sent. dist. 38. q. 6.*
*Coroll. 8. Prælati & Presbyteri*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

dico, quod Prælati & Presbyteri tenentur per se vel per alios verbum Dei fideliter annunciare, non tamen ita tenentur prædicare, quin in casibus sex vel septem ad minus possint supportari. Pro quo notandum, quòd in quinque casibus Prælati majores possunt licitè omittere prædicationem verbi Dei, & per alios supplere. Primus est, si sint impeditæ linguæ, ut patet Exodi quarto de Moyse, quem Dominus constituit supremum Prælatum in Synagoga, ait: *Domine non sum eloquens ab heri & nudius tertius:* glossa dicit secundum Hebræos: *gracilem & tenuem vocem habuit. & necesse erat clamorosa voce uti, quia regio fastui prope accedere non permittebatur.* Insuper ibidem Dominus ait: *Aaron frater tuus Levites, scio quod eloquens sit, ipse loquetur pro te ad populum, & erit os tuum, tu autem eris ei in his quæ ad Deum pertinent:* ubi glossa super illo, *ipse loquetur pro te*, hic subauditur ad populum, & cum dicit ibi, *loquetur ad populum*, indicat in Moyse principatum, in Aaron ministerium. Simili de causa B. Valerius Episcopus beato Vincentio Diacono verbum Dei ad prædicandum commisit, cujus Vincentii passionem seu historiam in Ecclesia legimus, quam quidam beatum Augustinum scripsisse dicunt, ubi sic dicitur: *Vincentius nobilis genere, sed fide & religione nobilior, B. Valerii Episcopi Diaconus fuit, cui Episcopus qui impeditioris erat linguæ, vices suas commiserat, & ipse orationi & contemplationi vacabat, unde & ipse B. Valerius Vincentio ait: jamdudum tibi, fili dulcissime verbi Dei curam commiseram, & nunc quoque pro fide qua astamus responsa committo.* Secundus casus est, si nescit linguam populi plenè, sicut in vita beati Augustini dicitur, quam scripsit Possidonius Calamensis Episcopus, ut ait Cassiodorus libro de illustribus viris, dicitur enim ibi quod sanctus vir Valerius Hipponensis Episcopus ordinavit beatum Augustinum in Presbyterum, vir pius & Deum timens exultabat, & Deo gratias agebat, preces quas frequentissimè fudisset Deo, exauditas à Domino narrabat, ut sibi concederetur talis, qui posset verbo Dei & doctrina salubri Ecclesiam Domini ædificare, cui rei se homo natione Græcus, minusque lingua latina & literis instructus, minus utilem prævidebat. Ideo eodem Presbytero, scilicet B. Augustino potestatem tradidit coram se & Ecclesia Evangelium prædicandi, & frequentissimè pertractandi contra usum quidem & consuetudinem Affricanarum Ecclesiarum: hæc ibi: sic enim B. Augustinus adhuc vivente Valerio non successit, sed ei accessit. Septima, quæst. 1. *non autem.* Tertius casus, si sit infirmus, vel nimis senex, tunc enim per sacerdotes prædicatio & alia opera sacerdotalia expleri possent, sed pontificalia per Episcopos vicinos, non enim propter infirmitatem debet Episcopus deponi, ne afflictio afflicto superaddatur, sed per alios suppleri, quæ per eum minimè possent perfici, ut probatur auctoritatibus multis. septima, quæst. 1. *scripsit mihi*, & sequentibus capit. Quartus casus, si ad concordandum discordantes laborat, est enim officium Episcopi discordantes, tam clericos quàm laicos concordare, ut probatur dist. 90. per totum, ubi ex Concilio Carthaginensi quarto dicitur: *Studendum est Episcopis, ut dissidentes fratres sive Clericos, sive Laicos magis ad pacem, quàm ad judicium coerceant.* Ibidem dicit Innocentius secundus: *Præcipimus ut Episcopi ad solum Deum, & salutem populi habentes respectum, omni tepiditate semota, ad pacem firmiter tenendam, mutuum sibi consilium & auxilium præbeant, nec hoc alicujus odio vel amore prætermittatur: quod si quis in hoc Dei opere tepidus inventus fuerit, damnum propriæ dignitatis incurrat:* hæc ille. Quintus casus, quando pauperibus suis oppressis tenetur subvenire, & pietatis operibus diversis insistere, ubi verisimile est quod majorem fructum faciant, quàm si pro tunc prædicarent, de quibus distinctione octogesima quarta *pervenit*, & capit. sequenti, & distinctione 86. ubi scribit beatus Gregorius Marinianum Episcopum excitandum, quod videbatur obdormivisse, & quod patientibus non succurrebat, nec alienam miseriam, propriam credebat, & distinctione 80. per totum: exhortantur Episcopi defendere oppressos, & resistere oppressionibus omnium ad se confugientium. Idcirco gloss. 3. Reg. 5. ubi litera habet, quòd Adoniram erat super hujusmodi indictionem:

„ fuerunt enim Salomoni septuaginta millia eorum, qui onera portabant, & octoginta millia latomorum in monte, absque præpositis, qui præerant singulis operibus, „ numero tria millia & trecenta, præcipientium populo, *dicit:* Adoniram, Dominus „ meus excelsus, hoc est, Christus, qui operariis templi præponitur, ut ordinet quibus mensibus ad operandum exeant, quibus ad curandum domum suam redeant, „ cum prædicatorum mentes familiarius informat, ut discernant quando oporteat Ecclesiam ædificare prædicando, vel alia officia præstando, vel quando ad conscientiam suam examinandum, aut quasi ad propriam domum inspiciendam reverti, ut „ orationibus & jejuniis superno inspectore & visitatore digna sit". Et subdit gloss. „ notandum autem quod pars in monte lapides scindebant, pars onera portabant, diversa enim sunt dona spiritus, & quidam majorem docendi, & protervos arguendi constantiam habent, quidam mitiores ad consolandos pusillanimes existunt: quidam utraque virtute præditi ad opus domus Domini conveniunt": hæc ibi. Ex quo

*tenentur per se vel per alios verbum Dei fideliter annunciare, non tamen ita tenentur prædicare, quin ad minus in casibus aliquot possint supportari.*

1. *Exod. 4.*

2.

*7. q. 1. non autem. cap. 12.*

3.

4.

*7. q. 1. scripsit mihi. c. 1. & seqq. dist. 90. per totum & studendum est. c. 7. ibid. c. 11.*

5.

*dist. 84. pervenit. c. 1. dist. 86. Fratrem nostrum c. 6. dist. 86. per totum.*

*3. Reg. 5.*

*Gloss. ordinaria ibidem.*

Digitized by Google

quo patet, quòd Episcopi & Prælati ritè à prædicationis actu sunt excusati, dum tamen variis & arduis pro sibi commissarum ovium & rerum occupantur distractionibus. Sextus, si Episcopus insistit sacræ scripturæ studio seu expositioni, ut ex S. Thoma constat, quia tunc proficit pluribus, & prædicatores docet aliis prædicare: dicit enim in quodlibetis, quod licet in casu necessitatis salubrius sit Episcopis & Doctoribus, relictis propriis officiis saluti animarum particularium intendere, sed tamen simpliciter magis est utile & meritorium sacræ Theologiæ studio insistere, & circa doctrinas popularium non intendere. Nam ratio demonstrat, quòd melius est eos erudire de pertinentibus ad salutem, qui in se & in aliis perficere possunt, quàm his, qui tantum sibi prosunt. Insuper in quolibet artificio videmus, quòd semper melius habet, qui disponit de artificio, & dicitur architector, quàm alii qui manu operantur, unde ipse etiam majori precio conducitur. In ædificio autem spirituali sunt quasi manuales operarii, qui particulariter insistunt curæ animarum, puta Sacramenta ministrando, vel aliquid hujusmodi particulariter operando: sed quasi principales artifices sunt Episcopi & Doctores, qui impetrant & disponunt, & docent alios, qualiter operari debeant. Sic ergo simpliciter melius est docere sacram scripturam, quàm intendere prædicationi, nisi bona intentione fiat: unde 2. Tim. 2. *hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere*, & quasi hos casus simul comprehendit capitulum *inter cætera*, dicens de officio judicis ordinarii, libro primo, *inter cætera, quæ ad salutem animarum pertinent populi Christiani, pabulum verbi Dei permaximè noscitur ei perneccessarium, quia sicut corpus materiali, ita anima spirituali cibo nutritur, eo quod non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei: unde cum sæpe contingat, quod Episcopi propter suas occupationes multiplices, vel invalitudines corporales, aut hostiles incursus, seu occasiones alias, ne dicamus defectum scientiæ, quod in eis reprobandum est omninò, nec de cætero tolerandum, per seipsos non sufficiunt ministrare populo verbum Dei, maximè per amplas diœceses & diffusas: generali constitutione sanximus, ut Episcopi viros idoneos, ad sanctæ prædicationis officium salubriter exequendum assumant, potentes in opere & sermone:* & infra. *Unde præcipimus tam in cathedralibus, quàm in Ecclesiis conventualibus, viros idoneos ordinari, quos Episcopi possint coadjutores & cooperatores habere, non solum in prædicationis officio, verum etiam in audiendis confessionibus & pœnitentiis injungendis, ac cæteris quæ pertinent ad salutem animarum.* Ad ea, quæ in oppositum allegavit dominus proponens, scilicet quod in primitiva Ecclesia tam Apostoli, quàm septuaginta duo discipuli per se prædicabant, & in locum eorum nunc Episcopi & inferiores Presbyteri successerunt, ut dicit Anacletus, dist. 21. *in novo.* Respondeo, quod verum est, quod in loca eorum successerunt, non tamen sequitur ex hoc, quod sicut ille personaliter per mundum discurrerunt, & ubique prædicaverunt, ita & isti facere teneantur, sed sufficit quod in casibus præscriptis per alios idoneos ad hoc deputatos fiat, & ita quilibet in sua diœcesi provideat, ut patet ex dictis.

SÆC. XV. ANNO 1433.

6. *S. Thom. quodlib. 1. q. 7. a. 4.*

*2. Tim. 2.*

*De officio judicis ordinarii: Inter cætera. c. 15. Matth. 4.*

*dist. 21. in novo c. 2.*

## *EPILOGUS hujus lectionis conclusivus est hic.*

UT sciant volentes quid de præsenti actu secum auferant, ista ex jam dictis eliciuntur. Primum, quòd non ratione ordinis sacerdotalis, sed ratione non coercitivæ jurisdictionis, competit pluribus Presbyteris actus publicæ prædicationis: quia officium prædicationis, sic est à sacerdotio distinctum, quod non omnibus Sacerdotibus competit, & etiam aliis, quàm Sacerdotibus competere ex speciali commissione poterit. 1: Secundum, quod non est præceptum Domini, quemlibet Presbyterum liberè prædicare verbum Dei, quia multi sancti fuerunt, qui tamen nunquam prædicaverunt: nec omnes Presbyteri succedunt Apostolis, nisi tantum Episcopi, his solis præcepit Deus prædicare Evangelium regni Dei. 2: Tertium, decuit Christum sæpè prædicare ad instruendum populum in credendis & in agendis, & tantum semel celebrare ad instituendum hoc mysterium in commemorationem unicæ suæ passionis. 3: Quartum, si esset populus adhuc infidelis & convertendus, fortè ibi esset necessarior prædicatio, quàm missæ celebratio; ubi ambo simul fieri non possent: sed considerata jam fide divulgata universalis Ecclesiæ pro salute tam vivorum, quàm mortuorum, utilior est Missæ celebratio, quàm prædicatio. 4: Quintum, convenit divini cultus augmento, esse pluralitatem altarium rationabilem, in statu Ecclesiastico, non ut Sanctis vel idolis immolemus, sed ut verum Deum glorificemus, & in Sanctis ejus laudemus. 5: Sextum, ut quicunque non vult sententiam excommunicationis incurrere, cessat velle prædicare ubique, si prohibitus sit à sufficienti Prælato Ecclesiæ, quia talis sententia per multa generalia Concilia est dictata, nec interim erravit universalis Ecclesia 6:

Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433. 7. 8. 9.

cleſia ſancta. Septimum eſt, excommunicationis ſententia etiam injuſtè lata eſt timenda, ne ex contemptu fiat valida. Octavum, propter ſcandalum perverſorum ſæpè eſt prætermittendum Dei verbum, præſertim in eo, qui prædicare non eſt obligatus, aut in his, quæ (a) ſunt de neceſſitate ſalutis. Nonum, Epiſcopi & Prælati majores non ſunt ſic ad prædicandum obligati, quin ex certis cauſis ſint ſæpius rationabiliter ſupportati. Finaliter eſt veritas articuli, ſcilicet, quòd Sacerdotes & Diaconi ſinguli & indiſtinctè non debent liberè & ſine impedimento prædicare verbum Dei. Hæc quæſo, chariſſimi domini, accipite *in corde bono*, per fidem illuminantem credendo, & *optimo*, per gratiam juſtificantem retinendo, tenendo corde bono, & perficiendo opere, ut fructum reportemus *in patientia*, veræ pacis exiſtentia, pacis entia, cum vobis ipſis; pacis ſcientia, cum proximis; pacis encœnia cum Deo & omnibus Sanctis ejus. Sic nunc finaliter pacem Chriſti opto vobis, quam obtulit ſuis diſcipulis reſurgens ex mortuis in gloria immortalitatis, quam nobis præſtare dignetur, cui omne genu curvatur, qui cum Patre & Spiritu ſancto regnat per ſæcula.

(a) *for. non ſunt.*

*Vide ſupra initio tertii actus.*

Et quemadmodum in principio, ita nunc in fine hæc præſcripta hujus ſacroſanctæ Synodi offero correctioni, quemadmodum extra locum Concilii indeſinenter me ſubjeci almæ matris meæ univerſitatis Colonienſis determinationi & deciſioni.

# REPLICA
## DE
# PRÆDICATIONE VERBI DEI
## HENRICI KALTEISEN.

REverendiſſimi Patres, & domini præſtantiſſimi, excellentiſſimi Præſules, Doctores eximii, incliti Regni Bohemiæ, oratores egregii, in Chriſto fratres ſingulariter præcolendi. Etſi juxta ſacri canonis veritatem omnia ſuis debent convenire temporibus, 23. quæſtione quarta, *ſi Eccleſia:* nam *omnia tempus habent*, & *ſuis ſpaciis tranſeunt univerſa ſub ſole.* Eccleſiaſt. tertio, nihilque ſit tam *Philoſophiæ cognatum*, quàm *locis & temporibus aptare ſermones*, ait Socrates, teſte Macrobio, de convivio Saturnalium, libro ſeptimo, quia hæc vis adhibenda eſt eloquentiæ, ut orator perſonarum temporumque moderator exiſtat, *non enim ſemper & apud omnes eodem modo loquendum.* Tullius de oratore libro tertio: cum præſens tempus & locus id exigant, ut in hoc concilio ſanctorum, & congregatione, domini oratores regni Bohemiæ, qui jam contra prius per me hîc enarratam catholicam veritatem, per modum replicæ dubia nonnulla eructarunt in materia de verbi Dei prædicatione, contententur copiosè; ideo pro omni in generali noſtrum exhortatione aſſumo verba tempori currenti, & materiæ præſenti congrua, Lucæ 11. ex Evangelio currentis dominicæ exarata, *beati qui audiunt verbum Dei & cuſtodiunt illud*, ubi Beda venerabilis non tantummodo eam, quæ verbum Dei corporaliter generare meruerat, ſed & omnes, qui idem verbum ſpirituale auditu fidei concipere, & boni operis cuſtodia, vel in ſuo, vel in proximorum corde parere, & quaſi alere ſtuduerint, aſſerit eſſe beatos: in quo claret, duo eſſe congrua auditori verbi Dei neceſſaria, quorum primum eſt audientia docilis. *Beati qui audiunt verbum Dei.* Secundum perſeverantia finalis, & *cuſtodiunt illud.* Primò, inquam, auditori divini ſermonis congruit obedientia docilis, ſic enim beati, ſcilicet qui audiunt verbum Dei. Beatum namque quodlibet membrum ex hoc dicitur, quando actus ſibi proprius eſt, ſecundum optimum & perfectum ſtatum virtutis ejus, in nullo impeditus: ſic enim beati dicti ſunt oculi, qui viderunt filium Dei, Lucæ 10. & beatus venter, beataque ubera, quæ ipſum nutriverunt. Ibidem undecimo ait D. Albertus Magnus, & *verò beata ſit auris, quæ quod foris percipit auditu, fide concipit*, & *boni operis cuſtodia perficit*, S. Thomas in gloſſa continua: ſic enim, *qui audit verba mea*, & *facit ea, aſſimilabitur viro ſapienti.* Matth. 7. vir inquam ſapiens eſt Chriſtus, qui ædificat domum ſuam, id eſt, Eccleſiam ſuam ſupra petram id eſt, fidei fortitudinem; vir autem ſtultus, diabolus, eſt, qui ædificat domum ſuam, id eſt, omnes impios ſuper arenam, id eſt, inconſtantiam infidelitatis, aut ſuper carnales homines, qui dicuntur arena, propter ſteri-

23. q. 4. ſi Eccleſia. Eccleſ. 3.

*Macrobius in Saturnalibus lib.* 7. c. 1.

*Cic. de oratore.*

*Luc.* 11. *Beda.*

*Duo neceſſaria auditori verba Dei.*

*Luc.* 10.

*Albertus ibidem.*

*Matth.* 7.

Digitized by Google

ſterilitatem, & quia ſibi non cohærent, ſed ſunt per diverſas opiniones diſperſi, & quia ſunt innumerabiles. Exponit S. Chryſoſtomus ibidem, & ſequitur, *diabolo autem ſimilis eſt, qui audit verba Dei, & non facit; ea enim quæ audiuntur & non fiunt, ſeparata ſunt & diſperſa, & ideo aſſimilantur arenæ. Sicut autem domus diaboli deſtructa eſt per Chriſtum: ita & tales ſuper arenam fundati, cadunt, & eſt ruina magna, ſi quis de fundamento fidei aliquid ruinæ fuerit paſſus:* hæc Chryſoſtomus: *ſuper arenam* enim, quæ fluida eſt, & in unam copulam non poteſt redigi, *omnis hæreticorum ſermo ad hoc ædificatur ut corruat.* Beatus Hieronymus ibidem. Eſt verè magna ruina talis hominis, ſecundum omnem dimenſionem magnitudinis: longa, quia in foveam nunc culpæ, tandem in Baratrum cadet gehennæ æternæ, quæ magna eſt, quia irreparabilis, ex commento venerabilis Liræ. Ruina eſt enim hæc intelligenda magna, quia dicturus eſt Dominus audientibus, & non facientibus: *Ite maledicti in ignem æternum*, ſecundum Rabanum: lata, quoniam in fluviis blandarum & ſenſui illabentium voluptatum illecebræ ſignificantur, quibus primum fides rivis patentibus immadeſcit, poſt quas fluviorum procurſus, id eſt, graviorum per cupiditatum motus incurrit, ut exinde tota ventorum vis circumflantium deſæviat, id eſt, univerſus diabolicæ poteſtatis ſpiritus. Hilarius ibidem. „ Ruina inquam alta, quia totius fidei & omnium articu-
„ lorum colliſiva, qui enim unicum fidei articulum diſcredit, nullum ſimpliciter cre-
„ dit, ſed totam fidem abnegavit, adeo quod nec habitum fidei retinet informis, aut
„ formatæ fidei", ait ſanctus Thomas, 2.2. q. quinta, articulo tertio, cujus rationem aſſignat, dicens: „ ſpecies cujuslibet habitus dependet ex ratione formali objecti, qua
„ ſublata ſpecies habitus remanere non poteſt, fidei autem ſive formatæ aut informis
„ objectum formale eſt veritas prima, ſecundum quod manifeſtatur in ſcripturis ſa-
„ cris, & doctrina Eccleſiæ; unde quicunque non inhæret doctrinæ Eccleſiæ, quæ
„ procedit ex veritate prima in ſcripturis ſacris manifeſtata, ſicut infallibili divinæ re-
„ gulæ, non habet habitum fidei, ſed ea quæ ſunt fidei, alio modo tenet quam per
„ fidem, ſcilicet per opinationem; ille enim qui inhæret doctrinæ Eccleſiæ, tanquam
„ regulæ infallibili, omnibus aſſentit, quæ Eccleſia docet, alioquin ſi de his quæ Ec-
„ cleſia docet, quæ vult tenet, & quæ non vult, non tenet, non tam inhæret doctri-
„ næ Eccleſiæ, tanquam regulæ infallibili, ſed propriæ voluntati": hæc S. Doctor. Unde concludit, quod ſicut peccatum mortale contrariatur charitati, ita diſcredere unum articulum, contrariatur fidei: ſed charitas non remanet in homine poſt unicum peccatum mortale: ergo neque fides manet poſtquam homo unicum articulum diſcredit: & in fine dicit: *ſic eſt perfectè obedire. Sed ad perfectè obedire Deo, requiritur obſervantia omnium mandatorum ſuorum, à quo decidit quicunque unum præceptum frangit, qui enim in uno offendit factus eſt omnium reus: dicitur Jac. 2.* Adjuro igitur vos ſingulos per Deum ſanctum, per Deum vivum, per Deum verum, per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, per vulnera, & ſanguinem Chriſti, quatenus determinationi ſanctæ Eccleſiæ in credendis & agendis plenè, ſimpliciter & planè vos ſubmittatis: ipſa enim eſt regula infallibilis in terris, cujus fides non deficit. Luc. vigeſimo ſecundo, contra quam portæ inferni non prævalebunt, extra quam qui repertus fuerit, diluvio æternæ damnationis peribit, ſicut extra arcam ſalus nulli hominum fuit, ſicut patet Geneſ. ſeptimo: qui aliunde aſcendere conatur, fur eſt & latro, patibulo & rota infernalibus cruciandus, Johannis 10. ſicut de contrario beati nunc in ſpe, tandem in re, qui hoc verbum Dei audiunt, & faciunt, *non enim auditores legis tantum, ſed factores juſtificabuntur*, ad Rom. 2. *Si quis ſermonem meum ſervaverit, mortem non guſtabit in æternum.* Johann. octavo. Secundo, concluſi finaliter, quod auditori verbi Dei congruit, nedum obedientia docilis ut faciat, ſed etiam perſeverantia finalis, ne deficiat, ſed cuſtodiat illud, dicit thema: *Etenim ſervus tuus cuſtodiet ea, in cuſtodiendis illis retributio multa.* Pſalmo decimo octavo. *Cuſtodit inquam ea non ad tempus, ſi uſque in ultimum vitæ ſpacium, in tali devotione verſetur:* exponit ibidem Caſſiodorus: *ſic qui ex Deo eſt, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.* Johannis octavo. *Natura ex Deo, non vitia ex Deo, hoc enim eis dictum eſt, qui non ſolum peccato vitioſi erant: nam hoc commune erat omnibus, ſed etiam prædocti, quod non fuerunt credituri, ea fide qua poſſent à peccatorum obligatione liberari.* B. Auguſt. ſuper eodem. Sed qui ſunt hi prædocti, alio nomine præſciti? profectò qui non audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud, teſte B. Bernh. in ſermone, qui intitulatur de ſeptuageſima: ubi inter cætera ſpei noſtræ ſigna oſtendere volens, quis poſſet ſecurè confidere ſe de numero prædeſtinatorum exiſtere, inquit, „ ſic porrò inter
„ ea quæ fiduciam præſtant & materiam ſpei, unum illud maximum eſt, de quo nunc
„ cepimus loqui, qui eſt ex Deo, verba Dei audit. Nonnullos ſic interdum audientes
„ invenies, ac ſi nihil ad eos pertineant, quæ dicuntur: non intrare cor ſuum, non
„ diſcutere mores ſuos, non cogitare ne forte quod audiunt dictum ſit propter eos,
„ magis autem, ſi fortè ſermo Dei vius & efficax (qui ſuo & non ejus qui loquitur

Sæc. XV. Anno 1433.

*Chryſ. in opere imperfecto ibidem.*

*Hieron. ibidem.*

*Lira.*

*Rabanus.*

*22. q. 5. a. 3.*

*Jacob. 2.*

*Luc. 22. Matth. 16. en 7.*

*Joan. 10.*

*Rom. 2.*

*Joan. 8.*

*Pſal. 18.*

*Caſſiodorus.*

*Joan. 8.*

*Aug. tract. 42. in Matth.*

*Bern. ſerm. 1. de Septuageſima.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

„ arbitrio fertur ubicunque voluerit) si inquam manifestè adversus vitia illa proceſſe-
„ rit, quibus sentiunt seſe obligatos, dissimulant & avertunt oculos cordis, aut qua-
„ libet adinventione palliant vitia, & seducunt miseri seipsos. In his, *inquit*, salutis
„ signa non video, magis autem vereor, ne fortè propterea non audiunt verbum Dei,
„ quia non sunt ex Deo": hæc Bernardus. Cives ergo Babylon ex diabolo sunt, cives Jerusalem ex Deo sunt. Primi etsi verba Dei audiunt, non custodiunt. Secundi, si audiunt, perfectè & exactè custodiunt. Et hæc erat vera differentia inter electos & præscitos, & signa probabilia existunt. Qui enim ex Deo sunt, ita verbum Dei audiunt, quod per signa (sanctitatis) suæ prædestinationis signa pandunt, prout ex variis doctores colligunt. Primum est, si viriliter pugnantes tres hostes devincit, carnem, mundum, & diabolum, *quod enim natum est ex Deo vincit mundum.* Secundum, si in hoc mundo non civem se mansurum, sed hospitem viantem considerat, si divitiæ affluant, cor non apponens, sed de rebus hujus mundi quanto minus potest utens, semper in cœlo thesaurizans, utpote se de hoc mundo non esse recognoscens, dicens cum Apostolo, *non habemus manentem civitatem, sed futuram inquirimus.* Tertium, si ei omnia cooperantur in bonum, prospera ad timorem, adversa ad amorem, peccata peracta ad humiliationem, ut in prosperis cautior, in adversis patientior, in recordatione peccatorum in oculis suis vilior, in pœnitendo ferventior, in aliorum compassione defectuum promptior. Sic enim *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti*, ad Rom. 8. Quartum, ad dictamen conscientiæ recurrere, delicta juventutis deplangere, proprio & aliorum se judicio submittere, ne fortè rea sit peccati mortalis, ubi & in quo creditur esse justa, sicque à peccatis continere, dignos pœnitentiæ fructus agere, & ardua vitæ opera exercere, quæ summariò deducit Bernardus ex illo 1. Johannis 5. *Tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua & sanguis.* Spiritus contribulatus, aqua lamentationis, & sanguis amoris, ut intuitu Christi sanguinis contineat à peccatis: de his & similibus ibidem B. Bernardus: *quis potest dicere ego sum de electis, & ego sum de prædestinatis ad vitam? ego sum de numero electorum? reclamante scriptura. Nescit homo, an amore vel odio dignus sit. Certitudinem utique non habemus, sed spei fiducia consolatur nos; ne dubitationis anxietate cruciemur, propter hoc data sunt signa quædam & judicia manifesta sanctitatis, ut indubitabile sit, eum esse de numero electorum, in quo illa signa permanserint:* hæc ille. E contrariò, quanquam civium Babylonis filiorum præscitionis multa sunt signa, utpote, quia cuncta eis temporalia prosperè succedunt, qui ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt, sub flagellis hujus mundi non ingemiscere, sed magis indurati, velut Pharao, cujus induratum cor finaliter periit, frequens recidivatio in mortale, sicut recidivatio frequens infirmorum significat vicinam mortem, velle contentari de bonis præsentis vitæ, & æterna vita carere: tamen singulare signum quod homo ex diabolo sit, id est, ad diabolum per finalem impœnitentiam pertineat, est, quod in pertinacia alicujus peccati vel erroris perseverat, præsertim in senio, cum jam non sit spes vitæ suæ longevæ: quibus valde pertimescenda est sententia Domini Joan. 8. *In peccatis vestris moriemini*, cujus ratio subditur: *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere*, & quæ sint illa desideria subditur: *Ille enim homicida erat ab initio, & in veritate non stetit* vitæ justæ & *veritas in eo non est*, sanæ doctrinæ, secundum expositionem sancti Thomæ ibidem: sic enim qui à veritate doctrinæ seu fidei paulatim decidunt, finaliter in peccatis suis decedunt, prout illud nomen *verum* indicat, de quo quoties una litera subtrahitur, toties significatio permutatur. Unde dicitur sic metricè: (*a*)

*Signa prædestinationis.* 1. 1. *Joan.* 5. 2. *Psal.* 61. *Hebr.* 13. 3. *Rom.* 8. 4. 1. *Joan.* 5. *Bern. de* 8. *Clemente.* *Eccl.* 9. *Job.* 21. *Joan.* 8.

*Quinque placet rectis, sed quatuor altile figit.*
*Sunt tria pars anni, (a) sic duo malè sonant.*

(*a*) *for. sed male bina sonant.*

Sensus est, ista dictio *verum* habet quinque literas, & sua significatio placet rectis: sed si tollatur ultima litera scilicet M. residuæ literæ faciunt veru, quod figit altile: si tollatur quarta & quinta, scilicet V & M. manet ver, quæ est pars anni: si tollatur R cum sequentibus, non nisi ve relinquitur, in veritate non statur, sed mors in peccatis consequitur: (*b*) Ita si per M memoria. V veritas. M major prælatorum. V voluntati & imperio resistitur, & recalcitratur, mors rarò bona acquiritur: *qui enim non obedierit sacerdotis imperio, morte moriatur homo ille* Deut. decimo septimo. *Pacem ergo & veritatem diligite, ait Dominus omnipotens:* quod si feceritis, Deus pacis & dilectionis erit vobiscum, & juxta thema, beati eritis, si verbum Dei quod audieritis, opere & corde custodieritis, modo in spe, tandem in re, quod nobis concedat clementissimus Deus, qui vivit & regnat. Amen.

(*b*) *In altero libro habetur: vel si m. majorum prælatorum. v. voluntati & imperio r. restituitur. melius resistitur. B.*

In

(*a*) Hic est sensus, si sint quinque litteræ, tunc *verum* pronunciatur. Si sint tantum quatuor, efficiunt *veru*, si sint tres habetis *ver.* si duo tantum supersint, male sonant; quia dicitur ve, seu væ. BASN.

Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

INprimis circa iſtam concluſionem: *Hoc mandat Chriſtus Jeſus, ergo faciendum: Hoc prohibet Chriſtus Jeſus, ergo non faciendum*, dicit dominus Replicans, quod ſatis notabile eſt apud ſe, quod circa illam conſequentiam immoraverim, *æſtimo*, inquit, *quod cogitaverit ipſam eſſe quaſi fundamentum poſitionis meæ.* Sed ego dedi ſibi aliam cauſam in ſcriptis, utpote, quod talis modus arguendi poſſet cauſſa eſſe erroris, & ſeductionis multorum, dicentibus populis eſſe præcepta quæ non ſunt, & non eſſe quæ ſunt, & ſi benè conſidero, hoc eſt totum inter nos ſchiſma, quod vos dicitis communicare populum ſub utraque ſpecie, eſſe præceptum Chriſti, prædicare debere diaconos & Presbyteros, eſſe præceptum Chriſti, abolere omnia peccata mortalia publica, eſſe mandatum Chriſti, clerum non habere civile dominium, eſſe præceptum Chriſti: & neutrum eorum credo ego eſſe præceptum Chriſti. Et quia tanta oritura erat inter Chriſti præceptorum cognitionem diverſitas, ideo petebat Pſalmiſta, & nos ſecum petere debemus: *da mihi intellectum, ut diſcam mandata tua:* non illa decem, quæ utique ſciebat, ſed intelligere inter ea quæ videntur eſſe Dei præcepta, & non ſunt, ut ſciamus quæ ſit diſcretio & differentia, ideo, tam licet ſufficienter declaratam, adhuc circa idem reddam triplicem rationem: quarum 1. eſt, quòd non omne verbum Chriſti habens notam ſeu formam præcepti, eſt præceptum Chriſti præceptivè ſumendum: unde dicit archidiaconus 22. q. 4. „ prophetavit, *dicens*, præceptum „ Dei eſt in multiplici differentia, quandoque præcipit factum & voluntatem, ut ibi: „ diliges Dominum Deum tuum. Quandoque voluntatem & non factum, ut dum „ præcepit Abrahæ immolare filium, tamen noluit eum immolari: ubi dicit B. Am„ broſius ex lib. de Patriarchis: Non enim volebat Dominus à patre immolari filium, „ nec impleri hoc munus volebat, quia ovem pro filio immolandam obtulit, ſed ten„ tavit affectum patris: ſi Dei præcepta præferret filio: & infra. Non mittas, inquit „ manum tuam in puerum, nec facias illi quidquam, affectum tuum inquiſivi, non „ effectum exegi, tentavi mentem tuam, ſi etiam filio dilectiſſimo non parceres pro„ pter me. 22. q. 2. non enim. Tertio, quandoque factum, & non voluntatem, ut „ Exod. 6. præcepit, ut filii Iſrael accommodarent vaſa aurea & argentea ab Ægyptiis, „ non tamen voluit per hoc, ut alii exemplum ſumerent ſpoliandi, ait B. Auguſtinus „ in lib. quæſtionum, & aſſumitur 14. q. 5. dixit Dominus. Quarto, neque volun„ tatem, neque factum, utpote quando aliquid myſticum præcipit, ut ibi, ſi oculus „ tuus ſcandalizat te, erue eum, ubi non oculus erui, ſed intentio prava præcipitur „ exſcindi: Præcipit Dominus quandoque ut inſtruat, ut in cæco quem ſanavit; quan„ doque ut tentet, ut hic de præcepto Abrahæ; quandoque ut impleatur, ut ibi, di„ liges Dominum Deum tuum": hæc ille. Hinc etiam alludit eximius ille doctor antiquus generalis ordinis mei Prædicatorum Magiſter Hubertus ſuper illo verbo, *hæc igitur ſunt, quæ ut obſervetis præcipimus:* in principio regulæ B. Auguſtini, dicens, quod quædam reperiuntur in verbis divinis, quæ habent in ſe modum & intentionem præcepti, ut eſt illud, *hoc eſt præceptum meum, ut diligatis vos invicem:* quædam verò quæ habent præceptum non in modo, ſed in intentione, ut eſt illud de ſanatione ſurdi & muti Marc. 7. *præcepit eis, ne cuiquam dicerent:* quis enim audeat hoc dicere, quod intenderet eos Dominus per hæc obligare, per quod peccaſſent mortaliter prædicando miraculum plus & plus, quanto plus & plus præcipiebat, ut tacerent? hæc ille. Et infra dicit. *In Evangelio Marci 6. dicitur: præcepit eis, ne quid tollerent in via, niſi virgam tantum: illud verbum præcipiendi potius importat intentionem voluntatis, quàm veritatem præcepti: & infra ſcriptura ſacra eodem modo loquitur, & tamen quædam reputantur ſimplices exhortationes, quædam præcepta, ſicut Luc. 6. cum dicitur: ſi quis te percuſſerit ad unam maxillam, præbe ei alteram, conſilium eſt, & cum dicitur in eodem capitulo, mutuum date, nihil inde ſperantes, licet ſit idem modus loquendi, tamen eſt præceptum:* hæc ille. Patet ergo tam multipliciter oſtenſum, quod non omne verbum Chriſti habens notam præcepti, habeat voluntatem & intentionem præcepti: & per conſequens non obligat ad faciendum. Ex ſuperabundanti autem idem deducitur ex teſtimoniis utriusque teſtamenti. Primo ſic. Nam Gen. 3. Dominus præcepit protoplaſtis, dicens, *creſcite & multiplicamini, & implete terram:* & tamen noluit quemlibet hominem hoc præceptum obligare, ſed ſolum aliquos de multitudine quos tamen non expreſſit in ſpecie: unde dicit S. Thomas ſecunda ſecundæ quæſtione 152. articuli 2, ad primum argumentum: „ præceptum habet rationem de„ biti, ſed dupliciter dicitur aliquid eſſe debitum: uno modo ita, ut impleatur à „ quolibet, & hoc debitum ſine peccato præteriri non poſſit. Aliud eſt debitum im„ plendum à multitudine; multa enim ſunt multitudini neceſſaria, ad quæ implenda „ unus homo non ſufficit, ſed implentur à multitudine, dum unus hoc, alius aliud „ facit. Præceptum ergo legis naturæ datum homini de commeſtione, neceſſe eſt, „ quod ab uno quoque impleatur, aliter enim individuum conſervari non poſſet: ſed „ præceptum datum de generatione, reſpicit totam multitudinem hominum, cui ne„ ceſſa-

*22. q. 2. ſi qualibet propheta- vit.* *Ambr. l. 1. de patriarcha Abraham c. 8.* *22. q. 2. c. ſi qualibet, 12. non enim. Exod. 6.* *Aug. in lib. quæſt. exodi q. 39. 14.* *q. 5. dixit Dominus c. 12.* *Mag. Hubertus.* *Joan. 15.* *Marc. 7.* *Marc. 6.* *Luc. 6.* *Gen. 3.* *Thom. 2. 2. q. 152. art. 2. ad 1.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

„ ceſſarium eſt, non ſolum quod multiplicetur corporaliter, ſed etiam ſpiritualiter „ proficiat: & ideo ſufficienter providetur humanæ multitudini, ſi quidam genera„ tioni carnali operam dent, quidam ſpirituali, ab illa carnali abſtinentes, & con„ templationi vacent ad totius humani generis pulchritudinem & ſalutem, ſicut qui„ dam in exercitu caſtra cuſtodiunt, quidam ſigna deferunt, quidam gladiis decer„ tant: quæ omnia debita ſunt multitudinis, ſed per unum impleri non poſſunt": hæc ille. Secundò ſic: ſummum & maximum mandatum veteris & novæ legis non habet intentionem præcepti eo modo per omnia, quo habet notam præcepti, ergo non obligat ad faciendum ſecundum notam præcepti, ſed tantum ſecundum intentionem præcipientis. Aſſumptum probatur ſic: quia illud, *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & tota anima tua, tota virtute, & ex omnibus viribus tuis*, eſt ſummum præceptum & primum & maximum mandatum Domini, & tamen illud non obligat viatorem aliquem, ſecundum formam quam offert; ergo habeo propoſitum. Et aſſumptum probatur, quia ſecundum Theologos multos, quorum ſententiam complectitur dominus Petrus de Palude, Patriarcha, tertio ſententiarum, diſtinctione decima ſeptima, quæſtione tertia: illud præceptum aliquo modo præcipitur, aliquo modo conſulitur, & aliquo modo promittitur. Præcipitur enim dupliciter: uno modo, quoad habitum & præparationem animi, quia charitas parata eſt quantum & quando poteſt ex toto corde diligere. Secundo præcipitur quoad actum, dupliciter: uno modo privativè, ut homo nihil contrahat, nec contrahere animo proponat, quod charitati obviet, quod eſt ſolum peccatum mortale: Alio modo, quoad actum poſitivè, quando & quantum eſt neceſſe, aliter non. Secundo modo conſulitur, & hoc quantum ad actum charitatis, quantum eſt poſſibile, & debitis circumſtantiis obſervatis. Non enim ex præcepto tenetur homo quantum poteſt ex toto corde diligere, quia non tenetur facere omnia bona, quæ poteſt, ſed quanto plura bona fecerit, & Deum plus dilexerit, tanto melius ſibi erit: & quia conſilium datur de meliori, ideo iſto modo eſt conſilium, ſic etiam illud *quodcunque poteſt manus tua, inſtanter operare:* Tertio modo promittitur, ſcilicet quoad actum perfectum & non interruptum, ſicut enim eſt in promiſſo etiam nobis, quibus nunc non eſt in præcepto, nec in conſilio, cum ſit nunc nobis impoſſibile, quod tunc erit facile & delectabile, quando non ceſſabimus noctu dieque dicere *ſanctus, ſanctus, ſanctus*, Iſa. 6. hæc ille. Dominus noſter per verbum imperativum dicit ad Judam *quod facis fac citius* Joannis 13. & tamen noluit per hoc præcipere, ut traderet eum Judæis, aliàs Judas non peccaſſet, ſed præceptum Domini impleviſſet: unde dicit ibidem B. Auguſtinus: *non præcepit facinus, ſed prædixit Judæ malum, nobis bonum, non tam in perniciem perfidi ſæviendo, quam ad ſalutem fidelium feſtinando.* Et Chryſoſt. *hoc enim quod dicit: quod facis, fac citius, non præcipientis eſt, neque conſiliantis, ſed exprobrantis & oſtendentis, quoniam ipſe nolebat ſuam perditionem impedire*: hæc ille. Eſt ergò illa forma concedenda: *Hoc mandat Chriſtus ſub propria nota, & intentione præcepti, ergo hoc eſt faciendum.* Alioquin ſi mandat ſub nota præcepti, & non voluntate ſeu intentione præcepti, non ſemper obligat, ut ex prædictis clarè eſt deductum. Secunda ratio ad idem eſt propter multiplicitatem & æquivocam acceptionem hujus termini *mandare* vel *præcipere*, accipitur enim uno modo, prout mandare vel præcipere idem eſt quod rogare. Sic accipit beatus Gregorius 1. quæſt. 1. *filium*, dicens *filium veſtrum mandaſtis ad ſacrum ordinem promoveri.* Gloſſ. Archidiaconi: *mandaſtis id eſt, rogaſtis vel ſupplicaſtis; ſic enim minor mandat majori.* Undecima q. tertia, *Rogo*, ubi beatus Gregorius, *Rogo & moneo, ne quiſquam excommunicato præſumat communicare:* ubi, *rogo*, ponitur præceptivè, ſecundum gloſſam, *monemus quos habemus charos* 28. q. 1. *ſic enim:* ſic etiam rogare ponitur pro mandare, & mandare pro rogare, 23. q. 4. Guiliſarius. Alio modo prout mandare idem eſt, quod permittere, diſt. quinquageſima quinta, *qui partem digiti volens abſcidit, non admittitur ad ſacros ordines, ſed ſi nolens fit vel caſu, Canones præcipiunt clericos fieri*, Gloſſa Hugonis & Archidiaconi, præcipiunt, id eſt, permittunt. 31. q. 1. *hac ratione*, ubi dicit Chryſ. & eſt 1. ad Cor. 7. *hac ratione Apoſtoli præceperunt ſecundas adire nuptias, propter incontinentiam hominum*, gloſſ. *præceperunt, id eſt, permiſerunt:* diſt. quinquageſima quinta, *qui partem*, & 1. diſt. *Dominо ſancto.* Ubi Iſidorus ſcribit ad Maſſanum Epiſcopum, *illos ad priſtinos gradus canones redire præcipiunt, quos pœnitentiæ præceſſit ſatisfactio:* ubi dicit Archidiac. *præcipiunt*, id eſt, permittunt, 33. q. 2. *hoc ipſum.* Tertio modo præcipere ſeu mandare idem eſt, quod conſulere, ſic accipitur 22. quæſtione 1. *non eſt:* ubi dicit beatus Auguſtinus ſuper Epiſtolam ad Galat. *non eſt contra præceptum Domini jurare*, archidiac. *contra præceptum, id eſt, conſilium*, quia illud Matth. 5. *nolite jurare*, eſt propriè conſilium, ſecundum Bartholomeum & Laurentium, & tamen beatus Auguſtinus vocat illud *præceptum.* Quarto modo præcipere idem eſt, quod tentare, ſicut jubendo ſignificamus, quæ fieri ſæpe nolumus, ſed experimentum obedientiæ quærimus,

*Petrus de Palude.*

*Charitas præcipitur.*

*Conſulitur.*

*Eccleſ. 9.*

*Promittitur.*

*Eſai. 6.*

*Joan. 13.*

*D. Tho. in catena Chryſ. in Pal. 4. & in hom. 13.*

*1. q. 1. Filium c. 122. Greg. l. 4. ep. 3. ſeu. c. 74. 1. q. 3. Rog. c. 25. Greg. in reg. l. 5. t. 148. 28. q. 1. ſic enim c. 9. 21. q. 4. Guiliſarius. c. 30. diſt. 55. qui partem. c. 6. 31. q. 1. hac ratione. c. 9. Chryſ. in opere imperf. ho. 32. diſt. 50. Dominо ſancto. c. 28. 33. q. 2. hoc ipſum. c. 11. 22. q. 1. Non eſt. c. 2.*

Digitized by Google

mus, ſicut de Abraham dictum eſt, ut patet Gen. vigeſimo ſecundo: & Richardus de duodecim Patriarchis, vigeſima ſecunda *prophetavit*. Quinto modo præcipere idem eſt quod inſtruere, ſicut Chriſtus præcepit cæcis curatis, ne cuiquam dicerent, & ipſi magis & magis miraculum prædicabant, Matth. nono ubi B. Hilarius: „ ſilentium Dominus cæcis imperat, quia Apoſtolorum erat proprium prædicare". Et beatus Hieronymus: „ Dominus quidem propter humilitatem fugiens jactantiæ gloriam, „ hoc præceperat, & illi propter memoriam gratiæ non poſſunt tacere beneficium". Et beatus Gregorius 19. Moralium: „ Quærendum autem nobis eſt, quid ſit hoc, „ quod ipſe omnipotens, cui hoc eſt velle, quod poſſe, & taceri virtutes ſuas voluit, „ & tamen ab eis qui illuminati ſunt, quaſi invitus judicatur, niſi quod ſervis ſuis ſequentibus exemplum dedit, ut ipſi quidem virtutes ſuas occultari deſiderent, & tamen ut alii eorum exemplo proficiant, prodantur inviti, occultentur ergo ſtudio, „ neceſſitate publicentur, & eorum occultatio ſit cuſtodia propria, eorum publicatio „ ſit utilitas aliena": hæc ille. Ex præhabitis ſatis patere poteſt, quare dixerim iſtam conſequentiam apud me non valere. Ex quibus etiam ſequitur, quod illud non eſt verum, quod dominus replicans hîc dixit, ſed in ſcriptis mihi non tradidit, ſcilicet quod adductum de Abraham non fuit præceptum, ſed tentatio. Probat per textum, quia dicitur Gen. 22. *Tentavit Deus Abraham:* dico, quod fuit præceptum & tentatio ſimul: non obligans, niſi ut prædictum eſt. Namque quod fuerit præceptum, præter ea quæ dicta ſunt, dicit ſanctus Thomas ſecunda ſecundæ, quæſt. 104. artic. quarto, ad ſecundum. Ideo etiam dicit textus imperativè: *tolle filium tuum, & offer illum.* Tolle & offer ſunt verba præceptiva. De cæcis curatis mecum concordat. Et ſic conſequentiam meam approbat, grates ſibi, quia in hoc ſolvit debitum, & quod dicit nos laborare in æquivoco, quia ego intelligo de mandato imperfecto, ipſe de perfecto, dubito valdè; quia hoc non probat teſtimonio ſacræ ſcripturæ, juxta regulam Hieronymi ad Demetriadem, per ipſum adductam contra Papæ auctoritatem, *Sacræ ſcripturæ teſtimonium non habens, eadem facilitate contemnitur quâ probatur.*

Anno 1433.

*Gen. 22. 22. q. 2. ſi quelibet. §. prophetavit. c. 2. Matth. 9. Hilarius. Hieron. in c. 9. Matt. Gregorius 19. moral. cap. 18.*

*Tho. 2. 2. q. 10. 4. ar. 4. ad 2.*

*Hieron. ad Demetriadem.*

De autoritate Papæ.

Conſequenter arreſtat ſe in conſequentia illa. *Papa mandat hoc, & in lege Domini ſaltem ſe expreſſe non fundat, dummodo contra mandatum Domini non præcipiat, nec contra ſacrorum generalium Conciliorum ſtatuta quædam: ergo hoc eſt faciendum.* Reſpondet: *ſecundum Hieronymum, ſcripturæ ſacræ auctoritatem non habens, eadem facilitate contemnitur, qua probatur. Conſimiliter exemplariter: Papa mandat venerandum concilium transferre ad Bononiam, ergo eſt faciendum:* hæc ille. Ad primum reſpondeo, quòd hoc multum eſt irrationabiliter dictum, quia ſummi Pontificis atque Prælatorum majorum decreta, conſtitutiones, cæteræque ipſorum ſanctiones, in prædictis jam prænarratis caſibus tanquam leges ex Dei auctoritate derivatas, debemus venerando atque obediendo ſuſcipere, non illas redarguere, aut humano ſenſu diſcutere, prout alma mater mea univerſitas Colonienſis deducit hoc modo: primò ductu naturalis luminis; unumquodque enim poteſt ea, ad quæ ejus poteſtas aut auctoritas ſe extendit, propter quod videmus quod principes ſuper communitates in ſubditos ferunt leges, jura & ſtatuta, cum poteſtate coactiva imponentes ea ſubditis ſervanda. Cum igitur Chriſti vicarius Papa, & alii rectores ſupplent vicem Chriſti, poteſtatem auctoritatis non amittendo, quamvis forent peccatores; concluditur clarè, quod eorum ordinationibus tanquam à Deo emanantibus, reverenter ſit obediendum. Cui alludit alia regula formoſa. Nam qui dat principale, dat acceſſorium annexum. Et rurſus alia regula dicit: cujus eſt finis, illius eſt diſponere de mediis ad finem. Cum igitur rectores communitatis inſtituuntur ad pacificandum vitam ſubditorum adinvicem, hoc autem requirit quod eis præfigatur aliqua regula ſeu diſciplina vivendi, contingit autem hoc per conſtitutiones pro legibus latas à rectoribus; eadem igitur neceſſitate, quælibet communitas requirit rectores & leges, ſeu conſtitiones ab eis latas, pro felici vita communitatis.

Præmiſſæ veritati correſpondet illud antea ex Evangelio commemoratum, *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi, omnia quæcunque dixerint vobis, facite:* volens Salvator expreſsè, quòd ordinationes ſeu conſtitutiones ſuorum Prælatorum, ſubditi teneantur recipere, & vivendo ſecundum eas converſari, tendit etiam ad idem, quod Dominus Petro ait: *Tibi dabo claves regni cœlorum. Quodcunque ligaveris ſuper terram, &c. etiam quodcunque ſolveris ſuper terram erit ſolutum & in cœlis.* Ac ſi diceret, mandata & ſtatuta, quæ manant ex auctoritate tua, ex eo debent haberi canonica, quia verius emanant ex poteſtate mea: qua in re memoriter eſt attendendum, quod Chriſtus fuit novæ legis inſtitutor, veterem implens; ceſſaverunt autem legalia & judicialia, remanentibus præceptis moralibus veteris legis, quæ obligant non ex vi illius legis, ſed ex vi inſcriptionis eorum in cordibus noſtris, ſecundum illud Apoſtoli ad Romanos ſecundo, *Cum enim gentes, quæ legem non*

*Matth. 23.*

*Matth. 16.*

*Rom. 2.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

*non habent, naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Dominus ergo continuat moralia præcepta in nova lege, superaddit autem sacramenta & consilia, non autem instituit aliqua præcepta judicialia, hoc autem, quia mysterio non vacat, obnixius perpendamus: nam hoc ipso nos scire voluit, quod Prælatis & Principibus commisit instituere tales ordinationes, circa suos, prout pensatis locis & personarum conditionibus, & aliis circumstantiis videntur congruere & expedire: unde Luc. 10. dicitur, *qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Ex quo planè sequuntur corollariè: 1. divinæ voluntati illos repugnare qui decreta, decretales, cæteraque ordinationes aspernantes, tanquam auctenticas renuunt recipere & honorare. Nam auctoritas Prælatorum à Deo est, & sic per idem est repellere Prælatos, & Dei auctoritatem. 2. est, quod nullus potest se legitimè ab obedientia Papæ in prædictis casibus subtrahere, quod patet: nam Salvator Dominus noster Jesus Christus per suam passionem meruit judiciariam potestatem super omnem creaturam: juxta illud Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra:* unde glossa dicit, super illo verbo Psalmi: *Dominabitur à mari usque ad mare*, id est, à quolibet fine terræ diffundetur, & tam latè dilatabitur Ecclesia. Vicarius autem Christi est Papa, unde nullus potest se subtrahere ab obedientia ejus de jure, sicut nullus potest se de jure subtrahere ab obedientia Dei. Sed sicut Christus recepit à Patre ducatum & sceptrum Ecclesiæ gentium, ex Israel egrediens, super omnem potestatem & principatum, super omne quodcunque est, ut ei genua cuncta curventur; sic ipse Petro & ejus successoribus plenissimam potestatem commisit, ut dicit Cyrillus Patriarcha Alexandrinus in libro thesaurorum. Tertium est, quod Papæ etiam apertè malo, in fide tamen firmo, quamdiu toleratur ab Ecclesia, est obediendum, quod probatur: *obedite*, inquit Papa Petrus, *præpositis vestris, non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis:* quam auctoritatem dominus Replicans nuper negavit, & per consequens erravit: & probatur propositio dupliciter, primo auctoritate alia prædicta. Nam super illo ad Rom. 13. *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit:* dicit glossa: *potestatibus bonis & malis, in eo quod sublimiores sunt, obediendum est:* si ergò obedientia & subjectio debetur alicui ratione potestatis sublimioris, quamdiu durat in Papa talis sublimior potestas, tamdiu debet permanere effectus. Secundò probatur hoc, ratione. Nam potestas prælationis est donum gratiæ gratis datæ, non donum gratiæ gratum facientis. Sed tale donum gratiæ gratis datæ, non tollitur in Papa per aliquod peccatum, nisi solum per unum, puta per crimen hæresis, ut suprà dictum est: per tale enim peccatum solum Papa desinit esse Papa. Sed per cætera alia peccata potestas prælationis in eo non tollitur, quia cum sit donum gratiæ gratis datæ, non tollitur per peccatum, si peccato directè non opponitur.

*Divina voluntati repugnant qui decreta Pontificum respuunt.*

*Luc. 10.*

*Matth. 28.*

*Psalm 71.*

*Cyrillus.*

*1. Pet. 2.*

*Glos. interlin. ibidem.*

Ad secundum respondeo, quod ex mea forma non sequitur: *Papa transtulit ad Bononiam, ergo faciendum:* quia addidi directe, *modo contra quædam generalium Conciliorum decreta non mandaret*, de quorum numero est Concilium sacrum Constantiense, quod in capitulo *frequens* illam translationem prohibuit: prout clarè & latè in responsione data per præsens sacrum generale Concilium primis ambasiatoribus Papæ videre potestis.

Consequenter replicans invehit contra hoc quod dixi, quod Papa propter admirandæ suæ potestatis excellentiam prope Christum attingit, dicens, quod hoc verum est, sicut distat cœlum à terra, & sicut attingit terra prope cœlum: ego autem ostendam meum dictum esse verum. Pro quo sciendum, quod ex scriptis meis non habetur, Papam esse æqualis potestatis cum Christo, sed quod summam in terris habeat jurisdictionis potestatem. Unde secundum Grammaticos, *propè*, est adverbium positivum, comparatur propè, propius, proximè, ut dicit Catholicon. Unde dico, quod litera, propè, non dicit æqualitatem, nec paritatem, sed quandam appropinquitatem excellentioris similitudinis & jurisdictionis. Isto modo dicit beatus Augustinus in libro confessionum. *Duo enim fecisti Domine, unum propè te, scilicet angelicam creaturam, & aliud prope nihil, scilicet materiam ipsam primam:* sed clarum est, quod nec Angelus est æqualis Deo, nec materia nihil. Sed ratione similitudinis & proportionis majoris dicitur prope Deum Angelus, quia inter omnes creaturas Deo similior in participatione suæ bonitatis, in esse naturali: & ideo dicit Ezechiel, *tu signaculum similitudinis*, quod exponens dominus Albertus dicit, *sigillum fundatum:* materia verò prima, ratione potentialitatis & exspoliationis actualitatis dicitur prope nihil. Et sic bene dixi, quod ideo Papa prope Christum attingit, quia quidquid potestatis, quidquid gratiæ sacramentalis, quidquid dispensationis cœlestis, à Christo capite Ecclesiæ commissum est, ipsa etiam Ecclesia dispersa, & Papa in fide non errante, totum est ejus dispensationi commissum. Pro quo sciendum, quod Petrus successit Christo, non quod ipse esset Christus; succedit enim unus Papa alteri, & uterque est Papa, nec

*Papa summam habet in terris jurisdictionem.*

*Aug. 12. lib. confess. c. 8. & seqq.*

*Ezech. 28.*

Digitized by Google

nec unus altero major, sed Petrus non successit Christo in persona: Non enim dicimus quòd sint plures Christi, quorum unus succedat alteri. Nam etsi sunt, qui dicantur Dii, sive in cœlo sive in terra, siquidem sunt Dii multi & domini multi: nobis tamen non est nisi unus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illo, & unus Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum, ut dicit Apostolus prima ad Corinth. octavo. Succedit ergò Petrus Christo, & quilibet alius Papa succedit sibi, ut vicarius ejus, in officio & potestate jurisdictionis Ecclesiasticæ, non in persona. Ad sciendum autem, quomodo potestas Papæ prope Christum attingit, ita quòd ei nulla in terris potestas comparari potest, dico quòd triplici majoritate. Potestas Papæ major omni alia auctoritate Ecclesiastica, Ecclesia segregata. Et primò majoritate auctoritatis. Dignitate quidem major est potestas Papæ omni alia, quia sicut dicit beatus Ambrosius, & ponitur nonagesima sexta distinctione 96. *Duo sunt:* quippe aurum non tam preciosius est plumbo, quàm regia potestate est altior dignitas sacerdotalis: videmus enim colla regum & principum submitti genubus Sacerdotum; & ab eis benedici & inungi. Et secundùm Apostolum ad Hebr. 7. absque ulla contradictione verum est, quòd semper qui minor est à majore benedicitur: patet enim hoc per Hugonem de S. Victore 2. libr. de Sacramentis, parte 2. ubi distinguit duplicem potestatem, spiritualem & secularem, & subdit, quantum vita spiritualis dignior est quàm terrena, & spiritus quàm corpus, tantum spiritualis potestas terrenam potestatem, sive secularem honore & dignitate præcedit. Secundò potestas Papæ est major omni alia potestate majoritate causalitatis, quia ejus potestas causat omnem aliam potestatem examinando, confirmando & judicando: unde dicitur 22. distinctione, quòd cujuslibet ordinis dignitatem & potestatem Romanus Pontifex habet instituere & confirmare: ejus verò potestatem solus Christus fundavit & confirmavit: nullius namque potestatis electio temporalis vel spiritualis est ipsius confirmatio, nisi solùm electio ipsius Papæ vel de auctoritate ejus. Tertiò, potestas Papæ est major omni alia auctoritate, quia nullius Imperatoris, Regis, vel alterius leges seu statuta alicujus roboris seu dignitatis esse censentur, nisi quantum sunt per auctoritatem Papæ confirmatæ & approbatæ: unde dicit Augustinus & ponitur 9. dist. quòd quicunque legibus Imperatorum, quæ pro voluntate Dei feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande supplicium: quicunque autem legibus Imperatorum, quæ contra legem & veritatem Dei feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande præmium: namque tanta est auctoritas Ecclesiæ & Romani Pontificis, ut Augustinus dicit contra epist. fundamenti, *Ego nunquam crederem Evangelio, si non crederem Ecclesiæ*, id est, si me auctoritas Ecclesiæ non compelleret.

SÆC. XV. ANNO 1433.

*Potestas Papæ quomodo major aliis.*

1. *dist. 96. Duo sunt.*

*c. 10. Ambr. de ja ero dotali dignitate c. 2. Hebr. 7. Hugo de S. Victore, de Sacramentis. p. 2. q 4.*

2.

*dist. 22. omnes. cap.*

3.

*dist. 9. Imperatores. Aug. ad Bonifaci. epist. 50.*

*Aug. con. ep. Fundamenti. c. 5.*

DE hinc ubi dixi, Papam sanctissimum & beatissimum, etiam in moribus malum, distinxi de duplici sanctitate, scilicet innocentiæ & sacramentali. Ego dico addendo speciem tertiam, quæ trifaria est, scilicet, status, religionis, & æquitatis publicæ. De sanctitate status dicitur dist. 40. *non nos.* Symmachus Papa, *quis enim sanctum esse dubitet, quem apex tantæ auctoritatis attollat? in quo si desunt bona acquisita per meritum, sufficiunt quæ à loci prædecessore præstantur. Aut enim claros ad hæc fastigia erigit, aut qui eriguntur, illustrat:* hæc ille: ubi dicit Archidiaconus, & concordat gl. quòd sufficit, quoad subditos, eum reputare sanctum, nisi constet de contrario: unde non refertur sanctitas ad (a) eum, sed ad æstimationem bonorum subditorum. De secundo, scilicet sanctitate Religionis, ostendit sanctus Thomas secunda secundæ, q. 81. art. ultimo, quod sanctitas idem est quodammodo quod religio, dicens, „ Nomen sanctitatis duo videtur importare. Uno modo munditiam, & huic „ significationi competit nomen græcum, dicitur enim agios, quasi sine terra. Alio „ modo importat firmitatem, unde apud antiquos sancta dicebantur, quæ legibus erant „ munita, ut violari non deberent. Unde & dicitur aliquid esse sancitum, quia est „ lege firmatum. Potest etiam secundum Latinos hoc nomen, sanctus, ad munditiam „ pertinere, ut intelligatur sanctus, quasi sanguine tinctus, eo quod antiquitus illi qui „ purificari volebant, sanguine hostiæ tingebantur, ut Isidorus dicit in libro etymologiarum, & utraque significatio competit, ut sanctitas attribuatur his, qui divino „ cultui applicantur: ita quod non solum homines, sed etiam templa & vasa, & alia „ hujusmodi sanctificari dicantur, ex hoc quod divino cultui applicantur": hæc ille. De tertio, scilicet sanctitate publicæ justitiæ, dicit Andronicus Peripateticus, ut allegat eum sanctus Thomas 2. 2. q. octuagesima, articulo primo, inter cætera justitiæ annexa ponit sanctitatem, quia promulgatores justitiæ publicæ sancti præsumi debent: ex quibus sic arguo. Omnis talis præsumi meritò debet sanctus, qui est in statu Ecclesiasticæ dignitatis elevatus, quoad primum; qui est divino cultui applicatus, quoad secundum; qui est minister justitiæ publicæ, quoad tertium. Sed Papa ut Papa, est hujusmodi in summo cujuslibet horum constitutus, ergo ipse non incongruè dici potest

*Quo sensu Papa potest esse sanctissimus & malus.*

*dist. 40. Non nos cap. 1.*

*Sanctitas status.*

(a) *alter liber ad Deum.*

*Religionis. Thom. 2. 2. q. 81. art. 8.*

*Isid. lib. 10. cap. 18.*

*Publicæ justitiæ. S. Thom. 2. 3. q. 80. a. 1.*

Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

poteſt ſanctiſſimus, etiamſi ſit in majoribus malis, donec non ſit ita judicatus, ſed ab univerſali Eccleſia toleratus.

DEinde, quia dixi, Papam eſſe putatum ſanctiſſimum ab officio ſanctificandi, dicit, quod auctoritativè nemo poteſt ſanctificare, niſi Deus, & eſt conditio Antichriſti dicere: Ego ſanctifico. & dico, quod hoc indiget declaratione, quia eſt duplex ſanctificatio, auctoritativa, ſcilicet formalis, & illam ſolum Deus cauſat: & ſic verum eſt, quod dicit. Alia inſtrumentalis, quæ dicitur ſanctificatio pontificalis, ſeu ſacerdotalis, & illa convenit iſtis, nec eſt conditio Antichriſti, ita dicere ſacerdotes ſanctificare. Unde Auguſtinus libro ſecundo de baptiſmo parvulorum verſus finem, *Catechumenos per ſignum Chriſti, & orationem, manusque impoſitionem puto ſanctificari, & quod accipiunt, quamvis non ſit corpus Chriſti, eſt tamen ſanctum, & ſanctius quam cibi quibus alimur, quia ſacramentum eſt:* hæc ille: & loquitur de eulogiis: & Chryſoſtomus in opere imperfecto, homilia decima quarta. *Laicus Sacerdoti panem offert, ut Sacerdos accipiens ſanctificet, & ei porrigat: quod enim panis eſt, offerentis eſt, quod autem ſanctificatus eſt, beneficium eſt Sacerdotis:* hæc ille. Idem Hieronymus ſuper Ezechielem 44. ubi dum de primitiis agit, dicit: *Primitiæ quoque ciborum noſtrorum Sacerdotibus offeruntur, ut nihil guſtemus novarum frugum, niſi Sacerdos ante guſtaverit: Hoc autem facimus, ut reponat Sacerdos benedictionem & oblationem noſtram in domo ſua, ſive ut ad imprecationem ſuam Dominus benedicat domibus noſtris:* adjungit exclamando de Sacerdotali dignitate. *Grandis dignitas Sacerdotum*, &c. Ex iſtis patet, quod licet unus ſolus ſit ſanctiſſimus, à quo omnis Sanctitas, & per conſequens omnis activa ſanctificatio originaliter, à ſanctiſſimo Deo ſit, ergo in iſtis & non in aliis omnibus conformiter, ſicuti eſt vita, veritas, virtus, &c. Tamen per medium ſacerdotii tanquam infra Deum & communem populum conſtitutum, ſanctificationem ita operatur, quòd beneficio Sacerdotis, ut dicit Chryſoſt. creaturæ etiam irrationales ſanctificationem dicuntur capere, & rationales, ut dicit beatus Auguſtinus de Catechumeno, quia magna eſt illa dignitas ſacerdotalis, ſecundum ſanctum Hieronymum, quia per ſigna & verba & orationes conſimiles, non eadem ſignificatione, ſed inſtrumentali, operari poſſunt alii ſicut ipſi. Si ergò opponens benè proſpexiſſet conſequenter, qualiter ipſi Jeſu Chriſti vicario attribuo ſanctificationis officium, non fuiſſet opus tantis ſuperfluis verbis, probando, quòd ſit conditio Antichriſti, dicere aliquem ſacerdotem ſive Prælatum: Ego ſanctifico. Nam ſanctificatio poteſt alicui attribui dupliciter: Uno modo auctoritativè, & illa eſt propria Deo, ſecundum illud Exodi trigeſimo primo: *Ego Dominus quia ſanctifico vos:* & iſto modo attribuere ſanctificationem alicui puro homini, in quantacunque dignitate conſtituto, eſt conditio Antichriſti. Alio modo ſanctificare convenit alicui inſtrumentaliter, ſive miniſterialiter, & hoc modo convenit Sacerdotibus & Prælatis ſanctificationis officium, & hoc in Sacramentorum diſpenſatione, quia Sacramenta ſunt vaſa ſanctificationis: hac ratione dicuntur Sacerdotes, quaſi ſacra dantes in Sacramentorum diſpenſatione, ad ſanctificationem animæ. Sic attribuere Prælatis & Sacerdotibus ſanctificationis officium, non eſt conditio ſeu opus Antichriſti, ſed negare id, eſt opus Antichriſti, veriſſimi inimici Chriſti, quia ſuis conceſſam miniſtris negat poteſtatem. Ubi notandum, quòd ſanctus Thomas in 4. diſtinctione, articulo 2. loquendo, quomodo competat miniſtris Eccleſiæ cooperari Chriſto in miniſterio ſanctificationis animarum, ponendo quatuor modos cooperandi alicui agenti: dicit circa quartum modum, qui eſt, ut diſponens materiam ad effectum principalis agentis ſuſcipiendum, dicit ſic: quòd ſic diſponere contingit dupliciter, vel ex opere operante ſive docendo ſive merendo, & ſic homines cooperantnr Deo in peccatorum remiſſione. *Dei*, inquit Apoſtolus, *coadjutores ſumus*: vel ex opere operato, ſic qui confert Sacramenta, quæ diſponunt ad gratiam, per quam fit remiſſio peccatorum. Et hæc eſt cooperatio miniſterii, quæ miniſtris Eccleſiæ competit, de quibus prima Corinth. quarto: *nos ſic exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum*, ratione iſtius ſanctificationis dicit Chryſoſtomus libro tertio de dignitate ſacerdotali, *per iſtos Sacerdotes Chriſtum induimus, per ipſos Dei filio conjungimur, per ipſos membra beati ipſius capitis efficimur. Quomodo ergo nobis non ſolum reverendi magis quàm judices aut Reges, ſed & magis erunt honorabiles quàm parentes?* hæc ille.

*Sanctificatio authoritativa.* *Inſtrumentalis.* *Aug. de peccatorum meritis & remiſſione. l. 2. cap 26.* *Chryſ. in opere imperfecto hom. 14.* *Hieron. in 44. cap. Ezech.* *Exod. 31.* *2. Cor. 3.* *1. Cor. 4.* *Chryſ. de Sacerdotio l. 3. c. 4.*

ET propter iſta minus benè proſpecta infert Dominus Replicans, dicens, quòd propter iſta excellentia poteſtati attributa, ſequuntur apud ſimplices, imò & aliquando apud doctos multa inconvenientia, ut inordinatus reſpectus, obedientia inordinata, protractio uſque ad oſcula pedum beatorum. Non ſic faciebat Petrus verus Chriſti vicarius, &c. Reſpondeo, quòd illa reverentia, quæ fit ſummo Pontifici, non eſt inordinata, ſed ſuæ poteſtati excellentiæ condigna. Dicit enim ſanctus Thomas ſecunda

*Reverentia quæ exhibetur Pontifici non eſt inordinata.*

Digitized by Google

cunda secundæ q. 80. artic. 1. quòd triplex est virtus justitiæ, scilicet Religio, quæ debetur Deo, Pietas, quæ debetur Patriæ & parentibus, & Observantia, per quam, ut Tullius dicit, homines aliqua dignitate antecedentes quodam cultu & honore dignantur: & de hac observantia dicit ipse ibidem q. 102. articulo 2. quòd honor semper debetur alicui propter aliquam excellentiam vel superioritatem, imò dicit, si Prælati sunt, non honorantur propter excellentiam propriæ virtutis, sed propter excellentiam dignitatis, secundum quam sunt Dei ministri & etiam in eis honoratur tota communitas, cui præsunt. Ex quo elicio, quòd cum secundum Tullium, honor est exhibitio reverentiæ in testimonium virtutis; Istud autem contingit dupliciter fieri, primò in testimonium virtutis suæ propriæ, & gratia suæ bonitatis & sanctitatis. Secundò in testimonium virtutis Christi & gratia Christi, cujus vicarius existit, juxta illud 1. Cor. 4. *sic nos existimet homo, ut ministros Christi*, quamdiu est vicarius, & quamdiu non desinit esse Papa, dato quod sit apertè malus, honor papalis sibi subtrahendus non est. In cujus fortè figuram, ante suam passionem permisit Dominus in domo Pharisæi, Mariam Magdalenam osculari pedes ejus, & post resurrectionem, ut mulieres accederent & tenerent pedes ejus, unde in signum quod Papa non sibi, sed Christo, illum honorem attribuit, crucem supra pedem in sandalibus gerit, quasi non suos pedes, sed in honorem crucifixi, cujus locum in terris tenet, crucem illam osculandam, offerat. Et quid mirum, si hoc fit summo Pontifici in honorem Christi, cum etiam fiat quibusdam Regibus in recognitionem temporalis dominii? hinc de sancto Polycarpo dicitur libro quarto Ecclesiasticæ historiæ, capite decimo tertio. *Polycarpus non solum ab Apostolis eruditus est, cum his qui Dominum viderant, sed ab Apostolis ipsis ordinatus Smyrnensis Ecclesiæ Episcopus:* de eodem ibidem dicitur, quod cum martyrizari debuit exteriori detracto indumento ac cingulo resoluto, calciamenta quoque pedibus tentabat educere, quæ nunquam nisi à religiosis quibusque fide ac devotione semetipsos invicem prævenientibus resolvi consueverant: ita namque in omni etiam reliqua vita sua venerabiliter ab omnibus colebatur. Nec est æstimandum, quod Papa filium tantæ obedientiæ in osculo pedum detineat, quia more piissimi Patris ad osculum manus seu maxillæ subitò suscipit. Nec obest, quod de Petro objicit, quia Petrus non ideo, quod honor ille non sibi deberetur, sed quia cum Petrus & alii Apostoli facerent multa miracula, credebantur Dii ab aliquibus gentibus, sicut patet Actorum 14. de Paulo & Barnaba, ubi facto miraculo circa claudum quendam, turbæ clamantes eos esse Deos, volebant eis thurificare; & ideo hac ratione non permittebant se debito etiam honore venerari. Et ne in proposito de Petro aliqui sic sensissent. Unde dicit glossa super verbo *adoravit eum: sic adoravit ut Deum*, quæ fuit imperitia non nequitia: non enim eum Angelus hoc docuit, sed doctorem esse Petrum, ideo dicebat Cornelio: *surge, nam & ego ipse homo sum.*

1. Cor. 4. — Eusebius in historia Eccles. l. 4. c. 13. & 14. — Actor. 14. — Actor. 10.

IN eadem materia invehendo contra quod dixi, *Concilia generalia dicit sancta & sanctissima. Etiam ibi dico*, inquit, *dato quod sit aliquod generale Concilium, & omnes personæ inibi existentes sint non sanctæ, unde debeo scire, quod Spiritus sanctus illi Concilio infallibiliter assistat, cum dicitur Sapientiæ primo: Spiritus enim sanctus disciplinæ fugiet fictum?* Sed si benè recolo, dixit in isto publico auditorio: *non possum videre, quomodo Spiritus sanctus assistat illis, &c.* Ad quod dico, nota quod iste casus non subjacet humanis judiciis, quia nemo scit, an amore vel odio dignus sit: imò esset judicium crudele, opinari singulos esse malos in Spiritu sancto congregatos, quia Dominus usque adhuc reservavit sibi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua sua coram Baal, ad Rom. 11. unde dico, quantum ad materiam in se, quòd Concilium generale legitimè congregatum in necessariis ad credendum ad salutem deficere non potest, etiamsi Prælati sunt mali, quod probatur sic: Deus & natura non deficiunt in necessariis; sed saluti humani generis non videretur sufficienter provisum, si Concilia generalia possent deficere in his, quæ sunt de necessitate salutis. Ergò hujusmodi Concilia in his quæ sunt de necessitate salutis, deficere non possunt. Consequentia videtur nota. Major patet primò per omnes Philosophos, qui hanc pro Maxima reputant in naturalibus; per divinam etiam providentiam circa genus humanum providentem potest ostendi, quia propter hoc collata sunt sacramenta, sacra scriptura divinitus est revelata, verbum est incarnatum. Etiam minor patet, quia pro salute humani generis oportet esse aliquam regulam inobliquabilem & indefectibilem seu indeviabilem, ad quam genus humanum habeat recursum in credendis, quia *sine fide*, ut dicit Apostolus, *impossibile* est placere Deo, aliàs non esset eidem sufficienter provisum ab optimo legislatore Christo: sed nullus particularis homo est hujusmodi sufficiens regula, ut non possit in fide errare, ut etiam (a) Papa aliquando fecit. Ergo oportet dicere, quòd habeatur recursus ad Ecclesiam universalem, aut ad Concilium generale. Cum ergò Ecclesia universalis non possit in unum congregari secundum

Conciliorum auctoritas. — Sapien. 1. — Eccles. 9. — Rom. 11. & 3. Reg. cap. 19. — Hebr. 11.

(a) *Falsum est, si de Papa, ut Papa est, intelligit. Papa enim ut Papa non est pri-*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

dum ſeipſam propter ejus amplitudinem per totum Univerſum, ſequitur, quòd hujuſmodi regula, ad quam habetur recurſus in neceſſitate fidei, eſt Concilium generale legitimè congregatum; Eccleſiam univerſalem repræſentans. Ergò ſequitur, quod Concilium generale in his quæ ſunt de neceſſitate ſalutis errare non poteſt. Pro cujus intellectu notandum eſt, ex culpa originali, & ex excellentia credendorum, crenda tranſcendunt humanam facultatem, ideò requiritur ſupernaturalis concurſus ad eorum revelationem, & licet in ſcriptura contineantur, non tamen evidenter & ſufficienter pro quolibet, ideò proviſum eſt de tertio medio, ſcilicet facere exterius quod in ſe eſt, ſecundum illas Patrum traditiones in celebrationibus Conciliorum generalium. Ex quibus poteſt deduci, quod in Concilio congregati non ſunt propriè qui loquuntur. Spiritus enim ſanctus loquitur in eis, in his, quæ determinantur in fide. Nam ex quo proviſum eſt ſufficienter poſita exteriori forma, Spiritus S. reſiduum operatur, ex ſpeciali enim providentia Dei, quam habet de ſalute hominum, videtur inferendum, quod ſi forma ad extra ſervetur, Spiritus ſanctus habebit ſuam efficaciam, veritatem revelandi. Quantumcunque enim miniſtri eſſent inepti, tamen malitia non tolleret efficaciam Spiritus ſancti, quia poteſt eſſe organum Spiritus S. ſicut proportionabiliter aſina Balaam locuta eſt, impropriè, quia magis Spiritus ſanctus locutus eſt, & quemadmodum Balaam, Num. 22. & 23. vocatus à Balac, ut malediceret populo, cui Deus benedixit, & ipſe benedixit, licet coactus, ita in Concilio generali in malis & iniquis Prælatis, malè viventibus Spiritus S. loqueretur veritatem. Hoc fundatur ut dictum eſt, id eſt, prudentia Dei de neceſſariis, de noſtro fine conſequendo, quod non eſſet, niſi in Concilio generali infallibilis daretur auctoritas, non obſtante miniſtrorum malitia, imò cum Balac audivit quod Balaam benediceret populo Dei, ait: *Quid eſt, quod agis? quia ut malediceres vocavi te.* Reſpondit: *non poſſum aliud loqui niſi quod juſſit Dominus*; ita ſimiliter ubi agitur de inſtructione populi, quantumcunque invaleſceret malitia Prælatorum, poſſunt dicere cum Balaam, *Non poſſum dicere, niſi quod Dominus juſſerit:* iterum ſecundo reſpondit Balaam, *benedictionem prohibere non valeo. Non eſt*, inquit, *Deus, ut homo, ut mentiatur.* Notum autem eſt, ut videtur, quod Deus ſpecialiori modo regat Eccleſiam ſuam, quàm ante incarnationem populum ſuum rexit. Ideo dixit Matth. ultimo: *vobiſcum ſum omnibus diebus ad conſummationem ſeculi:* & ejuſdem ſexto decimo: *portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*, hoc eſt, Eccleſiam, quam Concilium generale repræſentat. Imò Chriſtus, poſt adventum ſuum in carnem, cum Sacerdotes ſynagogæ mali eſſent, & generatio prava & adultera vocarentur, nihilominus dicit turbis, *omnia quæcunque vobis dixerint, facite.* Ex quo evidenter concludi poteſt, quod ea, quæ ſacerdotes ſeu Prælati novæ legis in Concilio generali congregati, poſt publicationem Evangelii dicunt, in his quæ ſunt fidei, & de neceſſitate ſalutis, tenenda ſunt: cum amplius ſint illuminati, & ſpecialius eis Spiritus ſanctus aſſiſtat, quam Sacerdotibus ſynagogæ. Et ad hoc deſerviunt omnes expoſitiones, quas replicans adduxit, ſuper illo, *ſuper cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi*, ut patet eas intuenti: & iterum ſolutiones illarum auctoritatum: *qui vos audit, me audit:* & aliarum per me adductarum: quia concedit eas de Conciliis generalibus etiam intelligi, licet etiam de fidelibus aliis in nomine Domini congregatis poſſint exponi. Et tamen propriè & antonomaſticè de Conciliis generalibus iſta eſſe intelligenda, ſanctorum auctoritatibus oſtenditur. Sicut enim ait beatus Celeſtinus in epiſtola ad ſynodum Epheſinam tranſmiſſa, ut refert Iſidorus in libro Conciliorum: *Spiritus ſancti indicat præſentiam congregatio Sacerdotum. Certum eſt enim, quod legimus, quia nec poteſt veritas ipſa mentiri, cujus in Evangelio iſta eſt ſententia: ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi & ego ſum in medio eorum: quod cum ita ſit, nam nec huic tam brevi numero Spiritus ſanctus deeſt, quanto magis eum nunc intereſſe credamus, quando in unum convenit tota turba ſanctorum? ſanctum namque eſt pro debita veneratione Concilium, in quo utique nunc Apoſtolorum frequentiſſimæ illius, quam legimus congregationis aſpicienda reverentia eſt:* & idem Iſidorus in eodem libro, in geſtis tertiæ Synodi Toletanæ in epiſtola ſeu confeſſione Reccaredi Regis, inquit, *valdè neceſſarium eſſe perſpexi beatitudinem veſtram in unum convenire, habens ſententiæ Dominicæ fidem, quæ dicit: ubi fuerint duo vel tres collecti in nomine meo, ibi ero in medio eorum. Credo enim beatam ſanctæ Trinitatis divinitatem huic ſacro intereſſe Concilio, & ideo tanquam ante conſpectum Dei in medio veſtri fidem meam protuli.* Ex quo patet, quod beatus Papa Celeſtinus eam reverentiam habendam eſſe dicit congregationi Concilii, quæ debetur collegio Apoſtolorum, utpote in cujus medio ipſe Chriſtus aſſiſtat, ſanctus Spiritus, & ipſa Trinitas tota: hinc eſt quod B. Hieronymus comparat Concilii auctoritatem ſoli, ut ſicut ſol ſuo ardore humores rivulorum deſiccat, ita ſacrum Concilium ſua auctoritate omnem contrariam ſuperat argumentationem: inquit enim in fine diſputationis contra Luciferianum. *Poteram omnes tuarum diſputationum rivulos uno Eccleſiæ ſole ſiccare.* De

*vata perſona. Si verò illorum ſententiam ſequitur, qui Papam Concilio ſubjiciunt, falſam ſententiam ſequitur, quam refutat Bellar. lib. 4. de Pont. c. 2. & ſeq. & lib. 2. de Conc. c. 13. & ſeqq.* CANIS. *Num. 22. & 23.*

*Matth. 28.* *Matth. 16.*

*Matth. 23.*

*Celeſtinus epiſt. 7.*

*Matth. 18.*

*Joh. 15.*

*Hieron. adverſus Luciferianum.*

auctо-

Digitized by Google

auctoritate Concilii generalis loquens. Ad auctoritatem Sapientiæ: *Spiritus ſanctus non habitat in corpore ſubdito peccato*; reſpondeo ſecundum ſanctum Thomam, in quæſtione de veritate, q. 12. artic. 5. quod ſapientia ſe confert in anima dupliciter. Primo modo, ut ipſamet Dei ſapientia inhabitet, & ſic hominem ſanctum faciat & Dei amicum. Secundo modo ſolum quantum ad effectum, & ſic non oportet, quod ſanctum faciat vel Dei amicum, & ſic confert ſe in mentes malorum, quos Prophetas conſtituit. Albertus 4. ſent. diſt. 19. ubi Magiſter dicit: *Quidam putant hanc poteſtatem tantum illis eſſe conceſſam, qui doctrinam & vitam Apoſtolorum ſervant:* dicit Albertus. *Iſti ſunt illi hæretici, qui vocantur Cathari:* & cum pro eis arguit, *in malevolam animam non introibit ſapientia*, dicit quod intelligitur iſta auctoritas, quantum ad inhabitantem gratiam, & non ad comparationem gratis datæ. SÆC. XV. ANNO 1433. *Thom. de veritate, q. 12. a. 5. ad 8.* *Albertus.*

Finaliter circa iſtam materiam ſic aſſumitur, ubi ego dixi, quòd illud non eſt verè dictum: *verbum Dei eſt tantæ perfectionis, quod nihil poſſet eis addi vel ſubtrahi: dico*, inquit, *ſi iſtud non eſt verè dictum, nec illud Deuteronomii quarto: Non addetis ad verbum quod vobis loquor, neque auferetis ex eo.* Reſpondeo negando illam conditionalem, quòd antecedens eſt verum, & conſequens falſum. Quod antecedens ſit verum, illud ſcilicet non eſſe verè dictum, quod verbis Dei nihil licet addi vel ſubtrahi, patet, quia ſecundum B. Auguſtinus in lib. de vera religione, cap. 16. in his quæ ſunt fidei, talis eſt regula ſervanda, quòd falſa & damnanda ſemper ſunt reſpuenda, vera autem & approbata ſemper ſunt tenenda, dubia autem tandiu credenda ſunt, quamdiu aliquid doceat ratio, niſi contrarium aliquod præcipiat ſanctæ matris Eccleſiæ auctoritas. Poſſe ergò Papam, Eccleſiam vel ſanctos Doctores, aliquid addere ſuper illa quæ ſunt fidei, dupliciter poteſt intelligi: uno modo, quantum ad dubii interpretationem vel determinationem: Alio modo, quantum ad occultorum & implicitorum explicationem: Utroque autem modo poteſt addi ſcripturæ ſacræ licitè ſuper ea, quæ ſunt fidei. Nam ſi aliqua ſunt dubia, & obſcura in fide, ad prædictos pertinet interpretari: poſt quorum præſertim Papæ vel generalis Concilii determinationem, hæreticum eſſet, pertinaciter contrarium aſſere: unde dicit Innocentius & 23. q. 1. *Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres & coëpiſcopos noſtros non niſi ad Petrum, id eſt ſui nominis & honoris auctorem referre debere.* Ad eandem auctoritatem ſpectat implicita & occulta in fide pro temporum ætate congruentia explicare & declarare, ut patet quòd inferiores Eccleſiæ filii implicitè & occultè credebant, poſtmodum explicitè & publicè profiteantur. Quod autem conſequens ſit falſum, patet, quia dicit ſcripturam eſſe falſam, & dicta Doctoris quæ adducit, adducit idem ex alio, quia ſacra ſcriptura promittit præmia exponentibus eam, dicens Eccl. 24. *qui elucidant me, vitam æternam habebunt*: ſed replicans eisdem Doctoribus debitam credulitatem ſubtrahit, ubicunque ſibi placet, ut patet ex ſuis reſponſis. Ergò non ſequitur, ſi verba ſua ſunt falſa, quòd ergò verba ſcripturæ ſacræ ſunt falſa. Ad auctoritates ergò dico, ad primam Deut. 4. „ non addetis ad verbum quod loquor, nec auferatis: dicit gloſ. docet normam æ„ quitatis, & omnem hæreſin percutit, vetat enim rectæ doctrinæ aliquid pravæ in„ tentionis addere, vel aliquid veritatis ſubtrahere: Via enim regia incedendum eſt, non ad dexteram vel ſiniſtram, quia rectæ viæ Domini, & juſti ambulabunt in eis" & nihilominus de Lyra inquit: „ Conſiderandum eſt hic, quod hic prohibetur additio „ depravans intellectum legis, non autem additio declarans aut elucidans, ſecundum „ Eccl. 24. qui elucidant me, vitam ſempiternam habebunt": ſimiliter ſuper illo *ſermo Dei ignitus* dicit gloſ. *ut hæretici qui corrumpunt ſcripturas, ne eis convincantur.* Et beatus Hieronymus ibidem: „ ne corrumpat eloquia ſacrorum ſcripturarum, ſicut „ quidam hæretici, ne convincerentur, feciſſe noſcuntur. *Et Lyra:* ne addas quid„ quam quod ſit eis contrarium; potes tamen, & meritorie, addere illa, quæ faciunt ad „ verbum Domini elucidandum". Similiter ſuper dicta Joan. Apoc. ultimo dicit glo„ quia quoſdam ſciebat in Aſia eſſe, qui pro ſuis erroribus fovendis, aliquid adde„ rent, vel minuerent, ſupponit excommunicationem. *Et Lyra ibidem:* ſi quis ap„ poſuerit, id eſt, diſcrepantia, ſicut faciebant hæretici, qui tempore illo addebant „ diſcrepantia à veritate Evangelii & aliqua diminuebant de ejus veritate, dicentes „ Chriſtum ante Mariam non fuiſſe; per hoc tamen non excluditur, quin poſſent ali„ qua addi licitè, quæ faciunt ad declarationem ſacræ ſcripturæ. Et ſic fecerunt „ doctores ſancti": hæc ille. Non eſt ergo veriſimile, ſi ſancti credidiſſent, ſe peccaſſe, quod ſanctis laboribus exponi ſcripturam intendiſſent.

De autoritate Scripturæ ſanctæ. *Deut. 4.* *Auguſt. de vera religione c. 10. ſimile quid habet.* *23. q. 1. quoties cap. 12.* *Deut. 4.* *Gloſſa ordinaria ibidem.* *Oſee 14.* *Libra ibid.* *Eccleſ. 24.* *Hier. ibid.* *Gloſſ. interlinearis ibidem.* *Gloſſa ordinaria ibidem.* *Lyra ibidem.* *Eccl. 24.*

Circa ſecundum notabile, ubi dixi, Prælatos malos & bonos magnificè ratione officii honorandos, & præſertim cauſas ſeptem adduxi. Quoad tertium, ubi dixi ideò quia ipſi ſoli habent auctoritatem ligandi, & ſolvendi à peccatis, ſecundum illud Matthæi decimo octavo: *quodcunque ligaveris ſuper terram*, &c. contra hanc arguit replicans: *Matth. 18.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

plicans: *Non soli Sacerdotes habent auctoritatem ligandi & solvendi à peccatis, igitur, &c.* Videte quæso, quomodo ostendit se auctoritates sacræ scripturæ intelligere aliter, quam Christus suis discipulis innotuit. Ego enim allegavi illam auctoritatem Matth. decimo octavo: *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis*, quam auctoritatem Salvator non voluit de beata Trinitate intelligi, quia eam numero Apostolorum non comparavit, sed nec de laicis disponentibus se per contritionem, sed tantum de Apostolis & eorum successoribus per sacri ordinis sacerdotalis susceptionem. Dico ergò, quòd illa consequentia nil valet: Trinitas habet auctoritatem absolvendi à peccatis activè, ergò non soli Sacerdotes, quia est æquivocatio in terminis, ut patet ex dictis, novit enim omnis, qui me intellexit, quod intellexi de auctoritate quam habent soli Sacerdotes, qui sunt homines consecrati per ordinationem Episcoporum; non de Trinitate vel Christo homine. Dico ergò aliqua: Primum est, quòd soli Sacerdotes habent auctoritatem clavium in foro pœnitentiæ, de qua loquitur in propo-

*Ambrosius.* sito, teste B. Ambrosio, ubi ait super verbo prædicto: *hoc jus*, scilicet ligandi & sol-

*S. Thom. in 4. sent. dist. 19. q. 1. ad 3.* vendi, *Sacerdotibus est concessum*, unde sanctus Thomas in 4. sententiarum, distinct. decima nona, quæst. prima dicit, quòd introitus in cœlum per dimissionem peccati vocatur clavis ordinis, & hanc soli sacerdotes habent, quia ipsi soli ordinantur pro populo in his, quæ directè sunt ad Deum: hæc ille. Secundò dico, quod laici, etsi se disponere possunt ad remedium pœnitentiæ, nullo modo tamen verum est, quod dicit opponens, quòd ex hoc habeant auctoritatem ligandi & solvendi dispositivè, quia iste est periculosissimus modus loquendi. Ideò etiam opponens non audebat eum nominare, qui istum modum adinvenit. Nam ex modo loquendi Doctorum Catho-

*S. Thom. ibid. ad 2.* licorum, non habemus nisi triplicem auctoritatem ligandi & solvendi, ut posuit sanctus Thomas in quarto sententiarum, distinct. decima nona. Una est auctoritatis, & est solius Dei, qui propria virtute peccata dimittit. Alia excellentiæ, quam solus Christus habet homo, qui merito excellentiæ suæ passionis operatus est salutem nostram.

*Apoc. 3.* De qua Apoc. tertio: *qui habet clavem, aperit, & nemo claudit.* Tertia est ministerii, & istam non dicitur habere Trinitas increata, cum sit principale agens, & non instrumentale aut ministeriale remissionis peccatorum: nec Christus cum sit caput Ecclesiæ, in quo per excellentiam plenitudinis est potestas illa, sed soli Sacerdotes, qui ministri dicuntur Christi, & de talibus loquebar in positione mea, juxta illud Ambrosii: *hoc jus*, scilicet ligandi & solvendi, *solum Sacerdotibus est concessum:* nusquam licitè adderetur potestas quarta, scilicet dispositionis, quia quantumcumque laicus se disponat ad pœnitentiam, tamen sibi non convenit illa auctoritas Christi, de qua ego loquebar: *Quodcunque ligaveritis super terram*, &c. Matth. 18. quod etiam assumpsit: *Christus homo habet auctoritatem dimittendi peccata, ergo non soli Sacerdotes:* patet ex dictis, quòd nil valet consequentia, quia alia ratione Christus, & alia Sacerdotes ha-

*S. Thom. 4. sent. dist. 19. q. 1. art. 3. ad 2.* bent auctoritatem solvendi & ligandi à peccatis. Quia, ut dicit sanctus Thomas, ubi suprà, virtus aliquid agendi est in instrumento, & in per se agente, non eodem modo, sed in per se agente perfectius. Potestas autem clavium quam habemus nos, & aliorum Sacramentorum virtus est instrumentalis, sed in Christo est, sicut in per se agente ad salutem nostram, per auctoritatem quidem, in quantum est Deus, sed per meritum, in quantum est homo. Clavis autem de ratione sua exprimit potestatem aperiendi & claudendi, sive aliquis aperiat quasi principale agens, sive quasi minister: & ideo in Christo oportet ponere clavem, sed altero modo, quàm fit in ejus ministris. Et ideò dicitur, quòd habet clavem excellentiæ: & tantum de illo.

Assumpsit ulterius contra quartam causam, ubi dixi Sacerdotes honorandos, eò quòd de eorum orationibus certius est, quòd efficaciam pro populo & animabus sortiantur, ibi dicit, quòd si Sacerdotum orationes debeant esse efficaces pro populo: primò oportet quòd ipsi Sacerdotes Deo placeant per virtuosa opera, aliàs ipsum Deum provocant ad deteriora. Dico quòd hoc est simpliciter falsum, quia est bene con-

*S. Thom. 4. sent. dist. 45. q. 3. a. 3. ad 3.* gruum, sed non simpliciter, ut sit necessarium, quia ut dicit S. Thomas in 4. sen. dist. 45. „ de suffragiis, quæ fiunt per malos, *inquit*, duo possunt considerari, primò i-
„ psum opus operatum, sicut Sacrificium altaris, & quia nostra Sacramenta ex seipsis
*Quomodo malorum Sacerdotum suffragia prosint.* „ efficaciam habent absque opere operantis, quam æqualiter explent, per quoscunque
„ fiant; quantum ad hoc, suffragia per malos facta, defunctis prosunt. Alio modo
„ quantum ad opus operans. Et sic distinguendum est, quia operatio peccatorum
„ suffragia facientis, potest uno modo considerari, ut est ejus, & sic nullo modo me-
„ ritoria esse potest, nec sibi, nec aliis. Alio modo, quantum est alterius, quod du-
„ pliciter contingit, uno modo, in quantum peccator faciens suffragia gerit personam
„ totius Ecclesiæ, sicut Sacerdos dum dicit in Ecclesia exequias mortuorum, & quia
„ ille intelligitur facere, cujus nomine vel vice fit, ut patet per Dionysium in decimo
„ tertio cap. Eccles. Hierarchiæ: inde est quòd suffragia talis Sacerdotis, quamvis sit
„ peccator, defunctis prosint, quasi ex persona Ecclesiæ facta, cujus ipse minister est.

„ Alio

Digitized by Google

„ Alio modo quando agit, ut inſtrumentum alterius: opus enim miniſterii eſt magis SÆC.
„ principalis agentis, unde quamvis ille qui agit ut inſtrumentum alterius, non ſit in XV.
„ ſtatu merendi, actio tamen ejus poteſt eſſe meritoria, ratione principalis agentis, ANNO
„ ſicut ſi ſervus in peccatis exiſtens quodcunque opus miſericordiæ facit ex præcepto 1433.
„ Domini charitatem habentis: unde ſi aliquis in charitate decedens præcipiat ſibi ſuf-
„ fragia fieri, vel alius præcipiat charitatem habens, illa ſuffragia valent defuncto, quam-
„ vis illi per quos fiunt, in peccato exiſtant; magis tamen valerent, ſi in charitate
„ eſſent, quia tunc ex duabus partibus opera illa meritoria eſſent". Ad Gregorium in *Gregorius.*
Paſtorali *cum is qui diſplicet ad intercedendum mittitur, animus judicis ad deteriora provocatur:* reſpondet S. Thom. quod quamvis ex parte ejus qui diſplicet, oratio pecca- *Ibidem ad*
toris non ſit accepta, tamen ratione alterius, cujus vice vel imperio agitur, poteſt eſſe Deo 2.
accepta. Et per hunc modum ſolvuntur aliæ auctoritates, quia oratio quam Sacerdos facit, ſibi non prodeſt, niſi ſit in charitate, prodeſt tamen aliis, in quantum eſt miniſter publicus Eccleſiæ. Et ſic patet quàm male dixerit in illa ſua poſitione, quòd oportet Sacerdotem Deo placere per bona opera, ſi debeat exaudiri pro populo.

Præterea accedens ad propoſitiones, ubi dixi, ſolos curatos ordinariè poſt Prælatos majores, ſcilicet Epiſcopos, debere prædicare, & religioſos ex voto ſuo profeſſionis, qui ad hoc ſunt aſtricti: dicit quod iſtæ propoſitiones patiuntur inſtantiam pro tempore quo non erant curati, & quando Eccleſiæ & parochiæ adhuc non erant diviſæ: unde quærit, ſi ſoli Epiſcopi ſuccedant Apoſtolis, & ſoli curati ſeptuaginta duobus diſcipulis, quorum ſucceſſores ſunt minores Presbyteri & non curati. Pro quorum fundamentali diſcuſſione dico præter ea quæ nuper dixit in ſua replicatione, præſertim cum unus ex dominis Bohemis ſupplicavit hoc declarari, & in ſcriptis tradi. Quæro à vobis Domine Ulrice, cum Dominus in Veteri Teſtamento non inſtituerit, quod expreſsè legatur, niſi Aaron in ſummum Pontificem, minores Sacerdotes & Levitas. Unde ergò cantores, quos David inſtituit? Unde etiam illa diſtinctio Sacerdotum, quorum hebdomadatim 72. thurificabant, primo Paralip. 13. Reſpondeo, quòd omnis ſtatus Eccleſiaſticus eſt à Domino noſtro Jeſu Chriſto inſtitutus, teſte Apoſtolo, ad Epheſ. 4. *Unicuique data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chri-* *Epheſ. 4.*
*ſti, propter quod dicit ſcriptura: Aſcendens in altum dedit dona hominibus:* quæ ſint illa dona, ſubdit: *& ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios Paſtores, & Doctores, ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia.* Et eadem ſententia habetur prima ad Corinth. duodecimo. Ex quo patet, quod hæc perfecta & plena *1. Cor. 12.*
diſtinctio maximè in hora aſcenſionis Domini à Domino inſtituta eſt, ut notant verba præmiſſa allegantia illud Pſal. *Aſcendens in altum dedit dona hominibus*, ex quo iterum *Pſalm 67.*
ſequitur, quòd diſtinctio & varietas in Eccleſia ſtatuum, graduum & dignitatum, non *Diſtinctio & varietas graduum & ſtatuum in Eccleſia à Chriſto profecta.*
principaliter ex inſtitutione Eccleſiæ, aut cujuſcunque puri hominis auctoritate proceſſit, quare nec eam deſtruere poteſt. Sed diceres, quomodo iſtos ſtatus inſtituit, cum non niſi Apoſtolos duodecim & ſeptuaginta duos reliquit diſcipulos? reſpondemus ſecundum Gloſſam Innocentii tertii, *ipſe dedit*, quia ſic aſcendit, ut adimpleret omnia, *omnia*, inquit, *adimplevit, quia ipſe dedit*, id eſt, gratis inſtituit, non eorum meritis, *quoſdam quidem Apoſtolos*, ſcilicet duodecim prædicationis ſuæ vicarios Luc. ſexto: *elegit*, inquit, *duodecim, quos & Apoſtolos nominavit, quoſdam autem Prophetas*, ſcilicet futura prædicentes, ſicut Agabus, Actorum vigeſimo primo: vel Prophetas, id eſt, Scripturas exponentes, Actorum decimo tertio: *Erant in Eccleſia* *Innocentius.* *Actor. 21.*
*quæ erat Antiochiæ Prophetæ*, id eſt, Doctores, *alios verò Evangeliſtas*, id eſt, Evan- *Actor. 13.*
gelii annunciatores, ut ſeptem diaconi, Act. ſexto: vel etiam Scriptores, ut quatuor *Actor. 6.*
Evangeliſtæ. *Ego enim*, inquit, *Jeruſalem Evangeliſtam dabo.* Eſaiæ 41. *Alios au-* *Eſai. 41.*
*tem paſtores*, & Doctores, & Epiſcopos, qui paſcant exemplo, & doceant verbo, juxta illud Jeremiæ 3. *dabo vobis paſtores juxta cor meum, & paſcam vos ſcientia & doctrina.* Et Eſaiæ 30. *Non faciet ultra avolare à te Doctorem tuum.* Vel dico ſecun- *Jerem. 3.* *Eſai. 30.*
dò, quod ipſe Chriſtus hanc diverſitatem hierarchicam dedit & inſtituit virtualiter, dum Spiritum ſanctum miſit inviſibiliter, qui docuit Apoſtolos & eorum ſucceſſores, quæ cujuslibet ſtatus Eccleſiaſtici officio congruerent, pro ut ipſe Salvator promiſit Apoſtolis ſuis. *Adhuc*, inquiens, *multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare mo-* *Joan. 14.*
*dò. Paraclitus autem Spiritus ſanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos do-* *& 16.*
*cebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis*, & ne crederetur eis ſolis datus, ſed etiam poſteris eorum ſucceſſoribus, ait, *ego mittam vobis Spiritum veritatis, qui docebit vos omnem veritatem, ut ſit vobiſcum in æternum.* Johan. 15. ſic enim Chriſtus per Prælatos dicitur Eccleſiaſticam Hierarchiam inſtituiſſe, teſte Apoſtolo: *& ego ſi quid donavi, in perſona Chriſti vobis donavi*, & hoc eſt quod dicit dominus Patriarcha Petrus de Palude, de Eccleſiaſtica poteſtate, concluſione tertia. Ad tertium argumentum, quòd Chriſtus dedit paſtores dando primum & univerſalem paſtorem immediatè *2. Cor. 2.* *Paludanus de eccleſ. poteſtate.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

dicendo Petro: *pasce oves meas.* Sic etiam dicit B. Auguſtinus in libro de conſenſu Evangeliſtarum, oſtendens Chriſtum Evangelium ſcripſiſſe, & tamen Evangeliſtis commiſerat ſcribere, dicens: *omnibus diſcipulis ſuis per hominem quem aſſumpſit, tanquam membris ſui corporis caput eſt: itaque cum illi ſcripſerunt, quæ ille oſtendit & dixit, nequaquam eſt dicendum, quod ipſe non ſcripſerit, quandoquidem membra ejus id operata ſunt, quod dictante capite cognoverunt: quidquid enim ille de ſuis dictis & factis nos legere voluit, hoc ſcribendum illis tanquam ſuis manibus, imperavit:* hæc ille. Unde in perſona Prælatorum Eccleſiæ dicit Dominus: *qui vos audit me audit* Luc. 10. cujus rationem ſubdit Apoſtolus, ubi prius, dicens: *ex quo*, ſcilicet Chriſto capite Eccleſiæ, *totum corpus Eccleſiæ compactum eſt per omnem juncturam ſubminiſtrationis*, id eſt, per quam communicationem fidelium, unus communicat & ſubminiſtrat alteri bonum quod habet à Chriſto capite: unde ſubdit, *ſecundum operationem in menſuram uniuscujuscunque* membri, quia ſecundum gradus membrorum Eccleſiæ competunt diverſis actus diverſi, majores ſcilicet & minores, ſicut alii actus Epiſcoporum, alii Sacerdotum, alii Religioſorum, & ſic de ſingulis, ſecundum expoſitionem venerabilis de Lyra ibidem, ſicut alia eſt operatio cujuſlibet membri, alia operatio oculi, alia pedis, & verè per Jeſum Chriſtum hoc eſt totum; quia augmentum corporis ſui facit, & hoc quantum ad profectum eorum qui jam ſunt de corpore, ipſe dico, tendens in ædificationem ſui, ſecundum quod Chriſtus accipitur pro capite cum membris, & hoc quantum ad illos, qui ſunt de corpore Eccleſiæ, prout dicit Innocentius ibidem. 2. ſupponendum, quod præmiſſa officiorum varietas regitiva, ſit hierarchica diſpoſitio ſive ſubordinatio, & una ſit Papalis auctoritas ſuprema, ex præinſtitutione, & non tantum humana, ſed divina auctoritate, juxta illud Joh. 20. *pasce oves meas:* unde licet Apoſtolus dicat, *dedit quoſdam Apoſtolos, quoſdam Prophetas*, non nominando Papalem eminentiam, ſingulariter tamen præſuppoſuit id per Chriſtum expreſsè factum, unde ad inferendum illud quod dictum eſt, præmiſit: *unicuique noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti*, quaſi diceret, quòd uni plus, & alteri minus donatum eſt, cum uni ſupremum regimen Eccleſiaſticum ſit commiſſum, ideò dicit idem Apoſtolus 2. Cor. 10. *Non in immenſum gloriabimur, ſed ſecundum menſuram regulæ, qua menſus eſt nobis Deus*, ubi gloſſ. dicit: *Uſurpans ſibi regimen animarum, ſine commiſſione Chriſti, aut ſui vicarii, vel poteſtatem ſibi commiſſam ultra terminum ſibi præfixum extendens, non ſecundum menſuram regulæ, ſed in immenſum gloriantur:* hæc ibi.

*Aug. de conſenſu Evangeliſtarum c. 34. in fine Tom. 4.*

*Luc. 10.*

*Epheſ. 4.*

*Lyra in 4. c. epiſt. ad Epheſ.*

*1. Cor. 10. Gloſſa.*

Ex præmiſſis infertur, quòd ſecundum ſtatum Apoſtolicum, ſingulariter tria genera Eccleſiaſticorum ipſis Apoſtolis ſuccedere dinoſcuntur, ſcilicet Cardinales, Epiſcopi, Religioſi. Pro quo ſciendum, quod Apoſtoli poſſunt tripliciter conſiderari: uno modo, prout fuerunt Chriſti aſſeſſores, ante ſuam aſcenſionem; Alio modo, prout facti ſunt paſtores diſperſi, per mundum prædicantes. 3. modo, à vocationis eorum principio, uſque ad finem, juxta modum perfectionis & converſationis. 1. inquam conſiderari poſſunt Apoſtoli, ut fuerunt Chriſti aſſeſſores primò, & poſtea B. Petro aſſederunt, ut domeſtici & familiariſſimi amici, & ſecretarii, & hoc modo ſuccedunt eis reverendiſſimi Patres, Domini Cardinales, quaſi domeſtici Papæ conſiliarii, & aſſeſſores, ſed quantum ad 2. ſtatum Epiſcopi ſuccedunt Apoſtolis, & hoc notavit Apoſtolus diſtinguens ſtatus Eccleſiæ, quia cum diſtinguit ſtatum paſtoralem, cui incumbit cura animarum particularium, à ſtatu Apoſtolico, ad quem ſpectat regimen & ordinatio totius Eccleſiæ generalis, & juxta hanc ſententiam dicit Archid. 22. diſt. c. *ſacroſancta* quod Papa debet ſe inter Cardinales annumerare, ratione ſtatus Apoſtolici, in quo ſunt condividendo eum à ſtatu paſtorali, licet in ſtatu Apoſtolico fuerunt paſtores. Sed ſtatus in ſe ſunt diverſi, & prius fuerunt in ſtatu Apoſtolico per Chriſtum inſtituti, quàm in paſtorali per Petrum, quia ante paſſionem inſtitutus eſt Petrus à Chriſto omnium paſtor, & tunc ſtatus paſtoralis eſt ordinatus, cum Apoſtolicus ſtatus ante fuiſſet. Petrus ergò & ſui ſucceſſores utrumque retinent ſtatum, ſed Cardinales Apoſtolicum duntaxat, & ita diverſitas inter nunc vocatos Cardinales & Epiſcopos, qui in ſtatu Apoſtolico vario modo ſuccedunt Apoſtolis, notatur in gloſſa 2. ad Corinth. tertio: ſuper illud fidelibus dictum, *omnia veſtra ſunt, ſive Paulus, ſive Apollo*, qui erat Epiſcopus eorum, *ſive Cephas*, id eſt Petrus, qui omnibus major erat. Ex quo ſequuntur aliqua. Primum, quod ad ſtatum Cardinalium, tanquam ad ſtatum Apoſtolicum, primò pertinet una cum Papa, regimen & ordinatio totius Eccleſiæ. Nam ſicut perfectio ſtatus Epiſcopalis in hoc conſiſtit, ſecundùm ſanctum Thomam, 2. 2. quòd quis ex voluntaria obligatione ſe obligat ad hoc quod curam proximorum gerat, & ſaluti eorum inſiſtat, videlicet eorum, qui ſuo Epiſcopali regimini ſpecialiter ſunt commiſſi: Ita perfectio ſtatus Cardinalatus in hoc, conſiſtit, quòd ex charitate ſe obligat, ut cum capite ſuo Chriſti vicario, generaliter fidem & Chriſtianitatem uſque ad ſanguinis effuſionem defendant, in cujus ſignum capellum

*Apoſtolorum ſtatus tripliciter conſiderantur.* Cardinales, Epiſcopi, Religioſi.

*Cardinales ſuccedunt Apoſtolis ut aſſeſſores Epiſcopi ut Prædicatores.*

*22. diſt. ſacroſancta. cap. 2.*

*2. Cor. 3. Gloſſa interlinearis.*

*1.* Cardinalium auctoritas.

*Thom. 2. 2. q. 184. a. 7. ad 1.*

Digitized by Google

pellum rubeum portare dicuntur. Sequitur ſecundò, quòd Cardinales ſunt in ſtatu perfectionis altioris, quàm ſit generaliter ſtatus paſtoralis, quia inferiores paſtores tenentur ſe exponere pro grege particulari; ſed Cardinales tenentur ſe exponere pro Eccleſia univerſali, quod eſt perfectius, quia bonum quanto communius, tanto divinius, ut dicit Philoſophus. Tertiò ſequitur ex eodem, quod ad ſedem Apoſtolicam, ſcilicet Papam & Cardinales, præ cæteris ſedibus particularibus pertinet declaratio veritatum neceſſariarum aut utilium ad ſalutem, ſive quantum ad fidem, ſive quantum ad utile regimen Eccleſiæ militantis, quia in hoc ſuccedunt Petro & cæteris Apoſtolis, quantum ad ſtatum Apoſtolicum primitivum, de quo dictum eſt: *Euntes docete omnes gentes*. Matth. ultimo. Si verò objicitur, quòd Cardinales Diaconi non ſuccedunt Apoſtolis, cum omnes fuerint Presbyteri; Reſpondetur, quòd licet non ſuccedunt in ordine Presbyteratus, tamen ſuccedunt in ordine diaconatus, & nihilominus ſuccedunt eis, quantum ad ordinem hierarchicum Cardinalatus, ad intellectum ſuperius declaratum; unde quantum ad hoc, Cardinales Diaconi non ſolum jure prædicto, ſed etiam laudabili & approbata conſuetudine jam præſcripta, præcedunt Epiſcopos, licet ordo Epiſcopalis dignior ſit ordine diaconatus: ſicut v. g. Archidiaconus, licet non ſit Presbyter, tamen præeſt pluribus Presbyteris ſuo Archidiaconatus ordini hierarchico ſubjectis. 25. diſt. perlectis. Et ſic Cardinales etiam non Epiſcopi præcedunt Epiſcopos, quia comparantur ſenatoribus, qui erant primi poſt Imperatorem, & dicebantur Patres conſcripti. De hoc per Archidiaconum de offic. leg. capite primo, libro ſexto.

2. 3. *Matt. 28.* *Cardinales Diaconi præcedunt Epiſcopos,* *25. diſt. perlectis.* *De offic. le. c. 1. lib. 6.*

Quantum ad ſecundum Statum Apoſtolorum, pro ut diviſi ſunt à Petro per univerſum mundum, ſuccedunt eis propriè Epiſcopi cum omnibus his, qui ſub hoc nomine, *Epiſcopus* dinoſcitur comprehendi, de quo dicit Rabanus libro ſuo de naturis rerum: „. Ordo, *inquit*, Epiſcoporum quadripartitus eſt, in Patriarchas, Archiepiſcopos, Me„ tropolitanos atque Epiſcopos. Patriarcha græca lingua interpretatur ſummus Pa„ trum, qui primum, id eſt, Apoſtolicum retinet locum, & ideò quod ſummo hono„ re fungitur, tali nomine cenſetur, ſicut Romanus, Antiochenus, Alexandrinus Ar„ chiepiſcopus græco vocabulo dicitur, quod ſit ſummus Epiſcoporum, tenet enim „ vicem Apoſtolicam & præſidet tam metropolitanis, quàm Epiſcopis cæteris, metro„ politani autem à menſura civitatum vocati ſunt; ſingulis enim provinciis præeminent, „ quorum auctoritati & doctrinæ cæteri ſacerdotes ſubjecti, ſine quibus reliquis Epi„ ſcopis nihil agere licet; ſolicitudo enim totius provinciæ ipſis commiſſa eſt. Omnes „ autem ſuperius deſignati ordines, uno eodemque vocabulo Epiſcopi nominantur, „ ſed ideo privato nomine quidam utuntur, propter diſtinctionem poteſtatum, quam „ ſingulariter acceperunt. Patriarcha pater Principum, ἄρχων enim princeps, Archie„ piſcopus princeps Epiſcoporum: ſicut metropolitanus à menſura civitatum": hæc ille. Sed notat D. opponens unam clauſulam, quam dicit me prætermiſiſſe, in c. *decretis*, ubi dicitur quod talis diſtinctio eſt ſumpta à vana gentilitate, quod voluit notari. Reſpondeo, quòd nomina iſta flamines & archiflamines, Eccleſia in gentilitate reperit; ſed gradus eis correſpondentes beatus Petrus & Apoſtoli à Chriſto acceperunt: & ideo nomina permanſerunt, & in diſtinctionem Eccleſiaſticæ dignitatis ceſſerunt, vel cum ſancto Thoma, ubi arguit in 4. diſtinctione 24. Ritus Eccleſiæ non debet magis conformari ritui gentilium, quàm ritui Judæorum, ergò reſpondet quòd ritus Judæorum non erat diffuſus in diverſis regnis & provinciis, ſed tantum in una gente, & ideò non oportebat, quod ſub eo, qui habebat poteſtatem principalem alii Pontifices diſtinguerentur; ſed Eccleſiæ ritus, ſicut & gentilium, per diverſas nationes diffunditur, & ideo oportuit, quòd quantum ad hoc magis gentilium ritui, quàm Judæorum, ſtatus Eccleſiæ conformetur: unde licet ordo iſte Eccleſiaſticus quoad diſtinctionem graduum prælationis, ſit ritui conformis gentilium; non ſequitur quod ſit malus, aut vanus, aut non à Deo inſtitutus: quoniam Eccleſia conſtituta eſt ex utroque pariete, ſcilicet gentilitatis & Judæorum: ita ritus Eccleſiæ modò capitur ex conformitate unius, modò alterius, prout dicit Hugo lib. 2. de Sacramentis, parte 3. c. 4. hæc ille. Et hi ordines à B. Petro & ſanctis Apoſtolis effluxerunt, prout teſtatur etiam beatus Clemens, ſecundum quod etiam allegat Hugo, ubi prius, & habetur in libro ilIius, in principio, qui ſolet inſcribi decreta Pontificum. Dicit enim ſic: *In illis civitatibus, in quibus apud Ethnicos primi flamines eorum atque primi legis Doctores erant, Epiſcoporum primates ponit, vel Patriarchas ordinavit, qui reliquorum Epiſcoporum judicia, & majora, quoties neceſſe foret negotia, in fide agitarent ſecundum Domini voluntatem, ſicut ſancti conſtituerunt Apoſtoli, & ita ut ne quis injuſtè periclitaretur, definirent. In illis autem civitatibus, in quibus dudum apud prædictos erant Ethnicos Archiflamines, quos tamen minoris ducebant, quàm memoratos Primates, Archiepiſcopos inſtitui præcepit, qui non tantum primatum, ſed Archiepiſcoporum nomine fruerentur:* hæc ille. Ex quo patet, quod Apoſtolis hi gradus ſuccedunt, quoad ſtatum eorum.

Epiſcoporum auctoritas. *Raba. lib. de inſtitutione Clericorum. c. 5. ſimilia habet.* *Meteropolis mater civitatum.* *diſt. 21. c. Decretis.* *Thom. 4. ſent. diſt. q. 3. art. 2. ad 2.* *Hugo lib. 2. de Sacramentis par. 3. c. 4. Epiſtola Clementis.*

Quantum

Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

Quantum ad tertium ſtatum Apoſtolorum, ſcilicet perfectioris converſationis, eis ſuccedunt Religioſi: unde dicitur 16. q. 1. *ex auctoritate* quòd Monachi Apoſtolorum figuram tenent, & hoc quantum ad propriorum renunciationem, ut exponit gloſſa. Pro quo ſciendum, quod repræſentare ſtatum Chriſti & Apoſtolorum poteſt intelligi dupliciter: uno modo eſſentialiter, & ſic omnes qui obligant ſe ad perfectionis opera, ſecundum tria vota eſſentialia, repreſentant Chriſti & Apoſtolorum perfectionis ſtatum: ſcribitur enim Num. 6. quod omnes Nazaræi, qui volebant ſe domino conſecrare, voto ſe aſtringebant ad perfecta opera. Quantum ergò ad hoc, quòd omnes religioſi voto ſe obligant, aſtringentes ſe ad opera ſupererogationis, ſecundum illa tria eſſentialia vota, eſſentialiter repræſentant Chriſti & Apoſtolorum perfectionis ſtatum, cum Apoſtoli prius vocati fuerint ad ſtatum religionis, ſecundum illa tria vota, ſicut de voto Apoſtolorum infra dicetur. Nam mox vocati ad Chriſtum, *relictis omnibus, ſecuti ſunt eum.* Matth. 4. Super quo verbo dicit Chryſoſtomus: *tria ſunt quæ relinquere debent venientes ad Chriſtum. Primò ſubſtantias mundiales, quæ per navem intelliguntur. Secundò, operationes carnales, quæ per rete intelliguntur, Tertiò, reverentias paternales, quæ per patrem intelliguntur:* hæc ille. Secundo inſtrumentaliter, & ſic ſecundum diverſum modum vivendi in voluntaria paupertate, diverſimodè religioſi Chriſti & Apoſtolorum perfectionis ſtatum repræſentant. Pro quo ſciendum, quòd ad perfectionis ſtatum multa requiruntur, formaliter quidem neceſſaria eſt charitatis perfectio; efficienter verò trium votorum principalium perpetua obligatio; inſtrumentaliter corporalis in vigiliis & jejuniis exercitatio & regularis obſervatio. Eſſentialiter autem Chriſti & Apoſtolorum in modo vivendi imitatio. Quantum ergò ad charitatis perfectionem Epiſcopi ſunt in perfectiori ſtatu cæteris aliis. Requirit enim pontificalis ſtatus charitatem perfectam jam acquiſitam, non acquirendam. Quantum verò ad trium votorum principalium perpetuam obligationem, omnes religioſi, qui ad illa ſe obligant, ſunt æqualiter in perfectionis ſtatu: Quantum autem ad corporalem exercitationem Monachi & profeſſores regulæ beati Benedicti, (a) arctiorem vivendi modum perfectionis ſtatum requirunt, quàm alii. Sed quantum ad modum vivendi Chriſti & Apoſtolorum imitationem religioſi mendicantes magis ſequuntur illum modum vivendi, quàm alii, cum in communi poſſeſſiones non habeant, nec in ſpeciali, ſed ſolum de his, quæ quotidiè offeruntur à Chriſti fidelibus, in victu & veſtitu neceſſaria recipiant. Quemadmodum Chriſtus cum ſuis diſcipulis nunc mendicando, nunc neceſſaria oblata recipiendo. Ex quo patet, quòd Religiones non ſunt inſtitutæ à puro homine, quantum ad vota eſſentialia, in quibus conſiſtit omnis religionis perfectio; ſed præſupponuntur illa vota eſſe inſtituta à Chriſto, in ipſa Apoſtolorum vocatione, ſed ſolum quantum ad quædam accidentalia, puta quantum ad habitum & ordinationem regulæ, vel inſtitutionem, quæ ſic firmitatem habent, non niſi cum approbatione Eccleſiæ. Hoc addito, quòd certarum religionum habitus non eſt humanitus inventus, ſed de cœlo oſtenſus & datus, quemadmodum beatiſſima virgo habitum ordinis mei Prædicatorum oſtendit Magiſtro (b) Rainaldo, ipſum curando mirabiliter à ſua infirmitate, ad preces beati Dominici, & ex tunc eum habitum, quem videtis, ordo acceptavit, quem non homo, ſed beatiſſima virgo Maria nobis contulit, cum habitum Canonicorum regularium fratres noſtri bajularent, ut patet ex legenda B. Dominici. Ex quo patet, quòd eccleſiaſtica Hierarchia ſuccedit Apoſtolis; ſcilicet Cardinales ut aſſiſtentes, Epiſcopi ut miniſtrantes & Religioſi ut perfectionis vitam imitantes.

*Religioſi perfectione converſationis.*

*16. q. 1. ex auctoritate. cap. 24.*

*Status Chriſti repræſentatus eſſentialiter.*

*Num. 6. Matt. 4. Chryſ. in opere imperf.*

*Inſtrumentaliter.*

(a) *alius liber: arctiori modo.*

(b) *Reinhardo.*

*72. diſcipuli in triplici habitudine conſiderantur.*

Aliud genus à Chriſto inſtitutorum eſt 72. diſcipuli, & hi etiam poſſunt in triplici habitudine conſiderari. Primò ut miſſi à Chriſto ad prædicandum ante ſuam paſſionem. Secundò ut miſſi ab Apoſtolis poſt Chriſti aſcenſionem. Tertiò ut diaconi per quorundam ex eis ordinationem. Nam in primo ſtatu ſuccedunt eis Presbyteri curati: in ſecundo quoad aliquid Presbyterii alii: in tertio Archidiaconi judices & cæteri Clerici. Primo inquam, ſi conſiderantur 72. diſcipuli, ut à Chriſto miſſi ad prædicandum in omnem locum, quo erat ipſe venturus, & non alibi, repræſentant ſtatum & figuram curatorum Presbyterorum, qui ſic ſunt ad unam plebem ſeu Parochiam limitati, quòd præſunt illic, & non alibi, & ſic declaravi in prima poſitione mea ſuper illo complexo *à Sacerdotibus Domini*, notando, quod ſoli curati ſuccederent in prædicatione ordinaria 72. diſcipulis Domini, quia illi ſoli ſunt Presbyteri ſecundi ordinis, aut minoris ordinis appellati, ut ibidem ſufficienter deductum eſt. Expreſſius declarat dominus patriarcha Petrus de Palude in libro de Eccleſiaſtica poteſtate, concluſione tertia. Sed ſecundo modo, prout ab Apoſtolis fuerunt miſſi, conſiderantur quoad duplicem actum. Primus eſt ſuper corpus Chriſti verum, quia creduntur multi ex eis fuiſſe ordinati in Presbyteros, licet in ſcriptura canonica non reperiatur. Secundus actus quoad corpus Chriſti myſticum in quantum ab Apoſtolis receperunt auctoritatem exequendi poteſtatem clavium, & in utroque actu ſuccedunt eis curati: ſed

*ſuprà.*

*Paludanus.*

Digitized by Google

ſed in primo tantùm ſacerdotes alii, quia ut dictum eſt in alia poſitione ex S. Thoma, principalis actus ſacerdotii, qui eſt conſecrare ſuper corpus Chriſti verum, omnibus ſacerdotibus convenit, ſed ſecundarius actus ſacerdotii, qui eſt ſuper Chriſti corpus myſticum, non convenit niſi curatis. Conſiderando autem eos tertio modo, prout quidam fuerunt ex eis facti diaconi, ut Stephanus Archidiaconus, ſic eis ſuccedunt Clerici conſimilium nominum, & inferiores Prælati ſeu Clerici, quemadmodum de hoc ſcribunt Doctores antiqui multi; ſufficit tamen ad præſens, quòd in Concilio Chalcedonenſi ſtatutum eſt, ut aliqui Presbyteri ordinari poſſint: ſi in martyrio proviſi fuerint diſt. 70. *Neminem*, ubi dicit gloſſa, quod *martyrium* vocatur, ubi repoſitæ ſunt reliquiæ martyrum, & conſtat ſatis, quod illi fuiſſent malè illuc limitati, ſi fuiſſent ad prædicandum ubique obligati. Et ita non ſucceſſerunt 72. niſi in actu principali, qui eſt actus celebrationis officii ſuper corpus Chriſti verum.

*diſt. 70. neminem. cap. 1.*

Præmiſſam deductionem latius, præſertim in hoc ultimo puncto, declaraſſem, niſi infirmitate gravatus fuiſſem, ea tamen quæ tacta ſunt in poſitione dominorum Bohemorum, dixi, quia ex his corrigere poſſunt & debent inter multa puncta per dominum Replicantem hæc duo, primum ubi dixit, quòd non habemus expreſsè in ſcriptura canonica, quòd Chriſtus inſtituerit Petrum ſummum Pontificem Apoſtolorum. Secundum quòd ibidem dixit in ſtatu Eccleſiæ primivæ non fuiſſe, niſi tantum duos gradus, ſcilicet diaconatus, & presbyteratus: eo quod idem erat in primitiva Eccleſia Sacerdos & Epiſcopus. Et quanquam hæc duo ſunt oſtenſa, expreſsè eſſe falſa, immediatè ſuperius, tamen pro majori evidentia de 1. ſciendum, quod Petrus a Chriſto poſitus eſt ſuper Apoſtolos, tanquam Princeps & Prælatus eorum, quod ex ſcriptura canonica patet, ubi Dominus ait Petro, *paſce oves meas*, ubi dicit Chryſoſtomus *Eximius enim Apoſtolorum erat Petrus, & os diſcipulorum & vertex collegii, unde & negatione deleta, committit ei Prælationem fratrum, & negationem quidem ei non exprobrat, ſed dicit, ſi diligis, præſide fratribus.* Idem Chryſ. ſuper Actus Apoſtolorum ait, *Petrus à filio ſuper omnes qui filii ſunt, poteſtatem accipit, non ut Moyſes in gente una, ſed in univerſo orbe.* Et ita patet, quod ſoli Petro dictum eſt illud verbum, *paſce oves meas*, & ita benè ego addidi literam *ſoli*, licet in textu Evangelii non habeatur, nec addidi, ut verba textus, ſed ut doctores exponere ſolent verba eadem. Ad idem beatus Bernardus ad Eugenium inquit: „ quæ ſub te ſunt, ſi quæras, certè „ orbem exeundum eſt ei, qui fortè vellet explorare, quæ non pertinent ad tuam cu- „ ram. *Et paulò ante:* itaque tu & hæres, & orbis hæreditas: *& ſuprà:* Indagemus „ quis ſis, videlicet quam perſonam in Eccleſia Dei geras. Es enim Sacerdos ma- „ gnus, ſummus Pontifex, tu Princeps Epiſcoporum, tu hæres Apoſtolorum: *& in- „ fra:* tu es, cui claves traditæ, cui oves creditæ ſunt. Sunt quidam & alii cœli ja- „ nitores, & gregum paſtores, ſed tu tantò glorioſius, quantò differentius utique præ „ cæteris nomen hæreditaſti. Habent illi ſibi aſſignatos greges, ſinguli ſingulos, *tibi* „ univerſi crediti ſunt, nec modo ovium, ſed & paſtorum, tu unus omnium ovium „ paſtor: Unde id probare, quæris? Ex verbo Domini, cui enim; non dico Epiſcopo- „ rum, ſed Apoſtolorum, ſic abſolutè & indiſcretè totæ commiſſæ ſunt oves? Si me „ amas Petre, paſce oves meas: quas? illius vel illius populos civitatis, aut regni? „ oves meas, inquit, cui non planum, non deſignaſſe aliquas, ſed deſignaſſe omnes"? & reliqua quæ ibi ſequuntur ad propoſitum.

*Duo corrigenda à replicante.*

*Prius, Petrum à Chriſto poſitum ſuper Apoſtolos.*

*Chryſoſt. in Matth. 16. Joan. 21. Petrus vertex & os Apoſtolorum, Chryſoſto. Bernar. 3. conſid. lib. 2. conſiderationum.*

Ad ea, ubi Replicans volens oſtendere propoſitum ſuum, arguit, primò ex canone *in novo*, diſt. 21. ubi dicit, quòd omnes Apoſtoli fuerunt pares, quia parem honorem & poteſtatem à Domino receperunt. Reſpondeo quod verum eſt de poteſtate ordinis ſacerdotalis primò, & epiſcopalis tandem, quæ non recipit majus & minus: ſed non eſt verum de poteſtate jurisdictionis, ut declaratum eſt etiam nunc, & in mea poſitione ex multis Doctoribus: & per hoc ſunt ſolutæ auctoritates aliæ, quas adducit, quia Dominus omnibus ſimul dixit: *hoc facite in meam commemorationem:* loquitur de poteſtate ordinis. Similiter: *Accipite Spiritum ſanctum.* Sed quia dixit Dominus Replicans, quòd illud, *paſce oves meas*, non fuit dictum ſoli Petro, ſed ſibi in perſona aliorum: In oppoſitum oportet oſtendere veritatem. Nam textus ſibi ſoli oſtendit dictum: *dixit Jeſus Petro, Simon Joannis, diligis me plus his? paſce oves meas:* & quòd ſoli Petro dictum ſit illud verbum *paſce oves meas:* & per hoc Petrus ſit conſtitutus ſummus Pontifex totius Eccleſiæ, patet per ſubſequentia: dicit enim ſuper eodem verbo beatus Cyrillus Epiſcopus Alexandrinus, „ ut membra maneamus in „ capite noſtro Apoſtolico throno, Romanorum Pontifice, à quo noſtrum eſt quæ- „ rere, quid tenere, & quid credere debeamus, ipſum venerantes, ipſum rogantes „ pro omnibus, quoniam ipſius ſolius eſt reprehendere, corrigere, ſtatuere, diſpo- „ nere, ſolvere & ligare, loco illius, qui ipſum ædificat, & nulli alii, quod ſuum eſt „ plenum, ſed ipſi ſoli dedit, cui omnes jure divino caput inclinant, & primates mun- „ di tanquam Domino Jeſu Chriſto obediunt": hæc ille: ſuper eodem Joannis ultimo dicit

*An Apoſtoli æquales. diſt. 21. In novo. c. 2.*

*Joan. 21.*

*Cyrillus.*

*In Catena S. Thomæ.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

dicit Theophylactus: „ finito prandio commissionem ovium mundi Petro commen-
„ dat, non aliis, unde dicitur: cum ergò prandidissent, dicit Simoni Petro Jesus: Si-
„ mon diligis me plus his? pasce oves meas; tanquam non esset ubi ostenderet Petrus
„ amorem suum Christo, nisi esset pastor fidelis sub principe omnium pastorum": hæc
ille. Nicolaus de Lyra, „ dixit Simoni Petro, volens ei beneficium speciale confer-
*S. Thom. in 21. c. Joan. lectura 3.* „ re, Simon Joannis, diligis me plus his? pasce oves meas": hæc ille. Sanctus Tho-
mas dicit sic: „ pasce oves meas, ut sic non posset dici Christianus, qui dicit, se non
„ esse sub cura pastoris istius, scilicet Petri juxta illud Ezech. 39. Pastor unus erat
„ omnium nostrum. Et Osee 1. Ponent sibi caput unum. Petro autem hoc officium
*Joannis Chrysost. in 21. c. Joan.* „ congruè omnibus intermissis commisit, quia secundum Chrysostomum, eximius A-
„ postolorum erat, os Discipulorum, & vertex collegii": hæc ille. Gorra: „ Sed
„ quæritur cum alii discipuli circumstarent, qui Dominum diligebant, propter quid
„ à solo Petro quæsitum est de dilectione? Ratio una est, *inquit*, quia sibi erat cura
„ gregis specialiter committenda inter alios, ideo ab eo specialiter de dilectione quæ-
*S. Thom. con. gentes. l. 4. c. 76.* „ ritur". Allegat Chrysostomum, ut jam dictum. Item sanctus Thomas contra gen-
tiles libro 4. c. 76. „ quia Dominus corporalem præsentiam Ecclesiæ erat subtracturus,
„ oportuit ut alicui committeret, qui loco sui universalis Ecclesiæ gereret curam,
„ hinc est, quod Petro dixit ante ascensionem, pasce oves meas. Joan. ultimo, &
„ ante passionem: Et tu iterum conversus confirma fratres tuos Luc. 22. & ei soli
„ promisit, Tibi dabo claves regni cœlorum Matt. 16. ut ostenderet, quomodo po-
„ testas Ecclesiæ per eum ad alios esset derivanda ad conservandam Ecclesiæ unita-
„ tem": hæc ille.

*Non idem esse Episcopum & Sacerdotem.* Quam reprehensibile autem sit secundum, eo magis debeo enarrare, quo sperabam
replicantem providentiorem fuisse, dicere enim quòd in Ecclesia primitiva, idem fue-
*Augusti. de hæres. c. 53.* rit Episcopus & Sacerdos, fuit hæresis Arianorum, ut dicit B. Augustinus lib. de hære-
sibus c. 53. qui Arius, quia desideratum Episcopatum adipisci non potuit, vilipenden-
*S. Thom. 2. 2. q. 184. a. 6. ad 1.* do Episcopatum, tandem dixit Presbyterum ab episcopo nulla differentia debere dis-
cerni: unde dicit S. Thom. 2. 2. q. 184. a. 6. ad 1. quod secundum nomen olim Pres-
byteri & Episcopi non semper distinguebantur, quia sæpè pro eodem in sacra scriptu-
ra sumuntur: sed secundum rem semper fuit inter eos distinctio, etiam tempore Apo-
stolorum. Ad hoc autem quod allegat Apostolum & Magistrum sententiarum, respon-
*1. Tim. 3.* deo quòd Apostolus allegat regulam episcopalem dicens 1. Tim. 3. *si quis desiderat. Oportet Episcopum irreprehensibilem esse*, & de Diaconis postea loquitur, de Presby-
teris mentionem non facit, non id eo factum est, quod idem fuerunt tunc Presbyter &
Episcopus, sed quia illa doctrina, quam soli tradidit Episcopo, etiam convenit & Pres-
*Chrysost. hom. 11. in 1. ep. ad Tim. c. 3.* bytero: unde dicit Chrysost. ibidem hom. 11. in expositione ejusdem textus, sic dispu-
tans de Episcopis, & designans eos, dicens, *quæ quidem habere, à quibus autem ab-
stinere oportet, & ordinem Presbyterorum dimittens, ad diaconos transtulit, quia uti-
que quoniam non multum medium est, etenim hi sacerdotes ministerium susceperunt, &
præsidentiam Ecclesiæ, & quæ de Episcopis dixit, hæc & Presbyteris conveniunt; in-*
*χειροτονίαι manuum impositione, ordinatione Haymo.* *throni satione enim sola super eos ascenderunt, & hoc solum videtur superabundare Pres-
byteris:* hæc Chrys. ad idem inquit Haymo: *quare tacuit de Presbyteris? ideo, quia
in ordinatione episcopali comprehenduntur Presbyteri. Omnis enim Episcopus Presbyter
est, & tamen non omnis Presbyter Episcopus est:* hæc ille: & quod nullo modo fuerit
mens alia Apostoli, quam quod alterius gradus essent Presbyteri & Episcopi: patet
*1. Tim. 4.* ibid. c. 4. dicentem: *noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per Pro-
phetiam, cum impositione manuum Presbyterii.* Quem ergò credis hìc Apostolum di-
xisse Presbyterum: nunquid simplicem Sacerdotem? non ita, sed Presbyterum ibi
*Chrys. ibid. hom. 13.* dixit Episcopum, unde Chrys. in expositione homi. 3. ibidem, *cum impositione manuum
Presbyterii: non de Presbyteris, sed Episcopis dixit, non enim Presbyteri Episcopum
utique inthronisabant:* hæc ille. Ecce quod simplices Presbyteri non convenienter in-
thronisassent, id est, consecrassent Episcopum. Fuerunt ergò distincti ab Episcopis
Presbyteri, etiam tempore Apostoli, sicut & suprà dictum est de Patriarchis, Pres-
*dist. 95. olim. c. 5.* byteris, &c. Quod etiam ille allegat Hieronymum dist. 95. *olim:* nihil pro eo est,
quia non dicit Hieronymus, quod non esset distinctio inter Episcopum & Presbyte-
rum, etiam quando communi consilio sacerdotum actum est, quod unus præesset om-
nibus, quia nihilominus hoc jubente Domino factum est, & non minus Episcopi su-
*Hieron. ad Evagrium epist. 85. Tom. 2.* per Presbyteros extiterunt: unde ibidem Hier. in ep. ad Evagrium: *Nam & Alexan-
driæ Marcus Evangelista usque ad Heraclam & Dionysium Presbyterii unum ex se ele-
ctum in excelsiori gradu collocabant, quem nominabant Episcopum, quomodo si exercitus
Imperatorem faciat, aut diaconi eligant ex se quem industrium noverint, & Archidiaco-
num nuncuparent:* hæc ille; & assumitur distinct. 93. in capitulo *legimus.* Et dicit
*dist. 93. legimus. c. 23. Hier. Gloss. ordinaria.* ibidem Hieron. super Isaiam hom. 2. super illo textu. *In die illa exeunt quinque civi-
tates in terra Ægypti. Porrò qui ab adventu Christi & Romano imperio prophetiam
differunt,*

Digitized by Google

*differunt, quinque civitates vel legem Domini, quæ in Alexandria primum interpretata est, vel quinque Ecclesiæ ordines, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, fideles, catechumenos sentiunt:* hæc ille. Quod autem idem dicit Hieronym. dist. 93. *legimus idem Sacerdotem esse & Episcopum:* intelligendum secundum nuncupationem, non secundum rem, ut exponit Hugutio & Archidiaconus ibidem. Unde Isidorus in libro officiorum de statu clericali, capitulo 9. de Sacerdotibus scribit, quòd Moyses figuram Christi in veteri testamento gerebat, & verè per omnia Christi, quoniam fuit similitudo mediatoris Dei, qui est inter Deum & hominem Jesus Christus, qui est verus Dux populorum, verus princeps Sacerdotum, & Dominus Pontificum, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen. Aaron summus sacerdos, qui primus in lege Sacerdotale nomen accepit, primus qui pontificali stola indutus victimas obtulit. Et infra. *Quo loco contemplari oportet Aaron summum Sacerdotem Episcopum fuisse, & etiam filios ejus Presbyterorum figuras præmonstrasse. Fuerunt enim filii Aaron & ipsi Sacerdotes, quibus meritò astare debuissent Levitæ, sicut summo Sacerdoti,* hæc ibi, & capitulo septimo dicit: *Presbyterorum ordo exordium assumpsit à filiis Aaron, ut dictum est, qui enim Sacerdotes vocantur in Veteri Testamento: illi sunt, qui nunc appellantur Presbyteri, & qui nuncupantur Principes Sacerdotum, nunc Episcopi nominantur:* hæc ibidem. Nam Paulus Apostolus eosdem Presbyteros, ut verè Sacerdotes, sub nomine Episcoporum ita asseverat loquens ad Titum, *hujus:* inquit, *rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas, & constituas per civitates, Presbyteros, quemadmodum ego tibi dispositi, si quis sine crimine est, oportet enim Episcopum sine crimine esse.* Qua sententia ostendit etiam Presbyteros sub Episcoporum nomine taxari: unde ad Timotheum de ordinatione Episcopi & Diaconi scribens, de Presbyteris omninò tacuit, quia eos in Episcoporum nomine comprehendit. Secundus enim & penè primo conjunctus est gradus, sicut & ad Philippenses Episcopis & Diaconibus scribit, cum una civitas plures Episcopos habere non possit. Et Actibus Apostolorum Presbyteros Ecclesiæ, Hierosolymam iturus congregavit, quibus inter cætera ait: *videte gregem, in quo vos Spiritus sancti Episcopos ordinavit.* Unde etiam tales in Ecclesia Presbyteros constituendos esse, sicut Episcopos, & Apostolus ad Titum loquitur, & canones ipsi testantur. Ex quo patet, quòd ab initio sacerdotii legalis, usque nunc semper fuit distinctio Episcopi à Presbytero, licet sæpè eodem vocabulo censerentur propter propinquitatem, quam habent in auctoritate, quia Episcopus excedit Presbyterum tantum jurisdictionis dignitate. Ad Magistrum sententiarum in quarto dist. 24. capitulo penultimo dico, quod nunquam fuit suæ mentis, asserere, tantum duos gradus fuisse in primitiva Ecclesia, ita quòd Presbyter & Sacerdos essent idem, ut replicans videtur eum intelligere, sed in eodem capitulo dicit eos distinctos, *ipsi enim,* inquit, *in singulis civitatibus Episcopos & Presbyteros ordinaverunt,* sed loquitur ibi de sacris ordinibus, dicens, quòd in Ecclesia primitiva tantum isti duo dicebantur sacri, scilicet diaconatus & Presbyteratus. Subdiaconatum esse ordinem sacrum postea Ecclesia instituit, ubi dicit sanctus Thomas, quòd licet omnes ordines sint sacri, specialiter tamen isti duo dicuntur ordines sacri, quia isti duo habent actum super ipsum sacramentum. Subdiaconus verò super vasa tantùm. Ex isto patet, quòd malè respondit Replicans, dum de distinctione status Hierarchici in lege æterna distincti sub Hierarchia triplici, dicit: *sic dico, prout ex præhabitis patet, ista similitudo patitur instantiam, cum Ecclesia militans solos duos gradus habebat, ut dicit Magister in quarto. Item cum idem erat Presbyter, qui & Episcopus, ut dicit Hieron. Et quando in locum 72. discipulorum succreverunt minores Sacerdotes:* hæc ille.

SÆC. XV. ANNO 1433.

*Hier. in ep. ad Tit. c. 1. Isidorus libro 2. c. 5.*

*Isid. l. 2. c. 7.*

*Tit. 1.*

*Actor. 20.*

*Ad magistri sententiarum.*

*Non est vera hac sententia.*

Et quia istam materiam continuando magis eluceseet veritas. Ideò notandum, quod quia ego dixi ex parabola Evangelica: per duos in agro, Prælatos, per duos in lecto, Religiosos, per duos in mola, seculares intelligendos. Ipse dicit hanc expositionem secundum alios non esse de mente Christi. Sed per duos in agro intelligi statum dominorum sæcularium, per duos in lecto spirituales, ut est Clerus Christi, in mola, fideles Laicos, videtur etiam contra religiosos invehere, ubi dixi, quod ad lectum pertinet, qui in claustris vacat, dicit enim Paulum in lecto contemplationis quievisse, & tamen discurrendo mundum convertisse, & *utinam omnes,* inquit, *Religiosi facerent, & liberè prædicarent.* Circa quod inprimis notandum, quod ipse nullum allegat Doctorem, sed in genere dicit, *secundum alios,* & quicunque sint illi, non adæquata comparatio. Sed B. Augustinus qui multo melius novit mentem Christi, quam quicunque alii innominabiles novelli, sententiam meam approbat, dicens in expositione Psalm 132. de tribus enim ipsis generibus dictum est: *duo in agro, unus assumetur, & alter relinquetur, duo in lecto, & duo in mola, alter assumetur, alter relinquetur:* quam auctoritatem ut perfectius intelligatis, & persequi Religiosos desistatis, audite quid præmittit beatus Augustinus super Psalmo: „Ecce quam bonum, *dicens,* hæc primum

*In Psalm 132. Augustin.*

SÆC. XV. ANNO 1433.

„ consideremus, utrum de omnibus Christianis dictum sit, ecce quam bonum & quam „ jucundum habitare fratres in unum. An aliqui sunt certi atque perfecti, qui habi- „ tant in unum, nec ad omnes pertineat ista benedictio, sed ad quosdam, à quibus „ tamen descendat ad cæteros. Ista enim verba Psalterii, iste dulcis sonus, ista sua- „ vis melodia, tam in cantico, quàm in intellectu, etiam monasteria peperit: ad hunc „ sonum excitati sunt fratres, qui habitare concupierunt in unum. Iste versus fuit tuba „ ipsorum, sonuit per orbem terrarum, & qui divisi erant, congregati sunt in unum: „ & *infra:* unde illi 120. qui simul erant in uno loco post resurrectionem Domini & „ ascensionem ejus in cœlum, & ipsi primum habitaverunt in unum: ipsi primum au- „ dierunt, sed non soli audierunt: venit enim ad posteros ista charitatis exultatio, & „ votum Deo, Vovetur enim aliquid Deo, ut dictum est, vovete & reddite Domi- „ no Deo vestro: & *infra* ex voce hujus Psalmi appellati sunt & Monachi, ne quis „ vobis de isto nomine insultet Catholicis: & *infra:* veruntamen charissimi sunt & „ Monachi, qui falsi sunt, & nos novimus tales, sed non perit fraternitas pia propter „ eos, qui profitentur, quod non sunt: tam sunt enim Monachi falsi, quàm Clerici „ falsi, & fideles falsi, omnia ista tria genera, quæ aliquando vobis commendavi- „ mus, habent bonos suos, habent malos suos. De istis dictum est, duo in agro, „ duo in lecto; in agro sunt, qui gubernant Ecclesiam, in lecto autem eos in- „ telligi voluit, qui amaverunt quietem, non miscentes se turbis, non tumultui ge- „ neris humani, in otio servientes Deo, & tamen inde unus assumetur, alter relin- „ quitur, &c". hæc ibi. Idem perfectius dicit libro 2. quæst. super Evangelia quæ- „ stione 44. dicens: „ tria hominum genera hæc videntur significari: unum eorum, qui „ in agro quasi erant, qui sunt Prælati, qui præsidendo laborant. Alterum eorum, „ qui otium & quietem eligunt, neque negotiis Ecclesiasticis sunt occupati, quæ il- „ lorum quies, latino nomine signata est. Alterum eorum, qui in plebibus constituti, „ reguntur à Doctoribus agentes ea, quæ sunt hujus sæculi, quos & fœminarum no- „ mine signavit, quia consiliis, ut dixi, præpositorum regi eas expedit, & molentes „ dixit, propter temporalium negotiorum orbem atque circuitum, quas tamen in unum „ molentes dixit, in quantum de ipsis rebus & negotiis suis præbent usibus Ecclesiæ. „ Tertium eorum, qui operantur in Ecclesiæ ministerio, tanquam agro Dei. In his er- „ gò tribus generibus bina sunt rursus genera hominum, hi in singulis, & pro robore „ viarum suarum discernuntur, cum enim omnes ad Ecclesiæ membra pertinere vi- „ deantur, adveniente tamen tentatione tribulationis, & ex illis qui sunt in negotiis „ sæculi, & ex illis, qui Deo ministrant in Ecclesia, & ex aliis in claustro, aliqui „ manent, aliqui cadunt, qui permanet assumetur, & alius relinquetur; non quasi „ de hominibus dictum est, sed de duobus generibus affectionum in singulis generibus „ trium professionum": hæc ille. Ecce quod sanctus Pater ille non ponit laicos in agro, quasi primum locum teneant in Ecclesia Dei, sed in molendino, quia status infimus est Ecclesiasticæ hierarchiæ, nec ponit clericos in lecto, sed religiosos, & sic de singulis. Ad idem in eodem libro capitulo 44. dicit concordando, scilicet psalterium cum cithara, id est, legem veterem cum nova. *Ad illa*, inquit, *tria genera, quæ assumentur, arbitror etiam pertinere illa tria nomina virorum justorum, quos, solos liberandos Ezechiel Propheta pronunciat, Noe, Job, & Daniel. Videtur enim Noe pertinere ad eos, per quos Ecclesia regitur, sicut per illum in aquis arca gubernata est, quæ figuram gestabat Ecclesiæ. Daniel autem, quia elegit cœlibem vitam, id est, nuptias terrenas contempsit, ut sicut dicit Apostolus, sine sollicitudine viveret, cogitans, quæ sunt Dei, genus eorum significat, qui sunt & in otio, sed fortissimi tamen in tentationibus, ut possint assumi. Job autem, quia & uxorem habuit, & filios, & amplas terrenarum rerum copias. Ad illud genus pertinet, cui molendinum deputatum est; sed tamen, ut sint fortissimi in tentationibus, ut ille fuit, non enim aliter assumi poterunt: nec puto alia esse genera hominum, quibus constet Ecclesia quàm ista tria, habentia binas differentias propter assumptionem & relictionem, quamvis in singulis multæ studiorum voluntatumque diversitates, ad concordiam tamen, unitatemque concurrentes possunt inveniri:* hæc Augustinus. Concordat beatus Gregorius de distinctione assumendorum & liberandorum in Ecclesia, & ordinum distinctione, libro trigesimo primo Moralium, ubi tractat istum textum: *Nati sunt Job 7. filii, &c.* Et quia licet dominus Replicans in scriptis non dederit, sic tamen recolo de mendicantibus dixit, quòd illi fratres in lecto non vacarent, eo quòd mendicando discurrerent. Respondeo, quòd hoc argumentum est voluntarium, non charitativum. Nam & Christus cum Apostolis & discipulis ad lectum contemplationis attinebant, quia omnem perfectionis statum exercebant, & tamen per mundum discurrebant, nunc mendicando, secundum quod Deo fuit placitum. Item non sequitur, Religiosi non sunt semper in claustro, ibi continuè contemplando; dico, quod sufficit, quod illuc pertineant ad votum Prælati exeuntes, redeant. Sic enim dicitur, quòd Episcopus tenetur Ecclesiam sine intermissione docere,

*Aug. l. 2. super Evangelia. q. 44.*

*Supra in probatione articuli per legem æternam, consideratione 3.*

*Ibidem c. 44.*

*1. Cor. 7.*

*Gregor. 32. moralic. 19.*

*Greg. 1. moralic. 12.*

*Sine intermissione non continuam moram significat.*

Digitized by Google

cere, 7. quæ. 1. ubi dicit Archidiaconus ſuper verbo *ſine intermiſſione*, quòd aliquid benè dicitur fieri ſine intermiſſione, licet medius actus interveniat, ut ff. de verb. oblig. *continuus:* unde ſi teſtator 10. legaverit uxori ſuæ, ſi cum filio moraretur continua mora, non requiritur, ut per ſingula momenta cum eo moretur de cond. & demon. l. *ſi quis ita.* Ad hæc extra *Rex pacificus*, in principio, *quotidie:* ibi exponitur quotidiè, id eſt, aſſiduè: unde dicit, *argumentum eſt ex his, quod hoc teſtimonium valet: ſemper iſte exercuit ibi ſpiritualia vel quotidie, & tamen quandoque fuit abſens. Sicut cauſſa ſtillicidii perpetua eſt, & tamen non cadit ſemper. ff. de ver. ſign. prædiorum foramen, extra de cler. non reſident: ex parte ſecundum Vincentium:* hæc ibi: & in capitulo pervenit, 7. q. 1. dicit, quod verbum *reſidens* non eſt amarè intelligendum, ita ut nunquam inde diſcedat, & quod ſemper vigilet. ff. de edict. lib. de ed. *ſi quid venditor.* Sicut ergò hi dicuntur reſidere & docere, licet aliquando abſint, ita Religioſi ſemper cenſentur eſſe in clauſtris, & in lecto contemplationis, licet aliquando alia faciant. Ad hoc autem quod in ſcriptis mihi tradidit, dicens: *Quod autem dicit: Religioſi vacant in clauſtris, videtur in oppoſitum venire Paulus, qui quamvis fuerit in lecto contemplationis, non tamen in clauſtris vacabat, ſed per mundum diſcurrens gerebat ſollicitudinem omnium Eccleſiarum,* & infra: *utinam verè Religioſi habiles & idonei à vacatione in clauſtris exirent, & verbum Dei liberè annunciarent, cum meſſis quidem multa, operarii autem pauci:* reſpondeo, quòd Paulus non debuit ſtare in clauſtro quietis; quia ad hoc fuit à domino electus, & publicè vocatus, miraculorum gratia dotatus, ut portaret nomen Domini coram gentibus & regibus; & certè ſi ita eſſent vocati religioſi ſinguli, meritò exirent prædicare verbum Dei: ſed quia juxta dictamen multorum Religioſorum, melius vobis eſſet Domine Ulrice, clauſtra alicujus arctæ religionis intrare, quàm in ſæculo perdurare, & contra præceptum Dei & Apoſtolorum, praxin univerſalis Eccleſiæ, ſine licentia, contra prohibitionem ſuperiorum prædicare, ibique in pane arcto, & aqua brevi præterita peccata deplangere, & plangenda iterum non committere: ideo opto & ego, quatenus relictis omnibus religionem ingredi velitis, ut ſpectaculum Dei mundo & Angelis exiſtatis.

SÆC. XV. ANNO 1433.

7. q. 1. ſicut vir. c. 11.

7. q. 1. pervenit. c. 20.

Act. 9.

Quantum ad tertium notabile ſuper verbo, *debet*, poſuit differentiam inter præceptum & conſilium, quia dixit li *debet*, capiendum præceptivè; ubi dum ego impugnaſſem deſcriptionem ſuam conſilii, quod eſſet doctrina ſpecialis, obligans ſub pœna peccati venialis, oſtendi multipliciter, quod conſilia Evangelica, ut conſilia ſunt, nullum obligant ſub pœna cujuscunque peccati: quibus replicans, ſi mentem docilem adhibuiſſet, contentari debuiſſet. pro ulteriori tamen ejus informatione ſciendum, quòd ſecundùm Doctores communiter ſcribentes, circa diſt. 47. primi ſententiarum, duplex eſt Dei voluntas, ſcilicet ſigni & beneplaciti: voluntas beneplaciti reſpicit præcepta: ſigni quandoque præcepta, quandoque conſilia, utraque tamen voluntas reſpicit bonum, per modum complacentiæ, hoc modo, ſcilicet, quod voluntas Dei antecedens ſigni, quæ eſt voluntas conſilii, differenti ratione reſpicit ad bonum cum voluntate Dei antecedente, quæ eſt præcepti, quarum tamen utraque reſpicit bonum per modum complacentiæ. Voluntas antecedens ſigni, quæ eſt conſilii, reſpicit ſic bonum per modum complacentiæ, ita tamen, quod oppoſitum non diſplicet: hinc ſecundum Bonaventuram conſilium, quod eſt bonum ſupererogatum, non habet malum directè oppoſitum. Et hinc eſt, quòd conſilium non habet ſignum oppoſitum, ſicut habet præceptum, non enim eſt reperire, quod habeat ſe per modum diſplicentiæ, ita quod oppoſitum diſpliceat: hinc ſecundum Doctores communiter ponitur donum Spiritus, quod eſt donum conſilii, donum regitivum in his, ad quæ non tenemur. In his, ad quæ tenemur, non oportet conſiliari: hinc Dominus Bonaventura in ſuo Breviloquio ponit duplicem rectitudinem in faciendo bonum, ſcilicet neceſſitatis & profectionis, quæ eſt in ſupererogando ultra debitum: illud etiam expreſsè declarat S. Thom. 1. 2. q. 108. art. 4. dicens, quod hæc eſt differentia inter præceptum & conſilium, quod præceptum importat neceſſitatem. Conſilium autem eſt in optione, & eſt de his per quæ melius & expeditius poteſt homo conſequi finem ſuum, qui eſt beatitudo æterna. Et in Summa contra gentiles, libro tertio, capitulo 130. dicit, quod conſilia dicuntur divinæ legis admonitiones, non præcepta, in quantum ſuadetur homini, ut propter meliora minus bona prætermittat. Ad quod poteſt adduci iſta manuductio palpabilis. Nam cum ſit quædam politia inter Deum & hominem, dicente Propheta: *Nos autem populus ejus, & oves paſcuæ ejus.* Sicut in politia humana, quæ eſt ad divina exemplificata, videtis eſſe aliquas leges exterminativas, ſub pœna capitis aut mortis, quæ capitales aut mortales nominantur, quæ ſanciuntur proprio vocabuli nomine præcepti. Alias videtis eſſe minores, ſub pœna minori, ſcilicet, quæ non eſt exterminativa, quæ dicitur pœna civilis, & poſſunt nominari hujuſmodi leges ordinationes ſive mandata. Et tertio quaſdam conſultationes, quibus contrahuntur, qui ſunt de politia ad faciendum, ſi libeat, opus excellentiæ, quod ſi velint & fecerint,

*Duplex Dei voluntas, ſigni & beneplaciti.*

*De præcepto & conſilio.*

*Bonaventura in Breviloquio. c. 9.*

*S. Th. 1. 2. q. 108. a. 4.*

*Thom. com. Gentiles lib. 3. cap. 130.*

*Pſal. 94.*

*Gerſon de vita ſpirituali, 2. 5*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

rint, præmiabuntur gloriosè: Si autem non fecerint, nullo modo puniuntur, neque illa non factio eis aliquo modo imputabitur ad pœnam quamcumque: clarumque istud, habenti oculum considerationis apertum. Sic in proposito non repugnat, immò ratio-nabilissimè juxta prædicta ponuntur in lege divina, leges Dei præceptivæ, ut sunt præcepta, contra quæ est solum peccatum mortale, inducens mortem æternam: & hic est modus communis loquendi Doctorum, Thomæ, Bonaventuræ, Alexandri de Halis, & aliorum, qui dicunt, veniale non obviare divino præcepto, sicut non dicitur etiam, veniale fieri contra conscientiam, sed præter præceptum, & præter conscientiam. Aliæ autem dici possunt leges, per quas à nobis exigit Deus, si volumus vitare reatum pœnæ, non tantum æternæ, sed etiam offensam Dei quamlibet, aut non retardari à vita æterna, aut temporaliter non puniri, ita quod exorbitatio ab hac latitudine legum, constituit peccatum veniale tantum, & possunt vocari hujusmodi leges, mandata, statuta, seu ordinationes, quibus ratio trahitur ad hoc, ut sit pervigil, ut nec venialibus disrumpatur, vel à venialibus inficiatur: & sic ad mortale disponatur. Et tertio modo præter hujusmodi ponitur consilium, quod si quis adimplet, accumulat sibi præmium. Si autem non adimpleret, dummodo aliunde non declinaret, nullam pœnam incurreret. Et isto modo dicit Magister Joan. Gerson in tractatu suo de septem lectionibus, quòd inter præceptum & consilium est dare medium propriè loquendo, in ista materia, quod patet ex dictis clarissimè. Dico ergò securè, quòd nullus obligatur ad consiliorum observantiam, nisi qui vovit ea, & qui vovit, tenetur adimplere. Etiam alia consilia, quæ non vovit, non tenetur sub quacunque pœna, sed tantum illa, quæ est regulæ & statutis illorum annexa, ut patet per beatum Thom. 2. 2. q. 186. articulo 2. qui quærit ex intentione, utrum Religiosi teneantur ad omnia consilia, & probat conclusionem quam tenet, scilicet quod non est, arguit sic: *Ad ea quæ sunt supererogationis, non tenetur aliquis, nisi ex propria obligatione. Sed non quilibet Religiosus obligat se ad omnia, sed ad aliqua determinata, quidam ad hoc, quidam ad alia, non ergò omnes tenentur ad omnia.* Et ad tertium argumentum dicit, quòd quædam consilia sunt, quæ si prætermitterentur, tota vita hominis implicaretur negotiationibus secularibus, puta si aliquis haberet proprium, vel matrimonio uteretur, aut aliquid hujusmodi faceret, quod pertinet ad essentialia religionis vota. Et ideò ad omnia illa consilia observanda Religiosi tenentur. Sunt autem quædam alia consilia de quibusdam particularibus moralibus actibus, quæ prætermitti possunt, absque hoc, quod vita hominis secularibus actibus impletur: unde non oportet, quod ad omnia talia Religiosi teneantur: hæc ibi. Et ad hujus confirmationem ego adduxi auctoritates, sancti Augustini 14. q. 1. *quod debetur.* Archidiaconi, Hugonis, S. Thomæ, ad quas nihil mihi respondit. Item multas rationes, scilicet de effectibus peccati venialis: & quod peccatum veniale non dimittitur, donec actu & voluntate deseratur, & si consilia non servare esset peccatum veniale, vel pœna peccati venialis, nunquam esset homo sine peccato veniali, nisi actu ac voluntate inciperet servare consilia, nihil respondit; & benè fecit, quia consentire debet. Ad aliqua respondit, sed nihil solvit.

*Gerson de vita spirituali lectione 5.*

*Tho. 2. 2. q. 186. art. 2.*

*14. q. 1. Quod debetur. c 2. Aug. l. 19. com. Faustum c. 25.*

Et primò, ad hoc quod consilium de dilectione inimicorum vocavi consilium, dicit quod Salvator mandatum illud vocavit minimum, dixi pro tunc, quod aliquo modo est præceptum, scilicet quoad affectum; alio modo est consilium, scilicet quoad effectum: arguit contra; quod etiam est præceptum in casu necessitatis, fame morientem pascere, etiam si sit inimicus. Non est contra me, quia consilium in casu necessitatis potest esse præceptum. Ego non loquor hoc modo in proposito, & notum est non protervienti.

Ad aliud, ubi argui, quòd si non observantia consiliorum induceret pœnam venialis peccati, homines ignoranter incurrererent magnam retardationem à vita beata, quia tot pœnas venialium adducerent, cum pœnitentiarii hic nullam pœnam injungerent, ut homines de hoc pœniterent, quod consilia non servant. Respondit, *non sequitur, nam peccata diversis modis dimittuntur in præsenti vita.* Ego autem dixi, quòd peccata venialia nunquam dimittuntur in præsenti vita, nisi actu & voluntate deserantur; sed communitas omnium hominum ferè nunquam dimittit eis in præsenti vita. Sed secundum vos tali non observantiæ correspondet pœna peccati venialis, ergò illa pœna nunquam dimittitur in præsenti vita, sed reservatur ad purgatorium.

Ad aliud, negat mihi illam: *Illud quod est in pura voluntate hominis, non obligat hominem ad pœnam*, quia dicit, *mandata Dei sunt in pura voluntate hominis, & tamen hominem obligant.* Ego & quilibet benevolus, non omninò obtusus, concipere potest, accipiendo illud *esse in pura voluntate hominis*, quod si fiat, bene facit; si non, nulla pœna incurritur: sic dicunt Doctores esse consilia in pura hominis voluntate, ita quod si ea fecerit, præmium acquiret. Si non, pœnam nullam incurrit. Ipse autem æquivocando trahit ad hoc, quod stet in libertate hominis absolutè facere vel non facere.

Dico

Digitized by Google

Dico ergò quòd præcepta aliter ſunt in hominis libertate, quia ita proponit Deus homini præcepta ut eligat vitam, ſi fecerit ea, vel mortem, ſi non fecerit. Non ſic eſt de conſiliis, ut dictum eſt. Ergò tales evaſiones in materia fidei adducere dignum eſt reprehenſione, &c.

SÆC. XV. ANNO 1433.

ULtimo reſpondit ad illud, ubi argui, *nemo obligatur ad conſiliorum obſervantiam ſub quacunque pœna, niſi qui vovit eam:* dicit quod hoc non eſt verum, quia Apoſtoli obligantur ad conſiliorum Chriſti obſervantiam, nec tamen voverunt conſilia obſervare eo modo, quo fratres mendicantes. Reſpondeo, quòd quomodo profeſſi ſint Apoſtoli, neſcio, niſi ut veri mendicantes, & omnium mendicantium Patres & prædeceſſores: ubi dico, quòd diſtinguendum primum, quod Apoſtoli fuerunt mendicantes, & hoc quia tanta paupertas fuit eis præcepta, quod ſine pera & aliis incederent, præſertim poſt Chriſti aſcenſionem in prædicationis officio diſcurrendo inter æmulos: & planum eſt quod imperiosè non poterant præcipere, ut darentur eis neceſſaria, ergò tunc ſaltem æſtimo, quod neceſſaria victus humiliter mendicabant. Unde ad idem multa alia adducit Aug. de Ancona, de Eccl. poteſtate q. 89. a. 4. unde Theoph. Lu. 10. ſuper illo verbo: *In eadem domo manete, edentes quæ apud eos ſunt*, dicit, *vide ergò qualiter diſcipulos mendicare inſtituit, & pro precio eos habere nutrimentum voluit*, imò dicit, *adeò mendicos mittit, quod neque peram ipſos vult portare, neque aliquid quibus indigerent*, ſecundum quod Apoſtoli voto ſe ad Religionis conſilia quædam aſtrinxerunt: dicit enim beatus Auguſtinus de civitate Dei, *dixerant potentes illi, ſcilicet Apoſtoli, Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergò erit nobis? hoc votum potentiſſimi voverant; ſed unde hoc eis vovent, niſi ab illo, de quo hic continuo dictum eſt: Dans votum voventi:* hæc ille. Idem beatus Hieronymus contra Jovinianum, dicit Apoſtolos voviſſe perpetuam continentiam, eo quod Dominus meus eis diceret: *Amen dico vobis, quicunque domum aut agrum, aut uxorem, &c.* dicit etiam de voto Apoſtolorum clarius, Auguſtinus de Ancona q. 90. articulo 4. & q. 84. art. 1.

*Aug. de Ancona de poteſtate Eccleſi. q. 89. ar. 4. Theoph. in 10. c. Luca. Aug. de civit. Dei li. 17. c. 4. Hier. cont. Jovin. ep. 50. ad Pammach. c. 8. & l. 15. in Eſ. c. 56. Auguſt. de Ancona de Eccleſiaſti. poteſt. q. 90. art. 4.*

Reſtat nunc reſpondere ad ſophiſmata, quæ pro ſe induxit. Ad Armachanum dico, quòd in nullo obligat ad ſibi credendum, quia ſuſpectus eſt in multis dictis ſuis. Dico ſecundò, quòd ipſe loquitur ſatis cautè, quia dicit, quòd diſcipuli Domini non poterant transgredi conſilia Chriſti ſine veniali delicto. De aliis dicit, *Sancti Patres non ſanxerunt, ut ſemper ſervarentur conſilia in facto, ſed in prompto animo, ut cum expedire videbitur, ſervetur in facto.* Et Armachanus ſecundò adducit ſanctum Thomam, de quo miror cum nihil faciat ad propoſitum, nec loquitur ibi verbum de conſiliis. Tunc facit rationes quatuor: prima eſt hæc: *omne conſilium Chriſti obſervatum affert præmium, non obſervatum, affert damnum.* Probat per ſanctum Thomam 4. de veritate ſacræ Theologiæ, libro quarto dicente: *Conſilium affert præmium, non ſervatum verò adducit ſupplicium.* Reſpondeo negando conſequentiam, ad obligationem dico, quod liber non eſt Sancti Thomæ, ſed ut creditur Ulrici de Argentina, & notate quæſo, quàm periculosè iſte allegat Doctores, quia omnino non habetur ibi, quod iſte dicit, ſic, *conſilium obſervatum præmium affert, præceptum, ſi non ſervatur, adducit ſupplicium:* hæc ille. Alibi ſic: *Conſilium ſervatum affert præmium, non ſervatum non affert ſupplicium:* & ſic eſt pro me.

Armachanus ſuſpectus. *Argumenta adverſarii 4. In comp. Theolog. l. 5. c. 68.*

2. Secundo ſic arguit: *omne illud quod obligat ad reddendum rationem in die judicii, obligat ſub aliqua pœna. Sed aliquod conſilium Chriſti eſt hujuſmodi:* puta conſilium de compeſcentia verborum ocioſorum, ut dicit, quod ſanctus Thomas in libro prædicto c. 70. dicit, illud eſſe conſilium, dicens ſic, quod 7. conſilium eſt compeſcentia verborum ocioſorum. Dico quòd compeſcentia verborum ocioſorum non eſt conſilium, nec eſt præceptum, ſed eſt mandatum, cujus transgreſſio eſt peccatum veniale, ſicuti præcepti transgreſſio eſt peccatum mortale. Ad auctoritatem dico, quod iterum malè imponit. Non enim dicit Doctor, ſeptimum conſilium eſſe illam compeſcentiam verborum ocioſorum. Sed dicit ſic: *Septimum conſilium eſt de ſimplicitate verborum*, ut ibi, *ſit ſermo veſter, eſt, eſt, non, non*, cujus ſenſus eſt, ſi affirmatio vel negatio eſt in ore, ſit etiam in corde, & loquitur conſequenter de non jurare omninò: & non dicit verbum de compeſcentia illa. Et ſupra modum miror, quod audetis ita libros falsè allegare, pervertere, & truncare: utique falſarius monetæ comburendus eſt, multò magis falſarius ſacræ ſcripturæ; ſed vos habetis ſalvum conductum, & ſic proficiat vobis. NB.

3. Tertio arguit ſic: Quidquid eſt Chriſtiano pura juſtitia ſervandum eſt ſub aliqua pœna: Sed conſilia ſunt hujuſmodi, igitur, &c. Nego Minorem, puia pura juſtitia dicit debitum, quod rigor juſtitiæ requirit ſub aliqua pœna: ſed conſilia ut conſilia ſunt, à Chriſto non ſunt ſic de rigore juſtitiæ promulgata, quod ſi Chriſtianus ea non ſervaverit, aliquam pœnam incurrat, ut dictum eſt; & quando probat, dicens, quod Chriſtus

Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

ſtus non poteſt niſi puram juſtitiam conſulere Chriſtiano, nego illam: nam Chriſtus & de facto conſuluit opera ſupererogationis, & illa non ſunt puræ juſtitiæ, ut dictum eſt, ergo, &c.

4. Quarto arguit ſic: Omnis Chriſtianus debet Deo amplius ſervire atque perfectius, quàm facit de facto, & poteſt conſulere perfectius ſervitium: ergò, &c. Diſtinguo Majorem, quia eſt duplex debitum, ſcilicet neceſſitatis, & ſupererogationis. Loquendo de debito neceſſitatis, quod obligat ipſum ad culpam, ego nego, quia debito neceſſitatis multi facerent tantum, quantum obligantur; debito perfectionis nemo aſtringitur, niſi qui voto obligatur: unde dicit ſanctus Thomas 2. 2. q. 186. articulo ſecundo ad 2. „ Sicut diligere Deum ex toto corde tenentur omnes, eſt tamen aliqua perfectionis totalitas, quæ ſine peccato prætermitti non poteſt, aliqua autem quæ ſine peccato prætermittitur, dum tamen deſit contemptus. Ita etiam omnes tam Religioſi quàm ſeculares tenentur aliqualiter facere, quidquid operari boni poſſunt; omnibus enim communiter dicitur Eccleſiaſtici decimo nono, quidquid poteſt manus tua, inſtanter operare. Eſt tamen aliquis modus hujus præcepti implendi quo peccatum vitatur, ſi ſcilicet homo faciat quod poteſt, ſecundum quod requirit conditio ſui ſtatus, dummodo contemptus non aſſit agendi meliora, per quem animus firmatur contra profectum ſpiritualem": hæc ille.

*Thom. 2. 2. q. 186. art. 2. ad 2.*

*Eccleſ. 9.*

Et quia concluſionem meam principalem probavi ſecundum formam judicis condicti, ipſe Replicans volens apparere, quaſi aliquid corraſerit circa meas auctoritates, quarum nullam reputo ſolutam: 1. ſic argui ex lege æterna, probando per tria inconvenientia, quæ ſequerentur ex deordinatione illa, qua quilibet Sacerdos vel diaconus prædicaret. Primum erat, quia perturbarent hierarchicum ordinem tam divinitus regulatum, quia nec de primo gradu illuminatorum, ſcilicet Papæ, nec de 2. qui ſunt Epiſcopi, nec de 3. qui ſunt plebani exiſtentes, officium cujuſlibet uſurparent. 3. fuit, quod ſi liceret eis ubique prædicare, eadem ratione & confeſſiones audire, Sacramenta miniſtrare, quemlibet Epiſcopum ubique conſecrare, & ſic nulla eſt jurisdictio in Eccleſia. Ad has nihil reſpondit, & ideò ſtant in ſuo robore. 2. fuit hæc, quia tales volentes ubique prædicare, cauſarent turbationem, ſi venirent ſimul tres, quatuor, vel duodecim ad candem Eccleſiam, quilibet vellet prædicare, nullus vellet alteri cedere. Reſpondit, quod adhuc non vidit horrorem, ſed hæc non ſolvunt, quia non argui, quid vos videritis, vel non videritis, ſed quod ita fieri ſit poſſibile. Et dicit adverſarius, ſi 6. vel 8. fratres de ordine mendicantium poſſunt ſe compati in caſu ſimili: cur non Sacerdotes Domini? Reſpondeo id quod ideò primi ſe compatiuntur, & non ſecundi, quia Religioſi non dicunt nec credunt, ſe obligari ad prædicandum ex præcepto Domini. Et inſuper nullo modo prædicare attentant ſine benevolo conſenſu Prælati & etiam plebani. Sed 3. quia ipſi habent ordinem in prædicando, diſtribuendo dies, & una deputatur Prædicatoribus, alia Minoribus, alia Auguſtinenſibus, & cæteris. Tales autem rationes non ſunt inter Presbyteros & Diacones ac Clericos illos, quia illi dicerent, ſe ex præcepto Chriſti prædicare debere, nec obedirent prohibenti, cum magis oporteat Deo quàm hominibus placere.

*Sup. prob. art. 1. conſidr. 4.*

*Supra ibidem arg. 3.*

*Sub. prob. art. ſecund.*

Reprobavi per Hieremiam, qui erat Sacerdos in utero matris ſanctificatus, & tamen mandatus à Domino, adhuc ſe excuſavit. Reſpondit adverſarius, dicens, *nihil aliud video, niſi quod cum magno timore debeat ſacerdos officium prædicationis à Deo etiam oblatum, acceptare.* Sed hoc non ſolvit argumentum meum, quia non argui juxta veſtrum videre, ſed quid videre debeatis, oſtendi vobis, per illud, quod ibi vobis dicit ſanctus Thomas de omnibus Presbyteris & aliis: *non miſſi non ſunt audiendi propter præſumptam auctoritatem.* Ad hoc nihil reſpondet.

*Suprà 3. prob. art. Matth. 9. Luc. 10. diſt. 21. in novo. c. 2.*

Tertiò argui ex lege Evangelica: poſtquam Salvator miſit diſcipulos, ait illis: *Rogate Dominum meſſis, ut mittat operarios:* ubi dixi ex Archidiacono, quòd ideò vult rogari, ut oſtendat, quòd omnis prædicans à ſuperiori ſuam debet admiſſionem accipere. • *In novo:* diſt. 21. Reſpondet ad hoc, *ſuperius ſatis eſt dictum.* Rogo ubi? non reperio ſuperius nec inferius ſatis eſſe dictum, per quod ſolutum ſit tam fundamentale argumentum.

*Supra ibidem arg. 2.*

Quartò argui de Joanne Baptiſta Sacerdote ſanctiſſimo, qui non prædicat, niſi de novo auctorizatus, dum factum eſt verbum Dei ſuper eum in deſerto, dicit, *verum eſt, nullus debet ſe ingerere, niſi miſſus à Deo per internam inſpirationem, vel per hominis auctorizationem.* Quæro à vobis, an vos ſitis miſſi aliquo iſtorum modorum? non ſecundo modo, quia non oſtenditis per canonica monumenta, nec primo modo, quia non apportatis divini inſtinctus ſigna, quæ expreſſi per longum proceſſum ſuperius: ergò, &c. Iterum ex reſponſo argui ſic: Nullus ad prædicandum debet ſe ingerere, niſi miſſus à Deo, per internam inſpirationem, vel per hominis auctorizationem; ſed multi diaconi & Presbyteri ſunt, qui non mittuntur, & fortè nunquam mittentur, nec vos ipſi, per Dei inſpirationem aut hominis auctorizationem. Ergò talibus

Digitized by Google

talibus nunquam licebit ſe ingerere ad prædicandum: tamen eſt eis præceptum à Domino, ſecundum vos, ergò tales non faciendo præceptum Domini damnabuntur: conformiter ſecundum vos, Sacerdotes & Diaconi debent prædicare, quia eſt præceptum Domini, & quia illam poteſtatem acceperunt in ſua conſecratione, ergò ad hoc, quod prædicent, nec indigent divina inſpiratione, nec hominis auctorizatione. Ergò deficiſtis in iſta reſponſione. SÆC. XV. ANNO 1433.

Quintò argui ex ſcriptura canonica, prima Tim. 2. *hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere:* dicit: *concedo, quòd prædicatio commendanda eſt his, qui idonei ſunt, nec alias eſſent ad Sacerdotium admittendi.* Dico quod argumentum meum non eſt ſolutum, quia multi admittuntur ad Sacerdotium ritè & legitimè, qui non ſunt apti ad prædicandum, ſcilicet in his tribus, vita, ſcientia, & facundia. Vitam omnes debent habere bonam. Quoad ſcientiam, declarat diffusè, quia multi ſancti Patres Sacerdotes fuerunt, qui prædicare neſcierunt, & quòd minor ſcientia requiritur in his, qui ordinantur extra curam, quam in illis, qui ad curam animarum applicantur. Quoad facundiam, certum eſt, multi ſunt peritiſſimi viri, qui non ſunt facundi ad prædicandum, abſit, quòd illi deberent omnes à Sacerdotio excludi. Sic enim beatus Valerius fuit Epiſcopus Hipponenſis, & nihilominus tantæ impeditionis linguæ, quod B. Vincentio prædicationem verbi Dei commiſit, nec per ſe prædicavit. *Suprà probat. art. quarta. 2. Tim. 2.*

Sextò argui de beato Paulo, qui 2. Cor. 10. de ſeipſo dicit. *Non enim gloriabimur in immenſum, neque ſuperextendimus nos in Evangelio Chriſti.* Ad hoc nihil reſpondit, niſi quod gloſſavit illum textum, per longum, & tamen finaliter ſtat iſtud argumentum: Apoſtolus fuit Sacerdos, & cum hoc generaliter & ſpecialiter miſſus, & noluit tamen ſe ſuperextendere, & hoc eſt quod dicit Gloſſa. *Non enim gloriabimur in immenſum, id eſt, ultra menſuram noſtram, quod illi faciunt, qui uſurpando ſibi curam non commiſſam gloriantur ultra menſuram:* nec juvat, quod dicit de Lyra ita recipiendum, quod Apoſtolus per verba intendit ſe non eſſe comparandum pſeudo Apoſtolis, quia de Lyra ſic exponit, ut ego ſic in ſcriptis tradidi. Similiter Innocentius III. & gloſſa ordinaria, dicens, *ſuperextendere eſt ultra quàm conceditur extendere.* Et ſic patet, quod nulli licet ſe in officio prædicationis ſuperextendere. Ergò non poteſt quilibet ubique prædicare liberè. *Suprà: loco citato. arg. 2.*

Septimo argui de praxi Chriſti, qui cum eſſet Pontifex & Sacerdos, noluit tamen prædicare, niſi in 30. anno, & niſi prius auctorizatus voce Patris, & Spiritus S. viſibili ſuſceptione. Reſpondit, *quod ex iſto non video aliud, quàm quòd Sacerdos ſit maturæ ætatis, & Spiritu ſancto inſtigatus ad prædicandum:* certum dixi, & dico quod illud videre debueratis, ſcilicet, quod iſta duo non faciunt ad prædicandum, quia matura ætas annorum multis adeſt, quibus ſcientia, facundia & vita deeſt: inſtinctus Spiritus ſancti incertus eſt, niſi aſſumit ſigna, per quæ Spiritus ſancti approbetur præſentia. Ego autem hîc alia video: primum eſt, quod prædicator verbi Dei debet eſſe maturæ ætatis, ſecundum quod, licet ſit divinitus inſpiratus, & actu Sacerdos, ſicut Chriſtus fuit Spiritu S. repletus; adhuc non debet prædicationis officium aſſumere, niſi auctorizetur & mittatur à ſuperiori. Ideo Chriſtus, licet eſſet Sacerdos ſanctiſſimus, non tamen incœpit officium prædicationis, niſi à Patre & Spiritu ſancto ſenſibiliter auctorizatus. Et ſi quis diceret ſe à deo auctorizatum, probet per ſcripturam, ut Chriſtus Joan. 5. dicens, *Scrutamini ſcripturas, illæ teſtimonium perhibent de me:* aut per miraculum, ut Chriſtus Joan. 10. *Si mihi non creditis, operibus credite.* Inſuper quæro, an Chriſtus peccavit non prædicando ante triceſimum annum, aut non? ſi non, ergò non fuit ſibi præceptum, nec per conſequens aliis: ſi ſic, ergò non fuit Deus, cum Deus peccare non poſſit. Ideò ſciendum, quod eſt triplex ætas in homine conſideranda, una reſpectu ætatis ſive annoſitatis, ſicut notum eſt omnibus. Et quantum ad hanc, expedit & decet, ut cui ex officio non incumbit, ante ætatem maturam non præſumat publicè prædicare, exemplo Chriſti, prout in articulo deductum eſt. Sed iſta ad prædicandum non ſufficit. Unde ſecunda eſt ſenectus vel ætas, reſpectu converſionis alicujus, & ita dicuntur juvenes vel novitii, qui licet ſint annoſi, ſunt tamen à ſæculo recenter converſi, ſicut quondam dicebantur neophyti, qui ad fidem noviter confluxerant. Senes verò, qui diutius converſi, vel longius in ſpirituali vita converſati. Et ſimiliter hoc modo, ſi juvenes vel neophyti non debent prædicare, multo minus qui in erroribus obſtinati nondum à cognitione veræ fidei ſunt reducti: unde Apoſtolus prohibet neophytum ordinari, & Moyſes prohibet arare in primogenitis boum, & tondere primogenitum ovium, de quibus Apoſtolus ad Hebræos 5. *Etenim cum deberetis Magiſtri eſſe, propter tempus, rurſus indigetis ut vos doceamini, quæ ſunt elementa exordii ſermonum Dei, & facti eſtis quibus lac opus ſit.* Eſt ergò tertia ſenectus, ſcilicet interioris hominis confirmatio & ſtabilitio in bono, juxta ordinem hierarchicæ diſpoſitionis, quæ ſola ſufficit ad officium prædicationis, & *Sup. pro. ar 4. in 2. deductione concluſ.* *Joan. 5.* *Joan. 10.* *Senectus triplex. 1.* *2.* *Deut. 15.* *Hebr. 5.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

hanc docuit in prætacta praxi, Dominus noster Jesus Christus: unde beatus Bernardus super illo Lucæ tertio: „ Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum „ audite, *dicit sic*, quamdiu virtus & Dei sapientia, quasi infirmus aliquis aut inci- „ piens lates in populo? quamdiu nobilis rex, & rex cœli fabri, filium te pateris, & „ appellari pariter & putari. Etenim Lucas testatur quoniam adhuc filius Joseph pu- „ tabaris: O humilitas, virtus Christi, quantum confundis superbiam nostræ vanitatis? „ parum aliquid scio, vel magis mihi scire videor, & jam silere non possum, impu- „ denter me, & imprudenter me ingerens & ostentans, promptus ad loquendum, „ velox ad docendum; & Christus cum tanto tempore silebat, cum seipsum absconden- „ debat, nunquid inanem gloriam metuebat? quid timeret ab inani gloria, qui est ve- „ ra gloria Patris? utique timebat, sed non sibi. Nobis timebat ab illa, quibus nove- „ rat esse timendum, nos instruebat. Tacebat ore, sed instruebat opere, & quod post „ docuit verbo, jam clamavit exemplo, discite à me, quia mitis sum, & humilis cor- „ de": hæc ille: & ne quilibet se ad talem senectutem statim ingerat, sed electionem seu approbationem Prælati expectet; Ideo beatus Ambrosius super Psalmo *Beati immaculati*, super versu: *in quo corrigit adolescentior viam suam:* pertractans multa quæ ad præsentem senectutem requiruntur, dicit etiam illud quod dixit ad Moysen, ut sibi seniores eligeret, quos ipse nosceret esse seniores. *Et nunc*, inquit, *quibus hoc Spiritu Dei committitur officii, ut eligant Seniores viros, eligunt sine dubio inter seniores juvenem corrigentem viam in custodia verbi Dei:* hæc ille. Ista sunt & similia, quæ docet nos praxis Christi, illo non obstante, quod Dominus Replicans dicit, se nihil aliud videre, quàm sua dicta.

*Bern. serm. 1. de epiphania non procul à fine.* *Luc. 3.* *Matt. 11.* *Ambrosius. Psal. 118. Tom. 4.*

*Supra loco citato, arg. 2.*

AD octavum ubi Dominus dixit Matth. decimo quinto: *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel:* non dicit nisi ex Lira, quod egomet dixi, scilicet personaliter prædicando Judæis, tunc Christus fuit Sacerdos summus, & tamen negat se per totum mundum personaliter missum. Ergò neque Diaconus, neque simplex Sacerdos debet se putare ubique missum, ita quod liberè libertetur ubique seminare Dei verbum, cum omnis Christi actio nostra sit instructio. Item ubi Diaconus vel Sacerdos habet libertatem prædicandi, ibi habet præceptum prædicandi, secundum vos, sed habet libertatem ubique, ergò habet præceptum.

*Supra loco citato, de praxi Christi in suis Apostolis.* *Lyra in 20. c. Joan.* *S. Tho. ibid.* *Greg. hom. 26.* *In catena S. Thom.* *Aug. in 20. c. Joannis.* *Rom. 10.* *Esa. 6.* *Hier. 23.*

AD nonum, ubi argui, quòd Salvator noster consecravit Apostolos suos in Presbyteros in cœna, & post hoc, scilicet in die suæ glorioſissimæ resurrectionis dedit Apostolis auctoritatem prædicandi, dicens: *Sicut me misit vivens pater, & ego mitto vos:* ergò auctoritate consecrationis sacerdotalis illam non habebant: dicit ex Lyra, *mitto*, id est, *mittam*; salva reverentia Lyræ, secundum sententiam S. Thomæ, tunc misit actu eos, quia dicit sic: quod ibi Dominus Apostolis injungit Apostolicum officium. Apostolus enim idem est quod missus, dicens, *sicut me misit pater, & ego mitto vos*, cui alludit beatus Gregorius dicens ibidem: *id est ea charitate, qua me pater diligit, & ego vos diligo, cum inter scandala persecutorum vos mitto, qua me charitate pater diligit, quem venire ad tolerandas passiones fecit:* & B. Augustinus: *æqualem autem Patri Filium novimus. Sed hic verba Mediatoris agnoscimus, medium quippe se ostendit dicendo. Ille me, & ego vos*, quibus concordat Doctor Gorra dicens, *id est, sicut ego à me ipso non veni, sed missus sum, sic ego mitto vos, dans vobis auctoritatem. Unde ad Romanos decimo: quomodo prædicabunt nisi mittantur? Et Isa. in cap. sexto, petivit hanc auctoritatem dicens: Ecce ego, mitte me. E contra de malis Prophetis, Hieremiæ vigesimo tertio, currebant, & ego non mittebam, non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant:* hæc ille. Ecce quot Doctores concurrunt ad sententiam meam, scilicet, quod in die paschæ per illa verba dedit eis potestatem prædicandi. Ergò non habebant eam prius, per consecrationem sacerdotalem in cœna præcedenti factam. Et dicit Dominus Replicans, istud non esse factum in die paschæ, textus dicit, quod factum est ipso die resurrectionis, licet sero esset, & fores fuissent clausæ. Nescio quid hoc intendit, nisi quod textum malè intelligit, qui dicit, *ipso die resurrectionis erant discipuli simul in unum congregati propter metum Judæorum, & cum esset sero, & fores essent clausæ, venit Jesus & stetit in medio eorum, dicens: pax vobis, & ostendit eis manus & pedes.* Ex quo patet, quod adhuc dies erat, quia non legitur, quod luminaria accendissent, ut manus & pedes ejus viderent: *& tunc iterum ait illis: Pax vobis, sicut misit me vivens pater, & ego mitto vos:* hæc ibi, &c.

*Supra loco citato arg. 2. Luc. 24.*

AD decimum, ubi ex illo Luc. ultimo: *Ecce ego mitto promissum Patris in vos, vos autem sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto:* dicit hoc esse contra me, quia dixi eos missos in die ascensionis, & tamen secundum eum non esset contra me, quia ipse exponit ex Lyra, *Ecce ego mitto*, id est, *mittam:* & nescio quid velit per

Digitized by Google

per hoc. Nam verum dixi, quod in die aſcenſionis ſunt miſſi, & tamen prohibiti ad certos dies, ut quieſcerent, donec virtute ex alto induerentur. Unde dico, quod ſancti Apoſtoli tribus vicibus ad prædicandum leguntur miſſi. Primò antequam eſſent Sacerdotes, ut in ſola Judæa prædicaretur. Secundò, in die Paſchæ, ſcilicet reſurrectionis dominicæ, quando jam ante triduum fuerunt conſecrati in Sacerdotes, tunc fuit eis commiſſa prædicandi poteſtas, & quaſi quædam declaratio per Chriſtum facta, quòd aliqui eſſent venturi, qui abſque commiſſione legitima uſurparent ſibi prædicationem verbi, ratione gradus Sacerdotum, oſtendens, hoc non eſſe verum, ſed ſupra Sacerdotium requiri ſpecialem miſſionem, ideò iterum miſit eos, dicens, *ſicut miſit me vivens pater, &c.* Et quia adhuc poterant eſſe dubii, ubi deberent prædicare, quia in prima miſſione prohibuit, ne alibi quàm in ſola Judæa prædicarent; ideò tertio miſit eos declarando, quòd non in ſola Judæa, ſed in toto orbe eſſet Evangelium publicandum per eos, dicens, in hora aſcenſionis: *Ite in orbem univerſum, & prædicate Evangelium omni creaturæ.*

SÆC. XV. ANNO 1433.

*Tribus vicibus Apoſtoli ad prædicandum miſſi ſunt.*

AD undecimum de praxi Apoſtolorum adduxi ſibi ſpeciales praxes 1. Petri, 2. Pauli, 3. Timothei, 4. Marci. Ad omnia hæc nihil reſpondit, & optimè fecit, quia in veritate evadere non potuit: quin concedere concluſionem per me intentam oportuit, prout praxes illæ clariſſimè adducunt. Quoad praxin generalem Apoſtolorum, ubi honori beati Petri detraxit. Timeo & certifico eum, quòd ſi non reſipiſcat, Petrus claves continebit, nec ſibi januam regni aperiet: dixit enim primò, quod non habetur ex ſcriptura canonica, Petrum fuiſſe ſummum Pontificem à Chriſto inſtitutum, cujus contrarium latiſſimè eſt heri deductum: dixit 2. quod ego addidi de proprio, li *ſoli*, dicens, *ſoli Petro dictum eſt, paſce oves meas, tibi dabo claves*, ego dico verum eſt, quòd Evangeliſtæ addunt, *ſoli*, primum verbum ſoli Petro dictum eſt, ſecundum ſibi ſoli excellenter; Quoad illud *paſce oves meas*, dicit S. Thom. quod hoc Petro in tanta ſingularitate convenit, quod Chriſtianus dici non poteſt, qui ſe ab obedientia ſummi Pontificis ſubtrahit. Quoad 2. dicit Rabanus, *quia enim regem cœlorum majori devotione præ cæteris confeſſus eſt, merito præ cæteris, collatis clavibus regni cœleſtis donatus eſt.* Et valdè notandum quod dicit Origenes, quod Petro dicit Dominus, *quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis:* ſed omnibus dicit, *Quodcunque ſolveritis ſuper terram, erit ſolutum & in cœlo. Ad ſignandum*, inquit, *primatum & principatum in Petro ſuper omnes.* Petrum etiam omnibus præfecit, dum ait, *paſce oves meas*, ait B. Auguſtinus de quæſtionibus veteris & novi Teſtamenti q. 20. cap. 17. videte jam, an ſine cauſa addiderim, *ſoli*, licet non ſit verbum textus.

*Sup. in probat. 3. ex praxi Apoſtolorum.*

*Thomas.*

*Rabanus. S. Thom. in cit.*

*Origen. Matt. 16.*

*Auguſt. in quæſtionibus novi teſtam. cap. 75.*

AD duodecimum, ubi argui de praxi ſeptuaginta duorum diſcipulorum, nihil ad propoſitum reſpondit mihi, quia exponit illum textum, *Rogate Dominum meſſis*, totaliter de miſſione facta per Chriſtum perſonaliter in principio vocationis ſeptuaginta duorum diſcipulorum, quod ego non nego: ſed argumentum meum iſtud fuit in ſententia: licet ſeptuaginta duo à Chriſto miſſi fuerunt ante ejus paſſionem, tamen poſt ejus glorioſiſſimam aſcenſionem nullibi prædicabant, niſi quo eos Apoſtoli miſerunt, ergò quantum ex praxi illa, nullus noſtrum habet facultatem alicubi prædicandi, niſi ubi mittitur auctoritate Apoſtolorum, id eſt, Prælatorum Eccleſiæ. Antecedens probavi ex c. *in novo:* quod Apoſtoli videntes meſſem multam, & operarios paucos, *rogaverunt Dominum Meſſis*, & ſequitur, *& ipſi elegerunt ſeptuaginta duo, & miſerunt eos ad prædicandum:* hæc ibi. Confirmavi ex Euſebio. Iſta ergò ratio ſtet in alto. Quærit ibi ubi ſeptuaginta duo facti ſunt Sacerdotes? Reſpondeo cum Petro de Palude, quòd hoc in ſcripturis canonicis non reperitur, niſi quod ſeptem facti ſunt Diaconi, & Matthias in locum Judæ ſucceſſit, & ſimilia, &c.

*Suprà in 3. probat: concluſionis ex praxi Apoſtolorum circa finem.*

*Matt. 9.*

*diſt. 21. in novo. c. 2. Luc. 10.*

AD tredecimum de praxi primitivæ Eccleſiæ ſimpliciter nihil reſpondit, & optimè tacuit, quia in veritate evadere non potuit. Oſtendi enim quod primus Papa poſt Petrum beatus Clemens, prohibet omnibus Sacerdotibus, ne quidquam agere audeant, in cujuscunque Presbyteri parochia, abſque plebani conſenſu. Et beatus Dionyſius attribuit prædicationem Epiſcopo propriè & antonomaſticè, diſtinguens tres actus hierarchicos, ſecundùm tres gradus Eccleſiaſticos, ſcilicet purgare diacono, per exorciſationem: illuminare Presbytero, per baptizationem: proficere Epiſcopo, per confirmationem & prædicationem, juxta declarationem per me nuper factam.

*Supra in probat. 4. concl. de praxi primit. Eccl.*

Progrediendo ad auctoritates ſanctorum Doctorum, reſpondit tantum ad tres, cum ego adduxiſſem octo. Primò ad Ambroſium, qui dicit in ſententia cætera. *Rectores & cætera officia diſtincta ſunt, ne ſi unus poſſet omnia, vileſcerent ſingula.* Reſpondit, quòd hoc ideò eſt, quia aliud officium Presbyteri, aliud Diaconi; ſed hîc nihil

*Supra probat. 6. concluſ. ex doctrina Doctorum.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

est ad mentem Ambrosii, quia litera loquitur de prædicatione & baptizatione, quæ fuerunt, dicit, singulis concessæ in principio, sed fundata Ecclesia dicit, si nunc unus singula faceret, omnia vilescerent.

Ad auctoritatem Gregorii in capitulo scriptum est 6. q. 3. allegat gloss. & non sine usura comportavit eam, non enim habet gloss. quæ propriè gloss. dicitur decreti, seu apparatus Joan. nisi quòd Episcopus in aliena diœcesi publicè prædicare, tanquam jus habens in populis illis, non potest, sed pertranseundo sine solemnitate potest eos monere ad bonum, sicut & monachus & quilibet alius, secundùm quosdam tamen potest prædicare, non tamen concitando turbam 15. d. Et nota quod ipse ibi interposuit, & addidit etiam solenniter, ut hic tamen non concitando turbas. 16. q. 3. *placuit*, litera, *solenniter*, non habetur in gloss. imò gloss. habet: *sine solemnitate potest eos monere.*

*Supra loco citato.*

*dist. 19. secundum. c. 7. 16 q. 3. placuit. cap. 55.*

Ad tertiam quæ est beati Bernardi, dicentis: *Monacho neophyto, & non misso, non licet prædicare.* Respondit: *concedo quod non misso non licet prædicare, nisi ex speciali missione:* sed multi monachi sunt Diaconi & Presbyteri: ergò non licet Diacono & Presbytero prædicare absque speciali missione. Ex concesso sic. Non misso prædicare non licet; sed nulli diaconi vel presbyteri, nisi curati, sunt missi, sicut & aliqui Religiosi. Ergò nullis talibus nisi curatis licet prædicare absque nova missione. Sed dicis, quod omnes Presbyteri & Diaconi sunt missi. Quæro à quo? aut à Deo, aut ab homine. Si à Deo; oportet hoc probare, sive fiat illa missio per revelationem manifestam, sive per inspirationem occultam. Sic enim docet B. Joannes: *probate spiritus, an ex Deo sint, & nolite omni spiritui credere.* Sic enim quilibet posset dici, etiam hæreticus, laicus, vel mulier, quòd sint missi à Deo: si ab homine, oportet quòd ille sit Prælatus Ecclesiæ illius, ubi prædicare intendis, cum nullus Ungarus habeat licentiare ad prædicandum in Anglia, nec e converso, sed tantum sunt duo genera Prælatorum, qui possunt dare licentiam prædicandi aliis, scilicet Papa & Episcopus loci illius, ubi prædicare intendis. Nam plebanus non potest licentiare ad prædicandum in sua parochia generaliter, nisi tantum approbatos viros, scilicet sacræ Theologiæ Professores, & similes, ut dicunt Franciscus Zabarella, Heinricus Voyt, & multi Juristæ, *c. cum ex injun. de hæret.* ergò sine licentia Papæ vel Episcopi loci tales dicuntur non missi, nec habent posse prædicare verbum Dei: hæc ibi.

*1. Joan. 4.*

*Sup. in 5. pro. conclusionis ex Conciliis antiquis.*

Hinc respondet ad concilia generalia, quæ adduxi, & primo ad c. *cum ex injuncto* dicit concludendo sic: *patet clarè ex prædictis, quod sicut non est causa sufficiens ad probandum, quod ille Sacerdos vel Diaconus ad prædicandum à Deo est missus, quia facit miracula, sed confiteri veritatem, facere justitiam, mundum contemnere, gloriam spernere, opprobria sustinere humiliter, Sacerdoti & Diacono est testimonium sufficiens, ut habens legis Dei notitiam, prædicet liberè Jesu Christi Evangelium, quia sic est à Deo missus, & illa est missio, de qua ad Rom. 10. quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* hæc ille. Ecce jam palam locutus est, & erroris sui totum spiritum evomuit, & quod usque huc semper palliavit, nunc detexit, dixit enim, *oportet prædicantem esse missum.* Sed jam auditis quod dicit, *sufficit ostensio bonorum operum ad illius missionis efficaciam, nec alia missio Prælati requiritur:* sic enim exponit Apostolum, ut audistis. Sed insto. Contra istam conclusionem bimembrem pono duplicem conclusionem. Prima est contra primam partem, secunda contra secundam partem: prima est ista. *Causa sufficiens ad probandum quod ille Diaconus vel Sacerdos est missus à Deo ad prædicandum est, quia facit miracula:* probatur multipliciter: primo sic. Illa est causa sufficiens se ad probandum à Deo missum, quam Dominus dedit Moysi quærenti: *quod signum ostendis mihi, ut si dixerint Pharao, aut filii Israel, non misit te Dominus*; aliàs Dominus insufficienter misisset Moysen, si causa probationis fuisset insufficiens. Sed Dominus non ostendit sibi aliam causam, ob quam tenerentur Pharao & filii Israel sibi credere ipsum à Deo missum, quàm virtutem miraculorum, convertendo virgam in colubrum, & è converso. Ergò ista est adhuc sufficientissima ad probandum se missum à Deo ad prædicandum, facere miracula. 2. sic: Illa est ad eundem finem causa sufficiens, quam Dominus assignavit suis discipulis ad confirmationem suæ prædicationis; quia non misit eos insufficienter. Sed ipse Dominus non dedit aliam causam discipulis, dum irent ad prædicandum, cur ubique admitti deberent, nisi quia miracula facerent, unde illos mittens ad prædicandum ait, *infirmos curate, leprosos mundate, dæmonia ejicite*, Matth. & Luc. 10. ergò facere miracula est illius probationis causa sufficiens. 3. sic: Illa causa est sufficiens, quam Dominus in sua praxi assignavit Judæis ad probandum veritatem suæ missionis; quia ipse omnia benefecit. Sed ipse assignavit eis illam causam, scilicet, operationem miraculorum suorum, dicens: *Si mihi non creditis, operibus credite. Et si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Joan. decimo: quæ de operibus miraculorum, expressè exponit sanctus Thomas. De Lyra, & alii. Ergò facere miracula est sufficiens causa ad probandum, se missum à Deo ad prædicandum.

1. *Sufficiunt miracula ad probandam missionem extraordinariam.*

2.

*Matth. Luc. 10.*

3.

*Joan. 10. 14. 15.*

Quartò

Digitized by Google

Quartò ſic: Illa eſt ſufficiens cauſa, qua beatus Paulus probavit, ſe & Petrum à Deo miſſos ad prædicandum. Sed hoc virtute miraculorum. Ergò, &c. Major patet ad Galat. 2. ubi dicit, „ qui operatus in Apoſtolatum circumciſionis, operatus eſt & mihi „ inter gentes": ubi dicit ſanctus Thomas. „ Sed poſſet aliquis dicere Paulo: unde „ conſtat nobis, quòd tibi ſit commiſſum Evangelium à Deo inter gentes? Reſpondit „ Paulus, per operationem Chriſti in me. Sicut enim patet, quod Petrus accepit „ Evangelium à Chriſto propter miracula, quæ fecit Chriſtus per eum. Ita patet, „ quod ego, ſcilicet Paulus, ab ipſo Chriſto accepi etiam propter miracula, quæ opera- „ tus eſt in me", hæc ille. Unde & idem probat ſuum Apoſtolatum, dicens: „ Signa „ Apoſtolatus mei facta ſunt inter vos, in omni patientia, in ſignis & prodigiis, & vir- „ tutibus, *hoc eſt*, patientia in moribus, & prodigia in ſignis": prout exponit beatus Hieronymus. Similem ſententiam poſui prius. Sed nihil mihi eſt reſponſum ad illa, & benè, quia concludunt neceſſariò, nedum quod facere miracula ſit ſufficiens cauſa, ſed & quod illa ſint neceſſaria, niſi adducatur teſtimonium ex ſcriptura. Et hoc vult c. *cum ex injuncto, de hæret:* ut patet intuenti. Sed contra hoc aviſat dominus opponens, dicens, quòd in fine mundi diſcipuli Antichriſti magis quàm Chriſtiani miracula facient, prout Matth. 24. patet. Reſpondeo, quod mirabilia, quæ fient tempore Antichriſti, ſunt reſpuenda, quia non ſunt vera miracula, & cum hoc jam ex ſcriptura canonica aviſata eſt Eccleſia, quòd non ſunt miracula vera, unde nec Chriſtus, nec Apoſtolus vocat opera Antichriſti miracula, ſed ſigna & prodigia: unde dicit ad Theſſ. 2. quòd adventus Antichriſti erit ſecundum operationem ſathanæ in omni virtute, & ſignis, & prodigiis mendacibus: unde dicit S. Thomas 2. 2. quæ. 178. ex beato Auguſtino 2. de civitate Dei, quòd illa ſigna mendacii dicuntur ſigna vera, quia faciunt veras res, ſicut magi Pharaonis fecerunt veras ranas, & ſerpentes veros, non autem habebunt rationem veri miraculi, quia fient virtute dæmonum & naturalium cauſarum ad hominum deceptionem: ſed operatio miraculorum, quæ attribuitur gratiæ gratis datæ, fit in virtute divina ad hominum utilitatem. Secundo arguit ſic: *mali faciunt miracula* 1. *q.* 1. *Teneamus. Ergò facere miracula non eſt ſufficiens cauſa.* Reſpondeo, quòd duplices ſunt mali, aut qui malè vivunt, aut qui malè docent. Dico ergò cum S. Thoma ubi prius, articulo ſecundo ad tertium argumentum, quòd miracula ſemper ſunt vera teſtimonia ejus, propter quod fiunt, unde ſicut hi, qui malè vivunt, nunquam faciunt miracula in teſtimonium ſuæ ſanctitatis, ſed ſi quandoque Deus miracula per eos facit, eſt in teſtimonium virtutis divini nominis, quod invocant, aut teſtimonium virtutis Sacramentorum, quæ applicant ſeu exhibent: ita qui falſa docent, nunquam poſſunt facere miracula, in teſtimonium veritatis illius falſæ doctrinæ: ſecus ſi quis etiam malè vivat, & benè doceat, talis enim ſæpè miracula facit, non in teſtimonium ſuæ ſanctitatis, quam non habet, ſed in teſtimonium ſuæ veræ doctrinæ, quam docet: & hoc tam clarè docet Dominus Marci 9. ubi poſtquam dixiſſent diſcipuli, *Domine, vidimus quendam in nomine tuo ejicientem dæmonia, & prohibuimus eum:* ait Dominus illis: *nolite prohibere eum*, & ſubdit tamen dicens: *Nemo eſt qui facit virtutem in nomine meo, & poſſit cito malè loqui de me.*

*2. Cor. 12.* *Hier.* *Matt. 24.* *2. Theſſ. 2.* *Tho. 2. 2. q. 178. a. 1. ad 2.* *Aug. 2. de civit. Dei c. 19.* *1. q. 1. tenetamus. cap. 56. Auguſt. tract. 13. ad 3. c. 10.* *S. Tho. 2. 2. q. 178. art. 2. ad 3.* *Marc. 9.*

Contra ſecundam partem ſuæ concluſionis ſit iſta propoſitio: *ſicut cauſa ſufficiens eſt facere miracula, ad probandum ſe miſſum à Deo ad prædicandum, ita non ſufficit facere, quæcunque perfectionis & ſanctitatis opera, ad ſufficienter ſe probandum miſſum à Deo ad prædicandum, hoc addito, niſi adducat ſpeciale de ſe ſcripturæ ſacræ teſtimonium.* Probatur dupliciter, primo modo ſic, quia talia opera ſunt ſæpè apparentia extrinſecus, & non exiſtentia intrinſecus, ſicut Dominus ait hypocritis Mat. 23. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ à foris patent hominibus ſpecioſa, intus verò plena ſunt oſſibus mortuorum & omni ſpurcitiâ. Sic & vos foris quidem patetis hominibus juſti, intus autem pleni eſtis hypocriſi & iniquitate:* & pſeudoapoſtoli ſe in Apoſtolos Chriſti transformant, ſicut Angelus Sathanæ in Angelum lucis, 2. Co. 11. ideo Dominus admonet nos, dicens. *Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces,* Matth. 7. & hoc quia licet Dominus noſter eſſet ſanctiſſimus in omni operatione ſanctitatis, docuit tamen non ſufficere illa opera ad hoc, ut Judæi crederent eum miſſum à Deo eis in legiſlatorem, ſed direxit eos, ſuper & præter omnia opera ſuæ ſanctitatis, ad opera miraculorum, dicens, *ſi mihi non creditis, operibus credite,* ut dictum eſt. Similiter & Apoſtoli erant ſanctiſſimorum operum, & tamen probant ſuam miſſionem per miracula. Sed contra hoc adducit dominus Replicans auctoritates dicens, quòd probatio ſanctitatis non eſt ſigna facere, ſed juſtè vivere, & ſic de ſingulis. Ad ea ſimul reſpondeo, quod auctoritates ſicut ſtant, veriſſimæ ſunt. Ego enim concedo, quod facere miracula non eſt ſemper ſignum ſanctitatis illius qui facit, ſed dico quòd facere miracula ad probandum ſe eſſe miſſum à Deo ad prædicandum, eſt ſi-

*Non ſufficit facere quæcunque perfectionis opera ad ſufficienter probandum ſe miſſum à Deo, niſi quis de ſe adducat teſtimonium ſcripturæ,* *2. Cor. 11.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

gnum ſufficientis probationis: unde aliud eſt eſſe hominem Dei, ſeu virum bonum, aliud eſt, eſſe prædicatorem aptum. Qui ergò benè vivit, oſtendit ſe eſſe à Deo aliis in exemplum, ſed non probat per hoc ſe miſſum ad prædicandum ſine licentia Prælatorum, niſi oſtendat ſuæ miſſionis miraculum. Sed contra hoc aſſumit ſic: „ Si hæc „ requirerentur univerſaliter, tunc maximè deberet dubitari de Patribus hujus Con„ cilii ſacerdotibus, quòd ſint à Deo miſſi, cum nullum adhuc viderim operari mi„ raculum, vel habere ſuper hoc teſtimonium ſcripturæ ſacræ ſpeciale, ultra alios Sa„ cerdotes", reſpondeo, quòd Patres hujus Concilii ſacri non indigent facere miracula, quia nullus eorum jactat ſe inviſibiliter eſſe miſſum à Deo, ita quod velit prædicare, non habita licentia, imò reclamante, & ſub ſententia excommunicationis prohibente Prælato cujuslibet eorum. Sed vos quod dicitis, vos licentia Prælatorum non indigere & poſſe ubique, etiam Prælatis contradicentibus, ad vitam meliorem tranſire, ſcilicet prædicare, vos tenemini miraculis, vel ſcripturæ teſtimonio oſtendere, quod illam poteſtatem habetis à Deo, ita dicit c. *cum ex injuncto.* 2. quia horum Patrum Reverendiſſ. doctrinam & fidem à Deo eſſe, approbat univerſalis Eccleſia Spiritu ſancto edocta, qui docet eam omnem veritatem, ſecundum promiſſionem Domini noſtri Jeſu Chriſti. pariformiter Sum. Pontifex, vicarius ejus unicus in terris, cui Dominus in perſona Eccleſiæ ait. „ Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & „ *iterum:* tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam & portæ in„ feri non prævalebunt adverſus eam: & *iterum:* Ecce ego vobiſcum ſum omnibus „ diebus uſque ad conſummationem ſæculi: & *iterum:* Ego rogabo Patrem & alium „ paraclitum dabit vobis, Spiritum veritatis, ut ſit vobiſcum in æternum". 3. quia qui nova prædicat & inſolita, prout vos facitis Bohemi, tenetur illam novam doctrinam comprobare novis ſignis, quia ſalvator noſter ut primo miſit Apoſtolos ad prædicandum novam doctrinam, ſcilicet de regno Dei, dedit eis ſimul cum hoc poteſtatem ſuper omnia dæmonia ejiciendi, & ut languores curarent. Mat. & Luc. ubi dicit Beda lib. tertio cap. 3. ſuper Lucam. „ Conceſſa primum poteſtate ſignorum, miſit „ prædicare regnum Dei, ut promiſſorum magnitudini atteſtaretur magnitudo facto„ rum, fidemque verbis daret virtus oſtenſa, & nova facerent, quia nova prædica„ rent": hæc ille. Si dicis, non eſt jam tempus faciendi miracula, quia dicit Iſidorus libro 1. de ſummo bono, capitulo vigeſimo quinto: *Antequam Antichriſtus appareat, virtutes ab Eccleſia ceſſabunt.* Reſpondeo quòd jam ceſſarunt miracula, non ideò, ut qui vult prædicet & dicat, ſe miſſum à Deo, & hoc ſufficiat, nec miraculo probare debeatis; ſed ideò, quia fides Catholica eſt plenè fundata, nec eget probatione nova, & hoc eſt quod dicit beatus Gregorius ſecunda parte homiliarum, homil. nona, „ ut „ fides credentium creſceret, miraculis fuit nutrienda: quia nos cum arbuſta planta„ mus, tamdiu aquam ſuperfundimus quouſque ea in terra coaluiſſe videamus, quia ſi „ radicem fixerit, à rigando ceſſamus": hæc ille: & hæc de materia miraculorum.

*Luc. 22.* *Matt. 16.* *Joan. 14.* *Matt. & Luc. 10.* *Beda.* *Iſidor. ſi.* *Gregor. hom. 29.*

COnſequenter de literis commendatitiis dicit, quòd inventæ ſunt propter malos. Reſpondeo, quod utique hoc verum eſt, quod propter Pſeudoapoſtolos, dicit gloſſ. 2. Cor. 3. ſuper illud: *Numquid commendatitiis egemus literis, ſicut quidam*, ſcilicet qui ſunt Pſeudoapoſtoli? Reſpondit ſanctus Thomas in libro de contra impugnantes Religionem, propè finem: Propriè duo ſunt genera hominum, ſcilicet non miſſi prædicantes, & falſa docentes, de quibus ambobus ſimul Dominus ait Jeremiæ vigeſimo tertio: *Non mittebam eos, & ipſi currebant*, quoad primum. *Non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant.* Quoad ſecundum. Iſti ſunt qui tenentur habere literas commendatitias, qui prædicare volunt invitis Prælatis. Ad id quod dicitur Actorum decimo tertio, quòd Paulus & Barnabas ſedebant in templo, & Principes miſerunt ad eos, an haberent verbum exhortationis ad plebem, dicit Lyra, quòd ex hoc eorum prædicatio efficacior reddebatur, quòd ſe non ingeſſerunt ad prædicandum, ſed rogati fuerunt, gloſſa dicit: *ſedent quaſi audituri legem, non quaſi prædicaturi, ecce humilitatis exemplum:* dicit gloſſa: *dicunt Principes ad Apoſtolos: Si habetis verbum exhortationis? non dicunt, prædicationis vel lectionis:* hæc ibi. Non debent ergò Diaconi vel Presbyteri prædicare, niſi invitati ad ſermocinandum. 7. q. 1. *Epiſcopi.* Ad textum quem adducit 19. c. 2. *Duæ:* qui dicit, quòd propter criminoſos literæ commendatitiæ inventæ ſunt. Si gloſſam legiſſetis, tacuiſſetis, quia dicit gloſſa ſic: „ Licet propter criminoſos fuerit conſtitutio data, extenditur tamen etiam ad non „ criminoſos, quia nullus recipitur ſine commendatitiis literis. Etenim quod ſtatui„ tur propter cauſam impulſivam, cauſſa ceſſante non ideo ceſſat conſtitutio, ſicut „ dicitur ff de don l. 2. §. ult". hæc gloſſ. Quod autem concludit Replicans ex eodem textu, dicens: „ Ex iſto Canone 19. q. 2. Duæ: ſequitur tertiò, quòd quisquis „ ſpiritu Dei ducitur, Epiſcopo contradicente, ad meliorem vitam poteſt tranſire. Ex „ quo patet etiam, quod Diaconus vel Sacerdos diſpoſitus ad prædicandum, & ductus „ Spiritu

*Act. 13.* *Lira ibid.* *Gloſſ. ord. ibid. Gloſſ. interl. ibid.* *7. q. 1. Epiſcopi. c. 38.* *19. q. 2. Duæ. c. 2.*

Digitized by Google

„ Spiritu Dei liberè Chriſti Evangelium abſque licentia Prælati ſpeciali poteſt prædi- SÆC.
„ care, patet, *inquit*, quia bonum eſt Diaconum vel Presbyterum, vel Sacerdotem XV.
„ benè vivere, melius benè vivere & utiliter prædicare, ergò poterit de prædicatio- ANNO
„ nis ocio in laborem, & ſic tranſire ad vitam meliorem". Ecce iterum palàm lo- 1433.
quitur, & proverbia objicit, & ſic dico duo. Primum, quòd Spiritu ſancto ductus poteſt ingredi Religionem, nolente Epiſcopo. Secundò, quòd hoc eſt omninò falſum, quod ex hoc, inquit, patet, quod etiam Sacerdos vel Diaconus diſpoſitus ad prædicandum ductus Spiritu Dei, abſque licentia Epiſcopi liberè poſſit prædicare Evangelium Chriſti. Nam dico pro concluſione, quod quicunque Spiritu Dei agitur, nunquam contra voluntatem Prælati, vel ſine licentia Prælati, agit in ſua Eccleſia vel diœceſi, quia Spiritus S. non eſt arrogans, importunus, aut inobedientiæ magiſter, ſed potius mitis, manſuetus, humilis, ut patet Sap. 7. unde ſecurè dico, quòd *Sap. 7.*
quicunque à Deo ad prædicandum mittitur, ſe Prælato præſentare tenetur maximè, ſi requiſitus fuerit à Prælato, ut approbationem ejus accipiat, & obedientiæ virtutem oſtendat: unde in c. *cum ex injuncto* dicitur: *Si tamen de hac inviſibili miſſione conſtaret*, ex quo concluditur, quod qui aſſerit illam inviſibilem miſſionem, tenetur eam probare, & cognitio talium de jure, & conſuetudine, ſpectat fieri coram Papa, vel Epiſcopo loci, ſecundùm illa quæ habentur & notantur in c. *venerabili* de teſt. & in *c. venerabili de teſt. & atteſt.*
c. 1. de reliquiis & veneratione Sanctorum, & ſic tenetur ſe præſentare Prælato, e- *51. Item de teſtibus cogen. c. 11.*
tiam ſi ſit miſſus à Deo miſſione inviſibili, & probare eam modis prædictis, & dico maximè ſi requiſitus fuerit. 1. propter Paulum, qui ſe Petro non ſtatim præſentavit, ſed diu poſt vocationem, & hoc quia à Chriſto vocatus, nec à Petro requiſitus, propter certitudinem miraculorum, quæ fecit Dominus propter Paulum, & propter S. *Greg. l. 1. dialog. c. 4.*
Equitium Abbatem, qui miſſus à Deo per Angelum, tandem requiſitus per Prælatum, ſubitò ei parere voluit, niſi Dominus miraculorum evidentia prævenisſet, ut patet lib. 1. dialogorum, c. 4. & probatur propoſitio multipliciter: primò per beatum Au- *Auguſt.*
guſtinum in fine ad Oroſium dicentem, *illum cognoſce miſſum à Deo, quem non paucorum hominum adulatio elegit, ſed illum, quem vita & mores optimi, & Apoſtolorum examinatio commendat Sacerdotum*, hæc ille. Ecce quomodo non ſufficit ſe dicere miſſum à Deo, ex moribus optimis, ſed etiam requiritur Apoſtolicorum Sacerdotum, & Prælatorum examinatio. 2. dicit gloſſ. hoc de offic. ordi. c. *inter cætera:* quod nul- *De off. jud. or. c. inter cætera 15. De hær. c. excommunicamus. 13. §. quia vero. Bern. ſuprà in reſpon. ad 1. arg. adverſarii, ſigno 3. inſtinctus divini. Act. 19. 9. 8.*
li licet prædicare, niſi mittatur auctoritate Epiſcoporum, vel Apoſtolicæ ſedis de hæret. c. *excommunicamus §. quia verò*, hæc ibi. Si nulli, ergò nec ei, qui ſe dicit à Spiritu S. inſpiratum, præſertim ſi requiſitus fuerit à Prælato. 3. dicit. B. Bern. ut allegatum eſt de inſtinctionib. *eo cogitatio, quæ pudica videtur, nec ad vitia trahit apertè, tunc divinam à Deo noveris eſſe, ſi pacifica ſit, ſi Prælati tui atque ſpiritualium fratrum approbetur judicio: quoniam non facit Dominus verbum, quod non revelaverit ſervis ſuis:* propter hoc Paulus mittitur ad Ananiam, ſic Cornelius dirigitur ad Petrum: ſic Eunuchus inſtruitur per Philippum, ut approbationem & judicium Prælati & virorum ſpiritualium requirere doceremur, ſicut de eo plenius in collationibus patrum habetur. 4. hoc dicit Zabarella de hære. c. *excommunicamus*, ſuper verbo, *uſurpare*, dicens, *qui*, inquit, *prædicat ſine licentia, dicitur uſurpare:* & talis eſt, qui probatur non miſſus, vel qui non habet auctoritatem à Papa, vel ab Epiſcopo loci, vel qui miſſionem non comprobat per operationem miraculi, vel ſcripturæ teſtimonium, ita quòd ſit miſſus eo modo, quo ſcriptura præcepit, ſecundum Innocen. & dicit Oſtienſis, quòd in hac re tam ardua, non credetur ipſius juramento, tum quia in re propria. 4. q. 3. de teſt. *licet*, & hoc eſt quod communiter volunt canones, quod nulli licet prædicare in diœceſi cujuscunque Epiſcopi, ſine ejus licentia. 16. q. *3. q. 4. nullus c. 16. q. 1. cunctis fidelibus cap. 41.*
1. *cunctis fidelibus*, & ſummo opere omnibus Presbyteris & Diaconibus, & reliquis clericis attendendum eſt, ut nihil abſque Epiſcopi propria licentia agant, non utique miſſas ſine ejus juſſu quiſque Presbyterorum in ſua parochia agat, non baptizet, neque quicquam abſque ejus permiſſu faciat. Hæc ibi. Unde dico, quod talis à Deo miſſus tenetur ſe Prælato inſinuare, & ab eo licentiam petere: quod ſi miſſio eſſet occulta, tenetur eam probare per miracula vel ſcripturam; ſed ſi manifeſta, & magnificè probata eſſet, & Prælatus malitiosè nollet eum licentiare, fortè ſufficeret licentia divina.

Poſt hæc aggreditur reſponſiones meas, ubi inter multa reſumptione indigna, dicit primò, quod ubi ego dixi non eſſe ſimile de pane materiali, & ſpirituali. Quia in eleemoſyna materiali non ſequuntur pericula apud ſuſcipientes, ſicut in pane verbi, quod ſpargerent hæretici: dicit hoc non eſſe univerſaliter verum, ſed & ex ſuperflua eleemoſyna, quam Clerus recipit, omne malum in Clero ſubſecutum eſt, & enumerat multa vitia. Dico: hoc eſt omninò dubium. Nam in cœlo orta ſunt ſchiſmata, ubi iſta temporalia non fuerunt. Et hodiè pauperiores ſunt deteriores. Jure certum eſt, *Ariſt. 1. Ethicor.*
quòd divitiæ ſunt organa ad virtutem, ſecundum Philoſophum primo Ethicor. & ſunt

multis

Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

multis materia benè operandi. Dicit etiam, quòd malè argui, deſcendendo de uno ſtatu in alium, ſic ſcilicet ſecundum eum ſequeretur, ubi arguit, *licet dare eleemoſynam corporalem ſine licentia, ergò & ſpiritualem, ſcilicet prædicare.* Sequetur: *Licet Laico dare eleemoſynam corporalem, ergò & celebrare Miſſam, cum Miſſa ſit eleemoſyna ſpiritualis:* & ipſemet ibi deſcendit de ſtatu uno in alium. Poſui ibi & alias ſimilitudines, quas dimiſit intactas. Poſtea ad tertiam ſolutionem dicit, quod, ubi dixi, eſſe diſſimilia, generare filios carnis, & ſpiritus: quia generare filios carnales eſſet principalis finis matrimonii: Sed principalis finis Sacerdotii (a) omninò eſſet generare filios Dei per prædicationem, ſed magis conficere Corpus Chriſti verum. Dicit hoc eſſe contra factum & dictum Chriſti, Lucæ 4. *Quia & in aliis civitatibus oportet me evangelizare:* ubi habetur ibi, quòd principalis actus Sacerdotii non ſit ſuper Corpus Chriſti verum. Ad ſimiles fabulas multas, ineptum judicavi reſpondere, ne obtunderem aures veſtras, Patres reverendiſſimi.

*Supra in reſponſionibus ad 2. & 3. argum. adverſarii.*

*(a) forſan non omnino.*

*Supra coroll. primo.*

Circa primum corollarium, ubi dixi, non quilibet Sacerdos Domini habet facultatem prædicandi virtute Sacerdotii, allegavi ſex Doctores: nihil reſpondit, niſi tantum in effectu ad propoſitum, contra iſtud ſcilicet, arguit ſic: *Cuicunque Papa committit officium prædicandi, ille habet ex eodem. Ergo cui Deus committit officium prædicandi, ille habet ex eodem.* Verum eſt: ſed oſtendat, quòd Deus ſibi commiſerit officium illud, & credemus ei, ut dicit capitulum, *Cum ex injuncto*, de hæret.

*Sup. coroll. 2.*

*Act. 10.*

Circa ſecundum corollarium quod probavi ſex rationibus, nihil reſpondit, niſi ad illam, ubi ego probando dixi, quod non eſſet præceptum Domini, prædicare Presbyteros ſingulos, dicit, quòd neget Majorem, ſcilicet illud: *Non eſt præceptum homini, à quo ſe licitè excuſare poteſt:* quia dicit, eleemoſynam eſſe præceptum, à qua excuſentur multi. Dico quòd eleemoſyna nulli eſt præcepta, pro tunc, dum ab ejus impenſione poteſt licitè excuſari. Eſt enim præceptum affirmativum, non obligans, niſi pro hic & nunc. Conſequenter ibi ego reſpondendo dixi, quod illud præceptum Domini: *Ite in orbem univerſum*, non obligabat univerſos Apoſtolos, ut quilibet eorum iret in totum mundum, & in quemlibet angulum orbis, quia nullus eorum hoc fecit, dicit quod illud eſt contra illud Actor. 10. *Nobis præcepit Deus prædicare populo*, &c. Nego hoc, quia non dicit; præcepit cuilibet noſtrum ſigillatim prædicare quolibet angulo mundi, licet diſperſi ita prædicabant, quod in omnem terram exivit ſonus eorum. Ad illam autem: *Fidelis ſervus & prudens*, dixi, quod dicta eſt de Prælatis, qui ſunt conſtituti ſuper familiam Domini; Replicans dixit, quòd etiam alii Presbyteri debent habere curam de familia Domini, juxta illud Eccl. 17. *Unicuique mandavit Deus de proximo ſuo.* Reſpondet beatus Thomas quodlibetico 12. q. 18. art. 29. Quod Deus non præcipit cuilibet curare de proximo per publicam prædicationem, ſed privatam admonitionem: Adducit Chryſ. contra: *Nam Sacerdos debitor eſt, ut veritatem quam audit à Deo, liberè prædicet.* 11. q. 1. *nolite.* Reſpondeo quod ſenſus textus eſt, quod ubi periculum fidei imminet, & confeſſio requirit, tenetur Sacerdos, ſicut & laicus, veritatem Dei confiteri, & ſi propter timorem mortis, veritatem non confiteretur, peccaret. Ad auctoritatem Iſaiæ, *clama, ne ceſſes:* dixi, quòd Iſaiæ ſoli præceptum: dicit quod non, quia ſecundum Lyram, intelligitur de Chriſto ad literam, & illa vox dicentis *clama*, extenditur ad Joan. Baptiſtam. Reſpondeo, quod eſt inconveniens, ad eundem textum habere plures ſenſus literales, ſicut Lyra exponit illam auctoritatem ad Hebræos 10. & *ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filium.* 2. Reg. 7. de Salomone & de Chriſto: tamen literaliter principalius de Iſaia dicta ſunt, ut patet ex nuda hiſtoria textus, contra vos, qui audebatis dicere, quod obligaret omnes.

*Eccl. 17.*

*S. Thom. quodl. 12. q. 18. a. 29.*

*11. q. 3. nolite c. 86.*

*Auctor operis imperfecti hom. 25.*

*Eſa. 58.*

POſt hoc adducit auctoritates tres, quarum ſenſus eſt, quod Sacerdotes inſtituuntur ad prædicandum, & ad interpretandum legem. Reſpondeo primo, quod ſæpè in dictis ſanctorum, Sacerdos pro Epiſcopo ponitur, & pro curato, de quibus communiter intelliguntur iſtæ auctoritates, ſicut patet in cap. *ſit rector.* ubi S. Gregorius dicit. *præconis officium ſuſcipit quiſquis ad ſacerdotium accedit:* ubi ad literam loquitur de rectoribus & paſtoribus ſub nomine Sacerdotis, ita in propoſito. Secundo dico cum domino Guilielmo Parſienſi in ſuo ſacramentali capitulo de ſacro ordine, quod Sacerdotum officium fuit ſemper prædicare, juxta illud Malach. 2. *labia Sacerdotis cuſtodiant ſcientiam & legem de manu ejus requiram:* & infra dicit, quòd Sacerdos modicam auctoritatem docendi habet, quia datur eis cum ſola cura animarum, tanquam annexum. Ex tunc enim tenetur docere populum ſibi commiſſum: nunquam tamen dicitur eis in ſua ordinatione, *ite, docete, & prædicate*, docere enim & prædicare eſt ſpeciale officium Epiſcoporum, quod in conſecrationibus ſuis eis dicitur. *Ite prædicate populis:* hæc ille. Et per hoc ſolvuntur duo motiva Domini Replicantis

*Gregor. 2. parte paſtoralis cap. 4. diſt. 43. ſit rector. c. 1. Guiliel. Pariſienſis.*

Digitized by Google

tis ſuperius poſito, quia dicit, *ſive cum charactere, ſive aliter, hoc ſcio quod Sacerdos habet poteſtatem prædicandi*, & probat primò ſic, quia ſi non, cur cantaretur in eorum ordinatione *Ite in orbem?* Ad hoc dico, quod ego quæſivi à multis Epiſcopis præſentibus & abſentibus, qui dicunt ſe illud non facere decantari. Inſuper nec in rationali divinorum reperitur quidquam de iſto, & ita non eſt eſſentiale officii. Dico ſecundo, quòd quia in aliquando totum officium eſt finitum, & Presbyteri jam ſegregantur ad ſe exuendum, tunc cantant Clerici: *Ite in orbem*, &c. Et tunc dico duo. Primum, quod iſta devotio eſt purè ceremonialis, & non habet ullam efficaciam admittendi eos ad prædicandum, ſecundum, quod iſta decantatio non mittit Presbyteros, eo quòd illi qui cantant, non habent auctoritatem mittendi eos, nec Epiſcopus poteſt mittere niſi per diœceſin ſuam, ut dicunt doctores circa capit. *cum ex injuncto* de hær. Arguit 2. ſic, quia in pontificali dicitur: *Oportet Epiſcopum benedicere, præeſſe, & prædicare:* dico ut prius, quod ibi oſtenditur, quod ſit officium Sacerdotis. Sed illius officii executio non datur, niſi dum cura ſibi committitur, aut aliunde executio officii impertiatur. Unde dicitur 24. q. 1. *miramur*, quod aliud eſt poteſtas officii, aliud eſt executio: in pleriſque eſt unum ſine altero, ut in Monachis, qui habent officium, ſed non executionem, niſi ex ſpeciali commiſſione: ita dicitur in c. *adjicimus*. Ecce quod ſinguli Sacerdotes in ſua dedicatione presbyteratus baptizandi & prædicandi poteſtatem accipiunt, ſed executionem illius poteſtatis non habent, niſi ad talia aſſumantur, ſicut agens naturale potentiam habet agendi, ſed non habet executionem illius potentiæ, niſi habeat materiam ſibi miniſtratam, ut applicat de prædicatione ſanctus Thomas, quodlibetico duodecimo, quæſtione decima octava, art. 29. ut prædictum eſt, &c.

SÆC. XV. ANNO 1433.

24. q. 1. *Miramur* c. 37. 16. q. 1. *adjicimus* c. 19.

*Tho. quodl.* 12. q. 18. *art.* 29.

CIrca tertium corollarium de Diaconibus dicit, quòd mea propoſitio non fuit contraria ſuæ, & ego dixi tunc, quod ſic: quia licet non dicat in concluſione de præcepto: tamen exponit ly *debet*, capi præceptivè, dicit me truncaſſe gloſſam. *In ſancta*: dico, quod verba ſuperflua caveo, recepi quod deſervirent mihi, omiſi quo non indigerem, & tamen poſuit contrarium ejus quod poſui, ſi non in concluſione, tamen in declaratione. Adhuc pro mea concluſione ſtant pro me adducta; quia allegavi ſeptem rationes, & non reſpondit mihi niſi ad ultimam, & loco illius adduco Wilhelmum de monte Lauduno, qui dicit in Rubrica de ordine Diaconatus, quòd officium Diaconi eſt prædicare, id eſt, legere recitando Evangelium & Epiſtolam, quæ ſunt de Novo Teſtamento. Et ſubdit, *nec intelligas quod prædicare verbum Dei eis licet ratione hujus ordinis, quia ſolum Magiſtris in Theologia, ſeu Epiſcopis, & aliis, qui ad hoc officium, ſcilicet prædicandi, propter curam animarum electi ſunt, his licet:* hæc ille. Sed abſit, ut Dionyſius diviniſſimus accedat, quaſi Diacono officium prædicationis aſſcribat, nequaquam: dicit enim dominus Albertus ibidem ſic, poſt verba Dionyſii, quod Dionyſius dicit, quod iſta communia erant in conſummativis orationibus, ſcilicet quibus conſecrabantur Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi, & iſta eſſe communia: primum eſt, quod ſignantur ſigno crucis. Secundum, quod recitantur a Epiſcopo ex nomine, quod ad talem ordinem aſſumantur. Tertium, quod oſculantur omnes (a) Sancti, qui adſunt. Quartum, quòd quilibet horum ab Epiſcopo conſecratur. Primum notatur ibidem *ſignaculum cruciforme*, id eſt, in modum crucis. Secundum ibi *prædicatio*, id eſt, recitatio ex nomine, quod ad talem ordinem aſſumantur: quia Epiſcopus dicebat (b) ſignanter, Ille de Sacerdotibus in Epiſcopum divina eum provehente gratia aſſumetur. Et ſimiliter de aliis. Tertium ibi *ſalutatio*, id eſt, oſculatio, & hic erat ritus conſecrationis in primitiva Eccleſia: unus Epiſcopus poterat Epiſcopum conſecrare: hæc ille. Ex quibus patet, replicantem non intellexiſſe Dionyſium. Prædicatio enim dicitur ibi paſſivè pro recitatione publica ex nomine. Et quia dicit, me truncaſſe gloſſam, oſtendam ipſum truncaſſe illam partem gloſſæ, quæ totam ſuam glo. (c) excitat. Verbum enim ipſe ceſſavit, ſequitur & ſic in ſede Apoſtolica. Ex quo quidam dicunt in Romana Eccleſia, & de Cardinalibus hoc ſtatutum ſervandum. hic verò intelligit generaliter eſſe prohibitum, cum ad legendum Evangelium ſint inſtituti, quod patet ex illo verbo, quod dicit, *infra miſſarum ſolemnia*. hæc ibi, ut dicit gloſſa, quod nullo modo eſt dicendum, Diaconi officium eſſe prædicare publicè, ſed legere Evangelium, quod notat textus qui ſequitur in eodem capitulo, dicens. *Qua de re præſenti decreto conſtituto ut in ſede hac ſancti altaris miniſtri cantare non debeant, ſolumque Evangelicæ lectionis officium infra miſſarum ſolemnia exſolvant:* hæc ibi. Nota, dicit, quod ſolum lectionis Evangelicæ officium exſolvant, quod prius dixit *prædicare*, & ſic ipſe truncavit textum cum gloſſa ſatis præjudicialiter: patet ergò, quòd niſi Diaconi ſint curati, non convenit eis absque licentia ſpeciali prædicare. Sed dicit Replicans, *miranda res, ſi officium Diaconi non eſt niſi legere Evangelium, cur ejus officium eſt tam periculoſum, ut dicit Aug. diſt.* 40. *Ante omnia.* Reſpondeo, quod non ideo dicitur periculoſum, quia habet legere Evan-

*Supra corol.* 3. *diſt.* 29. *in ſancta. c.* 2. *Greg. l.* 4. *Epiſt.* 44.

*Dionyſius. Areopag. de Eccleſ. Hierarch. cap.* 5.

(a) *alius m.ſ. ſanctos.*

(b) *alius liber. ſingulariter.*

*diſt.* 92. *In ſancta c.* 2. (c) *alter liber excacet. Locus, ut videtur, truncatus.*

*diſt.* 40. *ante cap.* 7. *Auguſt. ad Valerium epiſt.* 148.



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

Evangelium, sed quia Diaconus habet in omnibus assistere Presbytero, & ministrare in omnibus quæ aguntur in sacramentis Christi, scilicet in Chrismate, in patena & calice, & sic de singulis, ut patet in c. *perlectis*, d. 25. & in c. *cleros*. dist. 21. sicut in Sacerdotibus consecratio, ita in Diacono ministerii dispensatio. Et cum periculosum sit gerere officium Sacerdotii, propter sacrum ordinem quem habet, ut castè vivat, bonam vitam ducat, & Sacramenta dignè tractet, sic & omnia illa exiguntur in Diacono, & tamen multi sunt Presbyteri, qui non tenentur prædicare, nihilominus officium eorum est periculosum, propter ordinis eminentiam, & eorum, quæ ad ordinem requiruntur presbyteralem, sic & in Diacono.

*dist. 25. perlectis. c. 1.*

*dist. 21. cleros cap. 1.*

*Sup. cor. 4.* CIrca quartum corollarium ponit, ut dicit, mihi oppositum, scilicet quod congruit valdè multos esse prædicantes, etiamsi non tot sint populo missantes. Non est mihi oppositum, quia stant simul, quòd in casu congruit multos esse prædicantes, in casu multos missantes, si simul ambo haberi non possunt: dixi enim sic inter cætera; Sciendum tamen, quòd in casu fortè esset laudabilius prædicare ei, qui habet auctoritatem, quàm missare, scilicet si esset populus infirmus & infidelis in his, quæ credere vel agere tenentur. Tunc si talis Sacerdos simul utrumque facere non posset, potius esset ei prædicandum, quàm missandum. Et tunc diceretur, prædicare esse melius, quàm missare, non simpliciter & absolutè, sed stante tali conditione: & sic secundum quid cederet perfectius minus perfecto, scilicet in ordine ad talem populum infirmum & ægrotantem, sicut bonum vinum, licet de se sit melius quàm aqua, tamen aqua melior est febricitanti. Veruntamen communiter actus missandi non repugnat actui prædicandi, imò simul stant, & unus ordinatur ad alium, sicut prædicatio ordinatur ad hoc, ut populus devotius præparetur ad audiendum Missam, in cujus signum prædicatio solet communiter fieri ante elevationem, scilicet post Evangelium: sed populo jam benè converso, dixi, utilius est sæpè missare, & interdum prædicare, quàm quotidie prædicare & rarò missare. Quod autem inter cætera dicit, quod negligentiæ Christiani populi plus purgantur per alia, quàm per missarum consuetudinalem auditionem, puta per eleemosynarum largitionem, verbi Dei devotam auditionem, Eucharistiæ communionem: dico quod hoc aliquando fallit, quod plus purgantur per ista, quam per missarum auditionem, quia sæpè cum majori devotione audit Missam, quam faceret alia illa, vel alterum ex his: & sic percipit effectum spiritualis communionis & incorporationis Corporis Christi: unde non solum Sacerdos, sed & circumstantes dicuntur *communicantes*, ideo licet ipse solus communicet, tamen in plurali orat, dicens, *purificent nos, quæsumus, Domine, Sacramenta quæ sumpsimus.* Ad rationes in contrarium adductas. Ad 1. *Illud plus congruit populo, cujus exemplum Christus, Apostoli, & primitiva Ecclesia in se plus ostendunt, sed illi plus prædicarunt, quàm missarunt: ergò, &c.* Respons. quoad Christum, non sequitur, Christus pluries prædicavit, & tantum semel missavit, ergo utilius est prædicare, quam missare, quia ut prædixi, Christus tantum semel passus est, & pluries prædicavit, & tamen ejus passio utilior est, quàm ejus prædicatio; non enim quod pluries fit, de eo melius est, sed imperfectius, ut declaravi. Ad Apostolos & Ecclesiam primitivam, an illi sæpius prædicaverint vel celebraverint, nescio; credo quod quotidiè celebraverunt, nam fideles quotidiè communicaverunt. de consec. dist. 2. *peracta:* erg. & Aposto. nec est verisimile quod Apostoli induxissent populum ad quotidiè communicandum, nisi hoc etiam exemplo ostendissent, & ipsi missando celebrassent, unde erant perseverantes in oratione, & fractione panis. Ad secundam, ubi arguit, *illud valdè congruit populo, quod est pabulum dignioris partis hominis, sed hoc est verbum Dei.* Respondeo, quod non minus est pabulum animæ auditio Missæ, per quam homo incorporatur Christo, ut dictum est. Ad tertiam: *Illud plus congruit populo, per quod plures convertuntur ad fidem, sed tale est prædicatio, ergo, &c.* Respondeo, quod in casu, ubi populus indigeret converti, & Sacerdos non posset utrumque simul facere, celebrare, & prædicare; potius esset prædicandum, quàm celebrandum. Ad quartum. *Illud plus congruit populo, per quod generantur in filios Dei, sed hoc est prædicatio.* Respondeo, quod ubi populus esset extra fidem, & sic non essent filii Dei, juxta illud Joannis primo, *dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus*, utilior esset prædicatio. Sed dum sunt filii Dei per fidem, ut nunc est populus in fide fundatus, utilior est celebratio. Dico etiam quod missatio in hoc excedit prædicationem: quia prædicatio tantum convertit vivos, celebratio Missæ etiam adjuvat defunctos. In plerisque tamen prædicatio & missatio se habent adinvicem, ut excedentia & excessa. Ad quintum. *Illud plus congruit populo, cujus executionem Dominus strictius præcepit fieri, sed hoc fuit prædicatio.* Respondeo, quòd Dominus non minus præcepit Apostolis Missas celebrare, quàm prædicare. Nam sicut præcepit dicens, *euntes prædicate*; ita præcepit, *hoc facite in meam commemorationem*, tamen

*De consec. dist 2. Peracta. c. 10.*

*Joan. 1.*

Digitized by Google

tamen comparationibus omissis, teneamus cum B. Augustino; q. 1. *interrogo:* quod non minus est verbum Dei, quàm Corpus Christi secundum glossam, hoc modo, quod plures convertit, & facit compungi hominem, ut omnia peccata per verbum Christi quandoque tollantur. Sed per Corpus Christi venialia tantum tolluntur, ut de consec. dist. 2. c. *iteratur*, & c. *quotidie*, hæc ille. Tamen inter omnia grata Deo Patri, gratissimum est sacrum Missæ officium, nihil enim in sacrificiis majus esse potest, quàm corpus & sanguis Jesu Christi. de consecrat. distinctione 2. *nihil.*

*1. q. 1. Interrogo. c. 94. de consec. dist. 2. iteratur c. 71. de consec. dist. 2. quotidie. de cons. dist. 2. nihil. Sup. coroll. 5.*

CIrca quintum corollarium inter cætera diffamatoria dicit de templis & altaribus, *sic putant enim cæci duces cum cæco populo, quod verus Dei cultus & honor, aut Sanctorum laus consistat in ampla templorum structura, aut in altarium splendida multitudine, &c.* Pro certo dico, quod non mirum, si populus audiens talia prædicare Sacerdotes, frangit templa, evertit altaria, destruitque Sancta. Verè ita est, sicut dominus Replicans dicit in uno corollario, causæ ruinæ populi sunt maximè Sacerdotes mali, præsertim hæretici pessimi, præambuli Antichristi, qui quidquid Christi nomine consecratum est, Antichristi more demoliri conantur, & in tantis sacrilegiis, cum quid agam, ego ignoro, hoc mihi residui est, ad omnipotentem oculos erigere cordis, & clamantem exaudiet me, secundum magnam gloriam suam, orantem illud Psalmistæ: *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam. Redde vicinis nostris septuplum in sinum eorum, improperium ipsorum, quod exprobraverunt tibi Domine: nos autem populus tuus & oves pascuæ tuæ confitebimur in sæculum, Amen.*

*Psal. 78.*

*Sup. coroll. 6.*

CIrca sextum corollarium: *Cuicunque ex caussa rationali Papa prohiberet officium prædicandi sub excommunicationis sententia, ille teneretur obedire.* Probavi ex praxi Christi, & suorum Apostolorum ex Concilio Nicæno, Carthaginensi, & aliis, ex capitulo *cum ex injuncto*, & sententialiter concludi, quomodo unico sole, id est, Ecclesiæ universalis auctoritate, omnia suarum disputationum allegata, poteram exsiccare, sicut B. Hieron. post longam disputationem dixit ad Luciferianum. Responsionem nullam reportavi, & optimè, quia spero quod consentiat veritati à me irrefragabiliter probatæ.

*S. Hier. cont. Luciferianum.*

*Sup. coroll. 7.*

IN septimo corollario meo mihi condescendit, & se correxit, quia primo posuit, quod propter scandalum perversorum non esset omittenda prædicatio. Nunc declarat se, dicens, *sicut ego posui, quod non simpliciter, sed aliquando possunt ad tempus propter scandalum pusillorum:* hoc ego concessi, & scripturis multis probavi. Tamen quia non obstante illa declaratione, probat primam conclusionem tripliciter. Ego respondendo ad 1. articulum: *Nullum præceptum Domini propter scandalum perversorum est omittendum, sed fidelis prædicatio verbi Dei est præceptum Domini, ergò, &c.* Resp. quod in tali casu, ubi, ut dixi in prima positione, omnes scandalizantur de prædicatione, non est præceptum ejus pro tunc tacere: juxta illud Matth. 7. *Nolite sanctum dare canibus*, secundum expositionem beatorum Chrys. & August. Ad 2. *Oblatio venerabilis sacri Eucharistiæ non est omittenda propter scandalum perversorum: ergò nec prædicatio.* Respondeo quod in casu ubi celebrans scandalizaret aliquem, utpote, ut si esset publicus concubinarius, vel simili crimine notorio convictus, deberet prius à celebratione abstinere, quàm in scandalisatione celebrare. Ad 3. *Pabulum fidelium non est omittendum propter scandalum perversorum, sed prædicare est hujusmodi.* Resp. quòd in casu scandali prædicatio non est pabulum scandalizatorum, ut deduxi in positione aliàs, ex Petro de Palude.

*Sup. in cor. 8.*

IN corollario octavo increpat me, quod dixi, Prælatos & Episcopos posse per se vel per alios in certis casibus satisfacere officio prædicationis; ubi ipse vult, quod per se teneantur: & dicit, quod non æstimat me aliud velle, nisi Prælatos liberare vel excusare à fideli verbi Dei annunciatione. Resp. quod nunquam mentis meæ fuit hoc, sed suspicionem suam evomuit. Sæpè enim dixi, officium Episcoporum esse prædicare verbum Dei, sed intendo illud quod dicitur libro tertio de offi. ord. cap. „ inter „ cætera, quæ ad salutem animarum spectant populi Christiani, pabulum verbi Dei „ maximè noscitur ei necessarium, quia sicut corpus materiali, ita anima spirituali ci„ bo nutritur, eo quod non in solo pane vivat homo, sed in omni verbo, quod pro„ cedit ex ore Dei. Unde cum sæpè contingat quod Episcopi propter suas occupa„ tiones multiplices, vel invaletudines corporales, aut hostiles incursus, seu occasio„ nes alias (ne dicamus defectum scientiæ, quod in eis reprobandum est omninò, nec „ de cætero tolerandum) per seipsos non sufficiunt ministrare populo verbum Dei, „ maximè per amplas diœceses & diffusas: generali constitutione sancimus, ut Episco„ pi

*De offi. jud. ord. inter cætera c. 15.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

„ pi viros idoneos ad ſanctæ prædicationis officium ſalubriter exequendum aſſumant „ potentes in opere & ſermone": hæc ibi. Ibi enim comprehenduntur penè caſus quos poſui, in quibus pro loco & tempore juxta negotiorum occurentium varietatem, poſſunt Prælati prædicationis officio per alios providere.

Hæc ſunt, quæ ego frater Henricus Kalteiſen, ordinis fratrum Prædicatorum, ſacræ Theologiæ Profeſſor, ac pravitatis hæreticæ inquiſitor, vobis Bohemis conſcripſi, pro veſtra reductione ad unitatem ſanctæ univerſalis Eccleſiæ, pro veſtra eruditione juxta mihi miniſtrata in 3. artic. ſcilic. de verbi Dei libera prædicatione. Hæc audiſtis, quæſo corde credatis, & ore confiteamini, ut fructum æternæ beatitudinis conſequi mereamini, juxta thema in hujus replicæ principio aſſumptum, ſcilicet *beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.* Præſcripta ſingulo huic ſacroſanctæ generali Synodo Baſilienſi offero corrigenda, cujus judicio me ſubjicio per omnia.

Terminata fuit hæc replica, in præſentia ſacri Concilii & Bohemorum recitata. 1433. in hebdomade pœnoſa, celerrimè & abruptè collecta, propter nimiam feſtinantiam Bohemorum ad recedendum. Ideò propitium requirit correctorem.

*Et ſic eſt finis hujus materiæ, videlicet articuli tertii. Deus glorioſus ſit benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen.*



Digitized by Google

# ORATIO,

## JOANNIS DE POLEMAR,

### ARCHIDIACONI BARCINONENSIS, APOSTOLICI PALATII CAUSARUM AUDITORIS,

QUA IN

## CONCILIO BASILEENSI,

ANNO M. CCCC. XXXIII.

*Per dies tres refutavit quartum articulum Bohemorum,*

# DE CIVILI DOMINIO CLERICORUM,

Quem propoſuit per triduum

PETRUS PAYNE ANGLUS.

---

## Teſtimonia de JOANNE POLEMAR.

SÆC. XV. ANNO 1433.

FUit Joannes Polemar inter Legatos à Concilii Baſil. Patribus Pragam miſſos, teſte Cochlæo lib. 6. hiſt. Huſſit. fol. 254. *Tentatum eſt aliud tandem remedium ab Illuſtriſſimo Principe Bavariæ Duce, Wilhelmo, Protectore Concilii, videlicet, ut omiſſis diſputationibus, res amice componeretur. Qua de re Pragæ poſtea Joannes Polemar coram cunctis regni ſtatibus orationem habens,*

*Venimus ad vos,* inquit Joannes Polemar in illa oratione ad Bohemos: *Ambaſiatores numero decem, pro parte ſacri Concilii, quorum tres ſunt de Francia,* &c. *quinque verò ſunt Teutonici, unus Epiſcopus Auguſtenſis, & reliqui de diverſis partibus. Ego verò inter omnes minimus, de partibus Hiſpaniæ, regni Arragoniæ, civitate Barcinonenſi, adhuc per 46. dietas diſtante.* Extant orationes variæ apud Cochlæum lib. 7. hiſt. Huſſ. fol. 256. &c.

*Transmiſſa igitur,* inquit Cochlæus lib. 7. fol. 267. *à Concilio pro legatis Bohemorum nova ſecuritate ac ſalvo conductu, venerunt illi Baſileam ſimul cum Concilii oratoribus. Cujus ſanè rei geſtæ ſeriem nemo melius explicat, quàm orator Concilii Joannes de Polemar Hiſpanus, in ea Oratione, cujus initium eſt: Magiſter ſcimus, quia verax es. Quam in ſecundo ſuo in Bohemiam adventu Pragæ habuit ad Bohemos.*

In reſponſo Legatorum Concilii ad dubia Bohemorum (quod extat apud Cochlæum lib. 8. hiſt. Huſſ. f. 284.) dicitur Polemar Decretorum Doctor.

In Executoria dominorum Legatorum (quæ extat apud Coch. lib. 8. hiſt. Huſſ. f. 289.) dicitur Joannes de Polemar, Archidiaconus Barcinonenſis, Apoſtolici Palatii cauſarum auditor, & Decretorum Doctor.



Digitized by Google

Sæc. XV. Anno 1433.

# RESPONSIO

## AD QUARTUM

# ARTICULUM BOHEMORUM,

## De *Temporalitate Ecclesiæ, sive quod licet Ecclesiæ habere temporalia,*

## PER MAGISTRUM

# JOANNEM DE POLEMAR.

*Psalm.* 69. *DEUS in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina.*
1. *Reg.* 13. *Psalm* 88. *Actor.* 13. Excelsus ille Propheta David, de quo scriptum novimus, Deum dixisse, quod invenerit hominem secundum cor suum, sic suæ humilitati omnium virtutum solido fundamento fixus stabat, ut nihil de suis viribus ingeniove præsumeret, sed tanquam in se deficiens, divinum ad se poscebat adjutorium festinare, & velut imbecillis infans, qui etsi manu teneatur à matre, nihil sui corpusculi fragilitati confisus, dum gremio ejus toto corpore non inhæret, matrem inclamitat, & palpitando tremens inhærere festinat: Sic inculcata petitione Deum in adjutorium ejus intendere & ipsum Deum ad adjuvandum se festinare deposcit. Hanc Prophetæ Deoque accepti viri vocem Sancta mater Ecclesia per omnes dies in singulis divinorum officiorum exordiis laudabili more exhibendam assumit. Nec immerito ad
1. *Petr.* 4. divinas laudes accedens, Dei auxilium deprecatur. Sciens quod adversarius noster, qui juxta beati Petri doctrinam, circuit, quærens quem devoret, tunc infremit vehementius, tunc instantius suas molitur insidias, cum divinis obsequiis appropinquare nos cernit: hinc sapiens ait, *fili, accedens adservitutem Dei, sta in justitia, & timore,*
*Eccl.* 2. *& præpara animam tuam ad tentationem.* Eccl. 2. capitulo.

At ego hominum minimus aggressurus hoc tam grande negotium, matris meæ morem servabo, ut pro divini auxilii imploratione ipsam propheticam accipiam vocem; Et si in dictandis precibus apud Judices solemus patronorum jamdudum approbatorum insequi formas, quanto magis apud Dei majestatem in offerendis precibus, uti decet verbis eorum, quos Deo placuisse cognovimus, quam maximè quæ ab Ecclesia sancta Catholica Spiritus sancti magisterio docta, sunt in quotidiano usu recepta? Jam jam igitur sanctum David, sanctamque matrem Ecclesiam imitans, ad te Deus meus, mundi creator, & prudentissime gubernator, tota cordis intentione, cum fiducia plena re-
*Sap.* 9. currens postulo atque dico, *Deus in adjutorium meum intende, &c.* Da Domine mihi sedium tuarum assistricem Sapientiam, & noli me reprobare à pueris tuis, quoniam servus sum ego, & filius ancillæ tuæ Ecclesiæ sanctæ Catholicæ, da mihi in apertione oris mei sermonem cum fiducia, & ut notam facere cunctis valeam hujus articuli veritatem. Et tu glorioſissima Dei genetrix, Virgo Maria, vosque omnes cives Jerusalem civitatis supernæ tam angelici spiritus quàm humani; me supplico vestris precibus adjuvate, Silvester, Gregori, Thoma Cantuariensis, cæterique sancti Pontifices, qui in Ecclesia Dei, postquam temporalibus affluit, mirabiliter coruscatis, vos in vestra causa interpello, assistite mihi, gloriam vestram defendi depoſco, vestrum quoque omnium, qui præsentes adestis devota orationis suffragia pro me fieri postulo, atque
2. *Mach.* 1. ut pro omnibus communiter exoremus, dicentes; *adaperiat Dominus cor vestrum in lege sua, & in præceptis suis, & faciat pacem in diebus nostris, Amen.*

REverendissimi in Christo Patres, Illustrissime Princeps, ac reverendi in Christo Patres in Ecclesia Dei prælatione fungentes, Doctores atque Magistri, Cæterique viri perspicui, qui de universis Christiani orbis nationibus in hoc loco divinæ benedictio-

Digitized by Google

nedictionis in Spiritu ſancto congregati eſtis, ad celebrandum univerſalis Eccleſiæ ritè congregatum generale Concilium. Non indignè ferant veſtræ Reverentiæ, humili ſupplicatione depoſco, nec vitio temerariæ præſumptionis aſcribant, ſi ex tanta doctiſſimorum virorum copia ego cunctis inferior, hoc tam grande negotium aggredi auſus ſum. In eo namque ſtudio in quo nutritus fui (a) minori affert conſtitutio primum locum, ut difficiliora majoribus reſerventur, propterea, qui primum locum vendicat, non præſumptuoſus, ſed magis humilis reputatur: hac lege fretus, hoc mihi licere putavi. Ego igitur ſi placuerit, primo dicam, & vos denuò corrigetis, quoniam hoc eſt mentis meæ firma ſententia, quod omnia dicta mea ſanctæ matris Eccleſiæ, & hujus ſacri Concilii ipſam repræſentantis, correctioni ſint & determinationi ſubjecta. Nec mirum, ſi ego ſciolus hoc dico, cum doctiſſimi ac ſanctiſſimi Ambroſius, Auguſtinus, Hieronymus, cæterique Doctores ipſius ſanctæ matris Eccleſiæ determinationi ſubjecerint dicta ſua. Ego igitur corrigi & emendari ſum paratus, ſi quid forſan proferam minus rectè, imò & ex tunc haberi volo pro non dicto.

SÆC. XV. ANNO 1433.

(a) *alterum exemplar. juniori.* CAN. male, quia difficiliora *majoribus reſervantur.* BASN.

Eſt & in alio mentis meæ intentio declaranda, quod nihil intendo dicere in injuriam, contumeliam vel offenſam dominorum Ambaſiatorum incliti Regni Bohemiæ hic præſentium, ſed cum eorum bona pace: quod ſi fortè inadvertenter aliquid dixero, quod in eorum injuriam vel offenſam videatur ſonare, quod nullatenus me facturum puto, cum non ſit ex meo animo; haberi poſtulo pro non dicto, quoniam teſtis mihi eſt Deus, quod nullatenus eos offendere, nec exaſperare cupio, ſed placare. A vobis dominis ambaſiatoribus poſtulo gratiam & benignam pariter & attentam audientiam accommodari ſermonibus meis, quoniam in veritate loqui intendo, & ex charitate, per quam pro veſtra ſalute pariter & honore non ſolum mea, ſed meipſum impendere ſum paratus. Det nobis omnipotens *Deus* per ſuam clementiam, ſupplici-ter poſtulo, idem ſapere, & in unanimitate & charitate ſuæ majeſtati acceptabiliter famulari. Amen.

Apologia.

Jam ad diſputandum articuli materiam appropinquans, ne velut ruſticus & agreſtis hoſpes illotis manibus ad divinam menſam accedam, brevem præfationem decrevi præmittere, non peregrinam, ſed utique pertractandæ materiæ ſatis conſonam: pro cujus fundamento ſuſcipio verbum ex Evangelio his diebus ſæpius recitato. *Ecce poſitus eſt hic in ruinam & reſurrectionem multorum in Iſrael.* Luc. 2. cap. Expaveſcit anima mea, nimioque terrore concutitur audiens verba Prophetæ hujus, de cujus veritate dubitare non licet, cui tale ab Evangelio teſtimonium perhibetur, quod erat *homo juſtus & timoratus, expectans redemptionem Iſrael, & Spiritus ſanctus erat in eo.* Quid dicis ſancte Propheta? de quo hic loqueris? *Ecce hic poſitus eſt*, &c. Planè de Jeſu ad matrem ejus Evangeliſta dictum oſtendit. Quid hoc? nonne Angelus, qui ejus conceptum ad Joſeph nunciare venit, dixit, quòd *ipſe ſalvum faceret populum ſuum à peccatis eorum?* Matth. 1. Nonne & tu expectans ipſe eras redemptionis Iſrael? & ad aſpectum ejus, tanquam redemptionem vidiſſes Iſrael, exultaſti, & benedixiſti Dominum, dicens? *Nunc dimittis ſervum tuum Domine, ſecundum verbum tuum in pace; Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum, quod paraſti ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael.* Si ergò ipſe eſt ſalutare Dei, ſi eſt lumen ad revelationem gentium, & gloria plebis Iſrael, quomodo nunc dicis? *Ecce hic poſitus eſt in ruinam.* Si dixiſſes: Ecce hic poſitus eſt ad ruinam gentium, & reſurrectionem Iſrael, dixiſſes quod ſperabant Judæi. Sed utrumque dicis in Iſrael. Iſrael populus Dei erat: ergo in populo Dei utrunque contigit, quod aliis erat in reſurrectionem, aliis in ruinam. Quid hoc? tabeſcere feciſti velut araneam animam meam. Sed & fruſtrà conturbatur homo, quoniam verba Prophetæ mentiri non poſſunt, & myſterio magno non carent: videamus, ſi ſuggerente Spiritu ſancto aliquid capere ex eis poſſimus. Jeſus ſalutare eſt, Jeſus lumen eſt, quomodo ſalvat? quomodo illuminat? utique per ſermonem ſuum, quia verbum ejus erat lux, ex ſe illuminans omnem hominem, ſed non omnis homo eſt illuminatus ex eo, non luminis, ſed viſus defectu. Unde Origenes, *Sicut enim lux, etſi oculos debiles turbet, lux eſt, hoc modo Salvatur perſeverat, etſi plurimi corruant, neque enim eſt ejus officium deſtructio, ſed eorum veſania. Quamobrem non ſolum ex ſalute bonorum, ſed etiam ex malorum diſſipatione, virtus ejus oſtenditur. Nam ſol quia multum radiat, propterea viſus debiles præcipuè turbat.* Et Chryſoſtomus: *Attende autem diſtinctionis exquiſitam prolationem: præparatio quippe ſalutis dicitur coram omni populo, ſed caſus & ſublevatio plurium: divinum enim propoſitum eſt ſalus ſingulorum: Caſus autem & ſublevatio conſiſtit in plurium intentione credentium & non credentium.* Jam ut opinor videre incipimus, quomodo ipſe *Jeſus*, qui pro ſalute hominum venit in mundum, poſitus eſt in aliorum ruinam, & aliorum reſurrectionem, & in Iſrael, ſed non verè Iſrael. In Iſrael, ſecundum carnem, ſed non in Iſrael ſecundum Spiritum: hoc idem Evangelicis teſtimoniis comprobemus. Ipſe idem Chriſtus dixit, Joannis 5. *Venit hora &*

Chriſtus poſitus in Lapidem.

*Luc. 2.*

*Matth. 1.*

*Pſal. 38.*

*Origenes.*

*Chryſ.*

*1. Cor. 10.*

*Joan. 5.*

Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

*ra & nunc est, quando mortui audient vocem filii Dei, & qui audient, vivent.* Ecce quomodo in resurrectionem multorum; non omnium, quoniam qui audient vivent, *audient*, id est, obedient, *audient* aure cordis, multi enim audierunt aure corporum, qui non habuerunt vitam, prout Augustinus exponens hunc passum, ait. Addatur aliud testimonium ex Evangelio Joannis 9. *In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant, & qui vident cæci fiant.* Sic ergò in aliorum resurrectionem, & aliorum ruinam. Addamus & tertium: ut tria sint quæ testimonium dent, juxta canonicam Joannis. Et istam materiam clarius legimus in Evangelio, Joannis 6. quod cum Christus dixisset, *nisi manducaveritis*, &c. multi discipulorum dicentes, *durus est hic sermo*, & abierunt retrò, & remanserunt cum Jesu duodecim. Ecce sermo Dei, qui lux est vera, non solum in Israel, sed in Christi discipulis aliis in vitam fuit, aliis in ruinam: unde Augustinus super Psalmo 54. Et habetur de consec. dist. 2.

*Aug. tract. 19. in Joan. c 5. Joan. 9. 1. Joan. 5. Joan. 6.*

*De consec. dist. 2. prima hæresis c. 44.*

„ Prima quidem hæresis in discipulis Christi velut à duritia sermonis ejus facta est. „ Cum enim diceret: nisi quis manducaverit, &c. illi non intelligentes dixerunt ad- „ invicem, durus est hic sermo, & separaverunt se ab illo, remansit cum 12. instru- „ xit eos, Spiritus est, inquit, qui vivificat, caro nihil prodest; verba quæ locutus „ sum ad vos, Spiritus & vita sunt. Intellexistis spiritualiter, Spiritus & vita sunt. „ Intellexistis carnaliter, etiam sic illa Spiritus & vita sunt, sed tibi non sunt &c".

Hæreses ortæ ex verbis Christi.

Et sic prima hæresis à sermone Christi occasionaliter orta est, propter illorum malam intelligentiam: sic & universæ hæreses, quæ ab initio nascentis Ecclesiæ ortæ sunt, ex hoc processerunt. Exemplificemus de aliquibus. Fuerunt quidam hæretici, vocati Carpocratiani, qui ex Evangelio Luc. 2. *Cum inducerent Jesum parentes ejus*, falsum suscipientes intellectum, dixerunt Christum hominem tantum fuisse, & de utroque sexu progenitum: contra illum articulum fidei *Natus ex Maria Virgine.* Fuerunt & alii, vocati Cerinthiani, qui ex eo, quod dixerat, *Non veni solvere legem*, dixerunt circumcisionem esse servandam. Contra illud Apostoli ad Galat. 5. *Si circumcidamini, Christus nihil vobis prodest.* Fuerunt & alii, qui se nominabant Apostolicos, quia dicebant se Apostolicam vitam servare, & neminem posse salvari, qui proprium possideret, propter illud verbum Christi, *Nisi quis renunciaverit omnia quæ possidet, &c.* horum sectator fuit Manichæus, & etiam Julianus apostata, qui sub hoc colore Christianos suis facultatibus spoliabat. Fuerunt & Adamiani, qui ex illo verbo Christi, *Nisi efficiamini sicut parvulus iste, &c.* dicebant, quod ad statum primæ innocentiæ oportebat redire, & ideo nudi orabant. Audivi aliquando in Bohemia aliquam sectam his similem fuisse, quæ tamen exsufflata & deleta fuit. Deo gratias. Fuerunt & alii, vocati Antropomorphitæ, qui propterea, quia legimus in sacra scriptura, *dextera Dei fecit virtutem, &, terra scabellum pedum ejus*, & alia similia, credebant Deum habere humana membra, contra illud Joannis 4. *Deus Spiritus est:* fuerunt Heraclionitæ, dicentes omnia consilia perfectionis data à Christo in Evangelio esse obligatoria omnium Christianorum, Monachos tantum recipiebant, & conjugia respuebant. Fuerunt & Donatistæ, qui ex eo quod Christus dixit, *Pater major me est*, denegabant filium secundum divinitatem, æqualem esse Patri, contra quos in Symbolo dicitur, *æqualis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem:* fuerunt & quidam, qui ex eo quod Christus dixit Apostolis: *nolite portare neque peram, &c. neque calciamenta:* nudis pedibus ambulabant, omnes calceatos damnabant: fuerunt & qui propter verbum Jacobi omninò nolebant jurare, quidam etiam licita juramenta respuebant: fuerunt & qui propter verbum Christi, *Si quis reliquerit patrem & matrem, uxorem, filios, &c.* relinquebant uxores, filios, etiam parvulos non curabant alere, neque parentes etiam debiles; contra quos in Gangrensi Concilio multa decreta facta fuerunt, quæ habentur trigesima distinctione: *Si qui filii:* & multis. Et hæc causa exempli dicta sufficiant. Nam multæ aliæ hæreticorum sectæ, Deo permittente, in Christiano populo ortæ sunt, de quibus Isidorus 8. libro etymol. & habetur 24. quæ ferè omnes ex sacra scriptura, non tamen benè intellecta, se fundamentum accipere crediderunt. Unde Chrysostomus de laudibus Pauli, homilia quarta: *Omnes hæreses*, inquit, *prædicant Christum, sed non omnes sanè prædicant atque legitimè.* Nunc autem Augustinum audiamus & ejus consilium diligenti animo perpendamus, sermone 18. super illud Joannis 5. *Non potest filius quicquam à se facere, &c.* sic inquit: „ Neque enim natæ sunt hæreses, & quædam dogmata perver- „ sitatis illaqueantia animas, & in profundum præcipitantia, nisi dum scripturæ bonæ „ intelliguntur non benè, & quod in eis non benè intelligitur, etiam temerè & au- „ dacter asseritur. Itaque, charissimi, cautè hoc audire debemus, ad quæ capienda „ parvuli sumus, & corde pio, & cum tremore, sicut scriptum est, hanc tenentes re- „ gulam sanctitatis, ut quod secundum fidem, qua imbuti sumus, intelligere voluerimus, tanquam de cibo gaudeamus; quod autem secundum sanam regulam intelligere non potuerimus, dubitationem auferamus, intelligentiam differamus, hoc est, ut „ etiamsi

*Cerinthiani. Matt. 5. Gal. 5.*

*Apostolici. Luc. 14.*

*Adamiani. Matt. 19.*

*Antropomorphitæ. Psal. 117. Esa. 66. Joan. 4.*

*Heraclionitæ.*

*Donatistæ. Joan. 14.*

*Luc. 10. Nudipedes.*

*Matt. 19. Marc. 16.*

*dist. 30. si qui filii. c. 12. & seqq.*

*24. q. 3. Quidam autem c. 39.*

*Isid. l. 8. etymol. c. 5. Chrys. Aug. tract. 18. in Joan. c. 5.*

Digitized by Google

„ etiamsi quid sit, nescimus, bonum tamen & verum esse, minimè dubitemus". O sacrum & memorandum documentum, illorum præsumptionem confundens, qui quicquid eorum intellectus non ceperit, reprobant & condemnant. Nam sic consulit Augustinus, *Sed etiamsi nescimus*, inquit, *bonum & verum minimè dubitemus:* magna ergò reverentia Scriptura sacra suscipienda est, & ejus vera intelligentia est cum diligentia flagitanda. Nam non in verborum foliis est Evangelium, sed in radice rationis. Unde Hieronymus in Epistola ad Galatas, & in decretis 1. quæstion. 1. *Marcion & Basilides, & cæteræ hæreticorum pestes non habent* Dei *Evangelium: quia non habent Spiritum sanctum, sine quo humanum fit Evangelium quod docetur. Nec putemus in verbis scripturarum esse Evangelium, sed in sensu, non in superficie, sed in medulla, non in sermonum foliis, sed in radice rationis.* Et ad hoc propositum Cassianus in secunda collatione Abbatis Sereni juxta principium, cum dixit, quod sacra scriptura est ager fertilis, in quo sunt aliqua, quæ ad literam pastum habent, sicut illud: *Audi Israel, Deus tuus unus est*, dicit quod etiam aliqua sunt, quæ nisi allegorica explanatione extenuata fuerint, & spiritualis ignis examinatione mollita, nullo modo ad salutarem interioris hominis cibum, sine corruptionis (a) labe pervenient, magisque ex eorum perceptione læsio quàm utilitas subsequetur, ut est illud: *Sint lumbi vestri præcincti.* Et, *qui non habet gladium, vendat tunicam, & emat.* Et, *qui non accipit crucem, & sequitur me, non est me dignus.* Quod quidam districtissimi Monachorum, habentes quidem zelum Dei, sed non secundum scientiam, simpliciter intelligentes, fecerunt sibi cruces ligneas, easque jugiter humeris circumferentes, non ædificationem, sed risum cunctis videntibus intulerunt. Et idem in prima collatione Abbatis Moysi sub parabola de trapezita, cujus studium est, ne in moneta decipiatur, *agnoscite*, inquit,

*Hier. in ep. ad Gal. c. 1. 1. q. 1. Marcion & Basil. des c. 64.*

*Cassianus tolla. 8. quæ est Sereni secunda.*

*Deut. 6.*

(a) *exemplar impressum habet: clade.*

CAN. *Luc.* 11. *Luc.* 22. *Matt.* 10.

*Cassianus collatione* 1. *c.* 20.

„ nos hæc spiritualiter observare debere, sub hujus nominis exemplo demonstrat primum, ut quicquid cordibus nostris irrepserit, vel si quod nobis dogma fuerit intromissum: utrum nam sit divino illo & cœlestis spiritus igne purgatum, an ad Judaicam superstitionem pertinens, seu de sæcularis Philosophiæ tumore descendens, in superficie tantum præferat pietatem, diligentissimè perscrutemur, quod ita poterimus implere, si illud Apostolicum fecerimus: Nolite omni spiritui credere, sed probare spiritus si ex Deo sint": quo genere quosdam dicit fuisse deceptos, & infra subjungit. „ Secundò sollicitè nos explorare convenit, ne auro purissimo scripturarum, prava interpretatio coaptata, metalli preciositate nos fallat. In quo etiam est, quod Domino Salvatori callidissimus Diabolus, velut homini simplici, tentavit imponere, dum ea quæ generaliter sunt super justorum intelligenda personis, malevola interpretatione corrumpens, etiam specialiter huic, qui Angelorum custodia non egebat, adaptare conatur, dicens, mitte te deorsum; Angelis enim suis mandavit Deus de te, ne offendat ad lapidem pedem tuum: pretiosa scilicet eloquia scripturarum callida assumptione convertens, & ad contrarium sensum noxiumque detorquens, ut imaginem tyrannici vultus, sub colore nobis auri fallentis objiciat: & *infra:* quæ cum sint nostræ saluti professionique contraria, tamen velamine quodam misericordiæ ac Religionis obtecta, facile imperitos incautosque decipiunt; imitantur enim nummisata veri Regis, quia videntur ad præsens plena pietatis, sed non sunt à legitimis monetariis, id est, Catholicis & probatis Patribus figurati, nec de cardinali ac publica collationis eorum prodeunt officina, sed furtim fraude dæmonum fabricata, non sine detrimento imperitis quibusque ac ignorantibus ingeruntur: & *infra.* Erit ergò necessaria nobis ista discretio, ut primum nos materia auri veri, seu fucati fallentisque non lateat. Secundo, ut has cogitationes, quæ mentiuntur opera pietatis, tanquam adulterina nummismata, & paracaraxima reprobemus, utpote quæ falsam imaginem Regis non legitimè signata contineant, velut illæ, quæ in auro preciosissimo scripturarum, vitioso & hæretico sensu, non veri Regis, sed tyranni præferunt vultum, similiter discernentes refutare possimus". Attendamus obsecro, & mente jugiter habeamus hujus sancti Patris sapientissimum dogma, qui sub similitudine de moneta, falsam nos docet cavere doctrinam. Etenim sicut ipse declarat, moneta falsa est, sive quæ de non bono metallo fabricata est, sive quæ non habet veram imaginem, quia non est fabricata in publica officina. Sic est pariformiter in doctrina. Omnis doctrina suspecta, sive sit, quæ ex sacra scriptura non est accepta, sive quæ ex sacra scriptura verba suscipiat, sed non est in sensu, quem Spiritus sanctus flagitat, applicata. Sicut diabolus fecerit, quando dicebat Christo, *mitte te deorsum; scriptum enim, Angelis suis &c.* Auctoritatem scripturæ assumebat, sed in sensu sophistico atque falso. Et sicut timens decipi in moneta, volensque sibi benè cavere, non vult recipere monetam, nisi de publica officina: Sic fidelis Christianus, qui tutè vult dirigi in doctrina sana, nullam suscipiat, nisi quam in publica officina publicè & generaliter in Ecclesia Dei videt suscipi & approbari: sicut enim beatus Augustinus ait, *omnis Catholicus securus partem eam detestatur, cui Ecclesiam universalem Apostolicis*

*Psal.* 70.

*cap.* 22.

*August.*

SÆC. XV. ANNO 1433.

*licus ſedibus roboratam, non communicare cognoſcit.* Unde Hieronymus ſuper illo verbo Pauli ad Galat. cap. 2. *contuli cum illis*, ſic ait, *oſtendit ſe non habuiſſe ſecuritatem Evangelii, niſi auctoritate Petri & aliorum roboratum eſſet*, id eſt, niſi deduxiſſet ipſum ad publicam officinam. Si ergò Paulus oſtendit ſe non habere ſecuritatem Evangelii, niſi deduxiſſet ipſum ad publicam officinam, ad concilium Eccleſiæ, quis auderet doctrinam aliquam ſuſcipere, aut docere, quam non approbaverit ſancta Dei Eccleſia? Et ad idem eſt Auguſtinus contra Fauſtum. *Apoſtolus enim Paulus, poſt Chriſti aſcenſionem de cœlo vocatus, ſi non cum Apoſtolis communicaret, & cum eis Evangelium conferret, quo ejuſdem ſocietatis eſſe appareret, Eccleſia illi omninò non communicaret:* & hæc ponuntur per gloſſam in loco præallegato. Jam igitur recolligendo prædicta, cum ſermo divinus, juxta verba thematis præſumpti, poſitus ſit in ruinam, & reſurrectionem multorum in Iſrael; in reſurrectionem ſcilicet ſanè intelligentium, & in ruinam perverſum ſenſum capientium ex eodem, ut ſupra deductum eſt, ſobriè & humiliter ſuſcipi debet, neque ſtatim quod prima ſignificatione verborum aliquid ſonare videtur, illi ſenſui adhærendum eſt, quoniam non in verborum foliis, ſed in radice rationis conſiſtit Evangelium, ut Hieronymus dicit, & eſt ſupra allegatum. Omnesque hæretici, & diabolus etiam, pro ſe allegant ſcripturam, ut prædictum fuit. Sed conſulendi ſunt majores, quid ſenſerint Patres Spiritu ſancto pleni, non inniti propriæ prudentiæ, contra Salomonis doctrinam. Super quo verbo Hieronymus inquit, *innitens prudentiæ tuæ. Prudentiæ ſuæ innititur, qui ea, quæ ſibi agenda vel dicenda videntur, præponit decretis Patrum.* Sed potiſſimè ſtandum eſt determinationi ſanctæ matris Eccleſiæ, cui Hieronymus, Auguſtinus & omnes Doctores ſua dicta ſubmittunt, & à qua illorum pendet auctoritas: unde enim eſt, quod dicta Hieronymi, Auguſtini & talium auctoritatem habent, niſi quia ſunt ab Eccleſia approbata? ſicut legitur 15. diſt. *Sancta Romana.* Si igitur Doctores ſua dicta determinationi Eccleſiæ ſubmiſerunt, & ut auctoritatem habeant, ab illa ſumpſerunt, quis ejus audebit ſententiæ refragari? Si quis ergò optat ſacræ ſcripturæ profundiſſimum pelagus transfretare, in navi Eccleſiæ hoc tutus faciat, aliàs infallibiliter demergetur. Oremus ergò Deum omnipotentem, ut mentibus noſtris Spiritus Sancti gratia infundatur, quæ doceat nos omnem veritatem, quatenus ſermo divinus in ſcriptura ſacra revelatus, non ſit nobis in ruinam, ſed in reſurrectionem, ad ipſius omnipotentis gloriam, atque laudem, & ſalutem animarum noſtrarum totiusque populi Chriſtiani. Amen.

*Pro. 3. Hier. in prov. c. 3.*

Dignum reor hic dicere, quod cum juxta præordinationem divinam Eccleſia ſancta Catholica infantiæ ſuæ tempore, uſque ad præfinitum tempus à patre diras tyrannorum perſecutiones paſſa fuiſſet, adeò ut ſicut Iſidorus ait 5. etymo. cap. decimo ſexto, perſecutione fervente docendarum plebium facultas minimè daretur, ſed Chriſtianitas in diverſas hæreſes ſciſſa eſſet. Tandem Conſtantino principe miraculosè à lepræ morbo ſanato, & per beatum Silveſtrum baptiſato, in virilis ætatis robur evaſit, tunc, ut idem Iſidorus ait, & habetur 15. diſtinctione c. *canones:* inceperunt ſacra Concilia celebrari. Nicænum primo, in quo ſancti Patres, juxta fidem Evangelicam & Apoſtolicam, ſecundum poſt Apoſtolos fidei ſymbolum ediderunt: quod ideo in publica Miſſa altis vocibus cantat Eccleſia, ut oſtendat ex tunc, omni trepidatione ſecluſa, fidei Catholicæ proclamationem Eccleſiam generaliter accepiſſe: deinde alia tria principalia Concilia, & alia ſubſequentia, à quibus omnis Eccleſiæ decor & pulchritudo edocta eſt, eoque tempore tanquam completis prophetiis, quæ de gloria & potentia Eccleſiæ ſcripta erant, ſicut illa: *& nunc Reges intelligite, &c.* Et illud: *ſpeciei domus dividere ſpolia:* & illa: *Adorabunt eum omnes Reges, &c.* Eccleſia, quæ dudum velut imbecillis tantum rogare & invitare poterat, auctoritatem & poteſtatem accepit, etiam compellendi. Sicut Auguſtinus ait ſcribens Donato. Et habetur 23. q. 4. *diſplicet*, juxta finem ſic dicit: „ Non attendit, quia tunc primum Eccleſia novello germine pullulabat, nondumque in ea completa fuerat illa prophetia: adorabunt eum omnes Reges terræ, quod utique quanto magis impletur, tanto majore utitur Eccleſiæ poteſtate, ut non ſolum invitet, ſed etiam cogat ad bonum, hoc tum Dominus ſignificare voluit: qui quamvis haberet magnam poteſtatem, prius tamen elegit commendare humilitatem, & hoc in illa convivii ſimilitudine, ſatis evidenter oſtendit, ubi miſit Dominus ad invitatos, & venire noluerunt, & ait ſervo, Exi citò in vicos & plateas civitatis, & pauperes ac debiles, cæcos & claudos introduc huc, & ait Domino ſervus, factum eſt ut imperaſti, & adhuc locus eſt; & ait Dominus ſervo, Exi in vias & ſepes, & compelle intrare, ut impleatur domus mea. Vide nunc, quemadmodum de his, qui prius venerunt, dictum eſt, Introduc eos, nunc dictum eſt, Compelle, ita ſignificata ſunt Eccleſiæ primordia, adhuc creſcentis, ut eſſent vires etiam compellendi". Hæc Auguſtinus. Ex tunc quidem per diverſa donaria tam dicti Conſtantini, quàm aliorum fidelium principum, aucta eſt Eccleſia Dei in tem-

*Iſidorus 6. etymo. c. 16.*

Fabula. BASN.

*diſt. 15. canones. c. 1.*

*Pſal. 2. Pſal. 67. Pſal. 71.*

*23. q. 4. diſplicet. c. 38. Aug. Donato Presbytero. ep. 204.*

*Luc. 14.*

Digitized by Google

temporalibus bonis ampla poſſeſſione, non quidem, quin jam ante Eccleſia tempora- Sæc.
lia bona habuiſſet, ut inferius deducetur, ſed quia ex tunc ampliſſimè magnificata eſt. XV.
Et quamdiu principum ſæcularium ad Eccleſiam fuit eritque devotio, & inter illas Anno
duas poteſtates, Eccleſiaſticam ſcilicet & ſæcularem, Eccleſiam & Imperium, fuit, 1433.
eritvé unitas & concordia, fuit & erit quoque orbi tranquillitas, & felicitatis decor.
Ideoque humani generis inimicus, cujus proprium eſt unitati & charitati adverſari, &
chriſtiani populi profectibus obſiſtere, ſæpè niſus eſt ſuperſeminare zizaniam, & ſub-
ortis diſcordiis inter has duas poteſtates, inſurrexerunt homines acuti ingenio, ſed
non in bonum, quorum aliqui provocati, quia non poterant in Eccleſia promotiones
quas optaverunt obtinere, vel quia diſtricti fuerant, vel correcti, alii aliis paſſionibus
impulſi, diſputare inceperunt & aſſerere, quod Eccleſia non poterat bona temporalia
poſſidere vel habere, maximè civile dominium: ſed nec defuerunt, qui ſententiam
omninò contrariam affirmarunt, dicentes, non ſolum Eccleſiam poſſe licitè poſſidere
& habere bona temporalia, & civile dominium; ſed etiam Papam, tanquam Chriſti
Vicarium, *qui univerſorum eſt Dominus, omnium civilium dominiorum eſſe primum ad-*
*miniſtratorem, imò & Dominum, eo modo, quo dominia hominibus ſub Deo competunt.* Papa omnium dominiorum adminiſtrator ſub Deo.
Et ad hoc poſſem allegare magnam copiam Doctorum ſic tenentium, ſuisque ſcriptis
& tractatibus hoc firmantium. Fuit quoque quidam Cancellarius Pariſienſis, qui ſic
initiat ſuum tractatum: *Interdum contingit, quod vitare volens unum errorem, incidit*
*in contrarium, &c.* & poſitis aliquibus exemplis, ſic ſubjungit, *modo conſimili circa* Diverſæ opiniones de dominio temporalium, an poſſit competere perſonis Eccleſiaſticis.
*poteſtatem Pontificum veritas medium ponit, inter illos duos errores. Nam error Wal-*
*denſium fuit, ſucceſſoribus Apoſtolorum, videlicet Papæ & Prælatis Eccleſiaſticis repu-*
*gnare dominium in temporalibus, nec eis licere habere divitias temporales:* & poſita alia
contraria jam ſuperius memorata opinione, ſubjungit, *inter has opiniones contrarias,*
*quarum primam erroneam omnes putant, puto quod veritas medium ponit, ſcilicet quod*
*Prælatis Eccleſiæ non repugnat habere dominium in temporalibus, & jurisdictionem,*
*contra primam opinionem erroneam: nec tamen eis debetur per ſe, ratione ſtatus ſui, &*
*ratione quia ſunt vicarii Chriſti, & Apoſtolorum ſucceſſores, ſed eis poſſunt convenire*
*ex conceſſione principum:* hæc ille.

Ego quidem inter has opiniones quid ſentire valeam, ut tamen præmiſſis proteſta-
tionibus & bona pace loquar, niſi quod prima opinio, ſcilicet, quòd Eccleſiæ non li-
ceat habere divitias temporales, quam præſcriptus Doctor dicit ab omnibus erroneam
reputatam, & nonnulli aſſerunt fuiſſe condemnatam in Concilio generali, de quo in *c. excom-*
*municamus* c. *excommunicamus* de hæreticis, introducta ſit, & defenſa ab his, qui ſub colore cu- *de hæret. li.*
juſdam palliatæ honeſtatis, tanquam prætendentes optare Eccleſiæ ſanctitatem, ipſam *5. c. 7. c. 13.*
deſtruere vellent. Unde Hieronymus in minori Breviario ſuper illo verbo Pſalmi, *Hier. in*
„ ut deſtruas inimicum & ultorem, *ſic inquit*, Inimicum & defenſorem hæreticum *Pſal. 8.*
„ ſcilicet, qui tum nequitia ſua impugnat Eccleſiam, eam tamen defendere aſſimulat".
„ Et Auguſtinus ſuper eodem, „ quem niſi hæreticum. Nam ipſe eſt inimicus & de- *Aug. ibid.*
„ fenſor, qui fidem Chriſtianam cum impugnat, videtur defendere". Unde Grego- *Greg. 23.*
„ rius 23. moralium. „ Sæpè hæretici per hoc quod eſſe hominibus deſpicabiles ſo- *moralium.*
„ lent, cum à cunctis ferè gentibus ſanctam Eccleſiam venerari conſpiciunt; opinio-
„ nem ejus quibus valent obtrectationibus lacerare contendunt, dicentes: idcircò illi
„ cuncta temporalia ſuppetunt, quia ei præmia æternorum munerum ſubtrahuntur.
„ Quorum vocibus Heliu obviat, dicens: Ne fortè dicatis, Invenimus ſapientiam, *Job. 32.*
„ Deus projecit eum, non homo: ac ſi arrogantes intra ſanctam Eccleſiam, ſed tamen
„ fideles contra hæreticos dicant, per hoc quod ſanctam Eccleſiam in honore homi-
„ num florere temporaliter cernitis, projectam à Domino non credatis. Scit enim re-
„ demptor ejus & in hoc itinere ſolatia venienti tribuere, & pervenienti ad æternam
„ patriam ſuperna præmia reſervare. Incaſſum igitur dicitis, quòd Deus eam, non
„ homo projecerit, cum venerari eam à cunctis ferè hominibus videtis: quia ſic ei
„ terrenæ gloriæ adjumentum tribuitur, ut per hoc multiplicius etiam ad cœleſtia ſub-
„ vehatur": ſic Gregorius. De aliis autem opinionibus, ſive de omninò contraria,
ſive de illa, quam ipſe dictus Doctor ponit mediam, mihi dicere non eſt opus. Satis
mihi eſt, falſam opinionem refellere, & quod Eccleſiæ bona temporalia habere & poſ-
ſidere liceat, demonſtrare. Hunc ergò ordinem, Deo propitiante, tenebo. Primo Methodus procedendi.
rationes in contrarium factas ſolvere & enodare curabo. Secundò licet primum ſuffi-
ceret, tamen nihilominus quaſi ex ſuperabundanti veritatem, quæ eſt, ſcilicet quod
Eccleſiæ & Prælatis, & perſonis Eccleſiaſticis licitum ſit habere & poſſidere bona tem-
poralia, firmiſſimis demonſtrabo documentis. Hæc quæ præmiſi, dante Domino,
credo me ſic luculentius agere, ſi paſſim inſequar veſtigia Magiſtri Petri, qui hunc
articulum propoſuit, ejuſque ſcripta, quæ obtulit, in quo præterire nolo, quod cum
in mediis propoſitorum ſit vacuus, ut clarè, *Deo* propitio, deducetur; in principio ta-
men & in fine plurimum loquitur rigidè & Eccleſiaſtico ſtatui detrahendo, & ea, quæ



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

in ipsis principio & fine loquitur, relinquit penitus sine aliquo fundamento. Dicit in principio, quod intranquillitatis & discordiæ mundi causa est dominatio Cleri, super bonis immobilibus seu mobilibus hujus viæ, & ad hoc dictum nullam probationem adducit.

*Potentiæ Ecclesiast. necessitas.*

Ego autem è contrario dico, quod ad tranquillitatem & pacem orbis multum proficit potentia & dominatus Ecclesiæ; nisi enim Ecclesia haberet potentiam, tanta esset indisciplinatio & arrogantia hominum superborum, volentium inniti opinionibus propriis, quod nisi esset magna potentia Ecclesiæ ad comprimendos eos, quotidiè hæreses pullularent & recrescerent: hoc unusquisque volens advertere, per seipsum intelligere potest: quoniam varietates opinionum cum capitositate & pertinacia non desunt; sed per timorem comprimuntur, & potest hoc apertè cognosci ex eo quod erat antequam Ecclesia hanc potentiam haberet, prout patet ex dictis Isidori jam superius allegatis, quod ante illa tempora Constantini jam non erat facultas docendarum plebum, cum Christianitas in diversas hæreses scissa esset: etiam ex dicto Augustini superius allegato, possem & adhuc multa alia deducere, quæ dimitto, ne efficiar nimis longus.

*Conclusio adversarii.*

Ponit demum conclusionem suam sub his terminis: *Secularis possessio, sicut & civile dominium jure divino & humano, Doctorum sanctorum sententiis, & ratione efficaci, tempore legis gratiæ prohibitur Clero Christi.*

Deinde ad declarandum terminos, facit unam distinctionem de possessione, & ponit descriptionem possessionis, quam ponit gloss. super l. 1. ff. de acqu. poss. Quæ dicta per eum possem multipliciter impugnare, sed non curo contentiones verborum. Scio quod illam descriptionem ponit glossa prædicta, & quod dividitur possessio in has tres species: civilem tantum, naturalem tantum, & naturalem & civilem, & illam quam ponit ipse, dicit secularem, non est in C. nec ff. nec in toto corpore juris, & tamen eam vult fulcire ex quadam glossa c. licet: de off. ord. Clarè patet, quod non facit ad propositum: videamus textum & glossam! Textus dicit. *Licet tam circa viros Religiosos quam Clericos sæculares.* Distinguit hic duas species Clericorum, seu Ecclesiasticorum hominum, alios Religiosos, alios sæculares Clericos. Glossa exponit quid sit dicere *Clericos sæculares*, & dicit quod Clerici sæculares dicuntur, qui possunt habere proprium, sicut & laici, cum Religiosi hoc non possint: Sic & Ostiensis in c. 1. de sum. Trin. super verbo *communem*, dicit, quod sicut Deus creavit naturam spiritualem, corporalem, & hominem, cujus est mixta natura, ut ibi textus, ita genus Clericorum permixtam vitam ducit inter laicos & Religiosos. Quæ quidem allegata glossa facit ad hoc, quod dicatur sæcularis possessio, non est species sæcularis possessionis, imò omnis possessio in hac vita est sæcularis, quia sæculare idem est quod temporale, ut dicit gloss. super Epistola ad Hebræos nono, super illo verbo *sanctum sæculare*, id est, temporale. Benè scio differentiam inter res spirituales & temporales, & temporalia possidentur, ut ipsemet dixit. Certè audeo dicere, quod competenter mihi nota est materia possessionis. Nam scio me repetisse in civitate Barchinonæ, c. causam quæ de præscrip. ubi aderant plus quàm quinquaginta Doctores & Licentiati in jure, & ibi latissimè examinasse descriptionem & divisionem possessionis. Et demum quando debui assumi ad officium auditoris Palatii Apostolici repetiisse c. cum dilectus de causa possessi. & propriè: cui quantum conveniat hæc materia, norunt omnes juris periti: tamen ego nescio intelligere, quid dicat ex dispositione terminorum. Scio etiam quod interdum possessio capitur pro re possessa. ff. de ver. sig. l. interdum: & ita sæpè capitur in sacra scriptura, sicut Gen. 13. quod *erat possessio eorum nimia.* Et in Evangelio Matth. c. 19. de juvene quod *habebat possessiones multas:* quas textus ipse allegat & applicat ad descriptionem possessionis supra memoratæ, ad quam nihil faciunt, salva gratia allegantis.

*c. licet de off. ord. l. 1. to. 31. a. 12.*

*Gloss. ad Hebr. 9.*

*c. causam quæ de præscrip. lib. 2. tit. 26. c. 7. c. cum dilectus de causa possessionis & proprietatis. lib. 2. tit. 12. c. 6. Gen. 13. Matt. 19.*

Relinquamus ista, & relinquamus alias superstitiones, quas facit de dominio pro declaratione termini positi in conclusione, *civile dominium*, quod etiam ad bona mobilia & immobilia juxta suum conceptum applicari non potest, quoniam in bonis mobilibus habetur ab hominibus privatum dominium, & non civile, quorum bonorum dominia ut plurimum acquiruntur jure gentium, quod est jus naturale. Et valdè pauci modi sunt acquirendi dominia de jure civili l. ex hoc jure ff. de justi: & jure ff. de acqu. re. domin. l. prima: & ibi glossa enumerat aliquos paucos modos, quibus dominia acquiruntur de jure civili. Et videamus ad intellectum, quid potest velle dicere, & occurrunt mihi ista duo. Primò quòd Clerici non possunt habere proprium, sed possunt habere omnia in communi, & hoc videtur dicere quarta suppositio si legatur. Sed nescio si hoc ipse sentit, cum, sicut audio, ejus vitæ contradicat, nec credo, quod si adveniret sibi bona hæreditas patris, vel alicujus consanguinei vel amici, portaret eam in communi cum fratribus monasterii Sclavorum in Praga, cum quibus vivit. Secundum, quod etiam in communi non possint habere & possidere bona mobilia

Digitized by Google

bilia & immobilia. Sed & hoc videtur contrariare ipſi quartæ ſuppoſitioni, ubi dicit, quod habent in communi. Et maximè contrariatur contentis in ſchedula additiva ultimo data, in qua, ut mihi videtur, videns ſe deficere in probationibus eorum, quæ præmiſerat, ipſa deſtruit & novam materiam introducit, ſine alicujus probationis fulcimento. Ego autem dico, quod Clerici non Religioſi, ſeu qui votò ad hoc non ſe obligarunt, licitè poſſunt habere & poſſidere bona temporalia, hæreditates paternas, aut aliorum, ſi eis relinquuntur, & alia bona juſtè acquiſita, traditione, donatione, ex cauſa, vel alicujus liciti contractus, vel arte licita. Item quod Eccleſia poteſt habere & poſſidere bona temporalia mobilia, & immobilia, domos, prædia, villas, caſtra, oppida, & civitates, & in eis habere privatum & civile dominium. Et ea quæ in contrarium dicta ſunt, minimè obſtant, quibus reſpondeatur per ordinem. Et primò allegantur auctoritates Veteris Teſtamenti, Num. 18. & aliæ, in quibus habetur, quod dixit Dominus de tribu Levi, quod in terra illa *nihil poſſiderent, neque haberent partem inter eos.* Et ſuper eiſdem auctoritatibus radicaliter fundatur prima & ſecunda ratio de rationibus, quæ in fine poſt allegationes auctoritatum ſubjunguntur.

SÆC. XV. ANNO 1433.

*Clerici non Religioſi poſſunt habere & poſſidere omnis generis bona temporalia, mobilia & immobilia juſtè acquiſita.*

*Ad auctoritatem. Num. 18.*

Ad hæc omnia reſpondeo, quod ſicut dicit Magiſter Bonaventura ſuper 4. ſent. diſt. 24. quæſt. 1. articulo tertio. Sacerdotii Chriſti non tam fuit figura Sacerdotium Aaron, quàm etiam Melchiſedech, ſecundum quod dicitur ad Hebr. ſeptimo: *fuit Rex & Sacerdos*, ſic & Chriſtus. Et quamvis honorem regalem recuſaverit, & ipſe pauper vixerit, tamen propter ſuam dulciſſimam benignitatem, ad hoc alios non artavit: unde nullatenus eſt credendum, ſtatum univerſalis Eccleſiæ aliter regi quàm diſponat Spiritus ſanctus. Hæc omnia Magiſter Bonaventura. Cum ergò Sacerdotium Chriſti ſit ſecundum ordinem Melchiſedech, ſicut Apoſtolus ait, nil mirum, ſi Sacerdotes poſſideant temporalia, ſicut Melchiſedech, qui erat Rex Salem, & nihilominus Sacerdos altiſſimi. Gen. 14. Sed nolo eſſe hac reſponſione contentus. Pro parte altera allegati ſunt quinque textus Veteris Teſtamenti, qui videntur ſonare, quod Levitæ nil debebant poſſidere in terra promiſſionis, ſed habere decimas, & primitias, & oblationes, pro ſuſtentatione ſua. Et ego allegabo quindecim textus, quod Levitæ habuerunt & poſſidebant bona mobilia & immobilia, ſervos, domos, prædia & oppida, & civitates. Sed ante volo præmittere, quod in tempore ante legem, ut communiter Doctores dicunt, primogeniti fuerunt Sacerdotes, & præ aliis dominium, & hæreditatem habuerunt. Unde Gen. 27. dixit Iſaac ad Jacob: *Eſto dominus fratrum tuorum*, quia prima erat benedictio primogeniti, & Gen. 49. *Ruben fortitudo mea, primus in donis, & major in imperio:* quod exponit Hieronymus in gloſſa de Sacerdotio majori hæreditate, & imperio ſuper fratres, quæ habuiſſet, niſi aſcendiſſet cubile patris ſui. Abraham etiam fuit Sacerdos, ut probat Chryſoſtomus ſuper Matth. primo. Et quam dives fuerit, omnes ſcimus. De Melchiſedech jam dictum eſt, & ſic patet, quod in populo Dei Sacerdotes fuerunt opulentiſſimi.

*Bonav. art. 1. q. 3. ad 17.* *Hebr. 7.* *Gen. 14.* *Gen. 27.* *Gen. 49.* *Hier. in qu. in Gen.* *Chryſ. in 1. Matt. in opere imperf.*

Veniamus ad tempus Legis Veteris, & ſequamur ordinem: primo: Lev. 25.

„ Ædes Levitarum quæ in urbibus ſunt, ſemper poſſunt redimi, ſi redemptæ non
„ fuerunt, in Jubileo revertentur ad dominos, quia domus urbium Levitarum ſunt
„ pro poſſeſſionibus inter filios Iſrael. Suburbana autem eorum non veneant, quia
„ poſſeſſio ſempiterna eſt. *Item Levit.* 27. Homo ſi voverit domum ſuam, & ſanctificaverit Domino: & *infra:* ſi agrum poſſeſſionis ſuæ voverit, & conſecraverit
„ Domino, &c. & *infra:* ſi noluerit redimere, ſed alteri cuilibet fuerit venundatus,
„ ultra eum, qui voverit, redimere non poterit, quia cum jubilei venerit dies, ſanctificatus erit Domino, & poſſeſſio conſecrata ad jus pertinet Sacerdotum: & *infra:*
„ Omne quod conſecratum fuerit Domino, ſive homo ſive animal, ſanctum ſanctorum
„ erit Domino. *Item Num.* 35. Locutus eſt Dominus ad Moyſen, præcipe filiis Iſrael,
„ ut dent Levitis de poſſeſſionibus ſuis urbes, ad habitandum, & ſuburbana earum
„ per circuitum, &c". Num. trigeſimo primo. Cum Iſrael viciſſet Madianitas, & de eis tuliſſet magna ſpolia, juſſit dari Eleazaro unam animam de quingentis, tam ex hominibus, quàm ex bobus, aſinis, & ovibus, & Levitis quinquageſimum caput hominum, boum, & aſinorum, & cunctorum animantium, ex media parte filiorum Iſrael. Item, Deut. decimo octavo de cæteris Levitis volentibus miniſtrare dicitur, *partem ciborum eandem accipient, quam cæteri, excepto eo, quod in urbe ſua ex paterna ei ſucceſſione debetur.* Item Joſue 21. dederunt Levitis filii Iſrael de poſſeſſionibus ſuis, juxta imperium Domini, civitates & ſuburbana eorum; & ibi ſcribitur, quomodo quælibet tribus dedit certas civitates, alia decem, alia tredecim, alia quatuordecim, &c. Et in fine ſubjungit: *Itaque civitates univerſæ Levitarum in medio poſſeſſionis filiorum Iſrael* 42. *cum ſuburbanis ſuis, ſingulæ per familias diſtributæ,* & præterea ſex refugii, & ſic erant 48. Item 3. Reg. 2. Salomon ait ad Abiathar Sacerdotem, *vade in Anathot ad agrum tuum,* & ſic Sacerdos habebat agrum. Item 2. Paralip. 11. Roboam Dei cultum tenente, & Jeroboam idololatriam inducente dicitur, *Sa-*

Probatur ex lege. *Lev. 25.* *Levit. 27.* *Num. 35.* *Num. 31.* *Deut. 18.* *Joſu. 21.* *3. Reg. 2.* *2. Par. 11.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

*cerdotes venerunt ad Roboam relinquentes ſuburbana, & poſſeſſiones ſuas.* Ecce quod poſſeſſiones habebant Sacerdotes? Item Jeremias Propheta, ſanctificatus in utero Sacerdos, emit agrum, ſolvit precium, ſtipulationes fecit, & ſibi fieri inſtrumentum Jer. 32. cap. Item de eodem 37. capitulo: *Cum ergò receſſiſſet exercitus Chaldæorum ab Jeruſalem, egreſſus eſt Jeremias, ut iret in terram Benjamin, & divideret ibi poſſeſſionem in conſpectu civium.* Item primi Eſdræ ſecundo de redeuntibus Sacerdotibus à captivitate ſic dicitur: *Habitaverunt ergò Sacerdotes & Levitæ, & janitores & cantores in urbibus ſuis, unusquiſque Iſrael in civitatibus ſuis.* Item, certum eſt, Jonathan fuiſſe Sacerdotem, ex primo Machabæorum, & ducem & principem ad bellandum: ibidem 9. & ſummum Sacerdotem, ibidem 12. qui habuit amplas poſſeſſiones: unde in fine decimi capitis dicitur: *Addidit adhuc, ſcilicet Alexander Rex, glorificare Jonathan, & miſit ei fibulam auream, ſicut eſt conſuetudo dari cognatis Regum, & dedit ei Accharon* (nomen eſt civitatis) *& omnes fines ejus in poſſeſſionem.* Item ibidem 11. Demetrius Rex prædicta confirmavit Jonathæ, & majora addidit: „ fecit Jonathæ „ Rex, ſicut fecerunt ei qui ante eum fuerant, & exaltavit eum in conſpectu omnium „ amicorum ejus, & ſtatuit ei principatum Sacerdotii, & quæcunque alia habuit: prius „ precioſa, & fecit eum principem amicorum. *Item ibidem:* Scripſit Rex Antiochus „ adoleſcens Jonathæ dicens, conſtituo tibi Sacerdotium, & conſtituo te ſuper qua„ tuor civitates, ut ſis de amicis Regis: & miſit ei vaſa aurea in miniſterium, & de„ dit ei poteſtatem bibendi in auro, & eſſe in purpura, & habere fibulam auream & „ Simonem fratrem ejus conſtituit ducem in terminis Tyri, uſque ad fines Ægypti": de Sacerdotibus omnia iſti dicta ſunt.

*Hier. 32.* *Hier. 37.* *1. Eſdræ 2.* *1. Mach. 9.* *12. 10.* *1. Mach. 11.*

Ex Novo Teſtamento. *Actor. 4.*

Sed de Juda Machabæo & aliis principatum & potentiam liber Machabæorum oſtendit, & ſic ſunt quatuordecim auctoritates Veteri Teſtamenti: addatur una de Novo Teſtamento, quantum pertinet ad vetus. Actor. 4. *Joſeph qui cognominabatur Barbaſas Levites, Cyprius genere, vendidit agrum*, hic erat Levita ſecundum Magiſtrum hiſtoriæ ſcholaſticæ, & Nicolaum de Lyra, habebat tamen agrum, quem vendidit, & ſic habeo quindecim auctoritates contra quinque, quæ vincere debent; nam æqualis roboris & fortitudinis ſunt, cum ſint ex textu Bibliæ. Sed in ſacra ſcriptura nulla eſt contrarietas: quid ergò? videamus verum ipſius intellectum, ne ſermo ad corticem literæ intellectus ſit nobis in ruinam. Textus per me adducti ad plurimum faciunt teſtimonium de facto. Quid ergò? fuit violata lex illa data per Deum? abſit. Sed videamus ipſius verum & planum intellectum. Ego dicam valdè planè, Dominus dedit 12. tribubus Iſrael terram promiſſionis, iſta terra erat dividenda inter tribus per partes ſeu hæreditates ſeparatas, ut verbi gratia, tribus Zabulon habebit Bavariam, tribus Nephtalim Franconiam, tribus Benjamin Auſtriam, & ſic de aliis: ita ſunt diſtincti & limitati fines tribuum in Canone Bibliæ. Tribus autem Levitica, cum eſſet ſacerdotalis, non habebebat eſſe ſeparata, ſed debebat ſervire in ſanctuario ad utilitatem omnium tribuum. Et ideo non habebat ſortem ſeu hæreditatem ad partem, ſicut una tribus ex aliis, ſed habebat plus quàm aliqua tribus, quia cum eſſent 12. tribus, ſibi non pertineret niſi 12. pars, & habuit decimam omnium, & ultra decimam, primitias, & oblationes, vota, ſacrificia, redemptiones, & emendas, domos, ſuburbia. Ecce quantam opulentiam habebant illi Sacerdotes, utique vix credo, quod vel ſaltem in paucis locis, Sacerdotes noſtri habeant majorem opulentiam, & ita eſt intellectus illarum auctoritatum, quod non habuit ſortem. Si enim Deus faceret tantam gratiam Germanicæ nationi, quod acquirerent terram illam ſanctam, & demum deberent ſibi dividere per partes & nationes ſeparatas, certum territorium Bavaris, certum Auſtralibus, certum Bohemis, & non darent Sacerdotibus ſortem vel hæreditatem ad partem, ſed cum omnibus partibus haberent in unaquaque; habebant enim illi Sacerdotes ſicut dictum eſt mobilia, & immobilia, domos, & prædia, in quibus habebant verum dominium, quia poterant illa vendere, & alienare, quæ non poteſt facere, niſi dominus. Quid autem poſſent vendere & alienare, patet per illam auctoritatem Jeremiæ 32. & Actorum quarto. Eccleſiæ hodiè in temporalibus bonis non habet aliud, niſi oblata à fidelibus, ſi quis obtulit Eccleſiæ domum, vel agrum, & caſtrum aut oppidum. Sic & illi habuiſſent ſi oblata fuiſſent, quia erat lex Domini, ut ſuprà eſt allegatum Lev. vigeſimo ſeptimo: *Si voverit domum ſuam.* Sed fortè dicet, ſed non habebant civile dominium, dico, textus non dicit, Non habebant civile dominium, ſed nihil aliud, quàm decimas & primitias poſſidebunt. In nullo illorum textuum fit mentio de civili dominio. Præterea dixi, & verum dixi, quod civile dominium non eſt applicabile ad bona mobilia & immobilia: Sed dicam, quid eſt civile dominium, de quo dicitur, quod Imperator eſt Dominus iſtius civitatis, vel mundi: de quo per Doctores in l. Benè à Zenone. C. de quad. præſ. & in c. convenior 23. q. 8. Sed non eſt dominus illius domus, vel illius, quia imò illi privati, vel domini domorum, & prædiorum ſunt. Sed eſt quoddam univerſale dominium quod magis propriè dicitur

*Hier. 32.* *Actor. 4.*

pote-

Digitized by Google

potestas de publico, seu jurisdictio, cujus descriptio habetur per gloss. in l. 1. ff. de Sæc. jurisdicti. Sed certè tale dominium in populo Israel à principio nullus habebat, nisi solus Deus. Ideo quando noluerunt habere Regem, dixit ad Samuelum, *Non te abjecerunt, sed me, ne regnarem super eos* 1. Reg. 8. Imò & Lev. 25. dicit, *Terra quoque non vendetur in perpetuum, quia mea est, & vos advenæ & coloni estis.* Hujus autem dominii seu jurisdictionis administrationem & exercitium habuerunt domini Sacerdotes. Primum Moyses, qui erat Sacerdos. Unde Psalmista: *Moyses & Aaron in Sacerdotibus ejus:* & idem dux & rector populi Israel. Deinde tempore judicum, qui regebant Israel, fuerunt judices plures de tribu Levi, sicut Heli & Samuel, qui fuit de tribu Levi, ut ait Magister historiæ scholasticæ. Et Augustinus in quæstionibus veteris Testamenti tractando illud, quomodo Helcana, pater Samuelis decimas offerebat, cum esset Levita? & ibi ad nostrum propositum dicit, quod quia accipiebant uxores de aliis tribubus, sicut Jojada Sacerdos duxit filiam Regis Joram, & sic habebant possessiones uxorum. Tandem supremum judicium erat Sacerdotum, dicente Domino Deut. 17. *Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexerit, inter sanguinem & sanguinem, lepram & non lepram, causam & causam, & judicum inter portas videris verba variari, surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, venieseque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad judicem, qui fuerit ille tempore, quæreseque ab eis, qui judicabunt tibi judicii veritatem, & facies quæcunque dixerint tibi, qui præsunt loco quem elegit Dominus,* & infra: *qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis Imperio, qui eo tempore ministraverit Domino Deo tuo, ex decreto judicis, morietur ille homo.* Postea verò venerunt Reges, infra quorum tempus non legimus quempiam præter Reges habuisse dominium alicujus civitatis, oppidi vel castri. Si nemo habebat, non mirum, si Sacerdotes non habebant. Est namque mos in aliquibus Regionibus, sicut audio esse in Affrica, quod solus Rex habeat dominium civitatum, oppidorum, castrorum & villarum. Sed postea temporibus Machabæorum, nonne Mathathias, Jonathas, Judas Machabæus, & fratres ejus Sacerdotes simul fuerunt & principes, ut historia Machabæorum liquidè attestatur, & sic habuerunt civile dominium?

ANNO 1433.

1. Reg. 8. Lev. 25. Psal. 98. Aug. in qu. veteris Testamenti. quæst. 46. tom. 4. Deut. 17.

Jam venio ad auctoritates novi Testamenti, & primo loco allegantur quatuor auctoritates ordine successivo, quæ, salva bona gratia allegantis, valdè parum faciunt. Prima est de vocatione Petri & Andreæ. Alia de vocatione Matthæi. In quibus magna vocantis virtus, & obedientia vocatorum meritò commendatur. Sed cum non habeant notam præcepti, neque prohibitionis, non potest ex eis argumentari ad licitum vel illicitum, sed ad laudabiliter imitandum, personarum, rerum & temporum circumstantiis adhibitis sicut decet.

*Ad* objectiones ex novo Testamento. *Ad* 1. Matt. 4. Matt. 9.

Allegatur secundo loco illud Matth. 5. *Si quis te percusserit in unam maxillam,* &c. quæ nihil ad propositum facit. Et illa: *qui tecum vult in judicio contendere, & tollere tunicam:* quæ sic ad literam capta, & quod ad solos Clericos dictum esset, posset induci contra allegantem, nam constaret, quod Clerici possunt habere bona. Sed sicut omnis doctorum sententia habet, hæc præcepta in præparatione cordis habenda sunt, in exteriori autem operatione id potius agendum est, quod proximi salutari conveniat. Unde Augustinus ait in sermone de puero Centurionis, & habetur 23. quæstione 1. „ paratus debet esse homo justus & pius, patienter eorum malitiam sustinere, quos „ bonos fieri quærit: *& infra:* Ista præcepta magis sunt ad præparationem cordis, quæ „ intus est, quàm ad opus quod in aperto fit, ut teneatur in secreto, animi patientia „ cum benevolentia, in manifesto autem id fiat, quod eis prodesse videtur, quibus „ bene velle debemus, hinc liquido ostenditur, quod ipse Dominus *Jesus*, exemplum „ singulare patientiæ, cum percuteretur in faciem, respondit, si malè locutus sum, „ &c. Nequaquam igitur præceptum suum, si verba inspiciamus, implevit", & reliqua per eum ibi scripta, ubi etiam hoc confirmat ex Paulo, de quo Actorum vigesimo tertio, quòd percussus in maxillam, non præbuit aliam, sed dixit, *percutiet te Deus, paries dealbate.*

*Ad* 2. Matt. 5. *Augustin. de puero centurionis* 23. q. 1. Paratus. c. 2. Act. 23.

Tertiò allegatur illud quod Christus dixit, *vulpes foveas habent.* Ad hoc & ad id quod sexto loco allegatur: *Si vis perfectus esse.* Et id quod Apostoli dixerunt: *Ecce nos reliquimus omnia.* Et quod 10. loco allegatur ex Luca: *Vende omnia quæ habes.* Respondere opus non esset, quia omnis homo scit illa non ad Apostolos tantum dicta, immò ad literam dicta fuerunt non Apostolis, sed Scribæ & juveni illi. Item non obligamur omnia agere, quæ Christus. Nam licet omnis Christi actio sit nostra instructio, non tamen semper ad necessariam imitationem, alias oporteret nos omnes crucifigi. Et ex se textus ostendit necessitatem non habere, cum ad consequendum vitam æternam sufficienter præmisit *serva mandata.* Et subjunxit, *si vis perfectus esse.* Nec tamen quisquam intelligat, illud necessarium esse ad perfectionem Evangelicam, cum, ut Apostolus testatur ad Coloss. tertio. Charitas sit *vinculum perfectionis.* Sed quod

*Ad* 3. Matt. 8. Matt. 19. Luc. 18. Coloss. 3.

illud

Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

illud est quoddam instrumentum accommodum, tanquam removens illud, quod posset esse impeditivum: essentiale autem perfectionis consistit in hoc quod dicit, *sequere me*, non gressibus corporis, sed affectibus, ut hic dicit S. Thomas 2. 2. q. 85. articulo 6. & in multis aliis, & communiter omnes Doctores.

*Tho. 2.2. q. 184. art. 1. Ad 4. 5. 7. & 8.*

Ad quartam jam responsum est. Veniamus ad quintam, & simul cum ista accipio septimam & octavam, quia idem dictum Christi est, sed à tribus Evangelistis recitatum, ut Augustinus deducit de consensu Evangeliorum. Et quia hæc videntur urgere, insistendum est circa ipsas, quia de istis solet fieri magnum festum. Et nunc obsecro omnes memores esse nostræ præfationis, ne sermo Dei ad corticem literæ sit nobis in ruinam, & ne efficiamur Christi falsi testes, sicut illi, qui dixerunt Christum dixisse, *possum destruere templum Dei, & post triduum reædificare illud.* Et utique existens in templo Salomonis, cum ejecisset ementes & vendentes, & peteretur ab eo signum, dixit, *solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Judæi intellexerunt de templo illo, in quo erat, ipse autem loquebatur de templo corporis sui: prout Joannes verus ejus testis & interpres attestatur. Sed ut simus idonei ministri testamenti, sicut dixit Paulus 2. Cor. 3. *Non litera, sed spiritu, quia litera occidit, spiritus autem vivificat.*

*August. de consensu l. 2. Evangelistarum c. 30. Matt. 26. Joan. 2. 2. Cor. 3.*

*Verbum Noli aut nolite, non semper prohibitionem sonat.*

Et primo sciendum est, quòd per hunc modum loquendi *nolite* vel *noli*, non semper inducitur prohibitio, ut contra faciens peccet, sed est sæpè quædam exhortatio vel confortatio. Grave nimis esset, si ubicunque in sacra scriptura talis invenitur locutio, prohibitionem induceret super expressa ad sensum grammaticalem, Lucæ quinto, præcepit ne cui dicerent, Marci decimo de libello repudii. Scriptum est in Evangelio Lucæ decimo quarto: *Cum facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos aut fratres, aut cognatos.* Nunquid est intelligendum, ex hoc prohibitum invitare amicos? Unde Beda, ut Thomas allegavit in glossa: *fratres igitur & amicos & divites, alterutrum convivia celebrare, non quasi scelus interdicit, sed sicut cætera, necessitatis humanæ commercia ad promerendum vitæ cœlestis præmia* (a) *modicum valere.* Iterum scriptum est Matthæi decimo: *Nolite timere eos, qui corpus occidunt*, nunquid propterea est abjiciendus omnis timor eorum, qui possunt corpus occidere? certè non, sed hoc est intelligendum, ne propter timorem corporis justitiam deseramus. Item: *nolite soliciti esse quid manducaturi estis, neque soliciti esse de crastino.* Nunquid est propterea sic abjicienda omninò solicitudo victus & vestitus, pro futuro tempore? certè non. Unde Augustinus in libro secundo de sermone Domini. „ Vehementer cavendum „ est, ne fortè cum viderimus aliquem servum Dei providere, ne ista necessaria de„ sint, vel sibi, vel his, quorum cura sibi commissa est, judicemus eum contra præ„ ceptum Domini facere, & de crastino sollicitum esse. Nam ipse Dominus cui mi„ nistrabant Angeli propter exemplum, ne quis postea scandalum pateretur, cum ali„ quem servorum ejus animadvertisset ista necessaria procurare, loculos habere digna„ tus est, quibus portabatur pecunia, unde usibus necessariis quidquid opus fuisset, „ præberetur: hac providentia alii Apostoli, Paulus & Barnabas, præceperunt collectas „ fieri in usus Sanctorum qui erant in Jerusalem": hæc Augustinus. Hoc de *collectis* habetur Actor. 11. ad Rom. 15. & ipse Paulus pro futuro suo itinere talem providentiam habuit, & ipse ostendit 2. Cor. 9. Et ad Philip. 4. Iterum cum Christus dixit, *nolite cogitare quomodo aut quid loquamini*, numquid hæc prohibitio? fuit magis confortatio quædam, ne timorem aut solicitudinem formidolosam haberent: sic in proposito. Iterum quomodo Christus dixit Lucæ sexto: *nolite judicare.* Nunquid prohibuit omne judicium? absit! Iterum cum Apostolus Jacobus dixit: *nolite jurare:* nunquid propter hoc debet omne juramentum censeri prohibitum? absit. Tandem cum Paulus dixit Timotheo: *noli aquam bibere.* Peccavit Timotheus postea, quando aquam bibit? In hujusmodi locutionibus attendenda sunt plura: persona loquens, cui loquitur, res de qua, quo dicendi genere, & qua de causa. Quoniam ut inquit Hilarius, *intelligentia verborum ex dicendi causis est assumenda, & mens dicentis magis est attendenda, quam verba.* Hac una regula præsupposita infallibili, quæ trahitur ex Augustino tertio de doctrina Christiana, cujus libri principalis intentio est instruere nos ad intelligendam sacram scripturam. Regula est ista: Quod quando scriptura salvari non potest in sensu terminorum grammaticaliter acceptorum, tropica seu figurativa locutio est; Solet enim scriptura tropicè seu parabolicè loqui, ponens interdum causam pro effectu, vel effectum pro causa: vel rem pro vitio vel virtute, quæ ut communiter vel ut plurimum solet consequi ad eam, v. g. dixit Christus Matth. 5. *Quicunque dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis.* Certè ibi cordis rancorem ad apertam contumeliam prosilientem intellexit, alioqui reus fuisset gehennæ ignis Paulus quando dixit Galatis, O insensati Galatæ. Unde Augustinus vigesimo primo de Civitate Dei, juxta finem: *Non dicit fratri suo fatue, qui cum hoc dicit, non ipsi fraternitati, sed peccato ejus infensus est.* Iterum aliud exemplum. Christus dixit Matthæi

(a) *textus impressus habet nihil.*

*Matt. 10. Matt. 6. Aug. l. 2. Serm. Domini in monte paulo ultra medium. Act. 11. Rom. 15. 2. Cor. 9. Philip. 4. Matt. 10. Luc. 6. Jacob. 5. 1. Tim. 5. Hilarius. August. de doct. Christ. Aug. li. 21. de civi. Dei. c. 27. Matt. 23.*

vige-

Digitized by Google

vigesimo quarto: *Nolite vocari Rabbi.* Item dixit ibidem; *Patrem nolite vocare in terra.* Certè non hæc nomina nec officia prohibere intellexit, sed ambitionem superioritatis & excellentiæ, quæ talia officia & nomina ut communiter consequi solent. Unde Augustinus super Psalmo *Attendite popule meus:* coram Patribus, &c. dicit *Paulus senior dicit, non ut confundam vos hæc scribo; sed ut filios meos charissimos moneo, cum sciret utique à Domino dictum, Ne vobis dicatis patrem in terrâ, quod non ideo dictum est, ut vocabulum honoris humani de loquendi consuetudine tolleretur, sed ne gratia Dei qua in vitam æternam regeneramur, naturæ vel potestati, vel etiam sanctitati cujusquam hominis tribueretur.* Ecce quomodo Augustinus docet nos intelligere verba Christi in sensu intrinseco, non grammaticali, ut dicamus, quod quicunque aliquem vocat patrem, peccet, nec quicunque vult vocari Rabbi, quod idem est, quod Magister; alioqui peccaret Magister Petrus Anglicus, qui benè vult vocari Magister: & multi alii quotidiè peccaremus. Nunc autem ostendendum est, quòd ipsæ auctoritates salvari non possunt, primò ex hoc quod Evangelistæ sibi invicem contradicere videntur. Cum Matthæus & Lucas dicunt, *neque virgam*, Marcus autem dicat; *nisi virgam*, & sic duo negare videntur, alter videtur concedere. Unde oportet quòd figurativè loquantur, prout Augustinus dicit in de consensu Evangelistarum. Item quod nec Christus nec Apostoli hanc doctrinam servarunt, patet, nam Christus habebat loculos, in quibus portabantur pecuniæ ad emendum necessaria, Joannis decimo tertio capitulo, super quo Augustinus in homilia 62. *Habebat ergò Dominus loculos à fidelibus oblata conservans, & suorum necessitatibus & aliis indigentibus tribuebat, tunc primum Ecclesiasticæ pecuniæ forma est instituta, ut intelligeremus, quod præcepit non cogitandum esse de crastino, non ad hoc fuisse præceptum, ut nihil pecuniæ servaretur à Sanctis, sed ne Deo pro ista serviatur, & propter inopiæ timorem, justitia deseratur.* Hæc Augustinus. Hoc idem patet ex illo Evangelii Joannis quarto, quando Jesus loquebatur cum Samaritana, quod Apostoli ibant in civitatem cibos emere. Et Marci sexto dixerunt discipuli, *euntes emamus pro denariis panes, & demus eis.* Nec *Christus* intrans civitatem, interrogabat, &c. Nec intrabat quamcunque domum, & ibi manebat, sed recipiebat convivia, & à sanctis mulieribus sibi ministrabatur. Item panem secum detulerunt Petrus & Andreas, quando iverunt piscari, Joannis ultimo. Item non legimus quod Apostoli servaverunt illam clausulam, ut intrantes civitatem peterent quis in ea dignus esset, & ibi manerent. Sed de Paulo legimus in communi Legenda, & in historia scholastica, quod conduxit domum Romæ, & ipse recepit stipendium seu subsidium ab aliis Ecclesiis, de quibus vivebat apud Corinthios 2. Cor. 11. ad Philippe 4. *Scitis autem vos Philippenses quando profectus sum à Macedonia, nulla mecum Ecclesia communicavit in ratione dati & accepti, nisi vos soli, quia Thessalonicam semel & bis in usum mihi misistis.* Circa ista verisimile est, quod in pecuniam mittebantur, & ab eo conservabantur, sed utcunque sit, sive pecunia, sive æs, sive panis, sive vestimentum, omnia essent contra prohibitionem, si prohibitio esset. Et collectæ missæ in Jerusalem, de quibus Actorum 11. & ad Rom. 15. contra prohibitionem essent, si prohibitio esset. Et Petrus calciamenta habebat, quomodo Angelus dixit ei, *calcia te caligis tuis.* Act. 12. cum tamen textus Evangelii dicat, *neque calciamenta*, & sic omnes deberemus ire discalciati; tamen neminem video discalciatum, sed omnes calciati ambulamus. Sed & Sixtus & Laurentius, qui thesauros habebant Ecclesiæ, Nicolaus & Ambrosius, & multi Sancti transgressi fuissent, quæ nullatenus sunt dicenda. Videamus ergò verum intellectum, quoniam ad literam juxta sensum grammaticalem stare non possunt, nisi dicamus, quod fuit non præceptum sed documentum utile, pro illa missione, qua missi fuerunt ad populum Judæorum prædicare pœnitentiam, & quod appropinquabat regnum Dei, ita dicit Augustinus in libro contra Adamantium discipulum Manichæi, hoc non fuit præceptum sed documentum utile pro illo tempore, & hoc est de mente Chrysostomi, prout dicit S. Thomas 2. 2. quæst. 185. dist. 2. art. 6. in cor. ad secundum articulum. Pro cujus declaratione est sciendum & docendum, quod Apostoli bis fuerunt à Christo missi, primò tantùm ad Judæos, prædicare, quod appropinquabat regnum cœlorum, & pro hac illam legem acceperunt. Secundò fuerunt missi post resurrectionem à Christo in universum mundum prædicare Evangelium omni creaturæ, & hæc missio fuit libera, nec coarctata terminis terrarum, sicut prima, nec ceremonialibus illis limitata, sed in lege perfectæ libertatis; sicut dixit Jacobus capite primo, & hoc satis ostenditur, quia dicit Augustinus secundo libro de doctrina Christiana: *Illi credentium, qui fuerunt ex Judæis, servarunt illam communem vitam, quia erant legalibus honoribus assueti: Alii autem qui de gentibus conversi fuerunt, talem vivendi modum non servaverunt.* Illa ergò prima missio cum suis regulis præteriit. Nec jam prædicamus; quod appropinquat regnum cœlorum. Sed in secunda missione succedimus ad prædicandum Evangelium omni creaturæ.

SÆC. XV. ANNO 1433.

Aug. in Psal. 77.
1. Cor. 4.
Matt. 10. Luc. 10. Marc. 6.
Aug. l. 2. de cons. Evan. c. 32.
Joan. 13.
Aug. tract. 62. in Joan.
Joan. 4.
Joan. 6.
Joan. 21
2. Cor. 9. Phil. 4.
Actor. 11. Rom. 15.
Actor. 12.
Aug. contr. Adamantium Manichæi discipulum.
Chrysost. super illa verba: Salutate Priscam, habetur immediatè post Epist. ad Rom.
T. Thom. 2. 2. quæst. 185. ad 2.



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

Vel dicamus, ad mentem loquentis magis attendentes, quod magis confortatio quàm prohibitio fuit, & demonstratio facultatis & potestatis, ut non timerent sine sacculo & pera ire ad prædicandum, sed omnem anxietatem & solicitudinem deponerent: & hic est communis modus loquendi. Si enim aliquis nostrum mitteret servum suum, & sciret quod in via nil sibi deficeret, quia vel alius socius, omnia necessaria secum ferret pro ambobus, vel irent per domos amicorum, ubi eis nil deficeret, diceret illi? Noli portare panem neque vinum. Sic ergò volebat eos carere omni solicitudine temporalium, & omnem timorem expellere, augereque fiduciam. Et hoc est de mente Chrysostomi, prout eum allegat S. Thomas in glossa continua super Matth. decimo, ubi inter alia sic dicit *ab omni eos solvens solicitudine, ut una sola detineantur cura, quæ est doctrinæ, à qua etiam eos solvit, dicens, neque soliciti sitis quid loquamini.* Et alia dicit, quæ hic longum esset recitare: sed poterimus in libro videre. Hoc etiam est de mente Augustini. De consensu Evangelistarum ubi sic dicit, *unde satis ostenditur, cur eos hoc possidere aut ferre noluerit, non quod necessaria non sint sustentationi hujus vitæ, sed quia eos sic mittebat, ut eis hæc deberi demonstraret:* & reliqua quæ longum esset hic scribere, videre poterimus in libro.

*Chrys. in 10. cap. Matth.*

*August. de consensu Evangelistarum ubi supra.*

Et tandem ut his finem imponam cum glossa ordinaria, *radicem omnium malorum avaritiam de eorum pectoribus voluit amputare, ipsam intendens, per aurum, argentum, æs, &c. quæ avaritiæ solent esse materia.* Sicut & prædixi de illis auctoritatibus: *Nolite vocari Rabbi, & nolite patrem vocare* & in hoc concordant multorum Doctorum sententiæ, quas ex glossa continua sancti Thomæ poterimus videre. Sic in illo Deut. decimo septimo: *Cum electus fuerit Rex, non multiplicabit equos*, &c. intelligendum est non simpliciter, sed ad pompam & superfluitatem, aliàs peccasset in hoc David tam commendatus à Domino, qui certè multiplicavit equos, & familiam ampliavit. Sicut ergò ibi sub illis verbis, non absoluta illarum rerum prohibitio intelligenda est, sed ad pompam & superfluitatem, ut ibi dicit Lyra, sic & hic avaritia prohibetur, quæ utique, etsi in omnibus hominibus reprehendenda sit, est in Sacerdotibus detestanda. Huic sensui concordat Ambrosius, sicut allegat Thomas super illud Lucæ *Dominus post*, &c. qui volunt adhuc derivare tractatum, ut spiritualem tantummodo locus iste formare videatur affectum, qui velut indumentum quoddam videatur corporis exisse, non solum potestate rejecta, contemptisque divitiis, sed etiam carnis illecebris abdicatis, & Theophylactus quidam etiam Apostolos non portare peram aut baculum, aut duas tunicas, sic intelligunt, ut non thesaurizent.

*Deut. 17.*

*Ambr. in c. 10. Luc.*

Venio consequenter ad sextam, & huic conjungo 11. quia similes sunt, una est Marci, alia Lucæ. De illo, *si vis perfectus esse:* ad quod jam dictum est supra, non Apostolis, sed illi juveni fuisse dictum. Etsi dicatur, quòd Prælatis competit esse perfectos, dixi & dico quod illud: *Vende*, &c. non est essentiale perfectionis, sed instrumentum, sine quo benè potest esse perfectio. Patet de Abraham, de quo dictum est Gen. 17. *Ambula coram me, & esto perfectus.* De Job, Tobia, & multis aliis, de quibus infra dicetur. Cum autem subjungitur, *Facilius est camelum per foramen acus introire, quàm divitem intrare regnum cœlorum:* hoc generaliter ad omnes pertinet tam Clericos quàm Laicos. Quomodo autem hoc intelligatur, ipsemet Christus declaravit Marci decimo. Nam cum dixisset, *quàm difficile qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt*, & discipuli obstupuissent, quasi declarando rursus ait, *filioli, quàm difficile est confidentes in pecuniis intrare in regnum Dei?* Ecce de quo divite loquitur? qui spem suam in pecuniis suis ponit. Unde Augustinus super Psalmo, *Quid gloriaris in malitia*, &c. „ Ecce homo qui non posuit Deum adjutorem suum. Quan-
„ do Dominus noster Jesus Christus abeunti illi à se diviti contristato dixerat, Vende
„ omnia, &c. & magnam desperationem divitibus prænunciarat, ut diceret, facilius
„ posse camelum per foramen acus intrare, quàm divitem in regnum cœlorum. Non-
„ ne continuò discipuli contristati sunt, dicentes apud semetipsos, quisnam poterit
„ salvari? divites paucos attendebant, latebat eos tanta pauperum multitudo: non si-
„ bi poterant dicere, si difficile est, imo impossibile, ut intrent divites in regnum
„ cœlorum, sicut impossibile est ut intret camelus per foramen acus: Omnes paupe-
„ res intrant in regnum cœlorum, divites soli excluduntur? Quot sunt enim divites?
„ at verò pauperum innumerabilia millia. Non enim tunicas inspecturi sumus in re-
„ gnum cœlorum, sed vestis cuique fulgor justitiæ deputabitur. Sunt ergò pauperes
„ æquales Angelis Dei, induti stolis immortalitatis, fulgebunt justi sicut sol in regno
„ patris sui. Quid nobis est de divitibus paucis solicitos esse atque laborare? non hoc
„ senserunt Apostoli. Sed cum Dominus hoc dixisset, facilius est camelum, &c. illi
„ apud se dicentes, quisnam poterit salvari? Quid attenderunt? non facultates, sed
„ cupiditates: viderunt enim ipsos etiam pauperes, etsi non habentes pecuniam, ha-
„ bere tamen avaritiam, & ut noveritis, non pecuniam in divite, sed avaritiam con-
„ demnari, Advertite quod dico, respicis illum divitem stantem juxta te, & fortè in
„ illo

*Ad 6. & 11.*

*Gen. 17. Matth. 19. Marc. 10. Luc. 18.*

*Aug. in Psalm. 51. Matth. 19.*

Digitized by Google

„ illo est pecunia, & non est avaritia; in te non est pecunia; sed est avaritia? pauper ulcerosus, ærumnosus, linctus à canibus, non habens opem; non habens escam, non habens fortè ipsam vestem, ablatus est ab Angelis in sinu Abrahæ, eia tu pauper gaudes modò. Nunquidnam tibi & ulcera optanda sunt? nonne patrimonium tuum sanitas est? non est in hoc Lazaro meritum paupertatis, sed pietatis. Nam dives qui sublatus est, non vides quo sublatus sit? Quis est sublatus ab Angelis? pauper ærumnosus & ulcerosus: quo sublatus est? in sinum Abrahæ: lege scripturas, & invenies divitem Abraham, & noveris, quia divitiæ non puniuntur: habebat Abraham multum auri & argenti, pecorum, familiæ, dives erat; & in sinum ejus pauper Lazarus sublatus est, & in sinum divitis pauper recipitur, an potius ambo Deo divites, ambo cupiditate pauperes? Quid ergò culpat scriptura? non dixit, ecce homo qui fuit dives, sed ecce homo qui non posuit Deum adjutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum; non quia habuit divitias, sed quia in ipsis speravit, & in Deo non speravit: ideo damnatur, ideo punitur, ideo movetur de tabernaculo tanquam motus ille terrenus, sicut pulvis quem projicit ventus à facie terræ; ideo exstirpatur radix ejus de terra viventivm. Numquid huic similes sunt divites, de quibus Paulus loquitur, præcipe divitibus hujus sæculi non superbè sapere, nec sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo: & *infra:* denique illis quid præcipit? divites sint in operibus bonis, facilè tribuant, communicent, & si facilè tribuerint, si communicaverint non habenti, intrabunt per foramen acus? intrabunt planè. Nam & pro illis ipse camelus intravit, ipse enim prior intravit, quem sicut camelum nemo sarcina passionis oneraret, nisi ipse se in terram deponeret, & ipse hoc dixit, quod hominibus impossibile est, Deo facile est: & *infrà:* os eorum locutum est vanitatem, &c. neque clamor in plateis eorum. Denique quid in illis reprehenditur? non quia ista habuerunt, nam & boni habent ista, hoc intendite. Sed quid? ne passim divites reprehendatis; & rursum, ne de paupertate & egestate præsumatis: in quo ergò isti notantur? quia beatum dixerunt populum cui hæc sunt: hæc omnia Augustinus". Et ad hoc dictum Chrysostomus super Matth. 19. quod allegat Magister Petrus. Chrys. sic dicit. *Non pecuniis detrahens, sed eis qui detinentur ab ipsis.*

SÆC. XV. ANNO 1433.

1. Tim. 6.

Psal. 143.

Chrysost. Matth. 19.

Septima fuit conjuncta cum quinta, & utrique simul responsum. Venio ad octavam, cui & duodecimam conjungo, quia eadem auctoritas est à duobus Evangelistis re citata, quarum solutio satis liquet ex originali Chrysostomi, quem Magister Petrus allegat, *Scitis quia principes gentium dominantur eorum, non contenti regere subditos suos, violenter eis dominari nituntur; inter vos autem, qui estis mei, non erunt hæc.* Ecce quod intendit reprobare tyrannicum dominium, & ostendere quod prælatio Ecclesiastica debet esse justa & caritativa, ad modum pastoratus cum solicitudine, pro utilitate omnium, ministrando eis ad animarum salutem, & hoc est, quod Petrus Apostolus ait, 1 Pet. 5. quæ auctoritas in loco finali per Magistrum Petrum posita est. Pascite *qui in vobis est, gregem Domini, &c. non dominantes in Clero, sed forma facta gregis.* Sed advertendum est, quod ibi est una glossa, quæ sic dicit, *pascite non solum verbo & exemplo, sed corporali subsidio,* ex qua apparet, quod Prælati Ecclesiæ de bonis temporalibus debent tantum habere, quod sufficiat pro eorum vitæ necessariis, & possint etiam subditis & pauperibus in necessitatibus subvenire, quod in suo loco latius Deo propitio declarabitur.

Ad 8. & 12.

Matth. 20. Marc. 10. Luc. 22.

1. Petr. 5

Glossa ordinaria.

Nona fuit conjuncta cum quinta & septima, & simul utrisque responsum, & hoc quantum ad illud Lucæ nono: *nihil tuleritis, &c.* Ad id autem, quod subjungit ex Luca cap. decimo quarto: *qui non renunciaverit omnibus quæ possidet, non potest esse meus discipulus, & si non odit patrem & matrem &c.* Dico quod non pertinent ad Clericos tantùm, sed ad quemlibet Christianum dicta sunt, quia accipitur sic Christi discipulatus. Veruntamen ad quoscunque referatur, quomodo hoc intelligendum sit, glossa ibi declarat, dicens, quod omnibus mundanis renunciant, qui ita eis licitè utuntur quæ possident, ut tamen mente tendant ad æterna. Veritas hujus glossæ patet ex consequenti, ubi dicit, qui non odit *patrem & matrem,* &c. quæ non possunt intelligi de actuali odio, sed quod illa divino amori non præferat, ut clarè deducit Gregorius in homilia super illo Evangelio. hoc etiam patet; nam Lazarus & Maria & Martha non renunciaverant facultatibus, & tamen erant discipuli Christi. Item Nicodemus princeps Judæorum, & Joseph ab Arimathia dives erat, & discipulus Christi, de quo Rabanus super Matt. 27. *Magnæ dignitatis fuit apud seculum, sed majoris meriti apud Deum, quia non erat dives divitiarum amore, sed tantummodo possessione: ideo divites non excluduntur à discipulatu Salvatoris. Iste autem dives erat & discipulus, quia nec pecuniæ amator, sed distributor:* hæc Rabanus. Legitur etiam Act. 21. quod Paulus hospitatus fuit in domo Philippi Evangelistæ, qui habuit quatuor filias, & sic non renunciaverit omnibus, & tamen erat Evangelista, id est prædicator Evangelii: unde

Ad 9. Luc. 9. Luc. 14.

Gloss ordinaria.

Gregorius hom. 37.

Rabanus.

Actor. 21.



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

Beda. Actor. 10. Beda sic dicit: *Omnium fidelium est renunciare omnibus quæ possident, hoc est sic tenere ea, quæ mundi sunt, ut tamen per ea non teneantur in mundo; habere rem temporalem in usum, æternam in desiderio; sic terrena gerere, ut tamen tota mente ad cœlestia tendant.* Ideo venio ad decimam, quæ est, *Nemo potest duobus dominis servire:* quæ utrique statui pertinet, *Nemo potest servire Deo & Mammonæ*, neque Clericus, neque laicus. Et ego talem abusum in homine excusare nescirem, quod serviat ipse divitiis, sed utatur debitè illis: & tunc non Mammonæ, sed Deo servit ipse, & Mammonam sibi subjicit, & etiam Deo servire facit. Utique Deo servit Prælatus Ecclesiæ, qui res Ecclesiæ debitè administrat & fideliter, quorum est procurator, non Dominus, prout etiam Magister Petrus allegat. Ex. de donat. frat. Et Augustinus & habetur 23. q. 7. *quod autem.* Si autem privatim quæ nobis sufficiant possidemus, non illa sunt nostra, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, & hanc etiam Magister Petrus allegat Cor. 14.

De dona. fraternitat. l. 3. tit. 24. 23. q. 7. quod autem. c. 3. Aug. epist. 30. ad Bonifacium.

Reliquæ auctoritates quæ inducuntur, parum urgere videntur; quapropter illas omitto, causa abbreviandi. Si autem alicui vel aliquibus earum velint insistere, designent illas, & ego, Deo propitio, satisfaciam, & etiam ex infra dicendis satis patebit responsio.

Patrum Testimonia.

Venio igitur ad originalia Doctorum, quæ cum sint multa & longa, per singula respondere tempus longissimum occuparet. Sed ego brevius quo potero complectar eadem, ad omnia simul quasdam generales responsiones dando, ad aliquas verò illarum, quæ magis urgere videntur, specialia dabo responsa.

Inprimis nonnulla ipsorum de religiosis loquuntur, licet Magister Petrus extra scriptum extulerit vocem suam, dicens: *Non dicant, hæc loqui de Monachis; quia Monachi nondum erant.* Ad quod ego habeo dicere, quod dixisse legimus August. 23. q. 7. *quod autem usque adeo calumniandi cupiditate cæcantur, ut non attendant quàm sint inter se contraria, quæ loquuntur.* Nonne ipsemet allegat Dionysium de Eccles. hierarchia, cap. 6. dicentem Monachos esse de statu eorum, qui perficiuntur? Sed Dionysius (a) fuit discipulus Pauli, & contemporarius Apostolorum. Unde clarè liquet, quòd in principio nascentis Ecclesiæ fuerunt Monachi, cœnobitæ dico, viventes in congregatione; Nam prout Cassianus recitat libro secundo, & historia Ecclesiastica libro 2. ante finem. Beatus Marcus Evangelista apud Alexandriam Monachorum vitam instituit. Et in Legenda B. Marci legitur, quòd fundavit Monasterium sanctimonialium fœminarum.

23. q. 7 quod autem. De Monachis. (a) Falsum Bas N. Cassianus. Eus. l. 2. c. 15, 16.

Nemo ergò detrahat Religionibus, quæ à tempore Apostolorum, & ab ipsis Apostolis & Christi discipulis sumpserunt originem & initium, & utique plurimum Dei Ecclesiam illustrarunt. Magna pars Doctorum Ecclesiæ fuerunt Religiosi. Ecce Augustinus, Hieronymus, & Gregorius de quatuor principalibus Doctoribus tres fuerunt Religiosi, his addimus Chrysostomum, Magistrum Gratianum, qui compilavit volumen decretorum, Rabanum, Bedam, Hugonem, Richardum de sancto Victore, Anselmum, Nicolaum de Lyra, sanctum Bernardum, Thomam de Aquino, Albertum, Bonaventuram, Petrum de Tarantasio, Scotum, & plures alios, qui Ecclesiam Dei suis illustrarunt scripturis. Utinam omnes tales æmulationes cessarent, & omnes unanimiter curaremus agere, quæ Christi sunt, tanquam diversa membra unius corporis. Nam sicut dicit Apostolus, sicut in uno corpore diversa sunt membra, ita in una Ecclesia diversi status, omnes ad decorem & utilitatem Ecclesiæ. Et licet in Religiosis multa sint hoc tempore, quæ reformatione indigent, sicut & in cæteris statibus, tamen nihilominus multùm illuminant Ecclesiam prædicationibus & doctrinis. Et nemo prudens in caliginoso loco existens, lucernam extinguit, non benè sibi lucentem, sed habentem succum seu scoriam, curat aptare, quo melius potest. Nam melius est, quòd aliquantulum turbidè luceat, quam sibi penitus esset extincta, & hoc volo incidenter non sine causa dixisse.

1. Cor. 12.

Secundò volo notare, quod talia, qualia de Prælatis Ecclesiasticis dicta sunt, ego volo ostendere de privatis & principibus laicis esse scripta. Et primò occurrit Deut. decimo septimo: *Cum electus fuerit Rex, non multiplicabit equos;* si sic ad literam capiendum esset, debuisset ire Saul post asinas, sicut quando fuit assumptus in regem, & David de post fætantes. Deinde illud Eccl. 32. *Rectorem te constituerunt, esto unus quasi ex illis.* Et Proverb. 31. capit. *Noli dare vinum Regibus:* apud Hermogenem antiquum Philosophum legitur: *Signum perfectionis est in rege abstinentia à pecunia & possessionibus.* Et Aristoteles ad Alexandrum: *declina conatus bestialium voluptatum, & desiderium divitiarum, verè istud est verecundia, istud in præsumptionem mergit.* Et idem 9. Ethic. *Verum est de studioso, & amicorum gratia multa agere & pati, & si oporteat mori, projicit enim & pecunias & honores, & totaliter circa pugnabilia bona, procurant sibi ipsi bonum virtutis.* Et Valerius libro quarto, capite tertio. *Magna cura præcipuoque studio referendum est, quantopere libidinis & avaritiæ furori similes impetus*

Eccl. 32 Prov. 31. Arist. in Eth. ad Nicomachum l. 9. cap. 8. Valer. Maxi. l. 4. c. 3.

Digitized by Google

*tus ab illustrium virorum pectoribus consilio & ratione semoti sint:* quod ibi multis illustrium virorum exemplis confirmat. Et Tullius primo de officiis. *Capessentibus rempublicam nihilominus quàm Philosophis, haud scio an magis etiam, & magnificentia & despicientia adhibenda sit rerum humanarum.* Ecce quid dicit? quòd non minus, imo magis quàm Philosophis adhibendus est contemptus rerum temporalium capessentibus rempublicam. Et Seneca. *Nemo alius Deo dignus est, quàm qui opes contemnit.* Multa dicta Philosophorum possent adduci, nisi timerem esse prolixus. Nemo tamen indignum reputet Philosophos allegari, quoniam imitatione dignus beatus Basilius utile esse valdè dicit, eorum commemorare sententias, quoniam dum apud eos magna & ardua præcepta legimus, Evangelica levius ferimus, & facilius perpendimus: quod per multa exempla declarat, mihi autem unum occurrit nostro conforme proposito. Seneca Epistola 50. ad Lucillum ad finem. *Satis diu cum Bajis litigavimus, nunquam satis cum vitiis, quæ, oro, persequere sine modo, sine fine: nam illis quoque nec finis est, nec modus, projice quæcunque cor tuum laniant, quæ si aliter extrahi nequirent, cor ipsum cum illis evellendum erat.* Nonne jam levius audivimus à Christo illud Matt. 18. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te,* cum audivimus Philosophum in exaggerationem vitiorum in tantum prosiluisse, ut dixerit cor etiam evellendum?

SÆC. XV. ANNO 1433.

Cic. de offi. l. 1. circa medium.

Basilius de legendis libris gentilium.

Seneca ep. 51.

Matth. 18.

Jam veniamus ad nostra, quæ sunt majoris auctoritatis & dignitatis. Et primò occurrit illud Lucæ decimo quarto, ubi sic legitur: „ Ibant autem turbæ multæ „ cum eo, & conversus dixit ad illos. Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, „ & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam „ suam, non potest esse meus discipulus: & qui non bajulat crucem suam, & sequitur „ me, non potest esse meus discipulus". Et in eodem capitulo: *Omnis ex vobis qui non renunciaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Quod Beda dicit omnibus Christianis esse dictum, dicens, *omnium fidelium est renunciare omnibus quæ possident*, ut supra allegatum est: & iterum Matt. 10. *qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus:* hæc non ad Clericos tantum, sed ad omnes generaliter dicta sunt.

Testimonia Patrum pro Clericis.

Aug. de opere Monachorum. c. 25. to. 3.

Aug. in libro de contemptu mundi. c. 5.

Dion. Areo.

De conf. dist. 4. post baptism. cap. 91.

Rabanus. de instit. Cler. l. 1. c. 29.

Aug. de conflictu vitiorum & virtutum. c. 16.

1. Tim. 6.

Eccles. 10.

Jacob. 5.

Marc. 10.

Sed addamus aliqua originalia dicta Sanctorum Doctorum, & primo volo capere de horto ipsius Magistri, ut apud eum & suos minus dubia sint. Augustinus in lib. de opere Monachorum: „ Si hujus terrenæ Reipublicæ antiqui principes præclarissimorum literatorum suorum eloquio prædicari solent, quod rem communem universi „ populi suæ civitatis, privatis suis rebus sic anteponebant, ut quidam eorum, Africæ „ domitæ triumphator, quid nubenti filiæ daret non haberet, nisi ex senatus consulto „ de publico dotaretur; quo animo esse debet in rem suam publicam civis civitatis „ Jerusalem"? Allegat etiam Augustinus in lib. de contemptu mundi. Et notate titulum libri, in ipso libro Augustinus sic dicit: *Si mundi gloria vana non esset, si divitiæ terrenæ vera bona essent, non earum possessoribus imprecaretur Dominus, væ vobis divitibus:* & reliqua tota illa auctoritas hoc facit. Et ad hoc propositum, de informandis qui veniunt ad baptismum, facit illa auctoritas Dionysii, quam Magister Petrus allegat: *Sed non est summe contrariis simul participandum*, &c. Et si attendamus interpretationem hujus nominis, Christianus, sicut de nomine Clericus arguitur, & abrenunciationem, quæ fit ante baptismum diabolo & omnibus pompis ejus, & quid significent unctiones, de quibus in c. 1. de sacra unct. & cætera, quæ fiunt in baptismo; & vestis candida, quæ traditur, de qua Rabanus: *post baptismum traditur Christiano vestis candida, quæ significat innocentiam, & puritatem Christianorum, quam post ablatas veteres maculas, studio sanctæ conversationis immaculatam conservare debet.* de consecr. dist. 4. ubi multi textus ad hoc: Si ex his omnibus volumus argumentari, sicut ex nomine Clerici, & cerimoniis ordinum, profectò grandia argumenta districtionis Christianæ Religionis accipiemus. Accedat finaliter quod Augustinus scribit in libello de conflictu vitiorum, C. de avaritia, loquitur de bonis temporalibus, & dicit sic: „ ista nec apud homines seculares sine periculo vel offensa procurantur, quia „ quanto magis quisque habere cœperit, tanto amplius habere concupiscit, fitque ut „ modum in concupiscendo non habeat, dum innumeris hujus seculi curis deservire „ festinat: ut enim ait scriptura, Avarus pecunia nunquam implebitur: quæ nimirum, „ quam sit detestanda, Paulus indicat, dicens, Et avaritia, quæ est idolorum servi„ tus. Quamque sit noxia, idem exponit, dicens: Qui volunt divites fieri, incidunt „ in tentationem & laqueum diaboli, & desideria multa, & nociva, quæ mergunt „ hominem in interitum & perditionem. Quam sit detestanda, sapiens denunciat, „ dicens: Avaro nihil est sceleſtius: quàm sit noxia, Jacobus aperit dicens: Agite „ nunc divites, plorate ululantes in miseriis, quæ advenerunt vobis, divitiæ vestræ „ putrefactæ sunt, vestimenta vestra à tineis commesta sunt, aurum vestrum ærugina„ vit. Et ærugo eorum in testimonium erit vobis, & manducabit carnes vestras, „ sicut ignis. Sed nec Redemptor noster præterire voluit cupiditatis malum, quam „ no-



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

„ noxium sit, ait enim, difficile qui pecunias habent, regnum cœlorum intrabunt. Et „ rursum, facilius est camelum per foramen acus transire, quàm divitem intrare in „ regnum cœlorum": hæc Augustinus. Et post hæc sequitur: „ Si secularibus viris „ est pernicioſa cupiditatis industria, quanto magis illis periculosior, qui habitu & „ conversatione jam seculares esse desierunt, qui totum quod vivunt Domino Deo „ devoverunt, &c". quæ Magister Petrus allegat, & de voto obligatis loquitur, ut sequentia demonstrant. Sed & nonne generaliter divitias spinas esse Christus dixit, & suffocare verbum Dei? Super quo Hieronymus eleganter adjunxit: *fallacia divitiarum suffocat verbum: blandæ enim sunt divitiæ, aliud agentes, aliud pollicentes, lubrica est earum possessio, dum hic illucque circumferunt, & instabili gradu vel habentes deserunt, vel non habentes referciunt: unde & Dominus divites asserit difficile intrare in regnum cœlorum, suffocantibus divitiis verbum Dei, & vigorem virtutum emollientibus.* Multa alia possem ad hoc propositum ducere, quæ per sacram scripturam sanctosque Doctores, scripta & dicta sunt, quæ divitias detestantur, & exaggerando materiam, duras videntur proferre sententias. Sed utique in omnibus his non est intelligendum ipsas censere abjiciendas esse divitias; sicut Seneca dixit post illud prælle-gatum, *Item nemo alius dignus Deo est, nisi qui contemnit divitias*; subjunxit: *quarum possessionem tibi non interdico, sed efficere volo, ut illas intrepidè possideas, quod uno consequeris modo, si illas tanquam exituras semper aspexeris, si te sine illis beatè victurum speraveris.* Persuadeat tibi hoc idem, qui majori auctoritate est David Propheta, *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere:* non dicit, abjicite, sed, nolite cor apponere. Unde Hieronymus ad Salvinam: *Nec diviti obsunt opes, si eis benè utatur. Nec pauperem egestas commendabiliorem facit, si inter sordes & inopiam peccata non caveat.* Et Gregorius decimo moralium, capitulo vigesimo octavo. „ Sunt nonnulli, quos cen-„ sus & bona temporalia per timorem non elevat, sed per misericordiæ opera exaltat. „ Et sunt nonnulli, qui dum se terrenis opibus abundare conspiciunt, veras Dei divi-„ tias non requirunt, atque æternam patriam non amant, quia hoc sibi sufficere pu-„ tant, quod rebus temporalibus fulciuntur. Non enim est census in crimine, sed af-„ fectus". Et Augustinus primo de civitate Dei, c. decimo. „ Cum Apostolus di-„ cat, Qui volunt divites fieri, &c. profecto in divitiis cupiditatem reprehendit, non „ facultatem, quam præcepit alibi, dicens, Præcipe divitibus hujus mundi, non su-„ perbè sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui nobis om-„ nia præstat ad fruendum abundè: Benè faciant divites, sint in operibus bonis, facile „ tribuant, communicent, thesaurizent sibi fundamentum bonum futurum, ut appre-„ hendant veram vitam": & Augustinus idem super Psalmo, „ Quid gloriaris, &c. „ Ecce homo" dicit, prout supra latius allegatum est, „ quod Apostoli cum audie-„ runt, facilius est camelum, &c. & cum ipsi pauperes essent facultatibus, & in mun-„ do major sit multitudo pauperum, quàm divitum, & contristati dixerunt, quis po-„ terit salvari? quid attenderunt ad literam? non facultates, sed cupiditates. Vide-„ runt etiam ipsos pauperes, etsi non habentes pecuniam, habere tamen avaritiam. „ *Et infra:* ut noveris, quia divitiæ non puniuntur, habebat Abraham multum auri & ar-„ genti, pecorum, familiæ, dives erat, & in ejus sinum Lazarus pauper sublatus est. „ & *infra:* denique quid in illis reprehenditur? non quia ista habuerunt; nam & bo-„ ni ista habent: Sed quid? hoc intendite, ne passim divites reprehendatis: & rursus, „ ne de paupertate & egestate præsumatis: Si enim non est præsumendum de divi-„ tiis, quanto magis non est præsumendum de paupertate, sed de Deo vivo. In quo „ ergò ista notantur? quia beatum dixerunt populum, cui hæc sunt. Ideo filii alieni". Hoc ergò in summa reprobatur: ponere beatitudinem in divitiis, hoc reprobatur, cupido seu avaritia. Nam & sicut sanctus Doctor dicit in summa contra gentiles, libro tertio, capitulo centesimo trigesimo tertio: *Paupertas de se non est bona, nisi in quantum liberat ab illis, propter quæ homo impeditur à profectu virtutum.*

*In excerptis è libris. Seneca. pag. Romanæ editionis 233.*

*Psalm 61.*

*Hieron. ad Salvinam. Gregor. 10. Moral. cap. 28.*

*Aug. de civit. Dei l. 1. c. 10.*

*Auguſt. in Pſal. 51. Supra ad 6. & 11. auctor.*

*S. Thom. contra gentiles. l. 3. c. 133.*

Concludo igitur, ex allegatis omnibus non probari, quòd Ecclesiæ non liceat habere bona temporalia in communi, imò hoc approbavit praxis Christi & Apostolorum. Et ipse M. Petrus ad hoc allegat duas auctoritates Augustini: una est de conflictu vitiorum, ubi dicit, *à Sanctis & Religiosis plura habenda sunt, ut melius ab ipsis, quàm à popularibus erogentur pauperibus Christi.* Et ego consentio, sed à Prælatis, non autem subjectis. Alia, Si pauperes comparticipes sumus. Et hoc esse licitum, multis auctoritatibus inferius comprobabo. Sed nec etiam obstat ad hoc, quod dixi, quòd Clerici, imò Episcopi possunt habere proprium patrimonium, quia de hoc extat sententia canonis Apostolorum 12. quæstione 1. *sint manifestè res propriæ Episcopi, & res dominicæ, ut potestatem habeat de propriis moriens Episcopus, si voluerit, & cui voluerit, relinquere:* hoc etiam satis indicat doctrina Apostolica. Nam cum tunc possent habere & filios, quos in omni castitate nutrire debebat Episcopus, ipsosque jubeat Apostolus hospitales esse, satis conjecturatur, quòd in bonis suis Episcopus, & quilibet Cleri-

*Auguſt. de conflictu vitiorum & virtutum.*

*21. q. 1. ſint manifeſtè. c. 21.*

Digitized by Google

Clericus remanebat. Et hoc etiam patet ex illo Act. 21. *Et intrantes domum Philippum Evangelistæ, qui erat unus de septem, mansurus apud eum, huic erant quatuor filiæ virgines.* Et propterea statuit Apostolorum Concilium inventarium fieri separatim, de bonis Ecclesiæ, & de bonis Episcopi, ne confunderentur per mutuam commixtionem, sed appareret quid esset proprium Episcopi, quid Ecclesiæ. Et sic appareret, quod ex tempore Apostolorum jam Ecclesia habebat bona, & nihilominus Episcopus cum bonis suis remanebat. SÆC. XV. ANNO 1433. *Actor. 21*

Nec obstant allegatæ auctoritates Augustini, Hieronymi & aliorum, qui ex interpretatione nominis arguentes hoc videntur innuere. Nam primo de Augustino constat, quod ipse dicit, se primò dispositisse non velle habere clericum, nisi renunciaret omnibus, & esset sine proprio, sed postea mutasse sententiam, sic dicit: *Certè ego sum, qui statueram nullum ordinare Clericum, nisi qui mecum vellet manere:* & infra: *Ecce in conspectu Dei & vestro muto consilium, qui voluerint habere aliquid proprium, maneant ubi volunt, & ubi possunt, non eis aufero clericatum* 12. q. 1. de Hieronymo etiam ipse scribens ad Damasum Papam 1. q. 2. sic ait: *Clericos illos convenit Ecclesiæ stipendiis sustentari, quibus parentum aut propinquorum nulla suffragantur bona.* Ecce ergò quòd Clerici possunt habere proprium: & ad hoc concordat c. sequens, & est Prosperi: *Pastor Ecclesiæ his quibus sua sufficiunt, &c.* Nec propter hoc quod Clerici proprium habent, minus de sorte Domini sunt, nec Dominum in partem seu hæreditatem habere desinunt, quia non in illo, quod possident, beatitudinem suam ponunt, sed in Deo; nec illud pro hæreditate habent, sed Deum, & ad ejus obsequium illa bona convertunt; nec propterea, quia habent bona temporalia, non possunt dicere, *Dominus pars hæreditatis meæ*, quoniam & David, qui illa primo dixit, civitates, castra & regnum obtinebat. *1. q. 12. certe. c. 18. August. in Serm. 2. de communi vita Clericorum. 1. q. 2. Clericos. cap. 6.*

Multa possem ad horum probationem deducere, sed gratia brevitatis omitto, maximè, quoniam & hoc jam confitentur in schedula ultimo data, ubi dicunt, quod usus bonorum temporalium est ipsi Clero licitus, resecata omni superfluitate & abundantia vitiosa. Et hoc ego dico, quoniam non laudo, sed reprobo superfluitatem vitiosam, & confiteor, quòd Clerici de bonis Ecclesiæ non debent thesaurizare, ad ditandum pauperes consanguineos, vel affines, sed recepta sufficientia pro necessariis personæ, domus, & familiæ, &c. hospitibus cum charitate & decenter suscipiendis, secundum conditionem & statum personæ, residuum debent vel in utilitatem Ecclesiæ, vel pauperibus erogare, & si de bonis Ecclesiæ libidinosè vivant, lautè, vel crapulosè, aut pro pompa, superfluitatem vitiosam faciunt expensarum, multipliciter delinquunt, quia rem illicitam faciunt, quod est commune etiam laicis, sed in Clericis gravius. Et qui ad exemplum aliorum dati sunt, malè agendo, sicut Gregorius inquit, *tot mortibus digni sunt, quot populo vitiorum exempla transmittunt.* Item, quia quod pauperum est, malè in illicitis expendendo, quasi rapinam committunt, de quo coram Deo districtam dabunt rationem. Sicque non est illicita possessio, sed abusus: usus verò modestus laudabilis: in quo mensura certa præscribi non potest, sed consideratis qualitatibus personarum, conditione patriæ & gentium, natura administrationis, & aliis hujusmodi generis, familiarum & expensarum modus moderandus est. Nam oportet quod secundum naturam præsidentiæ vel officii pauciores vel plures ministros habere debeant. Et sic sæpè errat intuentium judicium, reputantium aliquem Prælatum nimiam habere familiam. Et in veritate loquor, quod mihi hoc contigit, quod cum cuidam bono viro, mecum conferenti visum est, quod quidam Prælatus excederet in familia, ego dixi, vultis vos, & ego calculemus, quis esset competens numerus? & fecimus rationem, & reperimus nihil esse superfluum, & ipse congratulatus fuit mihi, dicens, verè mihi valdè placet, hoc sic discussisse, quoniam in me ipso scandalizatus eram, & nunc cognosco quòd nil superfluum est. Facile in his erramus, quia aliorum necessitates aut non benè scimus, aut non benè advertimus; fateor autem quod plurimum cavere debent Prælati & Principes à pomposa & inutilium familiarum sequela. Nam ex hoc eis crescit paupertas, & multæ angustiæ, multaque oriuntur gravamina subditorum: potest etiam esse usus, non tantum laudabilis, sed multum meritorius & fructuosus, quoniam Clericus videlicet bona Ecclesiæ dirigit, & utiliter administrat, & in seipso magna parcitate servata, largas eleemosynas facit, sicut ego scio, & vidi aliquos per Dei gratiam, nolo commendare viventes, sed de mortuis infra plurima exempla subjungam. Ad prædicta bene facit 1. q. 2. c. *sacerdos*, quod Magister Petrus allegat, ubi textus, *Sacerdos cui dispensationis cura commissa est, non solum sine cupiditate, sed cum laude pietatis accipit à populo dispensanda:* & est dictum Prosperi, cui concordat verbum Augustini 23. q. 7. c. *quemadmodum*, juxta finem, *non dominandi cupiditate, sed benè utendi pietate possideant.* *Gregorius. Superfluitas & pompa in omnibus à Clero vitanda. Ab inutilib. expensis Prælatorum & Principum oriuntur gravamina subditorum 1. q. 2. Sacerdos. c. 9. 23. q. 7. quemadmodum. c. 4. Prosper de vita contemp. l. 2. c. 16.*

Neque hæc solicitudo, quæ pro his fideliter administrandis habetur, secularis dicenda est, sed Ecclesiastica. Prosper in vita contemplativa: *Possessiones quas oblatas à populo*

Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

*populo ſuſcipiunt Sacerdotes, jam non ſunt res mundi credendæ, ſed Dei:* nec eſt reprobanda, ſed laudanda in Prælatis & his, quibus ex natura officii vel adminiſtrationis, cui præſident, competit. Nam vita Prælatorum Eccleſiæ non eſt ſimpliciter contemplativa, ſed juxta eſt activa & contemplativa, exemplo Moyſi, qui nunc aſcendebat in montem ad orandum, nunc deſcendebat ad populum gubernandum. Ideo ſacrorum Canonum cenſuit auctoritas, quòd is, qui aſſumendus eſt in Epiſcopum, debet eſſe in ſpiritualibus & temporalibus providus & circumſpectus. 39. diſt. in princ. &c. *Petrus Diaconus.* Et ſunt verba beati Gregorii: *Talis in regiminis debet arce conſtitui, qui non ſolum de ſalute animarum, verum etiam extrinſeca ſubjectorum utilitate & cautela ſciat eſſe ſolicitus.* Et Gloſſa ſuper illo verbo: *paſcite qui in vobis eſt gregem Domini: non ſolum verbo & exemplo, ſed & temporalium ſubſidio:* & credo illa gloſſa fuit excepta ex dictis Gregorii ex paſtorali ca. ſeptimo, ubi ſic ait: *nonnulli gregis quidem curam ſuſcipiunt, ſed hic ſibimet vacare ad ſpiritualia appetunt, ut rebus exterioribus nullatenus occupentur, qui cum curare temporalia funditus negligunt; ſubditorum neceſſitatibus minimè occurrunt: quorum nimirum prædicatio plerunque deſpicitur; quia dum delinquentium facta corripiunt, ſed tamen eis neceſſaria præſentis vitæ non tribuunt, nequaquam libenter audiuntur.* Et hoc latè proſequens inducit dictam auctoritatem Petri: Et dicit hanc paſtionem non tantum cordis, ſed corporis: poſtea tamen ſubjungit: non debet per hanc ſolicitudinem temporalium ſe ſic totum impendere, ut ſpiritualia derelinquat, dicens: „ Solicitudo ergò, quæ ſubjectis exterius impenditur, ſub certa neceſſe eſt menſura „ teneatur: unde per Ezechielem dicitur: Sacerdotes caput ſuum non radant, neque „ comam nutriant: ſed tondentes attondeant capita ſua, Sacerdotes namque jure vo„ cati ſunt: qui ut ſacrum ducatum præbeant fidelibus, præſunt. Capilli verò in ca„ pite exteriores ſunt cogitationes in mente, qui dum ſuper cerebrum inſenſibiliter „ oriuntur, curas præſentis vitæ deſignant. Quia igitur cuncti qui præſunt, habere „ quidem ſolicitudines exteriores debent, nec tamen eis vehementer incumbere; Sa„ cerdotes rectè caput prohibentur radere, & comam nutrire, ut cogitationes carnis „ de vita ſubditorum, nec à ſe penitus amputent, nec rurſus ad creſcendum nimis re„ laxent: ubi & benè dicitur, tondentes tondeant capita ſua, ut videlicet curæ tem„ poralis ſolicitudinis, & quantum neceſſe eſt videant, & tamen reſecentur citius, ne „ immoderatius excreſcant: dum igitur per adminiſtrationis exteriorum providentiam, „ corporum vitæ protegitur, & rurſum per modernam cordis intentionem non impe„ ditur, Capilli in capite Sacerdotis, & ſervantur, ut aurem cooperiant, & reſecantur, „ ne oculos claudant": hæc Gregorius. Ex præmiſſis clarè liquet, Prælatos Eccleſiaſticos debere eſſe, non tantum contemplativos, ſed & activos, in ſpiritualibus & temporalibus providos & circumſpectos, & pro ſpiritualium intentione curam & ſolicitudinem temporalium non abjicere, ſed ad utrunque ſe aptè & decenter aptare. Et Prælatus ſic vivens non propter hoc dicendus eſt habere contrarias vitas, & contrarios effectus, ut proponens in rationibus, quas in fine ſubjungit, videtur innuere, quoniam omnia hæc ordinantur ad unum finem, videlicet ad curam gregis ſibi commiſſi, ut patet ex præinſerta auctoritate Gregorii 6. moralium, c. 25. ubi ſic ait: *neque perfectus prædicator eſt, qui vel propter contemplationis ſtudium operanda negligit: vel propter operationis inſtantiam contemplanda poſtponit:* & hanc ſententiam ibi latè proſequitur, & infra: „ Sæpè qui contemplari Deum quieti poterant, occupationibus „ preſſi ceciderunt. Et ſæpè occupati dum benè humanis uſibus viverent, gladio ſuæ „ quietis extincti ſunt; hinc namque eſt, quod nonnulli inquieti ſpiritus, dum plus ex„ quirunt contemplando, quam capiunt, uſque ad perverſa dogmata erumpunt, & „ dum veritatis diſcipuli eſſe humiliter negligunt, magiſtri errorum fiunt". Nunc etiam audiamus Iſidorum, docentem nos non ſcandalizari, ſi aliqui Prælati temporalium ſolicitudini totaliter dati ſunt, quoniam hoc à Dei ordinatione procedit ad utilitatem Eccleſiæ. Ita Iſidorus inquit de ſummo bono libro tertio, capitulo 39. „ Providen„ tia plerumque divini conſilii ordinantur Propoſiti mundana & exteriora ſectan„ tes, ut temporalibus rebus totaliter ſe impendant, ut ſpirituales quietiorem vitam „ contemplationis exerceant, quia duræ ſunt quietè vivere volentibus ſarcinæ curarum „ temporalium, providet ſæpè Deus curis deditos ſecularibus, ad ſuſceptionem regi„ minis, ut dum exteriora ſine tædio procurent, ſpirituales viri rebus interioribus ſine „ impedimento rerum terrenarum deſerviant. Dei ergò ordinem accuſent quo inſti„ tuuntur, qui Epiſcopos condemnant, dum minus ſpiritualia, ſed magis terrena ſe„ ctantur. Ex divini enim tabernaculi diſpoſitione ob injurias mundi ferendas & tur„ bines, quoſdam inſtituit Epiſcopos ſecularibus curis inſiſtentes, ut hi qui interius „ ſuperna deſiderant, nullo terreno obſiſtente negotio, liberius in hoc quod amant „ intendant": hæc Iſidorus. Malitia etenim temporum & audacia & protervitas hominum malignorum hoc exigit, ut Prælati non tantum ſine peccato, ſed etiam meritoriè has temporalium curas exerceant, pro fide, vel etiam rebus Eccleſiæ defendendis,

89. diſt. Petrus Diaconus Greg. l. 8. epiſt. 40. Gloſſ. 1. Pet. 5. Greg. in paſtor. l. 2. cap. 7.

Greg. 6. moral. cap. 25. & 26.

Iſidorus.

Digitized by Google

dis, prout infra patebit auctoritatibus & exemplis beati Gregorii, & aliorum, & miraculo oſtenſo in altero Gregorio, de quo infra. Et ſic breviter me expedio de omnibus originalibus dictis dictorum, ad quæ omnia clarè patet reſponſio ex prædictis, ut unusquiſque per ſe poterit applicare: nam ad ſingula ſigillatim reſpondere, nimis fuiſſet prolixum. Si autem Magiſter Petrus petet ad aliquod ſpeciale reſponſum, deſignabitur illud, de Deo propitio ſufficiens ſubreſponſio dabitur. SÆC. XV. ANNO 1433.

Cum autem in ſchedula ultimo data dicit: dominium autem civile ipſi Clero Chriſti non congruit, aut convenit, ſed nec licet ipſi in perſona propria civiliter dominari. Si intendit quod Clericus in perſona propria non debet judicium ſanguinis exercere, fateor; poteſt tamen habere, & Clericus non religioſus, de proprio patrimonio, & in adminiſtratione pro Eccleſia civile dominium Caſtrorum, villarum, oppidorum, civitatum, in quibus tale judicium per laicos officiales faciet exercere, prout ait Hugo de Sacramentis ſecunda parte, & eſt allegata per Magiſtrum Petrum, & rectè probat contra ipſum. Nam ibi ad literam ſic habetur. „ Notandum tamen quod prin„ cipes terreni in terrenis poſſeſſionibus, quas in ſubjectis, vel ſine ſubjectis poſſident „ Eccleſiæ, aliquando concedunt ſolam utilitatem, aliquando utilitatem & poteſta„ tem; utilitatem ſine poteſtate concedunt, quando fructum poſſeſſionis ad uſum Ec„ cleſiæ transferri decernunt, ſed poteſtatem juſtitiæ exercendæ in ipſa poſſeſſione ad „ ejus ditionem tranſire non permittunt. Aliquando & utilitatem & poteſtatem ſimul „ tribuunt. Ubi tamen advertendum eſt, quod Eccleſia licet fructum terrenæ „ poſſeſſionis ad uſum recipiat, poteſtatem tamen exercendæ juſtitiæ per Eccleſiaſti„ cas perſonas, aut judicia ſecularia exercere non poteſt; poteſt tamen miniſtros ha„ bere laicas perſonas, per quas jura & judicia ad terrenam poteſtatem pertinentia, „ ſecundum tenorem legum, & debitum juris terreni exerceant". Ecce quàm manifeſtè iſta auctoritas per Magiſtrum Petrum allegata oſtendit, Eccleſiaſticas perſonas poſſe habere civile dominium, & dat modum jurisdictionis exercendæ. Principes enim Catholici & domini temporales pro Dei gloria, & ſuarum remedio animarum contulerunt Eccleſiis multa precioſa donaria, Caſtra, villas, oppida, & civitates, transferendo in Eccleſiam interdum ſolam utilitatem fructuum, interdum poteſtatem & jurisdictionem, quod eſt civile dominium & in hoc completa fuit prophetia eximii prophetarum David in Pſalmo *Exſurgat Deus*. Quem quidem Pſalmum Nicolaus de Lyra literalis expoſitor, recitato prius ſenſu Judæorum volentium illum intelligere de exitu Iſrael de Ægypto, cum dicit illum nimis involutum, & coaptari plenè non poſſe ex auctoritate Pauli ad Epheſios quarto, qui hujusmodi Pſalmi verſum: *Aſcendens in altum captivam duxit captivitatem, dona dedit hominibus*, applicat ad dona Spiritus ſancti miſſa in corpus Eccleſiæ, dicit verum Pſalmi ſenſum eſſe, de Eccleſia Catholica Chriſtianorum, poſt Chriſti paſſionem, & ad hunc ſenſum exponit totum Pſalmum: & ſuper verſ. „ ſpeciei domus dividere ſpolia, *ita dixit Lyra*, quod Principes „ & potentes converſi ad fidem dederunt Eccleſiæ precioſa donaria, ex quibus orna„ ta eſt Eccleſia, ut patet in pluribus hiſtoriis & legendis Sanctorum. Et hoc quod „ dicitur ſpeciei domus dividere ſpolia, hoc eſt quod dicitur, ad ſpeciem & decorem „ domus Dei, quæ eſt Eccleſia, pertinet dividere ſpolia, hoc eſt, diverſis Eccleſiis, „ & perſonis Eccleſiaſticis dividere prædicta donaria; conſequenter oſtendit, qualiter „ talibus temporalibus utendum ſit, cum dicitur, ſi dormiatis, &c. Ad cujus intel„ ligentiam eſt ſciendum, quod κληρὸς græcè idem eſt, quod ſors, columba autem hic „ accipitur pro Eccleſia, quæ columba frequenter nominatur in canticis: pennæ au„ tem ſunt virtutes, eam ad cœleſtia elevantes: dicit igitur, ſi dormiatis, id eſt, „ quieſcatis inter medios cleros, id eſt, inter ſtatus Eccleſiæ, ſcilicet militantis & „ triumphantis, quod fit, quando ſic utuntur homines bonis præſentis vitæ, ut non „ amittant æternæ, ſed magis acquirant, divitiæ enim ſicut impedimenta ſunt repro„ bis, ita probis ſunt adjumenta virtutis": hæc omnia Nico. de Lyra.

De auctoritate Clerici.

*Hugo de ſancto Victore de Sacram. l. 2. part. 2. c. 7.*

*Pſal. 67.*

*Epheſ. 4.*

*Pſal. 67. Nic. de Lyra.*

Cum enim civile dominium ſit res commerciabilis, ut eſt communis Doctorum ſententia in l. *imperium*, & l. *more majorum*. ff. de jur. om. judi. & ſæpè venduntur caſtra, villæ, oppida & Baroniæ, quid igitur prohibet, quod laicus habens tale civile dominium, titulo donationis, legati, vel hæreditatis, vel alio legitimo titulo, in Eccleſiam transferre non poſſit? Dicit Magiſter Petrus, quod tali dominio rerum communitas repugnare videtur. Et ad hoc allegat dictum Armachani, & alia, ad quod fortè aliud quæſiviſſem reſponſum, niſi hoc in promptu occurriſſet, tam clarum, celebre & famoſum, quod Reſpublica Romanorum à ſenatu recta magnum habuit civile dominium, & multa hodie habens civitates civilia dominia, ergò non repugnat communitati, habere civile dominium. Sed ex hoc clarè liquet, quòd nec illa ratio valet, *Prælatus Eccleſiæ non poteſt exercere in propria perſona temporalem jurisdictionem, ergo Eccleſia non poteſt illam habere*. Nam & ſenatores aut conſules Romæ non poterant exercere jurisdictionem in provinciis, in perſona propria, ſed dabant præſides provinciarum. Scio quod



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

civitates Barchinonenſes habent villas & caſtra, nec tamen conſules civitatis poſſent ibi jurisdictionem exercere, ſed creatur ibi officialis, qui jurisdictionem exercet.

*A Clero habitualiter delinquente ſecundum Huſſitas, poſſunt auferri ſecularia bona.*

Jam nil reſtat ex dictis ex adverſo, niſi finis ſchedulæ ultimo datæ, ubi ſic habetur: *inſuper circa prædictum tenemus, quod ad tantum poteſt iniquitas regnare in Clero, quod in defectu ſpiritualis propoſiti liceret brachio ſeculari auferre bona temporalia à viris Eccleſiaſticis habitualiter delinquentibus.* Quæ propoſitio eſt multum confusè poſita, & abſque aliqua declaratione vel probatione. Et ideò poſſet eadem facilitate contemni, qua ponitur; ſed nolo eam præterire, quin circa ipſam, Deo propitio, enucleem veritatem. Sed iſtud puto facilius & luculentius agere, cum, ſicut præmiſi in principio, Eccleſiæ & Prælatis, & perſonis Eccleſiaſticis licitum eſſe habere & poſſidere bona temporalia, mobilia & immobilia, & civilia dominia, firmiſſimis documentis monſtrabo. Ideo hæc præmittam.

*Licitum eſſe Eccleſiæ & Eccleſiaſticis perſonis habere temporalia.*

Ad quod probandum quadruplici medio uti intendo, ut ſicut in quatuor Evangeliſtarum teſtimoniis Evangelica doctrinâ fundatur, ſic in quatuor fundamentis veritas iſta firma conſiſtat.

*1. ratio. 28. q. 1. Jam nunc. c. 8. Aug. ad Pollent. l. 1. de adult. coni. c. 13. & 14.*

Et primò ſic: illud conſtat eſſe licitum, quod nulla eſt lege prohibitum, ita dicit Auguſtinus ad Pollentium 28. quæſtione prima *Jam nunc.* Sed hoc nulla lege prohibetur: Igitur eſt licitum. Ratio eſt in forma. Major eſt nota de ſe, & eſt Auguſtini, ut ſuprà, Minoris probatio non incumbit mihi, ſed aſſerenti contrarium, qui dicit hoc prohibitum, prohibitionem oſtendat. Nam ad ea, quæ allegata ſunt, ſufficienter reſponſum eſt.

*2. ratio.*

Secundò: ſicut illud eſt licitum, imò & debitum, quod divina ordinatione & beneplacito factum eſt, ſed dotatio & glorificatio Eccleſiæ in potentia & dominia temporalia; divina ordinatione & beneplacito, hoc tempore, ſcilicet à Silveſtro, & citra facta eſt, ſicut ipſe Deus ante promulgaverat per Prophetas. Igitur. Major eſt nota: ad probandum Minorem affero tria teſtimonia Prophetarum. Primum eximii Prophetæ David in Pſalmo, *Exſurgat Deus*, qui Pſalmus pertinet ad glorificationem Eccleſiæ, poſt Chriſti paſſionem, ut probat Nicolaus de Lyra ex auctoritate Pauli, ut prædictum eſt, qui Propheta David hoc prophetavit, ubi dixit, *ſpeciei domus dividere ſpolia*, id eſt, donaria à Principibus & potentibus Eccleſiæ data, inter Eccleſias & Eccleſiaſticas perſonas diſtribuere. Inter alias magnas gratias & glorificationes Eccleſiæ hanc temporalium bonorum amplificationem futuram prænunciavit Propheta.

*Eſa. 52. Lyra in c. 52. Eſa. Rom. 10.*

Secundum teſtimonium eſt Eſaiæ 52. *Conſurge, conſurge, induere fortitudine tua Sion, induere veſtimentis gloriæ tuæ, Jeruſalem civitas ſancta.* Nicolaus de Lyra primo ex auctoritate Pauli, qui allegat quod infra ſequitur, *quàm pulchri pedes annunciantis & prædicantis pacem?* dicit hoc caput loqui de Eccleſia poſt Chriſti paſſionem. Et dicit quòd in hoc capite removetur tertium impedimentum liberationis factæ per Chriſtum, quantum ad incredulos, quod provenit ex contemptu humilitatis Chriſti, oſtendo, quòd humilitas Chriſti fuit diſpoſitio ad gloriam: ſecundum quod dicitur ad Philip. 2. *humiliavit ſemetipſum, &c. propter quod exaltavit Deus illum, &c.* non ſolum poſt mortem fuit glorificatus, ſed etiam antè in operibus miraculoſis ad declarationem ſuæ deitatis, propter quod Chriſtus petens, *glorifica me Pater.* Joannis 12. audivit: *glorificavi, & iterum glorificabo:* glorificavi te miraculis, iterum te glorificabo per gloriam. Et ſic eſt in Corpore Chriſti myſtico, quod eſt Eccleſia; quia poſt depreſſiones ejus per Judæos & tyrannos, elevata eſt in magna gloria, etiam temporaliter, & in ipſis depreſſionibus ſpecialiter in receptione Spiritus ſancti, & miraculis, quæ fiebant per Apoſtolos, & alios Sanctos, & ſic circa primum Propheta alloquitur Eccleſiam primitivam. *Conſurge, conſurge* ad opera virtutum, *induere fortitudine* ad tolerandum conſtanter perſecutiones; ſed poſt perſecutiones ſecuta eſt pax & honor, ideò ſubditur: *induere veſtimentis gloriæ tuæ:* & hoc fuit impletum tempore Conſtantini, qui pacem Eccleſiæ per totum Romanum orbem dedit, & mirabiliter eam honoravit. Et infrà: *Sede Jeruſalem in ſede honoris*, quod tunc fuit impletum, quando Roma, quæ erat caput mundi, facta eſt ſedes Summi Pontificis, ſede imperiali tranſlata ad Conſtantinopolim. Ecce quomodo Nicolaus de Lyra, expoſitor generalis Bibliæ, hanc prophetiam Iſaiæ declarat.

*Eſa. 60. Lyra ibid.*

Tertium teſtimonium eſt Iſaiæ ſexageſimo, quod capitulum Nicolaus de Lyra oſtendit intelligendum eſſe de Eccleſia, dicens, quod ſicut in præcedenti capitulo deſcripta eſt ſalus Chriſti, ita in hoc deſcribitur magnitudo hujus ſalutis. Primò ex parte materiæ recipientis, & ſubjungit, quòd primò ponitur proſperitas militantis Eccleſiæ, ad fidelium multiplicationem. Secundò ex Eccleſiarum ædificatione. Tertiò ex bonorum aſſecutione. Et ſic declarat & exponit totum capitulum, & ſuper verbo textus, *fortitudo gentium*, dicit, id eſt, imperium Romanum *venerit tibi*, quod impletum fuit tempore Conſtantini, & infra: *inundatio camelorum*, dicit ſic, *Conſtantinus Imperator & multi alii potentes exemplo ejus animati, divitias multas miſerunt*

*ſuper*

Digitized by Google

*ſuper tabia animalia ad ſuſtentationem miniſtrorum Eccleſiæ, & pauperum Chriſtianorum, & ædificationes Eccleſiarum*, & infra: *& ædificabunt:* hîc deſcribitur proſperitas Eccleſiæ in Eccleſiarum ædificatione, *muros tuos*, id eſt, Eccleſias, & hoc patet impletum à tempore Conſtantini: & infra: *In indignatione mea percuſſi te*, quam Eccleſia primitiva fuit multum afflicta à tyrannis, quod ſecundum judicium humanum videbatur procedere ex indignatione Dei, licet fuerit ad probationem: ſcriptura ſæpè habet talem modum loquendi. Et ſequitur, *in reconciliatione mea miſertus ſum tui:* dans tibi pacem, ampliationem, & honorem tempore Conſtantini: & ideo ſubditur, *& aperientur portæ tuæ jugiter*, quia Eccleſias prius clauſas præcepit aperiri, & per imperium ſuum novas ædificari, & ſequitur in textu, *& venient ad te filii eorum, qui humiliaverunt te, & adorabunt veſtigia pedum tuorum*, dicit Lyra, hîc deſcribitur proſperitas Eccleſiæ, quantum ad conſecutionem honoris, & infra ſequitur in textu *ponam te in ſuperbiam ſeculorum*, id eſt, in gloriam & honorem, ita quòd ſuperbia non ſonat hîc in vitium, ſed honoris exceſſum, & ſequitur in textu, *& ſuges lac gentium, & mammilla regum lactaberis*, id eſt, ab eis accipies nutrimentum: ſicut videmus impletum in dotatione Eccleſiæ de bonis principum: & ſequitur in textu: *pro ære afferam aurum*, quia in primitiva Eccleſia fuerunt calices & alia utenſilia Eccleſiæ de materia parum precioſa: poſtea facta ſunt de auro, argento, & de lapidibus precioſis: & ſic habemus tria teſtimonia Prophetarum, quibus apparet ſic à Deo fuiſſe ordinatum, & per Prophetas pronunciatum: & de iſta temporali exaltatione Eccleſiæ facta per Conſtantinum in perſona B. Sylveſtri, in figura præceſſit in Jonatha ſummo Sacerdote, cui Alexander contulit coronam auream, & poteſtatem bibendi in auro, & eſſe in purpura, primo Machab. 11.

SÆC. XV. ANNO 1433.

1. Mach. 11.

Miniſtravit mihi Dominus 4. teſtimonium ex Prophetis, ut in quadrato numero, velut Evangelica ſtructura, hujus articuli probatio ſedeat, & eſt ex prophetia David Pſalmo 103. Quem Pſalmum Auguſt. exponit de Eccleſia, unde in verſu: „ ſuper montes ſtabunt aquæ, *dicit*, ſic propterea dixit, quia Eccleſiam futuram in diluvio „ perſecutionum voluit intelligi, fuit enim tempus aliquando, quo terram Dei, Ec„ cleſiam Dei cooperuerunt aquæ perſequentium, & ita cooperuerunt, ut non ap„ parerent nec ipſi magni qui ſunt montes: *& infra:* fugerunt enim aquæ ab increpatione Dei, quia cor regum in manu Dei, deflexit quo voluit, juſſit per eos pa„ cem dari Chriſtianis, emicuit, & eminuit auctoritas Apoſtolica". Et infra cum multa dixiſſet hoc propoſitum continuando, quæ omnia inſerere longum eſſet. Tandem ſuper verbo. *Cedri Libani quas plantavit, illic paſſeres nidificabunt.* Sic inquit Aug. „ Etenim cedri Libani, nobiles & divites & excelſi hujus ſeculi, quoniam cum „ timore audiunt, beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem, attendunt res ſuas, „ villas ſuas, & omnes ſuperfluas copias, quibus videntur excelſi, & præbent illas „ ſervis Dei, dant agros, dant hortos, ædificant Eccleſias, & Monaſteria, colligunt „ paſſeres nidificantes". Sunt ergò quidam ſpirituales nidificantes in cedris Libani, id eſt, ſervi Dei.

*Pſal. 103. Aug. in Pſal. 103.*

*Pſal. 40.*

Tertiò illud debet licitum reputari, quod à viris divinarum literarum doctiſſimis, vitaque & Religione ſanctiſſimis pro licito habitum & factum eſt: ſed hoc eſt hujuſmodi, ergò, &c. hoc argumentum eſt in hac propria materia viri religioſiſſimi Proſperi, cujus ſcripta inter canonicas ſcripturas habentur, prout dicit Gregorius 35 *ſancta:* hoc argumentum eſt 12. q. 1. *Expedit facultates Eccleſiæ poſſideri*, ubi recitato exemplo Paulini concludit, quo facto ſatis oſtendit, ſine impedimento perfectionis poſſe Eccleſiæ facultates, quæ ſunt profectò communes, poſſideri. Ad probationem etiam aſſumptæ Majoris eſt textus Hieronymi 37. diſtinct. *qui de menſæ*, ubi ex facto Sidrac, Miſac, & Abdenago probat, non eſſe licitum facere quod illi fecerunt. Ad idem textus in c. *Lugdunenſis* 9. quæſtione 2. Ad probationem Minoris licet poſſem probare, quòd ante tempora Sylveſtri jam Eccleſia habuerat prædia & poſſeſſiones tempore Urbani I. qui præſedit Anno Domini. CC. XXIII. Item temporibus Pontiani, Antheris, Fabiani, Cornelii, Lucii, Stephani, Sixti, Dionyſii, Felicis, Marcelli, Euſebii, & Melchiadis, Romanorum Pontificum, qui præceſſerunt Sylveſtrum: & theſauros, ſicut Sixtus, quos Laurentius inſtante perſecutione, pauperibus erogavit, habuerunt, & civile dominium, ſicut mihi ſcriptum datum eſt, quòd Philippus dominus Pannoniæ dedit Laureacenſi Archiepiſcopo, qui tunc erat Metropolitanus, villas & prædia in Auſtria, quæ nunc tenet Patavienſis Eccleſia: de Philippo ſcribit Gotfridus in Pantheon:

*Tertia ratio.*

*diſt. 15. ſancta Romana. c. 3. 2. q. 1. Expedit. c. 13. Proſper de vita contemplativa. l. 2. c. 9. diſt. 37. qui de menſa. c. 11. Danielis 1. 9. q. 2. Lugdunenſis. c. 10.*

*Donationes Eccleſiæ antiquiſſimæ.*

*Suſcipit imperium, populo plaudente, Philippus,*
*Iſte poſt Cæſar voluit cognoſcere Chriſtum,*
*Qui dedit Eccleſiis prædia multa ſuis.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

Sed quia de civili dominio majus fit festum, de his qui præsederunt Ecclesiis, habentibus magna dominia civilia, est loquendum. Et primò de sede Romana, incipiam à beato Sylvestro, de cujus sanctitate & doctrina victis Judæorum satrapis, fidei Catholicæ exaltatio testimonium præbet. Sub hoc Nicænum primum sacrum & venerandum Concilium fuit, & post dotationem Ecclesiæ, ex quo satis auctorizatur factum Constantini, quoniam si illicitum fuisset, reprobasset hoc tam celebre Concilium. Sed & habeo testimonium beati Ambrosii, de obitu Theodosii Imperatoris, dicentis, Constantinum magni meriti apud Deum, quia primus Imperatorum credidit, & post se hæreditatem fidei & devotionis principibus dereliquit. Et Isidorus noster Hispanus idem in suis Chronicis attestatur. Et Græci qui tunc erant Catholici, ipsum Constantinum catalogo Sanctorum annumerant, & festum de eo cum solennitate agunt. 21. die Maii. Postea dicam de sancto Marco, sub quo fuit celebrata (a) sancta Synodus Nicæna, & claruerunt ejus tempore, & post, sanctus Athanasius, Eusebius, Nicolaus, & Hilarius, & Joannes Chrysostomus. Item sanctus Leo Papa, qui fuit XLIII. post sanctum Petrum. Item Felix secundus, qui Martyrio coronatus est. Item Damasus primus, sub quo Synodus Constantinopolitana 150. Patrum, cui Hieronymus illam scripsit Epistolam, *quoniam vetus oriens inter se furore collisus indecisam Domini tunicam desuper textam minutatim per frusta decerpit.* Etiam petens ab eo suæ fidei confessionem approbari; & alias multas Epistolas. Item (b) Cyriacus qui cum undecim millibus virginibus in Colonia martyrio coronatus est. Item sanctus Symmachus Papa, de cujus vita & miraculis Vincentius in historiali libro 23. cap. 1. & 2. Item sanctus Joannes Papa, de quo in eodem Vincentio eod. lib. cap. trigesimo tertio. Item sanctus Agapitus, eod. lib. cap. 61. Item sanctus Gregorius unus de quatuor Doctoribus Ecclesiæ, cujus sanctitas & doctrina nota est. Item sanctus Martinus, de quo Vincentius eod. lib. 23. capitulo 84. Item sanctus Stephanus Papa, de quo idem Vinc. eod. lib. c. 167. Item Honorius Papa miræ pietatis fuit, cujus tunica dæmoniacus quidam indutus fuit & liberatus est. Item sanctus Severinus benignus amator Cleri & pauperum, & possessiones Ecclesiarum ampliavit. Item Joannes quartus thesauris Ecclesiæ distractis multa millia hominum per Histriam & Dalmaciam redemit. Item sanctus Martinus Tudertinus, cujus festum celebratur crastino sancti Martini Turonensis. Eugenius primus, hic omnibus benignus & amabilis, maximæque sanctitatis. Agatho dum quendam leprosum oscularetur, mundatus est. Joannes natione Græcus, hic martyrio coronatus est. Paulus mitissimus & misericors, nocte cum paucis familiaribus ibat visitando pauperes & infirmos, & eis ministrando. Leo quartus multæ patientiæ, multæque humilitatis, fecit mirabilia in vita sua, cujus festum celebratur decimo septimo Calendas Augusti. Nicolaus post hunc vir fuit sanctissimus, cui post Magnum Gregorium vix in sede Romana similis. Omnes prædicti fuerunt in sede Romana post dotationem Ecclesiæ viri sancti, approbatæ sanctitatis: fuerunt & plures alii virtutibus & scientia clari, sicut Innocentius tertius, qui tam reverenter allegatur in tractatu de Missa & aliis operibus. Petrus de Tarantasio, dictus Innocentius quintus, Doctor clarissimus, & multi alii, quos nominare longum esset. Volui solùm prædictos exprimere, qui sancti intitulantur, aliis multis omissis. Sed hoc unum nolo omittere, quia ad propositum valdè facit, quod narrat Vincentius in historiali libro vigesimo quinto, capite vigesimo quinto, de Gregorio 6. qui magna studia & labores impendit ad recuperandum temporalia bona Ecclesiæ à tyrannis occupata, & cum nec hortationibus, nec censuris posset hoc efficere, vi armorum hoc fecit unde Cardinales eum virum sanguinarium, dicentes: cum infirmitate decumberet, de qua decessit, dicebant eum non debere sepeliri in Ecclesia sancti Petri cum aliis Pontificibus, quod cum ipse intellexit, vocavit Cardinales, & habito cum eis colloquio, tandem dixit, *quoniam nostræ & vestræ rationes falli possunt, committamus omnia divino examini, corpus meum anteccessorum meorum more compositum ante januas Ecclesiæ sistite, & firmentur januæ ferris & repagulis, si Deus voluerit, ut ingrediar, applaudatis miraculo; si minus, de cadavere meo faciatis sicut vobis placuerit:* sic factum est. Mox enim ut corpus ejus ante portas Ecclesiæ ferris obclusas positum est, turbo ingens divinitus emissus repagulorum obstacula dirupit, & ipsas valvas vehementi impetu patefactas, ad parietem cum magno fragore impulit. Et hæc dicta sunt de Romanis Pontificibus. Possem per alias mundi Ecclesias Italiæ, Galliæ, Hispaniæ & Angliæ colligere magnum numerum sanctorum Episcoporum, qui præfuerunt Ecclesiis habentibus magnam temporalitatem & civilia dominia. Sed nolo pro præsenti, nisi de his circumvicinis & cognitis, & etiam non de omnibus loqui. Incipiam ab Ecclesia Moguntina. Ecce sanctus Bonifacius, qui tantæ fuit auctoritatis, quod tempore suo dicebatur, Apostolorum tempora rediisse, hic sua prædicatione multas provincias illustravit. In eadem Ecclesia sanctus Lullus confessor. Item Rabanus magnus Doctor quotidiè allegatur. Item in eadem Moguntina Ecclesia Bardo Archiepiscopus:

*Ambr. de obitu Theodosii Imper.*

(a) *error.*

(b) *Cyriacus ille nullus fuit.*

*Historiali lib. 23. Vincent. c. 1. & 2. Vinc. lib. hist. 21. c. 33. Vinc. l. 23. c. 84. Vinc. l. 23. c. 167.*

Digitized by Google

piſcopus: in eadem Willigiſus. In Eccleſia Treverenſi; quam Helena mater Conſtantini, quæ de Trevera fuit oriunda, plurimum dotavit reliquiis & bonis temporalibus, adjiciendo primæ dotationi, fuerunt 99. Archiepiſcopi uſque ad dominum Ottonem ultimò defunctum, ex quibus 25. ſunt Sancti, ut habetur in Calendario Archiepiſcopi Baldwini, quod in ipſa Eccleſia ſervatur. In Eccleſia Colonienſi beatus Severinus, qui multis claruit & claret miraculis; item ſanctus Remedius, item ſanctus Cunibertus, item ſanctus Haymo, Aglolfius martyr, item Evergiſilus martyr, item Heribertus, omnes iſti fuerunt ſancti Archiepiſcopi Colonienſes. In Eccleſia Leodienſi, quæ opulentiſſima in temporalibus eſt, ſanctus Maternus, ſanctus Hubertus, ſanctus Theodardus, ſanctus Servatius, ſanctus Lambertus martyr, ſanctus Geregiſilus, Epiſcopi omnes. Item in Eccleſia Laureacenſi fuit ſanctus Maximianus, à ſancto Sixto (*a*) conſecratus Epiſcopus circa annos Domini CC. XXIII. qui patrimonium dictæ Eccleſiæ contulit, quod nunc Anaſum dicitur, cum omnibus vicinis oppidis & judiciis ſecularibus, quæ manent uſque ad præſens in Auſtria, & obtinet illa Patavienſis Eccleſia. Item ſanctus Adalbertus Eccleſiam Pragenſem magnificè dotatam feliciter rexit pluribus annis. Item ſanctus Procopius opulentiſſimum Monaſterium in Bohemia habuit, cujus poſſeſſiones inquietantes divinam interdum ultionem in ſe experti ſunt. Item ſanctus Guolffgangus in Ratisbona. Item ſanctus Corbinianus Friſingenſis Epiſcopus prædia pro eadem Eccleſia hodiè nota comparavit. Item ſanctus Udalricus Auguſtenſis Eccleſiam opulentam prædiis & civilibus dominiis rexit. Item ſanctus Conradus Conſtantienſis Epiſcopus. Item ſanctus Virgilius Eccleſiam Saltzburgenſem dominiis dotavit. Fuit quoque ſanctus Virgilius Epiſcopus Tridentinæ Eccleſiæ, civili dominio opulentæ. Prætermittendum non eſt de ſancto Staniſlao, Cracovienſi Epiſcopo, qui paſſus controverſiam ſuper villa Eccleſiæ, à ſepulchro eum, qui ante per triennium mortuus fuerat, reſuſcitatum, ad judicium duxit in teſtem. Poſſem ſine fallo, ſi benè quæſiviſſem, etiam multo plures reperiſſe ſanctos Epiſcopos & Abbates qui præfuerunt Eccleſiis & monaſteriis habentibus temporalia & civilia dominia. Exhorrent utique piæ aures audire in dubitationem deduci, an licitum ſit, quod à tanta Sanctorum multitudine per tanta curricula temporum pro licito habitum fuit, practicatum, & obſervatum.

*Vide Petrum Marſeum in ſuo Epiſcoporum catalogo, & Antonium Monchiacenum de Miſſa.*

Quartò idem ſic probo. Illud indubiè licitum eſt, quod eſt auctoritate canonum Apoſtolorum & ſacrorum generalium Conciliorum approbatum. Iſtud eſt hujuſmodi, igitur, &c. Major eſt manifeſta, quoniam omnis fidei noſtræ, & Chriſtianæ diſciplinæ doctrina ab ipſis Apoſtolis & à ſacris generalibus Conciliis, & eorum auctoritate habetur: quod hæc, quæ legimus, ſunt Evangelia Chriſti vera; quod ſymbolum fidei factum fuerit ab Apoſtolis, unde habemus niſi à ſacris Conciliis & approbatione Eccleſiæ? ipſa enim, quantum ad fidem & mores pertinet pro neceſſitate ſalutis, errare non poſſunt. Sicut Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, & Gregorius, & omnes Doctores confitentur & tenent. Imò Auguſtinus dicit: *Evangelio non crederem, niſi me auctoritas Eccleſiæ moveret.* Nunquam enim legitur ab aliquo Concilio ritè congregato aliquid, pertinens ad fidem vel mores ordinandos, erroneè determinatum fuiſſe, propter aſſiſtentiam ſpiritus ſancti regentis ipſa Concilia: ad probandum minorem habeo primò ex canonibus Apoſtolorum 12. q. 1. *Sint manifeſtè res propriæ, ſi tantum habeat proprias, & manifeſtè res dominicæ.* Ecce duplex patrimonium in poteſtate Epiſcopi, proprium, & dominicum. Item ea cauſ. & q. *præcipimus ut in poteſtate ſua res Eccleſiæ Epiſcopus habeat:* ſi enim animæ hominum pretioſæ illi ſunt creditæ, multo magis oportet eum curam de pecuniis gerere. His addere libet decretum Pii Papæ, qui longè ante Silveſtrum fuit, Anno ſcilicet Domini (*b*) CLIII. ubi ſic legitur. *Prædia divinis uſibus tradita, quidam humanis applicant uſibus, & Deo noſtro, cui tradita ſunt, ſubtrahunt, ut ſibi inſerviant. Quapropter ab omnibus illius uſurpationis contumelia depellenda eſt, ne prædia uſibus ſecretorum cœleſtium dicata à quibuſdam irruentibus vexentur, quod ſi quis præſumpſerit, ut ſacrilegus judicetur:* veniat & auctoritas ſancti Urbani, qui etiam longè præceſſit Silveſtrum, cauſſamque & originem, quare & quando Eccleſia prædia & poſſeſſiones habere incepit, ediſſerit, dicens: „ videntes autem ſummi Sacerdotes, & alii atque Levitæ & reli-
„ qui fideles plus utilitatis poſſe conferre, ſi hæreditates & agros, quos vendebant
„ Eccleſiis, quibus præſidebant Epiſcopi, traderent, eo quod ex ſumptibus eorum
„ tam præſentibus quàm futuris temporibus, plura & elegantiora poſſent miniſtrare
„ fidelibus, communem vitam ducentibus, quam ex precio ipſorum, cœperunt præ-
„ dia & agros, quos vendere ſolebant matricibus Eccleſiis tradere, & ex ſumptibus
„ eorum

*Quarta ratio.*

*Aug. cont. Epiſt. Manichæi, quam vocant fundamenti.*

*12. q. 1. ſint manifeſta. c. 21.*

*12. q. 1. præcipimus. cap. 24.*

(*b*) Reponendum an. 156. B.

*12. q. 2. Prædia. c. 5. Pius Papa epiſt 2. Urbanus Papa epiſt. unica.*

*12. q. 1. videntes autem. cap. 16.*

(*a*) Hic eſt error, nam Sixtus I. vixit anno 133. Sixtus vero ſecundus an. 256. vel 268. ut obſervarunt editores Conciliorum; ſed ignoſcendum authori, qui hic multa laudat, quæ ab eruditis rejiciuntur, videturque plurima peccare circa Hiſtoriam Eccleſiaſticam. BASN.



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

„ eorum vivere. Ipsæ verò res in ditione singularum parochiarum, Episcoporum ; qui „ locum tenent Apostolorum, erant & sunt usque adhuc, & futuris semper debent „ esse temporibus, quibus Episcopi & fideles dispensatores eorum omnibus communi „ vita degere volentibus, ministrare cuncta necessaria debent, prout melius poterunt, ut „ nemo in eis egens inveniatur ; ipsæ enim res fidelium oblationes appellantur, quæ Domi- „ no à fidelibus offeruntur : memoratis ergò augmentationibus ac cultibus in tantum Ec- „ clesiæ, quibus Episcopi præsident, Domino adminiculante, creverunt, & tantis maxi- „ ma pars earum abundat rebus, ut nullus in eis communem vitam ducens, sit indigens ; Sed „ omnia necessaria ab Episcopo suisque percipiat, ideo si aliquis extiterit modernis aut fu- „ turis temporibus, qui hæc avellere nitatur, jam dicta damnatione feriatur" : hæc Urbanus. Finis autem iste refertur ad c. *attendendum* infra allegatum. Et de illa damnatione hîc loquuntur decreta undecim Conciliorum. Primum, sequendo ordinem voluminis decretorum in c. (*a*) *Benè quidem*. 96. dist. Secundum Martini Papæ, 12. q. 1. *manifesta*. Tertium Antiocheni, ea causa, & q. *Episcopus*. Quartum Eugenii apud Romam, ea causa, & c. *nulli Episcoporum*. Quintum in octava Synodo universali, ea causa, & q. *Apostolicos*, & c. *non licet*. Sextum in Concilio Leonis Papæ IV. ea causa. & q. 2. *monemus*. Septimum Urbani Papæ ea causa, & q. *de laicis*. Octavum Innocentii III. de re non alien. *cum laicis*. Nonum Concilii Lateranensis de testa. c. *cum in officiis*. Decimum Gregorii X. in generali Concilio Lugdunensi, *hoc consultissimo*. eod. tit. lib. 6. Undecimum in Concilio generali Viennensi. clem. prima eod. tit. In omnibus istis generalibus Conciliis pro conservandis, regendis, & manu tenendis bonis temporalibus decreta sunt facta. Quid tandem dicam ut materiæ Conciliorum generalium finem imponam? Primum illud Nicænum Concilium, in quo symbolum fidei conditum fuit, quod in missa cantatur, post dotationem Ecclesiæ factum est. Et deinde omnia alia Concilia, quorum decretis & ordinationibus regitur Ecclesia Catholica, & quidquid ordinationis, decoris, & normæ, & finaliter quidquid boni habemus in Christiana Religione, totum pullulavit ab eo tempore, quo Ecclesia dotata fuit. Nam eo tempore, antequam per doctrinam beatissimi Sylvestri Constantinus ad fidem conversus fuisset, docendarum plebium facultas non erat, sed in varios errores erat scissa Christianitas, & omnia ferè confusa & perdita erant, prout Isidorus dicit, ut supra allegatum est, & ex historiographis unicuique legenti palam est. Utique ab inimico humani generis hæc suggestio est, qui vellet Ecclesiam ad illum statum deducere, ut liberè posset Christianum populum laniare. Bene facit fabula de tractatu inter lupum & pastorem. Dixit lupus pastori, quare vis expendere panes tuos ad sustinendum canes, qui nihil laborant, sed tota die dormiunt? Et dixit pastor, ad defensionem ovium, ne tu devores. Respondit lupus, & ego hoc facio propter canes, quia molestum mihi est quòd illi non laborent, & tu eos pascas, ideo cupio mihi de tuis ovibus pastum. Sed non des illis ad comedendum, & ego non accipiam, laboremus omnes ad quærendum victum: dixit pastor, placet mihi: pastore non dante panem canibus, canes mortui fuerunt, tunc lupus liberè potuit invadere gregem. Ita diabolus vellet hoc suggerere, ut depauperata Ecclesia non essent nisi Clerici pauci, miseri, & ignorantes.

Superius etiam allegatis velim adducere decreta aliorum Conciliorum, quæ etsi generalia non fuerint, tamen ab Ecclesia generaliter recipiuntur, & jus commune faciunt, quia in corpore juris sunt clausa: venire poterunt decretum Agathensis Concilii 12. q. 1. (*b*) Episcopi de rebus, ea causa, & q. 2. *statuimus*, &c. *si quis de Clericis*: & tribus. cap. sequentibus. (*c*) Item ex Concilio Ilerdensi, ea causa, & q. *hæc hujus placiti*. (*d*) Item ex Concilio Toletano quarto ea causa, & q. *Etsi illi*. Item ex Concilio (*e*) Aurelianensi, ea causa & q. *si quis de Clericis*, &c. sequenti. (*f*) Item Synodo Ancyrana, ea causa, & q. *Si qua* de rebus. (*g*) Item ex Concilio Mediomatricis, ea causa, & q. *precariæ*. Item ex Concilio (*h*) Africano ea causa, & q. c. *non habenti*, & c. *placuit*. Item ex VIII. Concilio Toletano, ea causa & q. (*i*) *sæpè fit*. Item ex Concilio Toletano XI. ea causa, q. 3. (*k*) quicunque. Item ex Concilio Hispalensi, ea causa, q. 5. (*l*) *fixum*. Item ex Concilio Parisiensi 23. q. 8. c. (*m*) *secundum canonicam auctoritatem*. Item ex Concilio Lugdunensi de reb. Ecl. non alienandis. (*n*) c. 1. & 2. Item ex Concilio apud (*o*) Silvan. eo. t. *nulli liceat alienare rem*

(*a*) 1. *dist.* 96. *c. Bene quidem. c.* 1. *Symmachus in Synodo Romana.* 2. 12. *q.* 1. *Manifesta, c.* 20. *ex Concilio Martini.* 3. 12. *q.* 1. *Episcopus. c.* 23. *ex Concil. Antiocheno.* 4. 12. *q.* 1. *Nulli Episcoporum. c.* 27. *ex Conc. Romano.* 5. 12. *q.* 3. *Apostolico, c.* 13. *ex Conc.* 8. 6. 12. *q.* 2. *monemus, c.* 18. *ex Conc. Leonis Papæ* 4. 7. 12. *q.* 2. *De laicis. c.* 46. *ex Conc. Urbani Papæ Alvernia celebrato.* 8. *de rebus Ecclesiæ non alienandis. c. cum laicis. c.* 12. *ex Conc. generali sub Innocentio* 3. 9. *de testamentis. c. cum in officiis.* 7. *ex Con. Later. sub Alex.* 3. 10. *De rebus Ecclesiæ non alienandis. c. Hoc consultissimo ex Conc. gen. Lugd. sub Greg.* 10. *lib.* 6. 11. *De rebus Eccl. non alien. clem. c. Monasterium. ex Conc. Viennen.* CAN.

(*b*) 12. *q.* 1. *Episcopi. c.* 19. *ex Con. Agathensi. ex eodem.* 12. *q.* 2. *statuimus. c.* 13. *& tribus sequentibus.* (*c*) *Ibidem ex Concilio Ilerdensi. Hæc hujus placiti. c.* 38. (*d*) *Ibidem. Etsi illi. c.* 39. (*e*) *Ibidem. si quis de Clericis. c.* 4. *& sequenti.* (*f*) *Ibidem si qua. ex Conc. Ancyrano. c.* 42. (*g*) *Ibidem. precariæ. ex Conc. Mediom. c.* 44. (*h*) *Ibid. Non habenti. ex Conc. Africano. c.* 50. (*i*) *Ibid. sæpe fit. c.* 72. *ex Conc. Toletano.* 6. (*k*) *Ibidem. q.* 3. *quicunque. c.* 2. *ex Conc. Tolet. VIII.* (*l*) *Ibidem q.* 5. *Fixum. ex Conc. Hispal.* (*m*) 23. *q.* 8. *secundum Canonicam. c.* 24. *ex Conc. Parisi.* (*n*) *ex Conc. Lugd. supra de rebus Eccl. non aliena.* (*o*) *Nulli liceat. c.* 5. *ex Conc. apud Sylvanen.* CAN.

Digitized by Google

*rem immobilem Ecclesiæ:* & sic ultra illorum undecim generalium Conciliorum per me prius allegatorum, habemus auctoritates quatuordecim Conciliorum, quas ego sic perfunctoriè quærendo collegi, usque multò plures me crederem invenire, si temporis oportunitate accuratius quæsivissem: & sic habeo pro me duos Canones Apostolorum, decreta Pii & Urbani, qui præcesserunt Silvestrum, undecim decreta generalium Conciliorum, & quatuordecim decreta aliorum Conciliorum, quæ ab Ecclesia generaliter sunt recepta. SÆC. XV. ANNO 1433.

In calce hujus positionis recolligere volo brevissimè duodecim Doctores magnæ auctoritatis in lege Dei veracissimè se fundantes, qui hanc meam sententiam confirmabunt. Primus sit religiosissimus Prosper, qui, ut suprà allegatum est, dicit, *Expedit facultates Ecclesiæ possideri, &c.* Secundus Gregorius Nazianzenus Magister beati Hieronymi, conquerens de persecutoribus suis, dicebat. *Si hinc ab altari excludor, astabo illi altari, de quo David: Introibo ad altare Dei,* &c. & infra. *Nunquid de cœlesti illa Jerusalem nos poterunt fugare? facultatibus defraudabunt? quibus? meis? facilius alas, quibus minimè indutus sum, abscindent. Si autem Ecclesiasticis, hoc utique est, pro quo est omnis pugna, pro quo omne certamen.* Hæc ille. Habebat ergò Ecclesia facultates. *Prosper. supra ratione 3. Nazianzenus orat. 28. editionis Billianæ, non procul à fine.* CAN.

Nunc veniant quatuor principales Doctores Ecclesiæ. Primò Ambrosius, qui Ecclesiæ Mediolanensis prædiis opulentæ præfuit, & dixit: *Aurum habet Ecclesia,* &c. ut de facultatibus Ecclesiæ in diversos pios usus prudenter & sagaciter administrandis, non effundendis ostendit, in libro de officiis, unde sumpta sunt capitula in decretis, octogesima sexta distinct. *non satis,* & 12. quæstione 2. *Aurum Ecclesia habet.* Et in libello de obitu fratris, ostendit se patrimonium habere indivisum cum fratre suo Satyro, quod & competens fuisse ostendit, cum ait: *& certè non erat pauper opibus, sed pauper spiritu.* Benè probant prædicta cap. *Convenior,* vigesimo tertio, quæstione octava. *Ambros. l. 2. de offic. c. 28. & c. 30. dist. 86. Non satis. c. 14. 12. q. 2. aurum habet. c. 20. Ambr. de obitu fratris Satyri. 23. q. 8. convenior. c. 21.*

Huic succedat Hieronymus, qui in Epistola ad Damasum Papam dicit: *Clericos illos convenit stipendiis Ecclesiæ sustentari, quibus propria vel parentum minimè suffragatur.* Jam supra allegatum est. Et sic ostendit facultates habere, & Clericos posse proprium possidere. *Hieron. ad Damasum. sup. in responsi. ad auctoritat.*

De Augustino autem tam à Magistro Petro, quàm à me plura dicta hoc probantia inducta sunt, sed etiam delectat me hoc unum addere, ex homilia sexta super Joannem, ubi multa ad hoc pertinentia, sed partem brevem accipio, hæc videlicet verba: *Columba Ecclesia est: quid clamas? non devoravimus villas, columba illas habet. Quæratur quæ sit columba, & ipsa habeat. Nam nostis, fratres mei, quia villæ istæ non sunt Augustini, & si vos non nostis, & putatis me gaudere in possessione villarum, Deus novit.* *Aug. & Hieron. Aug. tract. 6. in Joannem.*

Claudat hanc quaternarium numerum sanctissimus Gregorius Papa, qui Ecclesiæ Romanæ præfuit, civitates & amplissima dominia obtinenti, cujus amplissimum patrimonium quam sollicitè prudenterque rexerit, in registro ejus insertæ Epistolæ manifestant. Nunc Petrum ad regendum Siciliam misit: nunc scribit ut à colonis census non exigatur, antequam potuerint fructus vendere: Nunc de præparandis navibus & frumentis ad urbem de insula Siciliæ transferendis curam gerit, ne in urbe tritici fiat caristia: Nunc etiam principi militiæ defendenti patrimonium Ecclesiæ à tyrannis, exhortatorias literas mittit. Et alia plura hujusmodi ex ipso colliguntur registro, quæ differere longum esset. Sed hæ sollicitudines atque curæ eum non impediebant, quominus prædicationi verbi instaret, prout homiliæ, quæ leguntur, ostendunt, atque sacrarum scripturarum expositionibus studiis incumberet, moralium hoc probant volumina, & scripta super Ezechielem: *Cum tamen penè,* inquit, *obsidio urbi & barbaricus ensis civium tum cervicibus immineret;* quod ex ipsius libri serie colligitur evidenter. *Gregorius. homil. ultim. in Ezech.*

Habemus sex. Veniat nunc venerandæ memoriæ noster Hispanus Isidorus, cujus dictum ex tertio libro de summo bono jam superius est insertum, nec illum repeto, nec alium addo, brevitatis amator. *Isidorus. sup. in generali respon. ad dicta Patrum.*

Octavo loco succedat ille devotissimus crucis Christi contemplator Bonaventura super quarto sententiarum, distinctione 24. quæstione prima, art. 4. ubi latè hanc materiam prosequitur. *Bonav. 4. sent. dist. 24. q. 3.*

Nonus erit Doctor sanctus in diversis locis, sed signanter secundæ quæstione centesima & octogesima quinta, articulo sexto, & septimo. Et in summa contra gentiles, libro tertio, capitulo centesimo trigesimo primo. *Thomas, 2. 2. q. 181. art. 6. & 7. cont. gent. l. 3. c. 131.*

Decimò veniat Nicolaus de Lyra, quem super expositione trium Prophetiarum superius jam audistis, quam apertè declarat hanc sublimationem Ecclesiæ in gloria & potentia temporali, tanquam ex divina ordinatione procedentem, à Prophetis David & Isaia prænunciatam fuisse. *Lyra sup. testimonio 2. Isaiæ.*

Unde-

Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

Undecimum locum teneat venerabilis Gratianus, qui in §. *ecce* 13. q. 8. sic inquit, *porro alii sunt*, loquitur de Episcopis, *qui prædia, villas, castella, & civitates possident, ex quibus Cæsari debent tributa, nisi imperiali benignitate immunitatem hujusmodi promeruerint.*

*Gratianus. 23. q. 8. si in morte. §. ecce c. 20.*

Claudat numerum duodenarium Hugo memorandus, quem ad hunc locum propterea reservavi, quia Magister Petrus illius dictum, non tamen mihi incognitum contulit, quo nil apertius dici potest, cùm dicat, Ecclesiam civilia dominia habere posse, jura, redditus, & utilitates, jurisdictiones, tamen Prælatus non in persona propria, sed per seculares ministros faciet exercere. Possem & plures Doctores etiam allegare, sed duodenarius numerus mihi placuit, sacro Apostolorum collegio consecratus.

*Hugo de S. Victore superius ab adversario citatus.*

Cùm igitur ex præmissis sole clarius innotescat, clericos, qui ad hoc votum se non astrinxerunt, licite propria patrimonia possidere, & Ecclesiam posse habere bona mobilia, & immobilia, privata dominia, & civilia, quomodo per seculare brachium, sive per laicos, à viris Ecclesiasticis possunt auferre, etiamsi fuerint delinquentes? talis siquidem assertio praxi & doctrinæ Christi manifestè contradicit. Nunquid tempore Christi erant pessimi Sacerdotes, vitiis & sceleribus involuti, habitualiter delinquentes, ut domum Dei facerent speluncam latronum, & ex patre diabolo eos esse, & opera patris eorum facere Christus assereret. Possunt vix esse nequiores Sacerdotes, magis scelerati atque sacrilegi his qui in mortem unigeniti Dei filii conspirarunt, non tamen eis quamdiu eorum duravit Sacerdotium, aut emolumenta, aut honorem, aut obedientiam à populo subtrahi Christus consuluit, non utique; imò eis præstari & exhiberi mandavit. Unde cum mundasset leprosum, ait illi, *vade, ostende te Sacerdotibus, & offer munus.* Matth. 8. & Luc. 5. Et iterum decem leprosis ab eo mundatis, dixit, *Ite, ostendite vos Sacerdotibus.* Ecce honorem & emolumentum non auferri, sed exhiberi præcepit. Denuo cum, sicut dicit Chrysostomus, & recitat Thomas in glossa continua, Sacerdotum incorrigibilem conditionem ostendisset in capite præcedenti; de ipsorum tamen obedientia generalem protulit sententiam, dicens, *super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi:* omnia quæcunque dixerint vobis, servate & facite, Matthæi 23. Unde Martyr beatissimus Cyprianus sic inquit, dicens, „ Dominus noster Jesus Christus Rex & Judex, & Deus noster, usque ad passionis „ diem servavit honorem Pontificibus & Sacerdotibus: quamvis illi nec timorem Dei, „ nec agnitionem Christi servassent. Nam cum leprosum mundasset, dixit illi: vade, „ & ostende te Sacerdotibus, & offer donum: humilitate ea, qua nos quoque humi„ les esse docuit, Sacerdotem adhuc appellabat, quem sciebat esse sacrilegum". Item idem Cyprianus cum de nequitia Episcoporum sui temporis questus esset, dicens: „ Episcopi plurimi, quos & hortamento oportet esse cæteris, & exemplo, divina „ procuratione contempta, procurationes rerum secularium fieri, derelicta cathedra, „ plebe deserta, per alienas provincias oberrantes, negotiationis quæstuosæ nundinas „ aucupari, esurientibus in Ecclesia fratribus non subvenire, habere argentum largi„ ter velle, fundos insidiosos fraudibus rapere, usuris multiplicibus fœnus augere": nihilominus talium contemptorem vocat hostem altaris, sacrificio Christi rebellem, perfidè perfidum, pro religione sacrilegum, filium impium, fratrem inimicum, prout hæc ponit August. in de Baptismo contra Donat. Cæterum nonne tales Apostolica ferit sententia, dicens: *quis es tu, qui servum judicas alienum? servus domino suo stat aut cadit*, ad Rom. 14. Clerici servi Domini Dei sunt, & secularis nil juris aut potestatis in eos habent. Extant de hoc tam legum, quàm canonum sanctiones in Parisiensi Concilio, *nullus judicum clericum, aut etiam juniores Ecclesiæ, per se distringere aut condemnare præsumat:* & in multis aliis juribus tam canonicis, quàm civilibus, quæ cum sint notissima, inferere prætermitto, optimisque rationibus pridem Magister Egidius hoc fundavit: ergò etiamsi facinorosi sint clerici, à laicis puniri non possunt. Qui enim in facinorosum animadvertit, non habens in eum jurisdictionem, gravissimè peccat, unde Aug. in de civ. Dei, & habetur 23. q. 8. *quicunque percutit malos in eo quod mali sunt, & habet causam interfectionis, minister Dei est. Qui verò sine aliqua publica administratione maleficum, furem, sacrilegum, adulterum, & perjurum, vel quemlibet criminosum interfecerit, aut trucidaverit, vel membris debilitaverit, velut homicida judicabitur, & tanto acrius, quanto non sibi à Deo concessam potestatem abusivè usurpare non timuit.* Nota hæc ultima verba: *gravem quidem Deo facit offensam, & regalia & præeminentiam damnabiliter usurpat, qui non habens ad hoc commissum sibi à Deo officium, aliena peccata punire præsumit:* hoc ipsum esse contra legem Dei, ex scriptura sacra volo alio testimonio confirmare. Scriptum est Ezech. 33. Ecclesiasticorum Prælatorum officium sub speculatoris nomine, quia debent populis peccatorum pericula nunciare. Et sequitur, *quod si non nunciaverit, & inde aliquis mortuus fuerit, dicit Dominus, sanguinem ejus de manu speculatoris requiram*, & sequitur: *non populus terræ, sed ego.* Nota verba *non populus, sed ego, &c.* Ideo Gregorius

*Mait. 8. Luc. 5.*

*Chrysost.*

*Cyp. ep. 65. edition. Pameliana.*

*Cypr. de lapsis.*

*Aug. l. 4. contra Donat. c. 9. & alibi.*

*Rom. 14.*

*Con. Paris. vide 11. q. nullus judicum. c. 2.*

*23. q. 8. quicunque percutit. cap. 33.*

*Ezech. 33.*

Digitized by Google

gorius 25. moral. c. 21. *quia rectores habent judicem ſuum, magna cautela ſubditorum eſt, non temerè judicare vitam regentium. Neque enim fruſtrà per ſemetipſum Dominus æs nummulariorum effudit, & cathedras vendentium columbas evertit, nimirum ſignificans, quia per Magiſtros quidem judicat vitam plebium, ſed per ſemetipſum facta examinat Magiſtrorum.* Nonnullis videtur in iſto Joanne Wicleff, hujus aſſertionis principe intueri alterum Symonem Benjamitam, qui cum deſiderium ſuæ cupiditatis in Jeruſalem non potuiſſet implere, per medium Appollonii apud Regem agere ſtuduit, ut templi theſaurum arriperet, pro ut ſcribitur 2. Machabæorum, cap. 3. ſic iſte, quia, ut dicitur, epiſcopatum Vigornienſem non obtinuit, & alia ſuæ voluntatis deſideria non valuit adimplere, contra ſpolia & theſauros templi, principum & ſecularium hominum ſtuduit animos incitare. Sed quid Heliodoro ad hanc exequendam nequitiam transmiſſo contigerit, ut opinor, omnes noſtis, qualiter in templo proſtratus fuerit, graviterque percuſſus, ut in ſella geſtatoria ductus ſit mutus, & de omni ſalute deſperatus. Cum hoc autem Heliodoro divina clementia miſericorditer actum eſt, ut hîc corriperetur, ne in alio ſeculo damnationem haberet: non ſic cum omnibus agitur, ſed interdum Deus permittit ſuas eis explere malitias, quo in æterna damnatione gravius puniantur. Cum enim res, quæ templo Dei offeruntur, moriantur mundo, prout lex Dei habet Levit. ultimo, & efficiantur ſancta ſanctorum, ut ibidem: quoniam domini Dei ſunt, cujus procuratores Eccleſiaſtici ſunt, ut ſupra dictum eſt, propter culpas procuratorum res Domini uſurpare, ratio nulla conſentit, ſed cum alienæ rei uſurpatio furtum ſit, & contra præceptum Dei in decalogo dicentis, *non furtum facies:* res Eccleſiæ uſurpare ſacrilegum eſt. Aug. ſuper Joan. hom. 41. *Ecce fur eſt Judas, & ne contemnas, fur ſacrilegus, non qualiſcunque fur; fur loculorum, ſed dominicorum; loculorum, ſed ſacrorum.* Si crimina diſcernuntur in foro qualiſcunque furti & peculatus, peculatus enim dicitur furtum de Republica, & non ſic judicatur furtum rei privatæ, quomodo publicæ; quanto vehementius judicandus eſt fur ſacrilegus, qui auſus fuerit undecunque tollere, h. e. de Eccleſia tollere, qui aliquid de Eccleſia furatur. Inde perdito comparatur. Unde Pius Papa, qui fuit Anno Dom. 153. ſic inquit: *Prædia divinis uſibus tradita quidam humanis applicant uſibus, & Deo noſtro, cui tradita ſunt, ſubtrahunt, & ſibi appropriant. Quapropter ab omnibus illius uſurpationis contumelia depellenda eſt, ut prædia uſibus cœleſtium ſecretorum dicata, à quibuſdam irruentibus vexentur: quod ſi quis præſumpſerit, ut ſacrilegus judicetur.* Unde Urbanus Papa, qui ante Silveſtrum fuit, ſic ſuo decreto loquitur 17. q. 4. *Attendendum eſt nobis omnibus, ne prædia uſibus ſecretorum cœleſtium dedicata, à quibuſdam irruentibus vexentur: quod ſi quis fecerit, poſt debitæ ultionis acrimoniam, quæ erga ſacrilegos jure promenda eſt, perpetua damnetur infamia.* Et hoc idem patet per multos canones, ea cauſa, & quæſtione. Item ex decreto Symmachi Papæ, 12. q. 2.

*Invaſores bonorum Eccleſiaſticorum puniuntur.*

*Lev. 27.*

*Aug. tract. 50. in Joan.*

*Pius ep. 2. 17. q. 4. ſicut c. 12.*

*17. q. 4. Attendendum. c. 13.*

*12. q. 2. Indignè. cap. 21.*

„ Indignè quidem ad altare Dei properare permittitur, qui res Eccleſiaſticas audet invadere, aut injuſtè poſſidere, aut injuſta & iniqua defenſione in eis perdurare: *&* „ *infra:* Valdè enim iniquum eſt, & ingens ſacrilegium, ut quæcunque vel pro remedio peccatorum, vel pro ſalute animarum, aut requie ſuorum unusquiſque venerabili Eccleſiæ contulerit, aut certè reliquerit, ab his quibus maximè ſervare convenit, id eſt, Chriſtianis & Deum timentibus hominibus, & ſuper omnia à principibus, & primis regionum, in aliud transferri vel converti permittatur: propterea qui hæc non præviderit, & aliter quàm ſcriptum eſt, prædia Eccleſiæ tradita petierit, vel acceperit aut poſſederit, niſi ſe citò correxerit, quo iratus Deus animas percutit, anathemate feriatur, &c". Sunt & alia capitula plura, quæ gratia brevitatis omitto.

Sed adverſus hæc forſitan diabolica tentatio ſuggereret; hoc verum, cum Sacerdotes benè ipſis rebus Eccleſiæ utebantur, ſecus, ubi ex ipſis rebus Eccleſiaſticis malè vivunt: quod jam ſuperius apertè confutatum eſt. Sed adhuc libet duo dicta beati Auguſtini adverſus hanc tentationem diabolicam allegare, qui ſic in homilia inquit 14. q. 5. „ Fortè aliquis hoc ſecum cogitat, & dicit, multi ſunt Chriſtiani divites, „ avari, cupidi; non habebo peccatum, ſi ſuum illis abſtulero, & pauperibus dedero: inde enim illi nihil boni agunt: mercedem habere potero, ſi ego eleemoſynas „ dedero; ſed hujuſmodi cogitatio diaboli calliditate ſuggeritur. Nam etiamſi totum „ tribuat pauperibus, quod abſtulerit, addit potius peccatum, quàm minuit". Et idem Auguſtinus ea cauſa & quæſtione: „ Neque enim ſi agris iniquè ac perperam in„ vaſis, ita quiſque utatur, ut ex eorum fructibus largas eleemoſynas faciat, ideo ra„ pinam juſtificat: neque ſi alius ruri paterno vel juſtè quæſito, avarus incumbat, ideo „ culpanda eſt juris regula, qua poſſeſſor legitimus factus eſt, nec tyrannicæ factio„ nis perverſitas laudabilis erit, ſi regia clementia tyrannus ſubditos tractet, nec vitu„ perabilis ordo regiæ poteſtatis, ſi rex crudelitate tyrannica ſæviat. Aliud eſt nam„ que injuſta poteſtate juſtè velle uti, aliud eſt juſta poteſtate injuſte velle uti". Pro-

*Aug. l. 50. homiliarum, homil. 7. 14. q. 5. Fortè. c. 3.*

*Auguſt. de bona conjugii. 14. q. 5. c. 9. Neque Non rapiendum ut eleemoſyna detur.*

SÆC. XV. ANNO 1433.

pellenda est utique talis assertio, quòd propter Clericorum vitia, licitum laicis sit ad Christi patrimonium manus apponere. Et facile posset præbere aditum ad simile asserendum de regibus, principibus, & aliis dominis temporalibus: nec defuêre, qui hoc simili modo asserere jam præsumpserint, quod esse fomitem scandalorum, & seditionum & subversionis totius humanæ politiæ, cunctis intellectu vigentibus palam est. Ob-

*Eccl.* 28. secro igitur quemlibet fidelem dicens verba Ecclesiastici vigesimo octavo: *Sepi aures tuas spinis, & noli audire linguam nequam; & ori tuo facito ostium & seras auribus tuis.*

Hoc unum in fine actus hujus notandum decrevi, quod per omnes ætates mundi semper in populo Dei, nisi persecutione divinæ legis instante, Sacerdotes in magna reverentia & honore fuerunt, & bonorum opulentia. Tempore siquidem legis naturæ primogeniti, qui & Sacerdotes erant, in honore & hæreditate prærogativam præ cæteris habebant fratribus. In lege Mosaica decimas, primitiæ, oblationes, sacrificia, vota, & redemptiones, & ultra hæc civitates & suburbana, ut superius dictum est. In primitiva Ecclesia omnia ponebantur ad pedes Apostolorum, & ipsi distribuebant omnibus. Venit demum persecutio, & tunc consonum rationi erat, ut potior pars persecutionis eos contingeret, qui Christianæ militiæ principes erant. Sed demum pace data Ecclesiæ, Christiani Principes, fidelesque populi Christi sacerdotibus honorem & reverentiam & temporalium opulentiam contulerunt: hæc pro communi utilitate à Deo sic ordinata sunt, ut superius est probatum.

25. q. 1. *Quæ ad perpetuam. cap.* 3. *Leo ep.* 51. Concludam igitur cum beato Leone 25. quæstione prima. *Quæ ad perpetuam utilitatem generaliter sunt instituta, nulla commutatione varientur; nec ad privatum trahantur commodum, quæ ad bonum sunt commune præfixa. Sed manentibus terminis, quos constituerunt Patres, nemo injustè alienum usurpet, sed intra fines propriòs atque legitimos, prout quisque valuerit, in latitudine se exerceat charitatis.* Nemo deformationem morum & rerum turbinem adscribat temporalibus Ecclesiæ bonis. Nam & ubi magna est paupertas, deformitas morum, & turbatio non minor est, ut in aliquibus partibus Apuliæ, & in Insulis Sardinæ & Corsicæ, ubi Clerus pauperrimus, ignarus & deformatissimus est: fuerunt quoque cum multa opulentia viri sanctissimi, moresque optimi, ut patet ex prædictis; sed utique omnium malorum horum causa potissima est, perdita disciplina, patres depulerunt virgas ad corrigendum filios, obliti

*Prov.* 13. consilii Salomonis, Magistri non habent ferulas, nec Abbates in capitulo disciplinas, Prælati dominique temporales non corripiunt nisi Bursas; de morum disciplina in nullo statu cura habetur, omnia licentiata sunt, verecundia perdita, obedientia verò abjecta, lascivia, libidines, & voluptates omnia possident, liberèque vagantur, dum pullulantia vitia falce correptionis minimè resecantur: in tanta pessimorum morum colluvione, & veteri perdita disciplina, non mirum, si ea, quæ ad bonum & malum deflecti valent, sicut temporalia bona sunt, retorquentur ad malum; cum etiam ea, quæ de sua natura sunt optima, ipsum dico Eucharistiæ dignissimum sacramentum reprobis cedat in malum. Instauretur igitur morum disciplina, mores reformentur, & tunc cognoscemus apertè plurimum utile fore populo Christiano, Ecclesiam Dei bonis temporalibus abundare, quia eis à bonis non nisi benè & laudabiliter uti continget. Sunt namque necessitates plures in populo Christiano, quibus si, ut debitum est, de bonis Ecclesiæ subveniretur, non superfluitatem noxiam, sed fructuosam esse bonorum opulentiam, in Ecclesia palàm esset. Quot Christianorum centena inter fideles captivi tenentur, pro quorum redemptione vasa sacra conflasse & vendidisse

*S. Ambr. l.* 2. *offic. c.* 28. *Sup. in* 3. *rati. de Pontificib. habentibus dominia civilia.* beatus Ambrosius gloriatur, ac ut supra memoravi Joannem Papam IV. distractis thesauris Ecclesiæ multos per Hystriam & Dalmatiam redemisse. Desuntne puellæ thoro maturæ, quas parentes pauperes maritare non valent? In quibus sicut beatum Nicolaum fecisse legimus, essent poma aurea conferenda. Sunt & millia pauperum & infirmorum, sunt & multa pauperum juvenum habilia ingenia, si haberent unde possent in literarum studio profectum facere. Possem & multa alia hujusmodi memorare opera pietatis, quibus est de bonis Ecclesiæ succurrendum, & ad hoc instituta es-

*Augustinus* se. Sciamus nos quoque Ecclesiastici, juxta verba beatissimi Augustini, rerum Ecclesiasticarum procurationem gerere, non dominium usurpatione damnabili vendicare, de qua reddituri sumus in districto Dei judicio rationem. Pauperum procuratores sumus, quos etsi hîc suppliciter postulantes, in futuro tamen seculo agnoscemus durissimos exactores, si ea, quæ ipsis conferre teneamur, luxuriosè vivendo in pompis & lasciviis expendamus: dispensatores servi sumus, quos constituit Dominus su-

*Matth.* 24. *Luc.* 12. per familiam suam: si dixerimus in corde nostro, *moram facit Dominus*, & manducaverimus, & biberimus cum ebriosis, id est, lautè vivendo, veniet Dominus die qua non speramus, & hora, qua ignoramus, & dividet, scilicet animam à corpore, partemque nostram ponet cum hypocritis, ibi erit fletus & stridor dentium, Matthæi

2. *Cor.* 6. vigesimo quarto. Eripiat nos Deus abindè, & nos, si eripi volumus, emendemus. Ecce nunc tempus acceptabile. Ecce nunc dies salutis. Ad hoc sumus in sacrô Concilio

Digitized by Google

cilio congregati, ut pravorum morum deformitatis depoſita vetuſtate, induamus novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis: ad Epheſios quarto. Hæc ſunt Patres reverendiſſimi, Patres præſtantiſſimi, quæ circa hunc articulum cenſui eſſe dicenda, quæ veſtro judicio corrigenda ſubmitto. Vos verò incliti Bohemiæ oratores egregios deprecor animo benigno, & cum bona pace ſuſcipere, quoniam ad hoc ſumus, ut mutuæ collationis agitatione veritas eluceſcat, quam nobis omnibus cognoſcere & amplecti concedat ille, qui de ſe dixit: *Ego ſum via, veritas, & vita*, ut veritatem amplectentes, per ipſum qui via eſt, perveniamus ad vitam gratiæ in præſenti, & gloriæ in futuro. Amen.

SÆC. XV. ANNO 1433. *Eph.* 4.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, Filii, & Spiritus Sancti, Amen. His quæ pro divini imploratione auxilii, ſacratiſſimæque Domini noſtri Jeſu Chriſti matris Mariæ, & omnium Sanctorum interceſſionis ſuffragio, in prioris actus exordio præmiſſa fuerunt, nec non & proteſtationibus iis habitis pro expreſſis, & præfationis noſtræ medulla breviter memorata, quæ videlicet hoc habet, ut ne ſermo Chriſti per malam intelligentiam fiat nobis in ruinam, ut hæreticis antiquis & novis, ut etiam Magiſter Petrus contigiſſe fatetur, non innitamur propriæ prudentiæ, ſenſum noſtrum, ut Hieronymus inquit, Patrum præferendo decretis, ſed ſuper intellectu ſcripturæ ſtemus ſententiæ ſanctæ matris Eccleſiæ, ejus dico, quæ cognoſcibilis eſt, quæ ſicut fulgur, ut Chriſti verbis utar, exit ab oriente, & paret uſque in occidentem, & ſanctorum Doctorum ab ea approbatorum, de quorum ſanctitate & doctrina per univerſum orbem clariſſima fama coruſcat, & ne in moneta doctrinæ decipi nos contingat, non accipiamus eam niſi de publica officina, quam videlicet in ſancta Dei Eccleſia publicè legi recipique conſpicimus. Oves Chriſti ſumus, gregatim paſcamur. Sæpè quidem à lupis devoratur ovis, quæ à grege ſe ſegregans, quærit ſibi per devia paſtum. Reverendiſſimi in Chriſto Patres, & domini, &c. Et rerum gravitas & temporis exigit brevitas, ne more avium garrularum univerſos ramuſculos ſaliendo circumvolitem, ſed velut picus avis fortiſſimi roſtri, hujus populeæ arboris trunco inſiliam, & in fortitudine roſtri, quam mihi per ſuam clementiam altiſſimus donare dignabitur, qui ſuo dixit Prophetæ, *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum, &c.* Ezech. 3. c. perforato trunco, medullam excutiam; & ſic areſcet populea arbor iſta, quæ nunc levium frondium numeroſitate vireſcens, fructu tamen ſterilis, umbroſitate ſua ſegeti Chriſti poſſet detrimentum afferre. Meminiſtis, Patres & viri optimi, me in priori actu ſic proceſſiſſe, ut primo loco auctoritatibus & rationibus, per Magiſtrum Petrum adductis, præbuerim congruum efficaxque reſponſum, paucis exceptis auctoritatibus, quas non aliter prætermiſi, niſi quia judicavi eas ad ſuum propoſitum parum facientes, aut nihil: ſicut & vos omnes judicare non dubito, atque ſi in veſtra leguntur præſentia, dicetis procul dubio, quod vulgariter dicitur. Quid ad (a) rubrum? Cum enim ad ea quæ fortiora videntur, non declinaverim reſpondere, ut quid tempus, de quo magna fit ratio, inutiliter expendiſſem, aliud adhibendo reſponſum ad illas auctoritates? veruntamen & ſi tempus permiſerit, etiam legam illas. Nunc autem ad ea feſtino, quæ potiora videntur.

*NOTA. Sequens ſcriptum in altero m. ſ. libro non habetur, unde quædam emendari non potuere.* CAN. *Hieron. in prologo c. 3. ſupra in proœmio. Matth. 24.* *Ezech. 3.* *(a) for. rhombum.*

Secundo loco quatuor irrefragabilibus mediis demonſtravi, Clericis non religioſis, vel voto aſtrictis, Eccleſiæ quoque, & Eccleſiaſticis viris licitum eſſe, habere & poſſidere bona temporalia, mobilia, & immobilia, domos & prædia, villas, caſtra, & civitates, dotationemque Eccleſiæ & dilatationem in gloria & potentia temporali à divino beneplacito & ordinatione proceſſiſſe, Prophetarum oraculis prænunciatam eſſe, prout quatuor textus Prophetarum exponunt beatus Auguſtinus, & Nicolaus de Lyra, ad literam loquentes de gloria & potentia temporali Eccleſiæ hac ætate, à tempore videlicet Conſtantini. Confirmavi præterea poſitionem meam decretis 11. Conciliorum generalium 14. aliorumque, etſi generalia non fuerint, tamen ab Eccleſia generaliter ſunt recepta. Attuli teſtimonium 12. Doctorum, in lege Dei veraciter ſe fundantium: commemoravi præterea magnam copiam virorum approbatæ ſanctitatis, & qui fuerunt in lege Domini evidentiſſimi, puta Ambroſium, Gregorium, & ſimiles, qui hanc dotationem Eccleſiæ facto approbarunt, præſidendo Eccleſiis in temporalibus opulentis, & illa temporalia adminiſtrando: & potuiſſem etiam afferre multo plures. Item de Doctoribus & auctoritatibus decretorum, de quibus omnibus qualiter Magiſter Petrus ſe expediverit, omnes noſtis. Nec mirum revera, quoniam ſupra omnia fortia veritas fortis eſt, & veritas omnia vincit. Sed dilatat ſe in verborum foliis, quæ quam levia ſint ad inſtar populearum frondium, procul dubio ingenia veſtra magna non latet, quæ etiam aliquantulum declarabuntur. Et cum conſtrictus à me pridem rationibus eſſet, conceſſit civile dominium in Clero non eſſe prohibi-

Recapitulatio dictorum.



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

tum materialiter, sed formaliter, quod quam sit inane, captiosaque verba ad obumbrandum mentes hominum inutiliter sine fructu, facile est videre, & hoc Deo propitio apertissimè declarabo, & quanquam sua conclusio per me in priori actu fuerit penitus improbata, non insequendo terminos sophisticationis suæ, sed communem modum loquendi & usum consuetum terminorum, quem ut ipsemet dicit in 2. charta primæ positionis, declinare præsumptuosè absque causa rationali, non videtur sobrietatem sapere, sed culpabiliter protervire, & utique apud realiter & non sophisticè disputantes, secundum communem modum loquendi, termini accipiendi sunt, & non decet ambiguas significationes verbi allegare. Sicut inquit Seneca deridendo Sophistas, epistola quadragesima tertia ad Lucilium: & concordat epistola 46. & 47. Et Augustinus in secundo de doctrina Christiana, & inde credo divina directione, non meis meritis, sed sua gratia fuit, quod dum jam in loco essem, scriptis & dictatis per me hæc addidi verba: *Solent acuti homines quadam subtili ambiguitate, & verborum tegmine obumbrare positiones suas, ut possint eas subtili disputatione, & verborum nodositatate salvare, sed dum ab his non sic intelliguntur, errandi occasionem multis præbent. Non curo qualitercunque ipse accipiat terminos, ego loquor planè eo modo, quo solent à cunctis intelligi, & communi modo loquendi:* hoc tunc dixi, quod quam verum fuerit, vos videtis: evadere visus est per rimulam, restringens totam positionem suam ad civile dominium formaliter intellectum, pro quo & ipsemet dicit, & verum dicit in hoc, quod ego non darem duos halenses, licet pro materiali darem multa centena florenorum, &c.

*Seneca ep. 45. 48. 49. editionis Mureti. Augustin.*

SEd nunc volo insequi terminos suos & ejus positionem cassam & vacuam demonstrare, habet sic conclusio sua: *Secularis possessio, sicut & civile dominium jure divino & humano, Doctorum sanctorum sententiis, & ratione efficaci, tempore legis gratiæ prohibetur Clero Christi.*

Primò loquitur de seculari possessione, quam speciem possessionis, ut dixi & dico, in jure non inveniet; sed si seculare idem est quod temporale, prout exponit glossa super epistola ad Romanos decimo; omnis possessio bonorum hujus vitæ secularis est & temporalis. An verò aliqua sit æterna, indicate. Nolo tempus in his inutiliter consumere, sufficit mihi habere possessionem eo modo, quo jura loquuntur; quia per illa habeo commoda possessionis, quæ à jure data sunt. Ipse habeat suam secularem possessionem, & sicut inquit Poëta: Si tradit peregrinis imaginibus artem subtilis subtile est, ipse solus adoret, imò & satis mihi est habere dominium, quia proprietas trahit ad se possessionem juribus vulgaribus.

VEniamus igitur ad civile dominium, & dein 8. notabili hujus positionis secundæ, quod dominium capit suum esse, & per consequens speciem & differentiam vel à subjecto, vel à fundamento, vel ab objecto, & sic ex quolibet horum trium capi potest divisio dominii in suas species & partes alias subjectivas: unde cum tres sint maneries rationalium naturarum, patet quod communiter est dare tres modos dominii, ut aliud est naturale, aliud Evangelicum, & aliud humanum: hæc Magister Petrus. Videtis Patres & Domini, quòd in hac prima divisione, quæ sumitur à subjecto, non ponit civile dominium: procedamus ultra: sic dicit iterum: *Secundum fundamentum dominii variantur suæ species, specialiter in homine: nam sicut aliud est in naturale, aliud jus Evangelium, & aliud jus humanum. Consequenter aliquod est dominium naturale, aliquod Evangelicum, ut est dominium charitatis sive vicarium, quando quis in nomine Christi accipit ab alio ministerium. Et aliquod est dominium coactum, quod variatur secundum varietatem legum, & jurium ipsum fundamentum:* hæc Magister Petrus. Videtis quomodo hic accipit divisionem dominii secundum varietatem jurium, à quibus ipsa dominia suscipiunt fundamentum, immò omnes juristæ faciunt, quod accipiendo jus civile strictè modo pauciissima dominia possent dici civilia. Nam fundamenta dominiorum sunt plurimum de jure gentium, & pauciissimi modi acquirendi dominium sunt de jure civili, prout hoc apud juristas est vulgatissimum, & patet ex toto titulorum discursu de acqu. re. do. Et insti. de rer. diu. Sed accipiamus latissimè jus civile pro tota latitudine juris humani, & ita videtur accipere Magister Petrus in tertio membro suæ distinctionis, & istud est dominium, per quod dicimus, hoc meum, hoc tuum, & hoc est institutum occasione peccati originalis, quia si permansisset illa originalis justitia, nemo dixisset, hoc meum, hoc tuum; sed corrupta originali justitia, expediens valde fuit, distinguere rerum dominia, quia ut dicit lex, communio solet excitare discordias ff. de l. 2. l. *cum pater.* §. *dulcissimis:* & alia lex. *naturale vitium est negligi, quod communiter possidetur.* C. quomodo & quando quarta pars, in volumine l. 2. cum aliis legibus concordantibus. Quod si omnia essent communia, quot gulosi essent in mundo, pigri & inertes, & quot dissensiones & jurgia?

Digitized by Google

jurgia? Et de hoc dominio datur illa deſcriptio, quod eſt dominium occaſione peccati humanitus inſtitutum, incommunicabile ſimul ex æquo multis dominis, ſed abdicabile juſtitia, ita dixit Magiſter Petrus. Alii dicunt, ſervata, vel non ſervata charitate, quia (a) tum hoc dominium infundetur in charitate, etiam amiſſa charitate non perditur. Vide S. Thom. 2. 2. q. 66. art. 2. Sed in hac diverſitate non inſiſto, quia credo, quod Magiſter Petrus idem fecit, niſi vellet tenere illum errorem, quem ab aliquibus audio teneri, quod quicunque peccat mortaliter, perdit dominia bonorum ſuorum, & ſic Rex regnum, Princeps principatum, miles caſtrum, civis dominium, prædia, &c. quod Magiſtrum Petrum ſentire non credo. Nunc omnes intelligite, quòd omne dominium, quod habent homines in bonis fortunæ, de quo in judiciis agunt & contractibus, dominium civile eſt: hoc modo civile, cum cuilibet competat talis aſſignata deſcriptio. Nam omne tale fundamentum accipit à jure humano inſtituto occaſione peccati, & eſt optima conſequentia à definitione ad definitum.

SÆC. XV.. ANNO 1433.

(a) *for. cum hoc dominium non fundetur. Tho. 2. 2. q. 66. art. 2.*

Cancellarius Pariſienſis in tractatu de Eccleſia, ultima conſideratione ultra medium, deſcribit dominium ſic: *Dominium eſt poteſtas propinqua aſſumendi res alias; vel ut alias, in ſui facultatem vel in uſum licitum, ſecundum jura vel leges rationabiliter inſtitutas.*

*Gerſon de poteſt. Eccl. conſideratione 13 Dominium quid ſit?*

Probare jam volo breviter concluſionem Magiſtri Petri eſſe falſam. Et arguo ſic: Civile dominium Clero Chriſti tempore legis gratiæ eſt licitum, ergo concluſio falſa. Conſequentia nota, quia concluſio ſua dicit, quod eſt prohibitum. Antecedens meum dicit, quod eſt licitum. Licitum & prohibitum repugnant, quod eſt prohibitum non eſt licitum: ita ipſe conceſſit 2. 2. quinterno 2. poſitionis, charta 5. & eſt cunctis manifeſtum. Sed ad probandum antecedens allego Auguſtinum ſuper Joh. homilia 6. juxta finem, ubi contra Donatiſtas loquens, ſic ait: *modo deficientes ubique, quid vobis proponunt? non invenientes quid dicant? villas noſtras tulerunt, fundos noſtros tulerunt, proferunt teſtamenta hominum. Ecce Gajus eis donavit fundum Eccleſiæ, cui præerat Fauſtinus: cujus Epiſcopus erat Fauſtinus? Eccleſiæ. quid eſt Eccleſiæ? Eccleſiæ, dixi, cui præerat Fauſtinus. Sed non Eccleſiæ præerat Fauſtinus; parti præerat. Columba autem Eccleſia eſt: quid clamas? non devoravimus villas, columba illas habet; quæratur quæ ſit columba, & ipſa habeat. Nam noſtis fratres mei, quia villæ iſtæ non ſunt Auguſtini: & ſi vos non noſcitis, & putatis me gaudere in poſſeſſione villarum, Deus novit, ipſe ſcit, quid ego de villis ſentiam, vel quid ipſe ſufferam: novit gemitus meos, ſi mihi aliquid de columba impertiri dignatus eſt. Ecce ſunt villæ. Quo jure defendis villas? divino an humano? reſpondeant. Divinum jus in ſcripturis habemus, humanum jus in legibus regum: unde quiſque poſſidet quod poſſidet? nonne jure humano? nam jure divino Domini eſt terra, & plenitudo ejus, orbis terrarum, pauperes & divites. Deus de uno limo fecit & pauperes & divites, una terra ſupportat. Jure tamen humano dicis, hæc villa mea eſt, hæc domus mea, &c. hic ſervus meus eſt, &c. jure ergò humano:* hæc Auguſtinus. Ex quo dicto duo patent. Primò quod Eccleſia habet fundos & villas. Secundò quòd omne dominium horum bonorum, quæ dicuntur bona fortunæ, à jure humano eſt, *unde quisque poſſidet, quod poſſidet? nonne jure humano?* Habet ergò Eccleſia dominium jure humano inſtitutum, &c. Ergò civile dominium jure humano inſtitutum, &c. Ergò civile dominium: à definitione ad definitum.

Veniat alius textus, quem allegat Magiſter Petrus, dicit primo quinterno, charta quinta, quod loquitur de civili dominio. In declaratione enim definitionis civilis dominii, ſuper ſecunda particula ita dicit: *Ideò Auguſtinus diſtinguendo inter civile dominium, & dominium ſecundum differentiam commutabilitatis & incommutabilitatis, ex perfectione in eſſe divino, ſubdita humano dominio ut civili. Quis, inquit avarus, &c.* Ipſe Magiſter Petrus poſuit partem, ego ponam aliam. Nam habetur in decretis 23. q. 7. ait Auguſtinus inquit: „ Quod autem nobis objiciunt, quod res eorum concu- „ piſcamus, & auferamus, utinam Catholici ſint, & non ſolum quæ dicunt ſua, ſed „ etiam noſtra in pace & charitate nobiſcum poſſideant: uſque adeo autem calum- „ niandi cupiditate cæcantur, ut non attendant, quam ſint inter ſe contraria quæ lo- „ quuntur. Ipſi certe dicunt, & invidioſiſſimè ſibi conqueri videntur, quod eos in „ noſtra communione violento legum imperio coarctamus, hoc itaque nullo modo faceremus, ſi eorum res poſſidere vellemus": & ſequitur tunc particula, quam Magiſter Petrus allegat. „ Quis avarus quærit compoſſeſſorem? quis dominandi cupiditate in- „ flatus, vel faſtu dominationis elatus deſiderat habere conſortem? & *ſequitur:* Ipſos „ certè attendant, quondam ſuos, jam ſocios noſtros, & fraterna nobis dilectione „ conjunctos, quemadmodum ſua teneant non ſolum quæ habebant, ſed etiam noſtra, „ quæ non habebant". Hæc Auguſtinus, ſi de civili dominio hic textus loquitur, prout & Magiſter Petrus ex ſua allegatione conſequentiatur, civile dominium non eſſe prohibitium Clero Chriſti.

23. q. 7. *quod autem. c. 3. Aug. ep. 50. ad Bonifacium.*

Nunc ſicut dixit Hieronymus contra Luciferianum diſputans, videam ſi omnes



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

disputationum rivulos possem unico sole Ecclesiæ siccare. Et allegavit quintum canonem Chalcedonensis Concilii. Et ego profero canonem Apostolorum 12. q. 1. *sint manifestæ res propriæ Episcopi, si tamen habeat proprias, & manifestæ dominicæ, ut potestatem habeat, de propriis rebus moriens Episcopus sicut voluerit, & quibus voluerit, derelinquere.* Ecce duplex patrimonium, unum Ecclesiæ, aliud proprium. Ergò non solum Clerici, sed etiam Episcopi possunt habere proprium. Utique si prohibitum esset Clero Christi, si Clerici exproprietarii esse (a) haberent necessariò, non fecissent Apostoli tale decretum; Sed beato Hieronymo ad exsiccandum omnes disputationum rivulos satis esse videbatur allegare unum canonem Concilii Chalcedonensis, mihi autem cum isto novo homine non sufficiunt canones Apostolorum, Pii & Urbani sanctorum antiquissimorum Pontificum decreta, undecim Conciliorum generalium, & quatuordecim aliorum.

12. q. 1. *sint manifestæ.* c. 21.

(a) *for. deberent.*

Dicet forsan ipse, quid te occupas recapitulando istas auctoritates? Jam dixi tibi in tertio notabili, quod per illam distinctionem de civili dominio materialiter, vel formaliter intellecto, concordari possunt ista, & quod ego in materia proposita, ubi fit mentio de Cleri dominio, prosequor intentum de dominio Cleri civili formaliter intellecto. Et iterum charta septima, volens solvere rationes meas de Melchisedech, qui fuit Rex & Sacerdos, & de primogenitis in lege naturæ, cum non inveniat quo evadere possit, nisi per rimulam illam, dicit: *non videntur contradicere articulo à me proposito*, charta octava: intelligo de possessione seculari, & dominio civili formaliter intellecto. Et tandem secundo quinterno, charta 5. recitat conclusionem meam sub his verbis. *Quod Ecclesiæ Prælatis & personis Ecclesiasticis licitum est habere & possidere bona temporalia, mobilia & immobilia, & civilia dominia.* Et dicit quod ista conclusio articulo per ipsum posito apud benè intelligentes non obviat. Videte quomodo non obviat? articulus ejus dicit quòd civile dominium est prohibitum Clero; mea autem conclusio dicit, quod licitum est quoad civilia dominia: suus articulus dicit prohibitum, mea conclusio dicit licitum, & utraque de civili dominio. Sed dicit ipse: *Propterea dico apud benè intelligentes, quia tua conclusio loquitur de materialiter intellecto, scilicet quod habet objectum dominabile, puta domos, prædia, villas, castra, & civitates, & ita loquuntur omnes probationes per te inductæ, ego autem loquor de civili dominio formaliter intellecto:* & quid intelligat per hoc, quod dicit formaliter intellecto, declarat, dum nititur respondere ad illud argumentum meum, ubi argui ex hoc quod civile dominium est res commerciabilis, & dicit sic 2. quint. charta 4. *In quibus rebus adversarius innuit civile dominium esse rem commerciabilem, quod non nego, sed civile dominium formaliter intellectum, de subjecto in subjectum migrare non posse videtur. Et ut suppono, dicens, dominus Auditor pro illa habitudine præfecti ad subserviens non daret duas hallenses, ubi pro dominio materialiter intellecto, ac palpabili, de quo ipse præcipuè videtur loqui, aliquot florenorum centena dare minimè denegaret. Et ut puto, si distinctionem civilis dominii materialiter intellecti, & etiam formaliter, veraciter conciperet, contra articulum per me propositum non ita ardenter & laboriosè, quamvis, ut supponitur, cum detrimento suæ animæ, laboraret. Sed quia puncta tangit subtilem, &c.* hæc Magister Petrus. In quibus verbis animam meam condemnat: sed quid mirum, si hoc agit, qui de Doctoribus Juris Canonici loqui taliter non veretur, secundo quinterno, charta quarta: *inter omnes cæcitates Doctorum Juris Canonici, hæc est stultissima:* & iterum, *quicquid Doctores canonici somniaverint.* Si autem Magister Petrus tanti sit, quod ejus intellectus præferri debeat Doctoribus Juris Canonici, ad intelligendum canones, & omnes cæci sint, & ipse solus videat, vos judicate, videbitisque etiam per lectionem textus, quando textus ille, de quo loquitur, non potest aliter intelligi, quàm omnes Doctores Canonum intelligunt. Et cum dicit me cum detrimento animæ laborare. Nam cum ipse nitatur *caliginem offundere ante oculos populorum*, ut Hieronymi verbis utar; Ego laboro flatu divinæ veritatis illam expellere: vidistis quanta effudit ad obtenebrandum oculos populorum, quæ videtur inducere, quod Clero non licet aliquid habere, sed debent Clerici vivere more Apostolorum, in altissima paupertate, & tamen omnia illa restringit ad civile dominium formaliter intellectum, quod non est transmigrabile de subjecto in subjectum, pro quo dicit esse verum in hoc quod ego non darem tres hallenses, nec quisquam alius daret, quia frustra daret pro illo, quod ab alio in ipsum transire non potest. Videte quid parturivit mons iste, vel verius inflatura terræ, sicut ille Poëta inquit:

*Jam mons parturit, & erit tandem mus filius.* (b)

(b) Vel potius: parturiunt montes, nascetur ridiculus mus. BASN.

Videte quid ex omnibus istis intendat? Dominium civile formaliter intellectum: quod non valet tres Halenses, hoc dicit esse prohibitum Clero Christi. Videretur vobis pulchrum negotium, quod ego quotidiè clamarem contra aliquem judicem, dicens,

*Iste*

Digitized by Google

*Iſte judex non operatur juſta*, & cum concitaſſem populum contra eum, & expuliſſem eum ab officio, & aliquis mecum veniret, dicens, *quomodo nunc tu dixiſti, iſte judex non operatur juſta, ecce, iſtam & iſtam ſententias, quas ipſe tulit, juſta ſunt, quia ſecundum jura promulgata:* reſponderem ego, *verum eſt, quod juſta operatur materialiter, ſed non formaliter.* Et ita ego intelligam, & dixi verum: quia ſicut dicunt Doctores, multi operantur juſta materialiter, & non formaliter, quia ille dicitur operari formaliter juſta, qui operatur ex habitu virtutis juſtitiæ, modò fortè ſunt pauci qui operentur ex habitu formato, utinam ex diſpoſitione operarentur juſta. Quæ autem ſit differentia inter diſpoſitionem & habitum, tritum eſt, quia habitus eſt radicata qualitas, de difficili mobilis à ſubjecto. Unde ille qui operatur ex habitu, operatur valdè faciliter, imò ut dicit Philoſophus in 5. Ethicorum, valde difficile eſt habens habitum juſtitiæ ad injuſtitiam habere declinare. Videtur vobis etiam pulchrum, ſi ego irem ad plateam, ubi venderetur panis, & dicerem, *videte hos panes, populus qui eſt in hac civitate non comedet eos*, & poſtea in craſtinum diceretur mihi, *falſum dixiſti mihi, quia panes jam manducati ſunt.* Ego reſponderem, *dixi quia ego intelligebam formaliter, non ſunt formaliter manducati, quia forma eſt mutata, quia non comederunt eos integros & rotundos.* Quæ præſtigiationes ſunt iſtæ? quæ faſcinationes? quæ curà populis eſt de veſtris formalitatibus, & de veſtris habitudinibus? hoc autem curandum eſt, ut unusquiſque in ea vocatione, qua vocatus eſt, maneat, juxta doctrinam Apoſtoli Chriſti. Et ut ſanctus Leo dicit, *manentibus terminis, quos conſtituerunt Patres: ne quis alienum uſurpet, ſed infra fines proprios atque legitimos, prout quiſque valuerit, in latitudine ſe exerceat charitatis.*

SÆC. XV. ANNO 1433.

*Ariſt. 5. Eth.*

*1. Cor. 7. Leo.*

Oſtenſum eſt per Dei gratiam de poſitione Magiſtri Petri, quam vacua ſit & inanis, ſed volo probare, quod omninò eſt falſa, & nolo relinquere ſibi illud formale, licet non valet tres Halenſes, ut dictum eſt. Et ponamus ſic: homo laicus habens dominium vel prædium, aut ut comprehendamus civile dominium, prout diſtinguitur contra privatum, accipiendo diſtinctionem ex parte objecti dominabilis, & ſic communiter accipitur à Juriſtis, prout eſt poteſtas de publico cum poteſtate juris dicendi. Ponamus quod ſit Baro, Comes, vel Rex, & rebus ſuis, prædio, caſtro, vel regno non alienatis, efficitur Epiſcopus, tunc arguo ſic: Iſte eſt dominus iſtius regni, ergo habet civile dominium formaliter intellectum, accipiendo pro illa habitudine dominantis ad dominabile. Conſequentia patet ex natura terminorum correlativorum. Nam iſta eſt bona conſequentia, Iſte eſt pater iſtius, ergò habet illam habitudinem relativam, quæ eſt patris ad filium: non dico, iſte habet filium, quia tunc poſſet materialiter intelligi, quia habet unum ſervum qui eſt filius alterius; ſed dico, iſte eſt pater illius, ergò inter iſtum & illum eſt habitudo relativa, quæ eſt patris ad filium. Sic Dominus eſt in prædicamento ad aliquid, quia dominium, ut Magiſter Petrus intelligit, formaliter, eſt habitudo dominantis ad dominabile: ergò hæc conſequentia eſt bona: iſte eſt dominus iſtius rei: ergo habet iſtam habitudinem dominantis ad iſtud dominabile. Non dico iſtud habet iſtud dominabile, quia benè poſſunt habere aliquod dominabile, ut cuſtos uſuarius vel conductor, qui non habet proprietatem, licet Magiſter Petrus contrarium dicat, quod an verum ſit, omnes juriſtæ ſciunt, ſi conductor dicitur proprietarius; ſed relinquamus hoc! non dico ergò iſte habet iſtam rem, ſed dico, iſte eſt dominus iſtius rei, ergò habet illam habitudinem dominantis ad dominabile. Jam ſatis declarata eſt conſequentia; ſed antecedens probatur per canonem Apoſtolorum præallegatum, ubi text. *poteſtatem habebat de propriis rebus moriens Epiſcopus, ſicut voluerit, & quibus voluerit relinquere.* Item in Concilio Agathenſi de rebus propriis poteſt teſtari Epiſcopus.

Nunc poſt tres annos veniant duæ leges in teſtimonium: autenti. *licentiam.* C. de Epiſcopis & Clericis: *licentiam habeat Epiſcopus quæcunque ante Epiſcopatum probatus fuerit habuiſſe, & quæcunque poſt Epiſcopatum jure cognationis uſque ad quartum gradum, ad eum pervenerint, ad quos voluerit, ultima voluntate transmittere.* Item in alia auctoritate ſtatim ſequenti: *Presbyteros autem & diaconos & ſubdiaconos, & cantores, lectores, quos omnes Clericos appellamus, res quolibet modo ad eorum dominium venientes habere ſub poteſtatis pœna præcipimus, ad ſimilitudinem caſtrenſium peculiorum, & donare ſecundum leges & teſtari, licet ſub parentum ſint poteſtate.* Conſtat ergò quòd Epiſcopi & alii Clerici non ſunt exproprietarii, ſed licitè habent res proprias, de quibus poſſunt pro ſua voluntate diſponere, donare, & in teſtamentis relinquere, & alios de ipſis dominos facere: hoc non facit, niſi Dominus civili dominio, ſicut ex deſcriptione civilis dominii, per ipſum data, lucidum eſt videre. Et ſic antecedens eſt probatum, quod ille Epiſcopus vel Clericus eſt Dominus illius rei. Erg. habet civile dominium formaliter intellectum. Conſequentia ſuperius probata eſt. Sed fortè diceret ipſe nunc, Ego non nego Clericis dominium ſuorum patrimoniorum, quæ habent ex ſucceſſione paterna. Et ſi Rex Angliæ efficeretur Clericus in ſacris,

vel

Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

vel Episcopus, remaneret rex, sicut & nunc est. Sed de bonis Ecclesiæ loquor, in quibus dico, quod Clerici non habent civile dominium formaliter intellectum. O bone Deus, nec dixi ego, nec aliquis doctus in jure canonico, quod Episcopi vel alii Clerici sint domini rerum Ecclesiasticarum. Nonne aperta sunt verba canonum 12. q. 1. *Res Ecclesiæ non quasi propriæ, sed ut communes & Domino oblatæ cum summo timore non in alios, quàm in præfatos usus sunt fideliter dispensandæ.* Numquid & ego in primo actu in solutione ad nonam auctoritatem Novi Testamenti, ita dixi, *utique Deo servit Prælatus, qui res Ecclesiæ fideliter administrat, quorum est procurator, non Dominus*, prout etiam M. Petrus allegat, de dona. c. *fraternitatem.* Et Aug. ad Bonifac. *si privatum possidemus quod nobis sufficiat, non illa nostra sunt, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem in nobis usurpatione damnabili vindicamus:* non ergò habent Prælati dominium rei Ecclesiæ, non ipsorum sunt dominia propriè loquendo, sed sunt ministratores. Dicuntur tamen propter ipsam administrationem domini & dominari, quia sunt administratores & dispensatores. Sicut & de Joseph dicit scriptura, quòd erat dominus universæ domus Pharaonis, Gen. 45. & in Psalmo 104. *Constituit eum dominum domus suæ, & Principem omnis possessionis suæ.* Habent ergò Clerici in bonis Ecclesiæ non dominium, sed administrationem, ut iterum dixi, juxta finem primi actus legatur. Ex quibus patet quid sentiam de bonis Ecclesiæ, & quomodo cupiam ipsa fideliter administrari, ne in districto Dei judicio reperiantur culpabiles: nec est opus per Magistrum Petrum adduci Doctorum dicta ad hoc, quia & ego multa plura legi documenta sanctorum, qualiter Prælati & alii Clerici debent bona Ecclesiæ dispensare. Sed dum ista seminat, fortè aliud prætendit obumbrare, videlicet merita Prælatorum Ecclesiæ; unde caveat, ne incidat in illam sententiam Ambrosii 3. de officiis. *Si quis non obediat Episcopo, sese extollere & exaltare desiderans, quærens etiam obumbrare merita Episcopi, simulata affectione doctrinæ, aut humilitatis, aut misericordiæ, is à vero devius superbit.*

12. q. 1. *Res Eccles. c. 26.* — *De donationibus c. fraternitatem. l. 3. tit. 24. c. 2.* — *Aug. ep. 50. ad Bonifacium. 12. q. 1. c. 28.* — *Gen. 45.* — *Psal. 104.* — *Ambros. de officiis. l. 2. cap. 24.*

Dixit denuo Magister Petrus in secunda die suæ replicationis sic: *domini temporales possunt auferre bona temporalia ab Ecclesiasticis habitualiter delinquentibus. Suadetur sic. Reges Veteris Testamenti auferebant bona temporalia ad nutum divinum ab Ecclesiasticis delinquentibus; Igitur & Reges Novi Testamenti possunt similiter facere ad nutum divinum habitualiter delinquentibus Sacerdotibus novæ legis.* Animadvertite, supplico, pulchram conclusionem domini proponentis, &c. & non dicit *licitè* vel *de jure*, sed solùm dicit, *possunt*, & ego dico, quòd non solùm à delinquentibus, sed etiam à Sanctis, videlicet in Totila Rege Gothorum, Juliano Apostata, de Regibus, & dominis temporalibus, quæ sunt in illa terra, quæ olim fuit Christianorum, nunc est infidelium. Deinde dicit, *suadetur sic*, non dicit probatur, quia vidit, quod non habet probationis efficaciam, sed videamus vim suasionis. *Reges Veteris Testamenti*, &c. quomodo benè probat conclusio sua, dicit simpliciter, probatio habet ad nutum Dei; & ego dico, quòd divino nutu non solum Reges à Clericis possunt bona auferre, sed quilibet homo ab alio homine: patet, quia non facit furtum, qui Deo jubente ministerium præbet: ita dicit Augustinus in libro quæstionum Exodi, & habetur 14. q. 5. *dixit Dominus.* Et hoc modo populus excusatur à furto, quando Ægyptiorum bona asportavit. Esset bona ista consequentia, populus Israel petiit commodari sibi à vicinis vasa aurea, & argentea, & illa secum asportavit: Ergò licitum est accommodata secum portare? Dictum fuit Samsoni seipsum interficere: Ergo licitum est seipsum interficere. Videamus Augustinum de civitate Dei libro primo, capite 27. Norunt omnes qui sacræ scripturæ aliqualem habent peritiam, quod ex his quæ ad nutum Dei fiunt, non accipitur argumentum. Unde Beda super actus Apostolorum, & habetur 26. q. 1. *Non exemplo Matthiæ, vel quod Jonas Propheta sorte deprehensus sit, indifferenter sortibus est credendum, cum privilegia singulorum, ut Hieronymus ait, communem legem omninò facere non possint.*

14. q. 5. *Dixit Dominus c. 12.* — *August. de civit. Dei. l. 1. c. 21. 26. 27.* — *26. q. 2. Non statim. c. 2.* — *Hieron. supra 1. c. Joann. & ibidem.*

Sed non est prætereundum, quod licet Deus multoties puniat peccata non modo per legitimas potestates, sed etiam per alienigenas gentes Dei jussu excitatas, sententia est Ambrosii, & habetur 23. q. 5. *remittuntur*: sicut sæpè propter divinæ majestatis offensam subactus est populus Judæorum, ut ex discursu librorum Judicum, Regum, Paralipom. & Machabæorum, liquidum esse videtur: tamen non semper talia fiunt sine peccato ab his, à quibus fiunt, ut patet de Senacherib & Antiocho, qui propter peccata populi Israelitici ipsum populum captivarunt & afflixerunt, & ipsi à Deo gravissimè sunt puniti. Nam de Senacherib ab Angelo exterminatore occisi sunt centum & octoginta quinque de exercitu ejus una nocte, & ipse fugit, & interfectus fuit à filiis suis. 4. Reg. 19. Antiochus verò cum Dei nutu multum afflixisset populum Israel propter ipsius populi peccata, tandemque dira plaga percussus crudeli morte vitam suam finivit, 2. Machabæorum 9. cap. legitur. Interdum enim Deus populum suum peccantem per malos homines punit, sicut patet ex historiis prætactis. Et ut Augusti-

Non exemplo. cap. 4. — 23. q. 5. remittuntur. c. 49. — Amb. l. 2. de Cain & Abel. c. 4. — 4. Reg. 19. & 25. — 1. Mach. 3. — 2. Mach. 9.

Digitized by Google

Augustinus dicit 1. de civitate Dei c. 9. *Interdum flagellantur boni cum malis, non quia simul agunt malam vitam, sed quia simul amant temporalem vitam.* Et sic solent Principes facere, qui de malis hominibus faciunt lictores, ita Deus de malis hominibus, & de diabolis facit ministros justitiæ suæ. Sed tamen diaboli exequendo divinam justitiam, non merentur, neque lictor qui causa cupiditatis implet ministerium justitiæ: unde Augustinus in quæstionibus Exod. 23. q. 5. *Cum minister judicis occidit, profectò si id sponte facit, homicida est, etsi eum occidit, quem scit à judice debere occidi:* ad hoc ergò quòd ex nutu Dei accipi possit argumentum ad id, quod communi lege est illicitum, primò oportet, quòd, ut verbis Augustini utar, 1. de civ. Dei. c. 26. *Deum se id jubere, sine ullis ambagibus intimet*, ne sit fortè diabolica suggestio, quia angelus sathanæ interdum se transfigurat in Angelum lucis. Secundò ut id exequatur solo affectu exequendi divinam justitiam, *absit ab animo*, (ut Augustini verbis utar contra Manichæos, & habetur 23. q. 1. *quid culpatur*) *nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, implacabilitas, feritas rebellandi, libido dominandi*, & si qua sunt similia, quæ corrumpunt animum, & protrahunt à puritate zeli justitiæ ad cupiditatis affectum, vel alterius animi passionis, quod quam sit difficile, cuncti pensate. Ideo difficile est etiam justa bella agere, nam etsi justitia sit; forsan non erit in animo, aut deficiet in modo. Ad probandum suum Antecedens allegavit, quòd Salomon dixit 3. Reg. 2. ad Abjathar Sacerdotem, qui adhæsit Adonia fratri Salomonis, ut Adonias esset Rex, *vir mortis es, sed non interficiam te, sed vade in Anathot, &c.* Item de Rege Nabuchodonosor, qui habuit potestatem à Deo ducendi populum Israel cum Sacerdotibus & Levitis in captivitatem Babylonicam. Videte quàm sit propria hæc allegatio. Deinde ad idem allegat quarto Regum duodecimo, quòd Joas Rex Juda devotissimus secundum prudentiam Dei tulit omnia consecrata de templo, misitque Azaheli Regi, ut recederet à Jerusalem. Allegat ulterius 4. Reg. 18. de Ezechia, qui similiter fecit. Item de David qui comedit panes propositionis. Ad ista omnia alia solutione opus non est, quam illa, quam ipsa secum afferunt, ipsemet allegat, quod ista nutu Dei facta fuerunt, & ideo ex eis non accipitur argumentum, ut superius dictum est. Sed præterire non volo intactum, quòd aliam potestatem exercebant Reges in illo templo, & sacerdotio carnali, & figurativo veteris legis, quàm Christianis principibus liceat exercere in templo & Sacerdotio novæ legis. Quia sacerdotium Christi præcellit sacerdotium Aaronicum: in triplici excellentia plurimum eminent: primò quia illud ab Aaron, istud incepit à Christo, & sic illud à servo, istud à filio Dei. Secundò quia illius Sacrificia erant pecora, istius ipse *Dei* filius est sacrificium, & Deo Patri hostia. Tertiò quia illi Sacerdotes ligare non poterant vel absolvere: Istis datæ sunt claves regni cœlorum, & dictum est ab ipsa increata veritate: *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque solveris, &c.* quis jam non videt his consideratis, quanta sit differentia inter Sacerdotes novæ legis, & Sacerdotes veteris legis? & quam alta isti illis præemineant excellentia dignitatis? quanquam patenter omnè claudicet argumentum, quod de subjectione illorum trahatur ad istos. Benè per Dei gratiam noscunt Catholici Principes; quod in Clericos, nisi quantum ab Ecclesia eis conceditur, jurisdictionem non habent. 11. q. 1. *sacerdotibus:* legatur totum ibi de Constantino. Sed ipsi Principes, Christi Sacerdotibus in spiritualibus sunt subjecti. Unde ille Valentinianus inclytus Imperator Mediolanensis, Ecclesiæ dixisse legitur: *talem in Pontificali Sede constituere procurate, uti & nos, à quibus hoc gubernatur imperium, sincerè nostra capita submittamus, & ejus monita, cum tanquam homines deliquerimus, suscipiamus, necessariò velut medicamenta curantis.* Et quoniam, licet non fuerim præsens, exstitit mihi relatum, quod pridem M. Egidius circa istam materiam multa pulchra disseruit. Hæc pro præsenti dixisse sufficiant.

SÆC. XV. ANNO 1433.

*Aug. de civ. Dei. l 1. c. 9. Augus.*

*ubi sup. c. 26.*

23. q. 1. *quid culpatur. c. 4. Aug. l. 22. contra. Faust. Manichæum.*

3. Reg. 2.

4. Reg. 12.

4. Reg. 18. 1. Reg. 21.

*Differentia Sacerdotum novæ & veteris legis.*

*Theod. l. 4. c. 5. & 6.*

Denuò Magister Petrus arguit de c. *si tributum.* 11. q. 1. Sunt verba beati Ambrosii. *Si tributum petit Imperator, potestatem habet agrorum vendicandorum, tollat eos, si libitum est. Imperatori non dono, sed non nego utique.* Si Magister Petrus fuisset tam bonus decretista; quod sine præsumptionis nota posset dicere, quòd Doctores Canonistæ fuerunt cæci, & non intellexerunt Canonum textus. Si ipse advertisset ad glossam, credo quòd abstinuisset ab illo argumento. Nam glossa ita dicit super verbo, *potestatem de facto, non de jure. Nam sive auctoritate principis, sive alterius quis detinet res Ecclesiæ, sacrilegus est.* Dicet ipse nunc fortè in cogitatione sua, quid ad me de glossa? quia ipse pro nihilo habet omnes glossas & dicta Sanctorum: sed non parvipendat quoniam glossa illa tantum probat, quod dicitur per text. in cap. *quisquis.* 6. q. 2. & 16. q. 1. *in canonibus:* qui textus hoc apertissimè probat: dicit enim textus „ in canonibus, &c. valde iniquum & ingens sacrilegium est, quæcunque vel pro re„ medio peccatorum, vel salute aut requie animarum suarum, unusquisque venerabili „ Ecclesiæ contulerit, aut certè reliquerit, ab his, à quibus maximè servari conve„ venit, id est, Christianis & Deum timentibus hominibus, & præcipuè à principibus „ &

11. q. 1. *si tributum. c. 27. Amb. com. Auxentium. l. 5. ep. post ep. 32.*

12. q. 2. *quisquis. c. 19. item ibid. quicunque c. 4. 16. q. in canonib. c. 57.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

„ & primis regionum in aliud transferri vel converti. Generaliter verò quicunque res „ Ecclesiæ confiscare aut impetere vel pervadere periculosa sua infestatione præsumpserit, &c. Similiter & qui res Ecclesiæ jussu vel largitione principum, vel quorundam potentum, aut quadam invasione, aut tyrannica potestate retinuerint, & „ filiis vel hæredibus suis, ut à quibusdam jam factum audivimus, quasi hæreditarias reliquerint; nisi citò res Dei, admoniti à Pontifice, agnita veritate reddiderint, „ perpetuo anathemate feriantur". Potuisset etiam glossa illa allegare plures alias auctoritates, quæ hoc probant. glossa in dicto cap. *in canonibus:* allegat multas concordantias. Præterea scienti intentionem illius capituli, veritas glossæ satis est manifesta.

Contendebat beatus Ambrosius cum ministris Imperatoris, qui Basilicam tradi hæreticis jussu Imperatoris beatum urgebant Ambrosium, unde ipse dicebat: *Si tributum petit Imperator, &c.* Et etiam postea. *Si patrimonium petat, invadite, si corpus, occurram. Vultis in vincula rapere? &c.* Communis habet locutio, quando quis cum petitore contendit dicere, *Vultis mihi tollere mea? benè potestis.* Non quòd intelligat licitè & de jure, sed de facto. Et ita glossam illam communis modus loquendi veram esse ostendit.

*Amb. l. 5. epistolarum. ep. 33.*

Arguit de cap. *ex his.* 12. q. 1. quæ sunt verba Gratiani, & ideo non faciunt jus, sed nolo declinare ipsum, verum namque est, quòd Clericus habens Feudum à Rege in re feudali subest Regi secundum legem feudi. Et hoc non nego, sed materia est specialis, teneat terminos suos, nec extendatur ulterius.

*12. q. 1. ex his c. 22.*

Arguit præterea de c. si q. fin. ubi text. *Patet Symoniacos velut primos & præcipuos hæreticos ab omnibus fidelibus esse deputandos, & si commoniti non resipuerint, ab exteris etiam potestatibus opprimendos.* Antequam ad solutionem veniam, notandum est, quod non est verum simpliciter, quòd omnis Symoniacus sit hæreticus. Sed ut dicunt Doctores communiter, & Archidiaconus recitat in rosario in cap. *fertur.* 1. q. 1. Simon magus, à quo dicitur Simonia, fuit hæreticus, & ejus discipuli dicti sunt Simoniaci, & isti erant veri hæretici. Et propterea dicit textus in dicto cap. *fertur Simoniaca hæresis, qui prima contra Dei Ecclesiam diabolica supplantatione subrepsit, &c.* Ita quicunque crederet pertinaciter Spiritus sancti gratiam posse emi pecunia, hæreticus esset. Illi verò qui hoc non credentes, sed cupiditate permoti, student emere & vendere spiritualia, non sunt hæretici, quia hæresis de sua ratione formali habet, habere errorem in intellectu circa credibilia fidei, & pertinaciam in voluntate, & ista deficiunt in talibus, quia non deficiunt errantes circa credibile, sed affectu depravato cupiditate, student emere vel vendere spiritualia, & ideò non sunt hæretici, sed gravissimè peccant, & in grandi periculo animæ suæ vivunt, nec fructus beneficiorum symoniacè adeptorum suos faciunt, & ad restitutionem tenentur, nec salvari possunt, si non renunciant beneficiis symoniacè acquisitis. Nunc ad solutionem illius argumenti, & c. principes. 23. q. 5. dico, prout doctores communiter dicunt in cap. *etsi Clerici*, de jud. in c. *ut famæ.* de sent. excom. dist. 3. casus sunt speciales in quibus laicis potestatibus à jure conceditur potestas in Clericos, & ut breviter me expediam, secularis potestas in Clericum non degradatum & traditum non habet potestatem, nisi ab Ecclesia in subsidium invocata: & ita loquuntur illa c. quare de illis ad alios casus arguendum non est. Sed argumentum quod accipit ex c. *principes*, rogo advertatis quam formalem consequentiam facit, *licet secularibus potestatibus facere coercitionem Clericorum per aliquam speciem terrentis disciplinæ. Ablatio temporalium est species terrentis disciplinæ: igitur, &c.* Aliquis homo currit: ergò iste homo currit. Mihi licet aliquid facere in personam propter ipsum, mutilare, est aliquid facere: Igitur, &c.

*23. q. 5. principes. c. 20. in c. etsi Clericis de judiciis lib. 2. tit. 1. c. 4. in c. ut famæ. de exco. lib. 5. c. 39. c. 35.*

Post hoc arguit sic: „ Omne quod debet efficere potestativè finem aliquem per rationabilem commensurationem mediorum ad ipsum, potest licitè uti potestativè „ subtractione excessus & additione defectus ipsorum mediorum, secundum quod „ congruit propter ipsam commensurationem faciendam; cum ergo seculares domini „ debeant potestativè efficere necessariam sustentationem Cleri per rationalem commensurationem temporalium, quæ tenentur conferre Clero Christi, sequitur quod „ possunt licitè uti potestativè subtractione & additione ipsorum temporalium, secundum quod congruit propter ipsam commensurationem rationabiliter faciendam": ita dicit: nec Majorem nec Minorem probat, sed totum sine fundamento reliquit, sine fundamento cadat. Dico primò quod argumentum deficit, quoniam bona Ecclesiarum non sunt solum propter sustentationem Cleri, sed ipsâ factâ, residuum debet in pios usus converti: ut in primo actu latissimè dixi. Præterea si li. *potestativè*, determinat actum commensurationis, prout verisimiliter facit, neganda est Minor, quia potestas talis commensurandi, cum remotione superfluorum, non est apud seculares potestates, & nescio si ipsi concederent se teneri ad conferendum sustentationem Clero, unde populus teneretur, unde Ecclesia non haberet, sed gravè nimis esset eis: unde

benè

Digitized by Google

benè providit divina providentia, quod dedit Eccleſiæ unde vivant Clerici, & etiam faciant eleemoſynas populo, & non habent gravare populum. SÆC. XV.

Deinde arguit ſic: Clericis licet ſubtrahere ſacramenta Eccleſiæ laicis delinquentibus: igitur laicis licet ſubtrahere temporalia poteſtativè à Clericis habitualiter delinquentibus. Iſta eſt una pulchra conſequentia: neſcio ſi in Oxonia vel Cantabrigia fiunt tales conſequentiæ: benè ſcio quod non admitterentur, ſi ſequeretur à Simili: Regi licet denegare jurisdictionem ſuam ſubdito ſuo propter delictum, quia, ut ſciunt Juriſtæ, eſt una ſpecies coercitionis, & de lenioribus: ergò & ſubdito licet denegare obedientiam Regi propter delictum; habet tamen omnis divini juris regula, quòd ſuperior in inferiorem habet jurisdictionis poteſtatem, & non è contra. ANNO 1433.

Denique arguit ſic: æque poteſtativè poteſt ſtipendians ſubtrahere ſuum ſtipendium ab indignis operariis, ſicut poteſt dignis ea conferre; cum ergò temporalia ſint ſtipendia laicorum, ſequitur, &c. videte quoniam benè facit argumentum in forma, benè accipit medium, prædicatum in minori, ſub ſubjecto majoris, haberet dicere: Sed laici ſunt ſtipendiantes Clericos: & tunc minor eſt falſa, quia non ſunt ſtipendiantes: benè poſſet dicere, quod ſunt ſolventes ea, de quibus ſtipendia Clericis præſtantur. Et ſic ſimiliter argui poſſet, quod liceret ruſticis, ſubtrahere ſtipendia, quæ præſtantur militibus. Deinde arguit, quòd rectificatio faciliſſima Clericorum eſſet per ſubtractionem temporalium, & medicina debet dari, per quam aptius ſanetur infirmus, &c. Iſta argumenta petunt fundamentum. Oportet primò probare, quod rectificatio Clericorum & medicinæ exhibitio pertineret ad laicos, & tunc eſſet bonum quærere, quomodo aptius fieri: aliàs fruſtrà conſultat de mediis, ad quem non pertinet finis. Cum ergò probatum non ſit, quod laicis hoc pertineat, imò per me contrarium ſuperius eſt deductum, & ſic deficit argumentatio ſine fundamento conſtructa.

Ulterius arguit ex c. *quicunque* 17. q. fin. Ubi Auguſtinus recitat factum laudabile Aurelii Epiſcopi, quod cum quidam non habens filios, omnia bona ſua, uſufructu retento, donaſſet Eccleſiæ, poſtea habuit filios, Aurelius reſtituit ſibi bona. Quid ad propoſitum? utique nihil; ſed ut Magiſter Petrus qui eſt magnus juriſta. Doctores omnes canonum cæcos reputans, aliquid de jure addiſcat, debet ſcire, quòd cum quis non habens filios, donavit omnia bona ſua, filius naſcens poſtea habet jus ad revocandam donationem illam, per tit. de inoffic. dona. Sed an in totum, ſed ſolum in legitimam, eſt quæſtio inter Doctores: aliqui tenent quod in totum, aliqui quod tantum pro legitima, decebat autem ſanctum Epiſcopum partem benigniorem accipere, & qui illa eſſet in pios uſus erogaturus, voluit pietate paterna conſulere filiis ejus, quem unum fecerat ſecum vinculum charitatis. 17. q. 4. *quicunque* c. 43.

Demum facit quandam ſuppoſitionem, quod Clerus enormiter peccaret, ſi vellet interficere reum, armis acceptis militaret, ſpoliaret gentes, ſtupraret virgines, tunc non eſſet remedium, &c. Eſſet remedium, & remedia quæ ſcientibus jura, & etiam utentibus ratione, facile eſt reperire, ſed non illud, uſurpare Eccleſiæ bona, quia delictum perſonæ in damnum Eccleſiæ redundare non debet. Et cum, ut dictum eſt, Prælati Eccleſiæ bonorum Eccleſiæ ſint procuratores, non domini; propter delictum procuratoris invadere bona domini, non eſt juſtum.

Arguit deinceps ſic: quidquid Clerus à brachio ſeculari debet exigere, quod adjuvet eum ad tuendum & defendendum bona Eccleſiæ, & etiam ad ſubminiſtrandum. Non autem debet exigere, quòd bona Eccleſiæ laici ſibi ſubripiant, & uſurpent. Et auctoritas quam allegat Actorum ſexto, quod dixerunt Apoſtoli. *Non eſt bonum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis:* videte quomodo bene facit pro ipſo, an potius faciat contra. Nunquid dixerunt Apoſtoli laicis? ſubripite iſta bona, quæ ad pedes noſtros offeruntur, quia eorum adminiſtratio impedit nos à prædicatione verbi Dei? An potius conſtituerunt diaconos, qui illud exercere fecerunt? Ita Prælati Eccleſiarum Apoſtolos imitando, non dicunt laicis: ſubripite iſta bona, ſed conſtituunt officiarios & miniſtros, qui illud miniſterium impleant. Et ad idem tendit confirmatio, quæ ſubſequitur, & etiam argumentum ejus finale, & eadem ſolutione depelluntur, licet multa ibi ſermocinetur, quæ deberet primò ipſe facere, poſtea docere.

Denuo arguit ex illo, privilegium *meretur amittere*, &c. Et dicit dotationem Eccleſiæ eſſe privilegium. Ad hoc multa poſſent dici, tamen illud ſit brocardicum, & multas habeat limitationes, ſed hoc ſufficit pro præſenti, quod quando privilegium confertur in non ſubditum, poteſt per concedentem non revocari: præterea dotatio Eccleſiæ non habet naturam privilegii, ſed eſt ex donationibus vel ultimis voluntatibus, quæ in dominio alicujus tranſlata ſunt, per ſucceſſores illorum non revocantur, quantumcunque illi, qui tales res habent, eis abutantur: quare tale jus vel actio illis ſucceſſoribus nullo jure competit.



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1433.

Arguit demum de correctione Evangelica, quæ quomodo faciat ad propoſitum, benè videtis: finis namque illius, ſecundum Evangelium, eſt: *dic Eccleſiæ, & ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.* Tandem facit unum argumentum, hoc habens in effectu, quòd ſicut licitum ſit auferre gladium de manu phrenetici, ne ſe interficiat, ita licitum eſt auferre bona temporalia à Clerico, qui abutendo interficit animam ſuam. Iſta comparatio quàm ſit efficax, omnibus habentibus oculos eſt manifeſtum: unicuique enim licitum eſt auferre gladium de manu phrenetici, ne ipſo abutatur: ergò unicuique licitum eſt auferre bona cujusque ab eis abutentibus. Si hoc concederetur, quanta occaſio ſpoliandi alios præberetur, quantaque ſeditionis & turbationis occaſio? Non ita conſulit Auguſtinus, ſed dicit: *fortè aliquis cogitat, &c.* eſt in primo actu, & habetur 14. q. 5. & c. *neque enim ſi agris.*

*24. q. 5. neque enim. c. 9. Aug. de bono conjugali. c. 14.*

Poſthæc ad rationes meas nititur reſpondere, & ut quantum illæ reſponſiones valeant, cunctis ſit notum, legam utrasque. Totus effectus ſolutionum eſt, quod omnes auctoritates per me introductæ loquuntur de Clericis non delinquentibus habitualiter, ſed manifeſtum eſt, quòd non procedunt, quia auctoritates meæ loquuntur de nequiſſimis Sacerdotibus, & habitualiter delinquentibus, qui domum Dei fecerunt ſpeluncam latronum, & in mortem Chriſti Dei filii conſpirarunt, & de Epiſcopis, qui cathedra relicta, plebe deſerta, aucupabant nundinas negotiationum, & uſuris inſerviebant, ut ex earum lectione lucidum eſt videre.

*Suprà in fine primi actus.*

Ultimatè ſic ſubjungit: Videtur quod Chriſtus ſubtractionem temporalium à Sacerdotibus prophetavit, & pro ſuo tempore hujusmodi ſubtractio eſt implenda: dicitur Matth. 24. *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta:* id eſt, ipſum templum, ſecundum Lyram, quia per Romanos fuit deſtructum, nec reædificabitur amplius: hæc Lyra. Item Matth. 21. *Auferetur à vobis regnum Dei:* ſuper quo Lyra, i. e. regimen Eccleſiæ, alias regnum, & *dabitur genti facienti fructum eis*, id eſt, Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus: hæc Lyra. Videte manifeſtam calumniam, ſcripturas, quæ loquuntur apertè de Judæis, dicit eſſe prophetias de Clero, & ad ſui confuſionem ipſemet offert expoſitionem Lyræ, licet ex textu Evangelii ſatis ſit clarum: dicit, *ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta*, id eſt, templum, quia per Romanos fuit deſtructum. Quales ſunt iſtæ probationes, tales ſunt omnes aliæ, quas adducit calumniosè, ſophiſticè, extortè, & puræ cavillationes. Repeto igitur admonitionem illam ex verbis Sapientis Eccleſiaſtici 28. dicens cuilibet Chriſtiano: *Sepi aures tuas ſpinis, & noli audire linguam nequam, & ori tuo facito oſtium, & ſeras auribus tuis, &c.*

*Matt. 24.*

*Matt. 21.*

*Et ſic eſt finis quarti articuli. Deo gratias.*



DE

Digitized by Google

# DE
# FUNDATIONE
## ECCLESIÆ
# ILLMINENSIS,
## ET
# TEGERNSEENSIS
## ET DE
# TRANSLATIONE
# SANCTI ARSACII.

---

ITEM,

# FRAGMENTUM CHRONICON
# THADÆI SCOTORUM
## ABBATIS RATISBONÆ,
## DE
## S. KILIANO, S. VIRGILIO, ET S. LULLO.

*Edita ex m. ſ. Magnifici & Cl. D. Alberti Hungeri Procancellarii Academiæ Ingolſtadienſis.*



Digitized by Google

# AD LECTOREM CANISIUS.

Sæc. XV. Anno 1457.

*Hæc duo fragmenta ideo vulgamus, quia S. Willibaldi, S. Bonifacii, ſociorumque mentionem continent, ut & S. Kiliani, & S. Lulli, quem patet in Illmunſter permanſiſſe. De fundatione monaſterii Illmunſter Hundius in Metropoli hæc: Otto, frater Alberti & Ottogerionis, fundatorum Tegerſeenſis Monaſterii, Illm Monaſterium, Ilmo flumini contiguum condidit, circa annum Domini 739. Collegium fuit Sacerdotum, qui anno 1495. cum divo Arſacio Monachium tranſlati ſunt, ſecundum Aventinum in Annalibus fol. 291. Hæc Hundius. Porro quod hic de Rocho, à filio Pipini occiſo, narratur, meritò in dubium vocari poteſt. Lege Hundii Metropolim, in Tegernſee, ubi & hæc: De fundatione hujus Monaſterii extant quædam in libro quodam ſcripto Monaſteriorum Bavariæ, & Indice Abbatum hujus Monaſterii, de filio Ottocari in Gallia, à filio Regis Pipini in ludo ſchachorum occiſo, quæ tanquam fabuloſa Aventinus in Chronica omiſit. Ego de hac re nihil certius puto inveniri, quàm quod in privilegiis, tum Ottonis II. tum Henrici VI. & Friderici II. Imperatorum continetur. Hæc Hund.*

---

# JACOBI BASNAGII OBSERVATIO.

Ujus Thaddæi Scoti opera ajunt Cuſpinianum uti ſolitum in elucubrando opere de Imperatoribus; ſed ſolus non fuit cujus auxilio & ope indigebat. Autumant etiam ipſum carmine ceciniſſe res Friderici Primi Imperatoris. Quæ hic habes ejusdem authoris, laudem vix ullam merentur, adeo brevia ſunt, & ab iis quæ de Virgilio narrantur, diſſonant.

DE

Digitized by Google

# DE FUNDATIONE ECCLESIÆ ILLMINENSIS,

## Et translatione almi

# CONFESSORIS ET PONTIFICIS ARSACII.

ANno Incarnationis Dominicæ ſeptingenteſimo quadrageſimo ſexto, ſedente in Roma Zacharia ſummo Pontifice, & legatione fungente in Alemannia S. Bonifacio Moguntino Archiepiſcopo, adminiſtrante Romanum Imperium Pipino Rege Francorum ſereniſſimo, ſedentibus in ſuis Epiſcopatibus venerabilibus Patribus Burchardo Herbipolenſi, Willibaldo Aychſtetenſi, Gaybaldo Ratiſponenſi, Joanne Saltzpurgenſi, Ermberto Friſingenſi; Extiterunt duo fratres nobiliſſimi, Principes Noricorum, Albertus & Ockarius, alto ſanguine progeniti, patre Burgundi, & matre Bavari, divitiis præpollentes, Deum timentes, juſtitiam ſectantes, omni virtute & morum honeſtate præclari. Hi erant prædicto Regi Pipino, Karoli Magni Patri, conſanguinitatis affinitate proximi, ac conſilio & fide præ cæteris propiores. Quorum unus, videlicet Albertus, novem Comitatus regebat & poſſidebat in Bavaria. Alter verò Ockarius, qui & ætate provectior erat, Ducatum tenuit in Burgundia. Hic Ockarius habuit in aula Pipini Regis filium, nomine Rocho, quem tenerrimè diligebat, proſperis in omni morum honeſtate affluente ſucceſſibus. Qui cum coëvo jam dicti Regis filio aſſiduè luderet ludum (a) ſtaterum, & ſemper obtineret, exitialis iræ fomitem miniſtravit. Cum verò quadam die huic ludo operam dediſſet, & filius Regis multotiens victus eſſet, ira præruptus, Rocham filium Ducis ſuper tempora percuſſit. Ictum mortiferum ſecuta eſt mors. Qua cauſa Rex celerius cognita, ſolito triſtior efficitur, & eo jubente funus clam tegitur, & occultatur, ne rumores mali parentum mentes conturbarent. Igitur per fideles Regis Ockarius ut amicus Regis advocatur. Sedens itaque Rex Pipinus in Cauſis, requiſivit à Duce Ockario, quid faciendum ſit in cauſa, quæ nullo emendationis cultu emendari poterit: At ille neſciens hujus ſententiæ ſpiculum in ſe retorqueri: Reſpondet, Res quæ nulla ratione reformanda conſtat, æquanimiter ferenda eſt. Fiunt nota (b) pr. quæ fuerant geſta cum filio, trahuntur ſuſpiria, luctus, lamentatio inconſolabilis: deinde flexus Regis, & Principum dolor: conticetur; tandem res in concordiam ducitur. Cumque deſtitutus eſſet hærede, & mundi hujus opibus ubertim afflueret, de bonis ſuis duo Cœnobia conſtruxerunt, ad divini cultus ſervitium idonea, ſcilicet Illminenſe & Tegernſenſe, bona dotantes; Illminenſibus Audonem, ſive Utonem, ſuum ſororium, in præpoſitum præfecerunt, & S. Arſacium à Mediolano in Cœnobium Illminenſe tranſtulerunt XVI. Kal. Junii. Sit laus & gloria Chriſto. Amen.

SÆC. XV. ANNO 1457.

(a) Le Scacchorum. BASN.

(b) *for. Principi.* CAN.

THADÆI

Digitized by Google

# THADÆI ABBATIS SCOTORUM RATISBONÆ FRAGMENTUM CHRONICON, DE S. KILIANO, S. VIRGILIO, ET S. LULLO, &c.

*Ego Frater Tatheus Abbas Scotorum Ratiſponæ, ad petitionem Domini Conradi Præpoſiti in Illminſter, infra ſcripta extraxi de Cronica fundationis Scotorum, folio viceſimo nono, Anno Domini milleſimo, quadringenteſimo, quinquageſimo, ſeptimo, undecima die menſis Martii, Indictione quinta.*

SÆC. XV. ANNO 1457.

TEmpore Pipini Regis Romanorum venit egregius Epiſcopus, celebris vir, magnæ virtutis, de Hybernia, nomine Kilianus, cum duobus ſociis ſuis Colonato & Totnano. Iter direxit Romam in peregrinationem, more Scotorum, magni maris pericula evadentibus. Ad Flandriam proſpero comitatu pervenerunt, ubi per Angelicam viſionem revelatum fuit beatiſſimo Kiliano, ut per Alemaniam iter dirigeret verſus Romam: & ſic pervenit Romam. Tantæ gratiæ fuit coram Deo, ut cujus libet linguæ ignotæ interpretationem populis expediret. Pater Apoſtolicus percipiens ſancti viri prudentiam, & ſacræ ſcripturæ intelligentiam, in Alemaniam ad partes Franconicas ipſum deſtinavit, ut prædicaret verbum vitæ genti Idololatricæ: quod adimplevit uſque ad tempus ſui Martyrii apud Herbipolim, ut in ejus geſtis plenius habetur.

Donum linguarum conceſſum.

Tempore eodem venit honorabilis turma ſanctorum de Hybernia, videlicet S. Virgilius Epiſcopus, cum aliis ſeptem Epiſcopis ſanctis, multisque aliis ſociis, qui propoſuerunt Domini veſtigia ac Sanctam Terram corporeis oculis videre, ſolito more reverendorum patrum Scotorum. (a) Angelus quidam Domini ad S. Virgilium locutus eſt, dicens, Placuit Creatori omnipotenti, ut deſiſtatis ab incepto itinere ad Apoſtolorum limina. Et veſtra reſurrectio ſit, exuto carnis onere, apud civitatem Saltzburgam. Comites quidem veſtri ſint diſperſi undique per Bavariam, Karinthiam, & Stiriam, in Dei ſervitio. Sermone Angeli expleto, S. quoque Virgilius Saltzburgæ Epiſcopus eſt factus: cæteri ejus Coëpiſcopi Saltzburgæ in miniſterio operis Dei remanſerunt uſque ad diem obitus eorum.

(a) Vide ipſam Virgilii vitam a nobis editam ad annum 1190. ibi miraculum illud angelicum omittitur. BAYN.

Cæterum eorum ſocius, videlicet B. Lullus apud Ilminſter glorioſis operibus intrepidus permanſit. Et B. Declanus cum aliis duobus Friſingiam, duoque alii apud Rott beata oſſa ſua terræ commendaverunt. Et ſanctus Alto apud Altenminſter. Et ſic ſanctus grex beatorum virorum diviſim in diverſis locis regna cœleſtia ſunt adepti.

DISPU-

Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1465.

# DISPUTATIO CAPITULI ECCLESIÆ PRAGENSIS, CUM ROKYZANA, DE HUSSITICIS CONTROVERSIIS,

Habita per dies quinque, Anno M. CCCC. LXV.

CORAM

GYRZIKONE SEU GEORGIO REGE BOHEMIÆ.

*E manuscripto edita, & notis illustrata*

A B

## HEINRICO CANISIO,

SS. CANONUM PROFESSORE INGOLSTADII.

* ANno Domini Millesimo, Quadringentesimo, sexagesimo quinto, in die Purificationis B. Mariæ Virginis facta est magna congregatio dominorum Baronum, Militum, Clientum, & Civitatum regni Bohemiæ, per Dominum Regem. Et electi sunt ex toto regno primùm ex Consularibus Regis, deindè potiores terrigenæ ex parte Catholicorum quadraginta quinque; ex parte Rockenzanæ totidem, & de civitatibus utrisque bini & bini. Convocatique sunt (a) Decanus & Capitulum Pragense & Rockyzana cum presbyteris suis similiter in stuba majori Curiæ regalis. Et die septima Februarii, hoc est, feria quinta post Purificationem Mariæ, hora XV. cùm jam omnes enumerati fuissent, & convenissent in loco prædicto, positus est Decanus cum Doctore Prædicatorum,

*Vide Cochlæi histor. Hussitarum, lib. 12.*

* Hoc apographum m. s. habemus beneficio admodum Reverendi, & in omni literatura laudatissimi viri Georgii Lautherii. Verùm ita malè habitus fuit m. s. codex, ut desperem hanc historiam integritati suæ restituere, nisi adsit aliud m. s. exemplar. interim tamen hoc, quantumvis mutilum, damus; neque importunè, ut tempora hæc sunt, quæ disputaturiunt. Nota est illa disputatio Gallicana inter Ebroicensem & Plessensem; nota est & illa nupera Ratisponensis: illas & hanc cum Rockyzana qui legerit, utrobique easdem artes & mores hæreticorum videbit; *mentiri impudenter, calumniari audaciter, larvam ferre pietatis, scripturas & auctores falsò & depravatè citare, ambages nectere, & latebras quærere, vim argumentandi fugere, vinci & convinci, & tamen victoriam jactare.* Quæ omnia quàm vafrè Rockyzana hac disputatione præstiterit, in hoc scripto tàm clarè quàm in illis disputationibus videre licet.

Meminit hujus disputationis diligentissimus Cochlæus lib. 12. hist. Hussit. his verbis: *Ea tamen animi moderatione & longanimitate erat Georgius* (Rex) *ut interim non saviret in clerum Catholicum, qui clerus Pragæ & in cæteris Bohemiæ urbibus palàm Rockyzanæ sectæ & doctrinæ contradicebat, & cum Ecclesia Romana, quæ ipsum regem diris persequebatur, consentiebat in fide: quemadmodum ex eo constat Tractatu, qui inter Capitulum Ecclesiæ Pragensis & Rockyzanam, in Regis præsentia habitus fuit, anno Domini* 1465. CAN.

(a) *Decanus & Capitulum.* Fuit Decanus Hilarius nomine; Administrator, Wenceslaus de Crunnau. Sed circa annum 1450. Decanus & Capitulum Ecclesiæ Pragens. non Pragæ, sed Piltznæ urbe Catholica residebant. CAN.



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1465.

catorum, & ſuis confratribus, ad partem ſiniſtram Regis, (*a*) & (*b*) Rockyzana ad dextram, in eminentiori loco, ſicque Rex habito ſilentio locutus eſt: Quod cùm poſiti fuimus in ſolio regni, ſemper quærebamus pacem, & ea, quæ fuerunt pacis & unitatis. Et quia annis omnibus iſtis, ex utraque parte ſacerdotum multæ conqueſtiones & accuſationes coram me fuerunt depoſitæ, & per magiſtrum & Decanum multoties rogatæ, ut emendarentur, Nos nolentes amplius ſimilia pati, fecimus congregari hanc congregationem; & eligere iſtos aſſeſſores, ut eos audiamus & audientes, quantum poterimus, cum Deo, pacem inter nos faciamus: & alia plura ſimilia multum extendit. Deindè mandavit, ut quæ ſunt neceſſaria, proponerentur. Poſt hoc Rockyzana loqui cœpit, ponens fundamentum ſermonis ſui: Quod cùm Bohemi quatuor articulos defendere inſtituiſſent, ſicut veritates cognitas, multa bella geſſerunt, & proſperati ſunt. Deindè cùm fuiſſent hæreticati, volentes fidem noſtram toti mundo apertam facere, comparuimus in Concilio Baſilienſi, & ibi ſufficienter probavimus; & (*c*) compactata facta ſunt, non propter nos; cùm innitamur fidei & legi Dei, ſed propter iſtos, ut non hæreticaremur; & ſi quando nos impedirent, quòd poſſemus eos ammonere, ut teneant nobis. Et quoniam nobis fit impedimentum per iſtos, (demonſtrato capitulo,) & multa faciunt mala in illa terra, cùm tamen per compactata pax eſt in terra introducta. Et ideò veſtræ Serenitati gratias agimus, quod de bono pacis curatis, & nos libenter volumus ſervare compactata. Poſtea Decanus cum Capitulo petierunt deliberationem, qua habita, ita locutus eſt Decanus: Terra Bohemorum terra jocunda, fœcunda, & ſana, quam Dominus in naturalibus, in fortuitis multipliciter reſpexit, habetque pinguem glebam, ſanam auram, homines fortes & ingenuos: cùm adhuc eſſet in paganiſmo, deinde Dominus Deus reſpexit illam, & inſpiravit in cor patronorum noſtrorum (*d*) Cyrilli & Methodii, qui erant apud Summum Pontificem, ut deſcenderent ad terram Bohemiæ & Moraviæ, & ad fidem converterent; quod & factum eſt; ubi ſtatim ſub obedientia Papæ & Romanæ Eccleſiæ Bohemi converſi ſunt, & Eccleſia Pragenſis facta eſt Collegiata, & fuit ſubdita diœceſi Belgradenſi. Poſtea (*e*) Boleſlaus * Sævus ordinavit Epiſcopatum Pragenſem, ſcilicet Dithmarum de Saxonia monachum, qui miſſus eſt à Joanne Papa ad Bohemiam cum literis Apoſtolicis ita continentibus:

*Regis oratio.*

*Rockizana ſermo.*

*Decani reſponſum.*

* *Sanctus.*

Mittimus ad vota Epiſcopum, & Eccleſiam Pragenſem in Cathedralem erigimus, mandantes ut non ſecundùm ritum Græcorum, ſed ſecundùm ritum Romanæ Eccleſiæ divina officia celebrentur, &c.

Deinde Bohemia crevit uſque ad Reges & Imperatores, qui omnes ſub obedientia & ritu ſanctæ Romanæ Eccleſiæ fuerunt. Succeſſit poſtea feliciſſimæ memoriæ (*f*) Carolus Imperator, qui regnum & Eccleſiam Pragenſem dilatavit, Archiepiſcopatum

(*a*) *Regis.* Huſſitarum ope in regnum penetravit hic Gyrziko ſeu Georgius: de quo in antiquo Bohemorum Chronico: *Anno* 1448. *Gyrziko Botzek de Conſtat, aliàs de Podiebrad, cum ſibi adhærentibus, venit feria* 2. *poſt Ægidii, cujus feſtum fuerat die Dominico, mane, & poſuit ſe ante Pragam juxta Wiſſowitz contra Wiſſegradum, & ipſa nocte ſuper feria* 3. *intravit & obtinuit Pragam.* Mortuo rege Ladislao ad regnum venit, rex feliciſſimus, ſi non Rockyzanam foviſſet, à quo in ſecta Huſſitarum retentus fuit. CAN.

(*b*) *Rockyzana ad dextram.* Rockezana nomen oppidi non procul à Pilzina, patria Joannis Rockezanæ, qui obſcuris parentibus natus, Pragæ mendicavit, poſtea pædagogus, Jacobelli diſcipulus, in Collegium pauperum receptus, presbyter cùm Ziska, Cuthna (quæ propter argenti fodinas dicebatur Antichriſti crumena) expugnata, Pragam obſideret, Rockyzana, qui concionando apud Huſſitas aurhoritatem ſibi comparavit, Ziskam Pragenſibus reconciliavit, Ziskam illum, qui moriturus juſſit ex pelle ſua tympanum fieri: tandem de Archiepiſcopatu Pragenſi contendit, unde & ſepultus eſt Pragæ cum inſigniis Infulæ & Baculi in Eccleſia S. Mariæ ante lætam Curiam, ubi concionari conſueverat. *Ego Magiſter Joannes de Rockyzana electus Archiepiſcopus Eccleſiæ Pragenſis*, inquit in literis ad Thaboritas. Hic eſt qui in Concilio Baſileenſi diſputavit. Hic eſt qui de morte regis Ladislai jure ſuſpectus, intimus Conſiliarius Georgii Regis, ut non mirum ſit, Hilarium Decanum Catholicum à ſiniſtris, Rockyzanam à dextris ſediſſe: habuit æmulum Lupum concionatorem Orphanorum: quæ æmulatio in ſeditionem Pragenſium exiit, in qua perierunt 12. millia Huſſitarum. Cochl lib. 8. fol. 275. CAN.

(*c*) *Compactata.* Formula concordiæ, quam compactata vocant, Iglaviæ coram Sigiſmundo Imperatore, communi Huſſitarum conſenſu acceptata, ſigilliſque publicis corroborata eſt, extant compactata apud Cochlæum lib. 7. fol. 271. C.

(*d*) *Cyrilli & Methodii.* Anno 867. SS. Cyrillus & Methodius Cherſona Romam detulerunt corpus S. Clementis, quomodo S. Methodius apud Moravos prædicaverit Chriſtum circa annum 879. patet ex Epiſt. Joannis Papæ 194 & 195. Auguſtinus Præpoſitus Olomucenſis in Catalogo Epiſcoporum Olomucenſium hæc habet: „Primus Archiepiſcopus Moraviæ Cyrillus, natione Græcus, prius Conſtantinus Philoſophus dictus, à Nicolao I. Pontifice Max. octogeſimo ſeptimo ſupra octingenteſimum, ſedem Velegradenſem ſuſcepit, poſtquam Triballos primum, inde Swatoplukum Moravorum regem cum univerſa gente (quæ Viſtula, Danubio ac Vago fluvio terminabatur) in fide Chriſti initiarat. Fuere hi Marcomanni, veterum quondam hiſtoriis celebratiſſimi. Hic quum Eccleſiæ quinque ferè annis præſediſſet, Archiepiſcopatui ceſſit, Adrianique Pontificis nutu Methodium fratrem Eccleſiæ Velegradenſi præfecit. Qui cùm à juniore Swatopluko multis injuriis ac contumeliis cum clero ſuo afficeretur, Eccleſiæ huic ſacris interdixit, Romamque conceſſit, revocatusque non multo poſt, quum nihilo remiſſius rex in clerum ſæviret, omnibusque ſceleribus & vitiis homo ſanguinarius flagraret, beatus Methodius gregis ſui perditionem ferre non valens, Romam iterum rediit, atque illic anno Chriſti nongenteſimo ſeptimo ex hac luce migravit, in Eccleſia Divi Clementis (cujus corpus Cyrilus ex Cherſona Ponti Romam attulerat) ſepultus". Hæc Auguſtinus Olomucenſis. CAN.

(*e*) *Boleslaus Sævus.* Malim legere *Sanctus*, quàm *Sævus* Nam licet ſub Boleslao (S. Venceslai interfectore, ob crudelitatem, Sævo cognominato) ſit de Epiſcopo Pragenſi cogitatum teſte Joanne Dubravio lib. 5. hiſtor. Bohem. conſtat tamen, Dithmarum Magdeburgenſem monachum, authoritate Joannis IX. Pontificis, anno 897. Pragenſem Epiſcopum conſtitutum ſub Boleslao, cognomento, Pio, filio natu minore Boleslai Sævi: nam major natu, Strachyquas, Ratisbonæ ad S. Emeranum monachus factus eſt. Vide Dubravium lib. 6. hiſt. Bohem. CAN.

(*f*) *Carolus Imp.* Carolus IV. Joannis in prælio quod Philippus Franciæ rex contra Anglos geſſit, occiſi filius. Quàm felix, pius, magnificus, & munificus fuerit, vide Cochlæum lib. 1. hiſt. Huſſit. Extat Caroli IV. commentarius de vita ſua ab ipſo ſcriptus. CAN.

Digitized by Google

patum procuravit (*a*) ſtudium fundavit: filius ſuus (*b*) Wenceslaus idem fecit, & ſemper ſub obedientia Romanæ Eccleſiæ. Deinde tempore Wenceslai Dominus Deus permiſit in terram, quod ſacerdotes fuerunt infecti ex (*c*) literis Wickleff, qui venerunt ad illam terram, per (*d*) quoſdam ſtudentes, qui miſſi fuerunt ad Oxoniam ad ſtudium, & ibi conquæſitis libris falſaverunt litteras commendatitias per Wickleff, & ad Bohemiam deportaverunt. Et ita his & aliis cœperunt legere. Deinde Rex Wenceslaus, & (*e*) Archiepiſcopus (*f*) cum Doctoribus videntes periculum fidei, conſilium fecerunt, & congregationem terræ, & ibi domini Barones, & alii cum Rege ita concluſerunt, quia (*g*) peſtifera materia * diſcuſſionis ſuborta fuit in regno & clero Bohemiæ, ut illa amputetur, & præſertim in tribus Rex cum Baronibus fecit profeſſionem & publicationem fidei. SÆC. XV. ANNO 1465. *f diſſenſionis.

Primò, quod communitas cleri in regno Bohemiæ de ſeptem Sacramentis, de clavibus Eccleſiæ, de ritibus & libertatibus, de Indulgentiis & religionibus Eccleſiaſticis, non aliter credit & tenet, quàm S. mater Eccleſia, cujus caput eſt Papa, corpus verò Cardinalium collegium, veri ſucceſſoris, & manifeſti principis Apoſtolorum B. Petri, & aliorum Apoſtolorum, in omni materia Eccleſiaſtica diffiniendi, corrigendi, & quod non poſſunt dari in terra alii ſucceſſores in officio, quàm Papa in loco B. Petri & Cardinales in loco collegii Apoſtolorum. Sed (*h*) quidam de clero regni Bohemiæ ſunt his contrarii, dicentes: Condemnationem 45. articulorum, quorum quidam ſunt erronei, quidam hæretici, & quidam ſcandaloſi, eſſe minus juſtam: & nolunt credere, quod ſententiæ Wickleff ſunt falſæ, non attendentes dictum B. Auguſtini, in libro de fide Catholica dicentis: Si quis aliquas Scripturas præter eas, quas Catholica Eccleſia recipit, vel in auctoritate eſſe habendas aliter crediderit, vel veneratus fuerit, anathema ſit. Secundo quod communitas cleri in regno Bohemiæ, cum communitate totius cleri in toto mundo ſemper credit & tenet fideliter, ſicut S. Romana Eccleſia, & quod in omnibus ſtat determinationi Romanæ Eccleſiæ, cujus caput eſt Papa & cœtus Cardinalium corpus. Sed quidam de clero Bohemiæ ad hoc *Decani propoſitiones.*

non

(*a*) *Studium fundavit.* Inter plurima quæ ſapienter & publico regni bono geſſit Carolus IV. commendant Hiſtorici quod Academiam fundavit. *Maximum regno decus inſtituit ſapientiſſimus Princeps, Academiam Pragenſem, auctoritate Rom. Pontificis Innocentii VI.* inquit Cochlæus lib. 1. hiſt. Huſſit. CAN.

(*b*) *Wenceslaus idem fecit.* Fecerit idem quod pater Carolus in retinenda fide orthodoxa: tamen longè degeneravit: cui præter alia probra, ſocordia objicitur, & quod dum Academiæ Pragenſis privilegia antiqua violari patitur, Academia florentiſſima diſſoluta, Wiclefi venenum in Bohemiam ſe infuderit, rege altum dormiente. Sub quo Bohemos afflixit peſtis, ſeditio, hæreſis; & ipſe ſine hærede inglorius obiit, anno 1419. ætatis 57. regni 55. vidua relicta Sophia Bavara. Vide Æneam Sylvium cap. 37. Cochlæum lib. 1. & 4. CAN.

(*c*) *Ex literis Wickleff.* Cochlæus lib. 1. Huſſ. hiſt. dat notationem nominis Wiclefi. *Wicleph eſt Anglicè interpretatum impia vita:* in qua notatione idioma Germanicum agnoſcas, ubi ſebe vel ſefe / eſt vita; leben vivere. Wicf vel zwidt / impium. „ Plurimos ſcripſit libros ſermones & „ tractatus, quorum permulti commemorantur partim à „ Thoma Waldenſi Anglo, *inquit Cochlæus*, partim à „ Joan. Przibram Bohemo. De quibus & mihi quidam „ ex Anglia ſcripſit Epiſcopus, eſſe ſibi adhuc hodie duo „ maxima volumina Wiclephi, quæ mole ſua videantur „ æquare opera B. Auguſtini. Cum eſſet itaque ſcientia „ inflatus, & per ſuperbiam gloriæ, ac novarum rerum cupidus, in Oxonienſi Academia libris ſuis nova dogmata „ ſpargere cœpit. factus autem doctoribus per paradoxa ſua „ ſuſpectus, & apud Eccleſiæ Prælatos delatus, protectorem ſibi conquiſivit Comitem Laocuſtriæ, virum præpotentem in Anglia. Sub cujus protectione tutus ac ſecurus liberrime ſcripſit quicquid voluit. CAN.

(*d*) *Per quoſdam ſtudentes.* Qui nam hi fuerint, patet ex Ænea Sylvio. „ In libros ejus animadverſum eſt ab Epiſcopis & Doctoribus. Unde factum eſt, *inquit Cochlæus libro 1. Huſſit.* Ut poſt mortem ipſius, quidam ex diſcipulis ejus, nomine Petrus Payne Anglus, Pragam cum „ libris illius profugerit, regnante Venceslao: ea forſan occaſione permotus, quòd ante eum Boemus quidam genere nobilis, ex domo quam *Putridi Piſcis* vocant, libros „ Wiclephi, quibus titulus eſt de univerſalibus realibus, inde in patriam ſecum retulit, velut pretioſum theſaurum. „ Quos Pragæ diverſis transſcriptionibus, multis hominibus communicavit, & juxta nomen ſuum, putridi hæretici „ letale virus civibus ſuis infudit. Commodavit verò libros „ illos iis potiſſimum, qui Teutonicorum (uti refert Æneas) „ odio tenebantur, ut illi per nova dogmata vexati, Academiam Pragenſem, in qua prævalebant, Boemis regendam diſcedentes relinquerent. CAN.

(*e*) *Archiepiſcopus.* Fuit hic Swinco ab Haſenberg, ad quem Alexander V. Pontifex miſit literas de coërcendis Wiclephi fautoribus.

(*f*) *Cum Doctoribus.* Quinam præcipui hi Doctores Theologi fuerint, eos ipſe Hus lib. de Eccleſia cap. 11. ubi ait: „ Dux pro tunc fuit Stephanus Paletz cum Stanislao, „ trahentes poſt ſe Petrum de Ikoyma, Joannem Heliæ, „ Andream Broda, Joannem Hildeſen, Matthæum Monachum, Hermannum Heremitam, Georgium Botam, & „ Simonem Wendam". De condemnatione 45. articulorum Wiclefi hæc Magiſter Joan. Przibram lib. de articulis Wiclefi: „ Anno revolutionis Domini 1409. vel circa, à quo nunc „ fluxerunt anni pænè 22. poſt unam convocationem univerſitatis, & alteram Theologicæ facultatis, præfatos „ articulos 45. damnantium, facta eſt plena & tertia congregatio Doctorum Nationis Bohemicæ, pariter & Magiſtrorum & Baccalaureorum & Studentum omnium; ad „ Nigram Roſam in Praga congregatorum (etiam in ipſa „ congregatione * M. Joanne præſente, & ipſo inter principales principaliter vota dante & omnium Magiſtrorum „ voce, nulla penitus contradicente: Et quidem me tunc „ præſente, & talia ut gerebantur contemplante) voto & „ conſenſu omnium facta eſt coram publicis Notariis talis „ concluſio, & in hunc modum pronunciata coram omni „ aſſanti auditorio: Notum ſit omnibus, quod omnes Doctores & Magiſtri, hic congregati, unaniniter, nullo „ penitus contradicente, articulos 45. Wiclephi reprobave„ runt, refutaverunt & prohibuerunt". Hæc M. Joan. Przibram. Quibus ſimilia in fidei ſuæ confeſſione, &c. Sed hæc non eſt illa condemnatio, de qua hic ſermo ab Hilario, qui loquitur de edicto regio, à præfatis Doctoribus compoſito, & quod extat iiſdem pæne verbis apud Cochlæum lib. 1. CAN. * *Hus intelligit.*

(*g*) *Quia peſtifera.* Sunt verba edicti regis Wenceslai contra Hus, quod extat apud Cochlæum lib. 1. fol. 44. & ad verbum pæne idem cum noſtro, uſque ad illa verba: *Hæc fuerunt per regem*, fol. 471. v. 18. CAN.

(*h*) *Quidam de clero.* Quales è clero Huſs ad Wiclefi defenſionem attraxerit, deſcribit Cochlæus lib. 1. Huſſit. fol. 16. „ Ex clero magnam ad ſe partem trahebat: „ nam plerique diſſolutioris vitæ, alieno ære gravati, & „ Eccleſiaſtico judicio propter ſcelera obnoxii, ea novitate „ pœnas ſe ſperabant evaſuros. Nonnulli verò doctrina celebres, & morum honeſtate præditi, iniquo ferebant animo, ſacerdotia majorum cenſuum iis committi, qui „ quamvis nobilitate præirent, ſcientia tamen longè inferiores eſſent. Excæcati itaque invidia ac novarum rerum „ ſtudio, prioris ſuæ obliti ſententiæ (qua Wiclephi doctri„ nam communi omnium conſenſu damnaverunt, junxerunt „ ſe Joanni Huſs, &c, inter quos doctrina & eloquentia præ„ minebant, Hieronymus Pragenſis, & Jacobellus Miſnenſis, C.



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1465.

non consentiunt, (*a*) solam Scripturam sacram in similibus materiis pro judice habere volentes, & illam interpretantur juxta capita sua, non advertentes Scripturam sacram Deut. 17. Si difficile & ambiguum apud te perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & non lepram, & judicum intra tuas portas videris verba variari, surge & ascende in locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, venieſque ad sacerdotes Levitici generis, & ad judicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui judicabunt tibi judicii veritatem, & facies quæcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerit te juxta legem ejus, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dextram, neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Deo tuo: ex decreto judicis, morietur homo ille, & auferes malum de Israel: cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia: hæc ibi. Constat autem cuilibet fideli, Romanam Ecclesiam esse locum, quem elegit Dominus, ubi Ecclesiæ totius posuit principatum, in qua summus sacerdos, qui præest loco, est Papa, & Cardinales sunt sacerdotes Levitici generis, ad quos in materia fidei est recurrendum. Unde Hieronymus ad Damasum Papam XXIV. quæst. prima. Hæc est fides, Papa beatissime, quam in Ecclesia Catholica didici, quamque semper tenui, in qua si minus peritè aut parum cautè fortè aliquid positum est, emendari cupimus à te, qui Petri Sedem tenes & fidem. Si autem hæc nostra confessio apostolatus tui judicio comprobatur, quicunque me culpare voluerit, se imperitum aut malevolum, vel etiam non Catholicum, sed hæreticum comprobabit. Tertiò, quod communitas cleri in regno Bohemiæ sentit & tenet cum communitate totius cleri in mundo Christiano, sicut sancta Romana Ecclesia secundùm doctrinam Evangelicam, Apostolicam, & sanctorum Doctorum: quod Sedi Apostolicæ, Romanæ Ecclesiæ & Prælatis est obediendum per inferiores in omnibus quibuscunque, ubi non prohibetur purum bonum, vel præcipitur purum malum, sed medium, quod pro loco & tempore vel persona potest & bonum esse & malum; juxta sententiam Salvatoris Matth. 23. Omnia quæcunque dixerint vobis, facite. Quidam autem de clero regni Bohemiæ nolunt consentire, conantes quantum in eis est, inducere fidelem populum ad inobedientiam, respectu Prælatorum, & ad irreverentiam erga Papalem, Episcopalem, & sacerdotalem, dignitates, non considerantes illud Augustini in sermone, Absit, dicentis: Si jejunaveris diebus, ac noctibus orationem feceris, si in sacco jacueris ac cinere, si nil aliud feceris, quàm tibi præceptum est in lege, & tibi ipsi visus fueris sapiens, & obediens patri non fueris, omnes virtutes perdidisti. Nam obedientia plus valet, quàm omnes virtutes morales: hæc ille. Et quia constat Bohemiæ Reges, Principes, Barones, milites, communitates tam cleri, quàm populi semper obedientes fuisse, Et ut illa magnifica gloria in regno Bohemiæ conservetur, sub graviſſimis pœnis provideatur, ut nullus de regno teneat, asserat, vel dogmatiset aliter, quàm Romana Ecclesia in materia Catholica vel Ecclesiastica, & quod standum est in omnibus determinationi Sedis Apostolicæ, & eidem obediendum in omnibus, in quibus non prohibetur purum bonum, sed medium præcipitur, seu prohibetur. Et si quis oppositum faceret, ut gravis hostis, & inimicus præcipuus domini nostri Regis habeatur, & per censuram Ecclesiasticam est emendandus. Quod si corrigi noluerit, per brachium seculare est judicandus. Item, quod nullus sic errantem defendat aut protegat contra honorem Regis. Item, quod nullus teneat illos 45. articulos hæreticos, erraneos & scandalosos, qui damnati sunt per universitatem Pragens. & per Facultatem Theologicam sub pœnis excommunicationum, infamiæ, & perjurii, & in prætorio civitatis Pragens. similiter sub pœna exclusionis interdicti sunt. Hæc fuerunt per Regem Wenceslaum, & Barones regni provisa & mandata.

14. q. 1. *Hæc est fides*, c. 9.

Quapropter, Sereniſſime Rex, & vos Barones inclyti, diligite honorem regni, & talia esse non permittatis, & præsertim, quod illius hæretici (*b*) Wickleff libri hîc nominentur, legantur, vel describantur, & præsertim in 45. articulis, qui damnati per universitatem Oxonienſem, (*c*) Parisienſem, & Pragenſem.

*Rokizana defensio.*

Incidit in verba Rockyzanna, quod Wickleff, qui (*d*) arguebat superbiam & concubinatum

(*a Solam scripturam sacram.* Responsum Catholicorum ad hoc Hussitarum paradoxon, extat apud Cochlæum lib. hist. Huss. fol. 58. CAN.

(*b*) *Wickleff libri.* Extant apud Cochlæum lib. 1. Hussit. fol. 23. fragmenta Epistolæ Joannis Papæ ad Wenceslaum regem, in quibus ait in Romano Concilio libros Wiclef damnatos. CAN.

(*c*) *Parisienſem.* Extant apud Cochlæum lib. primo. folio 21. literæ Joannis de Gerson Cancellarii Universitatis Parisiensis ad Archiepiscop. Pragenſem contra Wiclephum. CANIS.

(*d*) *Qui arguebat.* Ita prorsus eodem modo Hus mentiebatur se propter eandem causam excommunicari. *O magister, sed non in Israël* (inquit M. Andreas Broda Bohemus in epistola ad Hus) *non veremini dicere, quod solum propter impugnationem criminum quæ clerus sequitur, excommunicationem & persecutionem patimini, &c. Si non esset causa alia, præterquam hæc, quod prædicatis contra clericos, nullus vos (ut æstimo) excommunicaret. Nam & antiquis temporibus Militius, Conradus Stryckna & alii quam plurimi contra clericos prædicaverunt, nullus tamen propter hoc excommunicationis fuit sententia subditus.* CAN.

Digitized by Google

cubinatum cleri, ideò receptus est in * abusionem; & pro hæretico. Et sicut dicit Hylarius, quod posuisset articulos hæreticos erraneos; & scandalosos, isti sunt articuli. Primò, quod decimæ sint puræ Eleemosynæ. Item; quod clerus non debet dominari civiliter. Item, si Rex esset in peccato mortali, non esset Rex. Sed istud intelligatur digne. Dixit (a) Hylarius ..... Qui recipis paleas, recipe granum. Scis quid dicit de remanentia panis de Sacramento Eucharistiæ?

SÆC. XV. ANNO 1465.

*Rockyzana*, (a) loquitur Wickleff scholasticè, sed vide quomodo ipse 1. Corinth. 11. ibi determinat. Kyzizanowschy (b) magister tamen ipse expressè determinat in tractatu de Eucharistia remanere panem, dicens: Confiteor corde & ore in hostia consecrata remanere panem materialem contra Innocentium Papam, quod pessimè fecit Innocentius mandans adorare illam hostiam, melius fecisset, si mandasset adorare (c) caput asini, &c. Item expressè in illo sermone, Ascendente Jesu in naviculam, determinat remanentiam panis, & non scholasticè, sed ad intentionem (b) *Rockyzanna**: minus juste damnatus fuit Wickleff in libris suis, & (d) Zwinek Archiepiscopus Pragensis (e) combussit libros suos, hoc fecit sicut homo ignarus, immò de ipso fuit (f) cantio: *Artibiskio abeceda Spalil Kmehii anwieda:* & postea ivit ad Ungariam ad Regis Bohemiæ fratrem, (g) ibi peste est consumptus. Et quod dicit, quod tempore Regis Wenceslai,

(a) *Locus corruptus. Hæc ni fallor ut intelligantur sic debent distingui; reponit scilicet Rokizana, Wiclefum locutum fuisse scholastice, deinde Chizizanowschi respondet, magister, hoc est, Wiclef, tamen &c.*

(b) *adde: reponit.* B.

(a) *Hilarius: Qui recipis paleas.* Hic locus quantumvis exscriptori corruptus visus fuerit, mihi non videtur; si benè distinguatur. Hoc modo ergo lego, sine hiatu. *Hilarius: Qui recipis paleas, recipe granum. Scis quid dicit de remanentia panis de sacramento Eucharistiæ? Rockyzana: Loquitur Wickleff scholasticè, sed vide quomodo ipse 1. Cor. 11. ibi determinat. Kyzizanowschy: Magister, tamen ipse expressè determinat in Tractatu de Eucharistia, remanere panem, dicens: Confiteor c.e.o.i.h.c.r.p.m.c.l.p.q.f.l.m.a.i. hostiam: melius f.s.m.a.c.a.&c. Item e.i.i.s.A.l.i.n.d.r.p. & n.s. sed ad intentionem. Rockyzanna: Minus juste &c.*

Quasi diceret Hilarius ad Rockyzanam: Tu qui Wiclefi leviores errores, veluti paleas recipis & enumeras, ecce tibi gravem & grandem, cùm docuit, in Eucharistia remanere panem. Quod Rockyzana conatus excusare, ait, Wiclephum loqui scholasticè, id est, referendo & dubitando, vel in utramque partem disputando, non autem asserendo, & determinando. Meritò autem mirari quis hìc queat, cur Rockyzana conetur dictum Wiclefi de remanentia panis mitigare, atque aliorum interpretari; cùm apertè & disertis verbis neget Transubstantiationem. At hic genius hæreticorum est, ut cùm effudere grandem blasphemiam, & quæ suo horrore omnes etiam primo aspectu percellere possit, pernegent & tergiversentur. Sic ipse Hus cùm docuisset remanentiam panis, tamen id Constantiæ pernegavit. *In primo adventu ejus in Constantiam*, inquit Joannis Przibram lib. de non-remanentia panis contra Wiclephitas, „ Venit ad „ eum Magister Didacus, dicens, Reverende Magister, ego „ simplex idiota. Et M. Joan. Hus dixit: Non es simplex, „ sed duplex. Et ille: Interrogo vos, an teneatis & asse„ ratis, post consecrationem & verborum prolationem fa„ ctam, in sacramento altaris remanere panem materialem? „ Et M. Joan. Hus respondit, Non teneo. Et ille, Non „ tenetis? Et Magister, Non teneo. Et cum sic ter repli„ casset, Joannes de Chlum ibidem sedens, indignanter „ dixit ad Monachum, Qualis es tu? tamen cùm mihi ali„ quis semel rem affirmaret vel negaret, ego sibi crederem. „ Et ecce hic tibi ter replicat, Non teneo. Et tu semper „ ulterius inquiris". Et in eodem libro refert Przibram, quàm vafre Hus interpretatus sit dictum suum de remanentia panis. „ Respondeo ad dicta Brodæ, deponentis contra „ eum, quod post consecrationem Eucharistiæ teneret, re„ manere panem. Respondit: Dixi & dico, quod in hostia „ remanet ille panis, qui dicit, Ego sum panis vitæ". Hanc inconstantiam Hus modo negantis, modò affirmantis imitatus Rockyzana, mirè in hoc tergiversatur: ut habetur infra fol. 487. „ Instabant Doctores frequenter, ut confiteretur fidem „ de venerabili Sacramento, an panis ibi remaneat. Unde „ pulsatus dixit: Jam ego semel confessus sum coram Impe„ ratore, non oportet quod plus dicam, &c. Et cum in„ starent ambo Doctores, ut adhuc confiteretur, nihil plus vo„ lebat dicere, sed dixit, Ad vestram voluntatem illud non „ faciam. Ego habeo bonam fidem". CAN.

(b) *Magister.* Kyzizanuschy Rockyzanam alloquitur & Magistrum vocat, objicitque illi horrendam blasphemiam quam Wiclephus in tractatu de Eucharistia effudit. CAN.

(c) *Caput asini.* Similem blasphemiam habet Wiclephus in hoc ipso qui hic citatur, sermone, super illa verba: Ascendente *Jesu* in naviculam. *Et revera Papa Innocentius & ejus discipuli*, inquit Wiclephus serm. de Navicula, *Possent citius facere, multos fideles credere, quod ipsum Sacramentum sit caput Asini, vel quacunque substantia alia nominandum.* Hæc Wiclephi verba objicit, & citat M. Przibram apud Cochlæum lib. 2. hist. Huss. fol. 90. Sed hæc Wiclephus non dixisset, *nisi cor Asini ipse potius habuisset, & impudentiam canis*, ut utar verbis Josephi, lib. 2. contra Apionem. Et mirum quomodo & Lutherus & Melanchton & Calvinus simili impietate, asini verbo ludant contra orthodoxos. *Sed asinos, hoc est, semetipsos, gravant, & faciunt stultitia simul & mendaciis oneratos*, ut ait Josephus de Apione. Quàm irreverenter S. Eucharistiam tractarint, audi ex Epistola Juliani Cardinalis ad Joannem Hofman Episcopum Misnensem anno 1431. missa. *Quàm turpiter autem & ignominiosè contrectent divinæ Eucharistiæ Sacramentum, quod prophanis pedibus in sanguine occisorum conculcant.* CAN.

(d) *Zwinek.* Fuit hic Suinco ab Hasenberg. Apud Cochlæum lib. 1. hist. fol. 17. Huss. extant literæ M. Andreæ de Broda Bohemi, literæ plenæ spiritu Dei, ad Suinconem hunc Raudnicii arce sua Archiepiscopali tunc degentem, quibus persuasit ut Wiclephi libros combureret. CAN.

(e) *Combussit libros.* Et Thaboritas & Hussitas valdè ussit hoc factum Suinkonis: de quo historicus Thaboritarum Joannes de Lukawetz hæc: „ Anno 1429. Magister Joannes „ dictus Przibram, honoris Dei, veritatis Evangelica æmu„ lus, & famæ regni Bohemiæ, ac salutis propriæ immemor, insurrexit libros Doctoris Evangelici, Magistri videlicet Joannis Wicleph, hæreticans & erroneans. Qui li„ bri Magistro Joanni divæ memoriæ (ut noscunt plures fide„ digni, quod sic asseruit) aperuerunt oculos, dum eosdem „ volvebat & revolvebat, unà cum pluribus sibi adhærentibus „ pro tunc Magistris, olim valdè dolentibus de combustione „ librorum Doctoris antedicti, de anno Domini 1410. per „ Suinconem Archiepiscopum Pragensem & suos Simoniacos „ Prælatos Pragæ facta, &c". quibus pergit enarrare quæ combustionem hanc consecuta, scilicet, incommoda. CAN.

(f) *Cantio: Artibiskio Abeceda Spalil Kmehie Anwieda.* De eadem cantione Cochlæus lib. 1. hist. Huss. fol. 18. „ Libris „ verò combustis, Joannes Huss, ut Archiepiscopo injuriam „ rependeret, ita & odiosum & contemptibilem eum suis de„ tractionibus populo reddidit, ut plerique partium suarum lai„ ci, vulgares & ironicas in optimum Patrem cantiones con„ fingerent ac decantarent in publico, Suinick Krasehy Spalil. „ propter eam librorum combustionem. Et adeò increbruit ea „ cantionum contumeliosa frequentia, ut rex Wenceslaus pu„ blico dignatus sit prohibere edicto, ne amplius decantaren„ tur ejusmodi cantilenæ sub pœna capitali, omniumque fa„ cultatum amissione". CAN.

(g) *Ibi peste est consumptus.* Convenit hoc cum Æneæ Sylvii narratione, obiisse postquam ad regem perveniisset: à quo (fratre Wenceslao omnia negligente) auxilium contra Hussitas petiit, ejusque promissa accepit. Alii Bohemi, ut & Stephanus Paletz, narrant, in itinere obiisse Possonii, antequam ad regem perveniisset. An peste obierit, ut ait Rockyzana, meritò dubitari potest. Alii aiunt, mœrore confectum esse. Stephanus Paletz lib. contra Hus hæc habet: „ Reverendus pater dominus „ Archiepiscopus, olim S. Sbinco, sancto insistens labori, pro „ illorum malorum, præcipuè pro illius venenati capitis malo„ rum Wicleph, & ejusdem sacrilegarum doctrinarum exter„ minio, factus fuit, ex inobedientia & rebellione illius Ma„ gistri Huss, contemptibilis, & pænè fabula in populo. Qui „ Reverendus Pater, etsi ætate satis juvenis, sed morum ho„ nestate canus & gravis, Domini sui Jesu Christi exemplo „ edoctus solido, qui perfidorum Judæorum cedens scandalis, „ exivit de templo, & abscondit se. Non ut convictus & servi„ liter fugeret, sed tempus ut tempori reservaret, &c. peragratâ „ terra Moraviæ, ut venisset in Ungariam, visitaturus Serenissi„ mum Principem, ejusdem terræ Ungariæ Regem Sigismun„ dum, antequam perveniisset ad illius conspectum, præoccu„ patus & visitatus ipse prior divina providentia, ut sui certa„ minis optimæ retributionis acciperet præmia, &c". CAN.



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1465.

ceslai, magiſtri & Doctores ſic conſuluerunt, hoc eſt verum; illi de adverſa parte ſed multi fuerunt boni viri, & docti magiſtri, qui non conſenſerunt, ſed ſtabant cum veritatibus cognitis non ſicut vos. Et parcas mihi, neque iraſcaris.

Et extenſo digito oſtendebat dicens: (a) Tamen, tu, tu, & tu fuiſti cum veritatibus & receſſiſti magiſter Stanislaus cum digitis Rockyzannæ ad eum veniſſet, conſtanti & alta voce reſpondit: *clatzto mily buoh aby takowy will.* Cui Rockyzanna pertinaci verbo etiam mortem ſibi imprecando ſubitaneam reſpondit, quod mori vellet antequam talis fieret.

(a) *Nempe Hilario Decano & adverſario. Hic enim fuerat in alia ſententia, ut patet ex ſequentibus.* BAN.

*Hylarius:* interrogavi te una vice, cum convenisſemus coram rege de hac quæſtione an receſſiſti à veritate ad veritatem, vel à falſitate ad veritatem, alia membra negares, de falſo ad falſum, vel de falſo ad verum: Si primum dicis, cur me arguis? ſi ſecundum, damnas totum mundum, & tamen es contra compactata. Confiteor ergo, quod aliquando fui talis, ſed cum fui parvulus, ſapiebam ut parvulus, ſentiebam ut parvulus, ſed cum factus ſum vir, evacuavi ea, que ſunt parvuli. Nonne S. Paulus dicit de ſe, quòd perſecutus ſit Eccleſiam Dei? Et B. Auguſtinus libro confeſſionis dicit, ſe tardè ad Chriſtum rediſſe. Sed ut intelligas, quid ſit apoſtata, dicit una gloſſa in c. de apoſtatis, quod apoſtaſia eſt triplex, perfidiæ, inobedientiæ, & irregularitatis. Perfidiæ, qua quis pervertitur & recedit à fide, ſicut Julianus apoſtata: inobedientiæ, qua quis præceptum ſui ſuperioris transgreditur, ſicut Adam præceptum Dei. Irregularitatis, qua quis ab ordine ſuo recedit. Quo igitur genere nos ſumus apoſtatæ, poteris cognoſcere..... tu genere inobedientiæ es apoſtata, quia tuis ſuperioribus obedire contemnis. Etiam eſſes apoſtata, quia communicaſti ſub una ſpecie, & fuiſti in monaſterio M. Rockyzanna & magiſter de Ochaw communicavit, & (a) magiſter Conrada ſimiliter communicavit. Tunc negavit magiſter Conrada, ſed (b) cives Pilſnenſes illud conſtanter affirmabant, & in faciem ejus volebant confiteri. *Hylarius*, quidquid fecit Zwinek de illis libris fecit maturè, & habuit homines doctos, Doctores & Capitulum, ſine quibus nihil faciebat, ſicut Papa nihil facit ſine conſilio Cardinalium, & Rex ſine ſuo conſilio, ipſi viderunt, quod fuerunt articuli omnes hæretici, vel ſuſpecti de hæreſi & ſcandaloſi. Et quod allegas de decimis dicens, quod ſint puræ Eleemoſynæ, illud falſum eſt, quia decimæ ſunt debitæ jure divino, & presbyter poteſt eas repetere à nondante; ſed eleemoſynarius non poteſt eam Eleemoſynam repetere à non dante: ideò non ſolvens decimas, poteſt compelli per jus Eccleſiaſticum, ſed non dans Eleemoſynam, non poteſt. Et propterea pauper non dicit. Ego te ammoneo: volo, ut mihi des Eleemoſynam: ſed rogat, ſicut dicit Joannes gloſſator decreti, quod Eleemoſynario non competit actio, quamvis habeat jus ad Eleemoſynam. De dominio verò cleri ſufficienter tibi determinatum eſt in compactatis per duas concluſiones. Primò, quod talia non religioſi, ſeu qui ſe voto ad hoc non obligaveruet, licitè poſſunt habere & poſſidere quæcunque bona temporalia, hæreditates paternas, aut aliorum, ſi eis relinquantur, & alia bona juſtè acquiſita, ex cauſa donationis vel alterius liciti contractus vel arte licita. Secunda concluſio, quod Eccleſia poteſt habere & poſſidere bona temporalia, mobilia, & immobilia, domos, prædia, villas, & oppida, caſtra, & civitates, & in eis habere primatum & civile dominium. De Rege verò, quod non poteſt eſſe Rex, ſi eſſet in peccato mortali, & illud expreſsè falſum eſt, quia cùm homo neſciat ſi odio vel amore dignus ſit, & nemo poteſt dicere, Ego ſum ſine peccato, juxta Canonicam Joannis; nemo poteſt eſſe Rex. Et ſicut dicit Wickleff, quòd una vetula poteſt eſſe Rex vel Papa, quia melior eſſet, tunc illa vetula veniens poſſet dicere Regi, Surge de tuo ſolio, quia ego ſum dignior te. Et tunc dominus Rex ſubridens reſpondit: Putas, quod ego ei ſtatim recederem? Hylarius verò continuans dicebat: In hoc totus error Wickleff conſiſtit, quod officia ſecularia & Eccleſiaſtica conſiſtere poſſint in merito, & non in auctoritate. Utinam omnes Pontifices eſſent paris meriti cum ſancto Petro, bonum eſſet: ſed non ſuccedunt ſibi in merito, ſed duntaxat in officio, ſicut Rex noſter ſancto Wenceslao, & Epiſcopus Pragenſis (c) ſancto Adalberto, & tamen illi ſunt ſancti, de iſtis eſt adhuc dubium. Deinde rediens ad propoſitum Decanus dixit: Sereniſſime Rex, ſicut Serenitas tua optavit circa materiam compactatorum, Eccleſia Pragenſis, ſicut dixit, ſemper fuit in obedientia Romanæ Eccleſiæ; & quando iſta turbatio facta eſt in regno, tunc patres noſtri pulſi ſunt, vexati ſunt, quidam in pulverem redacti, & multa mala in iſto regno facta ſunt, & per quem illud fuit

*De decimis.*

*De dominio cleri.*

*De Rege, ſi ſit in peccato mortali.*

(a) *Magiſter Conrada,* Puto illum eſſe, quem Cochlæus lib. 4. fol. 170. & 172. propugnatores Huſs enumerans, Wenceslaum Conradam vocat, quo Duce Ziska bellum inchoavit, teſte Cochlæo lib. 5. fol. 178. CAN.

(b) *Cives Pilſnenſes.* Qui ſemper Catholici, contra Huſſitas & Thaboritas conſtanter pugnarunt. Notum eſt Ziskæ ſtratagema, dum pepla mulierum ſparſit, ubi pugnandum erat ad Piltznam. Vide Cochlæum libro 5. fol. 217. CAN.

(c) *S. Adalberto.* Quomodo S. Adalbertus Praga Romam diſceſſerit, moribus pravis offenſus, narrat Baronius Tom. 10. anno 983. & quomodo anno 989. redierit Pragam. CAN.

Digitized by Google

fuit factum, intelligit vestra Serenitas. Deinde Sigismundus Imperator misertus terræ, fecit aliquos tractatus & vias, ut induceret pacem in terra; & sacrum Concilium consensit propter bonum pacis ad illam intentionem, quod per hoc homines inducantur ad pristinam obedientiam: nec erat intentio concilii illud perpetuò tenere: hoc dico ideò, quia sic in curia Romana intelligitur & ubique. Et dico, quod compactata non sunt facta propter nos, quia nunquam recessimus ab obedientia, nec cum nostris Prælatis aliquid de his factum fuit. Sed quia magister dicit, quod propter nos facta sunt, tamen nos eis non indiguimus aliquando, quia semper fuimus sub obedientia, de quo est sermo, sint ita, ut sunt, vos videte, si ita tenuistis, & si ub..... manebunt. Nos autem rogamus vestram Serenitatem, sicut in priori convocatione petivimus, ut Serenitas vestra nos & Ecclesiam Pragensem conservet, sicut prædecessores vestri, quorum nullus nos arctavit ad observationem illorum compactatorum, quia nos semper stetimus, stamus, & stabimus sub obedientia, & in praxi communionis unius speciei, quoad fidelem populum, & in ipsa vivimus & morimur; sed & vestrum Capitulum sumus, & pro vestra salute oramus.

SÆC. XV. ANNO 1465.

*Compactata non debent observari.*

Rockyzanna surgens processit ad accusationem Catholicorum, & ipse primùm contra magistrum Valentinum, tunc præsentem, plebanum in Wudmia incepit, quomodo ipse prædicasset, quod popismata dant sacerdotes nostri, & alia innumera convitiosa. Tunc assurrexit nobilis dominus Ulricus de Hasenberg, & locutus est: quod cum hic sermo deveniisset ad eum, volens certitudinem scire, obtulit illum, ut constituatur coram Officiali Ecclesiæ Pragensis, coram Doctore, & quod Rex mittat aliquos ad audientiam, ubi judicet illum Decanus, juxta sua demerita; & quod illa mulier non fuisset parata ad objiciendum, & petivisset dilationem: & ita res fuit dilata, & non stetit per eum. Rockyzanna verò fortiter institit, ut audiantur testes statim mulieris contra magistrum Valentinum. Sed Rex hoc interrupit, ut procedatur in aliis accusationibus, & postea ad omnes simul respondeatur, cum tempus comparitionis partibus positum fuerit. Exhinc multæ accusationes factæ sunt contra magistrum Georgium plebanum in Sobieslaw, quas legit Thobias de sancto Henrico, & similiter contra magistrum Georgium, quod ordinasset de quodam sacerdote de Dachaw, ut non intraret civitatem, & quod esset in fidejussoria cautione: Surgens autem magnificus (*a*) dominus Rosarum multa bona & optima locutus est, justificando magistrum Georgium, & de illo presbytero in Dachaw, & quomodo Rockyzanna scripsisset aliqua civibus suis in Sobieslavia, quæ non sonant pacem & unitatem, &c.

*Accusationes variæ criminum.*

Deinde fuerunt accusationes variæ & multæ contra plebanos multos. Tunc nobiles & generosi domini, dominus (*b*) Zdencko de Sternberg, dominus Leo Judex regni, dominus de Rabiæ ipsum Rockyzannam multis & ingeniosis viis convicerunt. Inter quas dominus Zdencko convicit Rockyzannam de quodam dicto suo negato, quod Rockyzanna dixit sibi, quod communicare sub una specie est satis ad salutem hominis æternam. Item dominus (*c*) Wilhelmus de Rabiæ, postquam dominus (*d*) Koscka & Malawetz & alii nonnulli cives multa locuti fuissent, semper interrumpentes sermonem Hylarii & Kyzyzannowsky, prudenti usus verbo dixit, quod nos tanta & majora loqui possemus, & nostros juvare, sed assistimus domino Regi, non ut partem teneamus, sed ut audiamus & consulamus. Postea multæ accusationes fuerunt lectæ (*e*) contra Capistranos & in (*f*) Piltzna, & in Pragensi, deinde contra Hylarium & Kyzyzannowsky. Postea Rockyzanna exhibuit quandam literam missilem, datam à domino Decano Pragensi, cuidam sacerdoti, in qua inhibuit sacros liquores dare alteri

(*a*) *Dominus Rosarum.* Dominos de Rosenberg & constanter Catholicos & strenuos tum fuisse, vetusta Chronica Bohemorum apud Cochlæum lib. 8. fol. 277. testantur: „ Tunc Dominus Ulricus de Rosis, Dominus Wenceslaus „ Micholitz de Strakonitz, & alii Barones in districtu Piltz„ nensi cum Piltznensibus, strenuos famosos Equestres & „ Pedestres cum curribus & bombardis, repentino transitu, „ benè ad 12. millia in subsidium direxerunt: ibique inter „ Brodam Bohemicalem & inter Gurym civitatem in cam„ po cum ipsis conflixerunt, & ipsos Thaboritas prostrave„ runt. Procopium & alium Procopium parvum, sacerdo„ tes ipsorum occiderunt, & alios multos interfecerunt, & „ cremaverunt. CAN.

(*b*) *Zdencko de Sternberg.* Fuit hic Burggravius Pragensis, ut patet ex literis Baronum Bohemiæ ad Slesitas apud Cochlæum; libro duodecimo, folio quadringentesimo & decimo quarto. Hic Zdencko restitit Gyrzikoni regi, ne Rockyzana Archiepiscopus Pragensis declararetur. Vir de Catholica religione optimè meritus. CAN.

(*c*) *De Rabia.* An Wilhelmum de Rabenstein intelligit? De Rabensteiniis vide quæ notamus ad fol. 501. v. 11. CAN.

(*d*) *Koscka.* Fuit hic Hussita, ut patet ex responso quod dedit Regi Gyrzikoni, dum contra Catholicos fidei suæ professionem fecit. Extat apud Cochlæum libro duodecimo folio quadringentesimo & vigesimo septimo. An est ille Koscka qui in literis Baronum Bohem. ad Slesitas vocatur Zdencko Koska de Postupitz, Magister monetæ montium Cuthnæ? CAN.

(*e*) *Contra Capistranos.* Extat apud Cochlæum lib. 10. histor. Hussit. Epistola Rockyzanæ virulenta ad Capistranum, cui offert disputationem de utraque specie, & Capistrani responsio, aliæque literæ ejus dignæ lectu præsertim quæ ad Regem Gyrzikonem. Ubi vide quàm calumniarum plena Hussitæ in Capistranum effuderint; ut non mirum sit & hic Capistranos (id est Capistrani sectatores & fautores) accusari. Licet putem per Capistranos, hic intelligi Franciscanos. *Fratres S. Francisci*, inquit Cochlæus lib 11. *qui per Sigismundum Cæsarem, post multas Hussitarum clades, ad Pragam deducti fuerant, conante Rockyzana, repulsi sunt.* CAN.

(*f*) *Piltznè.* Pilsna urbs Bohemiæ semper constantissimè in fide Catholica perstitit, licet magna & multa ab Hussitis pericula excepisset, teste Cochlæo libro 5. Anno 1423. meminit Joannes Polomar apud Cochlæum libro 7. fol. 269. obsidionis qua Taboritæ & Orphani Piltznam Procopio Raso duce premebant. Piltznenses à Concilio Basileensi opem implorarunt & impetrarunt.

Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1465.

teri sub juramento. Illam literam Hylarius non negavit, verum manifestè dixit, quod nulli dabo sacros liquores, nisi sit sub obedientia: sic hæc dies absumpta est.

*Compactata debent observari.*

Altera verò die, scilicet feria sexta, cum convenissent, cœpit Rockyzanna paucis de heri relictis loqui, & communionem utriusque speciei commendare, & quomodo ipse fuisset auctor compactatorum, & gravi labore eam evicerit, quod non ita ea de facili dimittat. Et ad ejus verba dominus Koscka & Trzkamolowetz, & alii partis suæ multa pro observatione compactatorum sunt locuti. Et quia lecta fuerat litera, & conclusio Regis Wenceslai heri, ipse etiam ad confirmationem dicti sui, quod non omnes consenserunt domini, extraxerat quandam literarum copiam, multorum dominorum Baronum, & præsertim Moraviæ, ubi facta est liga per eos, quod vellent instare coram Domino nostro sanctissimo, ut communio utriusque speciei eis confirmaretur. Inter quos erat inscriptus dominus (*a*) pater domini Zdenckonis de Sternberg. Et cum ille dominus nominatus fuisset, tunc Rockyzanna dixit, ad dominum Zdenckonem. Ecce pater tuus. Cui dominus Zdencko, Quomodo ipse tenuerit, in fide, illud sigillavit sanguine suo (*b*) apud Wisegradum, ubi interemptus est pro fide, cum juvabat Imperatorem Sigismundum. Hylarius verò, captata benevolentia secundùm suam consuetudinem, ita locutus est: Rex Sereniſſime, magister iste cum dominis suæ partis multa loquitur pro observatione compactatorum suorum, respondimus jampridem Serenitati vestræ, quod compactata pro nobis facta non sunt, nec unquam Ecclesia Pragensis aliquid deliquit contra Ecclesiam Romanam, ut cum ea pacta faciat: & ibi satis materiam dilatavit: tamen ut intelligat, quod ipse cum suis nunquam tenuit, nec tenet, volo in forma loqui, assumendo aliquot puncta de compactatis, in quibus expressè non tenentur: Dicitur primò in compactatis: inprimis recipimus unitatem Ecclesiasticam. Unitas Ecclesiastica secundùm doctrinam Doctorum in capitulo primo de apostatis, & in c. Firmiter, de hæreticis, consistit in tribus, scilicet in fide, in charitate & in obedientia. Et quia ex corruptione fidei fit hæresis, ex corruptione obedientiæ fit schisma, & ex corruptione charitatis fraternæ fit anathema & excommunicatio. Si igitur dicis, recepisti unitatem Ecclesiasticam: ergo non fuisti in ea, & sic inducis hoc verbo super Bohemos, quod prius fuissent extra unitatem Ecclesiasticam, & sic in excommunicatione, in hæresi, & in schismate. Ecce tua pulchra provisio honoris Bohemorum per compactata. Item dicitur, Ecclesiasticam. Quæro à te magister, cum qua Ecclesia recepisti unitatem, non cum illa prædestinatorum, quia nescis, an omnes in concilio fuerint prædestinati, & tamen cum illis recepisti, qui fuerunt visibiles repræsentantes Ecclesiam.

*Accusatur Rokezana circa fidem.*

Item, etiam promisisti obedientiam sacro Concilio, & Summo Pontifici, & Prælatis vestris, sicut patet in litera domini (*c*) Alfonis inserta in compactatis: & tamen expressè prædicas contra illam in sermonibus tuis, & tui sacerdotes: immò fui cum sermone tuo semel, in die Parasceves, ubi dixisti inter preces, *Proſceboha Zapapezie aprawietzet ſit Zwaproſte Zaoba:* his verbis parvificando dignitatem Pontificalem, quod idem tenes de unius potestate, ac si essent duo vel plures. Item, quandam cantionem hæreticam permittis cottidie cantare: *Wierni Kieſtanæ*, in qua sunt aliqua puncta hæretica. Et vellem sub magna obligatione probare, quod continet aliquot hæreses. Similiter appellando Ecclesiam Scarioticam bestiam & meretricem, matrem tuam, cui promisisti obedientiam. Item, quia dicitur in compactatis: in omnibus præter usum utriusque speciei. Quæ verò sint illa omnia, sunt expressa in (*d*) execu-

(*a*) *Pater domini.* Videtur hic fuisse Petrus de Sternberg; qui rege Wenceslao mortuo, Sophia Bavara cum Zenkone Wartembergensi regnum gubernante, & auxilium Sigismundi Imper. præstolante, fortissimè cum Hussitis pugnavit, & *apud Insulam Benedicti, aquo Marte prælium diremit*, inquit Cochlæus libr. 5. fol. 179. CAN.

(*b*) *Apud Wisegradum.* De Wissegrado Bohemiæ, non Hungariæ, hic sermo est, ut servaret præsidioque muniret arcem Pragensem & Wisegradensem dedit ducibus belli Sigismundus Imp. auream tumbam S. Wenceslai. Sed mox arx Wisegradensis ab Hussitis expugnata est, Sigismundo frustra opem ferente, in cujus exercitu ingens facta strages, plurimique Proceres & Barones ceciderunt, inter quos sine dubio etiam iste Sternbergius. *Ut intelligere posſit Rex*, inquit, prudenter Cochlæus libro quinto, folio 182. *infeliciter datam fuisse Capitaneis auream S. Wenceslai tumbam:* etiam necessitate pecuniaria urgente: quod & ab Hussitis contumeliosè objectum est Imp. Sigismundo art. 11. de accusatione, quam ad Principem quendam miserunt contra Sigismundum. Extat apud Cochlæum lib. 5. fol. 202. CAN.

(*c*) *Alfonis. Dux gentis*, inquit Cochlæus lib. 7. fol. 270. *declaratus est Alzo Risemburgensis, antiqua nobilitatis homo, sed tenui censu: quem capitaneum & gubernatorem regni vocaverunt. Erant quidem apud eum Majestatis insignia, auctoritas verò apud Mainardum extitit.* Extant hæ ipsæ, ut puto, literæ Alzonis anno 1435, in quibus Hussitæ obedientiam Romano Pontifici promittunt, apud Cochlæum lib. 8. fol. 288. „ In Dei nomine Amen. Nos Alzo de Risemberg, aliàs de Wizieſtiovu, Gubernator regni Bohemiæ, „ Barones, Nobiles, Milites, Clientes, Praga civitas, ac „ cæteræ civitates, ac sacerdotes, generalem congregationem regni Bohemiæ, & Marchionatus Moraviæ faciens, „ tes, &c. Pro complemento & executione Compactatorum per vos omnes, vel majorem partem, præstandum „ reverentiam debitam, & obedientiam Canonicam sanctæ „ matri Ecclesiæ, sacro generali Concilio, Romano Pontifici", &c. Extant ibid. fol. 265. aliæ Alzonis literæ. *His ergò sic peractis*, inquit Cochlæus ex Bohemorum monumentis, „ M. Johan. Rockyzana cum aliis quatuor Presbyteris, nomine totius Cleri sibi adhærentis, obedientiam „ Romanæ Ecclesiæ se præstare publicè profesſus est, sedente pro tribunali in foro civitatis Iglaviæ, ipso Imp. „ gismundo, & Alberto genero assistente". CAN.

(*d*) *Executoriis compactorum tempore Philiberti.* Extant quidem apud Cochlæum lib. 8. fol. 289. executoria Compactatorum, quorum titulus: *In nomine Domini noſtri, &c. Nos Philibertus, Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia Epiſcopus Conſtantienſis provinciæ Rothomagenſis, &c.* Sed alia hic citantur executoria; & fortè illa, de quibus ibi his verbis mentio: *Dabimus Bullam ſacri Concilii, in qua inſerentur Compactata, & confirmabuntur. Item aliam Bullam, in qua inſeretur litera pro executione Compactorum.* CAN.

Digitized by Google

executoriis compactatorum tempore Philiberti factorum Pragæ, quæ incipiunt, Petimus, sic scriptum est, &c. Primò, quod septem Sacramenta ritè & canonicè administrentur. Contra illud, & primò de Sacramento Baptismatis, quia baptizavit in vulgari Bohemico contra prohibitionem Ecclesiæ, & ejus usum. Item, compatres compellunt ad communionem, similiter post communionem communicant parvulos. Item, circa illud Sacramentum & alia conantur auferre, & de facto faciunt, non permittentes administrationem Sacramentorum in Ecclesia Metropolitana Pragensi, contra omnem libertatem Ecclesiæ nostræ, cum tamen omnia jura dicant, quod omnis Christianus habeat tres superiores, sive, ut dicam, plebanos curatos. Primò & ante omnia Dominum nostrum sanctissimum, secundò dominum Episcopum diœcesanum, tertiò plebanum suum: à quolibet istorum potest homo omnia Sacramenta recipere absque alterius requisitione. Item, quod plus horrendum est, rebaptisant eos, quos in Ecclesia Pragensi baptisamus, non credentes in Ecclesia Pragensi Catholica esse Sacramenta, cùm tamen apud illam solam sint & extra Ecclesiam Catholicam non sit salus. Item, circa confirmationem sunt quidam sui sacerdotes, sicut Lupatz, & alii, qui dicunt, quod sacerdos potest crismare in fronte, quod est expresè contra Canonem, Quanto de consuetudine: & ibi est lectus expresè ille Canon. Item, circa confessionem sacram prohibentes, ut prius dixi, ne ascendant ad castrum, ad confessionem & pœnitentias: immò multi pro injuncta pœnitentia, ita dicunt: Vade, & amplius noli peccare & ad castrum ambulare. Item circa Sacramentum ordinis, quia, heu! sacerdotes ejus inordinatè ordinantur in Italia, aut aliâs, ubi possunt, furtivè extra tempora, extra ætatem, extra licentiam suorum superiorum, symoniacè à symoniacis, à depositis, à suspensis, à degradatis contra formam Ecclesiæ, & juramenta sua, quæ exhibent suo ordinatori, ut patet in Pontificali, ubi jurant omnes Canones observare, Item quod erunt obedientes suo Episcopo & Ecclesiæ, &c.

SÆC. XV. ANNO 1465. *Rebaptisatio.*

Quomodo verò ordinantur, in parte mihi constat, cùm fui in Italia, & illud audacter dicere possum, quod quotquot sunt ordinati in Cumaclia, quod omnes habent falsa sigilla: Nam in litera stat Memardinus Episcopus Cumaclensis, & in sigillo stat Episcopus Cermensis. Ecce concordia qualis? Circa Sacramentum Eucharistiæ primò, quia magister mihi & nobis est multùm suspectus de remanentia panis, nisi fidem suam publicè hîc confiteatur. Et hoc ex eo, nam ipse in audientia multorum, in prætorio antiquæ civitatis, ubi etiam & nos fuimus, dicebat, quod nulli Doctores determinant, an ibi remaneat panis, vel non. Cui statim restitit quidam sacerdos Paulus plebanus ad S. Martinum Pragæ, & tamen oppositum expresè est positum in executoriis compactatorum, ubi dicit. Item, quod in Sacramento Eucharistiæ post verba consecrationis sub speciebus panis & vini est totus verè Christus, & non remanet ibi substantia panis & vini materialis, sic teneant & prædicent, &c.

Item, est expresè contra Ecclesiæ determinationem in capitulo Firmiter credimus, in c. Una verò: ubi dicitur ita: Una verò est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omninò salvatur, in qua idem ipse sacerdos est sacrificium Christus Jesus, cujus corpus & sanguis in Sacramento altaris, sub speciebus panis & vini veraciter continentur, transubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem, potestate divina: ut ad perficiendum mysterium unitatis accipiamus ipsi de suo, quod ipse accepit de nostro. Et hoc utique Sacramentum nemo potest conficere, nisi sacerdos, qui ritè fuerit ordinatus, secundùm claves Ecclesiæ, quas ipse concessit Apostolis eorumque successoribus Jesus Christus. Et ut Serenitas vestra serenius intelligat, dicit glossa in capit. Marthæ, de celebratione Missarum, quod triplex fuit opinio de corpore Christi in Sacramento altaris. Prima, quod supplent Doctores, quæ tenet, quod simpliciter in Sacramento altaris non est aliud, quàm panis & vinum, & quod ibi sit solum memoria passionis Christi. Hanc declarare est plus corda fidelium inficere; quia est glossa hæresis. Secunda opinio est, quod ibi substantia panis & vini desinit esse, & incipit esse corpus Christi & sanguinis. Tertia, quod ibi panis & vinum maneat, sed post prolationem verborum, tunc fit ibi corpus Christi, substantia panis remanente, secundùm quod tenebat Berengarius. Et ponunt exemplum de Salvatore nostro, quando sepultus fuit in sepulchro sigillato & clauso, deinde resurrexit: erat hora, in qua transivit per lapidem illum sigillatum, & ita fuit simul corpus Christi in lapide. Similiter quando Dominus noster ostio clauso transivit ad Apostolos, ubi quando intravit, simul fuit in ligno corpus Christi: & hæc etiam est hæretica, de qua mihi suspectus est magister & omnes eum sequentes, nisi confiteatur: Quia quarta posita est sententia Doctorum secundùm fidem, juxta illud c. Firmiter, quod panis & vinum transubstantiantur in corpus & sanguinem Christi, accidentibus remanentibus & circumstantibus per potentiam divinam ibidem: & illam sententiam Ecclesia approbat, ut glossa ibidem dicit.

Item, quia prædicat magister de medio Sacramento, & allegat illum Canonem,



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1465.

C. *Comperimus explicatur.* *Cap. 10.*

Comperimus, de con. di. 2. c. 12. Sed ut intelligas magiſter, & etiam auditorium iſtud; ſunt duo Canones in eàdem diſtinctione poſiti, propter duos errores, qui fiebant circa communionem ſacerdotum in miſſa. Erant enim quidam ſacerdotes, qui non totiens ſumebant Sacramentum, quotiens conſecrabant, & contra illos loquuntur iſti Canones: peracta: ubi dicitur, Peracta conſecratione omnes communicent, qui noluerint Eccleſiaſticis carere liminibus, ſic enim Apoſtoli ſtatuerunt, & ſancta Romana tenet Eccleſia. Alius Canon in c. 11. Relatum, ad idem dicit, ſicut patet in Rubrica, ubi dicitur: Quiſque ſacerdos quotiens Miſſam celebrat, totiens ſacram communionem percipiat. Alii erant ſacerdotes, qui tantùm unam ſpeciem ſumebant, & ab alia abſtinebant, & illi erant de ſecta Manichæorum, & contra illos eſt Canon alius Gelaſii, quem ſemper ſacerdotes tui, magiſter, ſiniſtrè pro laicis prædicant. Inſpice illum diligenter, & ſi quem vis Canonem intelligere, ſcire debes, quod quilibet Canon habet duo, ut dicunt Doctores, corpus & animam. Corpus Canonis eſt ipſe textus, anima verò eſt ſuus intellectus, ſecundùm ſenſum autem Eccleſiæ, corpus mortuum eſt ſine anima. Sic textus cujuslibet auctoritatis nihil inducit ſine ſenſu Eccleſiæ. Cum igitur ſtat in decreto, in rubro, corpus Chriſti ſine ejus ſanguine non debent ſacerdotes accipere, & gloſſa Joannis addit: hoc intellige de conficiente: & rubrum debet concordare cum nigro, ſicut hoc latè poſſet deduci, non debet iſte Canon intelligi de laicis, ſed presbyteris conficientibus. Item tenet neceſſitatem Sacramentalem communionis utriuſque ſpeciei. (a) Non eram in ſermone ſuo una vice, quando dicebat, quod ſicut fides eſt noſtra, credere quod Chriſtus natus eſt de Maria Virgine, ita eſt fides noſtra, quod populus communis debet communicare ſub utraque ſpecie. Sed quia nullus ſalvatur ſine fide incarnationis, & ita nullus ſalvaretur ſine communione utriuſque ſpeciei, & tamen multi ſalvati ſunt ſine communione utriuſque ſpeciei. Et etiam dictum Baſileenſis Concilii dicit, Quod ſive quis, &c. Item etiam, ſicut dicebas, magiſter, quod magiſtri determinaverunt: tamen expreſsè habes in ſchedula, quam porrexerunt Legatis, ubi dicitur, Magiſtri quæſiti de neceſſitate, reſponderunt, quod adhuc eſt eis dubium, an cadat ſub præcepto, & ſub quali præcepto, & quod neſciunt, an ſit hoc alicubi determinatum per Concilium. Sed quia jam eſt determinatum per Concilium Conſtantienſe, & ſic non facit dubium.

(a) *Forſan: Nam.*

*De communione parvulorum.*

Item, communicando facit omninò contra compactata. Nam expreſsè dicitur in compactatis: communicabunt illi, qui talem uſum habent, ſed parvuli non uſum habent: ergo: nec poteſt dici, cùm ſemel vel bis recipiunt, quod habeant jam uſum, quia ſi non habent rationem, uſum habere non poſſunt, cùm uſus & conſuetudo propriè ſumpta, ſolùm ſit circa ratione utentes, quod non habent pueri. Item dicunt compactata, qui habent: non dicit, habebunt, ſed, qui habent, de præſenti. Item inferius in compactatis dicitur, communicabunt illas perſonas, quæ in annis diſcretionis conſtitutæ reverenter poſtulaverint. Item, quia non fuit de mente Concilii, nec ſuorum legatorum: nam cùm ſcivit Concilium, quod cùm communicarent parvulos Bohemi, ſtatim ſcripſit Imperatori Concilium, mandando ſibi, & requirendo, quod communionem parvulorum caſſare faciat in regno Bohemiæ, & nullo modo practicare permittat, & ibi (b) lata eſt bulla Concilii miſſa Imperatori. Item, legati ſuper hoc interrogati reſponderunt, quod nihil haberent in commiſſis de communione parvulorum. Et ſi eis eſt conceſſa, quare altera vice equitaverunt ad Baſileam, magiſter (a) Pizibram,

(b) *Lata.*

(a) *Pizibram.* Legendum eſt: Przibram. Quantæ authoritatis apud Huſſitas fuerit Przibram & Procopius, ex his verbis Conciliabuli Huſſitarum Pragæ (quod extat apud Cochlæum lib. 5. fol. 187.) colligere licet. „ Dignum duximus „ eligere quatuor viros idoneos, ſcientia & vita comprobatos, Principales & capitales, ſupremoſque Cleri gubernatores, directores, & miniſtratores in ſpiritualibus: cum „ conſenſu Reverendiſſimi in Chriſto Patris, Archiepiſcopi „ Pragenſis, ſcilicet Magiſtrum Joannem Przibram, Magiſtrum Procopium de Piltzna, Magiſtrum Jacobum de „ Miſna, & Joannem Prædicatorem de nova civitate". Multi putarunt hunc Przibram reſipuiſſe. „ Cum multis „ annis, *inquit Cochlæus libro* 1. inter Huſſitarum Doctores „ fuerit unus de præcipuis, reſipiſcens tamen poſtremò, acerrimè Wiclephiſtas impugnavit, atque etiam ex propriis „ Wiclephi verbis confutavit & convicit". Extat quoque illa Profeſſio fidei Catholicæ quam Przibram Pragæ ſcripſit, & Cochlæus jam poſt Huſſitica edidit. An autem Przibram verè ad Catholicos redierit, nihilque hæretici animi ſub velo illius profeſſionis latuerit, meritò dubitari poteſt, eò quòd articulo 50. hæc habeat. „ Profiteor, quia ſcripta, dicta, „ & facta ſingula Magiſtri Joannis Huſs, & Magiſtri Matthæi (non obſtantibus aſſertionibus vel dictis aliis meis quibuſcunque) de tanto probo, & non plus, de quanto ipſa „ à veritate Catholica, & à ſanctis Eccleſiæ Doctoribus, & „ ab Eccleſia Catholica prorſus non diſſonant nec diſcordant. „ Sin autem alicubi dicerent vel ſentirent prædictis & Chriſto contrariè, hoc in eis nullatenus approbare intendo". Cui non reddant hæc verba Przibram ſuſpectum? Ita ne dubiè dicendum: *Sin alicubi dicerent, ſi ſentirent?* Quaſi verò non dixerint & docuerint apertè hæreſes, quæ apertè abrenunciandæ erant. Et ſanè ex hoc apparet, Przibram Hus addictum, & Huſſitam (licet molliorem fortè & alterius genii; ut ſolent hæretici in diverſa ire) permanſiſſe. Veruntamen in fine profeſſionis videtur ſincerè Catholicus, ut patet ex his verbis: „ Proteſtor plane, quia dato, quod „ in aliquibus vel in aliquo horum, ſive credendorum, ſive „ tenendorum forem corrigibilis, præcipuè per Eccleſiam „ ſanctam Catholicam & Romanam, cujus correctioni Evangelicæ & Catholicæ, me cum his omnibus ſubjicio & „ obedientiæ humiliter accommodo, ſive per quoſcunque „ viros Catholicos, ſive amicos, ſive inimicos, ſive ex „ amore velint corrigere, ſive ex livore, nihil mea intereſt". Hæc verba ex animo Catholico fluere videntur. Sed os aliud ſæpè dicit, quàm animus ſentiat, præſertim ſenſu illo ambiguo, quo hæretici ſua dicta involvere ſolent. Wiclephiſtas certè & Thaboritas acerrimè impugnat Przibram: ſed aſſentior Cochlæo dicenti libro ſexto, folio 224. Deſiit eſſe Wiclephiſta, quales Thaboritæ erant: ſed Huſſita in quibuſdam permanſit, ut non eſſet per omnia Catholicus. Qui Pragæ obiit tandem anno 1448. cum eſſet paſtor Eccleſiæ S. Ægidii Pragæ in antiqua civitate. CAN.

Digitized by Google

Pizibram, cum magiſtro (*a*) Procopio. Item, non faciunt ſecundùm tenorem compactatorum, quia nunquam dicunt communicantibus, quod non ſub ſpecie panis caro tantùm, ſed ſub qualibet ſpecie eſt integer & totus Chriſtus. Ipſi verò oppoſitum dicunt eſſe ſub prima ſpecie medium Sacramentum, & prædicant, quod ibi non eſt totum corpus. Item, quia communionem ſub una ſpecie in ſermonibus ſuis vocant ſacrilegam & Manichæam, & ſic hæreticam, & ſacerdotes Catholicos de medio Sacramento vocant. Item ſacerdotes tui non orant horas canonicas, juxta rubricam diœceſis, ſed ſimpliciter ſurgentes lavant manus, & vadunt ad altare. Interdum etiam campanator pulſat, & ſacerdos adhuc eſt in lecto. Item de imaginibus, jam mundus ſcit, quomodo tenent, & quid fit de eis, qualis injuria irrogatur Deo in ſigno ſuo venerabili, ſicut actum eſt in ponte Pragenſi, (*b*) & alibi. Item de aqua benedicta, quamvis habetis eam in porticibus Eccleſiæ, tamen idem eſt vobis, ac ſi non eſſet benedicta, quia ego te audivi, magiſter, ſemper prædicantem, quod ſi te perfundas cum urceo, nil tibi proficit. Scio enim quòd aqua eſt, ſed benedicta, & juxta ſententiam ſancti Thomæ, & aliorum Doctorum, homo peccator recedendo à Deo, per peccatum inferior fit omni creatura. Si igitur veniam petit, & conteritur per pœnitentiam, aſpergendo ſe aqua benedicta, cinere vel ſale, &c. ut ſe oſtendat humilem Deo, ſubjicit ſe etiam iſti minimæ creaturæ, in quæ eſt nomen Domini invocatum, ac ſi dicat: Hæc humilis creatura gutta aquæ, aut cineris pugillus, purificata per nomen Domini dignior eſt me peccatore, & ego me illi propter nomen Domini invocatum, & propter peccata mea, ſubjicio. Ita fit Diabolo juxta ſententiam Alberti, quod cum vilior effectus ſit omni creatura, & ita campana, herba, incenſum, candelæ benedictæ, fugant aëreas poteſtates, ut qui ſummo Deo ſuperferri voluit, ſubdatur minimæ creaturæ. Item Miſſas legitis in vulgari, contra illam executoriam compactatorum, & quod plus eſt, extra tempus à jure conceſſum, immò ante diluculum matutinum celebratis. Item, etiam poſt horam diei ſextam, vel in meridie abſque licentia ſedis feria ſexta, contra Canonem illum, Nocte ſancta, de con. d. 1. c. 48. Similiter feria ſexta magna canitis Miſſam de ſancta Cruce, ubi in illa die in Miſſa confectio Euchariſtiæ eſſe non debet. Item, oſculum pacis datis. Item dicitur, ibi quod fuit inſtitutio debita plebanorum à quo inſtituitur, vel confirmatur. Et tu magiſter primus es, qui unitatem Eccleſiaſticam diviſiſti. Cùm enim ſit unus Epiſcopatus, quia una diœceſis Pragenſis, tu uſurpaſti pro te presbyteros tuæ partis, & feciſti tibi conſiſtorium, & nominas te adminiſtratorem, & uteris ſigillo mortuo. Dic mihi, rogo, qua auctoritate adminiſtras, & illud officium exerces? Non potes dicere à (*c*) Conrado, quia ille propter exceſſus ſuos depoſitus fuit, & caruit adhuc vivens adminiſtrandi poteſtate. Cui fuit ſubſtitutus Epiſcopus Olmucenſis, dominus Cmiſſo. Unde ex commiſſione domini Eugenii Papæ patet expreſsè, quod ſibi data eſt & commiſſa adminiſtratio. Et poſtea tamen fuit in regno (*d*) Philibertus, qui per ſe exercuit adminiſtrationem, & quando eam tibi commiſit oſtendas, cum omnes ſacerdotes à die recepta-

SÆC. XV. ANNO 1465.

*Aqua benedicta.*

(*a*) *Procopio.* Cochlæus de Legatis Huſſitarum Baſileam anno 1433. venientibus hæc habet lib. 6. fol. 247. *Pracibui nominis erant Procopius Raſus, ductor exercitus Taboritarum: Magiſter Joannes de Rockyzana, concionator & Pſeudoapoſtolus Pragenſium, Magiſter Nicolaus de Pelatzo, Taborenſium Pſeudoepiſcopus: Magiſter Petrus Payne de Anglia, patria profugus: Wilhelmus Coska, non tàm Equeſtri dignitate, quàm Eccleſiarum direptione inſignis: & Matthias de Clumpezan, Præfectus de Pieſtenſis cum trecentis equis.* Hæc fuit prima legatio: de qua hic non eſt ſermo: cùm dicatur: *Altera vice equitaverunt.* Quis igitur hic Procopius, qui cum Przibram altera vice Baſileam venit. An Procopius Raſus? At in Procopium jam tum anno 1430. inimico erat animo Przibram, ut teſtatur in fine profeſſionis ſuæ, quam ita concludit. *Anno Domini* 1430. *tunc amplius ſæviente ac minante tyranno Raſo.* An fuit Procopius cognomento Parvus, qui itidem cum Procopio Raſo ſeu Magno, dux belli Ziskæ & Taboritis erat? An verò fuit Magiſter Procopius de Piltzna, Huſſita celebris, cujus mentio in Conciliabulo Pragenſi Huſſitarum? Hunc ego fuiſſe credo. Procopium de Rabenſtein Cancellarium Bohemiæ, virum ſtrenuum ac Catholicum, hic nec cogito quidem. Imò Procopium de Piltzna & Przibram ad Baſileenſe Concilium ſimul miſſos anno 1437. patet ex epiſtola Sigiſmundi Imp. & ex literis Pragenſium, quæ extant apud Cochlæum libro 8. folio 306. CAN.

(*b*) *Et alibi.* Inter alia, quæ Hieronymo Pragenſi in Concilio Conſtantienſi objecta fuerunt, etiam hoc erat: *cum Salvatoris crucifixi imaginem* (inquit Cochlæus lib. 3. hiſt. Huſſit.) *Pragæ è Regione domus dicta Kreiſſe, pictam vidiſſet, quæ in veneratione devoti populi erat, eam non ſolum irriſit, ſed etiam dejecit, & ſtercore humano inceſtavit, dicens, nequaquam pingendas eſſe imagines.* In epiſtola Martini V. Pontif. ad Bohemos: *Imagines Crucifixi, B. Mariæ Virginis & aliorum Sanctorum irreverenter frangantur & comburuntur, & impudicè defœdantur*: & paulò poſt: *Imagines Joannis Hus & Hieronymi hæreticorum condemnatorum venerantur.* CAN.

(*c*) *Conrado.* De hoc Auguſtinus Olomucenſis Præpoſitus in catalogo Olomuc: Epiſcoporum. „ Conradus natione Weſtphalus, humili genere natus, regni Bohemiæ „ Subcamerarius, Laczkoni ſuccedit, homo vanus & prodigus, artibuſque necromanticis ac ſortilegiis, contra profeſſionem ſuam, ut ajunt, infamis. Hic bona Eccleſiæ „ iterum diripuit, in duplaque quàm prædeceſſores ipſius „ pecuniarum ſumma, partim Venceslao Regi, partimque „ aliis Marchionatus proceribus oppignoravit. Favore tandem Venceslai ad Metropolitanam Pragenſem ſedem „ translatus: cujus bona æque atque in Moravia fecerat, „ diſtraxit, in Huſſitarum infaniam (quæ tùm pullulare cœpit) non multo poſt prolapſus", Anno videlicet 1421. obiit Anno 1423. Apud Cochlæum lib. 1. folio 34. extat Conſilium Joannis Epiſcopi Lythomyſlenſis ad Conradum contra Hus. Extant quoque apud Cochl. lib. 4. folio 169. ejuſdem Conradi literæ, quibus Hermannum Suffraganeum ſuum, itidem Huſſitarum fautorem ab officio ſuſpenditanno 1417. CAN.

(*d*) *Philibertus.* Mortuus eſt anno 1439. Pragæ, Philibertus Conſtantiæ Gallicæ Epiſcopus, qui multis annis fuit in Bohemia Synodi Baſileenſis Legatus plena cum poteſtate, ſepultus in caſtro Pragenſi, in Eccleſia nimirum Metropolitana. CAN.



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1465.

receptationis campactatorum usque ad diem, quo introisti Pragam & divisisti clerum & populum, semper habebant respectum ad Ecclesiam Pragensem. De sigillo verò, quo uteris, dico, quod mortuum est, & exspiravit cum illo, cujus erat: sic sigillum (a) Ladislai, quod nunc quis haberet, nullius esset roboris & valoris. Mortuo enim principali, moritur accessorium. Isti enim sunt defectus tui, & tuorum sacerdotum. Cum igitur illa omnia emendaveris, ita quod demisso tuo consistorio habebis ad Ecclesiam respectum, & tui sacerdotes, & dimittes communionem parvulorum, cantum vulgarem, & alia corrigas, quæ sunt corrigenda, ex nostra parte non deficiet ad illa se habere, quæ sunt pacis unitatis & charitatis. Postea multi articuli lecti sunt contra sacerdotes ejus diversos, de sermonibus, quos esset nimis longum enarrare.

*Rockizana respondit.* Quo finito fecit Rockyzanna multum & longum sermonem, incipiens ab exordio, quoniam ista sacratissima veritas sit fundata in lege, Evangelio, & praxi Christi, & quod in Concilio frequenter quæsivit, ut dicerent sibi, quando communio utriusque speciei sit deposita, & in quo Concilio, & quod nunquam sibi fuit ostensum. Deinde processit ad multas auctoritates, & primò longissimè locutus est de Alberto; probando, quod aliæ gratiæ dantur sub prima, & aliæ sub secunda. Item postea longè dixit de sermonibus sancti Thomæ, ponendo multiplices effectus sanguinis Christi, & totum retorquebat, quoad species. Item postea etiam quoad effectus, declaravit ex verbis consecrationis, quoad calicem, ubi statim doctor Kyzyzanowsky dixit, Magister, non est licitum, nec conveniens, quod mysteria divina occulta aperiantur coram populo. Et ita declaratis illis gratiis, exclamavit magna voce, quod populum fidelem spoliamus gratiis, & salute animarum. Item, allegavit Innocentium, quod sub prima specie non bibitur sanguis Christi. Item Chrysostomum de gratiis. Item, ibidem totum resolvebat, quod dominus præcepit hîc manducare, & hîc bibere. Itidem, instabant Doctores frequenter, ut confiteretur fidem de venerabili Sacramento, an panis ibidem remaneat. Unde pulsatus dixit: Jam ego semel confessus sum coram Imperatore, non oportet, quod plus dicam. Et surgens Malowtz dicebat, & recordor, & fui circa illam confessionem fidei. Et cum instarent ambo Doctores, ut adhuc confiteretur, nihil plus volebat dicere, sed dixit, Ad vestram voluntatem illud non faciam: ego habeo bonam fidem.

Sabbato de mane iterum convenerunt, ubi Rockyzanna hesternum sermonem continuando dixit: Multa heri locutus est Decanus de potestate Papæ, de plenitudine ejus, & quomodo ampliat potestatem ejus. Ecce Canones, quod illa, quæ sunt in Evangelio & Prophetis, illa mutare non potest: & allegavit illum Canonem: Sunt quidam dicentes 25. q. 1. c. 6. Similiter non solùm Evangelium, sed etiam unam terulam Ecclesiæ, ut in Canone, Non liceat, 12. q. 2. c. 20. & plurima alia contra potestatem Papæ allegando Origenem, quod omnia debent per novum & vetus Testamentum solvi, & interpretari, quidquid autem residuum esset in tertium diem, *igne* consumi, id est, committere intellectui & interpretationi Spiritus sancti, & amplius se de hoc non ingerere. Item de communione utriusque speciei plurimas auctoritates, introducebat, & specialiter, quod distinctæ gratiæ dantur sub prima, & *aliæ* distinctæ sub altera, & quomodo communio unius speciei non fuisset tempore primitivæ Ecclesiæ, neque tempore Apostolorum, replicavit auctoritates suas, dicens: Qui me inculpasti, quod ego dixerim, communionem unius speciei esse medium Sacramentum, non me redarguas, sed Doctores, qui sic posuerunt, & non recordor, quod dixerim medium, sed quod non integrum, & allegavit Innocentium tertium, & iterum Canonem, Comperimus, & quendam Wilhelmum de monte Lauduno, quod in quibusdam Ecclesiis cum pane & vino communicatur, id est, cum integro Sacramento. Item ibi sibi apparentiam facere voluit, inducere volens ex hoc, quod sex Sacramenta tantùm haberemus cum medio. Item, quod sacrilega sit, redargui jussit legere Canonem, Comperimus. Item, de pluralitare gratiarum Thomam & Albertum, & ibi dicebat, quantum damnum fidelibus faceremus subtrahentes, & spoliantes eos illis. Item, quod Manichæi sic incepissent communicare, Leonem Papam allegavit in sermone, Prædicaturus. Item, quod ipse crederet, quod sub utraque specie totus Christus esset, & sumeretur corpus & sanguis, sed nec manducaretur corpus sub specie vini, nec sanguis biberetur sub specie panis. Doctores modo suo allegabat Innocentium, Thomam, &c. & sic muniebat communionem utriusque speciei auctoritatibus Doctorum, institutione Christi, praxi Apostolorum usque sanctorali

*Decani sermo.* de sancto Andrea: deinde fuit liber allatus, ut videatur. Tunc Decanus sic locutus est. Primùm & ante omnia protestamur, quod credimus, dogmatisamus, & practicamus sacrosanctam communionem unius speciei fidelibus populis esse dandam, & sufficientissimam ad salutem hominum, & in ipsa esse plenitudinem divinitatis, cum omnibus

(a) *Ladislai.* Ladislaum Regem intelligit, filium Alberti Austrii, regis Bohemiæ.

Digitized by Google

nibus gratiis, ſicut credit, dogmatiſat & practicat ſancta Romana Eccleſia finem litibus, & omnibus diſputationibus de hac materia ſufficienter impoſuerit; non intendimus amplius, nec eſt noſtræ Facultatis revocare in dubium; & de eo diſputare, quod concluſum eſt, & receptum per ſanctam Romanam Eccleſiam. Eſt enim homo quilibet inimicus Eccleſiæ, qui dictis & concluſionibus ſtare non vult. Nam dicit beatus Nicolaus Papa, 22. diſtinct. c. 1. Omnes, Omnes ſive Patriarchii cujuſlibet apices, ſive Metropoleon primatus, aut Epiſcopatuum Cathedras, ſive Eccleſiarum cujuſcunque ordinis dignitates inſtituit Romana Eccleſia: illam verò ſolus ipſe fundavit, & ſuper petram fidei mox naſcentis erexit, qui beato æternæ vitæ clavigero terreni ſimul & cœleſtis Imperii jura commiſit. Non ergò quælibet terrena ſententia, ſed illud verbum, quo conſtructum eſt cœlum & terra, per quod denique omnia condita ſunt elementa, Romanam ſanctam fundavit Eccleſiam. Illius certè privilegio fungitur, illius auctoritate fulcitur. Unde non dubium eſt, quia quiſque cujuſlibet Eccleſiæ jus ſuum detrahit, injuſtitiam facit, qui autem Romanæ Eccleſiæ privilegium ab ipſo ſummo omnium Eccleſiarum capite traditum auferre conatur, hic procul dubio in hæreſim labitur. Et cum ille vocetur injuſtus, hic dicendus eſt hæreticus: fidem quippe violat, qui adverſus illam agit, quæ eſt mater fidei, & illi contumax invenitur, qui eam cunctis Eccleſiis prætuliſſe cognoſcitur. Unde ipſe ſanctus Ambroſius ſe in omnibus ſequi magiſtram ſanctam Romanam Eccleſiam profitetur. Ad idem dicit B. Gregorius in Canone, Nulli fas, 19. d. c. 5. Nulli fas eſt, vel velle vel poſſe tranſgredi Apoſtolicæ Sedis præcepta. Sit ergò ruinæ ſuæ dolore proſtratus quisquis Apoſtolicis voluerit contraire præceptis ſeu decretis, nec locum deinceps inter ſacerdotes habeat, ſed extorris à ſancto miniſterio fiat, nec de ejus judicio quiſquam poſtea curam habeat, quoniam jam damnatus à ſancta & Apoſtolica Eccleſia ſua inobedientia atque præſumptione à quoquam eſſe non dubitatur, quia majoris excommunicationis dejectione eſt abjiciendus, cui ſanctæ Eccleſiæ commiſſa fuerit diſciplina, qui non ſolùm Prælatus ſanctæ Eccleſiæ juſſionibus parere debuit, ſed etiam aliis, ne præterirent inſinuare: ſitque alienus à divinis & pontificalibus officiis, qui noluerit Apoſtolicis præceptis obtemperare. Ideò proteſtor, primùm, quòd hîc nihil intendimus dicere temerariè, quod eſſet contra ſanctam matrem Eccleſiam, nec diſputare ſuper jam concluſis, ſed illa recepimus, quæ illa recipit, & illa refutamus, quæ illa refutat. Sed quia nos urget neceſſitas fidei, ne corda fidelium ſimplicia, ex verbis magiſtri in fide & communione unius ſpeciei infirmentur, intendo, de adjutorio Dei confiſus, de heſternis allegationibus reſpondere, & fidem ſanctæ Eccleſiæ Dei explanare. Primò enim magiſter gloriabaris, quod ſibi non eſt reſponſum in Concilio, ubi eſſet depoſita communio calicis. Dico, quod non habemus neceſſe oſtendere, ſed tu magis, ubi communio calicis eſt pro laicis inſtituta pro lege, & quod ſemper fuit practicata. Ego autem dico, & probo ſecundùm fidem, quod à Chriſto, ſecundùm doctrinam Evangelicam, & praxi ejus, ex doctrina Apoſtolorum & eorum ex conciliis, & eorum Canonibus, & ex concordi ſententia omnium doctorum, & uſu Eccleſiæ laudabili, communio unius ſpeciei eſt fundata quoad laicos & presbyteros non conficientes. Primo patet ex ſignis Chriſti quod dominus reficiens populos ex quinque panibus & duobus piſcibus. Item quando refecit quatuor millia hominum de ſeptem panibus, nullibi legitur eos potaſſe, quod ſignificabat communionem unius ſpeciei ad populum, & tamen creditur, quod in illis panibus & piſcibus fuerunt ſatiati & potati. Secundò probatur ex verbis Domini, ubi Joannis 6. dixit ad populum undecies de ſpecie panis, & de ſuo corpore, & ſanguine quater ſolùm: ſed nullibi de ſpecie vini, & de utraque ſpecie. Item ex doctrinis Chriſti primò, quando docens Apoſtolos orare dixit: ſic orabitis, Pater noſter, &c. Panem noſtrum, Lucas quotidianum, Matthæus ſuperſubſtantialem. Si ergò intelligimus Matthæum, ſuperſubſtantialem, non eſt dubium, quod intelligitur de corpore Chriſti, & nulla fit mentio de ſanguine Chriſti, ſub ſpecie vini, & tamen ſufficientiſſima eſt oratio dominica. Si verò ſecundùm Lucam dicimus quotidianum, etiam Doctores intelligunt de corpore Chriſti. Nam Auguſtinus dicit in libro de verbis Domini, 28. ſermone ſuper hoc verbo, Memini ſermonis mei, cùm de Sacramentis tractarem, dixiſſe me vobis, quod ante Chriſti verba panis dicitur, quod offertur: ubi verò verba deprompta fuerint, non jam panis dicitur, ſed corpus Chriſti appellatur. Idem ſermone de oratione dicit: Panis iſte quotidianus corpus Domini poteſt intelligi, quem quotidie accipio, ſine quo non poſſum ſalvari, ut ait Dominus in Evangelio: Panis, quem ego dabo, caro mea eſt, pro mundi vita. Ecce, qui vis in oratione Dominica panem petere, intellige, quid petis. Sacramentum namque corporis & ſanguinis Chriſti petis. Hæc Auguſtinus. Ubi B. Auguſtinus dicit, quod ſub nomine panis petitur corpus & ſanguis Chriſti. Et ſi hoc non ſufficeret ad ſalutem, debuit Dominus dicere, panem & vinum noſtrum quotidianum da nobis hodie. Tertiò apparet ex operibus Chriſti. Nam ſecundùm Lucam,

SÆC. XV. ANNO 1465.

*Nicolai ræ- tiones peſſi- ma.*



Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1465.

cam, cùm Dominus poſt ſuam reſurrectionem illis duobus diſcipulis in Emaus apparuiſſet, & Scripturas aperuiſſet, diſcubuit cum eis; & accepto pane benedixit, fregit, & porrexit eis; & evanuit ex oculis eorum, & cognoverunt eum in fractione panis. Et ſecundùm omnium Doctorum ſententiam intelligitur, quod dederit eis corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpecie panis: nec poteſt intelligi, quod dedit eis ſub ſpecie vini, quia aut ante dediſſet, & tunc non ſecundùm inſtitutionem cœnæ; aut ſimul, & hoc Eccleſia prohibet, quod detur intincta Euchariſtia; Aut poſt, & hoc non ponit Evangeliſta, & ſi fuiſſet, poſuiſſet, ſicut ponit in cœna, nec datur ratio diverſitatis. Item, quia iſta tria, fractio, cognitio, evanitio fuerunt ſimul ita, quod poſtquam fregit, cognitus eſt, & quando cognitus eſt, evanuit, & quando evanuit ſub altera ſpecie eis non dedit, quùm jam ab eis receſſit. Item probatur ex praxi Apoſtolorum, & ex eorum Actibus. Nam legitur de Apoſtolis, Actuum ſecundo, quod omnes, qui credebant, erant pariter quotidie perdurantes unanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, ſumebant cibum cum exultatione & ſimplicitate cordis, & erant perſeverantes in doctrina Apoſtolorum & communicatione fractionis panis & orationibus. Quod magiſter in ſcholaſtica hiſtoria tractans, & Lyra exponunt de Euchariſtia. Item Actuum 23. de ſancto Paulo dicitur, una Sabbathi, cùm conveniſſemus ad frangendum panem, Paulus diſputat cum Judæis, quod omnes Doctores exponunt uniformiter de Sacramento corporis Chriſti, & non fit mentio de altera ſpecie. Item B. Paulus communicavit ſocios ſuos ſub una ſpecie in navi, Actuum 28. & B. Lucas actus B. Pauli non conſcripſit, niſi quod eum facientem vidit. Nam ait B. Hieronymus de viris illuſtribus, Quod Lucas Evangelium ſcripſit, ſecundùm quod ab Apoſtolis audivit. Quod autem Dominus illis duobus diſcipulis ſub una ſpecie dedit, & quod B. Paulus ſub una ſpecie in navi communicavit Lucam & cæteros diſcipulos ſuos, eſt apertiſſimè Doctor, ſanctus Græcus Joannes Chryſoſtomus, per quem te magiſter validè defendis, qui ſuper c. 1. verbo Domini: Nolite ſanctum dare canibus, ita dicit: quia de Sanctis dicere recepimus, non eſt tacendum, Quoniam aliud eſt ſanctificatio, id eſt, *ſwatos cicla bozicho*, Aliud eſt ſanctificatum..... Sanctificatio enim eſt, quod alterum ſanctificat. Sanctificatum autem alterum ſanctificare non poteſt, quamvis ipſum ſit ſanctum, id eſt, *poſwiczczene*, ut puta, ſignas panem tuum, quando manducas. Sicut ait Apoſtolus, ſanctificatur enim per verbum Dei & orationem, ſanctificaſti eum, & non feciſti ſanctificationem. Quod autem ſacerdos de manu ſua dat, non ſolùm ſanctificatum eſt, ſed etiam ſanctificatio eſt, quia non ſolùm datur hoc, quod videtur, ſed etiam, quod intelligitur: de ſanctificato ergò pane & animalibus licitum eſt jactare, & infidelibus dare, quia non ſanctificat accipientem. Si autem taliter eſſet, quod de manu ſacerdotis acciperet, quale eſt, quod in menſa manducatur, omnes de menſa manducarent, & nemo de manu ſacerdotis acciperet: unde & non ſolùm Dominus in via benedixit panem, ſed de manu ſua dedit Cleophæ & ſocio ejus. Et Paulus navigans non ſolùm benedixit, ſed de manu ſua porrexit Lucæ & cæteris diſcipulis ſuis. Quod autem de manu ſacerdotis porrigitur, nec animalibus dandum eſt, nec infidelibus porrigendum, quia non ſolùm ſanctificatum, ſed etiam ſanctificatio eſt, & ſanctificat accipientem: hæc B. Chryſoſtomus. Ex iſtis apparet omnibus manifeſtè, quia communio unius ſpeciei habet fundamentum in lege, & in praxi Chriſti, & ſanctorum Apoſtolorum, ut exponit B. Chryſoſtomus. Item, quod communio unius ſpeciei ſit ſacris Canonibus & Conciliis firmata, patet ex epiſtola B. Clementis in libro Conciliorum, Ubi dicitur: Si quis presbyter reliquerit parochiam propriam, & vocatus per Epiſcopum redire contempſerit in ſua inquietudine perſeverans iterum, ut laicus communicet. Item, diſt. 50. Si Epiſcopus. Item, l. 5. diſt. Si Evangelica: cùm dicitur ibi de laica communione, quod Doctores exponunt de corpore Chriſti. Innocentius & Vincentius exponunt, laica communio, id eſt, viaticum. Et Abbas, corpus Chriſti. Item, in Concilio Toletano ſic habetur. Cùm in divino Canone nihil debet eſſe confuſum, nihil etiam indiſcretum in collatione noſtri cœtus relatus eſt Canon Toletani Concilii primi, in quo præceptum eſt. Si quis acceptam à ſacerdote Euchariſtiam non ſumpſerit, velut ſacrilegus propellatur: nec adjecta eſt ibi diſcretio voluntatum, cùm & infidelis infideliter hæc talia agat, & fidelis accipiat fideliter, quod naturalis eum neceſſitas deglutire non ſinit. Solet enim naturæ humanæ infirmitas, in ipſo mortis exitu prægravata, tanto ſiccitatis pondere deprimi, ut nullis ciborum illationibus refici, ſed vix tantundem illati delectetur poculi gratia ſuſtentari. Quod etiam in multorum exitu vidimus, qui optatum ſuis votis ſacræ communionis expetentes viaticum, collatam ſibi à ſacerdote Euchariſtiam rejecerunt, non quod infidelitate hoc agerent, ſed quia (a) propter Dominici calicis hauſtum traditam ſibi non poſſent hoſtiam deglutire, non infidelitate, ſed neceſſitate fecerunt: hæc Canon. Ecce magiſter, quod tempore hujus Concilii antiqui fuit communio unius ſpeciei. Et quod ſi non poterant infirmi primam ſpeciem

*Chryſoſt. in opere imperfecto, hom. 17. in Matth. ſub finem.*

*1. Tim. 4.*

*Diſt. 50. Si Epiſcopus. c. 7. Diſt. 55. Si Evangelica. c. 13. Concilium Toletan. 11. Canon. 11. Canon. 14.*

*(a) Alii habent, præter.*

Digitized by Google

ſpeciem deglutire propter ſiccitatem oris, non imputabatur eis ad ſacrilegium, nec dabatur eis calix Dominicus, ut eam deglutiant, quod tamen neceſſarium fuiſſet, ſi unum ſine ſacrilegio dari non potuiſſet. Subſtitit & quievit poſt hæc verba Decanus. Tunc locutus eſt Doctor venerandus Kzyzanowsky in hæc verba: Quemadmodum magiſter tangis poteſtatem Papalem & Eccleſiæ, de poteſtate ejus & Eccleſiæ ſunt Scripturæ evidentiſſimæ Evangelii, & Doctorum. Primò de poteſtate B. Petri & ſucceſſorum, Matth. 16. Tibi dabo claves regni cœlorum. Quodcunque ligaveris ſuper terram, erit & ligatum in cœlis. Item Joannis 21. Paſce oves meas. Item de auctoritate Eccleſiæ in figura Deuteronomii 17. Si difficile & ambiguum eſſe perſpexeris. Sicut eſt etiam allegatum per Dominum Decanum. In Evangelio Matth. 18. Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipſum ſolùm, quod ſi audierit te, lucratus es animam fratris tui. Si autem non audierit te, adhibe unum vel duos, nam in ore duorum vel trium ſtat omne verbum. Quod ſi non audierit te, dic Eccleſiæ. Ecce recurſus ad Eccleſiam, dic Eccleſiæ, non primitivæ, quia jam illa obdormivit in Domino. Non futuræ, quia jam nondum eſt. Non prædeſtinatorum, quia illa ſola eſt Deo cognita. Et ſi nobis incognita, ad eam non poteſt eſſe recurſus. Non Scripturæ, quia illam unusquiſque pro libitu ſuo trahit ad ſuum ſenſum. Etiam ſicut magiſter legem vult habere judicem, quia ſi Biblia ponatur, non loquetur, judicet ſed aliquis ſecundùm legem. Sed Eccleſiæ dic, id eſt, paſtoribus Eccleſiam regentibus. Et beatus Auguſtinus expreſſiùs in tractatu de ſcientia ſalutis ita dicit: Credo, quod virtus & efficacia Sacramentorum eſt tantùm in noſtra Eccleſia, quæ dicitur Romana. Credo etiam, quod non ſit remiſſio omnium peccatorum, niſi in dicta noſtra Eccleſia: hæc eſt noſtra fides, à qua priuſquam diſcederem, potius me vellem occidi, patrem meum cremari, matrem meam excommunicari, & fratrem meum exhæredari. Ecce verbum B. Auguſtini & fides. Aliter loquebantur Sancti de Eccleſia, quàm tu. Item in epiſtola ad Generoſum dicit: nullum ſummum Pontificem à fide erraviſſe, dicens: Numerate, inquit, omnes Pontifices à B. Petro uſque ad Anaſtaſium, qui nunc præeſt. Quod autem dicitur de Leone. (a) Reſpondeo, quod erat tempore Arrianorum intruſus per potentiam, quando & Imperatorem Arriani habebant. Liberius autem tunc erat verus Pontifex expulſus & latitans in abditis. Surrexit tunc Koskar de Agnete, (a) Reſpondit Kzyzanowſcky. Si erat ita, de quo tamen vehementer dubitatur, Error erat facti, ſed non fidei in Eccleſia Romana. Ipſa eſt itaque Eccleſia Romana, extra quam aliam neſcimus. Quod autem dicis magiſter Rockyzanna, de Eccleſia Græca; Græca Eccleſia propter ſuos errores periit, & propter inobedientiam nolebat perfectè pacta tenere facta in Concilio Ferrarienſi & Florentino: Et tamen illi hunc ritum, quem tu magiſter tenes, non habent, habent enim hunc ritum, ſicut veriſſimè edoctus ſum, ab uno notabili Bononiæ Græco. Quia feria quinta magnam confectionem faciunt & ſervant pro infirmis toto anno, & poſtquam ad infirmum veniunt, accipiunt de illa fermentata confectione portiunculam, & illam diſſolvendo dant infirmo, non autem diviſim, ut tu aſſeris. Ad hoc reſpondit Rex: tempore Nicolai Papæ, venit ad nos Bulla, contra Turcas, in qua aſſerebat Græcos bonos Chriſtianos. Reſpondi: Sereniſſime Rex, quod dico de erroribus Græcorum, idem beatus Thomas ſcribit ad Urbanum Papam, qui compoſuit officium Miſſæ de corpore Chriſti, Cibavit eos &c. De erroribus eorum, Deinde Koſcka Albertus narrabat morem Ruthenorum. Item dominus Zdencko dixit, Poſtquam eram cum (b) Ladiſlao Rege ad (c) Budin, & venerunt ad Budin,* à Raſtici, miſſare nolebant coram eis, tanquam coram erroneis. Et (d) Capiſtranus (e) eos hæreticos appellavit. Quod verò dicis de India, non habes, quod effugias. In India enim Chriſtiani falſi ſunt, utuntur enim contra Evangelium Baptiſmo in igne, ſecundùm quod videntur in facie eorum cum cicatricibus, & veri non poſſunt dici Chriſtiani. Doctor Hylarius Decanus addidit: immò etiam dico, quod non ſunt Chriſtiani, &c. non habes præterquam Eccleſiam Romanam, quo magiſter Rockyzanne fugias; ad quam recurrendum eſt in fide, quæ declarare & diffinire in materia fidei, immò & Evan-

SÆC. XV. ANNO 1465. *Allocutio Kzyzanouski.* *Joan.* 31. *Deut.* 17. *Matth.* 18. *Dic Eccleſia.* *Auguſtinus* *Auguſtinus* (a) *m. ſ. Riter.*

(a) *Quid hic ſibi vult neſcio; nam nullus erat Pontifex Romanus Leo nomine, temporibus Liberii, quippe ejus vices ſubierat Felix, dum latitaret in exilio Liberius. error eſt igitur.* BASN.

(b) *Ladislao Rege.* Fuit hic Rex Catholicus optimus, *nec unquam hæreticorum ſacris aut conventiculis*, inquit Cochl. lib. 11. „ intereſſe, aut eorum Eccleſias intrare voluit, „ quamvis rogatus. Quinimo cum à Rockyzana quidam ſa„ cerdos ſubornatus eſſet, ut Regi Miſſam celebraret, Rex „ ubi accepit, hæreticum eſſe, miſit ad eum Magiſtrum, „ jubens ut niſi protinus abſcederet, alterique locum daret „ Sacerdoti, qui Catholico ritu celebraret, vi abriperetur, „ ac de proxima rupe præcipitaretur". CAN.

(c) *Ad Budin.* Ladiſlaus Rex Budæ fuit, cum gladio feriri juſſit Ladiſlaum Huniadis filium, anno 1457. CAN.

(d) *Capiſtranus.* Laudes Capiſtrani habes in Epiſtola 420. Æneæ Sylvii: & in Bulla Nicolai V. ad Capiſtranum: & apud Cochlæum lib. 10. ubi extat Epiſtola Kazimir Poloniæ Regis, qua Capiſtranum invitat, ut Ruthenos, qui Græcos ritus ſequerentur, ad rectam fidem reducere velit. BASN.

(e) *Hic fuit inquiſitor fidei, qui paulo ante vixerat; quippe obierat Villaci an.* 1456. *ferunt ipſum cum apud Germanos Italici idiomatis ignaros oraret in plateis, plebem neſcio quibus geſticulationibus, verborum loco, ita concitaſſe, ut cruciatorum exercitum ea methode coëgerit, cujus Dux Bohemos debellavit.* BASN.

Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1465. *Auguſtinus*

& Evangelia hæc quatuor ipſa recepit, & ea veneranda nobis reliquit. Sicut dicit beatus Auguſtinus contra Fauſtum, in epiſtola fundamenti: Evangelio non credo, niſi me Eccleſia commoveret. Quod autem iſta ſint vera & acceptanda, quoniam & alii Evangelia ſcripſerunt, ſicut Bartholomæus, Thomas, Thathæus, B. Petrus, & cæteri. Quod iſtis credendum eſt, & non aliis, quis demonſtrabit, niſi Eccleſia viſibilis Romana? Quod iſta Evangelia vera ſunt, & non mutata, unde certitudo? Cùm Sereniſſime Rex, erat quidam Laurentius (*a*) Vallani Florentia, qui dicebat B. Hieronymum malè tranſtuliſſe de Græco in latinam, Bibliam & Evangelia: certitudo igitur noſtræ fidei & Scripturæ ex Eccleſia Romana eſt, ſicut beatus Hieronymus in fide ad illam recurrebat, quemadmodum Doctor Hylarius Decanus allegabat. Hæc eſt fides, Papa beatiſſime, quam tenemus, quam etiam in Eccleſia Catholica didicimus, in qua, ſi quid minus peritè capimus, aut incautè poſitum eſt, emendari à te cupimus, qui ſedem Petri tenes & fidem, ſicut dictum eſt, propterea Sancti in ea etiam manebant. Et beatus Auguſtinus dicit. Iſta me movent, quare ſim in Eccleſia Romana; conſenſus omnium Epiſcoporum, Item, conſtans Epiſcoporum ſucceſſio & ejusdem ritus obſervatio ſine mutatione. Cùm hac etiam magiſter Rockyzanna, non cum Græca, recepiſti compactatam unitatem, & obedientiam ſervare promiſiſti, & quamdiu cum illa ſtetit in unitate regnum noſtrum Bohemiæ, & ritu communionis, ſub una ſpecie; pauciores fuerunt errores de venerabili Sacramento. Hæc enim potiſſima eſt cauſa communionis ſub una ſpecie, propter periculum effuſionis ſanguinis Chriſti, & propter periculum erroris, ne tradatur tantùm corpus ſub una ſpecie, ſanguis tantùm ſub altera ſpecie. Sicut modò ſurgunt errores circa Veronam. *Nepomuck* domaret, licet, qui nihil de venerabili Sacramento credunt, non erant reales, primus in Bohemia unde proverbium erat laudabile & glorioſum vulgare: non fuit hæreticus Bohemus, nec poteſt inveniri in his diebus *Nebil Katzientzeni Czeek amzi moz bittinalezen notrechto tuech.* Et jàm non unus, ſed plurimi reperiuntur, & inde exierunt aliqui, qui dicunt, ſolùm eſſe in venerabili *Sacramento memoriam Dominicæ* cœnæ, ſicut moderni erronei, qui ejuſdem ſunt fidei cum illo, qui mortificatus eſt in caſtro Joanne, quem ſuis in literis laudavit, quod fuerit bonæ fidei & vitæ vir. Et cum interrogatus fuiſſet, quomodo ſolus manducaret; Reſpondit: ſub utraque ſpecie. Dixi, vis ſub utraque manducare, & nihil credis. Reſpondit Rockyzanna. Unde ſcis, quod ipſi ſcribunt? Ex literis eorum, quas vidi. Item alii dicunt ſub prima ſpecie tantùm corpus, & ſub altera tantùm ſanguis, & occaſionem erroris recipiunt, ex tua diſpenſatione, ubi dicis, ſub prima ſpecie porrigendo populo, corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti proficiat tibi in vitam æternam, nominando tantum corpus. Item ſub altera ſanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti, &c. tantùm ſanguinem ſub altera ſpecie nominando, contra compactata. Inde motus Rockyzannus ſurrexit, & dixit non eſſe contra compactata, & per ejus Conradum magiſtrum Wenceſlaum lectum eſt coram Rege, & inventum: Quod monere debet populum, quod non credant ſub prima ſpecie tantum corpus, & ſub altera tantùm ſanguinem, ſed quod ſub unaquaque ſpecie eſſet totus Chriſtus. Item, quidam dicunt, quod remaneat panis & vinum poſt conſecrationem, ſicut & tu magiſter ſuſpectus es. Nam pluries interrogatus in prætorio, noluiſti fateri per Quirinum, &c. Antequam diſſolvatur congregatio, fatêre, extrahe de corde hominum ſuſpicionem, unde varietas in fide hîc talis in Bohemia & bella venerunt? Sicut accipere poſſum. Sex ſunt, quæ fecerunt talia diſturbia, & propter brevitatem redigere volo in tria. Primum gratia gratis data & gratum faciens. Gratia gratis data eſt donum ſine meritis hominis proveniens, ſicut Prophetia, ſapientia, ſcientia, dignitatis, &c. quæ ſtant cum mortali peccato. Gratia gratum faciens, eſt donum Dei, ex meritis hominis à Deo proveniens, ſicut charitas: Itaque ex literis Wickleff occaſionaliter inſurrexerunt homines, qui dicebant, omnia agi ſecundùm bonum & gratiam gratum facientem. Et qui apud Deum eſſet majoris meriti..... Papam vel Regem, qui dignioris meriti, quàm alius. Ibi iterum erat motus Rockyzannus, dicens: Hoc non eſſe de mente Wickleff. Kyzyzanowsky: Vellem probare, hanc eſſe in ejus libris poſitionem, quod qui eſſet dignior in vita, ille eſt dignior in dignitate, &c. ſanctiſſima vetula in ſanctiſſimo officio. Secundus punctus deceptionis regni hujus, eſt poteſtas ordinis, & poteſtas regiminis vel Juriſdictionis, quæ longè diſtant: non enim ex eo, quod quis eſt ſacer-

*Propter tria exorta ſunt diſturbia in religione in regno Bohemia.*

*Quia non rectè diſtinguebatur inter gratiam gratis datam & gratum facientem.*

*Secundò non diſtinguitur inter poteſtatem ordinis & juriſdictionis.*

(*a*) *Fallitur Hilarius; quippe Laurentius Vallanus non fuit Florentinus, ſed Patricius Romanus: è patria urbe tranſmigravit ad Alphonſum Arragoniæ Regem, & tanto cum impetu Traditiones varias Eccleſiæ Romanæ impugnavit, ut flammis ſubjiciendum poſtulaverint inquiſitores Hiſpani, ſed Regis precibus evaſit incolumis. Hic ſagaciſſimus Criticus annotationes in Novum Teſtamentum poſteris reliquit, in quibus ſæpius Hieronymum carpebat; inde concludit Hilarius, fidem totam pendere ab Eccleſia Romana. Sed parcat nobis ille! quomodo poteſt concluſionem ex prædictis ducere: Vulgata vel Hieronymi verſio dicitur à Villano mendis referta; ergo ex Scriptura, quæ eſt mendoſa in verſionibus, ad Eccleſiam Romanam tanquam ad fidei judicem confugiendum eſt! Siccine licet argumentari?* BASN.

Digitized by Google

sacerdos, & potestatem ordinis habens, habet potestatem regiminis, pastoralem debet à suis superioribus accipere & habere secundùm ordinem Ecclesiæ. Nec sufficit dicere, habeo potestatem à Deo, nisi hoc probet tripliciter. Primò per Scripturam, sicut de Joanne Baptista glorioso erat Prophetia: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Secundò probare debet per miracula, sicut Moyses probavit jussionem, per mutationem virgæ in serpentem. Tertiò per ordinationem Ecclesiæ à Deo. Inferiores incipiunt institutionem & potestatem à superioribus Episcopis vel Vicariis: Et ipsi iterum à Summo Pontifice, à quo omnes ordines, omnes potestates, omnia Sacramenta, omnes dignitates, Imperiales, regales fiunt: immò & noster Sereniſſimus Rex, ea potestate Rex est. Et inde aliqua peccata sunt, quæ pertinent ad absolutionem Episcopalem, & aliqua ad Papalem. A quo tu, magister Rockyzanne, cum sacerdotibus tuis, sicut prædixit dominus Decanus Doctor, potestatem habes, ostende. Tunc surrexit Tortzka, & calumniosè volens capere Doctorem Kizyzanoski dixit: Sereniſſime Rex, In confusionem nostram & omnium nostrum loquitur, quia nos habemus potestatem eligendi Regem. Et iste dicit, quod tu sis Rex auctoritate Papæ. Rex dixit: audio qualiter locutus est, tamen ipse loquitur de dignitate. Tunc surrexit (a) Cancellarius, dixit: Et à quo Rex unctus est nisi ab Episcopis? Tertiò, de significantia & efficacia. Significantia accipitur in altari, in oblatione, ubi agitur sacrificium pro peccatis, in memoriam Passionis Dominicæ, ubi sanguis in Cruce erat divisus à corpore. Inde sacerdos Christi vices gerens, signis & vestibus agit memoriam Dominicæ passionis. Et in sacrificio unum sine reliquo nec offertur, nec elevatur, nec sumitur, quia per unum non significaretur expressa passionis Dominicæ memoria. Unde Albertus de officio narrat octo, quæ fecit Dominus in cœna. Primò, tempus, quo Christus celebravit.* Secundò, qualiter tactu divinarum suarum manuum materiæ sacrificii transubstantialitatem contulit. Tertiò, qualiter patri hoc sacramentum offerendum ostendit. Quartò, qualiter de tanto dono & beneficio gratias egit. Quintò qualiter omnem benedictionem in hoc Sacramento dedit. Sextò..... Septimò, quomodo frangendum significavit. Octavò, qualiter formam in consecratione expressit. Ad intellectum ista octo redigere volo in tria. Primò, quod in cœna missando discipulos sacerdotes fecit in hoc verbo, Facite, secundùm Doctores & intentionem Ecclesiæ. Secundò, verba consecrationis super primam & secundam speciem sacerdotibus dando, quæ sacerdotes non fugiunt, nec coram simplicibus exprimenda sunt; quomodo tu magister Rockyzanne verba consecrationis supra calicem expressisti, pro quo pœnitentiam agere debes, & correctione dignus es. Ad hæc est Matthæus 31. dicens: Accepit Jesus panem, benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite & comedite, hoc est corpus meum. Accipiens calicem, gratias egit, & dedit discipulis suis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Et Lucas 22. dicit, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem. Item, postquam Matthæus dicit: Bibite ex hoc omnes, Marcus addit, & biberunt omnes. Ecce quibus dixit: facite, id est, conficite, accipite & manducate, illis dixit, bibite omnes in meam commemorationem, id est, ad significantiam expressam meæ passionis. Item post alteram speciem, nullus Evangelista dicit, hoc facite, præter Apostolum. Unde notum est, quod ipse edidit, & ad eorum scripsit sacerdotes. Sicut si modò Pragam scriberet de fide, Credo, quod artificibus non scriberetur, sed sacerdotibus: unde notum est, quod Apostolus non aliud dicit, nisi narrat Dominicam cœnam, dicens: Ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quomodo Dominus in nocte, qua tradebatur, accepit panem, & gratias agens, fregit, & dixit: Accipite, & manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem. Ecce magister, non habes in Apostolo quicquam, quod ad propositum tuum facere posset, quia quod Evangelistæ posuerunt pro conficientibus, hoc expressius Apostolus dixit & scripsit. Quibus ergo dixit: accipite, manducate & facite circa primam speciem, ad illos refert circa calicem: hoc facite quotiescunque bibetis. Item docuit ad Corinthios Apostolus observare formam in verbis, & materiam in rebus, hoc autem pertinet ad conficientem. B. autem Joannes Evangelista nihil scripsit de hoc venerabili sacramento in cœna. Illud autem quod dicitur Joannis sexto, non de sacramentali intelligitur manducatione & bibitione, sed de spirituali. Quod patet, quia illa verba locutus est Dominus in Capharnaum. Item ante

SÆC. XV. ANNO 1465.

*Tertiò, non distinguitur inter significantiam & efficaciam in Eucharistia.*

*Albertus.*

*Quomodo Christus cum celebravit.*

*Paulus non scripsit Laicis sed sacerdotibus tantum.*



(a) *Cancellarius.* Fuit hic Procopius de Rabenstein Cancellarius regni Bohemiæ, vir Catholicus, eruditus & strenuus, apud Regem Ladislaum & Gyrzikonem summæ autoritatis, Æneæ Sylvio in aula Imperatoris perquam familiaris, ut patet ex Epist. 266. Æneæ, quem ad Procopium scripsit. Ex familia ejus uno anno 1475. duo Joannes obierunt, Joannes de Rabenstein, eques auratus, fortis & strenuus: alter Joannes de Rabenstein Decretorum Doctor, Præpositus Ecclesiæ Wisengradensis.

Digitized by Google

Sæc. XV. Anno 1465.

dimidium alterum annum antequam cœnam hanc ſacratiſſimam inſtituit. Item ſolus exponit, dicens, Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo. Et beatus Auguſtinus in homelia, hoc eſt illam eſcam manducare & illum potum ſalutarem bibere, in Chriſto manere & Chriſtum in ſe manentem habere per fidem & charitatem. Sicut & beatus Apoſtolus ad Corinth. decimo. Eandem eſcam omnes ſpiritualem manducaverunt & eundem potum ſpiritualem biberunt, conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus. Item Origenes 11. homelia ſuper Levit. 7. Eſt litera in Evangeliis quæ non occidit, non ſolùm in veteri lege litera occidens deprehenditur; eſt & in Novo Teſtamento quæ occidit. Si enim ſequaris hoc ipſum quod dictum eſt: Niſi manducaveritis carnem filii hominis, &c. occidit hæc litera: vis & aliam de Evangelio quæ occidit? Qui non habet gladium, vendat tunicam & emat gladium. Ecce hæc eſt litera Evangelii; ſed occidit: hæc ille. Efficacia enim ſalutis ſub prima ſpecie tota eſt, nec aliquid minuitur ſalutis populo, ſicut dominus Decanus doctor allegabat ſanctum Thomam pro parte tertia, perfectio hujus Sacramenti non conſiſtit in uſu fidelium, ſed in conſecratione materiæ, & ideò non derogat perfectioni Sacramenti, ſed populus illud ſumat ſub una ſpecie, dum tamen conſecrans id ſub utraque ſpecie ſuſcipiat. Item Magiſter in quarto Sententiarum diſt. 11. ſub utraque ſpecie totus ſumitur Chriſtus, nec plus ſub utraque ſpecie, nec minus ſub altera tantùm ſumitur. Eadem eſt enim ratio, ut ait Hylarius, in corpore Chriſti, quæ in manna præceſſit, de quo dicitur, qui plus collegerat, non habuit amplius, nec qui minus paraverat, habuit minus: hæc ille. In ore itaque, Magiſter Rockyzanne, ſumentium ſentiuntur ſpecies, ſed ſub ſpeciebus eſt Chriſtus, & ſic dum ſumitur ſub prima ſpecie, corpus manducatur, & ſanguis bibitur, nec eſt medium Sacramentum ſub prima ſpecie, ut tu prædicas. Sub, enim, hæc propoſitio, limitat ad rem contentam. Si profectò ſub prima ſpecie eſſet medium Sacramentum, ergò eſſet medium corpus, medius ſanguis, vel ſub prima ſpecie tantùm corpus, & ſub altera tantùm ſanguis, vel medius Chriſtus. Et ſi hæc eſt intentio apud confectionem, periculoſa ſequeretur confectio, cùm intentio Eccleſiæ requiratur ad confectionem. De bibitione, ubi tu dicis, quod ſub prima ſpecie ſanguis non bibitur. Probatio: quia verè, utiliter, ſalubriter, realiter, & efficaciter bibitur, Primò, per Evangelium Joannis 6. Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Verè autem cibus, dum ſumitur, manducatur, & verè potus, dum ſumitur, bibitur. Conſtat enim in bibitione eſſe ſanguis Domini ſub prima ſpecie. Cujus autem adduxiſti exemplum corporale de manducatione ſine bibitione, contentum eſſe hominem non poſſe, exemplum inconveniens eſt, nam cibus & potus corporalis convertitur in ſumentem, iſte autem convertit hominem in ſe. Unde ſanctus Thomas in quarto, in quæſtione, An neceſſe fuit inſtituere Sacramentum Euchariſtiæ, in ſolutione tertii argumenti, dicit de cibo corporali: Verum eſt, nos eiſdem nutriri, ex quibus ſumus, quia debet cibus in nos mutari. Et ideò oportet, quod nobiſcum conveniat. Secus eſt de cibo ſpirituali, qui nos in ſe tranſmutavit: hæc ille. Petrus de Tharas. ſuper 4. d. 11. Quod bibitur ſanguis Domini ſub prima ſpecie, ita dicit: in hoſtia eſt cibus & potus, ſecundùm eſſe ſignificatum, quamvis non ſecundùm ſpeciem ſignificantem. Et ſub ipſa ſpecie panis corpus manducatur, & ſanguis bibitur in re, licet non in ſigno expreſſo. Cùm ergò dicit Innocentius Papa tertius, in libro de Sacramentis, quod non bibitur, quamvis ſub ſpecie panis ſanguis ſumatur cum corpore, & ſub ſpecie vini corpus ſumatur cum ſanguine, tamen nec ſanguis ſub ſpecie panis, nec corpus ſub ſpecie vini comeditur aut bibitur: Cujus ſicut nec ſanguis comeditur, nec corpus bibitur: Ita neutrum ſub ſpecie panis bibitur, aut ſub ſpecie vini manducatur. Reſpondeo ſecundùm Petrum de Tharas. Cujus bibere in Sacramento dupliciter contingit, aut re & ſigno expreſſo, aut re tantùm. Re tantùm bibitur etiam ſanguis ſub ſpecie panis. Cùm veraciter ſub prima ſpecie contineatur ſanguis, qui eſt potus animæ, & non ſpecies illa. Bibere verò re & ſigno expreſſo, & apparato ad ſignificationem ejus, quod ſumitur, de calice bibitur, de quo ſecundo modo intelligendus eſt Innocentius, & non de primo. Item, Innocentius ſolus ſub una ſpecie communicans intelligitur de conficientibus videlicet ibi: hîc Doctor Kyzyzanowsky ad Rockyzannum: Deus permiſit in te evidenter, quod Doctores noſtros allegaſti, qui de intentione ſcribunt de una ſpecie. Reſpondit Rockyzana: Et melior ratio per adverſarium dicta. Reſpondit Kyzyzanowsky: Non eſt præſumendum, Doctores ſibi eſſe oppoſitos, cùm pro una ſpecie ſcripſerunt, ſoli communicaverunt, & in eo mortui ſunt. Ad idem Bertrandus de Turre ſuper verbo, *Bibite ex hoc omnes*, quærit, quare dicit magis: bibite omnes, quam manducate omnes, cùm tamen contrarium fuiſſe dicendum videtur, cùm omnes ſumunt corpus, ſcilicet ſub ſpecie panis, * & ſi ſub ſpecie vini, & non ſanguinem, propter periculum effuſionis. Reſpondit Dominus Prævidens, quod deberet à

*S. Thomas.*

pluribus

Digitized by Google

pluribus ſumi hoc Sacramentum, ſub ſpecie panis, in confuſionem hæreticorum, ne crederetur, quod per hoc ſanguis minus ſumeretur, quando non ſumitur ſub ſpecie vini, ſed panis. Ait, bibite omnes. Quia omnes etiam ſumentes Chriſtum ſub ſpecie panis, etiam ſanguinem bibunt, quia non eſt corpus ſine ſanguine: hæc ille. Ad idem eſt Gorra ſuper Matthæum. Dixit Doctor Kyzyzanowsky: Die heſterna dixiſti: Quare populus non admittitur ad calicem, ſicut admittitur ad primam ſpeciem? Reſpondeo in promptu, propter periculum effuſionis & erroris. Interrogo te & ego. Quid cauſæ? quod non biberetur ſanguis Chriſti ſub ſpecie panis, cùm ſit verè potus? Et non eſt reſponſum. Dixit Kyzyzanouwsky: Manducat itaque populus, & bibit communicans ſub prima ſpecie, nec derogat hoc perfectioni hujus Sacramenti. Unde Bonaventura ſuper 4. d. 11. Eſſe de integritate Sacramenti dupliciter intelligitur, aut quantum ad efficaciam, &c. utraque ſpecies non eſt de integritate. Et ideò fideles recipiunt ſub una ſpecie, propter periculum effuſionis & erroris. Quia ſi ſimplices communicarent ſub utraque ſpecie, non crederent, in altera ſpecie totum Chriſtum eſſe. Quantum autem ad ſignificantiam, quæ eſt in ſacrificio, eſt de integritate utraque ſpecies. Quod ſub utraque ſpecie non eſt Sacramentum neceſſitatis, nec ex ſe dixit Kyzyzanowsky; probatur per ſanctum Thomam, quem tu heri allegaſti. S. Thom. quærit, utrum hoc Sacramentum ſit neceſſitatis. Et dicit, quod ſic. Dixit Kyzyzanowsky: contra intentionem Doctoris locutus es, ſicut conſueviſti Doctorum verba mutare, augere, addere & trùncare. Sicut B. Magdalena, & B. Ludmilla communicata eſt corpore & ſanguine Domini; Apponis tu cum tuis ſacerdotibus ſub utraque ſpecie, & tamen ibi ſcriptum non eſt. Similiter diminuere, & contra intentionem Doctorum allegare conſueviſti, ſicut in ſcriptis tuis ſuper Joannem reliquiſti, & prædicaſti, in quo ſermone perſonaliter conſtitutus eram. De Lyra dicens: Lyra dicit, quod etiam pueris debet dari, ſicut & Baptiſmus. Ecce accurtatio, Sereniſſime Rex, quia immediatè ſequitur, quod falſum eſt. Quia in ſumente hoc Sacramentum requiritur actualis devotio & reverentia, quæ non ſunt in pueris. Audi ſanctum Thomam, ſuper 4. in quæſtione, utrum manducatio corporis Chriſti ſit de neceſſitate ſalutis, & ille tanget te ad caput. Tu dixiſti magiſter Rockyzanne, quod. * Ego dico coram Rege mentem Doctoris, quod non ille inquit, gratia eſt ſufficiens cauſa gloriæ. Unde omne illud, ſineque poteſt haberi gratia, non eſt de neceſſitate ſalutis, hoc autem Sacramentum gratiam præſupponit, Baptiſmum, in quo datur gratia. Et ideò, quantum eſt de ſe, non eſt de neceſſitate ſalutis, ſed de ordinatione Eccleſiæ, homines obligantur ſecundùm Eccleſiæ ſtatuta, corpus Chriſti ſemel in anno ſumere. Item, ibidem in eadem quæſtione, ad argumentum iſtud, per hoc Sacramentum Chriſto incorporamur, hoc autem eſt de neceſſitate ſalutis. Reſpondet ex intentione, dicens: Quod incorporatio ſpiritualis ad Chriſtum poteſt eſſe ſine manducatione ſacramentali. Et ideò non oportet, quod ſit Sacramenti ſuſceptio de neceſſitate ſalutis: hæc ille. Item dicere de neceſſitate, vel de præcepto hujus Sacramenti, eſt contra decretum Eccleſiæ Romanæ, in Concilio Baſilienſi, cum quo recepiſti unitatem & conformitatem in omnibus ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, præter quam in uſu communionis ſub utraque ſpecie. Et obedientiam promiſiſti, quæ promiſſa & compactata, qualiter tenuiſti, & tenes, evidenter apparet, habes Doctores pro una ſpecie allegatos, nec dabis unicum Doctorem, qui communionem unius ſpeciei ad populum vituperaret vel damnaret; verùm tibi dabo plurimos, qui eum laudant & approbant. * Viz etiam his ſuper quarto ſententiarum, in ſcriptis ſuis dicit, hoc Sacramentum ad populum non eſſe de neceſſitate ſalutis. Et quod pueri & amentes communicari non debent. * Cujus etiam ſanguis Chriſti bibitur ſub prima ſpecie, licet non Sacramentaliter ſub ſpecie vini. Poſtquam Rockyzannus allegabat (a) ſanctorale, de ſancto Andrea Apoſtolo, quod communicaſſet populum corpore & ſanguine Domini ſub utraque ſpecie, dixit Kyzyzanowsky in faciem, coram Rege & regno, & reſtitit, quod non eſſet ibi ſcriptum ſub utraque ſpecie. Contrà Rockyzannus, quod eſſet; ille vice verſa, quod non: eadem die etiam Rokyzanus bis ſub prima ſpecie elevationem fecit ſine calice. Et erat dies ſanctiſſimæ Apolloniæ virginis, Anno eodem CCCCLXV. cùm verba Doctorum contra Rockyzanum miſcerentur, & nonnulli plurima impedimenta faciebant. Surrexit (a) Malowetz, qui dixit, quod Papa in die Paſchæ communicat certas perſonas de populo ſub utraque ſpecie, & quod dixiſſet ei unus ex Cardinalibus, quod ſi ipſe interfuiſſet, à Papa ſub utraque ſpecie communicatus fuiſſet. Ad quod aſſurgens Cancellarius dixit, nunciando primum, quæ ſit conſuetudo communicandi Papæ, & quod

SÆC. XV. ANNO 1465.

(a) *Liber continens vitas Sanctorum.* BASN.



(a) *Malowetz.* In literis Baronum Bohem. ad Sleſitas, quæ extant apud Cochl. lib. 12. fol. 414. nominatur Joannes Malowitz de Porzo. Fuiſſe Huſſitam patet ſuprà folio 759. ubi unà cum Koſcka Catholicorum ſermonem (indignante Wilhelmo de Rabenſtein,) interrumpit. CAN.

Digitized by Google

SÆC. XV. ANNO 1465.

quod ipse certas personas communicat sub prima specie sedendo in sede sua. Et Cardinalis Diaconus stans apud cornu altaris dat illi de calice, cui Papæ dedit corpus Christi. Et quia pro hoc magna post hoc fuit facta disceptatio. Feria secunda sequenti (a) Cancellarius declaravit verba sua, quod illud constat sibi, quod Cardinalis dat de calice, sed an sit ibi sanguis Christi, vel vinum, illud sibi non constat. Tunc Rex ait: Et hoc habemus, in Ecclesia Romana semper fuit continuata communio sub utraque specie, & quod pro eo non sumus, de Dei gratia, schismatici. Et Cancellarius dixit: Quod nesciat, si Cardinalis porrigit sanguinem Christi, sed quod calicem solum illis dat, qui de manu Papæ communicaverunt sub prima specie. Sed ipse Papa non dat alicui de calice. Et cùm fierent verba assistentium multa, Quare ergò nobis Papa prohibet, & quare nos hæreticat propter communionem? etiamsi nobis mandaret, non debemus facere contra legem. Ad quæ verba Decanus respondit cum voce. Et ego dico, quod si Papa diceret, dimittas illud, qui ei non obediret, quod peccaret mortaliter. Et surgens Samuel, cum pluribus dixit: Ecce Rex, iste loquitur contra honorem tuum, & hic tangit totum regnum. Unde & feria secunda Rockyzano replicans verba Decani, dixit, quod malè esset locutus: aut igitur Decanus pœniteat, aut publicè revocet. Sed Decanus replicabat se verum dixisse: his sic habitis, Decanus sic persecutus est: Quod magister Rockyzane heri dixisti multa de pluralitate gratiarum, expressè sunt contra te S. Ambrosius & Hilarius in 11. distinctione, lib. 1. Sententiarum quarto, non plus sub utraque, nec minus sub altera tantùm. Eadem est enim ratio, ut ait Hilarius, in corpore Christi, quæ in manna præcesserat: de quo dicitur: qui plus collegerat, non habuit amplius, nec qui minus. Item B. Hieronymus, de con. d. 2. Singuli accipiunt Christum, & in singulis portionibus totus, nec per singulos minuitur, sed integrum se præbet singulis. Ecce tres Doctores antiqui expressè sunt contra tuam pluralitatem. Item, vel istæ gratiæ veniunt à Sacramento tantùm, vel à Sacramento & à re tantùm; non ab ultimo, quia illud non est ad propositum, nec à Sacramento tantùm sive à speciebus. Nam Albertus Magnus super 4. ita dicit: formæ visibiles non sunt propriè sacramentum, sed solùm in ratione signi, quia non causant gratiam, sed corpus Christi verum est Sacramentum, & ejus effectus est unitas corporis mystici. Item dicit sanctus Thomas in tertia parte, quæstione, 83. in solu. 2. argumenti, Sicut se habet virtus Christi Spiritus sancti ad aquam Baptismi, ita se habet corpus Christi ad speciem panis & vini. Unde species panis & vini non efficiunt aliquid, nisi virtute corporis Christi veri. Si ergò non venit à Sacramento tantùm: ergò à re & Sacramento omnes descendunt gratiæ, sed sub prima & secunda specie est eadem res, puta Dominus Jesus: ergò eadem gratia hîc & ibi. Et sicut dicis, quod à sanguine Christi veniunt aliæ gratiæ, quàm à corpore Christi, dic mihi, ubi plus est de sanguine Christi, an sub prima specie, vel sùb secunda est? quæ est ratio diversitatis, quod à sanguine Christi, sub specie panis non essent eædem gratiæ, quæ à sanguine Christi, sub specie vini veniunt, cùm sit eadem res numero? Quod autem dicebas heri, magister Rockyzane, quod B. Leo Papa in sermone, Prædicaturus, redarguit, & signa dat, per quæ debeant cognosci Manichæi, quia *non* communicabant de calice, ut intelligant isti Domini assistentes, & non putent ita esse, sicut dicis, & doleant omnes auditores, quod audes hanc sacratissimam communionem ad Manichæorum hæresim inducere. Manichæi hæretici erant, non credentes Dominum Jesum veram carnem habuisse, sed fantasticam, similiter animam. Et quia anima est in sanguine, nolebant conficere in calice sanguinem Christi, ne confiterentur animam Christi esse veram & non fantasticam. Item, quia non bibebant, vinum, nec carnes comedebant, nolebant in calice conficere, ne cogerentur vinum bibere, non credentes aliud esse, quàm memoriam passionis, & non veritatem corporis & sanguinis Christi. Et quomodo primam speciem præparabant, Beatus Augustinus in libro 9. de hæresibus, eos condemnando declarat, quod potius est tacendum, quàm loquendum. Vis tu ergò illam sectam comparare ad nos? Ubi nos & fides Catholica tenet in Sacramento altaris esse veritatem corporis & sanguinis Christi, & sufficere ad salutem populo fideli, sub prima specie communicare. Nam dicit Bonaventura, doctus, bonus & devotus, & insignis, super 4. Quod sanguis non datur populo sub specie vini, quia populus bibit sanguinem Christi sub specie panis. Et magister Petrus de Tarantasi dicit: Sub utraque specie est cibus & potus secundùm rem significatam, quamvis non secundùm speciem significantem. Similiter dico, quod etiam sanguis Christi dicitur cibus. Nam dicit beatus Leo Papa de con. d. 2. Est cibus refectionis, est cibus sanguinis, sicut enim caro Christi est verè cibus, ita & sanguis ejus est verè potus. Idem est corpus, de quo dictum est: Caro mea verè est cibus,

*Autoritas Papæ quanta.*

*Probatur communio sub una specie.*

*Albertus.*

*Thoma.*

*Bonaventura.*

*De consecr.*

(a) *Cancellarius.* Procopium de Rabenstein intelligit, de quo vide quæ notamus ad fol. 769. fuit autem Procopius hic missus Romam à Gyrzikone Rege ad Pium II. Anno 1642. CAN.

Digitized by Google

cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Item gloſſa interlinearis ſuper verbo, Caro mea verè eſt cibus, dicit: Qui unum ſumit, totum ſumit; qui ambo, totum; ſed utrumque ponitur pro omni ſacietate. Quare autem populus non ſumit de calice, à Doctoribus ſanctis multæ ponuntur rationes. Tamen præcipuè ſanctus Thomas, quem tu pro te allegas, & tamen in forma eſt contra te. Ille in ſermonibus ſuis ponit tres rationes. Prima, ad habendum vas congruum hujus ſanguinis contentivum. Secunda, ad evitandum periculum effuſionis. Tertia, ad præcavendum erroris periculum. Prima ratio, ad habendum vas congruum. Sicut enim vas, in quo ſervetur vinum, ſpecialius & diligentius præparatur, quàm panis: ſic ſanguis Chriſti ſub ſpecie vini ſumendus ſolis ſacerdotibus committitur vel conceditur, tanquam vaſis Domini, ad hoc ſpecialiter conſecratis, & ſacra religione conſtrictis, & virtutum pulchritudine præcellentius præornatis. Secunda ratio, propter periculum effuſionis. Illud tu magiſter Rockyzane cottidie ſcis ita eſſe. Tertia ratio, ad præcavendum errorem, ne populus æſtimet, quod plus eſſet ſanguis Chriſti, ſub prima ſpecie. Unde ſicut ſacerdos ſumit ſanguinem Chriſti ſacramentaliter de calice, ſic populus ſumit eum intellectualiter ſub ſpecie panis. Et eſt eis tam utilis, tam dulcis, ut ſacerdotibus, qui ſumunt eum ſub ſpecie vini de calice. Unde Canticorum primo: Botrus Cypri dilectus meus mihi: inter ubera mea commorabitur. Duo ſumo in botro, uvam, id eſt, corpus Domini in cibum, & ex uva ſumo dulcem ſanguinem in potum. Deuteronomii 36. Conſtituet eum ſuper excelſam petram, ut ſanguinem uvæ biberet meraciſſimum: per hunc potum reficit Dominus animam, donec perducat eam ad vitam æternam. Item, ibidem potus ſanguinis eſt triplex, ſcilicet Sacramentalis, intellectualis, & ſpiritualis. Sacramentalis eſt, qui à ſolis ſacerdotibus ſumitur ſub ſpecie vini. Intellectualis eſt, qui à populis Chriſtianis ſumitur ſub ſpecie panis, de ipſo Chriſti corpore. Spiritualis, qui à bonis ſalvandis ſumitur de paſſionis ipſius meditatione. Primus potus ſanguinis Chriſti eſt Sacramentalis, qui à ſolis ſacerdotibus ſumitur de calice altaris. Nam in Evangelio Marci: Accepit Jeſus calicem, benedixit & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Et biberunt omnes, ſcilicet Apoſtoli, id eſt, ſoli ſacerdotes. Secundus potus ſanguinis Chriſti eſt, & intellectualis, qui à populo Chriſtiano ſumitur ſub ſpecie panis de ipſo corpore Salvatoris. Unde ſicut ſacerdos ſumit ſanguinem Chriſti Sacramentaliter de calice, ita fidelis populus ſumit eum intellectualiter de ipſo corpore. Job 39. Pulli aquilæ potabunt ſanguinem. Pulli aquilæ ſunt ſubditi Eccleſiæ, qui potabunt ſanguinem Chriſti, non de calice, ſed de ipſo Chriſti corpore, hic potus mentem fidelem dulcedine delectat. Canticorum primo: Botrus Cypri dilectus meus mihi. In botro ſunt duo, in cibum, & in uva dulcis ſanguis in potum. Et Pſalmiſta: Et de petra melle ſaturavit eos. Sicut petra corpus Chriſti incorruptibile, ſic mel de petra ſervat dulcem ſanguinem Chriſti: hæc per totum Doctor ſanctus. Ex his appareret manifeſtè, quare populus non ſumit ſub altera ſpecie. Item, quod quilibet fidelis ſumit totum ſanguinem ſub prima ſpecie, tam utiliter, tam dulciter, ſicut ſacerdos, & quod eſt eis ſufficiens ad æternam vitam. Unde, magiſter Rockyzane, non oportet te clamare, & incitare populum quod non damus eis ſanguinem Chriſti, & quod ſpoliamus eos gratiis & ſalute æterna. Jam audiviſti B. Thomam, quod non * unius, ſi communicantes ſub una ſpecie eſſent ſpoliati gratiis, tunc maximè Salvator ſpoliaſſet eos, cùm dixit: Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. Item, qui manducat hunc panem, vivet in æternum. Sed qui habet vitam æternam, non eſt ſpoliatus aliqua gratia, quia in æterna patria nullus eſt defectus. Item, ex iſta tua pluralitate gratiarum incides in illud, de quo (a) vos redarguitis, nam oportebit te ponere octo Sacramenta. Vel iſtud argumentum ſolve. Ubicunque eſt alia & alia inviſibilis gratia, viſibilis formæ, ibi eſt aliud & aliud integrum Sacramentum. Sed parte ſub hac, & hac ſpecie eſt alia & alia inviſibilis gratia viſibilis formæ, ergò ſub hac ſpecie eſt aliud & aliud Sacramentum, ergò octo erunt Sacramenta. Major eſt diffinitio Sacramenti, quarto Sententiarum. Minor eſt tua, nam heri probaſti per Thomam & Albertum, quod ſub altera ſpecie ſunt aliæ & aliæ gratiæ diſtinctæ. Ad idem ſic: in quibuſcunque Sacramentis ſunt gratiæ, realiter & eſſentialiter diſtinctæ, iſta ſunt diverſa Sacramenta realiter. Sed ſecundùm te ſic eſt: hæc ergò illa duo Sacramenta ſunt diſtincta realiter, & per conſequens erunt duo, & ſic octo. Quod autem dicebas, quod habeamus nos octo Sacramenta, aut ſex cum medio, inducens capitulum, Comperimus, ad illud tibi reſponſum eſt. Et vide gloſſam ibidem, quæ contra te eſt, nam dicit integer, id eſt, integrè: ſub utraque enim ſpecie, ſupple, Chriſtus integer ſumitur. Et intellige de conficiente. Nam infirmus vel ſanus in neceſſitate, ſine vino corpus ſumere poteſt, & ſubdit gloſſa ſuper verbo ejuſdem myſterii hoc de ſpeciebus ipſis exterioribus intelligitur, impoſſibile eſt enim, ſpeciem panis quis ſumat, * utique ſumit. Et dicuntur hîc duo Sacramenta, & unum propter unum contentum. Revera ſunt enim ibi plura Sacramenta, nam accidentia panis ſunt tantùm Sacramentum corporis Chriſti.

SÆC. XV. ANNO 1465. Gloſſa.

(a) Forſan, Nos.

Sæc. XV. Anno 1465.

sti. Sed accidentia vini sunt tantùm Sacramentum sanguinis. Sed ecce sub specie panis est corpus Christi & sanguis, immò totus Christus sub specie vini: hæc glossa. Et dixit textus ille: aut integra sacramenta recipiant, aut ab integris arceantur. Ergò sunt duo integra, & unum integrum, & non medium, ut tu asseris: quod autem illa

*Scotus.* integritas solùm requiratur in consecratione, etiam dicit Scotus super quarto sententiarum, distinctione septima, articulo tertio, Quod sola integritas requiritur in consecratione, ita quod nullus consecret corpus, nisi etiam consecret sanguinem; non autem requiritur in quacunque perceptione, quia laicus benè corpus, non sanguinem sacramentaliter sumit. Sed requiritur in illa perceptione, quæ sequitur consecrationem quæ habetur in 1. cap. relatum. Hæc ille. Quod autem non sit medium sacramentum, neque medius Christus, ratione naturali apparet. Nam si per potentiam divinam tollerentur accidentia panis & vini, nihil aliud appareret, quàm Christus, sive sit utraque species, sive una. Quod autem unio sacramentalis non sit de necessitate, omnes doctores, moventes hanc quæstionem, Utrum manducatio sacramentalis sit de necessitate salutis, respondent, quod non, quia hoc sacramentum præsupponit gratiam, quia præsupponit baptisma, in quo confertur gratia. Sed de ordinatione Ecclesiæ homines obligantur secundum statutum Ecclesiæ, corpus Christi semel in anno sumere, nisi de consilio sacerdotis quis differat: hæc ille: immò quamvis in consecratione debet utrumque apponi, tamen non est tanta necessitas, quod non posset dispensari per Papam, ut Missa solùm celebratur sub prima specie, & hoc in terris illis, ubi vinum nullo modo potest haberi, quia non est corpus sine sanguine & anima, & Deitate; quamvis ibi non sit sanguis ex virtute confectionis & sacramenti. Et ut per tuos posses ad te redire, non ignoras, quòd dicit vester Husf in tractatu de corpore Christi, dicens: Ex isto patet, quod manducatio spiritualis in homine semper debet sacramentalem præcedere, sicut magis necessaria. Nam spiritualis cadit sub præcepto, juxta illud Joannis sexto. Nisi manducaveritis. Sacramentalis verò non

*Locus corruptus.* est de necessitate salutis, cùm parvuli salvantur sine ista. Sed tamen est de necessitate salutis, sicut cadit sub præcepto Ecclesiæ, ut scilicet ætatis debitæ deinde homo fidem confitens, ratione utens, valens aggredi tempore debito manducat corpus Domini venerabile sacramentum, nec frustrà & vanè, vel hypocriticè nequitiæ gratiâ, sed propterea, ut passionis Christi gerens memoriam, à peccato emundetur, in bono confortetur, corpori Christi mystico fortius incorporetur, amplius justificetur, ad futuram vitam præparetur, intellectu illuminetur, à malo præservetur, & habeat vitam æternam. Hæc vester Huss. Quare autem Dominus instituerit sub utraque specie celebrandum, est ratio Sanctorum, ut cùm sit in memoriam passionis, sicut in cruce fuit totus sanguis separatus à corpore Christi, ita quòd non fuit homo in mundo, nec erit, à quo totus sanguis extractus fuisset in morte, sicut in morte filii Dei propter summam dilectionem, ita ad hoc repræsentandum, nihil vini est in speciebus panis, sed significatur illa effusio, ac si esset totus recollectus in calicem. Et in signum illius dominus ante passionem sic confecit: post passionem verò cum duobus discipulis sub una specie dedit, calicem illis non benedixit, dans intelligere totum sanguinem se in resurrectione resumpsisse in corpus & sibi perpetuò unitum, nunquam ab eo separandum. Item nec ita vos populo datis, sicut soli communicatis: aut ergò præceptum Christi mutatis, aut institutionem Ecclesiæ non tenebitis. Nam nunquam de calice datis populo de particula immissa in calicem, &c. Aliter datis quàm recipitis, vel non immittitis particulam, ecce contra Ecclesiam facitis, nam cùm neque sacerdos per se recipit calicem sine particula immissa, qua auctoritate præsumitis illud Laicis dare? plurimos doctores adducerem, qui ex intentione scripserunt, & actu sub una specie ipsi communicaverunt. Sicut S. Thomas, Lyra, Gorra, Hugo, Alexander de Ales, Albertus, Bonaventura, Richardus, Innocentius tertius, Petrus de Tharentasia, Petrus de Palude, Scotus, Wilhelmus, Joannes in Summa, Astensis, Armachanus, Petrus, Glossa ordinaria, Archidiaconus, Guido, Wilhelmus de monte, Rudolfus, Rabanus, alii plures, sed de istis sufficit. Ex istis patet solutio ad omnia objecta: ad Evangelium, quod non sit de præcepto sacramentali: ad Paulum doctor Wenceslavus respondit. Nam Apostolus tria facit, narrat dominicam cœnam, dat materiam in rebus, dat formam in verbis, & usum quoad sacerdotes. Nam hoc facite quotiescunque bibitis, id est, nunquam conficite nisi bibatis. Nam si pro laicis esset intelligendum, tunc quotiescunque sacerdotes conficerent, toties laici deberent bibere, quod non fit etiam apud vos. Ad Innocentium respondit tibi dominus Doctor. Omnes Doctores nostri sunt ex intentione contra te, sicut dixit Doctor sufficienter. Et sicut dicit de litera Imperatoris contra parvulos, quòd fuisset sibi post mortem missa, illud nequaquam est verum. Nam illa Bulla data est in mense Januario, & Imperator mortuus est mense Decembri sequenti. Quomodo igitur non potuit scire de ipsa? Etiam dato quod nesciviſſet; Jura sunt ibi, quod mensibus rescriptum est obliget. Ex

istis

Digitized by Google

istis omnibus apparet, quòd communio unius speciei populo fideli à Christo fundata & practicata, & ab Apostolis, similiter Canonibus firmata, & conciliorum auctoritate & doctorum sententiis laudata & approbata, non hæretica, non sacrilega, sed fidelis, & Catholica, & ad salutem Christianam sufficientissima. His peractis, quia jam dies descendebat, Rockyzanus petiit dilationem, ut dictis respondeat. In fine autem cum petitum fuisset à partibus, ut liber Sanctoralis legeretur, & doctor Kyzizanousky instaret asserendo, ibi non esse positum sub utraque specie, lectus est ille passus de sancto Andrea, ubi dicit: Ego immaculati agni corpus & sanguinem populis trado. Tunc Decanus ait: hoc est pro nobis. Et doctor Kyzyzanousky, Non est, ait ibi, sub utraque specie? Cumque esset altercatio, Rex quæsivit, an esset ibi sub utraque specie, Cumque responsum fuisset, quod non; dixit Rex, Ibi nihil habetis: & ita surgens hanc contentionem dissolvit. Die Lunæ cum iterum convenissent, Decanus ita locutus est. Hesterna die coram Serenitate vestra vocitati sumus, & comparuimus, & jam facimus satis de gratia Dei debita nostra, & sufficienter ostendimus, communionem unius speciei sufficientem esse ad salutem, nec disputavimus, nec disputare intendimus, sicut protestati sumus super jam concluſis in materia fidei; nam illud esset primum contra fidem Apostolicam, contra cujus præcepta & canones nemini licet venire, contra mandatum Serenitatis vestræ. Nam ad disputationem non sumus vocati, sed ad excessus istorum declarandos seu exponendos, quod & fecimus. Item quia ad disputationem, si fas esset nobis disputare, nec est locus, nec Judex, nec auditores competentes. Item quia inclamant, subvertunt, derident in plateis & cathedris suis. Sed ne ex parte nostri possit aliquid deficere, si ista non sufficiunt, adhuc damus viam de hac materia. Conscribantur omnia dicta & facta nostra fideliter & sigillentur annulo regio, mittanturque ad Dominum nostrum sanctissimum: quis reportabit sententiam, ille victor sit. Quod si difficile videtur, habet dominus noster serenissimus Rex amicissimum Cæsarem, habet Christianissimum regem Francorum affinem, habet reges, habet Principes & affinitate & amicitia junctos. Sunt in imperio, regnis & terris Universitates, Romana, Bononiensis, Parisiensis, Oxoniensis, Tolosana, Salamantina, Veronensis, Avinionensis, Mons Pessulanus, Cadomiensis, Orliensis, Cantabrigensis, Paduana, Perusina, Ferrariensis, Senensis, Florentina, Papiensis, Parmensis, Colonensis, Erfordiensis, Cracoviensis, Wienensis, Linonensis, Uztocensis, Lipsensis, Hildeburgensis, Navetensis, Basilensis. Mittat ad illos & ad illas nostra scripta, mittat ad Græciam, aut quo placebit, aut scripta nostra, aut personas nostras; & cujus sententia laudabitur, sis contentus. Tunc Rockyzannus locutus est sermonem longissimum omnia priora replicans, gloriando se victorem esse jam altera vice contra Ragusium, & jam contra Doctores, & quomodo petivisset Ragusius Concilium, ut eum absolverent ab eo. Et ita multo sermone usus est. Sed Decanus protestatus est, se nolle sibi respondere juxta priorem protestationem. Sicque negotio incepto & non completo hæc sessio peracta est, neque plus regi visum, ut congressus & auditorium die sequenti fiat, quia velit de his plenius deliberare.

SÆC. XV. ANNO 1465.

*Et hic est finis hujus positionis contra Rockizannum.*

DE-

Digitized by Google

# DESCRIPTIO TERRÆ SANCTÆ,

## AUCTORE

# ANSHELMO,

## ORDINIS MINORUM DE OBSERVANTIA.

*Ex Manuscripto Codice edita.*

---

# AD LECTOREM

## CANISIUS.

SÆC. XVI. ANNO 1509.

*EDidimus jam in hoc & in aliis tomis nonnulla, quæ ad Terram Sanctam penitus cognoscendam faciunt. Inter illa venit quoque ad manus nostras hæc Anselmi lucubratio, quam tecum communicare voluimus, etsi, ut appareret, fine mutilam. Quod de spasmo D. Virginis non procul à calce scribit, id ex vulgi persuasione hausisse videtur, quam Cajetanus proprio libello refutavit: quem consule. Extat inter opuscula ejus extremo tomo secundo. Eandem refellit Franciscus Soarez tomo 2. in 3. partem Divi Thomæ disput. 41. sect. 2.*

JACOBI

Digitized by Google

# JACOBI BASNAGII
## IN
# ANSELMI
## DESCRIPTIONEM
# TERRÆ SANCTÆ.
## OBSERVATIO.

FUit *Anſelmus* è ſodalitio Franciſcanorum; Fratrum ſcilicet Minorum, qui dicuntur de Obſervantia. Sæpius enim loquitur de *Guardiano noſtro*; Guardianus autem apud Minoritas præpoſitus eſt monaſterium cuſtodiens. Narrat ipſe *Fratres ſuos Minores de Obſervantia* ſolitos ſolvere ſingulis annis *Groſſum Mauro* cuidam, ut Miſſam de aſſumptione legerent in Eccleſia ſepulcri Virginis Mariæ ea nocte, quâ creditur cœlos adiiſſe; tandem vectigal negaviſſe, ideoque à celebratione hujus miſſæ abſtinuiſſe: at virginem iratam *Maurum*, cui apparuit, ita terruiſſe, ut miraculo tali obſtupefactus audierit fratres annueritque ut ſine tributo Miſſas facerent: inde patet, Minoritam fuiſſe Anſelmum. SÆC. XVI. ANNO 1509.

De Patria dubitatur: Polonum Cracovienſemque fuiſſe conjecit *Voſſius*; & revera ſemper Cracoviam in exemplum profert. *Jeruſalem* ad inſtar *Cracoviæ* amplitudine protenſam narrat: ab Eccleſia quadam tantum diſtare refert agrum Damaſcenum, quantum locus ubi Staniſlaus occiſus eſt, ab Eccleſia S. Bernardini, quæ fuit Cracoviæ: Denique aſſerit diſtare domum *Pilati* ab ædibus *Caiphæ*, quantum diſtat Eccleſia Spiritus Sancti ab Eccleſia Bernardini *Cracoviæ*. Veriſimilis quidem eſt illa conjectura; inde tamen elicitur tantum, Cracoviam ipſi fuiſſe notiſſimam; non tamen ſequitur ibi natales ſuos habuiſſe. Brocardus eandem Terram Sanctam deſcribens *Magdeburgenſis* urbis amplitudinem longitudinem latitudinemque ſæpius protrudit; quamquam Argentorati natum conſtet. Milliaria Polonica magna, quorum quippe tria quatuor leucas conficiant, ſæpius indicat; inde Polonum fuiſſe conjicias, ſi libuerit: Sed idem Lombardica etiam milliaria notavit. Si tamen in re incerta ſententiam proferre vellem, ipſum Polonum, vel ſaltem Germanum origine dicerem. De ætate nulli dubium eſſe poteſt, quandoquidem ſcribit: *in Terram Sanctam veni anno MDVII. verſus finem anni, & receſſi de Jeruſalem anno MDVIII. verſus finem anni*, ideo hoc opuſculum anno 1509. adſcripſimus.

Sunt quidem in eo aliqua obſervanda: diſtantias locorum demetitur &



Digitized by Google

SÆC. XVI. ANNO 1509.

observat. Sed fabulis addictissimus eos summa cum fiducia, velut verissimas lectoribus obtrudit. In eo titubare dubitareque deberent viatores, prout longe dissita sunt tempora; ignorare debent enim recentiores circa loca sacra omnia quæ veteres latuerunt; imò nos fugiunt quam plurima, quæ facile potuerunt ipsis innotescere. Attamen hic scriptor omnia accuratissime novit, nequidem excepto lapide in quo coronatus est *Christus*, aut necatus est in Ægypto *Jeremias*. *Adamum* in agro Damasceno creatum sibi fingit, quamquam nullus ibi nec Tigris nec Euphrates. Id tamen ipsi facilius ignoscendum, quod sic plerique sentiant peregrini, errorque ipsi non sit peculiaris: nec desunt hodierno die Critici, qui talia tueantur probareque studeant. Quid sibi vult, cum locum describit, in quo Beata Virgo, quando assumebatur in cœlum, cingulum de aëre dimisit beato *Thomæ*: vel *parietes muri ruentis* in eo loco, ubi Apostoli divisérunt sibi provincias, ad quas quisque ire debebat, & ibidem *Credo* composuerunt? Mera enim mendacia, è cerebro recentiorum prodeuntia! Locum sibi indicatum asserit, in quo Christus discipulos docuit *Pater noster*, item lapidem, in quo Beatissima Virgo repausabat sæpius ambulando de Cœnaculo ad Montem Oliveti. Illudunt sane lectoribus iisque fucum faciunt, qui talia narrant.

DE-

Digitized by Google

# DESCRIPTIO TERRÆ SANCTÆ, SECUNDUM FRATREM ANSHELMUM

## ORDINIS MINORUM DE OBSERVANTIA.

UT quisque facilius cognoscere valeat situm insigniorum locorum quæ in circuitu sunt sanctæ civitatis Jerusalem, quadrifariam ea sic distinguemus, ut quædam sint Australia, quædam Occidentalia, quædam Aquilonaria, & quædam Orientalia. SÆC. XVI. ANNO 1509.

Et primo de Australibus, inter quæ sacra Bethleem principatum teneat, distans ab Jerusalem fere dimidia secunda leuca, hoc est, magno nostro miliari, quod includit quinque Italica miliaria, leuca enim continet tria miliaria Italica & non plura, & sic in sequentibus ea utemur.

Exeundo igitur de Jerusalem versus meridiem ad Bethleem, ad sinistram partem juxta Jerusalem est mons Sion, ubi Salomon fuit coronatus & inunctus, & in vertice illius montis est domus mali consilii, ubi primum consilium tractatum est de nece Domini.

Item in eadem via versus Bethleem, quasi in medio viæ inter Jerusalem & Bethleem est locus ubi stella reapparuit Magis, quando recesserunt de Jerusalem versus Bethleem ad quærendum puerum *Jesum* natum, & ibi est septennis indulgentia, & est ibi cisterna in eodem loco.

Abhinc procedendo versus Bethleem per parvum spatium est locus, ubi est Monasterium ubi Helias mansit & fecit pœnitentiam.

Dehinc ultra est ager, ubi cives conversi sunt in lapides. *Ultra versus Bethleem* est sepulchrum ubi sepulta fuit Rachel, distans à Bethleem uno quartali miliaris, juxta viam Jerosolymam.

Inde venitur ad civitatem inclytam quondam Bethleem quæ est in tribu Juda, ubi fuit caput ipsius David Regis Judæorum, & modo est ad instar oppiduli parvi aliquot domos habens in cumulo. In hac Bethleem est Ecclesia pulcherrima & (a) muro modo disposita ex quadratis lapidibus obtectis tabulis in parietibus de marmore, quæ Ecclesia habet tectum cedrinum in lignis & tegulis imputrefactibile desuper obtectum laminis plumbeis per totum ad crucem, habens duas Capellas ex opposito chori, unam à dextris, aliam à sinistris. Hujus Ecclesiæ navis est satis oblonga & ampla, habens quadraginta columnas marmoreas rotundas & pulcherrimas quadruplici ordine situatas, & longitudo navis Ecclesiæ ejusdem est quadraginta passuum, id est, secundum consuetum modum gradiendi, quos passus vocant pedes. De latitudine habet viginti passus pedum modo prædicto. in parte meridionali dictæ navis Ecclesia habet tredecim fenestras, in Aquilonari undecim, & hæ fenestræ in altum habent, ut puto, quinque cubitos vel circa, in latum duos vel circa, glebatæ cemento & obfuscatæ, ne appareat ejus pulchritudo vel aurum, quod adhuc in parietibus alicubi apparet non abrasum per Sarracenos. Pavimentum autem hujus Ecclesiæ est de lapidibus marmoreis quadratis planissimum & levissimum cum lubricitate. Chorus autem ejusdem Ecclesiæ est versus Orientem usque ad parietem Orientalem, & habet de longitudine triginta passus seu pedes, in latitudine tredecim. juxta chorum ad partem sinistram versus Orientem est Altare innixum parieti Orientali in loco illo, ubi Magi cum muneribus præparaverunt se ad offerendum munera, & ibi est indulgentia septem annorum, & juxta istum locum est fons, ubi stella dicitur cecidisse, peracto officio Magorum. Ad partem autem dexteram chori respectu Orientis est Altare innixum parieti Orientali, ubi Dominus *Jesus* parvulus est circumcisus, & ibi est plenaria indulgentia à pœna & culpa: Chorum autem prædictum tenent Græci.

(a) *miro*

Sub choro directe ad sedecim gradus descendendo sicut ad cellarium, est rupes



Digitized by Google

SÆC. XVI. ANNO 1509. hodie deplanata & auro florizata, in teſtudine quadrangularis, ſicut Capella, habens in longitudine viginti paſſus pedum ſeu pedes, in latitudine circa ſex cubitos. In parte autem Orientali parietis ſeu rupis illius eſt cavatura, ubi Dominus *Jeſus* puerulus eſt natus de ſanctiſſima virgine, & in eodem loco illius cavaturæ eſt Altare ſub quo eſt fovea parvula non profunda, facta pro charactere, ubi beatiſſima virgo Maria primum reperit filium ſuum recenter vagientem, & ibi eſt plena indulgentia, & ibi eſt devotio maxima omnium Chriſtianorum, quoniam omnes quotiens intrant ſe proſternunt.

Ad partem dexteram prædicti Altaris ſeu loci nativitatis Chriſti reſpectum habendo verſus Orientem, deſcendendo infra tribus gradibus, non tamen directe verſus Meridiem, ſed inter Meridiem & Occidentem, eſt cavatura ſeu præſepe cavatum, in quo bos & aſinus duntaxat poterant locari, & vas lapideum ſeu linter, in quo Dominus *Jeſus* à ſua benedicta matre abſconditus eſt, & iſte lectulus quadrangularis in lapide albiſſimo ſub teſtudine, de quo vaſe animalia paſtum ſumebant, & ibi eſt plenaria indulgentia, & ibidem etiam eſt Altare: Et hanc Capellam ſoli fratres noſtri tenent, nec intromittunt in die nativitatis alias nationes in Capellam niſi peractis divinis. Nam tunc Guardianus noſter ſingulis diebus natali Domini in quolibet anno illo die conducit aliquos Turcos vel Sarracenos ad cuſtodiam oſtii, qui non permittunt alios Chriſtianos ſchiſmaticos intrare, ſed percutiunt &c.

Juxta dictam Eccleſiam eſt clauſtrum fratrum, in quo eſt ſepulchrum glorioſi Hieronymi, ubi compoſuit bibliothecam in terra quaſi in cellario, ubi tantum eſt una feneſtra deſuper, ibi enim fuit reconditum corpus ejus, ſed poſtea eſt translatum Romam, ubi etiam beati Euſebii corpus requieſcit. Quidam Soldanus videns illius ſacræ Eccleſiæ mirificum de tabulis marmoreis quadratis ornatum, ſicut & in pavimento, cogitavit de tabulis illis ſectis ornare palatium ſuum in Chayro, & venientibus & artificibus & Soldano ad deſtruendam Eccleſiam quam Helena ſancta compoſuerat, volentibuſque primum lapidem ſeu tabulam deponere, ſubito ſerpens magnus apparuit, ſuper lapides, dividens eos per medium, & terrens illos artifices, cujus veſtigia dicuntur apparere in tabulis, quod cernens Soldanus territus cum artificibus abſceſſit.

Ultra Bethleem verſus Orientem, aliqualiter ad Aquilonem declinando per deſcenſum in valle eſt locus, ubi beata virgo Maria dicitur pernoctaſſe fugiendo in Ægyptum cum puero propter Herodis ſævitiam, diſtans ab Eccleſia prædicta quinque vel ſex ſtadiis, & ibi eos reduxit ad viam rectam Angelus.

Ab hoc loco verſus Orientem & à Bethleem ad unum *medium miliare noſtrum* vel unum quartale miliaris eſt locus qui vocatur Turris Gregis, ubi Angelus nunciat paſtoribus nativitatem Chriſti, qui vigilabant ſuper gregem. In quo loco beata Paula fecit ſibi magnum ædificium ſeu clauſtrum virginum, cujus adhuc veſtigia apparent.

De Bethleem ad tres leucas quaſi ad duo milaria noſtra vel minus, eſt mons altus cui adjacet villa Rama excelſa, de qua videtur quaſi tota Arabia uſque ad montem Segr, & omnia loca circa mare mortuum. Videtur etiam Ebron, videtur etiam totum littus maris magni à Joppen uſque Gaza.

De Bethleem ad ſex leucas ſunt montes Engaddi contra Orientem & loca tutiſſima, latibula David.

De Bethleem ad quinque miliaria noſtra verſus meridiem eſt Ebron urbs antiquiſſima Philiſtinorum, & eſt adhuc hodie tam magna ſicut Schadez, ibi in eodem loco ſepulti ſunt Adam cum Eva, Abraam cum Sara, Iſaac cum Rebecca, Jacob cum Lya. Hi quatuor Patriarchæ cum prædictis uxoribus ſuis tumulati ſunt in ſpelunca duplici, ubi eſt hodie pulchrum fortalitium, ibi fuit quondam Eccleſia, & fuit ſedes cathedralis à Chriſtianis quondam ædificata, hodie à Sarracenis poſſidetur, ſicut & tota civitas.

Non longe ab hac Eccleſia quaſi ad quatuor ſtadia, id eſt, fere quaſi ad rupellam, ubi S. Stanislaus eſt occiſus, ab Eccleſia ſancti Bernardini, eſt Ager Damaſcenus, ubi
*Geneſ. 2.* fuit primus homo formatus de limo terræ, de quo dicitur: *Formavit Deus hominem de limo terræ.* Inveni ſcriptum in partibus Orientis, quod hæc terra ab incolis comeditur, & per Ægyptum venalis portatur, & quanto profundius vel latius foditur, tanto Dei diſpoſitione anno finito reintegrata reperitur, ſed mihi hoc non eſt probabile, & iſte ager eſt in valle, & in illo loco fui cum XX. fratribus aſſociatus per Sarracenos.

Ultra agrum Damaſcenum in alio monte quaſi ad jactum unum ſagittæ, eſt ſpelunca in quadam rupe, in qua Adam & Eva fecerunt pœnitentiam, & luxerunt Abel occiſum centum annis, & ibi eſt modo aqua, & vocatur modo lacus lachrymarum.

Juxta Ebron verſus meridiem eſt mons Mambre, forte ad quinque vel ſex ſtadia, & ibi apparent adhuc muri domus vetuſtiſſimæ ipſius Abraham ubi manſit, & juxta illam

Digitized by Google

illam domum est arbor frondosissima & viridis, satis alta & multum spissa, & vocatur ilex, & est genus quercus, ibi Sarraceni faciunt suas devotiones, & in magna reverentia habent illam arborem, quæ tamdiu apparet viridis à tempore Abrahæ usque nunc, & ligant panniculos in ramis facientes suos characteres, & tenent, quod si quis abscinderet aliquid de prædicta arbore, infra annum moreretur. Sub hac arbore dicitur Abraham stetisse, ut in Genesi dicitur, quando tres vidit & unum adoravit, id est, vidit sanctam Trinitatem in specie Angelorum. Locus autem ille in quo steterunt Angeli, est in monte stipatus arboribus proceris pulcherrimis, & distat ab ilice quasi ad unum stadium, & hanc arborem vidi & tetigi. Sæc. XVI. Anno 1509. Gen. 18.

Ab Ebron medium miliare est desertum, ubi Joannes Baptista mansit, postquam egressus est de primo deserto, quod est prope Jerusalem, distans ad secundum medium miliare, & à domo paterna medio tantum distat miliari.

Septimo miliario Italico ab Ebron est sepultus Loth, nepos Abrahæ.

In alia parte civitatis Ebron est mons grossus & altus, in cujus summitate Cain occidit Abel fratrem suum, distans ab Ebron ad sex stadia, & ab hoc loco occisionis Abel ad unum stadium est locus, ubi *Deus* omnipotens adducens Abraham, ostendit ei mirabilia sua, & quando ignis descendit de cœlo, & comburebat Sodomam & ruebat, & de illo loco videtur mare mortuum & etiam mare magnum.

### *Loca Occidentalia respectu Jerusalem.*

DE Hierusalem versus Occidentem ad medium miliare est clausirum forte Jacobitarum, & ibi demonstratur locus, de quo excisum est lignum sanctæ Crucis, & distat ille locus à Jerusalem uno medio miliari nostro, & juxta illum locum est via ad domum Zachariæ.

A Jerusalem ad unum magnum miliare Polonicum vel Ruthenicum est Ecclesia murata, satis alta, ubi natus est sanctus Joannes Baptista, & ibi modo Sarraceni fecerunt stabulum ovium & caprarum. Est tamen ibi indulgentia plenaria. Ultra illam Ecclesiam ad duo stadia est domus Zachariæ, & ibi visitavit beata virgo Maria Elisabeth in inferiori loco domus, quia in superiori loco fuit palatium Zachariæ, ibique in eodem loco inferiori Elisabeth abscondit *Joannem* puerum in rupe à facie Herodis percutientis pueros. Est etiam ibi fons ubi Philippus baptizavit Eunuchum.

A domo Zachariæ adhuc versus Occidentem est desertum distans medio miliari nostro à domo Zachariæ, ubi beatus Joannes Baptista sexto anno ætatis suæ vel circa, de domo paterna se transtulit, ibique manens locustas & mel silvestre manducavit, & ibi est Capella ubi mansit, atque est ibi rivulus aquæ & rubetum.

In medio viæ à domo Zachariæ adhuc est lapis grossus ad modum sedis cavatus, in quo Zacharias dicitur sæpius quievisse, quando solebat visitare Joannem filium suum, & istud desertum Joannis fuit primum, distans ab Hierusalem duabus leucis, id est, medium secundum miliare de nostris, ubi est ascensus de Jerusalem per montana Judææ. per hanc viam vaditur in Ægyptum.

Item de Jerusalem versus Occidentem aliqualiter tantum declinando ad Aquilonem vadendo ad Joppen seu Japhum, ubi est portus peregrinorum in littore maris: Primo occurrit Arimathia oppidum Joseph Decurionis qui sepelivit Dominum, distans à Jerusalem per unam leucam medio miliari nostro, & est in monte alto, & videtur de Jerusalem, & ibi est Capella, in qua est sepulchrum & ossa sancti Samuelis Prophetæ, & ibi Judæi custodiunt hanc Capellam. Circa hanc Capellam non est aliud nisi una domus, ubi Sarracenus habitat, & hæc Arimathia vocatur etiam Ramatha, nec multum ista via distat ab illa, quæ est versus domum Zachariæ de Jerusalem, nisi quod domus Zachariæ declinat versus Occidentem, sed Arimathia de Jerusalem declinat aliqualiter ad Aquilonem.

Adhuc de Jerusalem vadendo ad Joppen versus Occidentem aliqualiter ad Aquilonem, est Emaus castellum, distans sexaginta stadiis à Jerusalem, id est, duabus leucis, hoc est, medium secundum miliare nostrum, ubi Dominus secutus discipulos suos in die resurrectionis comedit cum eis, & ibi hodie nihil aliud est, nisi domus murata quadrangularis, carens operimento. Circa istum locum peregrini transeuntes Hierusalem solent pausare, & nesciunt quicquam de isto loco, quia Sarraceni earum civitatum eis non indicant.

Per hanc viam de Jerusalem ad Joppen quæ vocatur Japhum vel Zaphum, sunt forte sedecim leucæ, id est, decem miliaria nostra & non plus. Ibi est portus peregrinorum Catholicorum, ubi hodie nihil aliud est nisi duæ turres in littore maris, quas Sarraceni inhabitant custodientes littus. Ad hunc portum venientes Christiani de navi egredi non audent, nisi primum miserint ad fratres nostros in Jerusalem, ut impetrent conductum salvum apud Dominum Jerosolymitanum. Et habentes conductum, in



Digitized by Google

SÆC. XVI. ANNO 1509.

egreſſu navis ad terram ſanctam à qualibet perſona Sarraceni pro teloneo accipiunt quinque ducatos auri pro Soldano.

A Joppen iterum verſus Jeruſalem ad unum miliare maximum noſtrum, eſt mons Modyn.

Quarto miliario à Modyn eſt Lydda civitas quæ Dioſpolis dicitur, in qua corpus beati Georgii teſtantur fuiſſe, & nunc ſanctus Georgius à vulgo dicitur. In Lydda Petrus ſanavit claudum quendam, nomine Æneam, & ibi etiam Petrus baptizavit Cornelium. Ibi etiam eſt munitio Aſſur aliquot leucis à Joppen juxta mare, ubi Petrus reſuſcitavit Thabitam. Et nota quod iſta prædicta loca à Joppen ſunt ad dexteram partem rectæ viæ ducentis ad Jeruſalem.

Et de Joppen vadendo juxta mare in circuitu Terræ Sanctæ ad quatuor leucas in tribus miliaribus noſtris diſtat (a) Jeth non longe à mari ſita, quæ fuit una de civitatibus Philiſtinorum, ubi jam incipit terra Philiſtinorum & vocatur Palæſtina. Hæc (b) Jeth civitas vocatur nunc Ibyſin, & hodie eſt parvum caſale in villa.

(a) *Geth.*
(b) *Geth.*

De (c) Jeth ad duas leucas eſt Bethſames contra Auſtrum, deinde juxta mare eſt (d) Acharon una de civitatibus Philiſtinorum non longe ab Azoto, ubi nunc eſt Eccleſia, in qua Angelus Domini inveniens Habacuc portantem prandium meſſorum, tulit capillo capitis in Babyloniam, ubi nunc eſt Cayrus, ſupra lacum leonum, ubi erat Daniel; nunc vero eſt parvum caſale.

(c) *Geth.*
(d) *Accaron.*

De (e) Acharon duobus miliaribus noſtris juxta mare eſt Azotus: Deinde aliis duobus miliaribus noſtris diſtat Aſcalona civitas, de qua fuit Herodes dictus Aſcalonita, cujus tempore *Chriſtus* dicitur natus.

(d) *Accaron.*

de Aſcalona duobus miliaribus noſtris contra Auſtrum eſt civitas Gazare, una de quinque civitatibus Philiſtinorum, ubi Samſon ſeipſum interfecit in palatio, cujus adhuc parietes manent. Et hæc civitas adhuc permanet, & per eam itur de Jeruſalem verſus Ægyptum, & prius vocabatur Gaza, hodie Gazare dicitur, & diſtat, puto, à Jeruſalem per duas dietas.

Item de hac Gazare dieta una cum dimidia, verſus Ægyptum eſt Damiata, civitas Ægypti, ubi Hieremias Propheta fuit lapidatus.

Damiata antiqua eſt deſtructa, ſed loco ejus alia eſt ædificata, diſtans à mari per duas leucas, & eſt in ripa Nili fluvii, ubi nunc eſt portus mercatorum.

## *Loca Aquilonaria reſpectu Hieruſalem.*

PRo quo nota quod Syria ſub qua includitur Terra Sancta, eſt regnum latiſſimum, tota enim terra quæ eſt à Tygri fluvio uſque ad Ægyptum, & à mari magno uſque Arabiam, generaliter Syria nuncupatur, cujus Syriæ provinciæ ſunt iſtæ. Judæa quæ erat caput II. tribuum, & Samaria quæ erat caput X. tribuum, III. provincia Phœnicis, IV. Celeſyria, V. Traconitidis, VI. Iturea, VII. Galileæ, VIII. Meſopotamia, IX. Idumea, X. Syria Damaſci.

Provincia Phœnicis quæ eſt ad Aquilonem reſpectu Jeruſalem, & eſt ultra Galilæam ad Aquilonem reſpectu Jeruſalem, in qua provincia Phœnicis eſt Acon diſtans à Jeruſalem per XXXVI. leucas, id eſt, per viginti octo miliaria noſtra, hæc civitas Acon antiquitus dicebatur (f) Tholomagda, valde munita, cujus duæ partes à mari ambiuntur: tertia campum reſpicit qui eam fœcundat. Hæc civitas Acon nunquam fuit de Terra Sancta, nec à filiis Iſrael poſſeſſa, licet in tribu Aſer in deſcriptione Terræ Sanctæ fuerit aſſignata, & habet ab Auſtro montem Carmelum, non illum qui eſt in tribu Juda, ubi ille Nabal habuit paſtores & domum pro eis, & ibi totondit oves, & ſemel contingit quod David miſit ad eum, &c. Ille ſtultus Nabal reprehendit, ſed Abigail uxor ejus, &c. 1. Reg. 25. Sed iſte mons Carmelus eſt in tribu Iſachar, in quo morabatur Helias. in hoc monte fuit villa nomine Saphra, ubi, ut aiunt aliqui, Jacobus & Joannes filii Zebedæi gemini nati ſunt.

(f) *Ptolemaida.*

In pede hujus montis ultra torrentem Cyſon ad quatuor leucas eſt civitas Cayphas ſive Porphyria, ubi Helias Sacerdotes Baal interfecit.

Hæc vero regio Phœnicia ſive Syria Phœnicis adhuc extenditur contra Auſtrum, id eſt, verſus Jeruſalem, ad tres leucas.

Deinde ad tres leucas tranſeundo montem Saron fuit caſtrum Scandalion quod Alexander magnus obſidens Tyrum, dicitur conſtruxiſſe quod poſt paſſionem Chriſti Balduinus Rex Hieruſalem dicitur reparaſſe.

De Acon procedendo contra Aquilonem forte ad ſeptem leucas, eſt Tyrus civitas magna in pede montis ſita, undique circumdata, & muris fortiſſimis munita. In hac civitate multæ fuerunt reliquiæ ſanctorum, ubi etiam Origenes ſepultus fuit, ubi innumera multitudo Martyrum occubuit. Ante portam civitatis Auſtralem, ad jactum duarum baliſtarum, oſtenditur locus prædicationis Chriſti, & lapis ubi prædicavit,

ubi

Digitized by Google

ubi fuit fundata Eccleſia, ibi etiam eſt locus ubi mulier extulit vocem ſuam dicens: *Beatus venter qui te portavit.* Item Tyrus Chriſtum ambulantem in maritima Syriæ, voluit, ut fertur, recipere. Et hæc Tyrus forte diſtat ab Jeruſalem XL. leucis, forte XXX. miliaribus noſtris. SÆC. XVI. ANNO 1509.

A Tyro verſus Orientem forte ad XII. leucas vel circa, eſt Belena civitas, in pede montis Libani, quæ eſt contra Damateum, quæ prius Leſen vocabatur. Cum enim eſſet procul à Sydone ad X. leucas, quia adjutorium non habuit, ceperunt eam filii Dan, & appellaverunt Dan, ut dicitur primo Regum: *Congregatus eſt populus à Dan, uſque Berſabee*, qui nunc Gybilunis dicitur. Et nota quod à Dan incipit Terra Sancta, & protenditur in longum uſque ad Berſabee per 120. leucas Lombardicas. Nam à Jeruſalem uſque Berſabee ſunt viginti quinque leucæ, ubi eſt terminus Judeæ contra Auſtrum, & hæc Berſabee eſt contra deſertum magnum, quod extenditur uſque ad flumen Ægypti, in quo filii Iſrael multo tempore manſerunt de loco ad locum tranſeuntes. Dicta autem civitas Dan vel Leſen vel Belena nunc vocatur Cæſarea Philippi, quia eam Philippus Tetrarcha appellavit Cæſaream, in honorem Tiberii Cæſaris, quæ dicitur etiam Paneas, ibique in decimo montis Libani duo fontes oriuntur, ſcilicet Jor & Dan, qui poſt modicum confluentes Jordanem efficiunt, qui inter Pellam & Tyberias intrat mare. Iſtud flumen Jordanis quandam vallem ingrediens, in ſtagnum colligitur, quod ad aquas Maran vocatur, qui poſt longos circuitus quos facit Traconitidem & Ituream ſeparans, tandem inter Capharnaum & Corozaym mare Galileæ ingreditur, ad quatuor leucas à Cedar civitate, quæ eſt ſupra montem poſita, & de mari egreditur, & poſt longum ſpatium Jordanis vallem ingreditur, & in ſtagnum colligitur, quod vocatur mare mortuum, de quo infra. 1. Reg. 3. & ſeq.

Redeo ad Tyrum, nam de Tyro ad tres leucas contra Aquilonem eſt fluvius Eleutherius fluens de Iturea ſive Galilæa gentium, qui intrat mare magnum: Uſque ad hunc fluvium Jonathas perſecutus eſt Demetrium.

Ab iſto fluvio eſt Sarepta Sydoniorum ad tres leucas in littore maris. Et hæc civitas Sarepta apparet quondam glorioſa fuiſſe, hodie eſt modica: Ante ejus portam oſtenditur ubi Helias venit ad viduam Sareptanam, & ibi filium ejus reſuſcitavit, & ibi erat cœnaculum, ibi lecythus olei, & farina non ſunt imminuta.

De Sarepta ad duas leucas eſt Sydon, quondam civitas magna Phœnicis, cujus ruinæ adhuc magnitudinem ejus teſtantur, & adhuc eſt fortis, in corde maris ſita, habens hinc inde duo caſtra munita.

Ante portam Sydoniorum oſtenditur una Capella in loco ubi Dominus locutus eſt ad mulierem Cananeæ, & ſanavit filiam ejus, in via quæ ducit ad Cæſaream Philippi, & Ituream.

Ab iſta civitate Sydoniorum contra Orientem, mons Antilibanus eſt, & diſtat per unam leucam & dimidiam, & ibi habetur vinum delicatiſſimum.

Ultra Sydonem ad novem leucas eſt civitas valde nobilis, ſcilicet Beryth, ubi dicitur Chriſtus prædicaſſe, ibi fuit imago Salvatoris à Judæis percuſſa ſanguinem fluens, ibi circa Beryth ſanctus Gregorius circa mare fertur occidiſſe Draconem, alii dicunt quod in Georgia.

Poſt Berythum ad novem leucas eſt civitas (a) Biblium, de qua dicitur in libro Regum. (a) *forte Giblium.*

De Biblio ad novem miliaria eſt civitas Tripolis nobilis & munitiſſima, abundans multis bonis: ibi habitant in ea Græci, Latini, Armeni, Maronitæ, ubi multa faciunt. Campus ante civitatem continet unam leucam in longitudine, & in latitudine dimidiam. 3. Reg. 5.

Juxta Tripolim civitatem eſt fons hortorum, fluens impetu de Libano, ſicut dicitur in Canticis. Cant. 4.

Ad radicem montis Libani oriuntur Farfar & Abana fluvii Damaſci. In finibus illis Euſtachius uxore privatus, filiis deſolatus, receſſit. Abana ſe mari magno copulat, Farfar per Syriam tendens in Antiochiam labenſque ſecus muros ejus, quatuor miliaria ab Antiochia in portu ſancti Simeonis mediterraneo deſcendit.

De Tripoli ad duas leucas eſt mons Leopardorum rotundus, & altus, diſtans à Libano ad unam leucam. In pede Aquilonari eſt ſpelunca in qua eſt monumentum habens viginti ſex pedes longitudinis, & illud dicunt Sarraceni eſſe ſepulchrum Joſue, ſed creditur quod ſepulchrum Joſue eſt circa Sychem in latere montis.

De ſpelunca iſta ad tres leucas contra Aquilonem oſtenditur caſtrum Arathas. Ibi etiam prope eſt Laodicia civitas magna.

De Arathas uſque in (b) Antheradum ſunt octo leucæ, ubi beatus Petrus prædicavit, dum iret Antiochiam. Hæ omnes civitates ſunt verſus Aquilonem reſpectu Acon. (b) *Anteradum, ſive Antaradum.*

De Acon autem verſus Orientem ad quinque leucas occurrit caſale quoddam quod S. Gregorius dicitur, quia ibi fuit natus, & eſt ſitum inter montana in valle. In Beryth autem occidit draconem. In Rama autem quæ diſtat à Jeruſalem per XX. miliaria,

Digitized by Google

SÆC. XVI. ANNO 1509.

liaria, fertur fuisse combustus, in Lydda autem sive Dispoli corpus beati Georgii Martyris fuisse dicitur.

Ab illo casali quod sanctus Georgius dicitur, ad duas leucas versus Orientem est Dothaym, sub monte Bethuliæ, ubi Joseph invenit fratres suos, & est locus pinguis in pascuis & aquis, & est ibi cisterna, ubi Joseph fuit missus.

Ultra Beryth credo ad XX. & aliquot leucas est illa sacra Antiochia, in provincia Celesyriæ, ubi Petrus cathedram suscepit: quæ est post Anteradum, quæ adhuc est in provincia Phœnicis. De Antiochia fuit Galenus medicus, & nepos ejus, quem ipse Galenus docuit medicinam, & beatus Lucas Evangelista medicus, hæc prius vocabatur Reblata, sed ipsam Antiochus ampliavit, & tunc vocata fuit Antiochia.

In ipso principatu Celesyriæ versus Occidentem est civitas Tharsis, in qua fuit natus beatus Paulus Apostolus.

De Acon versus Austrum seu Jerusalem in provincia Galilææ jam est civitas Neptalim, civitas Thobiæ.

De Neptalim ad duas leucas est Betzaida civitas Andreæ & Petri & Philippi, & est supra mare Galilææ contra Orientem, juxta quam fluit Jordanis fluvius parvus, & intrat mare Galilææ.

Inde à Betzaida ad duas leucas contra Meridiem est Magdalum castrum super mare Galilææ, de quo Maria Magdalena traxit vocabulum.

De Betzaida contra Orientem ad unam leucam est locus, ubi stetit Dominus Jesus
Joan. 21. in littore maris post resurrectionem, quando dixit discipulis septem: *Pueri habetis pulmentarium?* Cujus adhuc vestigia in lapide ostenduntur.

Circa hoc mare Galilææ Christus sæpius ambulasse legitur: Ibi enim vocavit ad suum Apostolatum Petrum, Andream, Jacobum & Joannem: ibi super undas siccis pedibus ambulavit: ibi Petrus ad eum voluit etiam pedibus ire, sed incipiebat mergi, & eum Dominus erexit: ibi rete Apostolorum ruptum præ magnis piscibus, ibi prope hoc mare est civitas Tyberias, à qua etiam vocatur mare Tyberiadis, in qua habetur mensa illius cœnæ, quam fecerant Christo duo discipuli in Emaus in die resurrectionis: ibi de prope monstratur mons dictus Mensa, mons pinguis, in cujus pede Dominus satiavit quinque millia hominum de quinque panibus.

De hoc monte Mensa ad unam leucam & dimidiam contra Orientem est Capharnaum, quondam glorioſa civitas Christi, & ibi juxta Capharnaum habetur castrum fortius totius terræ promissionis, in quo ferunt natam esse beatam Annam, matrem beatæ virginis Mariæ. Deinde est Corozaym, cui Dominus imprecatus est.

De Corozaym ad quatuor leucas contra Orientem est Cedar civitas munitissima. Ibi est Cana Galilææ, ubi Dominus convertit aquam in vinum in nuptiis. Ibi est locus nuptiarum, caverna in saxo cavata, quæ capit paucos homines.

Deinde à Cana Galilææ contra Meridiem versus Tyberiadem supra Betsaym est mons Bethuliæ, ubi Judith occidit Holofernem.

De Bethulia ad septem leucas est Tyberias civitas supra mare Galilææ, olim dicta Genezareth.

De Cana Galilææ contra Austrum ad duas leucas est civitas Zophot, de qua fuit oriundus S. Joachim pater beatæ Virginis, & sancta Anna, & est tribus Aser, juxta
(a) *Carmeleon sive Carmelon.* vallem (a) Camaleon.

De Zophot ad duas leucas contra Austrum, sed aliquantulum declinando ad Orientem, est illa glorioſa civitas Nazareth, ubi flos florum de radice Jesse pullulavit. In Nazareth labitur egregius fons, ex quo in pueritia *Jesus* solebat haurire, & matri suæ deferre. Et hæc civitas distat ab Jerusalem per tres dietas vel circa, quasi quindecim miliaria nostra. Erat quondam civitas, nunc est oppidulum parvum, sicut & Bethleem, paucas domos habens. Ibi est locus ubi Angelus Gabriel nunciavit B. Virgini incarnationem Filii Dei, sed illa Capella, ut fertur, de illo loco est translata ad Loretum per Angelos, & distat Nazareth septem leucis ab Achon.

Extra Nazareth versus Austrum ad dimidium leucæ est locus in rupe in monte, qui vocatur saltus Domini, ubi Judæi volebant Christum præcipitare, & exivit de manibus eorum, & in rupem aliam profiliit, in qua monstrantur vestigia pedum ejus. De isto monte præcipitationis Christi videtur mons Thabor, Hermon & Hermonii, villa illa Endor, ubi Saul ad Pythonissam venit, & Naym, & Jesrahel, & fere tota magnitudo campi Esdrelon.

De Nazareth ad medium secundum miliare Ruthenicum contra Orientem est sacer mons Thabor, ubi Christus est transfiguratus. In pede montis hujus ostenditur locus
(b) *Sem filius Noe.* ubi Melchisedech, qui alio nomine dicitur (b) Seth filius Adæ, occurrit Abrahæ à cæde Regum revertenti, quando recuperavit Loth nepotem suum, & iste est mons altus, in quo sunt ruinæ palatiorum & ædificiorum, in quibus latitant leones & aliæ bestiæ, & sunt ibi regales venationes. In descensu hujus montis à parte est torrens Cyson.

Ultra

Digitized by Google

Ultra torrentem contra Auſtrum, ſed aliquantulum contra Orientem, eſt mons Hermon modicus, in cujus latere ſuper torrentem Cyſon eſt villa Endor prædicta. Poſt ad tres leucas eſt mons Cayn, ubi Lamech occidit Cayn. Poſtea mons Maceda, mons Gelboë, & mons Hermon ita ſunt diſpoſiti, ut ſit Hermon ab Aquilone, & Gelboë ab Auſtro. Et in medio eſt planities duarum leucarum lata, quatuor longa. Iſta planities eſt ubi ſæpe fuerunt conflictus magni, ibi enim Gedeon ſuperavit Madianitas, Saul ſuperatus eſt à Philiſtæis, & Philiſtæi caput ejus abſcindentes & Jonathæ, ſuſpenderunt in civitate (a) Bezan in muro qui eſt inter Jordanem & Gelboë. SÆC. XVI. ANNO 1509.

(a) Bethſan.

Nota tamen quod de monte Gelboë non eſt verum quod dicitur, quod nec ros nec pluvia ibi deſcenderit, ſed bene verum eſt quod eſt ſterilis, & aridus & petroſus. Nota etiam quod Galilæa eſt vera tota campeſtris & plana.

Samaria provincia incipit à Gylim caſtro contermino Galilææ. Pro quo nota quod Samaria eſt montoſa, & à caſtro contermino Gylim uſque ad Jordanem contra Orientem ſunt ſex leucæ.

De Gylim ad quinque leucas contra Auſtrum eſt civitas Samaria, quæ nunc Sebaſte dicitur, nobilis quondam, nunc in ſe duos domos habet in ſummitate montis, una ubi fuit palatium Regis, ſecunda eſt in honore ſancti Joannis Baptiſtæ, in qua fuit ſepultus inter Helizeum & Abdiam, & diſtat civitas Samaria à Jeruſalem forte undecim leucis. Translatum enim fuit corpus B. Joannis de (b) Macheronta oppido, quod hodie dicitur Cydon, ultra Jordanem, in dictam Sebaſten. Ibi etiam eſt prope Therſa.

(b) Macheruntæ.

De Sebaſte contra Auſtrum duobus leucis eſt mons Bethel, inde ad dimidiam leucam eſt mons Dan, ſupra civitatem Sychem, vel oppidum magnum, quod nunc Neapolis dicitur, quæ alio nomine dicitur Sychar, de qua Joannes. De hac Sychem filius Emor Hevei rapuit Dynam filiam Jacob. In Sychem fuerunt oſſa Joſeph de Ægypto translata & ſepulta. Joan. 4.

Sychem diſtat ab Jeruſalem ſpatio duarum dietarum. Et prope iſtam civitatem eſt campus quem Jacob donavit filio ſuo Joſeph. Et ibi non longe à porta civitatis Sychem eſt fons Jacob, ſive puteus ſuper quem Dominus ſedit ſitiens, fatigatus ex itinere, & petiit à Samaritana aquam. In quo loco quondam fuit Eccleſia fabricata. Ad dexteram Sychem eſt mons Garyzim, de quo dicebat mulier Chriſto: *Patres noſtri in monte hoc adoraverunt.* Ad ſiniſtram fontis oſtenditur manſio Jacob, & prædium quod dedit Joſeph. Joan. 4.

Per unam leucam prope Sychem eſt civitas Luza, in qua habitavit Abraham per multum tempus. In Luza, ut ajunt aliqui, Jacob dormiens vidit ſcalam, quando dixit: *Quam mirabilis eſt locus iſte?* & appellavit locum illum Bethel, qui antea Luza vocabatur. Gen. 28.

In monte Bethel quidam opinantur, quod Abraham filium ſuum Iſaac voluit immolare, alii vero dicunt, quod in monte Calvariæ, ubi Dominus eſt crucifixus, à quibuſdam dicitur quod locus ubi Jacob dormiens vidit ſcalam, ſit ille locus montis ubi poſtea templum eſt ædificatum à Salomone.

De Sychem procedendo contra Orientem ad Jordanem ad quatuor leucas eſt Emon oppidum valde bonum. Sciendum autem quod ab ortu Jordanis ſub monte Lybano uſque ad deſertum Pharan fere centum miliaria & plus, ipſe Jordanis in utroque latere campos latos & amœnos habet, & inde uſque ad mare mortuum. Planities autem quæ eſt inter Jordanem & Hiericho, vocatur Galgala, ubi longo tempore caſtrametati ſunt filii Iſraël tranſito Jordane.

## *Loca Orientalia reſpectu Hieruſalem.*

UNde nota quod in parte Orientali muri civitatis Hieruſalem duntaxat hodie eſt una porta, quæ dicitur Cedar, vel ad torrentem & montem Oliveti, quia porta aurea, quæ erat juxta templum Salomonis, per quam Dominus intravit, eſt ramis palmarum concluſa, ſed per illam portam prædictam fit egreſſus de civitate verſus montem Oliveti per deſcenſum ad duo ſtadia ad vallem, ubi primo eſt lapis albiſſimus, latus & aliqualiter eminens à terra, ubi ſanctus Stephanus eſt lapidatus, & ibidem per aliquot paſſus in ſuperiori loco monſtratur locus ubi Saulus ſtetit cuſtodiendo veſtimenta lapidantium.

Deſcendendo ultra à loco ſancti Stephani verſus montem Oliveti, minus quam medium ſtadium, eſt ponticulus cum teſtudine per torrentem Cedron ſive per vallem Joſaphat. De quo loco Judæi jaciebant lapides ſuper Stephanum. In eodemque torrente ubi eſt iſte ponticulus lapideus, regina Saba vidit lignum, & in Spiritu intellexit, quod in eo Salvator mundi ſuſpendendus erat, de quo ligno tunc fuit factus ponticulus tranſeuntibus, propter quod ipſa dum veniebat audire ſapientiam Salomo-



Digitized by Google

SÆC. XVI. ANNO 1509.

nis, illo transire noluit, sed aliunde in civitatem intravit. Et postquam domum rediit, Regi Salomoni de hoc ligno intimavit, quod Salomon abscondit.

Pertranseundo prædictum torrentem incipit hortus, in ingressu montis Oliveti, & à dicto torrente ad sedecim passus in valle Josaphat, habetur Ecclesia subtus terram miro tabulatu exornata, nullam habens fenestram: Et ad hanc Ecclesiam est descensus per gradus, & descendendo ad dictam Ecclesiam à parte dextera dictorum graduum, est in pariete sepulchrum quod dicitur sanctæ Annæ, ad partem sinistram dicitur esse sepulchrum Joachim. In choro autem prædictæ Ecclesiæ est sepulchrum beatæ virginis Mariæ, ad instar sepulchri *Christi*, ubi fratres Minores de Observantia quolibet sabbatho legunt Missam nocte de assumptione gloriosæ virginis Mariæ, ubi quotidie lampades ardent dispositæ per Christianos. Ad hanc Ecclesiam Christiani accessum non habent liberum, nisi pro quæstu: Nam Maurus custodit illum locum in die, & intromittit ibi neminem, nisi accepto pretio: Soli fratres nostri habent accessum liberum & ingressum, quibus prædictus Maurus obtulit clavem, coactus miraculo. Nam per multos annos fratres nostri, quando celebrare volebant, ibidem solvebant singulis vicibus unum majedin, id est, Grossum. Guardianus cœnaculi Domini non potens sufficere talem exactionem contribuere, voluit ibi celebrationem deinceps omittere, & deliberavit; tum beatissima virgo illi Mauro apparuit, cujus area est, eundemque perterruit, & comminabatur horribiliter præcipiens, ut fratres sineret libere ibi divina celebrare in sepulchro ejus, & visitare. Perterritus Maurus venit ad fratres, eisdem terrorem prædictum narrando, clavemque dedit, & ita jam quando volunt libere finit ad intrandum & celebrandum sine pretio. In eadem Ecclesia est fons & ibi sepulchrum virginis Mariæ, est indulgentia plenaria.

Ab hac Ecclesia versus Orientem ad sedecim passus pedum, est rupes cavata in lapide, in terra, ubi Dominus *Jesus* trina vice intravit ad orandum, & ibi sanguinem sudavit, & hæc rupes eminet supra terram ad genua hominis, & prædicta Ecclesia & locus orationis fuerunt in horto, qui est in pede montis Oliveti, & de locis illius horti, & ubi Dominus pausavit, inferius declarabo.

A torrente igitur prædicto adscendendo per transversum horti, & prætereundo prædictam Ecclesiam, quæ est ad dexteram partem viæ, ad unicum stadium, est lapis de quo Dominus ascendit asinum, quando in die Palmarum venit Jerusalem, in quo lapide demonstratur pedum vestigium, quia quando ascenderat summitatem montis Oliveti, necesse habuit ire pedes, ne asinus casum pateretur ad lapidem, quia est via difficilis de monte Oliveti ad civitatem.

Ab illo lapide ad tria stadia supra versus summitatem montis, est lapis latissimus in terra, ubi videtur tota civitas Hierusalem, & ibi Dominus Jesus in die Palmarum flevit, videns civitatem Hierusalem, dicens: *Quia si cognosceres & tu*, scilicet fleres. Luca 19.

Ab isto lapide etiam ad tria stadia superius est locus, ubi Angelus obtulit beatæ Mariæ virgini de Paradiso ramum Palmæ, ut deferretur ante feretrum ejus post mortem. In eodem loco beatissima virgo Maria, quando assumebatur in cælum, cingulum de aëre dimisit sancto Thomæ Apostolo.

Ex opposito istius loci ad sinistram est domus, ubi Dominus in die resurrectionis suis discipulis apparuit in monte, & vocatur Galilæa. Et iste mons tantum divisus est per viam à monte Oliveti.

Ab isto loco oblationis Palmæ declinando aliqualiter ad Austrum ad dimidium secundum miliare, est locus ascensionis Christi sacratissimus, in summitate montis Oliveti, ubi est modo Ecclesia rotunda satis lata, quam Helena construxerat, sed jam media pars ejusdem Ecclesiæ corruit. In medio hujus Ecclesiæ est Capella parva rotunda, in cujus medio est lapis quadratus, de quo Dominus *Jesus* in cœlum ascendit videntibus discipulis, & in illo lapide reliquit vestigium dextri pedis, quod usque in hodiernum diem permanet, vestigium autem illius dextri pedis cum digitis est versus meridiem. Hæc Capella clauditur sera lignea, quam omnes nationes Christianorum possent aperire. Sed Ecclesiam aliquando intrant vaccæ aut asini illius Mauri qui habet domum juxta Ecclesiam eandem. Ad illum locum fratres nostri sæpissime veniunt. In diebus festis cantant solemniter *Jesu nostra redemptio*. Sed & in vigilia ascensionis de monte Syon veniunt ibi fratres singulis annis & ibi vesperas solennizant, & matutinas & Missas legunt cum devotione, & etiam omnes nationes Christianorum.

Subtus locum ascensionis ad viginti gradus inferius descendendo vel circa, est locus vel cellarium, ubi sancta Pelagia fecit pœnitentiam.

A loco ascensionis Christi ad X L. passus pedum adhuc apparent vetustissimi parietis muri ruentis in loco, ubi Apostoli divisérunt sibi provincias, ad quas quisque ire debuerat, & ibidem *Credo* composuerunt.

A loco divisionis Apostolorum circa X L. passus pedum, est locus ubi Christus prædixit discipulis signa futuri judicii, & ibidem octo beatitudines. Et à loco ascensionis

Digitized by Google

nis è converſo verſus civitatem, ſed alia via vadendo ad unum ſtadium, eſt locus ubi *Chriſtus* diſcipulos docuit *Pater Noſter*. Demum ultra ad aliud ſtadium eſt locus & lapis ubi beatiſſima virgo repauſabat ſæpius ambulando de cœnaculo ad montem Oliveti. SÆC. XVI. ANNO 1509.

De monte Oliveti verſus Orientem ad tria ſtadia vulgaria, eſt ſepulchrum ſororis Mahometi Prophetæ Sarracenorum, in eminentiori loco quam ſit locus aſcenſionis Chriſti.

De monte Oliveti apparet Jordanis verſus Orientem & mare mortuum.

De loco aſcenſionis Chriſti ad octo ſtadia verſus Orientem & Bethaniam eſt Bethphage villa, in deſcenſu montis Oliveti, de qua Dominus Jeſus in die Palmarum miſit duos diſcipulos pro aſino, & ibi exſpectavit uſque dum venerunt. Ad Bethphage fratres Minores de monte Sion in die Palmarum quolibet anno veniunt, & proceſſionaliter vadunt, cantantes uſque ad vallem Joſaphat. In iſta villa hodie non eſt aliqua domus, ſed tantum area, & multæ ficus ibi.

De Bethphage deſcendendo ad novem ſtadia verſus Orientem, oblique tamen, eſt Bethania caſtellum, ſecundum Joannem, XV. ſtadiis diſtans à Jeruſalem, noſtro autem medio miliari, hodie aliquot domos habet. *Joan.* 11. In hac Bethania eſt Capella ſicut Eccleſia teſtudinata, in qua eſt ſepulchrum Lazari, ubi fratres Minores feria ſexta ante Dominicam de paſſione ſingulis annis canunt & legunt plures Miſſas ſolemniter, & habent clavem ab illa Capella. In hac Capella eſt caverna decavata in lapide, & eſt carcer beatæ Mariæ Magdelenæ, ubi poſt aſcenſionem Domini ſeptem annis manſit incluſa totaliter, ſoror tamen ſua Martha porrigebat ei panem & aquam per feneſtram, & ibi eſt indulgentia ſeptennis, ſed circa ſepulchrum Lazari plenaria. In Bethania eſt domus, cujus adhuc ſtant muri & parietes alti, ubi fuit quaſi caſtrum Simonis leproſi, ubi dictus Simon rogavit Dominum Jeſum in Sabbatho ramis palmarum, & diſpoſuit cœnam, & ibi Magdalena unxit pedes *Jeſu*.

De Bethania verſus Orientem ad octo ſtadia vulgaria, eſt arca ubi fuit domus Marthæ, & ibi eſt ſeptennis indulgentia.

A domo Marthæ eſt lapis ſilex magnus ad medium ſtadium, in quo lapide Dominus ſedit, & eſt ibi ſeptennis indulgentia.

A domo Marthæ iterum verſus Auſtrum ad magnum ſtadium, eſt adhuc teſtudo, ubi fuit domus Mariæ Magdalenæ, & ibi eſt plenaria indulgentia.

Ab Jeruſalem eundo per Bethaniam verſus orientem ſeu Jordanem, ad duo miliaria noſtra, eſt locus ubi adhuc parietes de muro apparent, & ibi homo deſcendens in Hiericho, incidit in latrones, ſpoliatus juxta viam, qua itur ad Jordanem. Ex parte ſiniſtra in monte eſt murus antiquus, ubi fuit domus Joachim, ubi paſtores ejus paſcebant pecora, & ibi fugerat de Eccleſia confuſus.

Adhuc reſtant duo miliaria per montes uſque ad locum ubi Dominus Jeſus in deſcenſu montium ſanavit & illuminavit cæcum, & hic locus adhuc diſtat à Hiericho per unum medium miliare.

Ultra iſtum locum recta via verſus Jordanem eſt Jericho, ſed ſi quis vult ire ad Quarentanam montem excelſum valde, oportet ut deſcendat de via publicâ quæ ducit Jordanum ad ſiniſtram partem, id eſt, verſus Aquilonem, ubi ad medium miliare noſtrum eſt fons Helizei, & torrens aqua quam Helizeus dulcoravit, de qua bibunt peregrini ibi pauſantes. Ab illo fonte jam incipit mons excelſus Quarentana, ubi Dominus Jeſus jejunavit quadraginta diebus & quadraginta noctibus. Et ibi eſt rupes ſatis ampla quaſi Capella, ſed tamen non in ſummitate montis prædicti, ſed in latere, & quaſi in medio montis. Et cum pervenitur cum magna fatigia ad locum jejunationis Chriſti ad XVI. gradus, eſt valde difficillimus aſcenſus & valde periculoſus, ita quod nonniſi habens bonum caput poteſt aſcendere: ibi eſt locus devotiſſimus Chriſti.

Supra iſtum locum jejunii Chriſti ad ſedecim gradus, eſt alius locus, ibi diabolus tentavit Dominum de guſtu dicens: *Dic ut lapides iſti panes fiant*. Sed ab iſto loco aſcendendo ſupra montem prædictum adhuc difficilius iter ad montis ſummitatem, ubi nullus pinguis homo poteſt venire, & dicunt quidam quod ad ſummitatem iſtius montis Quarentanæ diabolus Dominum de Jeruſalem aſſumpſit, & ibi eum tentavit de avaritia, dicens: *Hæc omnia tibi dabo, ſi procidens adoraveris me*, Matthæi 4. Alii dicunt quod à torrente prædicto qui eſt ſub iſto monte, ad duas leucas verſus Galilæam, id eſt, verſus Aquilonem, eſt mons altus & magnus qui etiam vocatur mons Abrahæ, quia ibi dicitur commoratus fuiſſe, in quo ferunt, Chriſtum tentaſſe diabolum de avaritia. *Matth.* 4.

A Quarentana iterum oportet ire ad Hiericho oblique medium miliare, & de loco illo uſque prope Hiericho ſunt rubi & ligna parva viridia. Hiericho autem fuit civitas nobilis, hodie autem non meretur dici villa, habens paucas (a) gazas, ubi tamen eſt adhuc domus Zachæi, qui Dominum ſuſcepit hoſpitio, deſcendens de ſicomoro. Et eſt adhuc locus quadratus ad modum clauſtri, quamvis murus jam vetuſtate deſtrui- (a) *Forte caſas.*



Digitized by Google

Sæc. XVI. Anno 1509.

tur. De Hiericho fuit Raab meretrix, quæ recipit hoſpitio Joſuæ exploratores. De Hiericho fuerunt pueri Heliſæo Prophetæ, dicentes: *Aſcende calve*, dicitur 4. Reg. 2. Ultra Hiericho verſus Orientem ad duas leucas, id eſt, ad dimidium ſecundum miliare noſtrum, eſt Jordanis fluvius, currens de ſub Lybano uſque ad deſertum Pharan, fere per centum miliaria Italica & plus, & hoc ab Aquilone verſus Auſtrum, qui poſtea intrat mare mortuum, de quo non egreditur. Hic Jordanis eſt in latitudine ad inſtar Warthæ, & habet in utraque latere campos latos, planos & amœnos, & ſylvam ex utroque latere, planities autem quæ eſt inter Jordanem & Hiericho, vocatur Galgala, & forte tota planities per duo miliaria diſtans à Jordane uſque Quaretaniam vocatur Galgala.

In Galgala longo tempore caſtrametati ſunt filii Iſrael tranſito Jordane.

In Jordane baptizatus eſt Dominus à Joanne, & ibi in vigilia Epiphaniæ nunc veniunt aliquot millia Chriſtianorum diverſarum ſectarum, & faciunt devotiones ſuas, tota nocte lavantes ſe in Jordane. Similiter & fratres Minores ibidem celebrant divina in altari portatili, in rubeto juxta Jordanem, ubi Dominus Jeſus eſt baptizatus. Putatur tamen à nonnullis Dominus baptizatus in alia Bethania, quæ eſt ultra Jordanem, verſus Arabiam.

Juxta Jordanem ad quatuor ſtadia vel plus verſus Jeruſalem eſt murus antiquus quaſi clauſtrum parvum, ubi eſt Capella in honore S. Joannis, in loco ubi manſit illo tempore quo Dominum baptizavit.

Diſtat igitur Jordanis à Jeruſalem per ſex miliaria noſtra grandia, ex quibus quatuor miliaria à Jeruſalem ſaxoſa montoſa per totum, uſque ad locum illuminationis cæci. Deinde ab illuminatione cæci, planities pulchra, habens de latitudine duo miliaria ad Jordanem & in longum plus.

A Jordane ubi baptizatus eſt Chriſtus contra Auſtrum, eſt mare mortuum: Et habet iſtud mare, videlicet, ab Aquilone in Auſtrum, in longitudine DC. ſtadia, vel quinque dietas, in latitudiee vero habet quinque leucas, id eſt quatuor miliaria forte noſtra, vel CV. ſtadia, ſed tamen apparet parvum. Et diſtat iſtud mare à Hiericho ad duo miliaria noſtra vel minus modico. Et inter Hiericho & mare mortuum eſt clauſtrum S. Hieronymi in vaſta ſolitudine, cujus clauſtri adhuc ſtant parietes & teſtudines, jam convellitur & labitur. Illud mare dicitur mortuum, quia non decurrit, ſed eſt velut lacus, & ejus aqua eſt amara. Et ſcribunt multi in chartellis ſuis, quod eſſet aqua fœtida, & propter ejus amaritudinem terra adjacens littoribus nihil viride profert: Sed ego ibi lavans pedes, vidique lavare Mauros exutos & Græcos, nihil expertus ſum de fœtore aquæ, imo vidi ibi in littore virentia gramina, vulgariter Loza, ubi poſſent animalia pabulari, & non alias vidi in Terra Sancta talem paſtum pro jumentis. Iſtud mare mortuum eſt in loco, in quo quinque civitates pulcherrimæ, ſcilicet, Sodoma, Gomorra, Seboym, Bale, & Adama, igne ſunt combuſtæ, & diſterminant fines terræ promiſſionis & Arabiæ.

In littore Orientali maris mortui ſita eſt Segor in parte Arabiæ, ubi eſt ſtatua ſalis in quam converſa eſt uxor Loth, ad quam videndam periculoſus eſt acceſſus, propter Madianitas ibidem commorantes, qui nemini parcunt, ſæpe, ut fertur, id mare tantum creſcit ex tumefactione, quod cooperitur tota ſtatua, & non videtur, aliquando tamen decreſcit, quod videtur ad pectus & genua. Eſt in loco amœno inter Segor & mare mortuum.

Ab iſto mari verſus Orientem, & de Segor ad medium miliare, eſt aſcenſus montis Engaddi, juxta mare mortuum, & dicunt ibi eſſe arbores pulcherrimas, ſed fructus earum quando diſcerpuntur, intus favillam & cineres habere inveniuntur.

Arabia eſt ultra mare mortuum verſus Orientem aliquando arcualiter declinans ad Auſtrum à Jeruſalem, & eſt terra hodie inculta, lata & deſerta, rara in domibus, ſed in tentoriis homines ſolent manere, ubi morantur crudeles homines, bellicoſi, dicti Arabes, abominantes artem baliſtariorum, cuſpidibus aut haſtis & gladiis tantum utentes, qui velut latrones ſolent obſidere ſtratas, & ſpoliare, non modo Chriſtianis, ſed & ipſis Sarracenis infeſti, ſæpe etiam ipſi Soldano moleſti.

In Arabia eſt vallis Moyſi, in qua bis percuſſit ſilicem, & duos aquæ rivulos fecit, de quibus nunc tota terra irrigatur.

In Arabia eſt mons Abarym, in quo Dominus Moyſen ſepelivit, ejus nuſquam apparente tumulo.

In Arabia eſt locus qui quondam dicebatur petra deſerti, & eſt mons excelſus juxta civitatem Rabat.

Arabia nuncupatur deſertum filiorum Iſrael, ubi detinuit eos Dominus annis XL. pluens manna.

In Arabia eſt mons Synai, in cujus ſummitate eſt locus, ubi Dominus dedit duas tabulas Moyſi, & mandata ſeu decalogum, & ibi ſepultus fuit Aaron.

In

Digitized by Google

In medio montis Synai eſt locus ubi Helias Propheta fecit pœnitentiam. SÆC.
In monte Synai prope locum dationis legis, retro Eccleſiam Salvatoris, eſt locus XVI.
ubi Moyſes orabat, quando Deus vocavit eum & dixit: *Moyſes, Moyſes, veni &* ANNO
*mittam te ad Pharaonem.* 1509.
Juxta hunc montem Synai eſt alius mons altiſſimus ad quem Angeli portaverunt *Exod.* 3.
corpus beatæ Catharinæ de Alexandria, & ibi ſepelierunt, & ſtetit ibi per CCC. annos cuſtoditum ab Angelis: hodie eſt translatum ſub monte, ubi eſt Monaſterium S. Baſilii, & ibi manent Monachi Græci tenentes ſectam Græcorum. Ibi eſt Eccleſia ſanctæ Mariæ de rubo, & eſt ibi plenaria indulgentia.
In monte Synai eſt petra Oreb, ubi emanaverunt aquæ largiſſimæ, quando Moyſes ad præceptum Domini percuſſit virgâ bis ſilicem. Item ibi prope ad unam dietam eſt mare rubrum, ubi filii Iſrael tranſierunt ſicco pede. Item eſt ibi fons Moyſi, qui vocatur ad aquas contradictionis. Item ibi prope eſt locus, ubi filii Iſrael caſtrametati ſunt, ubi erant duodecim fontes aquarum, & LXX. palmæ.

## *Cœnaculum Domini.*

Dicto de locis remotis à Jeruſalem ſecundum quatuor plagas mundi: Nunc videamus de locis propinquis ipſi Hieruſalem. Et primo de cœnaculo.
Cœnaculum illud, in quo Dominus Jeſus cœnavit in die Jovis, illud idem remanet, quod tempore paſſionis Chriſti fuit intra civitatem incluſum. Hodie ad unum magnum ſtadium vulgare eſt excluſum verſus Auſtrum ſeu Bethleem à Jeruſalem, & quaſi in eminentiori loco montis Sion ſitum, ibi eſt locus fratrum Minorum de Obſervantia amœniſſimus, & iſtud cœnaculum habetur pro Eccleſia, ubi ſingulis diebus faciunt divina Monachi, cantantes tum alta voce Miſſam, Veſperas & Completorium, tamen, nota, ſine campanis, ſed ſemper clauſi præ metu Sarracenorum. Iſtud cœnaculum fuit & eſt grande ſtratum in pavimento, & eſt quadratum, habens ab Occidente in Orientem de longitudine XX. paſſus pedum, de latitudine vero habet XIII. paſſus. In medio cœnaculi eſt chorus fratrum cum ſtallis, & in medio ejuſdem ſunt duæ columnæ marmoreæ ſuſtentantes teſtitudinem cœnaculi, quamvis aliæ columnæ ſint innixæ parietibus. Juxta parietem Orientalem in medio eſt Altare, in loco ubi Dominus Jeſus in die Jovis cœnavit cum diſcipulis ſuis, faciens Paſcha. Et menſa Altaris iſtius eſt lapidea ad inſtar menſæ, in qua cœnavit Chriſtus. Sub menſa Altaris oſtenditur locus characterizatus pulcherrimis picturis, ubi Dominus Jeſus faciens cœnam pedibus ſacratiſſimis ſedit, & eſt ibi plenaria indulgentia. Menſa autem illa in qua cœnavit Dominus, aſportata eſt ad Romam per Helenam, & eſt hodie ad ſanctum Joannem de Laterano. Altare autem illud ſtat ſupra pavimentum cœnaculi tribus gradibus, ſicut eſt conſuetum Altaria habere.
Deſcendendo ad latus prædicti Altaris verſus meridiem in angulo eſt aliud Altare parvum, ubi Dominus lavit pedes diſcipulorum. Et iſtud Altare parvum diſtat ab Altari magno quatuor paſſus pedum, & ibi etiam eſt plenaria indulgentia.
Sub iſto cœnaculo directe eſt Capella cum teſtudine S. Franciſci.
In hoc cœnaculo eſt triplex oſtium, unum à dextra verſus Occidentem, & iſtud fere nunc ſemper clauditur, forte propter metum Maurorum: aliud verſus Auſtrum, ad ambitum fratrum amœniſſimum, qui eſt ſub dio juxta prædictum cœnaculum, & ſub illo ambitu eſt refectorium. Tertium oſtium eſt inferius de cœnaculo ſubtus ad prædictam Capellam S. Franciſci, ubi etiam eſt dormitorium peregrinorum.
Secundum cœnaculum minus eſt juxta Altare majus, ſcilicet cœnationis, ſeu penes parietem Orientalem grandis cœnaculi, ſolum diſtans per parietem, cujus cœnaculi pavimentum eſt XIII. gradibus ſuperius, quam pavimentum cœnaculi grandis. Ad iſtud cœnaculum itur per ambitum illum qui eſt juxta cœnaculum grande, & ibi ſunt gradus lapides XIII. Iſtud eſt cœnaculum in quo Spiritus ſanctus miſſus eſt ſuper Apoſtolos, ubi fuerunt CXX. perſonæ cum B. Virgine. Iſtud cœnaculum miſſionis ſancti Spiritus eſt hodie præcluſum, ita quod non patet aditus alicui, & hoc ſubordinatione perfidorum Judæorum. Nam ſub iſto cœnaculo eſt ſepulchrum David & Salomonis & aliorum Regum Judæorum. Et quia videbatur injuria Judæis, quod Chriſtiani venientes ad locum cœnaculi, ubi S. Spiritus Apoſtolis miſſus eſt, calcarent ſepulchrum prædictorum Regum, muneribus obtinuerunt apud Soldanum, ne permitteret Chriſtianis amplius calcare prædictum locum. Ideo Soldanus juſſit præcludi fratribus illum locum prædicti cœnaculi, ne deinceps fiat irreverentia prædictis Regibus ſepultis. Verum tamen ex quo cœnaculum grande non habet tectum ſupra teſtudinem, ſed ſolam teſtudinem planiſſimam, de quo videtur illud cœnaculum S. Spiritus, quod non habet teſtudinem, ſed ſub dio, ad quod poteſt fieri deſcenſus de teſtudine cœnaculi grandis, per



Digitized by Google

SÆC. XVI. ANNO 1509.

scalam: Antequam præclusus fuit locus, fratres faciebant ibi suas devotiones, & Missas celebrabant, & peregrini hodie non possunt, nisi forte per descensum nocte possent facere. Est tamen ibi plena indulgentia.

Subtus istud cœnaculum est modo sepulchrum prædictum, sicut dictum est, & etiam sacristia fratrum. Et juxta parietem sacristiæ est Capella parvula, ubi Dominus Jesus apparuit discipulis suis in die resurrectionis suæ, Thoma absente, & ibidem apparuit in octavis resurrectionis, Thoma præsente, ubi se tunc claudebant discipuli, propter metum Judæorum, & est ibi plenaria indulgentia, ibique juxta est fons David, de quo etiam biberunt discipuli cum Christo in cœna Domini.

Circa istud cœnaculum utrumque est plana terra, ubi est sepultura omnium sectarum Christianarum, juxta cœnaculum, in quo loco, forte ad XXX. passus pedum à cœnaculo, est locus ubi beatissima Virgo est mortua, & ibi est plenaria indulgentia. Juxta demonstratur alius locus, ubi jacuit in feretro. Juxta est locus ubi B. Joannes legebat Missam coram beata Virgine post ascensionem Christi: Et hic locus Missæ est juxta domum Cayphæ.

Sub cœnaculo Domini beatissima virgo Maria mansit post ascensionem filii usque ad mortem, ubi habuit habitationem à parte Occidentali cœnaculi.

Sub cœnaculo à parte Aquilonari sunt duo lapides, unus in loco ubi Christus stetit quando matri suæ dilectæ prædicavit, alius ubi beata mater sedebat audiens sermonem filii sui.

Sub cœnaculo à parte Orientali est locus, ubi fuit assus agnus Paschalis in coquina, ibi est sepulchrum sancti Stephani, quando corpus fuit translatum de Tessarga mala, hodie Romam translatum.

Non remote à loco mortis beatæ virginis Mariæ est locus, ubi fuit Matthias electus in Apostolum, ibique prope Jacobus minor fuit electus in Episcopum.

## *Cayphas.*

A cœnaculo Domini grandi versus Aquilonem per aliquot passus, quasi minus quam medium stadium, est domus Cayphæ, ubi modo sunt Armeni. Ibi in medio atrio ostenditur locus & *hortulus parvus, in loco in quo Petrus negavit Christum.* In palatio autem superius stetit Christus ligatus ante Caypham. Inferius est locus, ubi fuit Christus positus in carcerem nocte illa, juxta quem est Capella & Altare, in quo est lapis magnus & latus, quo Joseph sepulchrum Christi clauserat, & quamvis de hoc lapide multum Christiani detraxerint, *tamen adhuc potest dici magnus,* nam in longitudine habet X. palmos, de latitudine sex palmos, de spissitudine duos palmos.

A domo Cayphæ versus sepulchrum Christi ad tria stadia est Ecclesia satis pulchra sancti Jacobi majoris, in loco ubi fuit occisus.

## *Annas.*

A domo Cayphæ versus Aquilonem aliqualiter versus Orientem ad CXX. passus, id est, ad unum magnum stadium, est domus Annæ, ubi primo est arbor olivæ antiqua, circa quam Dominus Jesus adductus est ligatus primum tamdiu, quousque Annas de somno surgeret. In curia autem Annæ est Capella, in qua locus ostenditur, ubi stetit Dominus Jesus ligatus & alapizatus coram Anna. Et ibidem circa eandem Capellam est Altare, ubi Petrus introductus voce ancillæ perculsus negavit Christum primum. Ista tria loca, scilicet cœnaculum, domus Annæ, & domus Cayphæ, quæ tempore passionis Christi fuerunt in civitate inclusa, hodie sunt extra civitatem. Dicitur enim quod post mortem Salomonis Sacerdotes seniores obtinuerunt locum illum qui est in eminentiori parte montis Syon, tamen hoc non probatur. Et dicunt quidam quod cœnaculum in quo Dominus cœnavit, fuit unius doctoris Nicodemi, qui dicitur princeps Judæorum, qui & ministrasse dicitur agnum Paschalem Christo, de quo Christus dixit discipulis: *Ite in civitatem ad quendam.*

*Matth. 26.*

A cœnaculo ad torrentem versus Orientem occurrit primo locus ad unum stadium vel plus, locus vacuus, ubi Judæi volebant corpus beatæ Virginis post mortem projicere de feretro, quando Apostoli deferebant ad sepulchrum ad vallem Josaphat, & ibi est indulgentia septennis.

Post hoc in recta via versus torrentem est locus qui vocatur Galli cantus, ubi Petrus pœnitentia ductus deflevit negationem suam, & ibi fuit ædificata Ecclesia, hodie nihil apparet nisi pars fundamenti illius Ecclesiæ.

Ultra à Galli cantu procedendo per descensum juxta murum civitatis ad tria stadia, habetur plenaria indulgentia, recte ex opposito Ecclesiæ grandis, quæ est in civitate

juxta

Digitized by Google

juxta futurum, in qua beatiſſima Virgo triennis fuit præſentata, & manſit ad XIV. annum, & ibi intrare non poſſunt Chriſtiani, ſed ex oppoſito illius Eccleſiæ ante civitatem habent indulgentiam, ut dictum eſt. Affirmant Sarraceni, quod ſingulis noctibus in eadem Eccleſia ardent tria millia lampadum. SÆC. XVI. ANNO 1509.

Ultra iſtum locum vadendo juxta civitatem ad unum ſtadium, eſt indulgentia pleniſſima ex oppoſito templi Salomonis, quod eſt in civitate etiam juxta murum. Et eſt hodie multo minus quam Eccleſia ſanctæ Mariæ præſentationis. Circa quam Eccleſiam Salomonis eſt cœmiterium planiſſimum, latiſſimum, pulcherrimis ſtratum quadratis lapidibus, & ibi arbores olivarum.

Ab iſto loco qui eſt ex oppoſito prædicti templi Salomonis deſcendendo ſubito de monte ad unum ſtadium, eſt torrens Cedron in valle Joſaphat, ubi Chriſtus quando ducebatur de horto captus, dicitur impulſu inimicorum (a), ubi eſt modo pons ex teſtudine lapidum, per quem ibant miniſtri Judæorum, Chriſtum benedictum in aquam præcipitantes, & quamvis in Jeruſalem vel terra ſancta nunquam pluit in æſtate, tamen in hyeme pluit in abundantia. Et ille torrens non poteſt aquam retinere, quia per deſcenſum vadit, tamen quando pluit, abundat aqua, & tunc creditur aqua fuiſſe in torrente, juxta Prophetiam David: *De torrente in via bibit.* Ibi in illo ponte quando unus dicit *Pater noſter*, habet plenariam indulgentiam. (a) *deeſt, dejectus, vel aliquid ſimile.* *Pſal.* 109.

Ex oppoſito illius ponticuli eſt ſepultura Joſaphat. Alii opinantur quod illud non eſt ſepulchrum Joſaphat, ſed Abſolonis.

Adhuc ex oppoſito illius pontis juxta ſepulchrum Joſaphat oſtenditur caverna in lapide, ubi Jacobus tempore captionis Chriſti ſe impreſſit & latitavit uſque in reſurrectionem Domini, qui & devotavit ibi.

Ab iſto loco ſcilicet pontis, Chriſtus tranſivit declinando ab Aquilone juxta torrentem ad CLXXX. paſſus uſque ad hortum, & in horto villa Gethſemani aliquot gazas habens: Et ibi reliquit octo diſcipulos, ut orarent, dicens eis: *Sedete hic donec vadam.* *Matth.* 26.

A Gethſemani aſſumpto Petro & filiis Zebedei vadens verſus fere Aquilonem per hortum ad CXX. paſſus, aliqualiter tamen declinando verſus Orientem, venit ad lapidem magnum valde album, & ibi oſtendit triſtitiam ſuæ humanitatis, dicens: *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.* Et circa lapidem illum relictis illis tribus vadit verſus Aquilonem de monte aliqualiter ad jactum lapidis parvi fortiſſimi juvenis, qui eſſet de manu agili, & intravit in rupem cavatam in lapide magno, quaſi cellario lato, ibi oravit, & ſudans ſanguinem, & in eodem loco ter oravit. Et eſt locus devotiſſimus, temperatus, nec calidus nec frigidus. In medio eſt columna groſſa ſuſtentans teſtudinem illius lapidis: Eſtque ibi Altare, in quo fratres Minores canunt paſſionem ſingulis annis magna ſexta feria. Ante Altare Dominus *Jeſus* procidit in faciem, & oravit, & tertio ſanguinem ſudavit. Supra illud Altare eſt extenſus lapis de pariete: In quo dicitur Angelus Michaël ſtetiſſe confortans Chriſtum ſudantem, & eſt ibi plenaria indulgentia. *Ibidem.*

Ab iſto loco ſurgens Chriſtus rediit ad Apoſtolos illos tres primum verſus Auſtrum, ubi eſt lapis magnus, de quo dictum eſt.

Ab iſto loco excitationis Apoſtolorum ad XX. paſſus pedum aliqualiter deſcendendo verſus Auſtrum, pius Dominus captus eſt crudeliter, & à Juda oſculatus. Ibique ad X. paſſus pedum, ut credo, fuit lapis poſitus pro charactere, ubi Petrus abſcidit auriculam ſervo Principis, adhuc illum lapidem vidi quando in terram ſanctam veni anno Domini M. D. VII. verſus finem anni prædicti, & poſtquam receſſi de Jeruſalem anno Domini M. D. VIII. verſus finem anni, lapis effoſſus ille & abſconditus à Sarracenis, extra projectus demonſtratur.

Omnia iſta loca ſunt in horto, incipiens à Gethſemani, quæ eſt juxta vallem Joſaphat, prædium aliquod fuit aliquot (b) gazas habens, juxta civitatem, diſtans ab ea per duo ſtadia, valle & torrente mediante. Et hic hortus eſt in pede montis Oliveti. (b) *forte caſas.*

## *Fons Rogel.*

EST ad dexteram partem viæ, qua itur de cœnaculo Domini verſus Bethaniam, qui habet aquas dulces fluentes, in quo fonte beata Virgo lavabat panniculos parvuli Jeſu Chriſti.

Verſus Bethaniam aſcendendo de valle eſt domus Judæ proditoris, cujus adhuc teſtudo apparet, & ultra domum verſus Bethaniam eundo, juxta viam ſuſpenſus fuit, & crepuit medius. Et illius arboris in qua ſuſpenſus eſt, adhuc truncus altus eſt ad ſtatuam hominis.

A fonte Rogel ad natatoria Syloë ſunt puto tria ſtadia, in quam aqua prædicti fontis

Digitized by Google

SÆC. XVI. ANNO 1509.

tis per ſubterraneos meatus defluit. De natatoria Syloë Sarraceni mittunt aquam per rimas & foſſatas ad hortos ipſorum ad irriganda olera.

A natatoria Syloë remote diſtat arbor in loco ubi fuit ſerratus Iſaias Propheta.

Ultra natatoria Syloë ultra vallem ſunt cavernæ Apoſtolorum, in quibus latitabant tempore paſſionis, & ibi prope eſt ager Acheldemach, ſepultura perigrinorum antiqua, hodie non eſt, ſed alibi.

## *Hieruſalem ſancta.*

CIvitas ſancta Hieruſalem eſt ſita in monte alto ſacratiſſimo Syon, & vadit per deſcenſum montis aliqualiter à cœnaculo meridionali, quæ nec parvitate anguſta, nec magnitudine cuiquam faſtidioſa, à muro Auſtrali uſque ad murum Aquilonarem diſtans longitudine quantum quis de arcu quater dirigeret ſagittam. Eſt tamen puto longitudine & amplitudine protenſa ad inſtar Cracoviæ, & diſtat ab Accon ſive Ptolemaida quæ eſt in provincia Phœnicis, triginta ſex leucis, puto XXX. miliaribus noſtris. A Joppen diſtat decem miliaribus noſtris.

Ab Oriente intrando Jeruſalem fuerunt antiquitus diverſæ portæ, ex quibus una notabilis de monte Oliveti ad templum Salomonis, videlicet porta Aurea, per quam Dominus intravit in die ramis Palmarum cum ſolemnitate, ad quam fuit pons teſtudinatus per vallem: Hæc porta Aurea eſt hodie clauſa, imo incluſa in muro, ad quam ab extra Jeruſalem non eſt facilis aggreſſus Chriſtianis propter Mauros, quia ibi eſt ſepultura peregrinorum, nocte tamen fratres ſolent accedere & tangere. Una tamen porta ab Oriente eſt aperta, quæ vocatur Cedar, vel porta Vallis, vel porta S. Stephani.

Intrando igitur civitatem ab Oriente per iſtam portam ad ſiniſtram partem, ſtatim eſt foſſata profundiſſima, lata & quadrata, circundata muro undique, *in qua modo* non eſt aqua. Hanc foſſatam quidam ferunt probaticam piſcinam, *ubi quondam* per parvum motum illius aquæ quæ fuit ibi in copia, ad deſcenſum Angeli, ſanabatur infirmus qui primus in aquam impoſitus fuerat, ut habetur Joan. 5.

Ultra illam piſcinam probaticam & juxta cœmiterium Salomonis, elegantiſſimum & ſpatioſiſſimum, ibi eſt templum Salomonis, hodie non magnum, ſed rotundum. Sub illo cœmiterio in terra eſt ſtabulum ampliſſimum Salomonis.

A parte Occidentali ad templum eundo eſt platea lata habens teſtudinem deſuper, per quam itur ad templum, & vocatur porta ſpecioſa, ubi Petrus & Joannes aſcendentes in templum viderunt claudum mendicum, & dixit ei Petrus: *Aurum & argentum non eſt mihi, quod habeo hoc tibi do, & illuminavit eum.* Ad templum autem Salomonis, imò nec ad cœmiterium, Chriſtianorum nullus audet accedere, aliàs aut negare debent fidem & circumcidi, aut occidi, aut ſi habet pecuniam, poſſet ſe redimere.

*Actor. 3.*

A prædicta autem porta vallis intrando civitatem ad dexteram habetur Eccleſia ſatis pulchra ſanctæ Annæ matris Domini, in illo loco ubi fuit domus Joachim & *Annæ*, & ibi creditur beatiſſima virgo concepta. Et ſubtus hanc Eccleſiam eſt locus quaſi Capella, ubi fertur beatiſſima virgo nata. In deſcenſu autem hujus Eccleſiæ per viginti duos gradus monſtratur tumba ſaxea B. Joachim & Annæ, ubi adhuc ipſorum oſſa ab aliquibus putantur quieſcere, ſublato inde per Helenam corpore ſanctæ Annæ, quod tranſtulit in Conſtantinopolim, tamen in Cypro in monte alto, ubi eſt Eccleſia Monachorum ſancti Benedicti deſerta, monſtratur brachium ſanctæ Annæ, & crux dextri latronis.

Non remote ab hac Eccleſia ſanctæ Annæ verſus domum Pilati habetur alia piſcina grandis, quæ dicebatur piſcina interiorum, hanc fecit Ezechias, & habet modo aquas. Ad hanc piſcinam quæ eſt juxta templum Salomonis, currunt aquæ de ſtagnis Salomonis, quæ ſunt ultra Bethleem medium miliare, & fluunt per occultos meatus, quæ prius in illam piſcinam, quæ eſt juxta templum Salomonis: hanc etiam quidam probaticam putant piſcinam.

Habendo reſpectum ad Dominicam paſſionem, videbimus primum ductum à Caypha ad domum Pilati, & eſt diſtantia ad novem ſtadia, id eſt, quantum diſtat à ſancto Bernhardino Cracoviæ uſque ad Eccleſiam ſancti Spiritus, tantum diſtat domus Pilati à domo Cayphæ.

## *Domus Pilati.*

EST quaſi in medio civitatis, declinando tamen ad partem Aquilonarem verſus murum. Ita domus Pilati non habuit magnum ſpatium pro area. In domo Pilati eſt Capella in loco illo, in quo Dominus Jeſus eſt flagellatus, ſed tamen ille locus flagellatio-

Digitized by Google

gellationis à Sarracenis poſſeſſus deturpatur, quia de illa Capella fecerunt ſtabulum jumentorum, nec permittunt ibi aliquem Chriſtianum intrare, niſi pro quæſtu, & eſt ibi plena indulgentia. SÆC. XVI. ANNO 1509.

### *Herodis Domus.*

A domo Pilati verſus Aquilonem ad medium ſtadium eſt domus Herodis quaſi caſtrum, in quo in eminentiori loco aſcendendo gradatim, ibi Dominus fuit ductus de domo Pilati, & condonatus ab Herode veſte alba & illuſus, poſtea reductus ad Pilatum, & ibidem in atrio coram cohorte eſt coronatus, locus autem coronationis ejus neſcitur à Chriſtianis.

In platea juxta domum Pilati vocatur locus lythoſtrotos, & ibi Dominus eſt ſententiatus à Pilato ſedente pro tribunali. Ibique plateam tranſverſaliter (a) ſuperius factus character de muro & arcualiter quaſi valvæ. In quo muro quidam Guardianus cum ſuis fratribus Minorum obtinentes pretio magno licentiam ad Soldanum, infixerunt duos lapides magnos illi muro, unum album in quo ſtetit Dominus judicatus, alium in quo ſtetit aut ſedit Pilatus judicans.

(a) *Videtur aliquid deeſſe.*

### *Maria de Spasmo.*

A domo Pilati deſcendendo ad medium ſtadium eſt locus ubi beatiſſima virgo videns filium ſuum oneratum ligno crucis, ſpaſmavit cadens in terram. In illo loco fuit ædificata Eccleſia, quæ vocatur S. Maria de ſpaſmo, hodie nihil remanet de illa Eccleſia, niſi unus paries, & eſt ibi plenaria indulgentia. Et iſte locus eſt verſus Occidentem de domo Pilati, verſus locum Calvariæ.

### *Simon Angariatus.*

A domo Pilati vadendo verſus Occidentem ad unum ſtadium vulgare, ibi eſt platea tranſverſalis ab Aquilone in Meridiem. Et quia Dominus crucem ferre non potuit, Simon Cyrenenſis vadens per illam plateam tranſverſalem, eſt angariatus ad portandam crucem poſt *Jeſum*.

### *Mulieres Flentes.*

A loco angariationis Simonis verſus Meridiem aliquantulum cum Jeſu proceſſerunt ad medium ſtadium, & ibi mulieres exſpectabant Dominum flentes & compatientes, quas Dominus allocutus eſt dicens: *Filiæ Jeruſalem nolite flere.* Luc. 23.

### *Veronicæ.*

A loco allocutionis mulierum ibant iterum per plateam tranſverſalem, verſus Occidentem, ad unum maximum ſtadium eſt domus Veronicæ, quæ occurrit Chriſto bajulanti crucem, & depoſito velo acceſſit ad Jeſum, & detergere voluit ſanguinem de facie: Et Dominus accepto linteamine ejus ſuam faciem in eo infixit, ei porrexit pro munere.

### *Calvariæ.*

A domo Pilati verſus Occidentem diſtat locus Calvariæ ad quingentos paſſus, credo ad octo ſtadia vel circa, qui locus Calvariæ fuit tunc extra civitatem, prope tamen levitatem, niſi per foſſatam diſtans, juxta quam foſſatam fuit monticulus oblongus totus petroſus, altus à terra ſedecim gradibus. Et poſtquam Dominus Jeſus adductus fuit ſub Calvariæ dictum monticulum, reſpiciens ſupra locum ubi crucifigi debuit, ſuſpirans cecidit, & crucem depoſuit amplius non aſſumpturus.

A loco Calvariæ verſus Aquilonem eſt carcer Chriſti ad XX. paſſus credo, ubi incluſus fuit Dominus & cuſtoditus donec crucem diſponerent. Ante illum carcerem ſunt duo foramina in pavimento lapideo, ubi Dominus eductus præ debilitate nimia ceſpitavit genibus cadens, & in illa caſura ſunt facta illa foramina, & in carcere eſt plenaria indulgentia.

In loco Calvariæ qui, ut dixi, ſedecim gradibus eminet ſupra pavimentum terræ, Dominus Jeſus Filius *Dei* eſt crucifixus, facietenus ad Occidentem, & ibi fuit foramen decavatum profundum ad unum cubitum, rotundum tamen eſt & latum, circulariter ad unum palmum, quod foramen eſt duriſſimum ad ſcindendum, ſed tamen dulciſſimum ad amplexandum, fuit enim illo tempore ſanguine Chriſti impletum ſtillante de latere dextro.



Digitized by Google

SÆC. XVI. ANNO 1509.

A latere dextro latro dexter pependit, distans sex palmis à Christo, sub manu tamen sinistra Christi pependit latro siniſter, distans à Christo sedecim palmis vel circa, & inter Christum & latronem siniſtrum facta est sciſſura magna in petra, in qua se possit homo macer abscondere, tamen multo longior quantitate hominis: Et hoc quando Dominus *Jesus* in cruce clamavit: In signum, quia illa maledicta anima siniſtri latronis fuit scissa à Christo.

Mœstissima mater sub monte Calvariæ, juxta tamen ad Austrum, aliqualiter declinans ad Occidentem, stetit sub cruce ejulans, respiciens à latere faciem Christi, & juxta eam Joannes stetit, ibi sunt hodie duæ Capellæ, una ubi beata mater stetit, alia ubi Joannes, sub monte, à se non remote distantes, penes parietem Australem Ecclesiæ sancti sepulchri.

In loco autem isto Calvariæ est hodie Capella pulcherrima, ubi aurum apparet in testudine per Helenam ædificata, quadrata, ad decem passus pedum credo lata & longa vel plus. In medio illius Capellæ est columna grossa quadrata, quæ dividit Capellam. Partem Australem Calvariæ habent fratres Minores de Observantia, & partem Aquilonarem tenent Georgiani quidam Christiani, unus tamen ibi manet ad foramen, cum illud sacrum tenent Georgiani.

Depositoque corpore Christi Joseph cum Nicodemo descenderunt de monte, & descendentes statim sub monte unxerunt Dominum, in quo loco pendent multæ lampades.

A loco Calvariæ versus Occidentem oblique tamen ad XI. passus pedum vel circa, est sacrum sepulchrum Domini Jesu, ubi positus est benedictus Jesus, de quo infra.

A sepulchro Domini ad XV. passus versus Aquilonem est locus ubi Dominus Jesus post resurrectienem apparuit matri suæ. Et est ibi Capella, ubi fratres faciunt officium divinum: Et est ibi plenaria indulgentia, & servatur ibi columna flagellationis Domini. In medio Capellæ prædictæ & sancti sepulchri Domini sunt duo lapides rotundi albissimi, unus in quo stetit Jesus, & alter in quo stetit Maria Magdalena, quando ei Christus Dominus apparuit post resurrectionem, egressus à matre.

### *Ecclesia Sancti sepulchri Domini intra se, &c.*

COnclusit Calvariam & sepulchrum Christi Ecclesia prædicta, ab Helena est ædificata, magna, habens multa diverticula, improportionabilia tamen aliqualiter ad instar Ecclesiæ Cathedralis, ubi sunt ambitus in circuitu Chori. Chorus prædictæ Ecclesiæ est oblongus, puta ad XL. passus pedum vel circa, latus ad XIV. quem tenent Græci.

Ad partem Orientalem Ecclesiæ descendendo de Ecclesia subtus terram triginta puto gradibus, est Capella sancta Helenæ pulchra, habens tantum de super fenestram.

A latere dictæ Capellæ Australi subtus terram undecim gradibus, est rupes ubi fuit post resurrectionem Christi reconditum lignum sanctæ crucis, postea ab Helena inventum ibidem. Et in illo loco muri est odoris fragrantia, sicut & ad sepulchrum beatissimæ virginis Mariæ.

A parte siniſtra Capellæ S. Helenæ est parva Capella, ubi crucifixores diviserunt vestimenta Christi, mittentes sortem.

A parte dextra est alia Capella, in qua est lapis in quo Dominus innixus coronatus fuit.

Ad partem Australem Chori est sacratissimus locus Calvariæ, eminens supra à pavimento Ecclesiæ XVI. gradibus, & sub loco Calvariæ est Capella, in qua Georgiani habitant.

A parte Aquilonari Chori est carcer Christi, ubi Dominus *Jesus* fuit positus, antequam crux adaptata fuisset, & est ibi plenaria indulgentia.

Corpus Ecclesiæ sancti sepulchri & est amplum satis & rotundum, & in medio Ecclesiæ est sacrum illud sepulchrum Christi, habens in circuitu multas columnas & grossas orbiculariter æqualiter distantes à sepulchro ad XIII. passus, ut credo. Et hæ columnæ sustentant turrem latam & altam, quæ eminet supra sepulchrum quasi caminus, in cujus acumine est tantum fenestra satis lata, quæ dat lucem non modo ad sepulchrum Christi, sed toti Ecclesiæ, nec alibi est alia fenestra in Ecclesia illa, pluvia tamen vehementer in hyeme vadit per illam fenestram in sepulchrum Christi. Retro autem illas columnas prædictas sunt habitacula diversarum nationum Christianorum usque ad parietem.



Digitized by Google

# ACTUS

SIVE

# PROCESSUS

## CANONIZATIONIS

# B. NOTKERI,

Permissu & Auctoritate Sanctissimi DOMINI

## LEONIS PAPÆ X.

*A Notariis juratis publica fide conscriptus.*



Digitized by Google

# JACOBI BASNAGII DE NOTKERO OBSERVATIO.

Sæc. XVI. Anno 1514.

DE *Notkero* plura diximus ſupra ad an. 895. quo ejus opera recenſuimus, deinde ejus vita ab Eckerhardo ſcripta legitur ad an. 1198. Obſervat *Notkerum* nulla dum in vivis eſſet patraſſe miracula, in eoque angelicis ſpiritibus comparatur; ſed poſtea multa ad ejus tumultum facta ſunt, quorum tamen nulla refert Hiſtoricus fabulis nimium quantum addictus. Idem obſervat *Innocentium* III. conqueſtum eſſe, quod dies feſtus in honorem Notketi non celebraretur. Eumque c. 18. prædixiſſe, *Sangallenſes vel Abbates vel Monachos infelices fore, donec dies feſtivus ſancti hominis celebraretur.* Mirandum igitur Notkerum nec ab Innocentio nec ab aliis ad Sæc. decimum ſextum fuiſſe in album ſanctorum depoſitum. Mirare tamen magis, quod hic refertur ab Othmaro Blum, nullum Akbatem Sangallenſem debuiſſe uti integra valetudine, donec Canoniſaretur Notkerus.

---

*Reverendiſſimi in Chriſto Patris ac Domini, Domini* Hugonis *divina providentia Epiſcopi Conſtantienſis, ſubdelegatio & commiſſio, Domino Johanni Zwick in decretis Licentiato Canonico & cuſtodi Eccleſiæ Conſtantienſis, una cum ſuo publico Notario cæteriſque Notariis, ut diligentiam adhibeant, omneſque citent ſub excommunicatione majoris latæ ſententiæ, ut omnia & ſingula, quæ de ſancto Notkero Sanctitatis teſtimonia & ſigna, ſciant, dent, & publicent: deinde per Notarios annotata & inſcripta.*

HUGO EPISCOPUS CONSTANTIENSIS manu propria ſubſcripſit.

HUGO Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Conſtantienſis, venerabili nobis in *Chriſto* ſincere dilecto Domino Joanni Zwick in decretis Licentiato Canonico & Cuſtodi Eccleſiæ noſtræ Conſtantienſis, Conſiliarioque noſtro fideli, ſalutem in Domino, & in commiſſis diligentiam adhibere fidelem. Literas ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, Domini Julii felicis recordationis Papæ ſecundi, in forma Brevis ſub annulo piſcatoris clauſas emanatas, & nobis pro parte venerabilium & religioſorum nobis in Chriſto ſincere dilectorum Franciſci Abbatis & Conventus Monaſterii ſancti Galli, ordinis ſancti Benedicti noſtræ diœceſis principalium & in eiſdem litteris principaliter nominatorum obſignatas, ea qua decuit reverentia recepiſſe, aperuiſſe & legiſſe noveris hujuſmodi ſub tenore.

Venera-

Digitized by Google

Sæc. XVI. Anno 1514.

Venerabili Fratri Epiſcopo Conſtantienſi, Julius Papa ſecundus. Venerabilis Frater, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem!

EXponi nobis nuper fecerunt, dilecti filii, Franciſcus Abbas & Conventus Monaſterii ſancti Galli ordinis ſancti Benedicti, veſtræ diœceſis, quod cum corpus beati Notkeri olim Monachi dicti Monaſterii, in Capella ſanctorum Petri & Pauli ſita infra ſepta ejuſdem Monaſterii, debito cum honore conſervetur: Qui adhuc catalogo ſanctorum annotatus & canonizatus non fuit, & multis claret miraculis, & frequens fidelium concurſus habetur, cum ejus interceſſione plures ex dictis fidelibus ſentiant, & cognoſcant ſuas petitiones apud Dominum exaudiri: Summopere cupiunt eis & quibuslibet aliis perſonis, & una die cujuslibet anni per eos eligenda, vel die quo dictus Notkerus ab hoc ſæculo migravit, feſtum Confeſſoris minoris ac Miſſam & Officium ejuſdem beati Notkeri à primis veſperis uſque ad ſecundas veſperas ejuſdem diei in dicta Capella ac ejuſdem Monaſterii, nec non aliis Eccleſiis & Capellis dicto Monaſterio ſubjectis & ſolemniter cujusvis licentia minime requiſita, licentiam concedi. Quare pro parte Abbatis & Conventus prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in præmiſſis oportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque hujuſmodi ſupplicationi inclinati, de præmiſſis certam notitiam non habentes, fraternitati tuæ, de qua in Domino præcipuam fiduciam obtinemus, per præſentes committimus & mandamus, ut in præmiſſis, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, facias, ordines, atque decernas, prout videbitur tibi faciendum: Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus tamen, quod ex his quæ circa præmiſſa feceris, decreveris atque ordinaveris; dictus Notkerus propterea canonizatus aut alias approbatus non cenſeatur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo piſcatoris, die 20. Decemb. 1512. pontificatus noſtri anno 10. *Balthaſar Tuerdus.*

Poſt quarum quidem literarum præinſertarum præſentationem, receptionem, aperturam, & diligentem inſpectionem nobis & per nos, uti præmittitur, factas, fuimus pro parte dicti domini Abbatis & Conventus principalium, & in litteris præinſertis, ut præfertur principaliter nominatorum, quatenus ad executionem dictarum litterarum, & contentorum in eiſdem, juxta earundem vim, formam, continentiam & tenorem procedere dignaremur, debita cum inſtantia requiſiti. Nos itaque de præmiſſis certam notitiam non habentes, & nihilominus ſuperioris mandata & præſertim Apoſtolica reverentia exequi cupientes ut tenemur: Tibi, de cujus fidelitate & circumſpectione, in Domino præcipuam ſpem obtinemus, præſentibus auctoritate Apoſtolica nobis commiſſa, & qua fungimur, committimus & mandamus, quatenus nedum in dicto Monaſterio, ſed & in aliis parochialibus Eccleſiis dicti oppidi S. Galli publicum proponi facias edictum, admonendo & requirendo auctoritate Apoſtolica prædicta, ac ſi tibi viſum fuerit, ſub excommunicationis pœna latæ ſententiæ: Omnes & ſingulos utriuſque ſexus homines, quibus de vita vel miraculis beati Notkeri olim Monachi dicti Monaſterii vel ex certa ſcientia, vel veridico relatu ſeniorum, ſeu authenticis ſcripturis conſtiterit, quatenus coram te in dicto Monaſterio ſancti Galli, & illic in ſtuba, Auff der Hell/ vulgata, propria in perſona compareant, agnitam de præmiſſis depoſituri veritatem. Quos ſiquidem ſic comparentes, coaſſumpto diſcreto nobis in Chriſto dilecto Leonhardo Altweger noſtræ ac in officio Vicariatus curiæ noſtræ Conſtantienſis Notario & Scriba jurato, de veritate dicenda in forma juris, juratos ſolenniter recipias, & ſuper narratis in litteris præinſertis diligenter examines eoſdem quærendo de veritate narratorum in eiſdem litteris, & de vita ac miraculis beati Notkeri, an pro nomine Chriſti labores ſuſtinuit, de humilitate ejuſdem, an in vita perſequentes paſſus ſuerit, & de cauſa perſecutionis. Item de miraculis per eum in vita & poſt mortem factis, & quæ, ſeu qualia fecerit miracula, & quomodo evenerint, an ex vi verborum vel merito iſtius ſancti viri, an illa miracula tendant in corroborationem fidei, & quæ vel qualis ſit de his fama viciniæ, & de aliis circumſtantiis. Et dicta, & depoſitiones teſtium hujuſmodi per dictum Notarium in ſcriptis fideliter redactas, & ſigillo tuo ab extra clauſas nobis quantocius remittas. Teſtes autem qui tibi nominati fuerint, ſi ſe gratia, odio amore, timore, prece, pretio, aut favore ſubtraxerint, vice & auctoritate noſtra, imo verius Apoſtolica, Eccleſiaſticam per cenſuram veritati teſtimonium perhibere compellas, tuam in præmiſſis conſcientiam oneramus. Datum in aula noſtra Conſtantienſi ſub officii Vicariatus curiæ noſtræ Conſtantienſis appreſſione, Anno Domini milleſimo quingenteſimo tredecimo, menſis Aprilis, die prima, indictione prima.

*Leonhardus Altweger Notarius ſubſcripſit.*



Digitized by Google

Sæc. XVI. Anno 1514.

# IN BEATI NOTKERI VITAM,

# ORATIO.

INstituenti mihi apud dominationes vestras Orationem facere, posteaquam diu multumque tacitus mecum deliberavi, quam allaturus essem materiam, quæ ad pietatem animos vestros efficacius provocaret; à nonnullis venerabilibus hujus Conventus viris fuit tandem persuasum: Quatenus de beati Notkeri vita & conversatione, altissimi dono perorarem, pro cujus defensione & honore in hanc sanctam congregationem conveniistis. Sanctum & salubre est, de tam eximio viro & sancta & religiosa loqui; sed docto & erudito (qualem me nescio,) quippe cum ingenio sim pauper, merito nudus, sermone impolitus: quare cogitanti mihi de tanti patris occasu tam lugubri & dulcissima in suos quasi paterna amicitia, flere magis libet quam aliquid aliud loqui: Qui cum dilexisset suos qui erant in hoc mundo, non destitit, sed in finem dilexit eosdem. Ad cujus transitum Hesperus de cœlo cecidisse visus est. Cum tam magnificus è carnis migravit ergastulo, quippe quo mundus non erat dignus. Tanta enim erat ei innata quædam humanitas, clementia, tum comitas, quæ me indignissimum homuncionem amare, & amorem lucubratione solemni cogit aperire. Qui cum esset magnorum parentum filius, spretis mundialibus pompis, ad divi Galli recluforium secessit, ubi mundo renuncians Monachum sese professus est. In quo mirabiliter excrescens, multis clarus virtutibus insignis atque coruscus refulsit. Nam de Carolorum genere, & sanguine, & antiquorum Saxonum, de quo illo in tempore Ottones Imperatores orti sunt, erat prosapia. Vir quidem corpore, sed non animo gracilis. In divinis erectus, voce, non spiritu balbulus. In adversis patiens, ad omnia mitis. In divinis scripturis eruditissimus. In sæcularium quoque litterarum disciplinis omnium sui temporis facile doctissimus, Philosophus, Poeta, Musicus, Astronomus, Theologus celeberrimus, disciplinarum exactor acerrimus, ad repentina & inopinata timidulus, præter infestantes dæmones, quibus quidem se audenter opponere solebat. In dictando, legendo, orando celeberrimus. Sophiæ doctrina famosissimus meritorumque sanctitate beatissimus. Et ut in brevi omnes sanctitatis ejus complectar dotes, vas erat Spiritus sancti, quo suo tempore abundantius nullum. Hunc quamquam magnum ediderit carnis generositas: longe tamen clariorem ac magis inclytum Spiritus efficit generositas. Quæ autem carnis sunt relinquentes, ad ea quæ sunt Spiritus provehamur. Is venerabilis pater adhuc in tenera ætate constitutus, fortassis meditandi & colligendi gratia, sese in solitudinem recepit sui, ubi invenit quietem magnam & conscientiam bonam. Studuit namque à pueritia sua gratiam sibi datam de facili non amittere. Omni custodia muniens cor suum, abstinentiæ, vigiliis, orationi & patientiæ operam dans, omni vero impetu conatus est sternere carnem, superare dæmones, & invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt visibilia intellecta conspicere. Sacros etiam ordines quos adhuc puer ipse susceperat, ita beatis moribus ornabat, ut si ætatis teneritas non repugnasset, altioribus quibusque sacramentis coaptari potuisset. Cumque puerilem ætatem cum corrivulis, & earundem virtutum suarum æmulis transiret: ita se eisdem in omni familiaritate & morum honestate conjunxerat, ut in eis laudes sine invidia & pares amicos facile invenias. Ea autem quæ vitiosa juvenum & lubrica ætas exposcit, ut est discurrere, circuire, vagari, lascivire, superbire, ambire, voluptatibus uti, stulta consortia, inutilia loqui, atque alia circa quæ juvenes afficiuntur: ita prorsus detestatus est, ut extra portas Monasterii nonnisi obedientia coactus pedem movisset. Et cum firma religio eum ad id compulisset, quasi fortius pugnaturus, antequam egrederetur signo crucis se muniens, veniens circa singula altaria sanctorum sibi postulabat præsidia, provolutus etiam fratrum religiosorum pedibus, ne aliqua sorde vel tabe inficeretur, deprecatus est, ut Dominum orarent. Cætera quæque parvipendit, ista nunquam neglexit. Mulierum quoque consortia quasi certos tentatoris laqueos fugit, & ab ipsarum forma, quavis etiam consanguinitatis catena conjunctarum oculos demovebat, dicens: *Averte oculos meos ne videant vanitatem.* Castitatis videlicet, & cordis munditiæ amator erat eximius, ut agni vestigia immaculatus sequi potuisset, nunquam præstigiis aliquarum fœminarum instinctu diaboli imaginationi consensit, ut ullo fornicationis genere se pollueret, sed sub tali cautela mentem suam custodiebat, ut nec quidem cogitaret de virgine, sermones blesos, risui aptos, verba turpia, scurrilia, æterna clausura in omnibus locis damnabat, & ad talia eloquia, nec ipse os nec alios aperire permittebat. Fuit etiam

in

Digitized by Google

in omni manſuetudine devotiſſimus & ad ſerviendum promptiſſimus. Cellæ infirmorum frequentius intereſſe, quam cum ſanis converſari ſtuduit. Quos bene conſolatus, ne ipſam infirmitatem ſuam inaniter, ſed ad ſuorum abſolutionem criminum proveniſſe ſperarent, admonuit. Sordes & fœteros adeò familiariter & delectabiliter paſſus eſt, ut non quod fœtoris, ſed miri odoris fragrantiam eum ſenſiſſe putares. Erat enim omni vilitate & extremitate contentus, & ad omnia quæ ſibi adjungebantur, velut operarium malum & indignum ſe judicabat. Denique omnibus ſe inferiorem & viliorem non tantum lingua ſua pronunciabat, verum intimo cordis credebat affectu: nunquam vacabat otio. Sed quod ſanctorum eſt, in quiete cordis & lenitate ſpiritus ambulabat. Nunquam ſine opere, ſine meditatione aut exercitio virtutis præteribat ei tempus, unde à multis dorſiloquia, & detractiones, ut vitioſe in Conventibus ſolet fieri, patiebatur; ſed quia mitiſſimus hominum erat, in ſe ipſo expers quid injuriæ eſſent, habiliſque ad contumelias, rarius ab eis lædebatur, probatus etiam in duris & contrariis, & quibuslibet irrogatis injuriis, tacita conſcientia patientiam amplectebatur, non laceſſebat, non diffidebat, ſed confortabatur cor ejus in Domino; ductu ſiquidem virtutis omnia hujus ſæculi blandimenta ejus conſpectui offerebantur amara, ejuſdem enim virtutis annifu, à voluptate tanquam à flagitio, avocabatur, inhærendoque veſtigiis Chriſti, inconcuſſa mente, ſaluberrima docebat. Neque ullis aut laboribus aut periculis parcebat, & non modo non ullas intolerabiles ærumnas, ſed nec mortem pro Chriſto detrectabat. Iis vero diſciplinis ſolerter operam dabat, in quibus diſcebat ſapere nihil abjectum, nihil humile, nihil non admirandum. Atque ita ingenti, invictoque animo, ingenio vero ſplendidiſſimo nihil cogitabat, nil agebat & loquebatur, quod erat excelſum aut vulgare nimis, quod ut commodius aſſequeretur, eorum præſentia, & familiaritate delectabatur, qui vitam ejus poſſent meliorem reddere & oſtendere. Is vir Dei aliis quam diligentiſſime commentatus, plus maluit ſequi rationem quam corporis laſciviam. Quo factum eſt, ut ſicut vivus cunctis celebris, mortuus quoque ab univerſa gentilitate fratrum divinos honores meruerit: Tanta enim dona, ne dum in viro iſto, ſed in cunctis fratribus ſancti Galli videre erat, ut ne dicam illas me, ſed neque Pythagoram de Samo, ægrè ſciam, has eloqui poſſe. Alius enim alio humilior & patientior decertabat inveniri, nec zelos amarus, nec invidiæ livor inter eos dominabatur. Sed charitas principaliter & juſtitia regnabat. Et ſi charitas mater eſt virtutum, & concordia filia ejus, & ſimplicitas ſancta earum pediſſequa: Illic ſine dubio domicilium habebat. Quæ & ſi pro tempore aliquanto, in aliis locis commorata fuerit, & particulatim ſe ibi oſtenderit, tamen hic ſemper cum filia tota conſiſtebat. Ab his videlicet uberibus charitatis beatus Notkerus ſuxit benignitatem, obedientiam, largitatem, modeſtiam & cæteras item animi virtutes, eo quo tam *Deo* quàm hominibus digniſſimus omnipotentique *Deo* per omnia chariſſimus, ceu aureum candelabrum lucet in domo, ſic ille refulſit in templo Domini. Ipſe eſt qui de poſſeſſore ſuo primus omnium nectarium illud modulamen eructabat, totique mundo ad ſalutem propinabat, ſequentiam dico: Sancti Spiritus aſſit nobis gratia, &c. Ipſe eſt qui victoriam æterni Regis per martyrium crucis ſub triumpho hujus cantici deprompſit, dicens: Cum Rex gloriæ *Chriſtus* &c. Ipſe eſt qui malignum diabolum ſuadentem ſibi aliqua, cum ipſis ſuaſionibus ſuis à conſpectu cordis ſui redegit in nihilum, & parvulos cogitatus ſuos alliſit ad Chriſtum. Ipſe eſt cujus ſequentias & hymnos Nicolaus Papa confirmavit, & in officio Miſſæ publicæ cantari inſtituit. Quare Udalricus hujus nominis quintus (a) Abbas Monaſterii ſancti Galli in legatione Friderici III. Regis Romanorum, coram Innocentio III. cum in præſentia Papæ Miſſa de Spiritu S. celebraretur, & illa ſequentia Sancti Spiritus &c. cantaretur, requiſivit eundem Abbatem: Quis eſt ille Notkerus tuus? Cui ille: Simplex cœnobita Conventus ſancti Galli erat, ſed beatus. Ad quem Papa: Agis ne feſtivitatem ejus? Et ille: non (inquit) tantum agitur de eo ſicut pro alio defuncto fratre. Et Papa: O infeliciſſimi, obnoxii tanti ſceleris, quod hujus viri, qui pleniſſimus erat Spiritu ſancto, feſtivitatis diem non agitis! infelices eritis. Ipſe eſt qui ſancta & admirabilia opera de laudibus ſanctorum ſine cujuſpiam imitatione conſcripſit: teſtimonium præbent illi ornatiſſima, vetuſtiſſima, in diverſis locis epigrammata, quæ apud ſanctum Gallum in veteri bibliotheca, in Moguntia, Cœnobiiſque aliis quam plurimis Rheno finitimis, ego ipſe cum ſumma jocunditate vidi & lectitavi. Itaque quocunque cogitatione & animo me convertam: Invenio hunc virum in quacunque facultate non mediocrem, ſed prope maximarum artium. Et ſi forte res ſanctas & utiles humili ſtylo ſcripſit, an ideo floccipendendus ſit? abſit? non ſunt abjiciendi veteres etiam Juriſconſulti, non Theologi, quia res ſanctas & honeſtas ſolidiſſimaſque ſententias non verborum ſucco & ventoſitate, ſed quieto genere dicendi & mediocri Latinitate ſparſerunt. An rejiciendus eſt Notkerus, qui cupiditate diſcendi adeo flagrans erat, quod nullum diſciplinarum genus ferme ſibi incognitum pati voluit? An rejiciendus eſt qui gregem fratrum

(a) Eckerardus eum *Sixtum* hujus nominis Abbatem apellat in vita Notkeri. cap. 18. BASN.

Digitized by Google

Sæc. XVI. Anno 1514.

fratrum (vitiorum contagiones penitus abdicatas) in viridia locabat paſcua gratiarum? An non eſt cenſendus doctus, niſi qui more Tulliano elegantiſſime ſcribit? An univerſi qui lenas, lubricas, inutiles & obſcœnas ſententias phalerato ſtylo, laſciva verborum licentia compoſitione exornare ſtudent, doctiſſimi ſunt judicandi? Falſum eſt utrumque: Quamquam is perfectior eſt, qui profundis ac gravibus ſententiis melliti ſermonis dulcedinem intermiſcet. Sed non poſſumus omnes eſſe Scipiones, non omnes Neſtori ſimiles, ex cujus (licet vetuli & decrepiti) lingua lacte dulcior fluebat oratio. Quare ad magnificentiam titulorum hujus beati viri, lingua ejus rutilabat argenteis eloquii margaritis. Quæ decoctum mentis aurum forinſecus evocabat in verbi fortitudine. Corda mollire ſaxea, & in vias planas aſpera novit commutare. Mitto nunc ejus patientiam, fidem, ſpem, charitatem, tranſiret prius dies ſi cuncta vellem perſtringere. Cum autem vir Dei, diem vocationis ſuæ ſenſiſſet adveniſſe, convocatis fratribus coram eis munitus eſt viatico ſacro, videlicet myſteriis corporis & ſanguinis *Chriſti*, atque unctione divini liquaminis illinitus, valedicens omnibus, benedixit eis, commendans eos *Deo* & ſanctis patronis Gallo & Othmaro. Seque orationibus eorum recommendans, multis clarus virtutibus virtutumque odoribus redimitus, in ſenecta bona, plenus Spiritu ſancto, beato fine deficiens, ſanctum tradidit ſpiritum. Non æſtimo dubitandum, de tam beati viri anima tot pigmentis laborum ſuorum inſignita, totiens flamine ſancto ignita, qui Angelorum jubilos docuit Eccleſiam Dei, quin Angelicis manibus evecta ſit ad perennia regna, inter catervas Monachorum, ubi faciem Domini contemplatur ſemper in gloria. Locus autem ſepulturæ hominis *Dei* ab incolis & advenis terræ plurimum frequentatur, ubi quanti meriti apud Deum ſit, miraculorum gloria ejus teſtatur. Plerique etiam nonnullis preſſurarum calamitatibus quaſſati, liberationem & abſolutionem corporalem circa memoriam ejus ſe aſſecutos cum lachrymis profitentur, ex quibus hic multa ſubjecta.

## DIXI.

*Hugo* Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia Epiſcopus Conſtantienſis, Commiſſarius & executor unicus ad infra ſcripta, auctoritate Apoſtolica, ſpecialiter deputatus, univerſis & ſingulis Chriſti fidelibus præſentibus & poſteris, notitiam ſubſcriptorum cum ſalute & ſincera charitate. Litteras Apoſtolicas felicis recordationis Domini noſtri Julii divina providentia Papæ ſecundi, in forma Brevis emanatas, & nobis pro parte reverendi & religioſorum Domini Franciſci Abbatis & Conventus Monaſterii ſancti Galli ordinis ſancti Benedicti noſtræ diœceſis, annulo quidem piſcatoris ſigillatas & clauſas ſanaſque integras & illæſas, ac omni prorſus vitio & ſuſpicione carentes obſignatas: Nos qua decuit reverentia recepiſſe & legiſſe noveritis, hujuſmodi ſub tenore:

### Julius Papa Secundus Venerabili Fratri Epiſcopo Conſtantienſi. Venerabilis frater, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem!

EXponi nobis nuper fecerunt, dilecti filii, Franciſcus Abbas & Conventus Monaſterii ſancti Galli tuæ diœceſis. Quod cum corpus beati Notkeri olim Monachi dicti Monaſterii, in Capella ſanctorum Petri & Pauli infra ſepta ejuſdem Monaſterii, debito cum honore conſervetur: Qui adhuc catalogo ſanctorum annotatus & canonizatus non fuit, & multis claret miraculis, & frequens fidelium concurſus habetur, cum ejus interceſſione plures ex dictis fidelibus ſentiant, & cognoſcant ſuas petitiones apud Dominum exaudiri: Summopere cupiunt eis & quibuslibet aliis perſonis, ut una die cujuslibet anni per eos eligenda, vel die quo dictus Notkerus ab hoc ſæculo migravit, feſtum Confeſſoris minoris ac Miſſam & Officium ejuſdem beati Notkeri à primis veſperis uſque ad ſecundas veſperas ejuſdem diei in dicta Capella ac ejuſdem Monaſterii, nec non aliis Eccleſiis & Capellis dicto Monaſterio ſubjectis, & ſolenniter celebrandi cujuſvis licentia nullatenus requiſita, licentiam concedi. Quare pro parte Abbatis & Conventus prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in præmiſſis oportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque hujuſmodi ſupplicationi inclinati, de præmiſſis certam notitiam non habentes, fraternitati tuæ, de qua in Domino præcipuam fiduciam obtinemus, per præſentes committimus & mandamus, ut in præmiſſis, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, facias, ordines, atque decernas, prout videbitur faciendum: Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus tamen, quod ex his quæ circa præmiſſa feceris, decreveris atque ordinaveris: dictus Notkerus propterea canonizatus aut alias approbatus non cenſeatur. Datum Romæ apud ſanctum

Digitized by Google

ſanctum Petrum ſub annulo piſcatoris, die 20. Decemb. 1512. Pontificatus noſtri anno 10. SÆC. XVI.

Poſt quarum quidem litterarum præinſertarum præſentationem, receptionem, & diligentem inſpectionem nobis & per nos uti præmittitur factas, fuimus pro parte domini Abbatis & Conventus prædictorum in litteris præinſertis, ut præfertur nominatorum, quatenus ad executionem earundem litterarum, licentiæ conceſſionem, & alia nobis commiſſa procedere dignaremur, debitè requiſiti. Nos itaque cupientes ſuperiorum noſtrorum & maxime Apoſtolicis mandatis reverenter obedire ut tenemur, de veritate inibi expoſitorum aliiſque facti hujuſmodi qualitatibus & circumſtantiis inquiſivimus diligenter. Et quia hujuſmodi diligenti inquiſitione auctoritate Apoſtolica per nos præhabita, centum quinquaginta quatuor utriuſque ſexus fide dignorum teſtium: nec non duorum vetuſtorum librorum evidenti teſtimonio de vitæ ſanctimonia, & quam plurimis miraculis, quæ Deus omnipotens meritis ac precibus beati Notkeri, olim dum vixit Monachi Monaſterii ſancti Galli ordinis ſancti Benedicti, cujus corpus in ſanctorum Petri & Pauli principum Apoſtolorum Capella, infra ſepta ejuſdem Monaſterii ſita, reconditum honorifice conſervatur, operatus eſt, & indies operatur, & quod multi Chriſti fideles ad eandem Capellam fervore devotionis, quam erga ipſum beatum Notkerum gerunt, accenſi, ſedulo confluere, ac vota ſua altiſſimo perſolvere conſueverunt, ac petitiones ſuas exaudiri, & adverſis infirmitatibus, periculis & neceſſitatibus ſe curari, eripi & ſublevari ſenſerunt & cognoverunt: Et quod propterea idem beatus Notkerus à longo tempore citra in magna veneratione haberi conſuevit, prout habetur, nobis legitime conſtitit & conſtat. Idcirco attendentes petitionem præfatorum Dominorum Abbatum & Conventus fore juſtam & rationi conſonam: Ac volentes mandatum Apoſtolicum nobis in hac parte directum reverenter exequi, ut tenemur, auctoritate Apoſtolica ſupradicta, qua fungimur in hac parte, præfatis Dominis moderno & pro tempore Abbati & Conventui, & quibuslibet aliis perſonis, ut una die cujuslibet anni per eos eligenda, vel die qua beatus Notkerus præfatus ab hoc ſæculo migravit, feſtum Confeſſoris minoris ac Miſſam & officium ejuſdem beati Notkeri à primis veſperis uſque ad ſecundas veſperas ejuſdem diei, in dicta Capella ſanctorum Petri & Pauli, ac ejuſdem Monaſterii, nec non aliis Eccleſiis & Capellis eidem Monaſterio ſubjectis, cujuſvis licentia minimè requiſita, ſolenniter celebrare & facere celebrari, poſſint & licite valeant, licentiam & facultatem liberam concedendam decernimus, prout auctoritate prædicta concedimus, per præſentes, non obſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem prout præfatus Julius Papa ſecundis in litteris ſuis præinſertis voluit, quod idem beatus Notkerus propterea canonizatus aut alias approbatus non cenſeatur. In quorum fidem & teſtimonium præmiſſorum, litteras præſentes inde fieri & ſigilli officii noſtri pontificalis juſſimus & fecimus appenſione communiri. Datum Conſtantiæ provinciæ Maguntinæ, in aula noſtra, anno Domini milleſimo quingenteſimo tredecimo, die quarta menſis Octobris, Indictione prima, Pontificatus vero ſanctiſſimi in Chriſto Patris ac Domini noſtri Leonis divina providentia Papæ decimi, anno primo, &c. ANNO 1514.

Hugo *Epiſcopus Conſtantienſis manu propria ſubſcripſit.*

*Leonhardus Altweger Notarius ſubſcripſit.*

SAncti Spiritus aſſit nobis gratia, *Amen.* Cum inter claras ſapientiæ laudes Principis puriore luce tanquam aliquod ſidus irradiet, quòd amore fidei ac Chriſtianæ religionis fervore ſanctæque Romanæ ſedis reverentia veneratur, & ſicuti ſacratiſſimæ leges teſtantur, converſationis Monachilis vita ſic eſt honeſta, ſic commendat hominem, ut omnem quidem humanam ejus maculam detergat: purum autem declaret ac rationabili natura decentem, & plurima ſecundum mentem operantem, & humanis cogitationibus celſiorem. Si quis igitur futurus eſt Monachus, eſſe perfectus indiget, & divinorum eruditione eloquiorum conſervationis integritate, ut tanta dignus ſit mutatione. Hæc & ſimilia reverendiſſimus in Chriſto pater & Princeps Dominus Franciſcus *Dei* & Apoſtolicæ ſedis gratia Archimandrita & Præſul Monaſterii ſancti Galli, ſanctæ ſedi Apoſtolicæ immediatè ſubjecti, de beato Notkero ad aures ſanctiſſimi Domini noſtri Domini Julii divina providentia Papæ ſecundi, deduxit: Qui quidem præfatus Dominus noſter Julius, ut ſupremus Princeps, & ut verus Vicarius Domini & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, nutu divino motus tanquam piiſſimus & vigilans paſtor erga gregem divinitus ſibi commiſſum, perſpicaci animo ac mentis ſuæ acumine conſiderans, oculiſque ſuæ pietatis intuens benignus in beatum Notkerum, ac harum conditionum olim Monachum cœnobii divi Galli, advertens extitiſſe, & talem in-



Digitized by Google

SÆC. XVI. ANNO 1514.

venit, ut bene de eo posſit, excelsior omnibus factus, ac talentum sibi creditum duplicatum, fideliter omnipotenti restituit. Nihilominus tamen juxta Canonicas sanctiones patrum & Apostolicam doctrinam, videlicet nemini cito manum imponas, vitæ suæ sanctimoniam & doctrinam, discutiendam ac debito ordine & maturo processu inquirendam, Reverendissimo in Christo patri & Domino, Domino Hugoni, Dei & Apostolicæ sedis gratia Episcopo Constantiensi tanquam suæ sanctitatis in hac parte delegato commisit, prout in suæ sanctitatis Apostolicis litteris, in forma Brevis, sub annulo piscatoris plene continetur. Qui quidem delegatus mentem sanctitatis præfati Domini nostri perpendens, hujusmodi mandatum venerabiliter ac legaliter expedire cupiens: Atque eundem Notkerum doctrina & miraculis plurimis coruscantem, dictis & attestationibus centum & quadraginta quatuor testium utriusque sexus invenit, prout processus registri desuper facti & manu discreti viri Magistri Leonhardi Altweger Notarii publici & hujusmodi causæ Scribæ subscripti clarius edocet, ita ut etiam non petita venia in persona Notkeri ritè dicere posſimus. Domine probasti me & cognovisti me: Idcirco dignus inventus est. Quin ita quoque Reverendissimus Dominus delegatus Apostolicus decrevit, ob sanctimoniam vitæ & doctrinam præfati Notkeri eundem fore & debere debito modo venerari: Ita ut aliquo statuto die anni per præfatum Reverendissimum Principem & Abbatem eligendo, in Ecclesia præfati Monasterii, Capellis & Ecclesiis sibi unitis & subjectis, tanquam de simplici Confessore legi & cantari posſit, prout in suæ reverendissimæ paternitatis processu, latius continetur. Sed cum nunc ad actum rite procedendum sit, divino numine invocato, incipiamus tali exordio, videlicet:

*Nunc ad Actum procedamus, sub Tenore hujus Instrumenti, coram Notariis & testibus peractum.*

IN nomine Domini nostri *Jesu Christi* Amen. Anno à nativitate ejusdem milleſimo quingenteſimo quartodecimo, Indictione secunda, die Sabbathi, sexta mensis Maij, cujus sequens Dominica in Dei Ecclesia erat Dominica Jubilate, hora vespertina vel quasi, Pontificatus sanctissimi in Christo patris & Domini nostri Domini Leonis divina providentia Papæ decimi anno secundo, in nostrorum infrascriptorum trium Notariorum publicorum ac testium præsentia. Reverendissimus in Christo pater & Dominus Dominus Franciscus, Dei & Apostolicæ sedis gratia Abbas præfati Monasterii sancti Galli, sedi Apostolicæ immediatè subjecti, *Constantiensis diœceſis*: In animo suo revolvens dictum sacræ fore paginæ: *Os justi meditabitur sapientiam*: talia præmeditatus, id, tam pium, tam sanctum, tam præclarum, & ut singula brevibus præstringantur, toti patriæ tam necessarium patronum & Advocatum apud cunctipotentem extollere, non fore negligendum seu floccifaciendum, juxta id: Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli, ne forte impleantur extranei viribus tuis, & labores tui sint in domo aliena. Volens versare utique juxta Apostolicam admiſſionem fimbrias gloriæ laudis, & sanctimoniæ olim venerabilis ac beati Notkeri cœnobitæ præfati Monasterii sancti Galli dilatare atque extollere, juxta illud sacri eloquii dictum: Vivent mortui tui Domine, & interfecti mei resurgent: Cum magna solennitate ac pontificalium celebritate, concomitante toto suæ reverendissimæ paternitatis Conventu ac toto Clero, in & extra oppidum sancti Galli cum magna caterva populi utriusque sexus, adstantibus & ministrantibus suæ reverendissimæ paternitati religiosis & venerabilibus viris Dominis Alberto Miles, Ludovico Blarer, cœnobitis ibidem, Heinrico Buman, ac Lazaro Talman, Capellanis officii gloriosæ virginis & genitricis Dei Mariæ: Cum processione ac solenni cantu Ecclesiam præfati Monasterii egressus, & ad Capellam beatorum Petri & Pauli: In qua corpus beati Notkeri requieſcit, cum magna devotione se transtulit: Ibique litteras Apostolicas, ad extollendum & glorificandum beatum Notkerum cum earum processu sibi præsentatas venerabiliter suscepit: Cum cantu, responsoriis, antiphonis, versiculis & collectis ad hoc deservientibus, & hujusmodi actum concernentibus, cum conclusione, lætabundus cantus, Te Deum laudamus. His itaque peractis, in vi Apostolicæ admiſſionis diem prædicti Notkeri singulis annis celebrandum ad Dominicam Jubilate instituit: Et desuper per organum honorabilis viri Udalrici Bati Cancellarii præfati Monasterii protestatus est solenniter & expresse, suam reverendissimam paternitatem, cum omni humilitate Apostolicas litteras cum earum processu recepisse, & juxta earum tenorem ad contenta in eis processisse, neque plus minusvè quam in litteris Apostolicis continetur, se velle fecisse aut facere, offerendoque se semper ad Apostolica mandata filium obedientiæ. De quibus omnibus præfatus Cancellarius de mandato prælibati reverendissimi Domini Principis vivæ vocis oraculo sibi facto, instanter Nos tres infrascriptos Notarios requisivit & petiit, super his omnibus suæ reverendissimæ paternitati unum vel

plura

Digitized by Google

plura publicum seu publica instrumentum seu instrumenta fieri & tradi, sicque processionaliter recessum. Et vesperæ inibi solennes de beato Notkero per præfatum reverendissimum Abbatem & chorum decantatæ. Et sequenti die, videlicet Dominica Jubilate mane circa horam nonam ante meridiem festum beati Notkeri juxta prænominatam institutionem cum Missa solenni in pontificalibus suis cum devotione solenniter decantavit, astante toto Clero & populi utriusque sexus multitudine copiosa. Fuerunt autem ex venerabili Conventu Monasterii sancti Galli, in illo actu præsentes reverendi ac devoti Domini: SÆC. XVI. ANNO 1514.

Pater Joannes Sayler Decanus.
Pater Gallus Kopff Subdecanus.
Pater Joannes Trutmann.
Pater Jacobus Schurpff.
Pater Albertus Miles.
Pater Ludovicus Blarer.
Pater Joannes Cûntz.
Pater Cunradus Haller.
Pater Antonius Vogt.
Pater Kilianus Germann/ dictus Köffi.
Pater Jodocus Notkers Egger.
Pater Heinricus Sayler.
Pater Sebastianus Rügger.
Frater Martinus Stör.
Frater Joachim Brander dictus Pfister.
Frater Dionysius Landolt.
Frater Othmarus Wildt.
Frater Laurentius Zapff.
Frater Benedictus Scharzolt.
Frater Joannes Schnäpperli.

Acta sunt hæc Anno, Indictione, diebus, horis, mense & Pontificatu, quibus supra.

Præsentibus ibidem religiosis, devotis ac venerabilibus, validis & providentibus viris Patre Laurentio Schab/ Licentiato in Theologia, Ordinis sancti Benedicti, ex Monasterio Selgenstatt/ Maguntinensis diœcesis, tunc Prædicatore Monasterii ejusdem.
Patre Joanne Fabri, Ordinis Prædicatorum.
Patre Matthia Stelze Ordinis Minorum.
Patre Sigismundo Lang Ordinis B. Augustini.
Dominis, Magistro Hermanno Miles parochialis Ecclesiæ S. Magni in oppido sancti Galli Pastore & Decano Capituli Ruralis in Rorschach.
Domino Nicolao Schnäpperli.
Domino Gallo Knobloch.
Domino Wolffgango Wetter.
Capellanis præfatæ Ecclesiæ sancti Magni.
Dominis Caspare Ransperg Vicario Ecclesiæ S. Laurentii oppidi sancti Galli.
Domino Joanne Weniger Auditore ejusdem Ecclesiæ.
Domino Clemente Hör.
Domino Bartholomæo Wygermann.
Domino Othmaro Lieb.
Domino Udalrico Girtanner Capellanis ejusdem Ecclesiæ sancti Laurentii.
Dominis Heinrico Baumann.
Magistro Joanne de Hub.
Adam Weckerli.
Petro Kayser. Joanne Schub.
Lazaro Talmann.
Joanne Nöll/ Capellanis officii glorioſæ virginis Mariæ in Ecclesia Monasterii sancti Galli.
Dominis Jacobo Forster ad sanctum Georgium.
Joanne Udalrico Rosch ad sanctum Jacobum.
Cunrado Högger.
Jacobo Gebhart ad S. Leonhardum.
Joanne Wettach ad sanctam Mariam Magdalenam in Lynsenbull domus leprosorum.
Matthæo Ab der Rütti ad S. Fidem Capellanis.



Digitized by Google

SÆC. XVI. ANNO 1514.

Cunrado Pachoffen de Turrego Capitaneo Monaſterii ſancti Galli.
Caſpare von Wiler Magiſtro civium præfati oppidi ſancti Galli.
Caſpare Schlumpff antiquo Magiſtro civium.
Jacobo Krum.
Leonardo Sytz.
Joanne von Wiler civibus ibidem.
Michaële Röſch de Rohrſchach Camerario præfati reverendiſſimi Domini Principis & Abbatis.
Michaële im Riedt. Præcone jurato prædicti Monaſterii, & aliis quam plurimis fide dignis utriuſque ſexus hominibus ad hujuſmodi actus vocatis ſpecialiter atque rogatis.

ET ego Chriſtophorus Winckler Rector parochialis Eccleſiæ oppidi Altſtettenſis vallis Rheni Conſtantienſis diœceſis provinciæ Maguntinenſis, ſacra Imperiali auctoritate Notarius, quia hujuſmodi ſolenni proceſſioni litterarum Apoſtolicarum, cum earum proceſſui, præſentationi & exhibitioni & acceptationi, laudis & gloriæ beati Notkeri amplificationi, feſtivitatis ejus inſtitutioni, proteſtationi, divinorum ſucceſſive officiorum celebrationi, pontificaliumque celebrationi, omnibuſque aliis & ſingulis, dum ſic ut præmittitur fierent & agerentur, una cum infra ſcriptis meis in hac parte collegis & legalibus Notariis ac prænominatis teſtibus præſens interfui, eaque omnia & ſingula ſic fieri vidi & audivi: ideo hoc præſens publicum Inſtrumentum manu mea propria ſcriptum exinde confeci, ſubſcripſi, publicavi, & in hanc publicam formam redegi, ſignoque & nomine ſolitis & conſuetis ſignavi, in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum rogatus & requiſitus, &c.

ET ego Wolfgangus Reuter de Imperiali oppido Buchorn laicus, Conſtantienſis diœceſis, auctoritate Apoſtolica Notarius publicus, quia hujuſmodi proceſſioni, &c. ut ſuperius. Omnibuſque & aliis & ſingulis, dum ſic ut præmittitur fierent & agerentur, una cum ſupra & infra ſcriptis meis in hac parte collegis & legalibus Notariis ac prænominatis teſtibus præſens interfui, eaque omnia & ſingula ſic fieri vidi & audivi: ideo hoc præſens publicum Inſtrumentum manu præfati ſupraſcripti Notarii ſcriptum exinde confeci & ſubſcripſi, &c.

ET ego Caſpar Früh de oppido Baden Ergowe Clericus conjugatus, ſacris Apoſtolica & Imperiali auctoritatibus Notarius publicus, quia hujuſmodi ſolenni proceſſioni litterarum Apoſtolicarum cum earum proceſſu, præſentationi & exhibitioni, &c. ut ſuperius.

*Hæc Copia eſt per me ſupraſcriptum Wolffgangum* Reuter *Notarium ab originali Inſtrumento deſcripta, & concordat huic, quod ego proteſtor manu mea propria* 1514. *Et denuo per me Fridolinum* Sicher *Organiſtam uti ipſe reſcripta, Anno* 1526.

*Nunc quomodo Commiſſarius, videlicet reverendiſſimus Pater & Dominus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia, Epiſcopus Conſtantienſis, dummodo venerabilis & circumſpectus vir & Dominus Joannes* Zwick *ob corporalem infirmitatem examini hujuſmodi intendere & vacare non poterat, Leonardo Altweger Notario præſcripto, examen teſtium hujuſmodi in partibus fideliter faciendum committendum duxit & commiſit, & litteras commiſſionis deſuper decernendo hujuſmodi ſub tenore:*

HUgo Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Conſtantienſis, diſcreto nobis ſincere in Chriſto dilecto, Leonardo Altweger noſtro & in officio Vicariatus curiæ noſtræ Conſtantienſis Notario & Scribæ jurato: Salutem in Domino & diligentiſſimam in commiſſis adhibere fidem. Quamquam nos pridem examen & receptionem teſtium ſuper narratis quarundam litterarum Apoſtolicarum in forma Brevis, occaſione beati Notkeri olim Monachi Monaſterii ſancti Galli, Ordinis ſancti Benedicti noſtræ diœceſis emanatarum, producendorum ſive virtute Edicti deſuper emiſſi comparentium venerabilis nobis in Chriſto dilecto Joanni Zwick in decretis Licentiato, Canonico & Cuſtodi Eccleſiæ noſtræ Conſtantienſis & Conſiliario noſtro fideli, per alias noſtras certi tenoris litteras commiſerimus: Tamen quia idem Dominus Cuſtos ob infirmitatem corporalem examini hujuſmodi intendere non poteſt: Nos tibi, de cujus induſtria & fidelitate in Domino ſingularem obtinemus fiduciam, exa-

men

Digitized by Google

men & receptionem teſtium hujuſmodi ſub modo equidem & forma prioris commiſſionis, dicto Domino Cuſtodi factæ, auctoritate Apoſtolica committimus, & te in ejuſdem locum harum ſerie litterarum ſurrogamus. Datum in aula noſtra Conſtantienſi anno Domini milleſimo quingenteſimo tredecimo, die 2. menſis Aprilis, Indictione prima, ſub ſigillo officii Vicariatus dictæ Curiæ noſtræ Conſtantienſis, à tergo præſentium impreſſione. SÆC. XVI. ANNO 1514.

*Ex ſpeciali commiſſione dicti Domini Hugonis Epiſcopi, Cunradus Rainer ſubſcripſit.*

Cujus quidem Commiſſionis præinſertæ vigore Ego præfatus Leonardus Altweger Notarius cauſæ hujuſmodi Edictum publicum juxta continentiam prioris Commiſſionis in oppido ſancti Galli, & quidem in Monaſterio ac ſanctorum Laurentii & Magni parochialibus Eccleſiis præponi feci, & de ejus executione fideli ratione mihi facta: Ego idem Leonardus Altweger teſtes infraſcriptos coram me tempore & loco ſubnotatis, virtute Edicti hujuſmodi comparentes, in forma juris juratos ſolenniter recepi, & juxta mentem & formam dictæ prioris Commiſſionis diligenter examinavi, ut ſequitur deponentes.

## Nunc Teſtium juramentum ſequitur:

*Hæc forma in teſte primo, &c.*

PRovidus Othmarus Bluñ Sub-Burgermeiſter oppidi ſancti Galli, ætatis annorum quadraginta unius. Sibi ut ferat teſtimonium, nil eſt datum, promiſſum vel remiſſum. Nec ex ſua depoſitione ſperat conſequi lucrum, commodum vel emolumentum. Non eſt quid, quomodo, aut qualiter deponere debeat informatus. Sed de metu cenſurarum & virtute Edicti comparet, agnitam ſibi depoſiturus veritatem, odio, amore, timore, favore, prece, pretio & omnia humana gratia penitus poſtpoſitis & ſemotis.

*Sub hac forma omnes & ſinguli teſtes agnitam ſanctitatis* S. Notkeri *veritatem depoſuerunt, & per Notarium examinati, juramento prius præſtito ſunt deſcripti.*

## Primus depoſuit & dixit: OTHMARUS BLUM.

QUod ipſe natus ſit in oppido ſancti Galli, & ab ineunte ætate ſua, à ſuis parentibus & majoribus audiverit: Qualiter ille ſanctus Notkerus, cujus corpus in Eccleſia ſancti Petri ejuſdem oppidi ſancti Galli tumulatum exiſtat, vir fuerit ſanctus & canonizatione ac veneratione digniſſimus: Et quamdiu omitteretur ejus canonizatio, ſemper in centum annis oppidum ſancti Galli ignis voraginem paſſurum ſit, prout audiverit ter abſumptum ſic fuiſſe, ipſe tamen non recordetur. Sicque audiverit, quod eo non canonizato nullus Abbas Monaſterii ſancti Galli bonam valetudinem corporiſque ſanitatem habiturus eſſet, prout ipſe tres recordetur, videlicet Dominos Abbatem Ulricum, Abbatem Gotthardum, & nunc Modernum dominum Abbatem, qui certe omnes poſtquam Abbatialem dignitatem adepti, infirmi fuerint, prout & Modernus Abbas hodierno die ſit infirmus, pallore faciei id teſtante. Et propterea idem ſanctus Notkerus veneratus ſit, quamdiu teſtis recordetur, ut ſanctus & potens in conſpectu Dei omnipotentis, &c.

## Hæc de æſtimatione, qua habebatur à hominibus & incolis.

*Nunc de Miraculis.*

ADvertit etiam idem Othmarus prædictis annis duodecim ſeu quatuordecim elapſis, à quondam Cunrado Lacher de Conſtantia lapicida cive oppidi S. Galli, qualiter ipſe interfuerit, quando ſepulchrum ſancti Notkeri altius elevatum fuerit, & novus lapis deſuper poſitus, & quod ibi inventus fuerit Sarcophagus plumbeus, unde odor ſuaviſſimus exierit, adeò quod ipſe & cæteri de eo mirati ſunt, & ad Monaſterium cucurrerunt illa fratribus nunciantes. Qui letaniam ibi decantaverunt. Hæc ſic ut præfertur à dicto Cunrado viro equidem fide digno audiverit.

Ipſe denique teſtis habuerit filium unius anni, qui epilepſia, vulgariter Kindline laboraverit, ut vero ipſa uxor teſtis cum puerulo cereo votum fecerit ad ſanctum Notkerum,



Digitized by Google

SÆC. XVI. ANNO 1514.

kerum, continuo reconvaluerit. Et ſint inde anni elapſi tredecim aut quatuordecim. Ipſe etiam teſtis circa duodecim annos valde periculoſa laboraverit ægritudine per ſex aut ſeptem ſeptimanas, ubi ipſe beneficio & interceſſione hujus ſancti Notkeri continue curatus fuerit, uxore pro eo votum faciente, aliud non dicit.

*Miraculum aliud.*

*Laurentius* Hochſtitter civis oppidi ſancti Galli annos natus triginta octo, ſibi ut ferat teſtimonium, ut ſupra &c.

Super narratis in litteris Brevis diligenter medio ſuo præſtito juramento examinatus, dicit, quod ipſe ab ineunte ſua ætate beatum Notkerum pro viro ſancto & veneratione digniſſimo ſingularique auxiliatore omnium eum in neceſſitate invocantium haberi audiverit. Unde ipſe ante aut circa quatuordecim annos crus doluerit, & multa foramina habuerit, valde periculoſa, & ut ipſe à nullo curari potuerit, voverit *Deo* & ſancto Notkero, quod ipſe ſingulis diebus Dominicis velit viſitare ſepulchrum ejus, & ibi orare tria Pater noſter, & totidem Ave Maria, cum quartali ceræ, & ſtatim emiſſo voto in ſex diebus reconvaluit. Et audiverit quod nullus Abbatum Monaſterii ſancti Galli ſupradicti ſanitate haberet gaudere, illo ſancto viro non canonizato.

*Miraculum.*

*Gallus* Stucheler de oppido ſancti Galli ætatis annorum ultra triginta, ſibi ut ferat teſtimonium, ut ſupra &c.

Super narratis in litteris Brevis diligenter quod &c. Beatus Notkerus veneratus fuerit, ut ſanctus, audiverit: Unde annis elapſis decem, ipſe in ſiniſtra manu quandam tumefactionem habuerit per quatuordecim dies valde periculoſam & adeo gravem, quod cum eadem operari plane nihil potuit. Sed ut votum fecerit ad beatum Notkerum in tribus diebus reconvaluerit.

Dicit etiam quod ipſe habuerit duorum annorum puerum, qui etiam tumefactionem circa genitalia habuerit tantam quod ruptus credebatur, ſed beneficio & interceſſione beati Notkeri continue reconvaluerit, voto ad eundem beatum Notkerum emiſſo.

*Miraculum.*

Egli Ebinter in ſuburbio ſancti Galli ætatis annorum ultra quinquaginta, ſibi ut teſtimonium ferat, &c.

Super narratis in litteris brevis &c. Quod beatus Notkerus fuerit vir ſanctus, prout & ut ſanctus fuerit veneratus. Ipſe etiam teſtis habuerit uxorem & duas proles, quæ febribus laboraverint vehementer & ipſe pro eis fecerit votum ad ſanctum Notkerum, quo ſoluto ſtatim reconvaluerint, ut credit ex interceſſione beati Notkeri &c.

*Miraculum.*

*Magdalena* Ebinterin uxor Joannis Ebtin de Getzenvell Parochiæ ſancti Laurentii ætatis annorum viginti ſex, nil ſibi ut teſtimonium ferat, ut ſupra &c.

Hinc teſtis ſuper literis Brevis diligenter medio ſuo præſtito ſacramento, dicit quod ipſa audiverit ſemper, quod beatus Notkerus vir ſanctus & veneratione dignus & ſingularis auxiliator omnium invocantium eum in neceſſitatibus ſuis: Unde ipſa adhuc ſoluta & quidem ante vel circa decem annos in crure dextro & tumefactionem & ulcera peſſima habuit, adeo quod plerique dixerunt eam habere plagam ſancti Quirini: Ipſa voverit & promiſerit ſancto Notkero ſe viſitaturam ejus ſepulchrum cum certis orationibus, continue ut votum hujuſmodi ſolverit & antequam domum redierit, reconvaluerit, ut credit, ex invocatione, &c.

*Miraculum.*

Elſa Holderſchwenderin de Schwogen Parochiæ ſancti Laurentii, ætatis annorum viginti ſeptem, nil ſibi, ut ſupra.

De hac ſuper narratis litteris Brevis diligenter. Deponit ſe à majoribus & parentibus ſuis ſemper audiviſſe, quod ſanctus Notkerus, &c. Unde ipſa circa annos ſex aut quinque ſubita & vehementi capitis infirmitate correpta fuerit. Et ut ad ſepulchrum ſancti Notkeri votum fecerit, cum uno luminari cereo unius obuli: Ita quidem quod quamdiu

Digitized by Google

quamdiu idem luminare arderet, tamdiu ipſa nudis & flexis genibus orare vellet. Et ſtatim voto emiſſo cœperit ſe melius habere & reconvaluerit plene meritis & interceſſione, ut credit, dicti Notkeri adjuta. SÆC. XVI. ANNO 1514.

Similiter & matri ſuæ auxiliatus fuerit in brachio quodam dolores habenti, & revera pro viro ſancto habeatur.

*Miraculum.*

ANna Tannerin de Strubenzell Parochiæ ſancti Laurentii, habens annos ſuæ ætatis quinquaginta unum, nil ſibi ut teſtimonium ferat, ut ſupra, &c.

Hæc medio ſuo juramento requiſita dicit, ſe de vita ejus amplius deponere non poſſe, quam quod audiverit à majoribus, quod etiam in vita claruerit: Dici namque audiverit, quod fuerit tempore ſancti Notkeri quidam mercator, qui eidem omnibus in rebus adverſus fuerit, & tandem de equo ceciderit & fregerit crus. Et idem quod poſtquam à nemine curari potuit, beneficio illius ſancti viri priſtinæ reſtitutus fuerit ſanitati.

Ipſa etiam triginta annos fuerit in hoc..... & etiam habuerit puſtulas, & ex eis quaſi contracta fuerit in omnibus membris, & beneficio ac interceſſione ejuſdem ſenſerit, ſe non parum levatam, & ex doloribus & infirmitatibus hujuſmodi liberatam.

*Miraculum.*

ULricus Vogt prope oppidum ſancti Galli reſidens Parochiæ S. Laurentii, ætatis annorum triginta quatuor, ſibi ut teſtimonium ferat nil, ut ſupra, &c.

Hic teſtis medio ſuo juramento ad mentem Commiſſionis examinatus: Dicit, quod ipſe in ſeptimana proxime tranſacta circa genitalia quandam tumefactionem neſcit unde cauſatam habuerit, adeo quod plerique crediderint, & certe ipſemet teſtis, quod ruptus eſſet. Sed ut votum fecerit ad beatam Mariam virginem in Monaſteriis ſancti Galli, ac beatum Notkerum, ſtatim priſtinam adeptus fuerit ſanitatem: Ita quod nihil prorſus ſentiat doloris: Et audiverit eum ſemper fuiſſe & eſſe virum ſanctum, &c.

*Miraculum aliud.*

PAulus Stäbiner Parochiæ S. Laurentii oppidi S. Galli, habens annos ſuæ ætatis 40. ſibi ut teſtimonium ferat, ut ſupra, &c.

Hic teſtis medio ſuo juramento ad mentem Commiſſionis examinatus: Dicit, quod ipſe ab ineunte ætate ſua audiverit ſemper de ſanctitate & miraculis ſancti viri Notkeri: Unde ipſe circa annos decem in gravem inciderit infirmitatem, ita quidem quod tumefactus fuerit circa cor, ſic quod nemo ſibi ſpem vitæ promiſerit. In qua infirmitate uxor teſtis pro ſe teſte votum fecerit ad ſanctum Notkerum, quo voto emiſſo & nondum ſoluto ſtatim teſtis meliorationem ſenſerit, & priſtinam, ut credit ex interceſſione beati Notkeri adeptus ſit ſanitatem: A quo tempore erga eundem ſingularem geſſerit devotionem, crediderit que & hodie credat eum eſſe potentem auxiliatorem.

*Miraculum.*

PEtrus Weyß civis oppidi ſancti Galli, ætatis annorum ſexaginta & circa, nil ſibi ut teſtimonium, ut ſupra, &c.

Deinde teſtis interrogatus juxta mentem Commiſſionis factæ, dicit, ſibi aliter de vita ejuſdem ſancti Notkeri non conſtare, quam quod ipſe ſemel à quodam Conventuali Bernardo Prædicatore Monaſterii ſancti Galli, neſcit ſpecificare tempus, publice in cancellis audiverit de ſancto Notkero, ubi multa dixerit de ejus ſanctitate, & inter alia retulit, qualiter Carolus Romanorum Imperator magnam in eundem Notkerum fidem poſuit, & pleraque de ejus conſilio diſpoſuerit: Unde cum ſemel in oppido S. Galli fuerit, quidam ejuſdem Capellanus forſitan moleſte ferens, quod eundem Notkerum Monachum ſibi præferret, dixerit ſe libenter eundem Notkerum videre velle. Qui cum ſibi oſtenſus fuerit. Et dictum quod oculos ſemper in cœlum intentos haberet. Idem Capellanus volens eum tentare ex ſuperbia quæſiverit ab eodem: Quid modo Deus faceret in cœlo: Ad quæ idem Notkerus reſponderit: Deus modo facit, quod ab æterno fecit, & illo latius, quid tamen faceret, interrogante, reſponderit idem Notkerus: Exaltat humiles & ſuperbos humiliat.

Præterea dicit ipſe teſtis quod in Eccleſia ſancti Petri viderit quandam tabellam: In qua in vulgari Alamannico ſcriptum erat, quod anteactis annis quidam Abbas Monaſterii ſancti Galli ad Romanam curiam equitaverit pro confirmatione. Quem tunc Papa

Digitized by Google

SÆC. XVI. ANNO 1514. Papa interrogaverit de illo ſancto viro, & quomodo diem ejus celebraret. Cui cum idem Abbas reſponderit, quod non aliter celebraret ejus diem quàm alterius Monachi defuncti: Ipſe Papa indignatus contra eum, maledixerit ei: Quod in ejus profeſto jejunium non indiceret, & eis diem non faceret feriari. Hæc teſtis ex eadem tabella plus ſemel legerit: Neſcit tamen an eadem tabella adhuc in dicta Eccleſia pendeat vel ne, aliud non dicit.

*Hæc ex vita beatiſſimi Notkeri cap.* 14. *clarius habes, ſi placuerit inveſtigare de his quæ Imperatoris Caroli Caplano contigere, & de Papa ac Abbate de ejus canonizatione digna, ad invicem colloquentes quoque habebis legenda Cap.* 18.

*Miraculum.*

*Anna* Stäbelerin dm Martis Tobel parochiæ ſancti Laurentii, habens ſuæ ætatis annos triginta unum & circa, uxor legitima Bernhardi Cünzer. Sibi ut teſtimonium ferat nil &c.

Poſtea teſtis medio ſuo præſtito juramento, ad mentem Commiſſionis examinata, dicit quod audiverit ſemper de ejus ſanctitate & miraculis, unde ipſa circa undecim annos puerulum quendam habuerit, cui umbilicus tumefactus fuerit ad magnitudinem ovi aucæ. Sed ut eundem puerulum ad S. Notkerum devoverit, ſenſerit continue meliorationem de die in diem, ita quod tandem plene & omnino convaluerit, & ab eo tempore in eundem S. Notkerum ſingularem ſpem habuerit & devotionis affectum &c.

*Miraculum.*

*Heinricus* Kummer civis oppidi ſancti Galli ætatis annorum triginta quatuor & circa, ſibi ut teſtimonium &c.

Hic teſtis ſuper litteris Brevis medio ſuo præſtito juramento examinatus, dicit quod ipſe in oppido ſancti Galli ſit natus, & ab ineunte ætate ſua audiverit de ſancti Notkeri ſanctitate. Unde ipſe qui etiam ad eundem ſingularem habuerit devotionis affectum quendam habuerit puerum, tunc tres annos habentem, qui dyſenterium paſſus fuerit. Ex qua forſan vel alio accidente circa genitalia adeo tumefactus fuerit, quod omnes homines qui eum viderint, crediderint eum ruptum fuiſſe. Quem teſtis devoverit cum quartali ceræ ad ſanctum Notkerum: Et ecce ſtatim voto ſoluto in triduo proximo reconvaluerit plene, & tam à dyſenteria quam tumefactione prædictis, ut teſtis credit, interceſſione & precibus beati Notkeri liberatus fuerit.

Habuerit etiam quandam puellulam, quæ etiam puncturas habuerit, & ſuſtinuerit intrinſecus adeo vehementes dolores, quod è naribus & ore ſanguinis fluxum cauſaverint. Quæ etiam ut deducta fuerit ad ſancti Notkeri ſepulchrum, liberata fuerit, aliud non dicit.

*Miraculum.*

*Anna* Mertzin vidua & relicta quondam Jacobi Mertz de ſancto Gallo ætatis annorum quadraginta octo, ſibi ut teſtimonium ferat, ut ſupra.

Hæc teſtis dicit, quod ante vel circa tredecim annos peperit filium, qui in collo ſive gutture habuit quid obſtaculi. Ita quod aliquando nec loqui potuit, nec inſpirare, nec reſpirare. Quem etiam devoverit ad ſanctum Notkerum, & ad ejus ſepulchrum, qui ſtatim poſthac, ut credit teſtis, ex interceſſione iſtius ſancti viri reconvaluerit, nec hujuſmodi infirmitatem poſtea ſenſerit unquam. Unde ipſa in cunctis ſuis neceſſitatibus ad eum tanquam ſingularem auxiliatorem ſpeciale habuerit refugium. Aliud non dicit.

*Miraculum.*

*Ilda* Gemünderin uxor legitima Ulrici Rochlin/ civis oppidi S. Galli, annos nata 45. ſibi ut teſtimonium ferat, ut ſupra.

Hæc teſtis medio ſuo præſtito juramento, dicit examinata, quod in bello Switenſi proximo in noſtris finibus habito, ipſa habuerit quandam puellulam nomine Veronicam, nunc quinque annos habentem, quæ quadam nocte per totum corpus ejus ulceribus conſperſa fuerit, quod nec acu quis locum apprehendere potuiſſet in toto corpore, quo ſanie & ulceribus non fuiſſet plena, unde teſtis territa deſuper conſuluerit Chirurgos, ut vero neminem invenerit, qui ſe de cura ejus intromittere vellet: Duxerit ipſa exſpectandum eſſe quid natura operari vellet. Itaque poſt certos dies abeuntibus ulceribus unum horrendiſſimum ulcus ſive foramen remanſerit, & de die in

diem

Digitized by Google

diem in profunditatem & latitudinem creverit. Adeoque omnes videntes in commiſerationem movebantur. Erat namque cruribus obſitum & aſpectu admodum tetrum & horridum, & ut varios deſuper conſuluerit Chirurgos; & nemo ſpem ſalutis promittere vellet, ipſa ſic in anguſtiis conſtituta neſciens quò ſe verteret, cum puella totam noctem duceret inſomnem, & præ vehementia nec ſomnum nec cibum capere poſſet, venerit in mentem, qualiter ille ſanctus Notkerus multis in diverſis neceſſitatibus ſubveniſſet: Et ſic eandem puellulam devoverit ad ſancti Notkeri ſepulchrum, cum crure cereo, & certis orationibus, promiſerit denique ſe deinceps ejus diem ad dies vitæ ſuæ feriari, & proximum filium quem eam gignere contingeret; nomine ſancti Notkeri vocare velle: Et ecce ſtatim emiſſo voto puella à clamoribus ceſſaverit & dolor ejus mitigatus fuerit, de die in diem melius habere cœperit, & tandem reconvaluerit plene, unde poſtea ad eundem ſingularem geſſerit devotionis affectum. Aliud non dicit. SÆC. XVI. ANNO 1514.

*Miraculum.*

HEinricus Mäurer/ein Scherer/Parochiæ ſancti Laurentii, ætatis annorum ſeptuaginta, ſibi ut teſtimonium ferat nil eſt datum, promiſſum, ut ſupra.

Super narratis vero in litteris teſtis juxta formam Commiſſionis medio ſuo juramento præſtito examinatus, dicit quod circa viginti quinque annos quidam vicinus ſuus, videlicet Joannis Kolcr/ quendam habuerit juvenem quinque forſan annorum, qui & claudus fuerit & in manibus & pedibus ita contractus, quod ire non potuerit: Qui & per ejus matrem ad perſuaſionem uxoris ſui teſtis ad ſepulchrum beati Notkeri devotus fuerit & delatus: Statim & quidem ipſa die reconvaluerit & ire potuerit ac ambulaverit. Hæc teſtis viderit, & majus miraculum non conſpexerit unquam. Aliud non dicit.

*Miraculum.*

GRreta Langulrichin civis oppidi ſancti Galli, annos nata ſexaginta tres, ſibi ut teſtimonium, &c.

Dicit quod ipſa ante vel circa decem annos in ſiniſtro femore tantos habuit dolores, quod nec cibum nec ſomnum capere, nec ullam requiem habere potuerit: Unde ipſa ad perſuaſionem cujuſdam vicinæ ſuæ ſe devoverit cum certis luminaribus & orationibus ad ſepulchrum ejuſdem Sancti, & ſtatim ut ſolverit votum, melius ſe habere inceperit & reconvaluerit, ut credit, ex interceſſione beati Notkeri. Aliter non deponit.

*Miraculum.*

BArbara Fiegerin de Niederholtz/ Parochiæ ſancti Laurenti, ætatis annorum quadraginta duorum & circa, ſibi ut teſtimonium, &c.

Hæc ad formam examinata dicit, quod annis elapſis novem vel circa, teſtis juvenem quendam maſculum habuerit, qui ceciderit in horreo quodam, von einer Bime in das Denn/ certe alte & periculoſe, adeo quod caput in novem ſeptimanis erigere, nec circum aut ſuſpicere potuerit: Et ſic teſtis eundem devoverit ad ſanctum Notkerum, qui ſtatim ut ad Capellam ſive Eccleſiam ejuſdem devenerit, juvenis clamaverit, Mater, ego poſſum ſuſpicere. Et ſic mater præ gaudio flens accurrerit, & ita eſſe viderit, ſicque reconvaluerit, & hodie vivat, nil ſentiens inde quicquam.

Poſtea teſtis pepererit infantulum, quem per viginti unam ſeptimanas duntaxat geſtaverit, qui ut natus fuerit, creditus ab omnibus mortuus, unde ipſa devoverit eundem ad ſanctum Notkerum cum holocauſto vivo. Idem infantulus vitalia inſignia oſtenderit, & baptiſmi lavacro renatus fuerit. Aliud non dicit.

*Miraculum.*

GEnoveva Sprollin de ſancto Gallo annos nata quadraginta vel circa, ſibi ut teſtimonium ferat &c.

Hæc teſtis dicit & depoſuit quod circa vel ante tredecim annos quendam habuit puerulum tunc quatuor annos habentem, quem teſtis ſanum equidem in lectum poſuit, ſed luceſcente die ut eum è lecto receperit, viderit quod totum corpus ejus non aliter fuit, quam ſi urticis cæſum fuiſſet: Et territa valde diverſa ſecum putavit. Altero vero mane totum corpus pueri plenum ulceribus nigris & peſſimis non ſine horrenda tumefactione: Quod ut mater ipſius teſtis viderit, ſuaſerit teſti, quod eum ad S. Notkerum devoverit. Quod ut teſtis una cum matre fecerit, & votum exſolverit: Altero & ſic tertio mane puer ipſe omnino reconvaluerit, & profecto miracu-



Digitized by Google

SÆC. XVI. ANNO 1514.

losę. Quia secundum naturam credat id fieri non potuisse: Et ob hoc firmiter credat sine omni hæsitatione, quod id precibus & interceſſionibus sancti Notkeri obtinuerit, & ab eodem tempore in eum specialem confidentiam habeat in omnibus necessitatibus suis. Aliter non deposuit.

*Miraculum.*

HEinricus Geißbürer de Betznow civis oppidi sancti Galli, habens annos suæ ætatis sexaginta quatuor & circa, sibi ut testimonium ferat, &c.

Post testis juxta formam in litteris Brevis diligenter examinatus, deposuit, quod ipse circa vel ante septennium de plaustro quodam fœni cediderit. Itaque humerus ex juncturis dissolutus fuerit. Et statim emisso voto absque ullo chirurgico & sine medicamento reconvaluerit, ut credit, ex interceſſione beati Notkeri. Aliud non dicit.

*Miraculum.*

BArbara Stuberin de sancto Gallo habens annos suæ ætatis quinquaginta & circa, sibi ut ferat testimonium, &c.

Hæc testis examinata medio suo juramento præstito, dicit se de sancto Notkero ab ineunte ætate sua multa audivisse, unde ipsa circa decem annorum spatium puerum quendam habuerit trium annorum, quem ut ad lectum posuerit, exclamaverit puer: O mater, mulier quædam mecum fuit, & mane, ut suſceperit puerum, compererit quod puer in uno brachio mutilatus fuerit, unde territa pro eo voverit duo brachia cærea, unum beatæ Mariæ virgini in Monasterio, & aliud beato Notkero, sicque in tribus sive quatuor diebus postquam votum exsolverit, reconvaluerit, ut credit, ex interceſſione beatæ Mariæ virginis & beati Notkeri: Nec aliud dicit.

*Miraculum.*

IDem Gebhardus Holtzmann Præco oppidi sancti Galli, ætatis annorum quadraginta octo, sibi ut testimonium, &c.

Dicit quod ipse annis triginta vel circa noviſſimis in oppido sancti Galli moram duxerit, à quibus semper audiverit de ejus sanctitate dici multa quidem & varia in cancellis & alibi, sed postquam ejus sepulchrum altius elevatum fuerit, major cœperit ad eum haberi recursus, unde testis etiam ad eum singularem adhibere cœperit devotionem: Decimus namque annus jam agatur, quando Helvetii quoddam castrum in Lombardia, Lucarum nominatum obsederint, ubi testis pariter expeditioni interfuerit, sicque è castro quadam emissa bombarda lapidem quendam tetigerit non longe à teste jacentem, eundem in minutiſſimas partes confregerit, quæ resilierint in testem: Sicque in ambobus cruribus admodum læsus fuerit, & hoc facto cum ipse testis cedere vellet, unus alius sagittarius eum per crus cum emenda penetrarit. Et licet testis tunc per Chirurgicos curatus fuerit, tamen postquam ad patriam redierit, idem crus tumefieri cœperit, & ut se devoverit ad sanctum Notkerum, ea ipsa die reliquiæ quæ in crure remanserint, eruperint, & sic de die in diem cœperit melius habere, & tandem omnino reconvaluerit, ex interceſſione, ut credit, beati Notkeri.

*Miraculum.*

ULricus Schlumpff civis oppidi S. Galli habens annos suæ ætatis quadraginta tres, sibi ut testimonium ferat, &c.

Super narratis in litteris brevis & juxta Commiſſionis formam diligenter medio suo juramento præstito examinatus testis dicit, quod ipse in oppido sancti Galli natus, alitus & in hunc usque diem conversatus fuerit, & semper ab ineunte ætate sua, & maxime postquam ad annos discretionis pervenerit, audiverit multa de sanctitate beati Notkeri, & signanter legerit in ejus vita, quod ipse auctor fuerit illius sequentiæ, Sancti Spiritus assit nobis gratia, & quod miraculis in vita clarus & sanctitate: Unde annis elapsis sedecim, testis & certi alii sui concives ob sanctitatem illius sancti viri & miracula quæ indies fiebant, ad eum singularem gerentes devotionis affectum, moleste quidem tulerint, quod ejus lapis tumularis non renovaretur. Unde ipsi inter se concordaverint de faciendo novo lapide ad sepulchrum illius, & ut antiquum lapidem amovere voluerint, & novum superponere, repertæ fuerint reliquiæ istius viri sancti in lapide concavato, quem lapis antiquus superpositus concluserat, & ut testis è fratre suo Caspare Schlumpff nunc Burgermagistri dicti oppidi audiverit, ossa ejus ita candida fuerint & alba, quod candidiora & albiora nunquam vidisset, fuissent collocata ordine

Digitized by Google

dine ad instar corporis, nec in aliqua parte læsa sive consumpta, unde odor suavissimus exierit. SÆC. XVI.

Addens quod annis elapsis octo vel circa, testi natus fuerit infantulus in utroque latere ruptus, & postquam quatuordecim hebdomadas natus fuerit, alius supervenerit morbus, videlicet comitialis, unde testis videns & intuens illum miserabilem puerum, cogitaverit intra se, quod implorare velit beatam Mariam virginem in Monasterio, & statim ut ad imaginem ejus pervenerit, venerit sibi in mentem, quod eundem puerum devovere velit ad beatum Notkerum: Unde ipse continuo iverit ad sepulchrum beati Notkeri invocando eundem beatum Notkerum, & promittendo eidem puerulum cereum tres libras habentem, & quod singulis diebus per anni spatium visitare velit ejus sepulchrum, & ibi orare quinque Pater noster & totidem Ave Maria. Et ecce statim ut domum redierit, invenerit puerum ubera matris sugentem, qui mox se ab uberibus verterit ad patrem & riserit, & ea ipsa die liberatus fuerit à morbo comitiali, & rupturæ ejus ea ipsa hora ita alleviatæ fuerint, quod eundem nil aut parum impediverint. Unde breviter concludit, quod sanctus Notkerus eum nunquam dereliquerit, propterea ipse in eum specialem habeat devotionem, & in omnibus suis necessitatibus ad eum tanquam specialem auxiliatorem refugium habeat, & recursum. ANNO 1514.

*Miraculum.*

*Michael* Haltmayer civis oppidi sancti Galli habens annos suæ ætatis quadraginta, sibi ut testimonium ferat nil est datum, promissum vel remissum, &c.

Super narratis itaque in litteris Brevis juxta formam Commissionis diligenter medio suo præstito juramento examinatus testis dicit se ab annis viginti & citra, multa de vita & miraculis beati Notkeri audivisse, & ob hoc eundem sibi patronum elegisse. Annis namque duodecim vel circa elapsis testis quendam habuerit debitorem in oppido Feldkirch & ibidem alium creditorem, cui videlicet ipse testis debebat. Fueritque idem creditor contentus de debitore summam recipere, in qua testis sibi remanserit obligatus, debitore vero debitum diffidente, & juramento per eum quod sibi testi in nullo teneretur præstito: Dictus creditor rursum convenit se testem, unde testis convenire habuit suum debitorem. Et cum iterum decretum fuisset juramentum, testis invocavit beatum Notkerum, ut sibi adjuramento esset, ne sic injuste damnificaretur: Et ecce, lecto dicto debitori juramento, idem ambabus manibus in cœlum levatis, publice coram justiciariis oppidi Feldkirch dixerit & exclamaverit: O quid ego volui feciſſe? ego fateor debitum, ut sic debitum fatendo, quod antea diffessus fuerat per juramentum.

Postea & quidem ante vel circa biennium testis dolere cœperit in brachio dextro, adeo quod laborare amplius non potuerit. Et cum hujusmodi dolores per dimidium annum quasi sustinuerit, ipseque curari non potuerit, devoverit se ad sanctum Notkerum, mox in triduo reconvaluerit.

Post hæc habuerit quendam puerum qui latentem habuit infirmitatem, ita quod nec ambulare potuerit nec stare. Quamvis trium annorum jam fuerit: Sed statim ut ad sepulchrum beati Notkeri eum devoverit, cœperit ambulare & totaliter reconvaluerit, ut credit, ex interceſſione beati Notkeri, quem credit esse sanctum virum & potentem apud Deum, singularemque auxiliatorem omnium invocantium eum. Fama denique sit, quod eo non canonizato nullus Abbas Monasterii sancti Galli sanitatem corporalem habiturus sit. Quod & ita fuisse quamdiu testis recordetur experientia docuerit, & quod etiam oppidum sancti Galli in centum annis semper sit ignis voragine absumendum, & multa alia similia de eodem audivit, aliter non deponit.

*Miraculum.*

*Gallus* Schlosser civis oppidi sancti Galli, ætatis annorum ultra septuaginta quatuor, ut testimonium ferat, &c.

Hic testis juxta formam Commissionis medio suo præstito juramento examinatus deponit & verum esse dicit: Quod quanquam ipse ante vel circa viginti annos proxime lapsos multa de sancto Notkero audiverit, & quod idem canonizandus esset: Tamen ipse testis de eo non multum curaverit: Nec ad eum aliquam gesserit devotionem, quousque ad anni forsan proxime transacti spatium, ubi testis in crure quodam dolores habuerit tam vehementes & urgentes ac intolerabiles, quod pene desperaverit: Unde inductu uxoris suæ se ad beatum Notkerum devoverit, & statim voto emisso & quidem in quartali unius horæ cœperit melius habere, & ab eodem tempore tam vehementes dolores nunquam senserit, ut credit, ex interceſſione beati Notkeri. Aliud non dicit.

Sæc. XVI. Anno 1514.

*Miraculum.*

*Nicolaus* Schnäpperli Capellanus Altaris ſanctæ Wiboradis oppidi ſancti Galli, ætatis annorum triginta quinque, ſibi ut teſtimonium ferat nil eſt datum, promiſſum vel remiſſum, &c.

Examinatus inſuper teſtis ſuper litteris Brevis & eiſdem narratis juxta Commiſſionis formam, medio ſuo præſtito juramento dicit: Quod ipſe anno 1512. proxime tranſacto tantos in cruribus & genibus perpeſſus fuerit dolores, quod præ nimio doloris gravamine nec dormire nec acquieſcere potuerit, his intrinſecus punctionibus exiſtentibus: Diebus quoque certis claudicando perambulaverit. Tandem venerit in mentem ſancti viri Notkeri Sanctimonia, vitæque integritas, cui ſe quadam ſumpta fiducia devoverit una cum una libra ceræ, quibuſdam ſuperadditis orationibus ad ejuſdem ſacroſanctum ſepulchrum in ſacello ſancti Petri Apoſtolorum Principis conſtitutum, de ejuſdem ut præmiſſum eſt, meritis & ſuffragiis confidens, quibus rite peractis notabiliter ejus ſenſerit auxilia: Ita quod de cætero dormire ac ambulare, ut antea conſueverit, potuerit. Idcirco eundem ſuo judicio & teſtimonio, licet inerti, haud minimum, ſed inter potiſſimos Dei electos eſſe cenſeat. Cujus quidem vitæ ſeries Teuthonica & vulgari narretur hiſtoria.

Quem etiam Magiſter Guilhelmus in rationali divinorum libro quarto? Nec non Lombardica hiſtoria de ſancto Pelagio primo ſummo Pontifice Abbatem S. Galli auctoremque plurimarum ſequentiarum eſſe commemorent. Qui ut ejus ſacra referat hiſtoria, vita comite, perplures dæmonum pertulerit inſidias, quas prorſus fidei virtute & ſanctitatis merito devicerit, vitamque ſuam litterarum ſtudio & moribus optimis adornaverit, vitæ quoque temporalis terminum fauſtiſſimo fine concluſerit anno incarnationis Dominicæ nongenteſimo decimo quarto, VI. Idus Aprilis, &c.

*Miraculum.*

*Ennalina* Gräfin de ſancto Gallo virgo ætatis annorum viginti duorum, ſibi ut teſtimonium, &c.

Hæc dicit ſe S. Notkerum in neceſſitatibus omnium eum invocantium auxiliatorem ſingularem eſſe expertam. Unde anni ſpatium Sebaſtiano fratre ſuo duobus ulceribus graviſſimis adeo laborante, quod is nec die nec noctu requiem habere potuerit: Ipſa miſerata fratrem eundem devoverit ad B. Notkerum cum luminari cereo ad corpus ejus menſo. Et ſtatim ut id fecerit, frater melius habere inceperit: & deinde ſucceſſive totaliter reconvaluerit, ut credit, ex interceſſione B. Notkeri; aliter non dicit, diligenter quæſita.

*Miraculum.*

*Dorothea* Schlatterin de ſancto Gallo ætatis annorum viginti quinque, ſibi ut teſtimonium ferat, &c.

Dicit quod ſanctus Notkerus in ſe teſte miraculum fecerit tale. Quia ipſa ab ineunte ætate ſua debile caput habuerit, & multos dolores capitis ſuſtinuerit, adeo quod ſæpe & ſæpius in lecto decumbere habuerit, & ut ante octo annos vel circa tot miracula de ſancto Notkero audiverit, ſe quoque ad ejus ſepulchrum devoverit, & ſtatim melius habere cœperit, ut credit, ex interceſſione beati Notkeri. Aliud non dicit.

*Miraculum.*

Dominus Joannes Weniger perpetuus Vicarius Eccleſiæ ſancti Luurentii oppidi ſancti Galli, agens annum quadrageſimum & circa, ſibi ut, &c.

Interrogatus dicit, ſe de ejus vita nil certi deponere poſſe, quia idem ſanctus Notkerus nos longe præceſſerit, & ante multos annos de hoc medio ſublatus ſit. Ipſe autem teſtis qui natus ſit in oppido ſancti Galli, ab eo tempore quo uſum rationis habuerit, ſe à ſenioribus & majoribus ac patribus Conventus Monaſterii ſancti Galli audiverit eundem in vita ſua ſanctitate claruiſſe, quod & veriſimile ſit, quod certo ſciatur, quod ipſe ſit auctor multarum ſequentiarum, quæ hodierno die in laudibus altiſſimi decantentur, quas utique niſi Spiritus ſancti gratia illuminatus edere non potuiſſet, hinc credat, prout à tempore prætacto crediderit, eum virum fuiſſe & eſſe ſanctum.

Hinc Dominus teſtis interrogatus an pro Chriſti nomine labores ſuſtinuerit, de humilitate & perſecutione. Reſpondet, ex ſua hiſtoria, quam teſtis ſæpe legerit liquido conſtare, eum pie vixiſſe, multas perſecutiones à diabolo ſuſtinuiſſe, & in humi-

litate

Digitized by Google

litate profundum fuiſſe, & his ſcriptis teſtis indubiam fidem adhibuerit, quia & fama ſeniorem fide dignorum virorum his adminiculum præbuit & præbeat. SÆC. XVI. ANNO 1514.

De miraculis ejus interrogatus, dicit, in vita ſua contineri, eum etiam in vitâ ſua miraculis claruiſſe, poſt mortem vero & præſertim noſtris temporibus multis coruſcaſſe miraculis, & ſe ſpecialem auxiliatorem oſtenderit, eum in ſuis neceſſitatibus invocantium. Hinc eſt quod magnus populi ad eum habeatur recurſus, & nedum populi, ſed ipſe teſtis etiam ad eum ſpecialem geſſerit & gerat devotionis affectum. Ita quidem quod in ſuis infirmitatibus eum non dubitet invocare tanquam ſanctum virum & potentem apud Deum, & ſenſerit ſe aliquando ejus interceſſione non ex vi verborum vel aliquo alio ſiniſtro modo, in ſuis infirmitatibus obtinuiſſe alleviamen. Aliter non deponit.

*Miraculum.*

*Georgius* Tiſchmacher civis oppidi ſancti Galli habens annos ſuæ ætatis quadraginta & circa, ſibi, &c.

Dicit quod annis duodecim elapſis vel circa, teſtis ipſe in dextro brachio ita debilitatus fuerit, quod eodem uti non potuerit ad artificium ſuum, nec quidem cochlear levare per ſedecim ſeptimanas, & ſtatim ut ſe devoverit ad beatum Notkerum, reconvaluerit, & quidem intra duos dies ſoluto voto, ut credit, ex interceſſione beati Notkeri. Aliud non dicit.

*Miraculum.*

*Caſpar* Giller civis oppidi ſancti Galli & ſutor ibidem, habens annos ſuæ ætatis quinquaginta & circa, ſibi &c.

Dicit quod quamdiu ipſe recordetur, beatus Notkerus pro viro ſancto reputatus fuerit, unde cum teſtis ante vel circa octo vel duodecim annos in crure ulcus habuerit valde periculoſum, & ut ſe devoverit ad beatum Notkerum, cœpit melius ſe habere, ita quod ex ulcere quoddam parvum os exierit, & deinde reconvaluerit, ut credit ex interceſſione beati Notkeri. Aliud non deponit.

*Septima vero die ejuſdem menſis Aprilis, & quidem hora 6. vel circa meridiem, venerabilis frater Laurentius* Schab *ſacræ Theologiæ Licentiatus Conventualis Monaſterii Seligſtatenſis Maguntinæ diœceſis Ordinis ſancti Benedicti ad præſens Prædicator Monaſterii ſancti Galli Ordinis ejuſdem, coram venerabili viro Domino Heinrico* Sadler *Juris utriuſque Doctore, Advocato Conſiſtoriali Curiæ Conſtantienſis, & mihi præfato hujus cauſæ Notario ſive Commiſſario per reverendiſſimum Dominum noſtrum Conſtantienſem adjuncto: Meque eodem Notario, orationem ut dicebat ex antiquiſſimis libris conceptam fecit, & in hunc, qui ſequitur, recitavit modum.* (a)

„ Qua quidem oratione finita comparuerunt coram dicto Domino Doctore meque „ Commiſſario, virtute Edicti, uti præfertur, emiſſi teſtes ſubſcripti, quos ſimiliter „ in vim dictæ Commiſſionis meæ in præſentia præfati Domini Doctoris juratos re„ cepi & examinavi, ut ſequitur deponentes".

(a) Videatur ſuperius illa oratio in beati Notkeri vitam, quæ hic repeti non debet. BASN.

*Miraculum.*

Dominus frater Ulricus Hen, Monachus profeſſus & conventualis Monaſterii beati Galli, annos natus triginta ſex, Cuſtos, ſibi ut teſtimonium, &c.

In primis juxta commiſſionis formam medio ſuo præſtito juramento examinatus & interrogatus de vita beati Notkeri dicit, ſe de vita ejus de certa ſcientia deponere non poſſe: Præſertim his exceptis, quæ ex ejus vita quam ſæpe legerit, didicerit, ad quam ſe refert: Ex qua nec non ex aliis libris de antiquiſſima ſcriptura appareat eundem fuiſſe auctorem multarum ſequentiarum ſignanter infra notatarum, videlicet nativitatis Chriſti, Natus ante ſæcula, Epiphaniæ, Feſta Chriſti, de ſancto Spiritu ſive Pentecoſtes, Sancti Spiritus, & multarum aliarum. Et hæc pateant ex libro, ubi imago ejuſdem ſit depicta. Scripſerit etiam carmina de beato Notkero in libello quodam Eckerhardus frater Monachus Monaſterii ſancti Galli. Et audiverit ſemper quamdiu in Monaſterio fuerit, quod in veneratione fratrum fuerit, quamdiu ipſe teſtis recordetur, & quidem in majori veneratione præſertim Conventus, quam nunc ſit, &c.

Idem etiam teſtis baculum valde antiquum habentem fracturam, de quo in 26. capitulo vitæ beati Notkeri fit mentio, attulit, qui dicitur baculus ſancti Columbani, cum quo idem beatus Notkerus dæmonem verberaſſe aſſeritur.



Digitized by Google

Sæc. XVI. Anno 1514.

*Miraculum.*

DOminus Ulricus Stoß Monachus profeſſus Ordinis ſancti Benedicti & Conventualis Monaſterii beati Galli, Plebanus in Salmſach/ habens annos ſuæ ætatis ſexaginta & circa, ſibi ut teſtimonium, &c.

Poſtea teſtis medio ſuo præſtito juramento dicit, quod ab annis quinquaginta vel circa, Conventualis fuerit Monaſterii ſancti Galli, à quo tempore & per quod tempus, Legendam ſive hiſtoriam beati Notkeri ſæpe ad menſam legi audiverit & legerit, ubi & in qua tota vita beati Notkeri contineatur.

De miraculis ejus interrogatus dicit, quod ipſe audiverit à ſe ſenioribus adhuc juvenis, & præcipue jam annis triginta vel circa, Quidam Joannes Studli de ſancto Gallo teſti narraverit, quod ipſe alias Auguſtæ telo quodam ſagittatus fuerit, adeo quod telum fractum fuerit, & certa pars in eo remanſerit, quæ ut ſe ad beatum Notkerum devoverit, abſque ulla chirurgicorum ope exiverit, ipſeque reconvaluerit, unde ipſe eum tenuerit pro viro ſancto. Nec aliud dicit.

*Miraculum.*

DOminus frater Jacobus Schurpff Conventualis Monaſterii ſancti Galli, habens annos ſuæ ætatis quinquaginta unum, ſibi ut teſtimonium, &c.

Requiſitus itaque teſtis juxta formam Commiſſionis, medio ſuo præſtito juramento dicit, quod ipſe annis quadraginta ſeu circa in Monaſterio beati Galli fuerit, à quo tempore & per quod tempus teſtis ipſe legendam ſive hiſtoriam beati Notkeri ſæpe legerit & legi audiverit, pluraque alia à Simone Gellſtrandt & à fratre dicto der lange Hans/ Patribus & Senioribus ejuſdem Monaſterii de ſanctitate ſancti Notkeri audiverit, qualiter beatus Notkerus ſemper vir ſanctus fuerit, & ut vir ſanctus veneratus & tentus fuerit, & pro tertio patrono veneretur, & orationes ſpeciales de eo habeantur.

De miraculis ejuſdem beati Notkeri interrogatus, dicit eundem in vita ſua miraculis claruiſſe, prout ex legenda ſive hiſtoria ſua non obſcure appareat. Poſt mortem quoque multa miracula fecerit, & hodierno die faciat, hinc ad eum magnus multis annis Chriſti fidelium fuerit concurſus, qui & ſe ejus interceſſione à diverſis morbis ſenſerint liberatos, quorum teſtes plures viderit, & de hoc fama ſit tanta per oppidum & circa: Quod idem ſanctus Notkerus admodum notus & pro ſancto viro habitus & tentus, prout teneatur & habeatur.

*Miraculum.*

HOnorabilis Dominus Heinricus Baumann Presbyter, Capellanus Capellæ ſancti Petri oppidi ſancti Galli habens annos ſuæ ætatis ſexaginta ſeptem & circa, ſibi ut teſtimonium &c.

Super narratis juramento præſtito examinatus dicit, quod ipſe in oppido ſancti Galli natus, alitus & educatus fuerit & ſit, & per triginta quatuor annos fuerit Capellanus dictæ Capellæ, à quo tempore & per quod tempus etiam ad beatum Notkerum magnus fuerit populi concurſus, & multi ſe precibus ejuſdem ſancti crediderint adverſis morbis liberatos. Ad ſeque teſtem venerint multi, & innumeræ perſonæ utriuſque ſexus, narrantes varia diverſaque miracula iſtius beati Notkeri, requirenteſque ſe teſtem deſuper, ut ea inſcribere velit, prout & teſtis multa miracula inſcripſerit, ſibi à perſonis ſic ad eum confluentibus delata & manifeſtata. Ipſe etiam teſtis ad eundem ſanctum in ſuis neceſſitatibus ſingulare refugium habuerit & hodie habeat, unde anno proxime præterito circa feſtum omnium Sanctorum: Quædam neptis ex ipſius teſtis ſorore, in vehementem inciderit paſſionem, adeo quod teſtis cæterique de incendio timuerunt & majori malo: Sicque teſtis ad beatum Notkerum confugerit eundem invocando pro dicta nepte ſua una cum beato Franciſco, ſub cujus regula militet, & cœperit ſtatim melius habere, ut credit ex interceſſione beati Notkeri. Nec aliud dicit.

*Miraculum.*

DOminus Joannes Sayler Decanus Monaſterii ſancti Galli, Ordinis ſancti Benedicti habens annos ſuæ ætatis quinquaginta ſex & circa, ſibi ut teſtimonium &c.

Dicit quod ipſe firmiſſime credat ita eſſe, prout in legenda ſeu hiſtoria ejuſdem beati Notkeri contineatur, ad quam ſe teſtis refert, ſimiliter depoſuit, à parentibus carnalibus, & à ſenioribus & patribus dicti Conventus, qui eum præceſſerint, ſemper audiverit beatum Notkerum fuiſſe & eſſe virum ſanctum, prout pro tali habitus & reputa-

Digitized by Google

putatus fuerit quamdiu teſtis recordetur. Ipſe etiam teſtis de eo ſpeciales habeat orationes, & eum veneretur ut tertium patronum hujus Monaſterii. SÆC. XVI.

De poſt Dominus teſtis de miraculis interrogatus dicit, quod nil certius de ipſius factis queat deponere, quam ipſa doceat legenda vitæ, ad quam ſe referat, & quod magnus concurſus ad ejus ſepulchrum habitus. Inſuper adjunxit, quod annis elapſis duodecim vel circa, quidam cives ob ſingularem devotionem, quam ad eundem geſſerint, eidem novum lapidem tumularem facere inſtituerint, & ut antiquum lapidem amovere voluerint, teſtis, ut tunc cuſtos, interfuerit, & viderit amoto lapide oſſa beati Notkeri in quodam lapide concavato jacere, unde odor exierit ſuaviſſimus, de quo teſtis territus, ſtatim ſepulchrum iterum antiquo lapide claudi juſſerit: unde certè teſtis ſpeciale ſumpſerit ſanctitatis argumentum, & ſic clauſum in hodiernum diem remanſerit. Aliud non dicit. ANNO 1504.

Providus Caſpar Schlumpff/ Burgimagiſter oppidi S. Galli, ætatis 59. & circa, ſimiliter dicit, qualiter cum antiquum lapidem amovere voluerint, inventus fuerit ſarcophagus lapideus, qui preſente teſte, ac Ulrico Sayler cive, & Conrado Hiller lapicida apertus fuerit. In quo viderit omnino oſſa illæſa ſimul jacentia, non ad inſtar corporis humani, unde exiverit odor ſuaviſſimus, & talis qualem ante olfecit nunquam: propterea eum credit eſſe ſanctum, & omni veneratione dignum.

*Leonhardus Altweger Notarius.*

ET præter dictos teſtes adhuc nonnulli alii coram me Commiſſario comparuerunt, utriuſque ſexus homines, offerentes ſe de ſanctitate & miraculis beati Notkeri deponere velle ac ſcire: Tamen etiam dicti Domini Doctoris conſilio fretus, & ejus accedente conſenſu, examini hujuſmodi demum in Dei nomine finem impoſui.

In quorum etiam omnium ac ſingulorum fidem & teſtimonium præmiſſorum, ſupradictus Reverendiſſimus Pater hoc præſens Regiſtrum, ſive præſentem Proceſſum exinde fieri, & per me Notarium præ & infra ſcriptum ſubſcribi, ſigillique ſui Pontificalis per ſingulorum foliorum transfixionem juſſit & fecit appenſione muniri. Quæ acta & facta ſunt Anno Domini, Indictione, Menſe, Die, & Locis, & Præſentibus, quibus ſupra.

CATA-

Digitized by Google

# CATALOGUS SCRIPTORUM,

## QUI CONTRA

# JUDÆOS SCRIPSERUNT,

Cum Veterum, tum Recentium, partim Græcorum, partim Latinorum, Alphabeti ordine digestorum:

*Ex Bibliotheca Theologica*

## JOANNIS MOLANI,

*Lovanienſis Regii Profeſſoris, &c.*

---

## JACOBI BASNAGII OBSERVATIO.

Sæc. XVI. Anno 1580.

OBiit *Molanus*, norunt omnes, an. 1587. Breviſſimus eſt ille Catalogus quem confecit. Sed ſi quis multo plura velit habere, pervolvat ampliſſimam illam Scriptorum ſeriem, quorum nomina Bibliothecæ Rabbinicæ Tomum quintum conficiunt. Miranda ſane *Imbonati* diligentia, qui minutiſſimos etiam Libellos de Rebus Hebraicis agentes vidit, eorumque titulos operi ſuo inſeruit. Ibi non modo Theologos, qui manus cum Judæis conſeruerunt, noſcere poſſis, ſed quoſcunque qui argumenta ad res Hebraicas pertinentia tractarunt. Hunc tamen, quamquam hodierna die forſan inutilem, omittere noluimus.

---

*Andronici* Imp. Conſtantinopolitani Dialogus contra Judæos, pro Chriſtianis. Græcè eſt in Bibliotheca Cæſaris Viennæ, & Romæ apud Sirletum Card. olim; nunc apud Aſcanium Columnam Card.

*Auguſtinus*, contra Judæos, Paganos, Arianos. Ejuſdem altercatio Eccleſiæ & Synagogæ, Tom. VI.

*Adriani* Fini Flagellum contra Judæos, libris novem. Venetiis, 1537.

*Alphonſo* bono homine interprete, Samuelis epiſtola de Jeſu veri Meſſiæ, quem Judæi temere expectant, adventu.

*Alexandri Nevi* contra fœneraſtes Judæos conſilium.

*Anaſtaſius*

Digitized by Google

SÆC. XVI. ANNO 1580.

*Anaſtaſius Abbas*, Tom. III. Antiquæ lectionis D. Henr. Caniſii.
*S. Anſelmus* de Incarnatione Verbi contrà Judæos.
*Antonius Borromæus*, contra Judæos.
*Altercatio* Eccleſiæ & Synagogæ ætate Caroli magni ſcripta.
*Ambroſii Catharini* liber, de pueris Judæorum recipiendis, ad Baptiſmum ſponte venientibus.
*Baſilius* Seleucienſis Epiſcopus.
*Bernardini Buſti* conſilium contra Judæos.
*Caroli Sigonii* de republica Hebræorum libri ſeptem, ad Gregorium XIII.
*Cypriani* contra Judæos libri 3. Apud eundem diſputatio Jaſonis & Papiſci adverſus Judæos.
*Dionyſius* Carthuſianus lib. 7. de fide.
*Epiphanius* in Panario contra 7. Judæorum hæreſes.
*Euſebius* lib. 11. demonſtrationis Evangelicæ.
Fortalitium Fidei contra Judæos, Saracenos, &c. libris quinque, per *Bartholomæum de Spina.*
*Franciſcus Turrianus*, an Judæis aliquid permitti debeat præter Biblia.
*Franciſci* Securis Repertorium veritatis de vero Meſſia, contra Judæos.
*Gerardus Velwykus*, de Judaicis diſciplinis, & earum vanitate.
*Gregentius* Tephrenſis, in regno Homeritarum, apud Æthiopas Archiepiſcopi, diſputatio cum Herbano Judæo, Græcè & Latinè edita, Nic. Gulonio Carnute interprete, Pariſiis 1586.
*Gilberto Genebrardo* interprete Hebræorum libri chronologici, in SS. Patrum Bibliotheca, Pariſiis.
*Guillelmus Lindanus* de optimo genere interpretandi Scripturas, contra Judaizantes.
*S. Hieronymus* in Micheam & Sophoniam, contra Judæos.
*Hieronymi* de ſancta fide contra Judæos, libri duo.
*Juliani Pomerii*, contra Judæos libri tres.
*Joſephi* Antiquitatum Judaicarum libri 20. de bello Judaico lib. 7. contra Apionem Apologetici duo, pro antiquitate & religione Judæorum.
*Jacobi* Ratz propoſitiones contra Judæos & Judaizantes.
*Jacobus* Sadoletus in Judæorum avaritiam, & fraudes pro Chriſtianis Carpentoractenſibus.
*Jacobus* Simancas Hiſpanus, contra Judæorum perfidiam.
*Joſippi* compendium belli Judaici, ſeu Egeſippi.
*Joannis Baptiſtæ* confutatio Judaicæ ſectæ.
*Joannis Chryſoſtomi* contra Judæos oratio quinta.
*Joan. Ludovici Vivis*, de veritate fidei Chriſtianæ, liber tertius contra Judæos eſt.
*Joannis Peffenkoren*, ex Judæo Chriſtiani, multa contra Judæos opuſcula.
*Jacobi Parez de Valentia*, tractatus contra Judæos.
*Juſtini Martyris* cum Tryphone Judæo colloquium.
*Leo Caſtrus* in Eſaiam, adverſus interpretationes quaſdam ex Rabbinorum Scriniis.
*Ludovici Carrecti* ad Judæos epiſtola.
*Marquardus* de Suſannis, de Judæis, & aliis infidelibus, quoad controverſias, bella, fœdera, ultimas voluntates, judicia & delicta.
*Michaëlis Thomaſii* diſputationes contra Judæos, Mahumetanos, & Saracenos.
*Materni Piſtorii* narratio, de Conrado puero à Judæis interfecto.
*Moyſis* filii Maimon capita de rebus Chriſti Regis.
Ejuſdem Dux, ſive director dubitantium.
*Nicolaus de Lyra* contra Judæos de Incarnatione.
*Petrus Bleſenſis*, contra perfidiam Judæorum.
*Petri Coſti* typus Meſſiæ, contra Judæorum apiſtiam.
*Petri Alphonſi* dialogus contra Judæos.
*Philo* Judæus in Flaccum.
*Pauli Burgenſis* contra Judæorum perfidiam, Scrutinium Scripturarum.
*Petrus Galatinus*, de Arcanis Catholicæ veritatis in Hebraicis litteris,
*Petrus Roſſelus* de puero Judæo, quem pater in fornacem injecit propter ſumptam Euchariſtiam, & de converſione Judæi per S. Antonium Paduanum, cum equus hoſtiam adoraret.
*Richardus de S. Victoire*, contra Judaizantes.
*Robertus Gaguinus* de paſſione S. Richardi.
*Samuelis* Iſraelitæ Marrochiani epiſtola.



Digitized by Google

SÆC. XVI. ANNO 1580.

*Silveſter* in Summa, dictione *Judæi*.
*Silveſtri* diſputatio, ſive Chriſtiani & Judæi, Romæ coram Conſtantino habita.
*Theodori* Abucaræ diſputationes contra Saracenos, Judæos & Tritheitas.
*Tertulliani* adverſus Judæos liber, Tom. I. & adverſus Marcionem liber tertius.
*S. Thomæ* opuſculum XXI. de regimine Judæorum, ad Brabantiæ Duciſſam.
*Thomas Vius Cajetanus*, de Excluſione Judæorum à religionis ingreſſu.
*Victor de Carben*, de vita & moribus Judæorum.

DE

Digitized by Google

DE

# VITA SANCTI GEBHARDI

## CONSTANTIENSIS EPISCOPI,

Monaſterii, quod Petri domus ſeu Petershuſen appellatur, fundatoris.

## LIBRI DUO

Ex antiquorum relatione & traditione

Anno Domini M. CCCCC. XI. conſcripti.

PER

## FELICEM MANILIUM.

*Et ex chartis manuſcriptis Monaſterii Petershuſenſis publicati.*



Digitized by Google

Sæc. XVI. Anno 1511.

# HERMANNUS CONTRACTUS IN CHRONICO.

*Anno 979. Constantiæ Gamenolfus Episcopus obiit: eique Gebehardus nobilis & venerabilis Præsul succedens 16. annis Ecclesiam rexit, qui Basilicam Sancti Gregorii in ripa Rheni Abbatiamque suis ex prædiis construxit: jam dicitur Petri domus.*

---

# JACOBI BASNAGII IN MANILIUM, SCRIPTOREM VITÆ S. GEBHARDI, ET GEBHARDUM IPSUM OBSERVATIO.

I. Vita Gebhardi unde sumpta.

I. NOn diffitetur author hujus Vitæ, nulla se vidisse monumenta, e quibus Gebhardi vitam potuerit eruere. *Hæc pauca seniorum relatione ad* Manilii *pervenerant aures.* Si quis autumet ea ratione infirmari fidem scriptoris, utpote quæ in tanto temporum discrimine longaque seniorum successione sibi facile constare non possit, audiat ipsius *Manilii* rationes geminas: Priori se aliquatenus sacrosanctis Scriptoribus comparat, *Marco* scilicet & *Lucæ*, qui res non visas, sed auditu perceptas in Evangeliis descripserunt: posteriori vero asserit, seniorum quos audiverat verbis melius quam propriis oculorum obtutibus credere. Tantam ego fidem non invideo, miror magis; quippe vixit *Manilius* non nisi sex sæculis, aut circiter, post *Gebhardum*; fuit enim hic Constantiensis Episcopus vergente ad finem sæculo decimo; scripsit ille ineunte decimo sexto sæculo. Unde potuit igitur haurire vitam, quam descripsit? aut qua ratione hæc traditio potuit per longissimam annorum seriem transmitti? Hoc monitum voluimus lectorem, qui ipse judicium ferat.

II. Gebhardi genealog. apud Pistor. t. 1. pag. 647. Ibid. pag. 644.

II. Habetur Genealogia Gebhardi in Constantiensi Chronico a magno quodam nobilissimoque Gallo, qui filiam Regis Francorum, cujus tamen nomen non legitur, duxerat, deducta. Parentem habuit *Utzonem*, quem narrant tantæ fuisse pietatis & meriti, ut ejus aures sanctitatem sentirent, ac de ejus manu

Digitized by Google

manu cibum plurimi caperent, & cum ſatietate abirent, moxque alii ſaturandi venirent, & cum hoc venerabili viro *Deus quaſi joculabatur.* Cum clero addictus eſſet Gebhardus, ejus patrimonium invaſerunt fratres, ex Eccleſiæ facultatibus ſatis opulentum eſſe ſibi fingentes; at ille quanquam clericus gravi tamen indignatione portionem ſuam exquiſivit, comminatusque eſt eloquentiſſime, ſe arma ſumpturum & gladio defenſurum, niſi ſponte ſibi jus hæreditatis paternæ vellent concedere: quod fratres inviti fecerunt. Aliud ſilet Manilius in vita Gebhardi, ipſum nempe cùm hæreditate paterna frueretur, ejus partem Eccleſiæ S. Mariæ apud Conſtantienſes dono dediſſe. Leguntur in Chronico Conſtantienſi litteræ in hanc rem exaratæ & pacta ab eo ſancita. SÆC. XVI. ANNO 1511.

III. Ferunt illum inter Benedictinos Cœnobitas locum primo habuiſſe. Sic ſcripſere *Wion* & *Menardus*, ut hujus Ordinis gloriam extollerent. At merito ab eruditiſſimo *Mabillonio* fuit obſervatum, ne veſtigia quidem ulla monaſticæ vitæ a Gebhardo actæ in ejus vita, aut apud Hiſtoricos apparere; unde conjicit hunc errorem inde natum, quod Monaſterium *Petershauſen* S. Benedicto conſecratum condiderit. III. An Benedictinus?

IV. In diverſa plane abeunt Scriptores in aſſignando Epiſcopatus anno. *Hepidannus* enim anno tantum 985. præſulem creatum narrat: *Hermannus* vero an 979. *Gamenolfo* ejusdem urbis Conſtantienſis Epiſcopo ſucceſſiſſe tuetur. Alii anno 996. diem ſuum obiiſſe volunt; Hermannus vero annum proxime præteritum ipſius morti aſſignat. Hermannique calculus cæteris debet præferri, quippe jam anno 995. electus ſit Lantpertus, qui *Gebhardi* vices obiit. Fuit alius *Gebhardus* Conſtantienſis Præſul, toto ſæculo recentior: legitur ejus electio in fine Chronici Conſtantienſis: Indicatur ille etiam in narratione *Udaſchalci* tanquam Pontificis legatus, adfuitque *Concilio Waſtallenſi*, ibique Hermannum Auguſtenſem Epiſcopum, Imperatoris partes tuentem, arte prudentique conſilio liberavit. Cave ne in errorem impingas, dum Morerium pervolvens occurrit tibi Gebhardus primus Conſtantienſis Epiſcopus. Typographi incuriâ cubat hic locus in mendo; quippe plurimi jam fuerant Epiſcopi Conſtantienſes ante Gebhardum: ſed procul dubio dicitur primus, ut a Gebhardo ſecundo diſtingueretur. Cæterum hæc Gebhardi vita a Piſtorio denuo edita fuit. Habet etiam aliqua; ſed per tranſennam tantum, de Gebhardo *Mabillon* inſæculo Benedictino quinto. Ejus tumulo hoc Epitaphium fuit appoſitum: IV. Epiſcopatus & mors.

*Gentis honor noſtræ jacet hic gentis dolor atque*
*Præfuit huic urbi, cuncto ſed profuit orbi.*

Quod mirare magis, apparuit poſt mortem Abbati Periggero & hilari vultu dixit: *Scias pro certo, me apud omnipotentem impetraviſſe Deum, ut nullus fratrum, modo in hac monaſterio Chriſto deſervientium, à morte lædatur ſecunda, ſed omnes mortem ſubeuntes temporalem, vitam cum Chriſto poſſidebunt æternam.* Siccine Deus indiſcriminatim ſalvat Monachos omnes, qualitercunque viventes? Hoc unum obſervari debet, hanc vitam fuiſſe deſcriptam ex traditione, quæ illibata per quingentos fere annos ſervari non potuit.



Digitized by Google

Sæc. XVI. Anno 1511.

# INCIPIT PRÆFATIO IN VITAM BEATI GEBHARDI SECUNDI CONSTANTIENSIS EPISCOPI

Et Confessoris Christi, Petrishusensisque cœnobii constructoris.

CUm rerum conditor protoplastum in paradiso mandatis institueret salutaribus, eidemque eum præficeret loco, ut spiritalem ibidem gigneret prolem, donec prædestinatorum numero completo, sine ullo mortis interventu, simul cum corpore & anima ad illum scanderet locum, de quo malignus cum suis sequacibus ceciderat spiritus: livore invidiæ stimulatus diabolus, quod caro possessura esset gloriam, quam ipse spiritus perdiderat, fallaci persuasione seduxit hominem, & promittendo divinitatem, quam non habuerat, etiam immortalitate simul cum gloria, quam jam habebat, nudavit: Deus autem plus malitiam hostis, quam casum hominis detestatus, hominem quidem ad pœnitentiam revocavit, deceptorem vero æterna pœna mulctavit, dedit vero homini rectores atque magistros, quibus per Spiritum inspiravit suum, sive quid faciendum, quidve vitandum foret; ut cæteros regerent atque docerent per semitas justitiæ incedere, pravaque itinera devitare. Ad hoc promisit eis suum adventum in mundum, ut sua carne nostram liberaret carnem, & sua luce nostram illustraret cæcitatem, qui sedebamus in tenebris, & in regione umbræ mortis: hoc autem primo per Patriarchas, deinde per legem, postremo vero per multiformia Prophetarum prædixit oracula; hi enim omnes missi sunt, prænunciare adventum Salvatoris in carne, parareque Domino plebem perfectam.

Ubi verò venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Non solum autem eos, sed & qui sine jugo erant, vocavit, dicens eis: *Tollite jugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris.* Expleta ergo dispensatione, pro qua carnem assumpserat, cum reverteretur ad Patrem, à quo nunquam per divinæ majestatis unitatem recesserat, non reliquit suos servos orphanos, sed consolatione sui Spiritus eos confirmavit atque solidavit, & jussit eos prædicare & testificari per omnes gentes pœnitentiam, & remissionem peccatorum accipere per lavacrum regenerationis, & fidem Christi Domini, introitumque Regni cælestis, & gloriam permansuram. Hujus autem primi seminatores verbi fuerunt Apostoli, deinde eorum successores, videlicet Sacerdotes Domini, quorum plurimi etiam usque ad sanguinem pro eodem verbo certaverunt, ut vitæ æternæ participes fieri mererentur. Alii vero jejuniis, vigiliis, & orationibus semetipsos in ara cordis, Domino hostiam vivam immolantes, & aliis verbum vitæ annuntiantes, talentum sibi creditum cum lucro reportaverunt.

Inter quos beatissimus Gebhardus velut splendidissimum sydus, Alemannicis rutilabat in partibus, qui omni virtutum jubare ornatus, morum probitate & testimonio vitæ pollebat, adeo, ut Deus omnipotens per ejus merita crebro faceret mirabilia, cujus nos omnia gesta non didicimus, sed pauca seniorum relatione ad nostras pervenerunt aures, quæ etiam prout possumus ad posteros transmittere curamus: neminem ergo levitas remordeat verborum, nulli incultus sermo fastidium injiciat legendi, nec attendat auditor, quis, quomodo, sed quid, vel de quo loquatur; nec hoc quenquam movere debet, quod non visa, sed audita scribere præsumimus, cum etiam Lucas & Marcus Evangelium suum, & plerique sanctorum Patrum conscripserint, quæ utique non visu, sed solo auditu veraciter perceperunt. Quanquam & hi, quorum relatu nos hæc percepimus, tales ac tanti extiterint, ut eorum verbis melius quam propriis possemus credere oculorum obtutibus; sed in hoc anteriores videlicet non mediocriter culpandi sunt, qui viderunt & interfuerunt his, quæ per illum Deus operatus est, quod hæc litteris tradere ad laudem Christi minime curavere. Sed his intermissis, nos, Deo adjuvante, ad narrandi ordinem veniamus.

*Explicit Præfatio.*

INCI-

Digitized by Google

# INCIPIUNT CAPITULA.


Cap. I. *De eo quod de ventre matris excisus est.*
Cap. II. *De pueritia ejus.*
Cap. III. *Quod jam juvenis cum beato Conrado conversabatur.*
Cap. IV. *Quomodo ab eodem futurus prædictus est Episcopus.*
Cap. V. *De electione ejus.*
Cap. VI. *Quomodo imago sanctæ Dei genitricis ei in somnis apparuit.*
Cap. VII. *De Ottone Imperatore.*
Cap. VIII. *De unctione vitæque ejus sanctimonia.*
Cap. IX. *Quomodo fratrem suum paternam hæreditatem secum dividere coëgit.*
Cap. X. *Quod de sua parte prædiorum Monasterium construxit.*
Cap. XI. *Quando hoc incepit.*
Cap. XII. *De resuscitatione ejus, qui cum vestibulo cecidit.*
Cap. XIII. *De situ ejusdem templi, ejusque dedicatione & de reliquiis sanctorum ibidem collocatis.*
Cap. XIV. *Quod privilegium Romæ acquisivit.*
Cap. XV. *Privilegium ejusdem Monasterii.*
Cap. XVI. *Quod tunc etiam caput S. Gregorii acquisivit.*
Cap. XVII. *Quomodo Padum fluvium siccis pedibus pertransivit.*
Cap. XVIII. *Quos duodenos ad locum deputavit fratres.*
Cap. XIX. *Quod de servis suis artifices delegit, & quæ jura ipsis constituit.*
Cap. XX. *De militibus, quos Monasterio deputavit.*
Cap. XXI. *Quomodo claudum erexit.*
Cap. XXII. *De obitu ejus.*
Cap. XXIII. *De sepultura ejus & miraculis ad funus ipsius ostensis.*
Cap. XXIV. *Epitaphium super sepulchrum ejus scriptum.*
Cap. XXV. *Quomodo post obitum Periggero Abbati apparuit.*
Cap. XXVI. *De Habitu ipsius sancti.*
Cap. XXVII. *Quamdiu in Episcopatu fuit & quo tempore obiit.*


SÆC. XVI. ANNO 1511.

Expliciunt Capitula.

# INCIPIT VITA BEATI GEBHARDI EPISCOPI CONSTANTIENSIS.

## CAPUT I.

*De eo quod de ventre Matris excisus est.*

BEatus Gebhardus nobilissima Alamannorum stirpe, patre videlicet Uzone vel Huozone nomine, Rhetianorum Comite extitit oriundus. Quem mater dum gestaret in utero, morte debitum exigente, languore correpta est, in extremis vero posita suis indicavit hominibus, vivum scilicet in utero gestare infantem, rogatque, ut anima exhalata ventrem sibi incidant, infantulum tollant, calido arvinæ globo involvant Deique providentiæ cautissime custodiant. Quæ omnia ut ipsa rogaverat completa sunt. Hora autem adveniente, qua infans nasci debuisset, si materno utero foveri licuisset, vocem emisit infantulus, indeque cognitum est revolvendum, lucique reddendum fore: ô mira omnipotentis Dei opera, qui, ut ait beatus Joannes præcursor Domini, potens de lapidibus suscitare filios Abrahæ, pene sine fotu muliebris uteri columnam suæ procreavit Ecclesiæ. Huic certe accommodari potest illud, quod Dominus ad Hieremiam Prophetam dixit: prius quam te formarem in utero, novi te, & antequam exires de vulva, sanctificavi te.

CA-

Digitized by Google

Sæc. XVI. Anno 1511.

## CAPUT II.

### *De pueritia ejus.*

TUlerunt ergo infantulum & nutriri commendaverunt, adultumque litteris tradiderunt. Tunc puer cœpit bonæ indolis esse, & ceu prudentissima apis per multigenos flores mella, ita ille per diversas sacræ scripturæ paginas in alveario cordis dulcisonas congerebat sententias quibus postmodum populorum dulcificaret fauces.

## CAPUT III.

### *Quod jam juvenis cum Beato Conrado conversabatur.*

CUm autem puerilia transcendissel jura, & juvenilem vitam attigissel, Dei cœpit frequentare contubernia & præcipue beati ac Deo digni Sacerdotis Conradi (a) Constantiensis Episcopi, cujus etiam familiarissimus pedissequus extitit, ut videlicet in ejus probitate disceret, quicquid adhuc in ejus moribus emendandum foret. Sciebat enim scriptum esse; *Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris, & cum perverso perversus eris*; ideo & pravorum fugiebat consortia dicens cum Propheta: *Oculi mei ad fideles terræ, ut sedeam cum* eis *& ambulanti in via immaculata huic ministrabam.*

## CAPUT IV.

### *Quomodo à S. Conrado prædictus est futurus Episcopus.*

UNde & Spiritus sanctus dignatus est suis de eo prænuntiare fidelibus, quod jugum portaturus Domini, & pater familias in domo Domini futurus esset. Denique cum beatæ memoriæ Conradus, cujus superius mentionem fecimus, die quodam cum suis resideret, & causa existente domum ad horam fuissel (a) excessus: vir Domini Gebehardus, jocandi gratia, ut fieri solet, venit & sedit in loco, de quo Episcopus fuerat digressus. Ingrediens autem inopinate Episcopus, & videns Gebehardum suum occupantem locum, subridendo, ut fertur, ad eum locutus est. Eja, inquit, Gebeharde, quam cito meum anticipare voluisti locum? sed non ita erit; non enim tibi post me, sed alteri debetur. Illo vero assumpto, te Dominus suarum ovium rectorem prædestinavit atque Pastorem. Hanc autem Prophetiam veracem esse, rei exitus approbavit.

(a) *egressus.*

## CAPUT V.

### *De electione S. Gebehardi in Episcopum Constantiensem.*

NAm beatissimo Conrado ad Dominum translato (b) Bamenoldus ei in Episcopatum successit, qui plus minus quatuor præfuit annis, quo defuncto, Clerus, senatus, populusque Constantiensis Gebehardum sibi Pastorem unanimiter delegerunt, ipsam vero electionem summo Pastori acceptabilem atque suis ovibus Pastorem hunc etiam ab ipso Domino prædestinatum fuisse evidenti signo monstratum est.

(b) *Alii, Gaminolphus.* bene Mab.

## CAPUT VI.

### *Imago Dei genitricis ei in somno apparet.*

ERat namque in eadem Ecclesia imago sanctæ Dei genetricis Mariæ ligneæ insculpta tabulæ, quæ beato viro in somnis visa est virgam præbuisse Pastoralem eique præcepisse ut Dominicum gregem pasceret, eique pascua vitæ monstraret æternæ.

## CAPUT VII.

### *De Ottone Imperatore.*

OTto etiam ejusdem nominis secundus Imperator, audiens obitum Constantiensis Episcopi consensumque populi in electione venerandi viri Gebehardi, gratulabundus

(a) De Conrado duo memorantur pene inaudita primum quod ordines contulerit in Cœnobio Sangallensi die Dominica Palmarum: alterum *quod tres Orationes* de defunctis pro eo adhuc vivente quasi esset defunctus, in missa quotidiana recitati voluerit Mab. Sæc. Bened. Quintum. BASN.

Digitized by Google

bundus ei baculum cum Pontificali annulo direxit, præcipiens ut cum ovium ſubjectione Gebehardo omnes obedirent, eumque ſibi datum à Domino Pontificem gauderent; Erat enim idem vir Domino Imperatori familiariſſimus, eo quod Compater ejus eſſet, ideoque gaudebat quod occaſionem inveniſſet ad hoc eum promovendi, quod jam dudum concupierat, & ad quod eum digniſſimum omni vitæ ſanctimonia decernebat. SÆC. XVI. ANNO 1511.

## CAPUT VIII.

### *De unctione vitæque ejus ſanctimonia.*

CAnonica electione peracta unctuſque unguento ſanctificationis, quod *de capite deſcendit in barbam Aaron*, cœpit vir Domini, boni Paſtoris imitari exemplum, mercenarii devitare perfidiam; talentum ſibi creditum cum lucro reportare, omni mentis anniſu ſatagere, omni virtuti operam dare, ſicut decebat Domini diſpenſatorem: bonus, pius, pudicus, ſobrius, caſtus, & ut breviter dicam, omni bonitate conſpicuus univerſo morum decore ornatus. *Ibat enim de virtute in virtutem*, ut videret *Domini decorem in Sion. Omni cuſtodia ſervabat cor ſuum*, illud attendens quod Dominus in Evangelio ait: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt: omnibus omnia factus eſt*, ut omnes ſalvos faceret; omnia autem faciebat propter Deum, ut hæres ejus fieret, cohæres autem Chriſti.

## CAPUT IX.

### *Quomodo fratrem ſuum hæreditatem paternam ſecum dividere coëgerit.*

SEd quia de nobiliſſimis & ditiſſimis fuerat parentibus, qui ſibi fratribuſque ſuis multitudinem copioſam prædiorum reliquerant, (ſicut eſt humana avaritia, quæ divitiis non impletur) fratres ejus ſibi vendicabant univerſa, nec fratri quicquam dederant de ſibi relicta ſubſtantia; vir autem Dei, non cupiditate prædiorum, ſed Dei, cui ea tradere cupiebat, amore ſuccenſus, ſuam partem poſſeſſionum (a) à fratribus ſibi dari poſtulabat: Illis autem negantibus, vi extorſit ab eis, ut omnia æqua lance dividerent, nec quicquam eorum, quod ſuæ contigerat ſorti, permiſit habere. Hæc vero non malitia, ſed divino zelo, animo inardeſcente peragebat; ne forte fratres periculum ſuæ incurrerent animæ, ſi aliquid ſibi injuſte uſurpatum poſſiderent.

(a) Viderint Canonici Juris Doctores, an vis illata fratribus ſit laudanda. BASN.

## CAPUT X.

### *De parte ſuorum prædiorum Monaſterium conſtruit.*

PEracta autem hac hæreditaria diviſione, vir Domini Gebehardus, animo revolvens illam ſententiam, qua Salvator in Evangelio ait: *Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo:* Et, *niſi quis renuntiaverit omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus*; Suis ex prædiis Monaſterium ſancti Gregorii Papæ in ripa Rheni fluminis, juxta Conſtantiam civitatem conſtruxit, deputatis illic duodenis fratribus, qui die noctuque divinis ibidem inſiſterent officiis, quibus ſufficienter victum veſtitumque ſuis ex facultatibus miniſtrari conſtituit: de terrena ergo ſubſtantia ſibi nihil reſervavit, ſed cuncta Chriſti pauperibus fideliter erogavit, ſicut ſcriptum eſt: *Diſperſit dedit pauperibus, juſtitia ejus manet in æternum*, theſaurizare ſibi noluit in terra, ubi neſciret, cui congregaret, ſed theſaurizabat ſibi theſauros in cœlo, ubi nec *ærugo*, *nec tinea demolitur*, ubi *fures non effodiunt, nec furantur.*

## CAPUT XI.

### *Quando cœperit ædificare Monaſterium.*

ANno autem Dominicæ incarnationis nongenteſimo octogeſimo tertio, Epiſcopatus autem ſui quarto, undecimo vero imperii Ottonis ſecundi hanc eandem manufactam domum ex materialibus lapidibus Domino conſtruere cœpit, ipſe *vivus lapis* ponendus in non manufacta domo æterna in cœleſtibus, dicens cum Apoſtolo: *Non enim habemus hic manentem civitatem ſed futuram inquirimus*; Theſaurizabat ſibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehenderet veram vitam, quæ eſt in Chriſto Jeſu.



Digitized by Google

SÆC. XVI. ANNO 1511.

## CAPUT XII.

*Architectus in terram casu prolapsus & exstinctus, ab eo in vitam revocatur.*

CUm autem, Deo prosperante, jecissent fundamenta Ecclesiæ, toto nisu cœpto operi cottidie insistere, & Deo incrementum dante, ventum est ad hoc, ut parietibus in altum excrescentibus, necessario etiam lignorum instrumenta subrigerentur per quæ onera portantes ascenderent & descenderent, super quæ etiam opera facientes constare possent. Et ecce quadam die subito ex improviso accidit, quod omnes assistentes valde contristavit. Nam cum omnes certatim operi instarent, contigit ut fractis sustentaculis, in quibus stabant operarii caderent in terram; ita ut opifex, qui præerat operi, toto conquassato corpore, quasi exanimis inveniretur. Cumque ex eo quod acciderat, magna afficerentur tristitia, vir Domini Gebehardus, confisus in eo qui dixit: *Quæcunque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*; Jussit eum levari, & in oratorium sancti Michaëlis, quod ibi erat, deportare, & ejectis omnibus, ipse clausit ostium, seseque in orationem dedit. Quo orante elisus sanus surrexit, eumque ad opus redire jussit, atque ait: Vere nullus deinceps ex hoc cadendo suæ periculum patietur animæ: Jussitque omnes parietes certo tramite sursum sine vestibulis, sicut hactenus cernuntur, construi, ita ut laquearia ejusdem templi in modum crucis suspensa esse videantur. Quæ laquearia deauratis baculis in modum stellati cœli undique decoravit: muros vero per circuitum varia pictura perornavit, non tali, qualem Propheta Ezechiel perfodio pariete conspexit, sed tali, quæ opera Salvatoris, quæ vel in Veteri vel in Novo Testamento operatus est, ad ædificationem intuentium repræsentaret.

## CAPUT XIII.

*De situ & dedicatione templi, & reliquiis in eo reservatis.*

SItus autem ejusdem templi ad Occidentalem plagam versus est, secundum formam basilicæ principis Apostolorum Romæ constructam formatum est, propter quod eundem locum *Petri domum* appellavit: per circuitum vero congrua Monachis construxit habitacula, perfectisque omnibus decimo anno Ecclesiam in honore sancti Gregorii Papæ dedicavit, eamque multiplicibus & magnificis sanctorum reliquiis cumulavit, inter quas etiam brachium sancti Philippi Apostoli, ab Ottone tertio Imperatore sibi cum aliis plurimis condonatum, summo studio ibidem collocavit.

## CAPUT XIV.

*De privilegio Romæ acquisito.*

CUmque summo studio sanctorum reliquias & cætera quæque ad divinum cultum pertinentia undique ex diversis locis congregaret, ejusdem rei gratia etiam Romam properavit, ut & de Apostolorum liminibus sanctorum exuvias, privilegiumque libertatis perciperet, quod & magnificè impetravit. Nam cum jam sæpe dictum locum Principi Apostolorum proprietatis jure contradidisset, ab ejus vicario Joanne tale privilegium accipere promeruit.

## CAPUT XV.

*Privilegium summi Pontificis.*

JOannes Episcopus, servus servorum Dei, in nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris videlicet & Filii & Spiritus sancti. Notum esse volumus omnibus Christi fidelibus, qualiter Gebehardus secundus amabilis Episcopus sanctæ Constantiensis Ecclesiæ, dilectissimus confrater noster, orationis causa Romam veniens ad limina Apostolorum Principum Petri & Pauli, & ante nostram præsentiam, retulitque nobis, quatenus ipse Dei nutu compulsus, Ecclesiam cœnobitarum construxisset, super ripam fluminis, quod dicitur Rhenus, ad honorem beati Gregorii Confessoris Christi, in quo loco regulam sancti Benedicti Abbatis, & Monachorum fratrum luculentissimè ordinaret: ubi devotissimè de suis propriis prædiis, quæ à suis parentibus illi evenerunt, & partem de rebus S. suæ Ecclesiæ devotissimè obtulit, ad sustentationem & & stipendium illorum videlicet Monachorum, qui in ipso sancto Monasterio sedulò Christi laudes persolvere, die noctuque non cessant: de quibus nostræ humilitatis

Digitized by Google

tatis ſupplicans clementiam, ut prædictus locus ipſe ſub tuitione & defenſione ſancti Petri noſtra noſtrorumque ſucceſſorum Pontificum in perpetuum maneat: Ita tamen ut nullus Rex aut Dux neque Marchio, nec etiam Epiſcopus, qui per tempora in ipſo Epiſcopio fuerit, aut ulla perſona audeant de omnibus, quæ ibidem ab ipſo jam dicto Gebehardo Epiſcopo conceſſa ſunt, alienare, aut quoquo modo de ipſo ſancto Monaſterio extrahere, ſed tuta & ſtabilita atque firma uſque in futura tempora concedimus permanenda, ſed & hoc Apoſtolica præceptione, rogante ſupradicto confratre noſtro, interdicimus in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, ne aliquis eidem Monaſterio præficiatur, niſi quem communi conſenſu fratres ibidem Chriſti ſedulò ſervientes elegerint, electumque Epiſcopus benedictionis titulo confirmare procuret. Et hoc ipſum de advocati electione decerni placuit; ſi verò, quod abſit, aliquando contigerit, ut Epiſcopus ejuſdem ſanctæ Eccleſiæ hæreticus vel ſchiſmaticus exiſtat, fratres ſuprà dicti Monaſterii ex auctoritate Sedis Apoſtolicæ habeant poteſtatem Eccleſiaſticos ordines requirendi ubicunque Catholicum noverint eſſe Epiſcopum, nec ille iniquus, de hoc aliquam eis injuriam inferre præſumat; nam ſi quis aliquis homo, cujuſcunque ſit ordinis vel poteſtatis, quod non credimus, in aliquo diſrumpere tentaverit ea, quæ ab ipſo jam dicto confratre noſtro in prædicto Monaſterio conceſſa ſunt, & à jure & ditione ipſius Monaſterii auferre voluerit, niſi reſipiſcat, excommunicatus à corpore & ſanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti conſiſtat, & anathematizatus à ſanctis Patribus omnibus & à nobis, nec in exitu vitæ communicet, ſed etiam mortuo nomen ejus inter Miſſarum ſolennia nullo modo recitetur. Qui vero pio intuitu cuſtos & procurator hujus noſtri præcepti extiterit, benedictionis gratiam, vitamque ab ipſo Domino Deo & Salvatore Jeſu Chriſto mereatur, in ſæcula ſæculorum, Amen. Scriptum per manus Johannis Notarii & Regionarii & Scrinarii ſacri Lateranenſis Palatii in menſe Aprilis & indictione ſecunda, datum verò ſeptimo Kalendas Majas, per manus Gregorii Epiſcopi ſacræ Portuenſis Eccleſiæ & Bibliothecarii Sedis Apoſtolicæ, Anno Pontificatus Domini noſtri Joannis ſanctiſſimi Papæ quarto.

SÆC. XVI. ANNO 1511.

## CAPUT XVI.

### *Caput S. Gregorii Magni acquirit.*

INter cæteras verò (*a*), quas idem Pontifex, beato viro Sanctorum dederat reliquias Caput quoque ſanctiſſimi Papæ ſibi condonavit Gregorii: ſed hoc paucis & ſibi familiariſſimis cognoſcentibus; vir autem Dei tanto munere accepto, maximo delibutus gaudio, feſtinus urbem egreditur, verens hoc, quod etiam contigiſſet, niſi divina miniſtratione profectus fuiſſet. Romani enim cognoſcentes ſe tanto pignore privatos, ſe quaſi orbatos, gementes civitatem egreſſi, virum Dei unanimiter proſequuntur.

## CAPUT XVII.

### *Padum ſiccis pedibus pertranſit.*

QUod ille ſentiens fugam inivit, fugiendoque Placentiæ ad Padum fluvium uſque pervenit, quem in immenſum excreviſſe invenit, navemque altera in parte fluminis conſiſtere doluit; cumque nullum adeſſe conſpiceret, qui navim advehere potuiſſet, jam jamque inſequentes ſe advenire formidaret, quod tunc ſolum ſubſidii noverat, ad arma orationum confugit, ſeſeque in ripa fluminis Deo ſupplicem dedit, quem mox ſe invocantem Chriſtus in tribulatione dilatavit: quia *oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum*, & adhuc eo clamante dixit: Ecce adſum; illo

(*a*) Res ſic narratur in Chronico Conſtantienſi a Piſtorio vulgato. Romam veniens Gebhardus a Papa Johanne hujus nominis ſexto pro ſui veneratione adeo eſt honoratus, ut non tantum Privilegium quod ipſe petebat, ei concederet, verum ex gratia Pontificis ei permiſſum eſt, ut manum mitteret ad corpus B. Gregorii Papæ, hac conditione, ut quidquid uno tactu de ſacris oſſibus manu levaret, hoc ſecum deferat. Itaque Dei Gratia caput ejus cum aliis magnificis de corpore ejus Reliquiis ſuſtulit, hoc ſiquidem Sanctum caput pluribus poſtea temporibus lapſis inventum eſt in capſa firmiter olim ſolidatâ præ antiquitate, & in cautela prorſus reſoluta, quæ priſtinis temporibus, ut dicebatur, in Altari S. Petri in plaga meridiana recondita erat, aperta autem capſâ in ipſa altera capſa rubricata inventa fuit Sanctorum Reliquiis plena, inter quos dilectiſſimus Theſaurus capitis Sanctiſſimi Papæ Gregorii comminutus repertus fuit, aliæque plures Reliquiæ in eadem capſa repertæ fuerunt. Hactenus Chronicon Conſtantienſe, quo fides Manilii ejusque narratio firmatur. Non levis tamen oritur difficultas veritatis ſtudioſis ex eo quod legitur in Chronico S. Petri Vivi Senonenſis apud Dacherium Spicilegii T. 2. p. 716. cujus hæc ſunt verba; „ Poſtulavit „ idem Anſegiſus à Johanne Papa dari ſibi Reliquias Pontifi„ cum atque Doctorum Gregorii atque Leonis, quod & im„ petravit; dedit autem Johannes Papa caput B. Gregorii Pa„ pæ univerſalis, filii Gordiani, plumbo incluſum & Bra„ chium Sancti Leonis Papæ & Doctoris, ſuſcipiens autem „ hoc munus Anſegiſus detulit Senones in Baſilicam Sancti „ Petri *quod uſque in hodiernum diem illic magno cum hono„ re ſervatur*". Genuinos authores tam diverſa ferentes conciliare fruſtra tentaveris; quî enim caput Gregorii potuerit eſſe Romæ temporibus Gebhardi, ſi prius haberetur Senonis magno cum honore ſervatum? Vixerat Anſegiſus haſque ſecum Reliquias detulerat anno 869. qua ratione potuit igitur centum poſt annis eaſdem habere & in Eccleſia a ſe condita circa finem ſæculi decimi deponere? BASN.



Digitized by Google

SÆC. XVI. ANNO 1511.

illo namque orante & omnipotentis Dei misericordiam implorante, ut si voluntatis ipsius esset, quatenus iste sanctorum exuviæ ad locum destinatum pervenirent, sibi in hoc necessitatis articulo subveniret. Mirum dictu, Padus se submisit, & per medium suimet sanctissimo viro nodum optimum patefecit, & sicut de Israëlitico populo Psalmista canit, *Mare vidit & fugit, Jordanis conversus est retrorsum:* & iterum, *Deduxisti sicut oves populum tuum in manu Moisi & Aaron*, ita & nos de isto proclamare possumus: quia Padus illum vidit & fugit, & de cursu suo conversus est retrorsum, & fideles suos deduxit Dominus per aquas multas, in manu servi sui Gebhardi; Ipse autem vir Dei, statim ut sibi viam à Domino prospexit patefactam, cum suis omnibus ingressus omni cum alacritate pertransivit; unus autem nequam ex obsequio ipsius sancti postremus pertranseuntium factus, cunctis aliis egressis, in alveo fluminis solus inventus, concurrentibusque aquis præventus, atque suffocatus est, secundum illud quod scriptum est, *Væ soli, quia si ceciderit, non habet qui eum adjuvet, ut surgat.* Quod cum viro Dei nuntiatum fuisset, ait: Ex hoc nolite contristari, naulum enim hoc in loco dare debueramus, pro quo istum à Domino sublatum credamus; & cum lætitia Christo gratias agentes iter nostrum peragamus; Illi vero, qui virum Dei illo persequuti fuerant, videntes quæ facta sunt, ad propria revertuntur; quis verò hæc audiens non obstupescat, quisve obstupescens credat de sterili Alemannorum terra, tantum emicuisse virum, per quem Deus his temporibus antiqua renovare dignatus est mirabilia, sicut enim Moises cum Israëlitico populo, per mare rubrum; & Josue, Helias, & Heliseus, per Jordanica fluenta sicco pertransierunt vestigio: Ita iste Domini dilectus præpetes fluctus Padi alveo fidei concludens per semitam humanis pedibus hactenus inconcessam securis gressibus commeavit.

## CAPUT XVIII.

*Duodenos Monasterio deputat fratres.*

DOmum autem cum perveniisset, collocatis cum omni diligentia reliquiis ordinatisque duodenis, ut supra dictum est, ad locum fratribus, Periggerum tertium decimum vicem Christi inter eos agere constituit.

## CAPUT XIX.

*De servis suis artifices deligit, & jura ipsis constituit.*

POsthæc, convocatis servis suis, elegit ex eis optimos quosque & constituit ex eis cocos & pistores, caupones & fullones, sutores & hortulanos, carpentarios & singularum artium magistros, & constituit eis, ut eo die, quo fratribus deservirent, de cibo & pane fratrum cibarentur, quia dignus est operarius cibo suo. Ut autem bono animo suis ministrarent dominis, hujusmodi donario ipsos cumulavit: scilicet ut cum quis præsentium, vel eorum successorum, qui de progenie illorum esset, moreretur, (a) exuviæ de eis non sumerentur, sed hæredes relictam hæreditatem indivisam possiderent: si vero de alia progenie aliquis successisset, ab hoc donativo alienus extitisset.

(*) *In Marg. exembl. Manuscripti: Legend. puto: Exuvia exinde non sumerentur.*

## CAPUT XX.

*De militibus, quos Monasterio deputavit.*

COnstituit etiam alios clientes, qui equitando deservirent, scilicet ut semper parati essent ad equitandum, quocunque necessitas exegisset, & ad commodandum fratribus caballos suos quocunque popposcissent. Hæc autem vir Domini, quasi pennatum *animal plenum oculis antè & retrò* paravit, ut videlicet fratres ibidem Christo famulantes, spiritalibus atque carnalibus necessariis sufficienter instructi, expediti contemplativæ cum Maria & pedes Domini vacarent vitæ. Nec eos sollicitudo Marthæ in activa aliquoties perturbaret, & esset sicut scriptum est; *Nihil deest timentibus eum;* sciebat enim scriptum: *Propter inopiam deliquerunt multi*, & ideo providebat illis interius exteriusque quæcunque erant necessaria, ne inopia urgente cum periculo animæ subsidium quærerent hujus vitæ, & ipse pro hoc non beneficium, sed à districto judice Deo gehennæ tulisset supplicium.

CAPUT

Digitized by Google

## CAPUT XXI.

SÆC. XVI. ANNO 1511.

*Claudum sanat.*

CUm ergo quodam die in sæpè dicto deambularet loco, obvium habuit quendam claudum ejusdem loci incolam, qui curvatis ad terram genibus & scabellulis, quæ manibus gestabat, caput à terra sustentabat, in modumque quadrupedis omni corpore curvus deambulabat. Is autem peritissimus erat in omni sculptura lignorum, sicuti etiam in ejusdem Basilicæ valvis melius addisci poterit. Hunc ergo cum venerabilis vidisset Pontifex, ait ad eum; homo, cur manibus genibusque tellurem premis, nec rectis graderis plantis? scitis ait, scitis dudum Domine, quod Dei debilitatus judicio erectus quoquam gressum movere nequeo. At ille, baculum, quem manu gestabat, claudo porrexit: sume, inquit, & in hoc te sustenta, rectoque cursu deinceps ambula: ille autem sumens baculum super eo se erexit, novisque gaudendo Dominumque laudando gressibus currere cœpit; ô virum ineffabilem & principibus Apostolorum, Petro videlicet atque Paulo, comparandum, quorum unus claudum ad Speciosam portam templi jacentem & mendicantem erexit; alter verò dormitantem Eutychum & de tertio cœnaculo in inferiora cadentem vivum reddidit atque salvum: sic iste Domini dilectus claudum non jacentem, sed manibus genibusque reptantem propriis gradi fecit plantis, hominemque de altitudine murorum cadentem vivum reddidit & incolumem; qua in re considerandum est, quam sanctus quantique apud Deum meriti fuerit, per quem Christus non minora, quam etiam per suos Apostolos monstrare dignatus est. In modernis enim adhuc temporibus refrigescente etiam charitate multorum, in suo fideli, veritas complere dignata est, quod suis promisit discipulis dicens: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*

## CAPUT XXII.

*De obitu sancti viri.*

CUm autem bonorum remunerator operum, famulum suum de turbulento hujus mundi salo ad portum perpetuæ quietis educere decrevisset, molestia corporali pulsatus, dormitans non est inventus, sed succensa lampade venienti Domino atque pulsanti obvians ovando ei aperuit, dicens cum Apostolo: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo*; cumque languor corporis ingravesceret, & se de hoc sæculo citius migraturum præsensisset, rogavit, se in templo, quod ipse fabricarat, sepeliri; nam tunc temporis in Constantiensi morabatur civitate, in qua etiam hæc eadem eum infirmitas occupaverat. Languore autem ad vitalia veniente, sexto decimo Episcopatus sui anno, sexto Calendas Septembris viam universæ carnis ingressus est. Angelicisque, ut verè credendum est, manibus evectus, talentum sibi creditum Domino duplicatum repræsentavit, & ab ipso auctore audire promeruit: *Euge serve bone & fidelis, quia in modico fidelis fuisti: super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui!* Cum ergo totus ac sacerdotalibus, ut moris est, vestibus indutus & feretro impositus ad Ecclesiam fuisset deportatus; dissensio exorta est, utrum in ipsa Ecclesia, sponsa videlicet sua, an uti ipse rogaverat, in ea, quæ ab ipso constructa fuerat, debuisset tumulari: illis verò ita inter se altercantibus, aliis quidem ejus petitionem implere cupientibus, aliis verò tanti pastoris exuviis carere dolentibus: tandem major minorem vicit partem, quæ se sui patris reliquiis exorbitare nolle clamabat, & decreverunt eum in eodem loco sepeliri.

## CAPUT XXIII.

*De sepultura ejus, & miraculis in fuuere curando factis.*

ACcedentes autem hi, qui ad portandum feretrum deputati fuerant, loculum levare atque ad præparatum sepulchrum deferre conabantur, cumque brachia tenderent ad feretrum, cœperunt toto corpore tremere, ac immenso pavore concuti, ita, ut etiam penè humano amisso sensu, amentes efficerentur, tantoque pondere ipsum depressum est feretrum, ut humanis viribus moveri nequivisset; tunc omnes qui aderant, hoc miraculo perterriti, cœperunt dicere, illum sepulchri locum à Deo sibi prædestinatum non fuisse, tandemque divino correcti judicio, decreverunt, eum, ubi ipse rogaverat, sepeliendum fore. Portitores autem iterum accedentes cum omni velocitate loculum levaverunt, atque omnis illi pristina gravitudo ita ex toto immutata est, ut pène nil ponderis se portare præsensissent.

Cum autem januam ejusdem egrederentur Ecclesiæ, aliud non minus miraculum divina monstrare dignata est misericordia. Nam illis, ut dictum est, Ecclesiæ limen



Digitized by Google

Sæc. XVI. Anno 1511. egredientibus columba, cunctis cernentibus, advolavit, & supra jam sæpè dictum beati viri, nullo ambigente consedit feretrum, indeque non recessit, donec transnavigato flumine, Ecclesiam sancti Gregorii ingressi fuissent. Quam mox, ut intraverunt, columba, quæ videbatur, disparuit, eamque nullus deinceps videre prævaluit, tantique odoris fragrantia eos illic excepit, ut omnes se quasi renovatos crederent, nullusque se unquam aliquid, quod tanti esset odoris, præsensisse memorarit. Quæ etiam fragrantia, tamdiu super sanctum corpus permansit, quousque eum maximo in honore in meridiana parte ejusdem templi sepulturæ tradidissent: quia enim columbinæ fuerat simplicitatis, rectè in ejus funere columba apparuit; per quam mentis illius sinceritas vitæque monstraretur innocentia; rectè in exequiis pii Pastoris nova odoris fragrantia bonarum refectæ sunt nares ovium, quæ videlicet prius in anima ejus prædicatione semper reficiebantur simul & oratione. Utrum autem in ipsa columba sancta ejus anima, sicuti & de aliis sanctis legitur, quorum animæ sæpius in columbæ specie, cœlum visæ sunt penetrare: an quis alius apparuerit Spiritus, nobis quidem incognitum, Deo autem, cui omnia nuda & aperta sunt, est cognitum: qui etiam hoc ipso miraculo suum in cœlis dignatus est famulum hominibus monstrare clarificatum. Igitur beati Pontificis anima cœlo recepta, carne verò terræ honorificè commendata; tale Epitaphium ejus tumbæ aureis subscripserunt characteribus.

## CAPUT XXIV.

*Epitaphium super sepulchrum ejus scriptum.*

*Debita pars terræ fallentia tempora sperne.*
*Et memorare viæ quam testatur cinis iste.*
*Gentis honor nostræ jacet hic, gentis dolor atque.*
*Præfuit huic urbi, cuncto sed profuit orbi.*
*Hancque Deo Sedem Templi fundavit & ædem.*
*Parti terrenæ Deus ignoscens miserere.*
*Redde vicem justè quia te dilexerat iste.*

## CAPUT XXV.

*Quomodo post obitum Periggero Abbati apparuit.*

Post hæc quadam nocte ejusdem Monasterii Abbas Periggerus nomine, cujus superius mentionem fecimus, Oratorium, causa orandi ingressus est, cumque attentius in ipso noctis silentio orationi incumberet, ei beatus apparuit Gebehardus, & hilari vultu ad eum loquutus est: Scias pro certo me apud omnipotentem impetravisse Deum, ut nullus fratrum modò in hoc Monasterio Christo deservientium à morte lædatur secunda; sed omnes mortem subeuntes temporalem, vitam cum Christo possidebunt sempiternam. Hoc dicto, ab oculis ejus evanuit, nec eum ulterius cernere quivit. Ipse enim beatus jam de hoc sæculo victoriam nactus, suorum adhuc in mundo laborantium ærumnis non est oblitus; sed ut quidam ait: *Verus amor Christi vera est custodia legis. Et mandata Dei complet amans homines*, prioris recordatus amoris, sibi famulantibus & adhuc in via laborantibus, apud Deum est auxiliatus, eosque de prosperitate consummandi itineris est consolatus; ut videlicet eò ardentiores viam rectitudinis properarent, quò se ad patriam perventuros minus dubitarent. Quapropter & nos assiduè ejus implorare condecet auxilium, ut ejus meritis adjuti de periculis hujus evadamus exilii & patriam mereamur Paradisi.

## CAPUT XXVI.

*De Habitu ipsius sancti.*

Erat etiam idem venerabilis Heros capite calvus omnino, sermonem autem suum hoc juramento solebat firmare, quasi diceret: per meum caput non natum: quia videlicet non natus, sed de utero matris excisus, calido arvinæ globo est involutus, propter quod & dicebant, eum latum habere calvitium.

## CAPUT XXVII.

*Quamdiu in Episcopatu fuit & quo tempore obiit.*

Sedit autem in Episcopatu annis sedecim: sexto decimo defunctus est, die sexto Calendarium Septembrium; Anno ab Incarnatione Domini nongentesimo nonagesimo sexto; tertio decimo vero anno Ottonis Augusti ejusdem nominis tertii, regnante Domino nostro Jesu Christo, cui una cum Patre & Spiritu sancto unus est honor & gloria per infinita sæcula sæculorum, Amen.

*Explicit liber primus de vita S. Gebhardi Episcopi.*

INCI-

Digitized by Google

# INCIPIUNT CAPITULA LIBRI SECUNDI.

Cap. I. *De nebula, quæ ſuper tumbam ejus viſa eſt & quomodo ipſe cuidam clarificatus apparuit.*
Cap. II. *De cæco illuminato.*
Cap. III. *Quod multi dæmoniaci per eum ſint liberati.*
Cap. IV. *De ſanatione paralytici à dæmonio vexati.*
Cap. V. *De muliere vexata.*
Cap. VI. *Quomodo cuidam fratri apparuit.*
Cap. VII. *De cuſtode Eccleſiæ.*
Cap. VIII. *De ſcabioſo fratre.*
Cap. IX. *De curatione paralytici pueri.*

---

# INCIPIT SECUNDUS LIBER DE MIRACULIS SANCTI GEBHARDI.

Gitur poſtquam redemptor humani generis famulum ſuum Gebhardum de voragine hujus ſæculi ad ſupernam patriam tranſduxit, referuntur multæ virtutes, quas per eum nobis Dominus oſtendere dignatus eſt, dum ſancta ejus anima abſolvebatur à vinculis carnis, & rediit ad Dominum, qui dedit illam; & quantam potentiam ejus miſericordia cunctis auxilium & gratiam ad ejus tumbam devote precantibus, Dominus fecerit; non eſt noſtræ ſcientiæ, ut dignum eſt, vobis intimare: quædam tamen ad notitiam poſteriorum, prout Dominus donare dignatus fuerit, litteris commendare; quædam vero ſilentio præterire curamus; ne tædioſo lectori faſtidium incutiamus, & tantum ſtudioſo ſatisfacere valeamus. Nomina vero eorum à quibus nobis tradita ſunt, ſupprimimus, ſicut fecimus, ne ipſa barbaries vocabulorum offendat, & Latinus ſermo ſuum decorem non amittat.

Vir itaque Angelicæ in carne vitæ, Deo devotione contriti cordis militavit, dum vixit, & penitus ſe in hac carne crucifixit, ideo & Dominus, quia ſocius fuit paſſionum, conſortem fecit eum & conſolationum, non tantum in ſupernis ſedibus, remunerando; verum etiam in terris coram humanis obtutibus, ſignis & virtutibus illuſtrando, ſicut in ſequentibus luce clarius patebit relationibus.

## CAPUT I.

*Nebula ſuper tumbam ejus videtur, & ipſe glorioſus cuidam apparet.*

Frater quidam jam ſæpe dicti Monaſterii ad tumbam ſancti viri Gebehardi ſe orationi accommodavit, dumque ſe attentius Deo precibus commendaret, vidit nebulam totum ſepulchri ambitum contegentem, & ſuaviſſimum odorem ex ipſa nebula naribus præſenſit redolentem: quæ aliquantiſper morata, ab oculis cernentis atque

Digitized by Google

SÆC. XVI. ANNO 1511.

que ſtupentis paulatim ſubtracta eſt, qua in re conſiderandum, quanta claritate quantoque odore ſancta ejus anima in ſuperna civitate perfruatur, cujus etiam corporea putredo in terris tanta odoris fragrantia illuſtrata eſt. Quia enim de illis fuerat, quos Eſaias Propheta prævidens admiratur dicens: *Qui ſunt iſti, qui ut nubes volant?* Recte ab odorifera nube ejus viſitatum eſt mauſoleum, cujus converſatio ſemper in cœlis fuerat, & qui die noctuque ſuas ad cœlum cum odoramentis bonorum operum direxerat orationes, quaſi incenſum ſacrificii veſpertini; & ut per hæc apertius monſtraretur, æternæ lucis hunc inhabitare valde glorioſam manſionem. Sic enim iſtis etiam temporibus, rudibus fratribus ejus merita ignorantibus, ejuſque ſanctitati detrahentibus, cuidam eorum in viſione apparuit in lucidiſſima ſedens manſione, Sacerdotalibus indutus veſtimentis, mitra capiti ſuperpoſita cum ineffabili claritate excelſo ſedens in throno; dicens ad eum: ecce frater, oculis approbare poteris tuis, quod conſpectui omnipotentis Dei non ita deſpicabilis aſſiſto, quomodo quorundam fratrum tuorum exiſtimationi appareo. In omnibus enim utilitati ſuorum conſulens, ne fortaſſe ſibi detrahendo peccarent, ſuam, Deo opitulante, dignatus eſt eis præmonſtrare claritatem, ut videlicet ſcirent, quanto honore dignus, qualive reverentia ab hominibus in terris eſſet excolendus: ſed quia frater ille, cui viſus eſt, præ humilitate ipſam viſionem pene nulli innoteſcere voluerat hominum, divina clementia aliud apud ſepulchrum illius cunctis aſtantibus atque cernentibus in dæmoniaco homine oſtendere dignata eſt miraculum, ſicut poſtea plenius ſcriptum invenitur. Ex quo omnes correcti Sanctum Dei digna deinceps cum veneratione excoluerunt, eique ſe ſuis in orationibus ſtudioſiſſime commendaverunt.

## CAPUT II.

*Cæcus illuminatur.*

ALio quoque tempore cæcus quidam de pago Turgau advenit, & apud ſepulchrum ſancti Confeſſoris ad orationem conſtitit. Quem Deus ſecundum quod per Prophetam ſuum pollicitus eſt dicens: *Invoca me in die tribulationis & eruam te, & honorificabis me*; ſua miſeratione ſe invocantem reſpexit, eumque per merita ſui famuli Gebehardi de tenebris cæcitatis erutum lumen ſolis videre donavit. Ille autem admirans quis eſſet, quis fuerit, orbes oculorum circumducere cœpit, explorare cupiens ubi eſſet, vel qualiter circa ſe actum fuiſſet. Tandem ſe ſoli redditum recognoſcens, magno cum clamore Chriſto ejuſque Confeſſori gratias egit, cunctiſque ſe oculorum officia recepiſſe ingenti cum gaudio intimavit. At hi, qui eum cæcum adveniſſe viderant, videntem tardius credere poterant; ſed poſtquam veritatem experti ſunt, maximo cum tripudio miſericordi Deo gratias retulerunt, qui in ſuis ſanctis ſemper eſt mirabilis, & quoniam in ſæculum miſericordia ejus, ſuper omnes qui ex toto corde quærunt illum.

## CAPUT III.

*Plures energumeni per eum liberantur.*

PRæterea dæmoniaci multi per eum ſunt liberati, quorum quidam dum ad ſpelæum ducerentur, dixerunt, ſe ibidem eſſe exituros, ſed apud ſanctum Conradum ſe ejiciendos eſſe proclamabant. Cumque illò adducti fuiſſent, ſimilia fatebantur & reducendi plerumque in medio fluminis liberabantur, ut per hæc manifeſte daretur intelligi, utrorumque interventu eos à calumniatore eſſe liberatos.

## CAPUT IV.

*De ſanatione Paralytici à Dæmone vexati*

QUidam autem colonus ejusdem loci paralyſi diſſolutus, per multa tempora lecto decubabat languidus, qui die quadam ſolus cum ſola conjuge domi remanens, ſubito arreptus à dæmonio de lecto proſilivit, fuſtem arripuit, mulierem petiit, fuſtemque ad percutiendum eam libravit. Illa autem exiliens in manſiunculam aufugit, magnisque clamoribus cives advenire fecit. Audientes enim clamorem mulieris accurrerunt, hominemque quem jam dudum Paralyticum noverant, inſaniſſimum repererunt, quem vix maximo cum labore tenuerunt, nec ulla ratione ejus rabiem domare potuerunt, donec multorum viribus hominum collectis, ſellæ illigatum ad Eccleſiam deportarunt, & tumbæ ſancti Confeſſoris ſuperpoſuerunt, qui ſtatim ſecundum illud Apoſtolicum: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ſuper quam pote-*

Digitized by Google

*poteſtis portare; ſed faciet cum tentatione etiam proventum, ut poſſitis ſuſtinere*, meritis beati Pontificis Gebehardi liberatus, nec multo poſt etiam ex hac vita ſubtractus eſt. SÆC. XVI. ANNO 1511.

## CAPUT V.

### *De muliere obſeſſa à Dæmone.*

MUliercula de villa Schwindorff, dicta, de infeſtiſſimo dæmonio per multorum temporum curricula crudeliſſime vexata, per plurima ſanctorum loca eſt deducta, nec mundata. Tandem ad beatum Gebehardum amici ejus illam ſe perducere velle dixerunt. Hoc audiens dæmon, contriſtatus eſt valde & dixit. Et quid prodeſt, ſi me ad illum perduxeritis virum, in quo nil ſanctitatis conſtat haberi? Ego enim nulla ratione per eum de hoc vaſe expelli potero. Nam in vita ſua ſimulator atque ſeductor extitit, & hic talis quomodo in me aliquam exercere poterit virtutem? hæc & his pejora illo memorante: Inventori falſitatis nequaquam fidem accommodantes, invadunt iter, quod ducit ad locum *Petri domum* dictum. Quod cum dæmon præſenſiſſet, cœpit perturbari & contriſtari, & diras voces ad cœlum dare, & multo plus ſolito hominem diſcerpere atque vexare. Ad locum autem cum perveniſſent, magno cum labore ad Eccleſiam pertracta eſt. Statim dæmon per os mulieris ſanctum Dei maledicere cœpit, vociferando ſæpius, quam replicando atque dicendo: Væ tibi, male Gebeharde, ut quid me incendis? tunc ad ſepulchrum ducta, ibique miſerabiliter ab hoſte diſcerpta eſt, poſt paululum reducta eſt. Item poſt Miſſas, ſanctorum allatis reliquiis, multorum hominum viribus, aliis trahentibus, aliis vero compellentibus adducta magnis clamoribus vociferando, ſanctumque Dei per nomen maledicendo, & quod ſe incenderet importunis vocibus conquerendo, tandemque, quamvis laborioſe, tumbæ ſancti Confeſſoris ſuperpoſita, atque à Presbytero exorciſmus cunctis fratribus cum aliis multis aſtantibus ſuper eam recitatus eſt. Quæ ſtatim à maligno ſpiritu liberata conticuit, nec ultra vocem clamoris emiſit. Antiquo ergo hoſte recedente, mulier cui paulo ante pene nemo appropinquare auſus fuit, jam quaſi exanimis jacuit, nec ullum corporis membrum movere quivit. Tandem reſumptis viribus ſurrexit, diſcoopertumque pectus velavit, & lachrimabiliter Deum ac Salvatorem ejusque Confeſſorem Gebehardum quantis potuit verbis magnificavit. Quanta illic gaudia lachrimarum plena, quis memorare quiſve effari poterit? Ibi enim reſonabant voces diverſæ, Monachorum, populorum, diverſi ſexus & ætatis, cum ſono campanarum, omnes hymnum Deo concrepantes, qui per ſuum ſervum facturam manuum ſuarum de manu ſuperbi calumniatoris eripuit, & vas ſacro fonte baptiſmatis ablutum ab immundiſſimo autem invaſore coinquinatum emundavit, ad laudem & gloriam nominis ſui ſancti, & Confeſſoris atque Pontificis ſui Gebehardi; deinde vero cum vexillo ſanctæ crucis & populorum favore tranſmiſſa venit Conſtantiam, ut mater Eccleſia mortuæ filiæ & reſuſcitatæ congauderet, congaudensque ſpirituale convivium præpararet, ad quod amicos atque vicinos convocaret, dicens eis: *Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat*, & iterum; *Epulari & gaudere oportet, quia hæc filia mea mortua fuerat & revixit, perierat, & inventa eſt*; nocte autem ſubſecuta malignus iterum advenit habitator, & mulierem jam pridie dimiſſam ſuſcitavit, ejusque auribus talia infudit venena dicens: O dilectum vas, quare tam nequiter contra me feciſti, quod me tui antiquum inhabitatorem reſpuiſti, & fidelitatem mecum jam dudum conſervatam abnegaſti, propter ſeductorem illum Gebehardum, qui me expulit à te? Nam hunc ipſum ſcias tibi nullo modo profuturum fore. Sed redi quæſo, redi ad me; non enim dignum eſt, ut alterum pro me tuum in vas recipias, ſed rogo mihi non deneges jam tamdiu multum amabilem mei tecum cohabitationem. His & hujuſcemodi ſermonibus antiquo ſerpente auribus mulieris inſibilante, illa religioſas fœminas, inter quas illa nocte manebat, excitavit, eisque quas pateretur ab adverſario moleſtias aperuit, & ut Domino pro ſe ſupplicarent poſtulavit. Quo facto, & die craſtino imagine Crucifixi & Evangelio, quod beatus Joannes de verbo, quod in principio erat apud Deum, conſcripſerat, donata atque conſignata: omnis illa infeſtatio immundi ſpiritus ita ex toto diſceſſit, ut ulterius nunquam eam moleſtaverit, ſed ſaniſſima cum omni gaudio ad propria commeavit, laudans & glorificans eum qui fecit miſericordiam cum illa, cujus glorioſum nomen erit benedictum ex hoc nunc & uſque in ſæculum, Amen.



Digitized by Google

SÆC. XVI. ANNO 1511.

## CAPUT VI.

*Cuidam ex fratribus se aspectabilem præbet.*

IN eodem Monasterio erat quidam Monachus psalmodiæ nimium deditus, cui per somnum visum est, quasi coram tumba sanctissimi Confessoris Episcopi Gebehardi constitisset: cui sic stanti sanctus Pontifex, quasi de tumulo progrediens apparuit, & salutationis verba ad eum protulit, eique pavitanti sic ait. Noli timere frater! Ego enim sum Gebehardus ille, qui hanc ædem Christo, ejusque Confessori Gregorio fabricavi; vade ergo & dic fratribus meis, ut bono animo sint, & voluntarie Christo sanctoque Papæ Gregorio in hoc meo Monasterio deserviant, atque his addidit: sciatis pro certo, quod omnis quicumque in hoc Monasterio voluntarie cum bono proposito deserviens inventus fuerit, in omni tentatione atque tribulatione me sanctumque Gregorium fortes auxiliatores apud Deum habebit, & in extremo judicii examine ante thronum justi Judicis æterna vita coronandum ipsum perducturi sumus. His dictis ab oculis cernentis elapsus est.

## CAPUT VII.

*De custode Ecclesiæ.*

NEque hoc prætereundum puto, quod quidam è custodibus ejusdem Ecclesiæ, dum lumen lucernæ ad sepulchrum ejus ardens, ante lucem diei extinguere solitus esset, quadam nocte ei sanctus in somno apparuit Gebehardus, eique digito oculum tetigit. Quem statim morbus invasit, & in brevi luscum reddidit, & merito, ut qui sanctum Dei æterna luce in cœlis clarificatum in terris materiali lumine ex parte privavit, ipse quoque lumine, quo semitam regeret, ex parte privaretur.

## CAPUT VIII.

*De fratre scabie infecto.*

ALius etiam in eodem jam sæpe dicto cœnobio juvenis fuit, cujus brachia, tibiasque tumor & scabies valde gravis invaserat, nec ullis medicaminibus illi subveniri poterat; Cumque jam de humano desperaret auxilio, ad illius se contulit præsidium, qui dixit: *Ego occidam, & vivere faciam, percutiam & ego sanabo:* sed quia semet nequaquam idoneum conspexit ad ejus adjutorium implorandum, fidejussorem quæsivit, per cujus auxilium, quod voluerat, impetravit. Nam cum ad Missas quæ apud sepulchrum sanctissimi Pontificis celebrantur Gebehardi, Subdiaconi sæpius fungeretur officio, devoti cordis supplicatione flagitabat, ut quoniam humano sibi non potuisset subveniri medicamento, divino per intercessionem ipsius sancti sanaretur juramento; ad hæc se in eadem congregatione, si sibi sanitas concederetur, voluntarie usque ad finem vitæ suæ permansurum Deo & sanctis eis devotissime spopondit.

Quadam vero die post gemitus & suspiria orationum, caput super tumulum fessus reclinavit: Cumque surripiente somno obdormisset, vidit beatum Gebehardum quasi de crypta, quæ juxta est, Pontificalibus amictum ornamentis procedentem & ferula, quam manu gestabat, se tangentem, sibique audivit dicentem: sanus sis in brachiis & tibiis; hæc dixit & exparuit, & videns evigilavit, & illa hora levius habere se sensit, juxta illud, quod Psalmista de Domino loquitur dicens: *Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & salvos faciet eos.* Ergo ex illa hora, sicut ipse postea referebat, brachia, cruraque ipsius sanitate temperari cœperunt, donec in brevi ad instar pueri nuper nati omne corpus ejus integerrimæ sanitati restitueretur.

## CAPUT IX.

*Curat Paralyticum puerum.*

QUia vero Regis secretum bonum scimus esse celatum, Dei autem mirabilia, quæ sunt nimis inenarrabilia, optimum esse palam narrare, Christicolisque studiosius prædicare, nos quoque nequaquam silebimus, quod divina pietas nuper apud sepulchrum jam sæpe dicti Confessoris Christi operari dignata est, in Constantia namque civitate erat muliercula divitiis valde paupercula, sed fide Christi, ut post patuit plena, habens parvulum filium ab ineunte ætate paralyticum. Hic namque nunquam

erectus

Digitized by Google

erectus ſederat, nunquam pedibus ambulaverat, ſed ſemper æger lateri incubabat, & jam fere per quinquennium matrem ſic debilis vexabat: quem mater ipſa miſerabilis ſecum detulit in ulnis cum plebs undique conflueret, ut feſtivitatem concelebraret beati Papæ Gregorii in loco piiſſimi Præſulis Gebehardi, ergo jam dicta matercula flebilis venit ad tumbam beati Antiſtitis, parvulum juxta antrum ſanctum projecit, & ipſa ſecus illum orans conſtitit: cum ſubito ſe puerulus erexit & per ſemetipſum tunc primum aſſedit; quod cernens muliercula lætabunda nimis eſt facta, de ſibi præſtita omnipotentis gratia, feſtinaque accurrit, filium in brachia ſuſtulit, ad altare ſancti Gregorii ipſum deportavit, & lætiſſimis vocibus Domini miſericordiam collaudavit, & ſic ad propria gaudens repedavit. Ex hoc cœpit puer in dies viribus confortari, & poſt paucos dies, à matre duos baculos poſtulare: quos cum accepiſſet, ſe ſuper hos utraque manu ſuſtentavit, & aliquantis diebus huc atque illuc per ſemetipſum in laribus deambulavit. Poſt hæc calceamenta ſibi comparari, & ad Medicum iterum ſe reduci cœpit poſtulare. Mater vero libens nuntia peregit, quæ parvulus ejus poſtulans exigit. Porro calceamentis datis mulier filium tulit ad ſanctum, perrexit, & coram lecto ſe in oratione proſtravit; tunc poſt paululum puer baculos projecit, & per ſemetipſum firmis greſſibus domum lætus cum matre remeavit.

SÆC. XVI. ANNO 1511.

Ecce, Pater, ut potui, tua juſſa libens peregi, nec manibus conſcripſi, niſi quod auribus audivi, a viris veraciſſimis, probatis etiam ſenioribus, nec me culpare poteſt lector, quod mea conſcientia veritatum ſim in aliquo transgreſſor: ſi quid tamen mea imperitia culpatur, tua pater authoritate defendatur, erroremque benigne corrigat, ſi quis lector eum in hoc deprehendat. Ad extremum vero pie ſupplicamus Chriſto, ut intercedente beato Gebehardo veniam delictis tribuat, cæleſteque Regnum nos intrare faciat, ubi ipſe cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

*Finit vita ſancti Gebehardi feliciter.*



Digitized by Google

Sæc. XVI. Anno 1581.

# EDMUNDI CAMPIANI
## AD
# RICHARDUM CHENEUM,
## EPISCOPUM GLOCESTRIENSEM,
## De Reditu ad Romanam Eccleſiam
# EPISTOLA HORTATORIA.

*Ornatiſſimo Viro Richardo Cheneo, Epiſcopo Gloceſtrenſi Edmundus Campianus* S. D.

NOn me nunc, ut olim, juvenilis impetus, nec ſtyli facultatula, nec officioſa quædam ſcribendi ſedulitas ad ſcribendum *impulit.* Olim vis animi, major nunc neceſſitas extorſit hanc *epiſtolam*: nimium jam diu ſervitum eſt auribus, tempori, ſpebus, gloriæ; tandem aliquando ſaluti ſerviat & ſubminiſtret oratio. Per ego te naturæ bonitatem tuæ, per meas lachrymas, per ipſum Chriſti confoſſum pectus, & patibuli confixi vulnera obteſtor, diligenter attendito; Nullum de te nec finem nec modum facio cogitandi, nec unquam ferè cogito, quin me vehementer pudeat, & illud è pſalmo repetam, taciteque precer: Ab alienis Domine parce ſervo tuo: quid admiſi? Scriptum eſt, ſcilicet, Videbas furem, & currebas cum eo: & alibi: Laudatur peccator in deſideriis ſuis, & impius benedicitur: *Toties Gloceſtriæ tecum*, toties in ſecreto cubiculo, tot horas in penetralibus tuis, & intima bibliotheca fui, ubi, ſecluſis arbitris, hoc negotium agere potuiſſem, & non feci; quodque turpius eſt, aſſentando & connivendo ad morbum faculas admovi: & licet fucoſa dignitatis imagine, opibus, ætate, literis anteibas, nec tibi à me curatio animæ, aut ſpirituale pabulum debebatur: tamen cùm eſſes ea facilitate ſuavitateque morum, ut me adoleſcentem ſenex in familiare colloquium frequenter exciperes, quidvis dicenti ſecuritatem & ſilentium præſtares, querelas apud me tuas, certorum in te calumnias hæreticorum deponeres, paternè demùm hortarere, ut via regia planus & erectus incederem, ut eccleſiæ, conciliorum, patrum veſtigiis inſiſterem, his ut conſpirantibus nulla in re falſitatis labeculam aſpergi poſſe crederem: valdè mihi ſuccenſeo, qui pulcherrimam hanc anſam ædificandæ fidei, vel nefario pudore, vel ſcelerata negligentia præterirem, qui paululùm modò diſtantem à regno Dei non accenderem confidenter, ſed aura favoris & gloriæ tuæ potiùs umbratilem exiſtimationem honoris mei, quàm ſempiternum bonum promoverem. Cæterùm quia, tùm quod erat, ſublatum eſt, ut præſentem præſens conarer inflectere: proximum eſt, ad abſentem vox mea proficiſcatur, teſtis obſervantiæ, ſolicitudinis, anxietatis meæ, quam ille ſcit, apud quem quotidiana pro ſalute tua voveo. Audi, obſecro, audi paucis. Annos plus minus ſexaginta natus es, incerta valetudine, debilitato corpore, hæreticorum odium, Catholicorum pudor, vulgi fabula, tuorum luctus; inimicorum ludibrium; pugnante conſcientia falſum nomen uſurpas Epiſcopi, peſtiferam ſectam, quam non probas, tacendo publicas, perculſus anathemate, reciſus à corpore, in quod ſolum Chriſtus influit, exutus omnium ſuffragiorum, ſacrificiorum, ſacramentorum beneficio. Quis vidêre? quid exſpectas? quæ tua vita eſt? ecquam in eo tibi ſpem reſtare putas, quòd hæretici implacabili odio convitiiſque laceſſant? quòd ex omnibus hæreſiarchis tolerabiliùs inſanias? quòd vivam Chriſti præſentiam in altari, liberum hominis arbitrium profitêre? quòd catholicorum neminem in tua diœceſi protriveris? quòd hoſpitiis flores tuorum civium, & bonorum hominum? quòd palatium & prædia, non, ut tui ſodales, delumbaris? & quidem juvabunt iſta, ſi redieris ad complexum Eccleſiæ, ſi cum domeſticis fidei vel minimùm quicquam patiare, vel ſalubriter meditêre: nunc autem

Digitized by Google

autem dum foris es, dum hoſtis es, dum nequiſſimus transfuga ſub alieno duce militas, fruſtrà ſtudes integumentis virtutum innumera flagitia piare: nec aliud conſequêre, niſi ut cruciatibus æternis paulò fortaſsè minus horribiliter mactêre, quàm Judas, aut Lutherus, aut Zwinglius, aut illi ipſi Cooperus, Humfredus, Sampſonus, antagoniſtæ tui. Quid intereſt, quæſo, ad mortis genus? ad mortem verò ipſam nihil intereſt, altanè rupe quiſpiam præcipitetur in mare, an de ripa mittatur in profluentem; ferrone quis intereat, an laqueo; tortus in eculeo, an jaculo transverberatus, gladio diſſectus, an ſecuri; lapidibus obtuſus, an fuſtibus; igni toſtus, an aqua bulliente coctus. Quorſum attinet pro multis fidei capitibus dimicare, & in paucis perire vacillantem? cavere naufragium, ut pugionibus jugulêre? declinare peſtem, ut inedia contabeſcas? vitare flammulas, ut fumulo ſuffocêre? nullum fidei credit articulum, qui unum aut alterum recuſat credere. Nam ſimul ac pertinaciter tranſiliit limites Eccleſiæ, quæ eſt columna & firmamentum veritatis, cui Chriſtus Jeſus, ſumma, prima, ſimpliciſſima veritas, fons, lux, dux, linea, norma fidelium, inſtillat omnia; quantumcunque retinet catholicorum dogmatum, tamen ſi quod unum perniciosè vellicat, cætera quæ aſſentit, non jam orthodoxa fide, ſine qua eſt impoſſibile placere Deo, ſed ſuo ingenio, ſua perſuaſione retinet: otiosè catholicorum religionem tueris, ſi, quæ libitum eſt, ea ſola exoſculêre; alia, quæ tibi non videntur, amputes. Una, ſincera, nota eſt via, non meis tuiſque cancellis, non privato judicio, ſed humilitatis & obſequii ſeveris legibus terminata; à qua cum deflexeris, exorbitaſti: intùs oportet ſis in domo Dei totus, intra ſalutis parietes tutus ac ſalvus ab injuria: ſi paululum modò vagêre & ſpatiere, ſi pedem vel manicam è navicula prominentem negligas, ſi ullam vel minimam in hoc navigio pugnam dederis; exturbabere, occluſa eſt porta, exundat oceanus, periiſti. Qui mecum (inquit Salvator) non colligit, ſpargit: idque exponit Hieronymus, qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt: non es tam ſtupidus, ut Sacramentariorum hæreſim conſectêre: non tam demens, ut omnino Lutheranæ factionis aſſecla velis eſſe, quæ nunc œcumenicis conciliis (quibus tute fidendum exiſtimas) damnantur, Conſtantienſi & Tridentino: & tamen hæres in luto phantaſmatis tui, ſcilicet ut cornicum oculos configere videreris, ut fraterculis tuis arbiter ſederes honorarius. Memineris reſponſum, quod mihimet ipſi ſeriò ſancteque protuleris, tum cùm ante triennium in ædibus clariſſimi viri Thomæ Duttoni conveniſſemus, pranſuri Shyrburniæ. Incidimus in D. Cyprianum. Objeci tibi, ut tua ſenſa melius expiſcarer, Synodum illam Carthaginenſem, quæ circa baptiſmum puerorum lapſa eſt. Dixiſti id, quod res erat, non uni provinciæ, ſed Eccleſiæ Spiritum ſanctum adpromitti: eam univerſam in pleno Concilio repræſentari: oſtendi non poſſe doctrinam ullam, quæ tale Concilium fefellerit. Recognoſce tua tela, quibus in Euchariſtiæ myſterio debellas adverſarium. Clamas orbem Chriſtianum, cœtus Epiſcoporum cuſtodes depoſiti, hoc eſt, fidei antiquæ; hos ut interpretes Scripturæ commendas populo; latrunculorum quorundam figmentum impudens jure optimo rides & elevas: nunc quid dicis? en tibi celeberrimos patres & patriarchas, & Apoſtolicos viros noviſſimè coactos Tridenti, qui pro veterum patrum fide, communicatis operis, decertârunt; Legatos, Præſules, Cardinales, Epiſcopos, Oratores, Doctores plurimarum gentium, ætate maturos, rara ſapientia, dignitate principes, eruditione mirabiles; undique circumfluentes Italos, Gallos, Hiſpanos, Luſitanos, Græcos, Polonos, Hungaros, Flandros, Illyricos, multos ex Germania, aliquot ex Hybernia, Croatia, Moravia, ex Anglia quoque non neminem. Hi te, quamdiu ſic vivis, ut nunc vivis, feriunt, explodunt, eliminant, execrantur. Quid cauſæ adfers, maximè cùm tuis collegis bellum indixeris, cur non te totum citra exceptiones in horum præſulum diſciplinam ſubmiſſè dedas? vidiſtin' aliquid in cœna Domini, quod iſti non viderint, excuſſerint, diſſolverint? audeſné teipſum vel centeſima parte cum infimis hujus Concilii Theologis exæquare? non diffido prudentiæ, nec modeſtiæ tuæ, non audes: victus es ergò tuis judicibus, numero, valore, pondere, graviſſimo totius orbis terrarum, & maximo teſtimonio. Redi, redi ad cor (miſerabilis ſenex) reſtitue mihi veterem nitorem & egregias dotes tuas hactenus ſopitas in cœno turpitudinum. Da te parenti tuæ, quæ te Chriſto peperit, aluit, conſecravit: agnoſce parricidium; ſit erranti medicina confeſſio: alterum (quod aiunt) in cymba pedem habes, fortaſſè ſtatim, breviſſimè ſine dubio rapiendus è vita, ſiſtendus ad tribunal illud, auditurus, Redde rationem villicationis tuæ: quam niſi celeriter & accuratè cum adverſario peccati viator iniveris, ad ultimum quadrantem exactus de vita infelix agitabere ab eo, cui ſolvendo nunquam fueris: tùm illæ manus, quæ ſpuriis ordinibus tot miſellos juvenes initiârunt, ſulphureum corpus præ dolore pungent & terebrabunt: illud os impurum, perjuriis & ſchiſmate delibutum, ignibus ac vermibus & ſpiritu procellarum opplebitur: illa tuæ carnis ambitioſa pompa, Cella Pontificia, proventus annui, ſpatioſa domus, honorifica ſalutatio, famulorum cohors, apparatus

SÆC. XVI. ANNO 1581.



Digitized by Google

Sæc. XVI. Anno 1581.

elegans, rerum affluentia, quibus te ſtulta plebecula beatum æſtimat, in horribiles fletus, in ſtridorem dentium, in fœtorem, ſquallorem, fœditatem, carceres verteris: ibi te Calvini manes & Zwinglii, quibuſcum nunc luctare, perpetuò affligent, cum Arrio, Sabellio, Neſtorio, Wicleſo, Luthero: denique cum diabolo & angelis tenebrarum ſupplicia dependes, blaſphemias eructabis. Parce tibi, vitæ tuæ, dolori meo, licet fracta navi, projectiſque mercibus, tamen accipe tabulam pœnitentiæ, adnata quantum poteris, & vel nudus ad Eccleſiæ portum applica. Chriſtus, ne dubites, præſervabit manu, accurret, dabit oſculum, veſtiet ſtola candida: Cælites triumphabunt: De vita minima cura eſt: ille curabit, qui dat jumentis eſcam ipſorum, & corvorum pullis invocantibus eum: tu ſi noſtrum exilium deguſtaſſes, ſi conſcientiam repurgaſſes, ſi vividum pietatis exemplar oculis & animo luſtraviſſes, quod hîc in Epiſcopis, presbyteris, religioſis fratribus, præpoſitis Academicis, proceribus Regionum, laicis omnium ætatum, ordinum, ſexuum reſplendet; credo reliquam temporis uſuram gemitibus & fletibus imbuendam ſexcentis Britanniis commutares. Sin autem, quæ tuæ rationes ſunt, ſic impedire, ut liberè, quò velis evolare non queas: animum ſaltem graviſſimis catenis eripito, corpori quidvis impera, modò ne te ſua mole premat, & infra omnes mandet exilio: ubicunque remanſeris, aut quocunque diverteris, novit Deus, qui ſunt ejus, & propè eſt omnibus invocantibus eum in veritate. Da veniam (ſenex ornatiſſimè) juſtiſſimis aculeis, & ardori meo: liceat odiſſe mortiferam plagam; liceat inſignis viri, charique capitis quolibet vel acerbo pharmaco periculum præſentiſſimum redimere & propellere: jamque futurum, ſi *Chriſtus* annuet, ſi tute non refugeris; tàm exſpecto quàm te diligo. Diligo ut natura, literis, urbanitate, moribus præſtantiſſimum, & mihi multis tuis meritis officiiſque conjunctiſſimum. Si convalueris, beaſti me: ſi contempſeris, teſtor Chirographium hoc, Deus judicet inter me & te. Sanguis ſit tuus ſuper temet ipſum. Vale! ſalutis tuæ ſtudioſiſſimus Campianus.

*Tomi Quarti finis*

INDEX

Digitized by Google

# INDEX

## Rerum, Verborum, Perſonarum & Auctorum maxime memorabilium in hisce IV. Tomis MONUMENTORUM HISTORICORUM ET ECCLESIASTICORUM ſive Antiquarum Lectionum CANISII, occurrentium.

*Litera* a. *deſignat Tomum I.* b. *Tomi II. partem I.* bb. *Tomi II. partem II.* bbb. *Tomi II. partem III.* c. *Tomi III. partem I.* cc. *Tomi III. partem II.* d. *Tomum IV.* n. *notas. Numerus denique paginam uniuſcujuſque Tomi indicat.*

---


A.

Aaron Rex Perſarum *bbb.* 76. 77. Carolo M. inter alia dona etiam horologium transmiſit *c.* 244.
Abbas fur *bbb.* 68.
Abbas commendatarius apud Viſigothos nullus fuit. *b.* 289.
Abbates de triennio in triennium capitula celebrent *d.* 254.
Abbates Epiſcopalia officia exercere ne præſumant *d.* 84. 88.
Abbates ordinis S. Benedicti capitula Provincialia celebrent *d.* 87, 88. Monachos fugitivos revocent 88.
Abbatiſſarum viduarum electio arguitur ab Angelo *bb.* 217.
Abdiæ Prophetæ ſepulchrum ubi *b.* 113. 120.
Abominatio deſolationis in loco ſancto quid ſit *b.* 374.
Abraham, Iſaac & Jacob ubi ſepulti *b.* 113. 120.
Abrenunciatio in Baptiſmo facienda qualis. *b.* 546.
Abrotonum carmine deſcriptum *bb.* 268.
Abſolutionem à Pontifice Romano petit Alcuinus *b.* 418. 419.
Abſolvere à peccatis quomodo ſacerdos & etiam ſummus pontifex poſſit *d.* 597.
Abſtinentia non ad contumeliam naturæ, ſed ad exercitationem virtutis fieri debet *a* 130. 131.
Abſtinentia duplex *a* 356.
Abſtinentia ab uxore ante communionem 3. 5. aut 7. diebus c. 401. in diebus feſtis 403. a partu ibid.
Abſtinentia ab uxoribus miniſtris Altaris injuncta *b.* 273. IV. 274. XXV.
Abſtinentia conjugatorum ante communionem tribus diebus *b.* 113. ante Paſcha quadraginta. ibid.
Abſtinentia mira Simeonis Monachi ſeptimo ſaltem die cibum ſumentis *bbb.* 90.
Abſtinentiæ triennalis exemplum in puella *c.* 245.
Abſtinentia à ſanguine & ſuffocato tempore Auguſtini ridebatur *a.* 521.
Abſtinentia à ſanguine & ſuffocato ab Apoſtolis in Eccleſiæ infantia ob converſionem Judæorum mandata *a.* 522. 523.
Abſtinentia à pecunia & poſſeſſionibus in Rege eſſe debet *d.* 729.
Abſynthium carmine celebratum *bb.* 269.
Abuſus varii circa Euchariſtiam *d.* 548.
Abundii & Abundantii Martyrum corpora translata *c.* 68.
Abyſſus quid ſit *b.* 319.
Abyſſus locus tormentorum *a* 85. non eſt ab æterno. ibid. eſt factus ut eſſet medicina ibid. & 86.
Academiæ Sæculo XV. florentes *d.* 775.
Accaron civitas à Saracenis recepta *cc.* 489.
Accidens quid ſit *b.* 490. Accidentia quot ibid.
Accidens abſque ſubſtantia ut remaneat divina omnipotentia facere poteſt *d.* 485.
Acconenſis civitatis deſcriptio *d* 110.
Accon à Saracenis recuperata *d.* 209. 221.
Accuſandi jus quibus non concedendum *b.* 277.
Accuſationes adverſus Clerum non facile recipiendæ *bb.* 300.
Acediæ vitium *a* 708.
Acephali qui & unde ſic dicti *a.* 613. *n.*
Acephali qui *bb.* 365.
Acephalorum hæreſis à Sergio Conſtantinop. inſtaurata *c.* 233.
Acœmetorum Monachorum dolus. *b.* 76. *n.*
Acolyti ſunt accenſores luminum *b.* 544.
Actio omnis requirit potentiam & materiam *d* 640.
Actio & intentio, illa ſæpe bona & à Deo excitata, hæc vero mala *d.* 610. 615.
Actiones hominum ex mente & propoſito vel bonæ vel malæ *c.* 80. 81.
Actus omnis ex triplici cauſa proficiſcitur *a.* 564.
Adalbero Friſingenſis decanus amne merſus *cc.* 105. 106.
S. Adalberti Pragenſis Epiſcopi vita c. 41. qualis fuerit 43. auctor ejus vitæ quis ibid.
S. Adalberti parentes *c.* 45. quid nomen ejus ſignificet *c.* 45. *n.*
S. Adalbertus fit Epiſcopus Pragenſis *c.* 97. ejus fratres *c.* 98. *n.* ejus virtutes ibid. & 99. Hieroſolymam cogitat 50. fit Monachus 51. redit Pragam 52. 64.
S. Adalbertus ob adulteram receptam & necatam Romam iterum petit *c.* 53. redit denuo Pragam 54. ejus fratres cæſi 55 61. 64. & 55. *n.* Pruſſos adit 56. ejus martyrium 57. 58. 65.
S. Adalbertus Beſtiis prædicat *c* 57. *n.*
Adalbertus parthenopoleos Epiſcopus *c.* 46.
*Adam* vox *rufum* ſonat *a.* 488.
Adamus an incorruptibilis antequam peccarit *a.* 568.
Adam non neceſſitate naturæ ſed pro peccati merito mori debuit *b.* 277.
Adam Paradiſi & cuſtos & colonus fuit *a.* 389.
Adam ubi formatus *d.* 778. 780.
Adam an voluntate Gnomica lapſus ſit *bb.* 449.
Adam vates fuit *d.* 268.
Adamum per calumniam damnatum fuiſſe, dogma Theod. Mopſ. *a* 578.
Adamus à Magiſtratibus Materiæ formatus ceu Machina ad trudendum animas in corpora, dogma Manichæorum *a* 137,
Adami & Evæ conjunctio poſt peccatum facta *a.* 209.
Adamus ubi ſepultus *a.* 244. *n. d.* 437.
Adami reliquias Chriſtum Hebrone viſitaſſe Hiſpanus quidam Epiſcopus docuit *d.* 458.
Adamus, de cranio Adami fabula *a.* 244. *n.*
Adæ & Evæ ſpelunca *d.* 20. & ibid. *n.*
Adamus ſecundus Chriſtus, quare *b.* 75.
Adam vetus & novus quid ſint *b.* 371.
Adamiani Hæretici *d.* 712.
S. Adamanni libri tres de S. Columba *a.* 674.
Adamnanni nomen, ætas &c. *a* 674. ſeq. 676. more Scotorum Paſcha celebravit *a.* 675. 676.




Digitized by Google

Adamnanus Monachus, ab Adamnanno ſcriptore vitæ S. Columbæ diverſus *a* 674.
Addere ad SS. aut detrahere quomodo prohibitum *d.* 479.
——— ad doctrinam quot modis fieri poſſit *d.* 478. 479.
Addus ſive Budda ante Manetem Hæreſin Manichæorum inſtituit. *a.* 57.
Adelbert & Clemens ſeductores à S Bonifacio excommunicati *b.* 244. & 16. *n.*
Adelboldus Trajectinus an auctor vitæ Henrici Sancti *cc.* 25.
Adelhais Rudolfi Regis Burgundiæ filia, Loharii Regis Italiæ conjux à Berengario captivata, ab Ottone I. vero liberata *c.* 259.
Adelhaidis Ottonis I. conjugis vita *c.* 69. ab Odilone cluniacenſi ſcripta ibid.
Adelhaidis Epitaphium *c.* 72. ejus origo 73. & ibid. *n.* ejus conjugium cum Lothario ibid. dein cum Ottone I. 74. & 16. *n.* ejus diſſidium cum filio Ottone II. 75. ejus virtutes 76 ſeq. obitus 79. 80. miracula 81. ſeq.
Ademari fragmentum de S. Adelberto & S. Brunone *c.* 66.
Ademarus vide Althelmus
*Admodiare* à Cangio quomodo expoſitum *a.* 635.
Admontenſe Monaſterium à quo fundatum *cc.* 105. 315. 435.
Ado Viennenſis Præſul Fauſti adverſarius *a.* 346.
—— Viennenſis, quo tempore Deſiderii martyrium ſcripſerit & obierit *bbb.* 3.
Adolphus Imperator factus *d.* 209. Conſpiratio in eundem 211. ejus mors 212. 226.
Adoratio triplex, latriæ, hyperduliæ & duliæ *d.* 602.
Adoſinda Aldefonſi filia, eam Elipandus ad ſuas partes adducere tentavit *b.* 291. 297. *n.*
Adriani I. Pontificis laus *b.* 262. Theodorum in priſtinum gradum reſtituere voluit *bb.* 465.
Adrianus Papa, Alcuini ad eum Epiſtola *b.* 419. Caroli M: opem contra Longobardos imploravit ibid. *n.*
Adriani pontif. Epiſtola ad Elipandum quæ contineat *b.* 286.
Adriaticum mare unde ſic dictum *d.* IX.
Adulterinum quid ſit *a.* 622. 627.
Adulteria naturæ *cc.* 202. 203.
Adulteri quot annis pœnitere debeant *bb.* 111. 127. 308.
Adulterare verbum Dei quid ſit *b.* 318.
Advocatus curiæ apud Reges & Duces Francorum, qualis ea dignitas fuerit *cc.* 579. 580.
Advocati Eccleſiarum Eccleſias ne onerent ultra debitum *d.* 90.
Ægidius Carlerus ab Ægidio Nettelet Decano Eccleſiæ Cameracenſis diverſus *d* 449. quis fuerit 457. ejus oratio in Concilio Baſil. *b.* 566.
Ægritudo quid ſit *d.* 416.
Ægrotorum unctio oleo ſancto non ſolum ſacerdotibus, ſed & omnibus Chriſtianis licet *bb.* 108.
Ægypti deſcriptio *d.* 25. 26. 341.
Ægyptus, in ea non ordinabatur præſul niſi à Patriarcha Alexandrino *a* 36.
Ægyptus myſtice expoſita *b.* 314.
Ælia quando & à quo condita *a.* 287.
Ænigma Walafridi *bb.* 247.
Æones XXX Valentini *a.* 281. & ibid. *n.*
Æra Hiſpanica quot annis diſcrepet à Chriſtiana *b.* 297. *n.*
Æricus Dux Forojulienſis *b.* 438. *n.*
Ætas ſpiritualis Patrum, juvenum & puerorum *a* 386. *n.*
Æternitas Chriſti *b.* 70. 79. 80
Æternorum & temporalium diſcrimen *b.* 436.
Aëtius Arianus, ejus ſchiſma ab Eudoxio *a.* 175.
Aëtii Ducis Romani fraus ad amovendum Attilam & Thoriſmundum *b.* 156. ejus mors ibid.
Aëtius à Valentiniano III. interfectus *a.* 317. 318. 322.
Æthelredus Northumbrorum Rex, Alcuini ad eum Epiſtola *b.* 387. & ibid. *n.*
S. Afra & Dionyſius nunquam Auguſtam venerunt *cc* 9.
Afrorum legati ad Carolum M. *bbb* 76.
Agapen in Eccleſia non licet fieri *b* 271 XXVIII. *c* 394.
Agapetus Papa Anthimum Patriarcham Conſtantinop. depoſuit *d.* 375.
S. Agatha Virgo & Martyr *a.* 743.
Agatho Papa, Præſes ſexti Concilii Canonem de Sabbato non niſi unico jejunio tranſigendo confirmavit *c.* 311. 312. itemque de non prohibendis clericis à conjugio 313.
Agaunenſe Monaſterium à quo fundatum *b.* 204.
Agaunenſes Martyres, de iis hymnus *bb.* 225.
ἄγη quaſi *ſine terra d.* 672.
S. Agnes virgo & Martyr *a.* 746.
S. Agnetis Martyrium *bb.* 317. & ib. *n.*
Agni Paſchalis caput Chriſti Divinitatem, pedes humanitatem figurarunt *b.* 341. 342.
Agnoëtarum error *a.* 329.
Agobertus Lugdunenſis Epiſcopus, Walafridi verſus ad eum *bb.* 250.
Agrimonia carmine deſcripta *bb.* 273.
d'Aguirre, Cardinalis, ejus ſententia de Oreſio, Oreſiaſi & Orentio examinatur *a.* 164.
Agricola, Ruricii ad eum Epiſtola *a.* 397. quis fuerit ibid. *n.*
Aichſtadt unde dicta *d.* 236. *n.* ejus Præſules Archiepiſcopi vices quandoque gerebant ibid.
Aichſtedenſis Epiſcopatus quando conſtitutus *c.* 240.
Aiſtulfus Longobardorum Rex à Pipino bello petitur *b.* 221. 222. ejus obitus ibid.
Aiſtulphus à Pipino victus *bb.* 49. *c.* 241. quomodo mortuus *bb.* 49.
Alaricus Gothorum Rex Romam capit *b.* 184. *cc.* 234. ejus in Gallia clades *b.* 191. à Clodoveo trucidatur 203.
S. Albani Martyris acta, auctore, ut videtur, Sigeardo *d.* 153. eorum falſitas 155. acta alia 167.
S. Albanus Theoneſti diſcipulus fuit *d.* 158. eum imitatur ibid. Arianos Moguntiæ oppugnat 164. ibique fit Martyr 165.
Albertus & Otkarius Norici Principes Pipino conjuncti *d.* 751.
Albertus Auſtriacus Inperator *d.* 212. 226.
Albinus ab Alcuino diverſus *b.* 381. 382.
Alboinus Longobardorum Rex *b.* 211. factione conjugis occiſus *a.* 338. ejus geſta *c.* 227.
Alcuinus, Trithemii de eo teſtimonium *b.* 380. unde Albinus dictus *b.* 386. *n.* quis fuerit *b.* 381. ſeq. Bedam præceptorem non habuit ibid. & ſeq. Eboraci infantiam peregit *b.* 409. & ib. *n.* 410. ejus ſtudia & labores *b.* 390. diſcendi ſtudium *b.* 402. ubi ſtudia ſua confecerit, & ſcholam erexerit *b.* 362. & 391. *n.* Opera varia quæ ſcripſit *b.* 484. 485. Epiſtolæ *b.* 379. ſeqq. Epiſtola de Confeſſione peccatorum facienda, ad Pueros S. Martini *b.* 453. an eadem ac liber ejus de auriculari confeſſione ibid. Homilia in Natalem S. Willibrordi *b.* 457. Elegia de S. Willigiſo *b.* 470 Dialectica *b.* 484. Grammatica *b.* 506. ſeq. libri de Trinitate, de iis Caniſii admonitio *b.* 538. Epiſtola de illo Canticorum loco *Sexaginta ſunt Reginæ* &c. *b.* 539. Epiſtola de Cæremoniis baptiſmi ei abjudicatur ibid. *b.* 542. cujus ſit ibid. Carolo M. Scripta ſua tranſmiſit cenſenda & corrigenda *b.* 394. *n.* Felicis & Elipandi errores impugnat *b.* 497. & 16. *n.* Septem libros contra Felicem ſcripſit *b.* 294. ab Elipando durius habitus *b.* 286. 288. ejus adulatio erga Elipandum *b.* 285. 286 ipſi faſtus & divitiæ ab Elipando exprobrantur *b.* 290. ejus ſervorum numerus *b.* 290. ejus mos nomina aliena hominibus tribuendi *cc.* 266. hortandi mos *b.* 388. *n.* in Numeris myſteria ad ineptiam uſque quæſivit *b.* 397. *n.* ejus fidelitas ergo Offam Merciorum Regem *b.* 422. & ibid. *n.*
Alcuini adventus in Galliam *bbb.* 57.
Alcuinus quo tempore in Galliam venerit *cc.* 266.
Alcuinus ubi mortuus & ſepultus *b.* 410. *n.*
Alcuini Epitaphium *b.* 377.
Alcoranus à Mahomete conſcriptus traditur *d.* 442. eſt rhithmice ſcriptus 447.
Alexander de Ales Doctor irrefragabilis *d.* 573.
Alexander Severus quo tempore natus *a* 8.
Alexander Severus mitis in Chriſtianos *a.* 5. Chriſtum cum Orpheo & Apolline Deum habebat ibid.
Alexandria urbs, ſedes ſcientiarum *a.* 191. & ibid. *n.*
Alexandria quando condita *b.* 172.
Alexandrinus Patriarcha olim ſecundus à Romano fuit *d.* 56.
Alexandri IV. Epiſtola in cauſa Philippi Electi Salisburg. *d* 191. 192. contra Sacerdotes concubinarios 193. 194.
Alexius, III. Græcorum Imperator, ejus geſta *d.* IX. X. fuga XII. reliqua fata XVIII. & ibid. *n.*
Alexius IV. à Philippo Romanorum Imperatore auxilium petit contra patruum *d.* IX. à Latinis crucigeris Imperator factus XI. XII. ſeditio adverſus eum XIII. ſuffocatur à Murciphlo ibid.
Alicula qu'd ſit *bbb.* 63. *n.*
Allatius Voſſium erroris circa Simeonem Metaphraſtem inſimulans notatur *c.* 22.
Allatii argumenta circa Joannem Papiſſam refutata *d.* 362.
Allegoriæ variæ *b.* 369.
Allegoria quotuplex *b.* 332.
Allegoricus ſenſus in S. S. quærendus *b.* 332.
Allegoriis abutuntur Hæretici *b.* 333.
Alleluja quare ſervetur in aliis linguis *bb.* 39. quoties & quan-

Digitized by Google

quando cantetur ibid.
Alleluja lacus in Ecclesia dicere non debet *c.* 402.
——— in Quadragesima non canunt Latini *c.* 882. *d.* 63.
*Alleluia* & *Gloria in Excelsis Deo*, hymni ab Angelis in N. T. decantati *c.* 305. a Latinis tempore Quadragesimæ & à septuagesima intermittuntur ibid.
Alleluja à Latinis novem hebdomadibus non cantatur *c.* 304. *d.* 63.
*Aliud natura* & *natura alia* idem prorsus sunt *b* 46.
Alius & alius, non aliud & aliud in Trinitate *a.* 622. & ib. *n.* 628.
*Alius* & *alius* de hypostasibus, *aliud* & *aliud* de naturis in Christo prædicatur *b.* 46. 50. 51. 59.
Almachii martyrium quo Imperatore contigerit *bb.* 314.
Almaricus Rex Hierosol. *d.* 429. ejus gesta ibid.
Alodes, Alodum, Alodium quid significent *bb.* 53. *n.*
Alphonsus Rex Hispaniæ Imperator electus *d.* 191.
——— Arragoniæ Rex à Papa Bonifacio VIII. anathemate solutus *d.* 211.
Alpium Cottiarum prædia Romanæ Sedi à Longobardis restituta *cc.* 246.
Altaich superius & inferius Monasteria *d.* 171.
Altare, nihil in eo ponatur nisi capsæ cum sanctorum reliquiis & quatuor Evangelia *c.* 399.
Altgerus Monachus, Walatridi versus ad eum *bb.* 253.
Althelmi sive Adhelmi, duo *a* 712
——— Scripta *a.* 710. primus apud Anglos Poëta latinus 712.
S. Althemi de laude virginum & de octo principalibus vitiis libri II. *a.* 709.
Alvarus Cordubensis Beatum ab Etherio non distinxit *b.* 288.
Altinus Episcopus Eichstedensis quo tempore Episcopatum tenuerit *bb.* 164.
Amalsuinda Theodorici Italiæ Regis quondam conjux à Theodato occisa *c.* 224.
Ambrosia carmine descripta *bb.* 273.
Ambrosii varii *b.* 498. *n.*
——— duo *a.* 553. *n.*
——— pueri os apum examine contectum *a.* 725.
——— sententia circa potestatem Imperatoris in divinis *c.* 373.
——— testimonium pro transubstantiatione adductum *d.* 468. 469.
Ambrosius ex Iudice Episcopus Mediolanensis factus *cc.* 232.
——— & Gregorius an a Principibus ad pontificatum promoti fuerint *c.* 381.
——— Theodosium II. adiisse narratur *d.* 161.
S. Ambrosius, versus de eo *bb.* 80.
Amen, quare hæc vox in aliis linguis retineatur *bb.* 39.
Amicitia, ab ea curiositas abesse debet *a.* 121.
Amicitiæ bonum *b.* 376.
——— regulæ *bb.* 404.
Amicus quasi animi custos *b.* 401.
——— diu quæritur, vix invenitur, difficile servatur *b.* 387. & ibid. *n.* 401. 425.
S. Amos Eremita *a.* 738.
Anacletus Rom. Pontif. Idolis sacrificavit. *bbb.* 88. 120.
Anagoge est intellectus Angelicus *b.* 333.
ἀναφορὰ quid sit & unde sic dicta *a.* 470. 472. *n.*
ἀνασκινάζειν quid significet *a.* 767. *n.*
S. Anastasia virgo *a.* 750. seq.
Anastasii Abbatis liber contra Iudæos *bbb.* 7.
Anastasii Antiocheni orationes quinque *a.* 429. ejus Scripta alia 430. 431. 432.
Anastasii Antiocheni ὁδηγὸς alteri Anastasio tribuendus *a.* 433. 434.
Anastasii oratio de Trinitate *a.* 436. de incircumscripto *a.* 447. seq. de divina Oeconomia *a.* 450. de passione & impassibilitate Christi *a.* 457. de resurrectione Christi *a.* 462.
Anastasii Bibliothecarii lapsus in vertenda voce σαλὲ *a.* 793.
Anastasii Sinaitæ Oratio de Sacra Synaxi *a.* 465. in psalmum VI. *a.* 480.
Anastasii Syllogismi *a.* 18.
Anastasius Antiochenus expertem se disciplinæ profitetur *a.* 437.
Anastasius Sinaita, quis fuerit, quo tempore vixerit *a.* 433. quare νέος Μωσῆς vocatus ibid. ejus opera 434.
Anastasius I. Imperator Ormisdæ Papæ rescripsit: Nos jubere volumus, non juberi *c.* 223.
Anastasius Imperator fulmine perculsus *a.* 328.
Anathemate eodem damnantur qui damnatos recipiunt *bb.* 4.
S. Anatolia & S. Victoria Virgines *a.* 751.
Andreas Rex Hungariæ filiam Elisabetham in cunis adhuc despondit Ludovico, primogenito Hermanni Thuringiæ Landgrafii *d.* 118. ejus expeditio sancta 119. *n.*
Andreas Rex Hungariæ Henrico III. Imperatori subiectionem & annuum censum pollicetur *c.* 269. Pacem obtinet 271. 274.
Andreas Cæsareæ Cappadociæ Episcopus animas docuit propria corpora præstolari *d.* 46.
S. Andreas ubi sepultus *b.* 114. 120.
Andronici, auctoris Dialogi contra Iudæos, genus *d.* 257. eum non esse auctorem dicti Dialogi ostenditur 259. 260.
Andronici Comneni Imperatoris Græci facta & fata *d.* 259. 260.
Andronicus Palæologus, is non potest esse auctor Dialogi contra Iudæos *d.* 261.
Andronici Constantinopolitani Dialogus contra Iudæos *d.* 255. seq. quo tempore scriptus 260.
Angelos cum tenebris primitus creatos esse, dogma Theod. Mopsf. *a* 578.
Angelis divina consilia non sunt cognita *a.* 144.
Angeli Dei essentiam non vident, juxta Chrysostomum *a.* 174. 222. quomodo videant. ibid.
Angeli Fausto spirituales quidem at non incoporei crediti *a.* 347. 363. 364.
Angeli etiamsi dicuntur esse in loco, non tamen dicuntur loco circumscribi *bb.* 14.
Angeli quomodo in loco operentur *bb.* 16.
Angeli in diversis locis nec esse nec operari possunt *bb.* 14.
Angelorum novem ordines, decimus vero lapsus est *c.* 305.
Angeli animæ exactores *a.* 500. & ibid. *n.*
Angelus custos *a.* 8. *bb.* 216.
Angelorum præsentia ad Officia divina *bb.* 42.
Angelorum cibus rationes *b.* 508.
Angelorum ascensus & descensus in Christum quando factus *a.* 225.
Angelus fortis apocal 6. quis *b* 336.
Angeli exequias S. Lamberti celebrant *b.* 144.
Angelus Christo patienti adsistens quid peregerit *a.* 550.
Angelus lapidem à Christi sepulchro devolvens, cujus rei gratiâ *a.* 462.
Angeli monita ad Monachos *bb.* 216.
Angeli apparent Monacho morienti cum chirographo peccatorum illius *a.* 479.
Angeli quomodo in corporibus apparuerint *bb.* 15.
Angelicæ apparitiones & inspirationes quare nunc rariores ac olim *d.* 645.
Angelicæ Hierarchiæ tres *d.* 645.
Angelorum cultum damnat Concilium Laodicenum *b.* 271. & ibid. *n.*
Angelorum & hominum qualitas ea, ut & boni & mali esse potuerint *b.* 348. 349.
Angeli ante hominem & creati & lapsi *a.* 784.
Angelorum lapsus unde *a.* 785.
Angeli quare dæmones facti ex opinione Muhammedis *d.* 443.
Angelorum tertia pars lapsa *a* 760.
Angelitarum aut Angelicorum hæresis *b.* 271. *n.*
Angilbertus primus sive secundus Archiepiscop. Mediolan. *bb.* 355. 358.
Angilbertus Gener Caroli M. quis fuerit *b.* 437. *n.*
Angli Romæ venales *bbb.* 259. 260.
Anglicana Historia Bedæ laudatur *b.* 3.
Anima in S. S. pro homine usurpatur *b.* 298.
Animæ & corporis definitio *a.* 439.
Anima potestas à Manichæis vocata *a.* 81. 82.
Anima non habet originem *b.* 332.
Animarum & Angelorum natura corporea & localitas *a.* 363. 364. 365.
Anima non constat cogitatione sola *a.* 364.
Animæ, pro varia operatione, nomina varia *b.* 333.
Animam hominis à Deo, corpus à diabolo esse dogma, Manichæorum *a.* 157. 158.
Animarum præexistentia Didymo credita *a.* 199.
Animarum materialitas Fausto credita. *a.* 347.
Anima non est localis juxta quosdam *a.* 363. contrarium ostenditur 364. 365.
Animæ sermo cogitatio *a.* 131.
Anima compositionis expers *a.* 79.
Anima cogitat de rebus absentibus *a.* 364.
Anima est in corpore, nec tamen circumscribitur corpore *bb.* 14.
Animæ partes aut potentiæ *a.* 543.
Animæ vis quotuplex *d.* 415.



Digitized by Google

Animæ potentia duplex *bb.* 440.
Animæ unio cum corpore naturaliter non fit, ſed virtute divina *a.* 621.
Animæ cum corpore unio ſimilitudinem præbet unionis Verbi cum carne *a.* 451.
Animæ & corporis conjunctio unionis duarum naturarum figura *a.* 539.
Anima & in ſe & à corpore patitur *a.* 540.
Anima unà cum corpore ſemper patitur *b.* 45.
Animæ, corporis & hominis habitudines invicem *a.* 541.
Animæ binæ an ſint in homine *a.* 52.
Animæ defunctorum ubi ſint *d.* 46. 47. eorum quatuor receptacula 48.
Animas ante diem judicii nec in Paradiſum nec in infernum abire, opinio Græcorum *d.* 46.
Animas Patrum V. T. Chriſtus ex inferno deduxit in cœlum *b.* 328.
Animæ Sanctorum, Apoſtolorum & Martyrum an ante judicium ultimum jam ſint in cœlo *b.* 444.
Animarum captivitas uſque ad Chriſtum aſſerta Baſilio Seleuc. *a.* 241.
Anima à corpore ſoluta nec bonum nec malum valet operari *d.* 47. & 16. *n.*
Animæ corpore ſolutæ captivæ à Chriſto liberati *a.* 460. 463.
Anima nullius hominis liberata ex inferis ante Deſcenſum Chriſti ad inferos *d* 290.
Animas peccatorum pœnas daturas confitentur Manichæi *a.* 84.
Animarum inimici tres qui *b.* 428.
Animæ mors quæ *bb.* 157.
Animalia in S S. quorum hominum figuram exprimant *bbb.* 47.
Animalia Johanni in Apocalypſi viſa videntur eſſe Cherubim *a.* 473. *n.*
Animo & linguæ temperandum *a.* 356.
Annuli duo Sacerdotum latinorum *d.* 63. eorum inſcriptiones ibid.
Anni ab orbe condito ad urbem conditam & ab urbe condita ad nativitatem Chriſti quot? *cc.* 219.
Anomæorum ſecta quæ fuerit *a.* 175. Eunomium ducem agnoverunt ib. 176.
Ansgarius Ebbonem ad Epiſcopatum Hildesheimenſem promovet *bb.* 84.
S. Anshelmi libri duo pro Gregorio VII. contra Guibertum Antipapam *c.* 369.
S. Anshelmus quis fuerit 370. 371. quando libros ſuos pro Gregorio VII. ſcripſerit ibid.
Anshelmi Deſcriptio Terræ *5. d.* 776. quis iſte Anshelmus fuerit 777.
Anteformatio humanitatis Chriſti, quare non admitti debeat *a.* 623.
Anthropolatræ Orthodoxi ab Apollinariſtis vocati *a.* 228.
Anthropolotræ ſunt Neſtoriani *b* 68.
Anthemius Conſtantinop. Epiſcopus ab Agapeto Papa dejectus *c.* 224.
Anthropomorphitarum origo & doctrinæ *a.* 291. *n. d.* 712.
Antichriſtus. Opus de Antichriſto Hippolyto tributum vix genuinum cenſetur *a.* 7. præcipuæ ejus de Antichriſto ſententiæ *a.* 10.
Antichriſtus quid ſignificet *b.* 347.
Antichriſtus quando venturus & quæ peracturus ſit *d.* 301.
Antichriſtus ſe Chriſtum eſſe mentietur *b.* 347.
Antichriſtus eſt qui ſibi Chriſti officium uſurpat *a.* 477.
Antichriſtum diabolus ingredietur *b.* 350.
Antichriſtus ex tribu Dan prodibit *d.* 302.
Antichriſtus erit mediator inter homines & Diabolum *b.* 350.
Antichriſtus ex decem Regibus tres occidet & cum ſeptem reliquis erit regnaturus *b.* 354. eſt Beſtiæ cornu undecimum 373.
Antichriſtus in nihilum redigendus, ex mente Theod. Mopſ. *a.* 579.
Antichriſti prædicatores miracula facient, quum Eccleſia miraculis erit deſtituta *b.* 344.
Antichriſti miracula non erunt vera miracula *d.* 701.
Antiochus Antichriſti præcurſor *a.* 787.
Antiochia Theopolis vocata *a.* 577.
Antiochena Synodus contra Paulum Samoſatenum *d.* 71. 72.
Antiphonæ quid & à quibus conſtitutæ *bb.* 39.
Antiphonæ Græcorum latinæ redditæ *bbb.* 74.
Antipodes, ob eos Virgilius Epiſc. Salisb. hæreſeos à S. Bonifacio ad Papam delatus ab hoc anathemate feritur *cc.* 273.
S. Antonius Eremita Virgo *a.* 726.
Antonii Monachi ſanctitas, mors, ſepultura *bbb.* 92.
Antonius Monachus quo anno mortuus *a.* 292. ejus corpus repertum *a.* 333.
B. Antonii Monachi corpus Alexandriæ ſepultum *bbb.* 5.
Antoninus Imperator in Regione Quadorum, cum exercitu Chriſtianorum precibus ſiti liberatus *a.* 283.
Anubis Deus caniformis Ægyptiorum *a.* 786.
Aphtartodocetæ à Leontio Byzantino confutati *a.* 535.
Apium carmine celebratum *bb.* 272.
Apocalypſis Johannis à Græcis in dubium vocata, ab Hippolyto vero vindicata *a.* 7.
Apocryphi libri ſub nomine Moyſis, Enoch, Adam, Eſræ, David, Eliæ, & trium Patriarcharum, itemque ſub nomine Chriſti & diſcipulorum ejus *c.* 313.
Apocrypha quædam N. T. recenſentur *d.* 526.
Apocryphorum & Canonicorum Scriptorum Judex eſt Eccleſia *d.* 516.
Ἀποκατάστασις quid ſit *d.* 315.
Apollinaris quis fuerit *a.* 227. Chriſti corpus conſubſtantiale divinitati haud docuit ibid. ejus dogmata *a.* 228.
Apollinaris dogma quale *a.* 602. *n.* 603. *n.*
Apollinarii de incarnatione dogmata *a.* 601. 602. 608. ſeq.
Apollinarii error qualis *bbb.* 51.
Apollinaris objectio contra orthodoxos Chriſto integram humanitatem adſcribentes *a.* 190.
Apollinarius, Excerpta ex ſcriptis ejus *a.* 608. ſeq.
Apollinaris in dogmatibus inconſtantia *a.* 599.
Apollinaris hæreſis quæ & quando exorta *a.* 293. & ib. *n.*
Apollinaris confinxit Epiſtolas ſub nomine Julii Epiſcopi *a.* 598. 600. ſeq. 608.
Apollinariſtarum diſſenſiones cum diſſenſionibus Lutheranorum collatæ *a.* 599.
Apolinarius & Macedonius quare Synodo Chalced. non damnati *a.* 581.
Apolinariſtarum error de Chriſto *a.* 192.
Apollinaris Arvernorum Epiſcopus, Kuricii ad eum Epiſtola *a.* 395. ejus mors & fata ibid. *n.*
Apollinis Delphici templum quando & à quo fabricatum *a.* 267.
Apollonius Thyanæus quando claruerit *a.* 278.
S. Apollonius Eremita, ejus geſta *a.* 739. ſeq.
Apologeticum quid ſit *b.* 345.
Apoſtaſia triplex, perfidiæ, inobedientiæ & irregularitatis *d.* 758.
Apoſtoli. Hippolyti de 12. Apoſtolis Tractatus ſpurius *a.* 9.
Apoſtoli ſinguli Carmine celebrati à Walafrido *bb.* 256. ſeqq.
Apoſtolorum Patria & Parentes *bbb.* 148.
Apoſtolorum nomina quare Chriſtus immutarit *a.* 229.
Apoſtoli aliquando mali, aliquando boni *a.* 88.
Apoſtoli ex peccatoribus collecti *a.* 49.
Apoſtoli an omnes æquales inter ſe fuerint *d.* 54. 55. 689.
Apoſtoli tripliciter conſiderandi *d.* 686.
Apoſtoli quando facti Sacerdotes, quando prædicatores *d.* 640. 646. 648.
Apoſtolis quomodo dictum ſit ire in univerſum orbem & prædicare omni creaturæ *d.* 659. 660.
Apoſtoli bis à Chriſto miſſi *d.* 721.
Apoſtoli quas regiones quique ad fidem Chriſti adduxerint *b* 5.
Apoſtoli an tonſi fuerint *c.* 31.
Apoſtoli mendicantes fuere *d.* 695.
Apoſtoli ut prius Chriſto, ita poſtea B. Petro fuere ſubjecti *d.* 649. 650.
Apoſtoli duodecim ſunt duodecim horæ diei *b.* 856.
Apoſtoli, preces ad eos *bb.* 261.
Apoſtolorum Succeſſores ſunt Cardinales, Epiſcopi, Religioſi *d.* 686.
Apoſtolici Patris titulus aliis præter Rom. Epiſcopum datus *bb.* 20. 21.
Apoſtolici olim dicebantur omnes Epiſcopi *c.* 51. & ib. *n.*
Apoſtolici hæretici, quid docuerint *d.* 712.
Apoteleſma duarum naturarum in Chriſto quid ſit *b.* 252.
Appetitus beſtiarum voluntas dici non poteſt *bb.* 440. 441.
Aprunculus Arvernorum Epiſcopus *a* 403. *n.* an idem cum Apro vel Aſpero ibid.
Apſæ quid ſint *cc.* 452. *n.*
Apulia per Henricum II. à Græcis recuperata & Dux ibi conſtitutus *cc.* 29.
Apulia & Sicilia ab Henrico VI. recuperata *cc.* 598.
Aqua Benedicta, quando & à quo conficienda *c.* 397.
Aqua calida quare ad baptiſmum adhibita *cc.* 39.
Aqua vino in Euchariſtia miſcenda *bbb.* 49.




Digitized by Google

Aqua vino in Calice mixta quid significet *b.* 323. 324. *bb.* 397. *n. d.* 551.
Aqua in vinum mutata virtute S. Columbæ *a.* 689.
Aqua sex hydriarum à Christo in vinum mutata, non substantiam, sed qualitates, saporem & colorem mutavit *c.* 297.
Aquarum inundatio maxima in Italia *cc.* 241.
Aquarum viventium puteus *d.* 10.
Aquila, Johannes Episcopus Salisb. ab Alcuino ita dictus *b.* 408. *n.*
Aquileja Roma secunda dicta *b.* 392. *n.*
Aquilejensis Patriarchæ cum Archiep. Mediolan. de primatu disceptatio *bb.* 359.
Aquitania à Pipino subacta *bb.* 50.
Aranearum telæ delapsæ quid portenderint *c.* 315.
Arca Fœderis, ejusque vectes & circuli quid figurarint *c.* 283.
Arca fœderis quando deperdita *a.* 245. & *n.*
Arca aurata figura Christi ut Dei & hominis *b.* 56.
Arcadius Martyr sub Vandalica persecutione in Hispania *a* 302. & ib. *n.*
Archelaus Viennam relegatus *cc* 219.
Archidiaconi Officium *c* 399.
Archiepiscopi, hoc nomine Metropolitani nondum sunt vocati Sæculo VII. *a* 633.
Archiepiscopatus 21. in Regno Caroli M. *c.* 244.
Archicapellani Regii munus quale *b.* 485. *n.*
Archicapellanorum munus *bb.* 232. *n.*
Archipresbyterorum officium *bb.* 364.
Ardoldus Rhemensis Ecclesiæ Archiepiscopus ab Hugone expulsus restituitur auctoritate Concilii Engilenhemensis *c.* 10.
Arelate, ejus præsul Patroclus Primatum vicinarum Ecclesiarum affectat *a* 301. *n.*
Arelatensis Episcopus in Concilio Agathensi Galliarum Primatem se gerit *a* 397. *n.*
Arelatense Regnum per Adolphum Imperatorem à Rege Galliæ repetitum *d* 210. 224.
Argenteus nummus quo tempore primum Romæ cusus *a* 271.
Argonautæ quo tempore fuerint *a* 267.
Aries cum cornibus inter vepres quid significet *d.* 276.
Arioli, Aruspices &c. anathematizantur *bb* 113.
Arius quando Hæresin sparserit *a* 290. & ib. *n.*
Arii gesta breviter exposita *bb* 385.
—— error qualis *bbb* 50.
Ariana hæresis quamdiu Ecclesiam afflixerit *a* 341.
Arianorum de Christo sententia *a* 178. 179.
———— & Eunomianorum error *b* 30.
Ariana Ecclesia Romæ, quæ in ea contigerint mirabilia *b* 93. 94.
Ariani vi dogmatis sui unum Deum non colunt *a* 362.
—— rebaptizant baptizatos in nomine Trinitatis *c* 327.
Arianæ hæresis tempore Arcadii & Honorii status *d* 159.
Arianus Episcopus cœcatus *b* 92. 93.
Arimathia *d* 19.
Aristarchus unus ex LXX. Discipulis *c* 472.
Aristotelem calamum in mentem tinxisse, dictum Caroli M. *b* 441. *n.*
Arma & militia Clero interdicta *c.* 353.
Armis Ecclesiam tueri quando liceat *c* 376.
Armacha totius Hiberniæ primaria sedes à S. Patritio constituta *a* 417. *n.*
Armeni, qualis gens *d* 22.
Armeniorum errores *bbb* 49.
Armenii Romanis se tradunt *a* 337.
Armeniorum Rex Leo coronam à Pontifice Romano accepit *d* 3. 4.
Armenii Ecclesiæ Latinæ se addixerunt *d* 371.
Armeniorum Disciplina Ecclesiastica *d* 24. 25. eorum Sacerdotes uxorati ibid.
———— res Ecclesiasticæ *d* 434.
Arno frater Alcuini ab ipso Aquila vocatur *b* 425.
—— Episcopus Salisb. frater Alcuini *cc* 266. *Aquila* quare ab ipso vocatus ignotum ibid. 430. *n.* in ejus gratiam Salisburgum Metropolis effecta ibid. & 267. 430. & ib. *n.* ejus epitaphium 450. acta præcipua ibid. & 451.
Arnonis Index Donationum Ecclesiæ Salisb. factorum *cc.* 448.
Arnoldi Moguntini Epistola ad Eginonem super Hermanno Episcopo Augustensi *cc* 13. seq.
Arnoldus Episcopus Moguntinensis in Ecclesia occisus *d* 174.
———— (Arnolfus) Dux Bajoariæ ob spoliatas Ecclesias Ratisponæ extinctus *cc* 145. 146. & ib. *n.*
Arnolfus Scriptor vitæ S. Emmerammi quis fuerit *c* 87.
Arnolfi de Miraculis B. Emmerammi Libri duo *c* 103.
—— Imperatoris pietas erga Monasterium B. Emmerammi *c* 109.
—— Imperatoris obitus *c* 256.
Arnulphus Major domus in palatio Clotarii *cc* 243.
———— Carolomanni nothus *cc* 252. Imperator factus 253.
Arrabo quid sit *a* 463.
Arrogantia de superbia nascitur *bb* 159.
Arsacii Patritii fata sub Nicephoro *b* 400. *n.*
Artemonis hæresis à Paulo Samosateno & Photino renovata *a* 287. & ib. *n.*
Articuli Græci vis urgetur *b* 70. 80.
Artiziburze jejunium apud Armenios unde *bbb* 50.
ἄζυμον unde dicatur *d* 54. indifferenter azymum & fermentatum significat ibid.
Ἄζυμον, qualis panis *c* 281. 282. 287.
Ascarius Bracarensis Elipandi defensor *b* 286. 310.
Ascarius Bracarensis Episcopus Concilium adversus Migentianos convocare à Pontifice jussus *b* 286. 287.
Ascensus Christi quomodo capiendus *b* 74.
Ascensionis Christi locus *b* 120. ibi vestigia pedum ejus remansere ibid.
Ascrabrunno villa in pago Nitensi terræ hiatu absumta *c* 251.
Asinus Balaamum increpans non probat inferiores posse reprehendere superiores *d* 617.
Asini primogenitus ove redimendus quid figuret *bb* 157.
—— S. Solæ pugna cum lupo *bb* 173.
Astrologia Christianis probibita *bb* 113.
Astrologus quidam S. Elizabethæ nativitatem prædixit *d* 118.
S. Athanasius puer pueros baptizat *a* 730. ejus gesta ibid.
Athanasius Origenis defensor culpatur *a* 201.
Athanasii Epistola ad Jovinianum spuria *b* 253. & ibid. *n.* 254.
Athanasius duas personas in Christo esse affirmavit *a* 616.
Athanasio Scriptum ab Apolinario suppositum *b* 253. & ib. *n.*
Athenæ unde denominatæ *a* 267.
Athenienses olim 16. postea 24. literis usi *c* 203.
Atomus quid sit apud Philosophos *b* 251.
Attilæ Hunnorum Regis gesta *c* 218. 219.
———— irruptio in Gallias, & clades *b* 186.
———— ejus clades & invasio Italiæ *a* 305. 321.
Aturres qui fuerint *a* 368.
Avares iidem qui Hunni & Ungari *c* 95.
Avari à Carolo M. victi *b* 445. & ib. *n. bb* 58.
Avarorum cum Bajoariis bella *bb* 57.
Avaritia depicta *bb* 228. 229.
Avaritiæ vitium *a* 757. *bb* 96. ejus remedium *bb* 97.
Avaritia, Columbani Epistola contra eam *a* 779.
Avitus Viennensis præsul Fausti adversarius *a* 346.
Aviti Imperatoris facinus indignum *b* 197. Episcopus fit 198.
Avium pugna in Caturcis *bb.* 65. 66.
Auctoritate non rationibus in SS. sensu dijudicando procedendum *d* 475.
Auctoritates in mundo summæ, quæ *b* 392.
Audæana hæresis quando orta *a* 291. & ib. *n.*
Auditori verbi divini duo necessaria *d* 672.
Augiæ ubi sita *bb* 206.
Augiensium Abbatum series ubi reperiunda *bb* 180. 206.
Augusti anni imperii *a* 249.
Augustensis Episcopatus pretio emtus *cc* 10.
Augustinus Hipponensis Episcopus quando ordinatus *a* 297.
———— quando mortuus *a* 301 & ibid. *n. c* 217.
———— Prædestinatianæ hæresis est parens *a* 315. *n.*
———— se ipsum retractans laudatur *c* 383.
S. Augustini sententia de licita orthodoxæ Ecclesiæ in dissentientes persecutione *c* 364.
—— locus, quo castigat eos qui in honorem Angelorum & Sanctorum largius bibebant *b* 411. *n.*
Augustinus, Hieronymus, Ambrosius, Gregorius præcipui Patres qui sequendi sunt *d* 538.
Augustino & Hieronymo pares Clericos optat Carolus M. *bbb.* 60.
Augustinus & Hieronymus pater Apostolicus vocatus *bb.* 21.
Augustini operum Codex chartaceus Ruricio à Turentio transmittitur *a* 360.
S. Augustinus, versus de eo *bb.* 80.
Augustini laus *bb.* 23.



Digitized by Google

S. Auguſtinus Categorias Ariſtotelis non fecit latinas *b* 488. *n*
Auguſtinus à S. Gregorio in Angliam miſſus *bbb* 260.
—— Gregorii M. diſcipulus primus Cantuariæ Epiſcopus *b* 384. *n*.
Aureliani Imperatoris geſta *cc* 228.
Aurum prodeſſe poteſt danti non poſſidenti. *b* 425.
Auſtria Franciæ Regnum ſæpius vocatum *b* 290.
Auſtriæ Marchionatus in ducatum converſus *d* 173.
αὐτόχειρ pœna *bb* 110.
Azyma, contra ea invehitur Nicetas Pectoratus *c*. 308.
Azymarum dies primus erat 15. Lunæ *c* 310. 311.
Azyma, de re bona ſemper uſurpantur *c* 293.
Azymæ ſunt ſymbola tribulationis *c* 282. 217. 291.
Azymum tres perfectas in Chriſto ſubſtantias figurat *c* 233.
Azymis Chriſtum in Euchariſtia non uſum eſſe dogma Græcorum *c* 281.
Azymo melius quam fermentato mors & paſſio Chriſti annunciantur *c* 300.
Azymis Eccleſia latina longe ante ſchiſma cum Græcis eſt uſa *d* 372.
—— quare Eccleſia latina utatur *d* 53.
Azymitæ Latini à Græcis appellati *d* 50.
Azyma à Judæis nemo accipiat *b* 271. XXXVII.

B.

Babenbergenſis Epiſcopatus ab Henrico II. inſtitutus *c* 263.
—— ab eodem ampliatus & Romanæ ſedi ſubjectus *cc* 28. 30.
S. Babylas Martyr, ejus geſta *a* 731.
Babylon in Epiſtola Petri I. eſt Roma *bbb* 119.
—— quare Roma ita vocata *c* 137.
Balæi de Alcuino errores *b*. 381. 382.
de Baldenſel (Guilielmi) Hodœpericon ad Terram S. *d* 331.
Baldenſel quis fuerit *d* 332. ejus iter in Terram S. 337.
Baldewini I. Regis Hieroſolym. geſta *d* 427. ejus Epitaphium 428.
Baldewini II. Regis Hieroſol. geſta *d* 428.
Baldewinus III. Rex Hieroſol. *d* 428. ejus geſta ibid. & 429.
Baldewinus IV. Rex Hieroſol. *d* 429. lepra laboravit ibid. ejus geſta ibid.
Baldewinus V. Rex Hieroſol. *d* 429.
Balduinus Imperator Conſtantinopoli factus *d* XVII.
Baliſtæ crucigerorum Græcis terribiles *d* XIII.
Balſami hortus in Ægypto *d* 342.
—— colligendi modus *d* 26.
Bandomina Monialis vitam S. Radegundis ſcripſit *b* 101.
Bajoaria in quatuor parochias diſtributa & quatuor Epiſcopatus ibi à S. Bonifacio erecti *b* 243. *c* 352.
Bajoarii jam ante S. Rudbertum ad Chriſtianam fidem fuere converſi *cc* 270.
Bajoariorum & Alemanorum bella poſt mortem Pipini *a* 672.
Baptiſmi varia nomina *d* 304. 305. quare illuminatio dictus *d* 651. Sigillum vocatus quare *a* 497. *n*.
Baptiſma in nomine S. Trinitatis adminiſtrandum *a* 202. *b* 267. XLVIIII. itemque trina merſione ibid. L.
Baptiſmi cum circumciſione collatio *d* 304. in eo tria ſunt, Spiritus, aqua & ſanguis *c* 315. ejus neceſſitas major quam Euchariſtiæ *c* 387. ejus abſoluta neceſſitas ad ſalutem *cc* 62. refellitur ibid. *n* abſque Baptiſmo & Euchariſtia nemo ſalvatur, ſi utriuſque poteſtatem habeat *c* 387.
Baptiſmi utilitas *b*. 547.
Baptiſma in Eccleſia dandum *b* 356. an ſub invocatione Trinitatis una merſione recte peragatur *b* 397. ejus formula nunc hæc nunc alia ab Eccleſia probata *d* 559. 560. quales mutationes circa eam Eccleſia fecerit *d* 560.
Baptiſmus in igne apud Chriſtianos Indos in uſu *d* 767.
Baptiſmatis ritus ſæculo XII. *cc* 38. ſeq.
Baptiſma capite inverſo à quibus peractum *a* 174.
Baptiſmus in nomine patria, filia & ſpiritua ſancta à S. Bonifacio irritus habetur *cc* 273.
Baptiſma hæreticorum in nomine Trinitatis non baptizantium ut legitimum non eſt admittendum *b* 267. XLVI.
Baptiſmus non eſt iterandus etiamſi ab Hæreticis datus *b* 356.
Baptiſmum quæ antecedere debeant *b* 546.
Baptizatum recte ſi Epiſcopus aut presbyter rebaptizaverit deponatur, item ſi non recte baptizatum non rebaptizaverit *b* 267. XLVII.
Baptizati ſunt quondam viri & fœminæ nudi *cc* 60. *n*.
Baptizato omni in caſu neceſſitatis conceditur baptizare ſub fidei interrogatione, Trinitatis nomine & trina merſione *c* 387.
Baptizati quibus in rebus à S. Ottone inſtituti fuerint *cc* 61.
Baptizandi forma à S. Ottone obſervata *cc* 60.
Baptizandum quo tempore ſit *c* 400.
Baptiſteriorum deſcriptio *cc* 38. 39. 71.
Barbam radere Sacerdotibus Latinis à Græcis exprobratur *d* 64.
Barbas Græci Sacerdotes promittunt more Judaico *d*. 66.
Barbam nutriendi conſuetudo apud Orientales *d* 432.
Barbati fratres qui fuerint *d* 104. & 16. *n*.
S. Barbaræ martyrium incertum *c* 493. *n*.
Barchochebas, ejus rebellio *a* 287.
Bardeſanes Hæreticus quando innotuerit *a* 283.
Barilion pro parilion uſurpatum *b* 116. *n*.
Barlaami duo *d* 362. quis auctor ſit Epiſtolarum ad Græcos ibid. unus ſaltem fuiſſe defenditur 364. quis & qualis fuerit ibid. & ſeq. ejus ſcripta 365. à tribus conciliis fuit damnatus 366. 367.
—— de Seminaria Epiſtolæ ad Græcos de Unione cum Romana Eccleſia & Proceſſione Sp. S. *d*. 361.
Barnabas Mediolani ſedit *d* 57.
*Baro* vox, unde originem traxerit & quid ſignificet *cc* 453. *n*.
Baronius notatur *a* 201.
Baronii error circa Guntherum tanquam Ligurinum notatur *d* III.
Baronius circa clericorum tonſuram confutatus *c* 31.
Barſcalci quid ſint *cc* 453. & *n*.
Barſumæ Theod. Mopſu. diſcipuli dogmata *a* 578.
Bartholomæus Apoſtolus Orientem in fide inſtruxit *b* 5. ubi requieſcat *b* 118.
Baruch liber citatus *b* 74.
Baſilica S. Petri & Pauli Walafridi verſus de ea *bb* 181. 182.
Baſilides Hæreticus quando vixerit *a* 280.
S. Baſilius Virgo *a* 726.
S. Baſilii teſtimonia de duabus naturis & una hypoſtaſi *a* *a* 547. 548. ejus argumenta contra Eunomium *a* 171.
Baſilius Seleucienſis Dioſcorani latrocinii particeps *a* 239. ejus Demonſtratio adverſus Judæos *a* 238.
S. Baſilii Magni Rationes Syllogiſticæ contra Arianos *a* 169.
Baſilii M. & Gregorii Theologi Expoſitio de ſancta fide *a* 188.
Baſina Regis Thuringorum Conjux, eo deſerto ad Childericum Franciæ Regem tranſit *b*. 199.
*Bavariæ Ducatus Henrico duci Saxoniæ collatus d* 172. *is proſcribitus à Friderico I.* 176.
Bavariæ diviſio inter Ludovicum & Henricum Duces *d* 190.
Beatitudo quid dicatur *d* 405. augeri non poteſt 406. Eſt hominis ut hominis ibid. in quibus potiſſimum ſita 407. quid in ſe contineat 409.
Beatitudinis gradus *b*. 410.
Beati & ſuam Muſicam habent *bb* 37.
Beatus an in hac vita detur *d* 413. 414.
—— quare Papa vocari poſſit *d* 632.
Beatus quis fuerit *b* 289. ejus fœtidi mores ab Elipando arguuntur *b* 290.
—— in Apocalypſin ſcripſit *b* 289. 294. ab Hiſpanis San Bieco vocatur 289.
—— & Etherius Naturas Chriſti confundebant *b* 290.
Beda auctor vitæ S. Cuthberti *b* 2. quid de eo ſentiendum ibid. & 3.
— an Præceptor Alcuini fuerit *b* 412. *n*.
— quo anno mortuus *c* 240.
Bedæ bini *b* 3.
Beduini & Turoniani Paleſtinæ gens qualis *d* 24.
Bela Hungariæ Rex, ejus amicitia ergo S. Ottonem *cc* 91.
— Rex Hungariæ *d* 186. 187. ejus mors 199.
Bel & Draco Babylonius ſub Cyro interfectus *a* 247. 249.
Belenas civitas, ejus varia nomina *d* 12.
Beliſarius, ejus acta contra Silverium Papam Rom. *a* 331. *n*.
Beliſarii & uxoris ejus Antoniæ res geſtæ *b* 192. 193. 194.
Bellum & militia à S. Auguſtino defenſa *c* 375.
Bellare juſtum non decet *a* 57. 108.
Bella cur Deus permittat *a* 107. 108.
Bellorum Sanctorum Epitome, incerto auctore *d* 421. ejus auctores plures ſunt 423.
Benedictio, de Benedictione Dei ex Coſſiodoro & Iſiodoro *bb* 19.
—— ante benedictionem Sacerdotis populus non diſcedat *c* 398.
—— quomodo in ea digiti Sacerdotis debeant componi *d* 63.
S. Benedictus Abbas quando claruerit *c* 224.



Digitized by Google

S. Benedictus Virgo *a* 728. ejus Miracula ibid.
—— Henricum II. calculo liberat *cc* 29.
—— Monachorum pater *c* 306.
S. Benedicti Regula *b* 412.
—— eadem circa delinquentium castigationem explicatur *bb* 450.
—— Ordinis monachi in viam rediguntur *d* 84.
Benedicti Papæ constitutio de non faciendis partibus Pontifice aut Episcopo vivente *c* 384.
Benedictus VI. Papa à Crescentio strangulatus *c* 261.
Benedictus wirensium Monasteriorum conditor & Alcuini Præceptor *b* 412. *n.*
Benedictus XII. pro Antichristo à Germanis habitus *d* 333.
Beneficia non sunt exprobranda *bb* 410. quæ circa ea observanda 412. 413.
—— & dignitates plures ad arbitrium Corali M. unidatæ *bbb.* 61.
Beneficiorum plurium possessores canonum sunt transgressores *d* 83. 88.
Beneventanus Dux à Carolo M. subactus *bb* 56.
Beneventani Carolo M. tributum 25000 solidorum auri pendunt *c* 244.
Berengarius opinionem suam de Euchristia revocavit *d* 552.
Berengarius Ottoni se subiiciens ab eo recipit Regnum Italiæ *c* 12.
Berengarius à Ludovico Bosonis filio Italia pulsus *cc* 253. eam recuperat ibid.
—— Italiæ Tyrannus ab Ottone I. victus *c* 259.
Berengario Arnolfus Regnum Italiæ cedit *c* 259. ab ipso iterum eodem privatur 255.
Berenhardus Caroli M. nepos Rex Italiæ factus *c* 244. rebellionis convictus excæcatus moritur *c* 245.
Bernardus Abbas Sangallensis *bbb* 189.
Beronis Hæresis *a* 16.
Bero & Helix Hæretici, eorum errores *a* 12
Bertha Mater Caroli M. ejus mors *c* 242.
Bertæ Caroli M. uxoris obitus *bb* 55.
Bertha Caroli M. filia, ejus amores cum Engilberto Abbate *b* 292. 478. & ibid. *n.*
Bertholdus Archiep. Salisb. in factione Henrici IV. *cc* 170. ejus pugna cum Thyemone ibid.
Berythus civitas ubi sita *d* 11.
Bestia a bastando dicta *b* 350.
—— sensu prophetico quid sit *b* 351. varia denotat 355.
Bestiæ, sub earum appellatione in prophetis homines intelligendi *a* 796.
—— de mare ascendentis differentiæ ab altera de terra ascendente *b* 351. 352.
—— caput occisum quod *b* 354.
Bethel civitas *d* 16.
Bethel & Dan montes duo ubi Jerobeam posuit vitulos aureos *d* 15.
Bethlehem *d* 409. quantum distet Hierosolyma *b.* 112. *d* 346. & 16. *n.*
Bethlehemitica & Ebronensis Ecclesiæ à Latinis Episcopatus dignitate donatæ *d* 436. 437.
Bethuliæ mons *d* 14.
Betonica carmine celebrata *bb* 272.
Bibliorum codex à Radone confectus *b* 383.
Bibere in honorem Sanctorum olim mos fuit *b* 411. *n.*
Biclarense Chronicon *a* 335.
Bigamus vel concubinam habens ne ordinetur *b* 266. XVII.
Bigami, canon de iis, de quibus sit intelligendus *d* 78.
—— ejus nuptiis Presbyteri ne intersint *b* 269. VII.
Bigotius laudatus *a* 203.
Binarius numerus infamis *d* 442.
Bineti de Salute Origenis tractatus citatus *a* 202.
Bisantii, nummi aurei *d* XIV.
B. Blaithmaic vita à Walatrido carmine scripta *bb* 201. seq. unde ita dictus *bb* 201. *n.*
Bobbiense Monasterium à S. Columbano exstructum *a* 773.
Boëtius & Symmachus Patricii à Theodorico peremti *c* 223.
Bohemiæ descriptio *c* 45. ejus præstantia *d* 754. à quibus ad fidem Christianam conversa ibid.
Bohemi ab Henrico II. subacti *c* 263.
Bohemiæ Rex à Friderico I. depositus & alius Zobozlaus impositus *d* 175.
Bohemorum Fratrum ordines tres *d* 451.
—— eorum legati ad Concilium Basileense, quomodo Norimbergam intrarint *d* 452. 453.
Bohemi Fratres in Italia affectas quoque habuerunt *d* 466. 761.
*Boja* pro vinculis ferreis usurpata *bbb* 117. & ib. *n.*
Boliflaus Dux Slavorum ab Henrico II. subactus *c* 263.
Boliflaus Dux Poloniæ, ejus bella *bb* 55. 56. Stettinum expugnat 56. Pomeranos subigit ibid. ejus litteræ ad S. Ottonem 57. 69.
Boliflaus Pomeraniam invasurus à S. Ottone placatur *cc.* 80.
Bona & mala omnibus hominibus cujuscumque conditionis communia *a* 106.
—— corporis & fortunæ an ad beatitudinem necessaria *d* 409. 410.
—— terrena vel locare, vel administrare, vel distrahere an præstet *a* 356.
—— Ecclesiastica quibus usibus eroganda *d* 738.
Boni nunquam essemus facti si Deus nos ita fecisset ut non possemus peccare *a* 96.
—— & mali erunt in Ecclesia usque ad seculi finem *d* 575. 595.
S. Bonifacii Vita ab Othlone Fuldensi scripta *c* 333.
S. Bonifacius, Trithemii de eo Testimonium *b* 231. ejus infantia 233. seq. in Angliam & Frisiam abit 236. 237. Romam petit, ib. & 238. Germaniam repetit ib. & 239. Romam denuo adit 240. tertio 243.
S. Bonifacii Vita à S. Willibaldo conscripta *b* 227. an vere ab eo scripta 228. 229.
—— Vita à S. Willibaldo stylo obscuriori scripta *c.* 337. ejus ortus 340. studia ibid. & 341. Sacerdos ordinatur ibid. Frisiam petit ib. à Gregorio II. Germaniæ præficitur 342. & ibid. *n.* ordinatur Episcopus 354.
—— olim Winfrith fuit vocatus *b* 231. 237. 241. *n.*
—— Willibaldi fuit cognatus *b* 121.
—— Willibaldum Presbyterum consecrat *b* 115. Episcopum 116. 122.
—— quibus Populis prædicarit *c* 343. 344.
—— Episcopus à Rom. Pontifice constitutus *b* 241.
—— Archiepiscopatum à Leone haud accepit *bb* 170. *n*
—— quando Archiepiscopus sit declaratus *b* 244. *n.*
—— Wirzburgensem Episcopatum instituit *c* 5. 6.
—— ejus iter tertium Romam *c* 350. & ib. *n.*
—— ejus potestas in rebus Ecclesiasticis *c* 339.
—— ut superbus sive Zelotes notatur *cc* 243.
—— quando Martyrium passus *bb* 49.
—— Martyrium in Frisia *b* 247. ejus corpus Trajecto Fuldam translatum 366. 367. ejus ætas computata 367. *n.* Miraculum in translatione corporis ejus Moguntiam factum *b* 248. aliud 249. *c* 365. 366.
Bonifacius II. Decretum suum de Vigilio successore sibi constituto, ipse combussit *c* 283.
Bonifacius VII. Papa post mortem male tractatus *c* 261.
Bonifacii VIII. constitutio circa clerum à Clemente V. mitigata & revocata *d* 254.
Bonifacius VIII. septimum Librum decretalium publicavit *d* 211. 213. captivus factus Anagniæ 228.
Bonifacii VIII. res cum Rege Galliarum *d* 227. 228.
Bonorum communio primitivæ Ecclesiæ non obligat *d* 550.
Bonosus Hæreticus Christum credidit de matre adoptivum *b* 311.
Bonum & Malum, falsa de iis opinio *d* 415.
—— sine malo esse potest, non item Malum sine Bono *b* 346.
—— non est bonum nisi & recte agatur *b* 29.
—— aliquod summum debere exsistere quomodo colligi possit *bb* 425.
Borboritæ Gnostici quare dicti *a* 280. 287.
Bos Romæ locutus *b* 173.
—— arare non debet, juxta Manichæos *a* 132.
Boum pestilentia ingens sub Carolo M. *c* 244.
Bostra urbs Arabum maxima *a* 3.
Brentius Eusebii hæresin de incircumscripto renovavit *bb* 6.
Brevitas in scriptis utilis *a* 437.
S. Brigida, testimonia Scriptorum de ea *a* 414.
—— tempus nativitatis & obitus ejus *a* 415. 422. *n.* aliqua contra leges fecit ibid. ab altera *Brigitta* Suecica est distinguenda ibid.
—— Virum evocat ut Ecclesiam cum ea in Episcopali dignitate gubernaret *n.* 415. 416. Verbum Dominicum prædicat ibid. & 420.
—— Monasterium condit in Hybernia *a* 416.
—— ejus Parentes *a* 416. pauperibus lac & butyrum distribuit, quæ miraculo restituuntur 417.
—— ejus sepulcrum *a* 417. *n.*
S. Brigidæ pascua *a* 418. *n.*
Brittonum mores à Gilda descripti *b* 385. & ib. *n.*
Britannia à Carolo M. bello tentata *bb* 56.
Brocardus, vide Burchardus
Brouerus circa Othlonem refutatus *c* 335.
Brunechildis ortus & cum Sigeberto Suessionis Rege conjugium



Digitized by Google

gium *b* 209. malefacta ibid. mors ibid. a Chilperico in exilium ejicitur *b* 212.
Brunechildis B. Columbanum in exilium ejiciendum curat *a* 773.
——— Theodopertum Regem captum perimi juſſit *a* 658. à Lothario quomodo peremta ibid.
Brunechildis origo, matrimonium & liberi, ejus libido & facinora *bbb* 5.
——— ab equis diſcerpta *bbb* 6.
——— facinora *c* 230. ſeq. ejus mors tragica 232.
Bruno Papa ab Ottone III. conſtitutus *c* 54. & ib. *n.*
S. Bruno quas gentes converterit *c* 67.
Bruno Auguſtenſis Epiſcopus Frater Henrici V. & ejuſdem adverſarius *cc* 29. 32.
Bruta ratione carent *a* 131.
Brutorum mactationem Manichæi improbabant *a* 132.
Buddas Hæreticus Scythiani diſcipulus *a* 39.
Βύλησις & Θέλησις quomodo differant *bb* 440.
Bulgari qualis gens *bb* 382. *n.* unde ita dicti ibid.
Bulgaria, de ejus jurisdictione inter Pontif. Rom. & Patriarch. Conſtantinop. controverſia *bb* 376. 382. *n.*
Bulla Excommunicationis Papæ Martini contra Petrum Aragoniæ Regem *d* 219. ſeq.
S. Burchardi Herbipolenſis Epiſcopi Vita *c* 1. quis fuerit *c* 2. quando Epiſcopus ordinatus 3. fuit legatus Pipini ad Zachariam Pontif. ibid. Auctor vitæ ejus quis 4.
——— origo *c* 5. S. Bonifacii de eo augurium ibid. ordinatur Epiſcopus a Zacharia Pontif. ibid.
S. Burchardus à S. Bonifacio Epiſcopus Wirzburgenſis conſtitutus *b* 245. *c* 355.
Burchardi de Monte Sion deſcriptio Terræ S. *d* 1. quis fuerit Burchardus 3. quando ſcripſerit ibid. & 6. quare de Monte Sion vocatus ibid. ejus Scripta alia 7.
Burchardus Ingenitus Abbas S. Galli *bbb* 230.
Burgundia à Francis ſubjugata *c* 223.
Burgundiæ Regnum ad Conradum II. devolutum *c* 265.
——— ejus Regni miſer ſtatus poſt obitum Regis Conradi, ſub Rudolfo *c* 262.
Burgundiones unde nomen acceperint *b* 181.
——— à Francis victi *b* 205.
Burgundionum Regnum, bellum circa illud inter Henricum III. & Odonem *c* 163.

## C.

Caballi eſus à Gregorio III. interdictus *c* 349.
Caballus Vates apud Pomeranos Ethnicos *cc* 70. 71.
Cælibatus laus & præſtantia *bb* 414. *Vide plura in* Cœlebs.
Cærefolium carmine deſcriptum *bb* 270.
Cæſarius Arelatenſis, ejus ad Ruricium Epiſtola *a* 366.
——— Ruricii ad eum Epiſtola *a* 397.
——— Concilium Agathenſe propria auctoritate convocat *a* 397. *n.* Lex ab eo lata ibid.
Cagnoaldus quis fuerit *a* 653. ejus Acta a Theodoro perperam S. Magno tribuuntur ibid.
Cain, quale ſignum in ipſo editum fuerit *bb* 299.
Cainan unde in LXX. & Lucam irrepſerit *a* 265. *n.*
Cairi & Babyloniæ Ægypti deſcriptio *d* 340.
Cajus Papa, ejus conſtitutum *cc* 229.
——— Diocletiani frater non fuit *cc* 265.
Calamitates effectu utiles *a* 109. 110. 111.
——— populo non ſemper ab delictum infliguntur *d* 636. 637.
Calix Domini quo in ſacra cœna uſus, qualis & quantus *a* 675.
Calix quare populo non detur *d* 500. 503. 506. ſeq. ideo ſanguine Chriſti populus non privatur 527.
Calices & patenæ quibus Euchariſtia miniſtratur, quibus ex metallis fieri aut non fieri debeant *c* 399.
Calixti II. privilegium pro Monaſteriis à S. Ottone conſtructis *cc* 50. item pro prædiis & poſſeſſionibus non alienandis 51. 52.
Calixtini, Bohemorum fatrum ordo, qui fuerint *d* 451.
Calixtinorum & Orphanorum pugna inter ſeſe funeſta *d* 461.
Calvinus an Alcuini nomen mutuarit *b* 486. 487.
——— quando Inſtitutionem primum ediderit *b* 487.
Calumniæ quare refellendæ *a* 181.
*Cambutta* quid ſit *a* 662. & ib. *n. c* 113. & ibid. *n*
Cambutta S. Walpurgis ubi reperiunda *bbb.* 266.
Camelus odium ſignificat *a* 280.
Caminata quid ſit *b* 130. *n.*
Campanarum uſus apud Orientales non receptus *d* 436. quomodo populus in Eccleſiam vocetur ibid.
Cana Galilææ *d* 13.
Candelabrum Angeli Apoc. 2. quid eo intelligendum *bb* 148. *d* 576.
Candidati militiæ duplares vel ſimplares *b* 399. *n.*
Caniſii perverſa in oppugnandis Lutheranis methodus notatur *a* 599. *n.*
Caniſi error de Ambroſio Alexandrino Mediolanenſi coævo. *b* 398. *n.*
Canonem Scripturæ ab Eccleſia Romana diverſum confecit Leontius Byzantinus *a* 534.
Canon quilibet habet corpus & animam, id eſt, textum & ſenſum *d* 463.
Canonum Epitome ab Adriano I. Carolo M. Romæ oblata *b.* 261. ei abjudicatur 264.
Canones Apoſtolici dicti L. *b* 266. 267.
——— Ancyrani XXIV. 268.
——— Neocæſarienſes XIV. 269.
——— Gangrenſis Concilii XX. ibid.
——— Antiocheni XXV. 270.
——— Laodiceni LVIII. 270. ſeq.
——— Sardicenſes XXII. 252. 253.
——— Carthaginenſes XXXVII. 272. 274.
——— Diverſorum Conciliorum Africanæ Eccleſiæ CV. 275. ſeq.
Canones Apoſtolici à quibus pro authenticis ſint declarati *c* 378.
——— eorum authentia in dubium vocata *c* 316. exceptis quinquaginta 317.
——— in Gallia pro Apocryphis habiti *b* 264.
——— è Latino in Græcum à Clemente translati *d* 75. eis à Græcis, Photio præſertim, alii inſerti ibid.
Canonum collectio nulla in Gallia ante ſextum Sæculum *b* 262.
Canones Concilii Chalcedonenſis Leo M. & Eccleſia Occidentalis admittere recuſant *b* 263.
——— Laodiceni non ab Arianis confecti *b* 265.
——— Nicæni in Gallia recepti *b* 262.
Canonum ſtatuta de officio Sacerdotum ex Libro II. Burchardi *c* 396. ſeq.
Canones ignorare Sacerdoti non licet *bb* 117.
——— quos Eccleſia Latina immutarit *d* 373.
——— qui à Græcis pro ſe & contra Latinos afferuntur *d* 73. 74.
Canon Paſchalis in eo Latinorum non vero Alexandrinorum rationes ſecutus eſt Hippolytus *a* 4. *Vide plura in voce* Cyclus.
Canonicæ Litteræ eædem ac formatæ *b* 271. XL.
Canonicorum vitam regulis inſtituit Ludovicus pius *cc* 250.
Canonici vinoſi, Innocentii II. Epiſtola contra eos *cc* 431. *n.*
Canticum quid ſit *bb* 27.
——— Pſalmum quid ſit *bb* 27.
Canticorum auctor Moyſes *bb* 38.
Canticum novum vetus homo cantare nequit *c* 305.
Cantionis uſus in Eccleſia *bb* 39.
Cantorum Scholam Gregorius M. Romæ inſtituit *cc* 557.
Cantores Carolo M. à Pontifice miſſi *bbb.* 60. 61. *cc* 558.
Cantus Gregorianus *bbb* 258.
Cantuariæ primus Epiſcopus *b* 384. *n.*
Capellæ origo *b* 415. *n.*
——— unde dicta *bbb* 58. & ibid. *n.*
Capellanorum Regiorum dignitas *bb* 359.
Caperonnier Profeſſor Pariſienſis Regius laudatus *a* 763. *bb* 378.
Caphernaum qualis urbs *d* 13.
Capillorum luxuria à Chriſtianis primis damnata *c* 31.
Capillis aſcititiis Græcorum mulieres utuntur *d* 66. *plura vide in voce* Coma.
Capiſtranus quis fuerit *d* 767. *n.*
Capiſtrani in Bohemia qui fuerint *d* 759. & 16. *n.*
Capitis inclinatio in oblatione *a* 472. & ib. *n.*
Capita radiata antiquitus non Sanctorum ſed Imperatorum imaginibus tribuebantur *c* 31.
Capitula tria quæ fuerint *a* 330. damnantur *a* 332.
Cappa tegumentum capitis *b* 440. & ib. *n.*
Cappadoces à quo progeniti *bb* 186.
Caravenna à Chriſtianis ſpoliata cauſa perditionis Terræ ſanctæ *cc* 500.
Cardinalium auctoritas & munus *d* 686.
Cardinales quare capellam rubeam portent *d* 686. 687.
——— Diaconi præcedunt Epiſcopos *d* 687.
——— ex Conſtitutione Gregorii X. ad eligendum Papam incluſi pane & aqua aluntur *d* 229.
Cardinalium palatium nullum fuit Conſtantinopoli *d* 61. *n.*

Car-

Digitized by Google

Cardinalis quidam Pontificis ad Græcos legatus ab iis cruci affixus *d.* X.
Caritatis descriptio ex I. Cor. 13. *a* 390. 391.
Caritatis natura *a* 359.
—— præstantia *bb* 102.
—— est duplex *b* 204.
—— quare major fide & spe *b* 330.
Carmel mons *d* 14. duo ejus nominis sunt *d* 437.
Carniula, S. Carinula factionis nomen *cc* 342. & ibid. *n* 397.
Caro Christi velamen divinitatis ejus *a* 460.
—— —— per se non subsistit, sed in hypostasi Verbi *b* 51.
—— —— an consubstantialis Verbi dici debeat *a* 602. seq.
Carnis Christi Deificatio cum incarnatione Verbi admittenda *b* 42.
Caro Christi non facta naturæ divinitatis *a* 14.
—— —— deificatur quidem, at non carnificat naturam Verbi *b* 43.
—— —— etiam *Verbum* vocanda, propter unionem, juxta Apollinaristas *a* 607.
—— —— quomodo adoranda juxta Apollinaristas *a* 604. 609.
—— —— vivifica quare *b* 258.
—— —— non vivifica nisi Verbo absq. intermedio propria sit facta *b* 78.
—— —— non est è cœlo nec æterna *a* 603.
Carnium esum si qui Clerici abominantur deponantur *b* 268. XIII.
—— quarum esus prohibitus *bb* 127. 128. 139.
—— porcina paucis ante Constantinum M. annis à Romanis comesta *c* 303.
—— ursina, ab ea Græci abstinent *c* 303.
Carnis petulantia versibus à Walafrido descripta *bb* 252.
Caroli Martelli gesta *c* 240.
—— quando defunctus *bb* 48.
Carolus Martellus Dux Francorum, Gregorii II. Papæ ad eum Epistola super Bonifacio *c* 345.
Carlomanni & Pipini gesta *bb* 48. *c* 240.
Carlomannus Dux, incitante S. Bonifacio Concilium cogit *b* 244. 245.
Carlomanni res gestæ *b* 220.
Carolomannus Rex Galliæ, ejus mors *c* 253.
Carolomannus Rex Bajoariæ ejus mors *c* 252.
Carolomanni & Caroli M. laudes *c* 355.
Carolomannus fit Monachus Cassinensis *c* 240. *c* 363. quando mortuus ibid. *n*.
Carolus & Carolomannus quando Reges declarati *bb* 51.
Caroli Franciæ Regis gesta *bb* 51 seq.
Caroli Regis Galliæ postea Inperatoris gesta *c* 242.
Caroli M. gesta scripta à Monacho quodam S. Galli *bbb* 53. quando scripta 55. à quo ibid.
—— incerti Auctoris de eo carmina *b* 472.
—— ejus Genealogia *bb* 571.
—— Visio de Leone III. Pontifice *b* 474.
—— à Leone Papa Imperator coronatur *c* 243. *cc* 250.
—— filiam Desiderii ducit, & iterum eam ut inhabilem conjugio repudiat *bbb* 81. & ibid. *n*.
—— ejus gesta cum Desiderio Longobardorum Rege *bbb* 81. 82.
—— expeditiones tres in Italia *b* 264.
—— itinera quatuor versus Romam *b* 396. *n*.
—— aula & familia *b* 477 seq.
—— Leonis III. inimicos suppliciis afficit *bbb* 67.
—— ejus Epistola ad Nicephorum Imp. Constant. *b* 399. Non est ab Alcuino scripta ibid. *n*.
—— ejus Legatus à Græcis male habitus *bbb* 73. 74. quali vindicta Carolus M. ob id usus, ibid.
—— lex de ædificiis construendis *bbb* 69.
—— jejunium quadragesimale *bbq* 61.
—— ab Episcopo quodam benedictionem petit, at post
—— rejicit *bbb* 61.
—— Episcopatus confert & adimit *bbb* 58. 59.
—— Episcopis sui regni injungit ut quisq. certo die in Basilica Ecclesiasticæ sedis prædicaret *bb* 63.
—— Monasterium S. Magni restaurandum curat *a* 673.
—— periculum in venatione *bbb* 75.
—— munera quæ ad Regem Persarum misit *bbb* 76.
—— pagos Saxonum Abodritis concedit *c* 244.
—— pueros & infantes hostium ad spatam metiri jubet *bbb* 58.
—— Alcuini Epistolæ ad eundem *b* 390. seq. quare David ab eo appellatus ibid. *n*.
—— crudelitas notatur *bbb* 56.
—— libido notatur *bb* 183. 212. 213.
Caroli M. contemptus vestium pretiosarum *bbb* 82. 83.
—— fuit caseorum appetens *bbb* 62.
—— ejus juramentum quod in usu habebat *bbb* 58.
—— moriens thesauros suos Ecclesiis divisit *c* 244.
—— ejus Regnum quando inter filios ejus divisum *b* 377.
—— de eo ut Sancto Officium *cc* 205. quando & a quo in numerum Sanctorum adscriptus. 206. 207.
—— ejus corpus ab Ottone III. levatum *c* 67.
—— ejus laus *b* 392. 393. 474. 475. duobus gladiis est usus adversus infideles & hæreticos. *b* 393.
—— Liber de Imaginibus, an & quomodo ipsius *a* 599. & ibid. *n*.
Caroli Calvi laus *bb* 235. 236.
—— dolo & pecuniis obtinet ut à Ioanne Papa Imperator renunciaretur *c* 251. 252. *cc* 252. à Ludovico juniore profligatus ibid. ejus mors ibid.
Carolus Crassus Imperator *cc* 252.
—— cum Sigfrido Normannorum Rege pacem facit eumq. de baptismo suscepit *c* 252.
—— Romæ à Johanne Papa Imperator coronatur *c* 253.
—— mente infirmus factus à suis deseritur, Arnolfo ipsi succedente *c* 254. ejus mors ibid.
Carolidarum gesta *cc* 251. seqq.
Caroli II. Regis Siciliæ captivitas, & de liberatione ejus fabulæ *a* 496. *n*.
Carolus Andegavensis Sicilia potitur *d* 199.
Carolus Rex Hungariæ Papæ opera factus *d* 227.
Caroli IV. Imperatoris Beneficia in Ecclesiam Pragensem *d* 745. 755.
Carpocratiani Hæretici, eorum de Christo dogma *d* 712.
*Carraxare* quid significet *a* 674. & ibid. *n*.
Cartesius, ejus methodo Mamercus Viennensis in confutanda Fausti de animabus sententia est usus *a* 347.
Carthago quando à Tyriis condita *a* 268. *b* 168.
—— a Geiserico capta *c* 218. quo tempore *a* 306. & ibid. *n*.
—— à Vandalis capta *cc* 236.
—— ibi habita collatio inter Arianos & Orthodoxos jubente Hunnerico *d* 156.
Carthaginense Concilium quando & à quibus celebratum *d* 159.
Carthaginensi Episcopo liceat ex qualibet Ecclesia ordinare præpositos, Presbyteros vel Episcopos ad alias Ecclesias *b* 275. XXI.
Cassianus quo tempore claruerit *a* 316.
Cassiodorus quando claruerit *c* 223.
—— an jussu Pontificis Commentarium in psalmos scripserit *bb* 20. 21.
Castaldi qui fuerint *c* 345.
Castitas, per eam homines Angelis exæquantur *bb* 160.
Castitas senilis parum juvat *bb* 160.
Casulæ eædem quæ stolæ sacerdotales *d* 63.
—— Clericis injunguntur *c* 354.
Cataphrygæ, quando exorti *a* 282. & 283. *n*. *b* 177. qui ex iis convertuntur baptizentur *b* 271. VIII.
*Catax* quid significet *a* 736. *n*.
Catechumeni, iis instituendis menses & dies varii definiti *cc* 60. *n*.
—— quomodo instituendi *b* 543.
Catechumeni & infantes baptizati sabbato sancto & Pentecoste *cc* 62. & ibid. *n*.
Categoriæ quid sint *b* 490.
Cathari Hæretici *a* 560. 683.
S. Catharinæ reliquiæ *d* 344. & ibid. *n*,
Cathedra Episcopalis & puellaris in Hibernia à S. Brigida erecta *a* 416.
Catholici qui sint *b* 318. 348.
—— cum Hæreticis conjugium ne ineant *b* 271. X.
Catti iidem qui Hessi *c* 348. *n* ab Idololatria per S. Bonifacium revocantur 348.
Cauda in hostia offerenda quid significet *bb* 157.
Cauponari Evangelium quid sit *a* 141. *n*.
Celsus, Ruricii ad ipsum Epistolæ *a* 378.
Cenodoxiæ vitium *a* 759.
Censurius Altissidorensis Episcopus *a* 404. & ibid. *n*.
Centauri qui fuerint *c* 198. eorum & Lapitharum bellum quando factum *a* 267.
Ceolfridus Alcuini Præceptor *b* 412. *n*.
Cerdo Hæresiarcha, ejus dogmata *a* 282.
Cerei in Missa *b* 320.
Cerimoniarum jugum in V. T. quorsum spectarit *c* 297.
Cerinthiani Circumcisionem tenuere *d* 712.
Character in clero quid sit *d* 640. est duplex, Ordinis & clavium, ibid. quomodo uterque conferatur ibid.



Digitized by Google

Character Cleri est indelebilis *d* 612.
Cherubim, ex eorum medio responsa Judæis dabantur *bb* 33.
Cherubini à Moyse facti fuere Imagines Imaginum *bb* 8. 9. fuere venerandi ibid.
Chiemensis Episcopatus quando institutus *d* 179.
Chiemensium Episcoporum catalogus *cc* 494.
Childeberti regnum ominibus infaustis plenum *b* 214. 215.
Childeberti Regis Francorum bella cum Longobardis *cc* 242.
Childerici Regis Francorum res gestæ *b*, 198. 199.
Chilpericus Francorum Rex Canonem Apostolicum depravavit *b* 264.
Chilperici acta cum Fredegunda & Gachilisinda uxoribus *b* 210. ejus mors 217.
Chlodomeris Chlodovei filii acta & fata *b* 204. 205.
Chlodoveus Childerici filius, Rex Francorum factus *b* 197.
—— Patrem & fratrem occidit *b* 204. ejus mors ibid. ejus Regnum intes filios divisum ibid. eorum res gestæ ibid. & seqq.
—— quando baptizatus *c* 221.
—— res gestæ *b* 200. *cc* 239. Chrotildem Burgundionum Regis filiam ducit 201. 202. Christianam fidem amplectitur 202. Alaricum vincit 203.
—— Ejus & Alarici Gothorum Regis acta invicem *b* 190. 191.
Chlotarii Francorum regis res & fata *b* 208.
Chorus quid sit *bb* 38.
Chorepiscopi Presbyterum vel Diaconum non ordinent *b* 268, XII. 270. X.
Chorepiscoporum ordinationes Presbyterorum damnatæ *cc* 448. 449.
Chrisma genus est Sacramenti *bb* 108. Episcopi est illud conficere ibid.
—— ejus confectio & consecratio non fiat à Presbytero *b* 273. VI.
—— per legatos Papæ annuatim Constantinopolim allatum *d* 62. legatorum ea in re avaritia ibid.
—— illud populus qui confirmari debet accipiat ab Episcopo *c* 354.
Chrismal quid sit *bb* 126. *n.*
CHRISTUS, quæ de eo prædixerint Prophetæ *a* 145.
—— est semen Mulieris *b* 307.
—— quomodo sine patre & matre *b* 316.
*Christi* nomen essentiam ejus non declarat *b* 44. 47.
—— uti & nec naturam nec hypostasin *a* 529.
Christi nomen est nomen artis (τεχνικὸν) *a* 543.
Christi nomina varia in SS. ipsi tributa *b* 342. 343.
Christus Deus ante Sæcula *b* 70. 79. 80.
—— quare gigni, non ut Adamus formari voluerit *a* 208. 209.
—— ejus nativitas quo anno facta *a* 274. & ib. *n.*
—— nativitas ejus est duplex *b* 342.
—— eum ex Judæis esse secundum carnem, necessario infert eum secundum aliud ex alio esse *b* 68.
—— quando natus & passus *b* 174. 175.
—— an in duabus naturis, an in una tantum *b* 33.
—— ut Deus & homo vaticiniis Prophetarum indicatus *a* 455.
—— ut Deus & homo multis testimonis Patrum probatus *a* 548. seq.
—— cur simul Deus & homo esse debuerit *d* 286. 287.
—— ut homo est hostia, ut Deus Sacerdos *b* 363.
—— quomodo simul & seorsim sit Deus & homo *b* 472.
—— in humanitate & divinitate perfectus *b* 33.
—— in divinitate & humanitate perfectus confitendus *a* 237.
—— eum in divinitate & humanitate perfectum negarunt Arius & Apollinarius *a* 629.
Christus & Deus perfectus & homo perfectus *b* 53. 255. 256.
—— ejus Deitas ex locis SS. probata *b* 79. seq.
—— ejus Divinitas sapientia, caro stultia est *b* 325.
Christus secundum divinam & humanam naturam tribus modis existit *d* 970.
—— Spiritu S. jam in utero fuit unctus *b* 300. 301.
—— quare filius Josephi vocetur *c* 29.
—— est perfectus homo *a* 31. 32.
—— quo pacto perfectum & non perfectum hominem assumserit *a* 28. 29. *n.*
—— cur homo factus *a* 15.
Christo homini non latrian, sed dulian exhibendam esse dogma Folmari *bb* 202.
Christum in phantasmate apparuisse qui docuerint *a* 34. *n.* 38.
—— ejus corpus à Divinitate fuisse animatum Apollinaris opinio *a* 228.
—— ejus anima nulla ignorantia laborabat *bb* 441.
—— sub ejus adventum Regnum & Sacerdotium apud Judæos defecerat *b* 173.
—— adventus illius signum fuit pax universalis *a* 795.
Christus septuagesimus septimus est ab Adam *c* 40.
—— ejus vita summatim narrata *a* 788. 789.
—— fuit discursivus sine dubitatione, & consiliativus sine ignorantia *bb* 462.
Christi pueri verba: *Oportet me esse in his quæ Patris mei sunt* quomodo intelligenda *a* 784. 788.
Christus quomodo à cæteris Christis differat *b* 299.
—— quibus rebus cæteris hominibus est dissimilis *b* 340.
—— sibi ipsi & major & minor *b* 300.
—— ubi baptizatus *d* 16.
—— demum post baptismum perfectus, dogma Theod. Mopsv. *a* 579.
Christus quale Verbum Dei sit *a* 209.
—— quomodo Deus & homo pingitur *bb* 13.
—— Ejus vitæ & ministerii anni *c* 26. 27. 34. 35. 38. 39. 40.
—— cur servus Patris vocetur *b* 299. 300.
—— manifestavit nomen Dei hominibus non ut Dei, sed ut Patris *a* 455.
—— quomodo à Patre sanctificatus *b* 72.
Christum à peccato κατὰ διάνοιαν liberum haut fuisse Theod. Mopsv. docuit *a* 579.
—— Ejus humanitatem in divinitatem esse mutatam error est Apollinari & Eutychete antiquior *a* 2. ab Hippolyto Portuensi est confutatus, ibid. hæc sententia examinatur 10. 11.
—— Eum hominem tantum esse qui docuerint *a* 581.
Christus non-homo à Paulo vocatus quomodo *b* 74.
—— est & unigenitus & primogenitus *b* 341. 358.
—— est Dei filius naturalis, non adoptatus & secundum gratiam saltem *a* 461.
—— non duplex filius, sed unus *a* 192. 193.
—— eum secundum humanitatem filium Dei adoptivum esse, dogma Felicianorum *b* 287.
—— eum Patri ὁμοούσιον, ὁμοιούσιον, ἀνόμοιον qui docuerint *a* 175.
Christus quem Deum adorarit *a* 579.
—— qua ratione Deum, Patrem & Deum suum vocarit. *a* 456.
—— est novus Adamus *a* 568.
—— secundus Adamus quare *b* 75.
—— est substantia omnem perfectionem habens sub uno accidente *d* 504.
—— est liber intus & foris scriptus *b* 336. 337.
—— *Oriens* vocatus *a* 455.
—— est caput Ecclesiæ *b* 358. 359. quomodo *d* 510.
—— Petra Ecclesiæ *b* 298.
—— mons montium *b* 361.
—— sol. *b* 356.
—— signum contradictionis, quare? *b* 307.
Christus solus etiam quoad cogitationes peccati expers *a* 564.
—— passibilis & impassibilis dicendus *a* 234.
—— ejus habitudines sive relationes sex *a* 541.
—— cum carne est adorandus *b* 303.
Christum hominem coadorandum esse Deo omnipotenti docuit Nestorius, negavit Folmarus *cc* 202.
Christo ignorantiam qualem tribuerit Theod. Mopsv. *a* 579.
Christus verum & nostro simile corpus habuit *a* 160. 161.
—— forma servi indutus ut lateret Principem hujus seculi *a* 453.
—— tres habet substantias *b* 317.
—— est spes & portio fidelium *a* 383.
Christi dictum *Ego & Pater unum sumus* quid probet *b* 81.
—— ejus exemplum non semper sequendum *d* 549. 550.
—— non in omnibus est imitandus *a* 709.
—— quibus in operibus sit imitandus, in quibus non *d* 609. 610.
—— quomodo infremuerit & turbatus sit spiritu *b* 257.
—— nostra non didicit per experientiam *bbb* 24.
—— ejus prædictiones eventu comprobatæ *bbb* 29.
—— eum sub figura humana, non amplius sub figura agni pingendum esse, Sextæ Synodi decretum *bb* 4.
Christus Sacerdos secundum ordinem Melchisedech *c* 298. 299.
—— eum esse incircumscriptum, Eusebii dogma *bb* 6.
—— quomodo circumscriptus *bb* 17.
—— est secundum *aliud* & *aliud*, non secundum *alium* & *alium* visibilis & invisibilis, mortalis & immortalis &c. *b* 40.




Digitized by Google

Chriſtus Legislator perpetuus *d* 82.
—— ejus præcepta triplicia *d* 631.
—— an circa cibum & potum voluntate gnomica uſus ſit *bb* 451. 452.
—— non eſt dividendus *b* 303.
Chriſto tempus in brevius contractum fuiſſe ne deficeret, docuit Theod. Mopſ. *a* 579. 580.
Chriſtus puſillanimitatem in paſſionibus quibus verbis patefecerit *b* 73.
—— eum non minus pro ſe ac pro toto mundo mortuum eſſe docuit Theod. Mopſ. *a* 580.
—— etiam pro damnatis eſt mortuus *a* 355.
—— quo anno paſſus ſit *a* 260.
—— quo tempore crucifixus *a* 275. & ib. *n.*
—— quo die crucifixus *c* 195.
Chriſtus crucifixus ſcandalum paganis *b* 325.
Chriſtus paſſus quomodo tamen Deus *bb* 77.
Chriſti mors vera & certiſſima *a* 462.
Chriſtus quomodo finis legis *c* 298.
—— in duobus hircis deſcriptus *a* 629.
—— ad animas corpore ſolutas profectus captivis remiſſionem prædicaturus *a* 460.
—— & ſuſcitatus eſt à Patre & ſe ipſum ſuſcitavit *b* 77.
—— ſeipſum reſuſcitavit *b* 299. 341.
—— qua de cauſa poſt reſurrectionem cibum ſumſerit *a* 189. quomodo *d* 324.
Chriſti caro corruptibilis & incorruptibilis quo ſenſu dici poſſit *a* 31. *n.*
—— Ejus caro poſt reſurrectionem mutata in immaterialem & impaſſibilem, non tamen incircumſcriptam, intelligibilem aut inviſibilem *a* 189.
Chriſti corpus glorificatum retinuit proprietates naturales *a* 189.
—— Ejus deſcenſus ad inferos *a* 566.
—— deſcenſus ad inferiores partes terræ quare factus *a* 463.
Chriſti apparitio Petro Romæ facta *b* 311. *c* 137.
—— —— Jacobo facta *bbb* 122.
Chriſtus quomodo ſe aſcendere ait *b* 77.
—— exaltatus quomodo dicatur *b* 69.
Chriſtum aſſumtum in ſole poſuiſſe corpus, nudumque Deum aſcendiſſe, Manichæorum dogma *a* 184.
Chriſtus Ordines cœlitum ad immutabilitatem roboravit *a* 15.
—— Ejus ſecundus adventus *b* 344.
—— adventus ſecundus prædictus & deſcriptus *d* 326. 327.
Chriſtus interpellat Patrem pro nobis non voce, ſed miſeratione *b* 364.
—— Ipſius inimici vel ſponte vel invite ipſi ſubjiciendi *a* 464.
—— quomodo manducandus *b* 322.
—— totus eſt in unaquaque Sacramenti ſpecie *d* 489. 500. 501. 523.
Chriſto fideles non ſunt comparandi *b* 317.
Chriſti ſignum ex nummo deleri non potuit *bbb* 15.
Chriſti ſtatua à Juliano ſublata *b* 119.
*Chriſteleiſon* Græci nunquam cantant *d* 66.
Chriſti nomine appellari & Chriſtum oppugnare improbitas maxima *a* 44.
Chriſtianorum denominationes ab homine aliquo damnantur *a* 192.
—— eos coluiſſe aſinum, calumnia Ethnicorum ejusque origo *a* 37.
—— perſecutio prima *a* 277. ſecunda 278. tertia 279. quarta 282. quinta 284. ſexta 255. ſeptima 286. octava ib. nona 289.
—— perſecutiones eorum feliciter ſuperatæ argumentum veritatis Religionis Chriſtianæ *bbb* 14. 15.
Chriſtianorum ætas ſpiritualis Patrum, Juvenum & puerorum deſcripta *a* 386.
Chriſtianis pax à Conſtantino quando reddita *a* 290.
—— pluviam precibus impetrant pro Antonini exercitu *b* 178. *cc* 224.
—— eorum precibus Cawades Rex Perſarum caſtello theſauris repleto at ob Dæmones inacceſſibili potitur *a* 327.
Chriſtiani in Terra S. omnium peſſimi *d* 23. ejus rei cauſa ibid.
—— Judaiſinum amplexi, quid circa eos ſtatutum *bb* 310.
Chriſtiana dogmata ex tribus fontibus petenda *d* 393. non omnia ex verbis SS. ſed & ex ſenſu haurienda 395.
Chronicon incerti auctoris a nativitate Domini ad annum M. C. LXVII. *cc* 217.
Chronicon Pithoeanum ſive Imperiale *a* 313.
—— auctor ejus quis *a* 260. 261.
Chronica Salisburgenſia *cc* 477.
S. Chryſantus Martyr, ejus geſta *a* 732. 733.
D. Chryſoſtomi Interpretatio in Evang. Joh. *a* 217. ipſi male tribuitur *a* 218.
—— Ejus Epiſtola ad Cæſarium Monachum *a* 226. num genuina *a* 226. ſeq. eam Rex Galliæ Ludovicus XIV. jubet dilacerari *a* 227. 229.
—— ea ipſi à P. le Quien abjudicatur *b* 28.
—— Epiſtola ejus alia ad Cæſarium è Cod. Florent. edita *a* 230.
—— Epiſtolæ ad Cæſarium fragmentum *b* 64.
—— Ejus Scripta à Theophylacto falſata *d* 55.
Chunichildis, Cnutonis Danorum Regis filia, Henrico filio Conradi nubit *c* 265. ejus mors 266.
Chunigunda Henrici II. conjux adulterii accuſata vomeres candentes calcando ſe purgavit *cc* 29.
Chunihild & ejus filia Berathgid, fœminæ religioſæ, Magiſtræ in Thuringia conſtitutæ *c* 349.
Chunitrud fœmina religioſa in Bajoaria conſtituta ad ſpargendum ſemen verbi divini *c* 349.
Ciborium ſuper corpore D. Petri à Gregorio M. factum *c* 229.
Ciborum diſcrimen in N. T. ſublatum *a* 522.
—— quare à quibusdam etiamnum abſtinuerint Chriſtiani *cc* 702.
—— eorum delectus & deſiderium quale culpandum aut non *bb* 452.
Cibus Joannis Baptiſtæ violentus & plane non voluntatis *bb* 453.
Cicero quando natus *a* 272.
Cilicium Eccleſiæ veſtimentum *a* 393.
Circumcelliones Hæretici ſemet ipſos martyrii cupidine interficiunt *b* 333.
Circumciſio quare Judæis injuncta olim *bbb* 47.
Circumciſio octavi diei *bbb* 26.
Circumciſionis octavo die peragendæ myſterium *a* 481.
Circumminceſſio Trinitatis *bb* 482.
Circuminſeſſio naturarum qualis *b* 43.
Circumſcribi proprium eſt corporum *b* 448.
Circumſcriptio latius patet imagine *bb* 17.
Circumſcriptum quid quatuor modis *bb* 13. 14. 16.
Circumſcriptum à Synodo III. ſtatutum *bb* 4.
Cirta urbs Africæ, Conſtantina etiam vocata *a* 303. *n.*
Claudi & cœci lege à templo arcebantur *a* 460.
Claudianus Poëta quando claruerit *a* 297.
Claudius II. Romæ aurea ſtatua donatus Chriſtianos perſequitur & S. Quirinum bonis ſpoliat *cc* 126. Syrmiis cæſus 133.
Claves confeſſionis Petri Carolo M. transmiſit Leo III. Pontifex *b* 418. *n.*
Clavium poteſtas ligandi & ſolvendi, ad quæ extendatur *d* 598. 599.
Clemens Romanus Virgo *a* 722. 723.
—— ejus Itinerarium Petri & Canones Apoſtolici exceptis quinquaginta pro Apocryphis habiti *c* 317.
—— Ejus Epiſtola ad Jacobum citata *d* 374. 650. ſpuria fuiſſe oſtenditur *d* 374. *n.*
—— Conſtitutiones citatæ *c* 311. 312.
—— quo loci in mari ſubmerſus *d* 337.
Clemens IV. Papa quondam miles uxoratus *d.* 196. ejus Epiſtola de Vodeslao Salisb. Epiſc. ibid. de Petro Patav. Ep. 197.
Clemens V. ob quam cauſam Sedem Roma Avenionem tranſtulerit *d* 252.
Clemens & Eldebertus duo hæretici in Germania *c* 355. 361.
Cleopas & Lucas duo diſcipuli Emauntici *b* 329.
Clericorum tres Ordines *c* 322.
Clericatus, per quot gradus ad Presbyteratum & Epiſcopatum aſcendi debeat *c* 392. 393.
Cleri ſanctitas reverentiam ejuſdem tueatur *d* 82.
Clerici non ordinentur priuſquam omnes ſuos fecerunt Catholicos *b* 275. III.
—— cum cœlo, laici cum terra comparandi *d* 636.
Clericorum Officia ex Canonibus indicata *c* 397. ſeq.
Clerici duorum generum ſunt, Religioſi aut Sæculares *d* 716.
—— Sæculares qui *d* 716.
Clerici Acephali *bb* 365.
Clericorum habitus à Sidonio deſcriptus *b* 430. *n.*
Clerus, judicia in eum tantum ſunt Dei ac Sacerdotum *a* 478. *n.*
—— eum caſtigationi ſæculari ſubjacere debere contenderunt Taboritæ *d* 354.



Digitized by Google

Clerus Græcæ Eccleſiæ Imperatori ſubiectus & inde contemptus *d* 62.
Cleri in Britannia faſtus in veſtibus *b* 386. *n.*
Cleri vitia quando libere coram populo ſint argenda *d* 588.
Clerici aleatores, ebrioſi, uſurarii aut deſinant aut damnentur *b* 267. XLII. XLIII. *c* 12.
Clerici animorum curam habentes in parochiis reſideant *d* 89.
—— non ſint conductores vel Procuratores aut exactores *b* 274. XVI. *bb* 365.
Clericus fidejuſſor abjiciatur *b* 267. XX.
Clerici coram Laicis non debent corripi *d* 585. 588.
Clerici galiardi, buffones & joculatores coerciti *d* 254.
— ſpectaculis ne interſint *b* 272. LIII.
Clerici & Monachi ne comedant in tabernis *b* 271. XXIV. 275. VII.
Clericus tabernam intrans bibendi & ludendi gratia quomodo puniendus *d* 89.
Clerici tabernarii, ſtatutum circa eos moderatum *d* 259.
—— canes ad venandum non habeant *c* 11. 12.
—— Eccleſiam ſuam non relinquant abſq. licentia Epiſcopi *b* 266. XV.
—— non dimittant uxores, at habeant quaſi non habeant *c* 323.
Clericus uxoratus deponatur *c* 11.
Clerici non religioſi licite poſſunt habere bona temporalia propria *d* 717.
Clerici ad continentiam cogantur *c* 12.
Clericos quos Eccleſia Romana uxores ducere permittat *c* 323.
Clerici peccantes, quomodo in eos animadvertendum *bb* 299. ſeqq.
—— peregrini cum litteris commendatitiis ſuſcipiantur hoſpitio, non ad Communionem *b* 267. XXXIV. 270. VII.
—— Viduas & Virgines non accedant niſi juſſu Epiſcopi, nec ſoli, ſed coram probatis perſonis *b* 275. V.
—— in adulterio deprehenſi ad honorem redire non poſſunt *bb* 142.
—— fornicatores, perjuri, fures deponantur non tamen excommunicentur *b* 267. XXV. XXVI.
—— pœnitentes ad ſacerdotium rurſus admittendi *bb* 146.
Clericus lapſus at pœnitens in priorem gradum reſtituatur *bb* 148. 301. 302.
Clerici ab Epiſcopo ſuo damnati, ab alio non debent recipi *b* 267. XXXIII.
Cleti Papæ Martyrium *bb* 325. & ibid. *n.* an idem cum Anacleto 330. *n.*
Cluniacenſe Monaſterium ab Odilone conditum *c* 270.
Coadoratio carnis Chriſti rejicienda *b* 303.
S. Cœcilia Virgo & Martyr *a* 742.
Cœleſtinus IV. papa quis fuerit *d* 187. & ibid. *n.*
Cœleſtinus V. Papa Papatum reſignat *d* 209. 210. 223.
Cœlibum & Conjugatorum ordo *b* 357.
Cœlibatus Sacerdotum impugnatus *c* 312. defenſus *c* 322.
Cœlum & terra tranſibunt non interibunt *c* 299.
Coëpiſcopi Archidiaconi ab Epiſcopis vocati *b* 229.
Cogitoſus de S. Brigida Scota *a* 413. eum recentiorem credit CL. Baſnage 415. qua ratione ſe *Nepotem* dixerit, incertum 414. 415.
Cogitatio mali & boni neceſſaria *a* 103. in cogitatione ſola anima non conſiſtit *a* 364.
*Cohibentia* quid ſignificet *bbb* 133. & 16. *n.*
*Collecta* pro Exercitu uſurpata *bb* 48. & ibid. *n.*
Coloſſus quando erectus *c* 208.
S. Columba, ejus vita jam ante Adamnanum a Cumneneo Albo conſcripta *a* 675. 700.
S. Columba & Columbanus unus idemque 676. de eo prophetia *a* 679.
S. Columbæ geneologia & miracula *a* 680. ejus prophetiæ ibid. & 681. 682. ſeqq. 689. ſeq.
S. Columba excommunicatur a Synodo *a* 699.
—— obitum ejus equus lacrymatur *a* 706.
Columbani duo *a* 772.
Columbani ætas *a* 770.
—— ad Theodopertum Regem ſe confert, *a* 657. 658.
—— è Germania in Italiam fugit *a* 658. & ibid. *n.* 659.
—— Suevos idololatras convertit *a* 773. infideles diris devovet ibid. Clotario prædicit eum Regno fratrum potiturum ibid.
—— ejus Carmen Monoſtichon *a* 769.
—— Epiſtola contra Avaritiam *a* 779.
—— ejus obitus *a* 661. 662.
Columbani Bellienſis Abbatis vita *a* 772.
Columbus a Columba diverſus *a* 680. *n.*
Columnienſes à Bonifacio VIII. damnati *d* 211. ipſum capiunt 228.
Comam Clerici ne nutriant *d* 89. *b* 430. *n.*
—— eam nutrire Clero Græco ſolemne *d* 65.
Comam & Barbam Clericus ne nutriat *c* 398.
Combefiſii judicium de Orationibus Anaſtaſii Sinaitæ *a* 465. *n.*
Comitum officium *bb* 367.
Comites palatii, eorum officium quale *bb* 238. *n.*
Commercium dandi & accipiendi inter Deum & hominem *a* 357.
Communicandum quando ſit ab omnibus *c* 401. 402.
Communicandum an quotidie Chriſtiano *b* 324.
à Communione poſt peccata gravia abſtinendum donec pœnitentia agatur ibid.
Communionem ab Hæretico qui accepecit ſciens aut inſciens, quomodo pœnitere debeat *c* 407.
Communio laica quid ſit *d* 495.
—— ea eſt pœnæ genus Sacerdotibus ob peccatum depoſitis impoſita *d* 495.
Communio ſub una pro Laicis & ſub utraque pro Sacerdotibus quibus argumentis à Clero Pragenſi defenſa *d* 463.
—— ex veteri Teſtamento probata *d* 489.
—— quando univerſali Eccleſiæ conſuetudine ſit probata *d* 497.
—— argumenta pro ea *d* 765. 766. ejus cauſæ *d* 768. 773.
Communio ſub utraque tempore S. Brigidæ in uſu *a* 423.
—— eam non eſſe neceſſariam toti credentium populo, imo propter conſuetudinem & ſtatutum Eccleſiæ contraria noxiam, Johannes de Raguſio in Concilio Baſil. defendit *d* 456. 467. 474.
—— die Paſchatis à Pontifice Laicis quibuſdam datur *d* 463.
Communio parvulis ab Huſſitis data *d* 761. 762.
Communio per intinctam rejicitur *c* 401.
Communio mulieribus in menſtruo ant partu laborantibus à Græcis denegatur 307.
Communio bonorum quæ incommoda pariat 740. 741.
Communitates an peccata punire debeant poſſintve *d* 615.
Compactata quid fuerint *d* 754. *n.*
Compactata Pragenſia ſive Baſileenſia *d* 461. Iglavenſia 462. eorum obſervationem Pontifex concedere renuit ibid.
Completæ quare inſtitutæ *bb* 70.
Compoſiti natura non eſt eadem cum natura compoſitorum *a* 617.
*Compoſitorum natura b* 36.
Compunctio cordis quid ſit *bb* 155.
Concilium annuatim celebretur *b* 274. XIX.
Concilia Epiſcoporum bis in anno celebrentur *b* 267. XXXVIII. 270. XX.
Concilia generalia juſſu Imperatorum celebrata *d* 383.
Concilia in Gallia convocari non poterant niſi ex mandato Regis *a* 634. 649.
Concilia juſſu Caroli M. coacta *cc* 250.
Concilium generale, ad id recurrendum ſi ſummus Pontifex officio ſuo deſit *d* 588.
—— abſque Papa Romano fieri non poteſt *d* 375.
Concilia generalia errare non poſſunt in his quæ ſunt de neceſſitate ſalutis *d* 681. 682.
Conciliorum Generalium Decreta ſunt Verbum Dei inſpiratum publicum *d* 633. 634.
Conciliorum auctoritas in Eccleſia quanta eſſe debeat *d* 496. Spiritum S. Dictatorem eorundem fuiſſe credendum ibid.
—— eorum auctoritas non eſt major ea Apoſtolicæ ſedis *d* 373.
—— ſub eorum auctoritate Hæretici qui ſua dogmata occultare niſi ſint *a* 535. 536.
—— quomodo ſint ſancta *d* 631. 632.
Concilia prima quæ *b* 244. 245.
Concilia VII. oecumenica breviter recenſita *d* 67 — 71. 77. *bb* 384. ſeq.
Concilium VIII. univerſale *d* 71.
Concilia Oecumenica quinque ſaltem *d* 67.
Concilium Agathenſe quando habitum *a* 371.
—— Antiochenum ſemiarianum *b* 265.
—— Arelatenſe III. quo tempore habitum *a* 347.
—— Carthaginenſe contra Pelagium quo tempore habituni *a* 299. & ib. *n.*
—— Claramontanum *cc* 257.
—— ſecundum Conſtantinop. contra quem habitum *d* 41.
—— Epheſinum ſub Dioſcoro in cauſa Eutychiana *a* 304.
—— Erphordienſe *c* 336. 338. *n.*


Foro-

Digitized by Google

Concilium Forojulienſe & Reginenſe contra quos habitum *b* 281. 282.
——— Francofurtenſe damnat Elipandum *b* 293.
——— illud Pontificiis partim probatum partim improbatum *b* 293.
——— Liptinenſe, ei præfuit S. Bonifacius *b* 244.
——— Narbonenſe an genuinum *b* 291.
——— Romanum Oecum. V. quando habitum *a* 191. *n.*
——— Romanum ſub Leone II. Acta ejus *b* 294. 295.
——— Sueſſionenſe, an ei præfuerit Bonifacius *b* 244. *n.*
——— Tridentinum laudatur *d* 837.
Concilii Viennenſis Conſtitutiones *d* 81.
Conciliorum diſcordantium ſententia quæ ſequenda *bb* 149.
Concilia pro Communione ſub una *d* 494. 495.
Concilii ſexti Canon contra Azyma cum Judæis non comedenda *c* 311. 317.
Concinæ, idolorum templa à S. Ottone confracta *cc* 70.
Concubina, qui Concubinam pro uxore habet à communione non repellatur *bb* 111.
Concubinis Clerici abſtineant *d* 83.
Concubitus, appetitus ejus bonus *a* 170.
Confeſſio non ſemper pœnitentiam ſignificat *b* 416. & ibid. *n.*
Confeſſio peccatorum qualis ab Eccleſiæ conſtituta *d* 561.
Confeſſionis neceſſitas *a* 442. *b* 415. 416.
——— eſt neceſſaria & utilis *b* 454. 455. 458.
——— an peccata eadem numero confitenda ſint, gravis lis inter Clerum Gallicanum *d* 207. 208.
Confeſſio auricularis, de ea librum ſcripſit Alcuinus *b* 453.
Confeſſio quot vicibus per annum facienda *cc* 62. & ib. *n.*
——— pœnitentium non publicanda *bb* 130.
Confeſſio vera indulgentiam, excuſatio falſa offenſam meretur *a* 379. 405.
Confeſſorem eligere extra ſuam profeſſionem vel ordinem nulli Religioſo liceat absque Prælati ſui licentia *d* 90.
Confirmatio Catechumeni baptizati per corpus & ſanguinem Domini *b* 547.
Confirmationis Sacramentum quid ſignificet *a* 497. *n.*
——— ejus neceſſitas *c* 401.
Confirmati & baptizati bis, debent ſeculum relinquere *c* 401.
Confœderatio Principum & civitatum ad Rhenum *d* 187. 188. 190.
Conjugati plurimis diebus à coitu abſtinere debent ante S. Communionem *b* 324.
Conjugium cum impotente diſſolvendum *bb* 310.
——— ſiquis deteſtatur anathema ſit *b* 269. I.
——— Spirituale Clericus init *c* 323.
Conrada Magiſter, inter Bohemos fratres *d* 758. eo Duce Ziska bellum inchoavit ibid. *n.*
Conradinus à Carolo Andegavenſi captus capite plectitur *d* 199.
Conradus de Marburg, qualis fuerit *d* 130. 131.
Conradi Imperatoris convivium feſtivum cum Monachis S. Galli *cc* 563.
Conradus II. Imperator factus *c* 264. Italiam ſubigit ibid. ejus mors 266.
Conradi Archiep. Salisb. res cum Alberto Auſtriaco *d* 752.
Conradi Archiepiſcopi Pragenſis facinora *d* 763. & ib. *n.*
S. Conradus Conſtantienſis Epiſcopus *d* 824. ſingularia quædam de eo, ibid. *n.* *Vide plura* in Cunradus.
Conſanguinitatis gradus omnes prohibiti *bb* 113.
Conſecrationis Clericorum ritus *d* 705.
Conſervatio creationis deſcripta *a* 448.
Conſilium quomodo in Deo admitti poſſit *bb* 462.
——— non includit ignorantiam ibid.
Conſilia divina quid ſint *d* 640. eorum inobſervantia reum non facit 641. 642. ſunt duplicia, reverentiæ & perfectionis 641. quibus in rebus differant à præceptis ibid. & 693.
Conſtantia quid *d* 418.
Conſtantia Auguſta, uxor Licinii *bb* 4.
S. Conſtantina Virgo *a* 748. non fuit Conſtantini M. filia, ibid. *n.*
Conſtans Imperator Romæ omnia ornamenta abſtulit *c* 235. 236.
Conſtantinopoleos deſcriptio *d* XIV. *d* 337.
——— Roma ſecunda dicta *b* 392. *n.*
——— ſedem proprie non habet *d* 56. à Theodoſio M. in Patriarchatum eſt erecta ibid. & 74. ſecundum à Romana Sede locum obtinet ibid.
——— à Latinis occupata *d* XII. ab ipſis oppugnata XV. expugnata XVI.
Conſtantinus M. ejus res geſtæ *b* 180. *cc* 229. 230.
——— ejus ſomnium de Urbe Byzantio *a* 724. *d* XIV.
——— Eccleſiam ſibi ipſi jus dicere permiſit *a* 478. *n.*
Conſtantini M. Donatio *d* IV. *d* 60. & ibid. *n.*
Conſtantinus M. Criſpo filio interfecto ſtatuam poſuit *c* 32. 33.
——— inter ſanctos à Græcis numeratur *d* 732.
Conſtantinus VI. Romam Ornamentis ſpoliat *cc* 244.
Conſtantinus VII. à matre Irene dejectus *b* 392. & ib. *n.*
Conſtantius Imperator Semiarianus *a* 175.
Conſtantius Laicus Pelagianos oppugnat *a* 299. & ib. *n.*
Conſtantius Lugdunenſis Presbyter, ejus mores *a* 394. & ib. *n.*
Conſubſtantialium ratio eadem *b* 35.
Conſubſtantialitatis definitio *b* 35.
Conſuetudo eſt lex non ſcripta *bb* 18.
Conſuetudinis Eccleſiæ auctoritas *d* 497.
Conſuetudo quæ ſit ſequenda *c* 383.
Conſuetudines & Traditiones Majorum quæ non ſunt contra fidem Leges Apoſtolicæ habitæ *c* 303.
Contemperatio naturarum improbatur *b* 61.
Continentia, ad eam non coguntur Clerici apud Latinos *d* 76.
——— in ejus ſignum Vir pallio non utatur *b* 269. XII. nec fœmina virilem habitum ſumat ibid. XIII.
Contraria nulla ex integro ſibi contraria *a* 204.
Contrariorum genera quæ *b* 496.
Contrarietas & varietas in natura neceſſaria & utilis *a* 134. 135.
Contumacia, ob eam pœna eſt augenda *d* 573.
Converſi primum blande & leniter tractandi *bb* 154.
Converſi Judicium de ſe tripartitum *bb* 153.
Converſio, quot modis eam Deus apud homines tentet *bb* 153.
——— genus ipſius eſt triplex *bb* 153.
——— eam tentationes ſequuntur *bb* 154.
Converſorum Conflictus *bb* 154.
Convivium Presbyterorum quomodo peragendum *c* 398.
Copronymiani Imaginum & reliquiarum cultum improbant *bbb* 51.
Cor durum quid ſit *d* 629.
Corinthus quo tempore condita *a* 267.
Cornua Beſtiæ agni ſimilia quid ſint *b* 352. 354.
Cornua decem Beſtiæ quid ſint *b* 354.
——— ——— Draconis 356.
Corona Pontificum triplex unde *d* 174. *n.*
Corporeum & incorporeum quid ſit in rebus humanis *a* 336.
Corporis definitio *a* 539.
Corporis geſtus & habitus non negligendus *bb* 433.
Corpori Chriſti materiam præbuit Maria Mater ipſius *a* 451. 452.
Corpus eſt quidquid locum occupat, opinio Fauſti *a* 365.
Corpus per ſe nihil mali operatur *a* 76.
Corpus Chriſti duplex, verum & myſticum *d* 486.
——— myſticum ſunt fideles *b* 358.
Corpus Chriſti non delatum de cœlo *b* 75.
——— naturâ eſt corruptibile *a* 566. 567. teſtimonia Patrum de eo 571.
——— fuit verum & paſſioni obnoxium *a* 561.
——— non niſi Verbo permittente œconomice naturalibus paſſionibus ciebatur *b* 257.
——— qua ratione corruptibile & incorruptibile à Patribus dictum *a* 570. 571.
——— nube qua aſcendit levius fuit & naturâ ſurſum ferebatur. *a* 464.
Corporis Chriſti habitus & lineamenta eadem poſt reſurrectionem ac ante eam *a* 464.
Corpus Chriſti reſuſcitatum eſt incorruptibile, immortale, ſpirituale *a* 463. Corpus quidem manſit at non caro 464.
Corpus Chriſti ipſum in Euchariſtia traditur *d* 469. 484.
Corpus Chriſti & corpus diaboli quæ? *b* 371.
Corpus peccati quare ita corpus dicatur *a* 207.
Correctionis modi tres *d* 624.
Correctiones Prælatorum legitimas Clerici cum humilitate ſuſcipiant *d* 83.
Correctio duplex, juſtitiæ & caritatis *d* 569. 581.
Correptio fraterna quæ circa eam notanda 581. ſeq. eſt neceſſaria 582. quæ in ea attendenda 583. quando & quomodo fieri debeat 584.
Correptio inferiorum à ſuperioribus qualis debeat eſſe *d* 583.
——— Superiorum ab inferioribus quibus conditionibus fieri poſſit & debeat *d* 583.
Corruptibilitas Corporis Chriſti teſtimoniis Patrum firmata *a* 571. ſeq.
Coſmus & Damianus Martyres *a* 732.
Coſroes Perſarum Rex, de eo fabulæ *d* 423.



Digitized by Google

Cotwik monaſterium ubi ſitum *d* 103. *n.*
Creare, gignendi vim habet *d* 268.
Creaturam nullam incorpoream eſſe Fauſti error *a* 361. *n.* à quibus refutatus ibid.
Creaturæ omnes laudem auctoris loquuntur *a* 375.
Credenda & agenda omnia ad ſalutem neceſſaria in ſenſu literali SS. fundantur *d* 478.
Credere non eſt idem quod videre *b* 365.
Crema deſtructa à Friderico I. *d* 174. & ib. *n.*
Crimen, quot modis accipi poſſit *d* 608. 609.
Crimina non remittuntur niſi cum compunctione ea confiteamur *a* 376.
Crimina punire non eſt crudelitas ſed pietas *d* 572.
Crucigeri excommunicationi ſubiacentes à Papa ſolvuntur *d* IX.
Crucigerorum ſtipendium quale *d* VI. VII. eorum diſſidia cum Venetis VIII.
Crucigeri peſte gravi afflicti *d* X. XI.
Crux ſalutatione non oſculo honorata *a* 469. & ibid. *n.*
Crucis ſignum Chriſtianis in uſu *b* 320.
S. Crucis inventio *bbb* 223.
——— adoratio & virtus *bb* 396.
Crucis ſignum in fronte quare *b* 544.
Crux ſancta quando plane perdita *d* 438. quando recuperata à Coſroe fuerit 446.
— à Perſis capta *c* 231. 232.
— ut deperdita deploratur *d* VI.
Crux in S. Quadrageſima velatur à Latinis *d* 63.
Crux, *ad crucem ambulare* ſupplicii ſpecies *b* 136. & ibid. *n.*
Crucem Armenii non colunt niſi prius baptizatam & ſanguine tinctam *bbb* 49.
Crucem loco Eccleſiæ nobiles Saxones olim habuerunt *b* 107.
Crucis ſigna in veſtibus viſa *c* 260.
Crucem quare Pontifex Rom. in ſandalibus gerat *d* 681.
Cruciata contra Bohemos prædicata *d* 452. 623.
*Cuba* quid ſit *bbb* 62. *n.*
Cucurbita carmine deſcripta *bb* 268.
Cunradus Rex ob violatum B. Emmerammi Monaſterium punitus *c* 110.
Cunradus I. Imperator *c* 257.
Cunradi IV. Regis periculum ex inſidiis Ratiſponæ *d* 188. ejus mors 189.
Cunradus Archiep. Salisb. ejus geſta *cc* 441.
Curcimboldum, veſtis genus *bbb* 273. & ibid. *n.*
Cuſpinianus Thaddæi Scoti aliorumq. opera uſus eſt in opere de Imperatoribus elucubrando *d* 750.
S. Cuthberti Lindisfarnenſis Acta a Venerabili Beda conſcripta *b* 1.
——— Vita ejus à Caniſio edita dubium an Bedam auctorem habeat *b* 3.
S. Cudberthus quando vixerit *b* 389. *n.*
Cuthberti bini *b* 3.
S. Cuthberto Epiſcopatus prædicitur *b* 6. ab Angelo curatur pede claudus ibid. ejus geſta & *miracula* 7. & ſeq. fit Monachus *b* 12. prædictio de Eggfrido Rege 14. Viſio Monachus *b* 12. prædictio de Eggfrido Rege 14. Viſio de eodem 16. ejus corpus incorruptum poſt XI. annos repertum 20. 21.
S. Cudberthi Eccleſia à Danis vaſtata *b* 389. & ibid. *n.*
Cyclus magnus Paſchalis quando à Dionyſio inchoatus *c* 224.
Cycli Paſchalis initium quando *a* 276. & ibid. *n.*
Cyclus Paſchalis Proſperi *a* 286.
——— ejus errores *a* 295. *n.*
Cymbalum tinniens eſt qui non ſentit ipſe quæ dicit *b* 373.
Cyprianus non per omnia ſequendus *d* 547.
Cyprus Inſula viniferax *d* 338.
Cyriacus cum undecim mille virginibus in Colonia martyr *d* 732.
Cyrillus & Proclus Theodori Mopſuſteni adverſarii *a* 582.
Cyrilli Teſtimonium pro una Natura à Timotheo Severiano citatum *a* 527.
Cyrillus & Methodius Bohemos ad fidem Chriſtianam adduxerunt *d* 754. *n.*
Cyrinus ſcriptor vitæ S. Emerammi quis fuerit *c* 86. 87. 90. & ibid *n.*


## D.


Dæmones non mali naturâ *a* 84. Chriſtum agnoverunt ibid. & 86.
—— eorum peccatum primum ſuperbia *a* 760.
—— Trinitatem confitentur *a* 665.
Dæmonum & damnatorum reſtitutio à quibus tradita *a* 198. 199. *Vide plura ſub Voce* Diabolus
Dæmon ſub figura Caballi Epiſcopum in aquas præcipitat *bbb* 66. 67.
Dæmon furem agens cæſus *bbb* 66.
Dagobertus Galliæ Rex quo anno regnum inierit *a* 634.
—— Epiſcopos nominabat *a* 633.
—— Deſiderii ad eum Epiſtolæ *a* 637. ſeq.
—— rogatu Conſtantini Auguſti Iudæos ad fidem Chriſtianam cogit aut regno pellit *cc* 245.
Damaſceni (Joannis) Liber contra Acephalos *b* 25. ejus operum editio à P. le Quien procurata *b* 26.
—— ejus Diſſertatio adverſus Neſtorianos *b* 65. P. le Quien de hoc ſcripto judicium ibid.
—— Proceſſionem Sp. S. ex Patre per filium reipſa ſtatuit *d* 377. 385.
—— ejus auctoritas non authentica *d* 44.
—— quando obierit *bbb* 10.
Damaſci deſcriptio *d* 356.
Damiata à Chriſtianis expugnata *d* 27. *n* 180. iterumque amiſſa ibid. à Ludovico S. denuo capta 188. reddita ibid.
Damnati priſtinum officium uſurpantes penitus de Eccleſia abſcindantur *b* 267. XIXX.
Dan, ex ea tribu & Judas proditor fuit & Anti-Chriſtus proveniet *d* 302. 316.
Dani à Francis ad internecionem cæſi *c* 223.
Danorum Claſſis Hyberniam invadens à Scotis victa *c* 244.
Daniæ Rex *Ungendus* ignotus *b* 464. *n.*
Daniel virgo *a* 717.
—— quo anno obierit *a* 247.
Daræa oppidum *b* 28.
Dardanus Præfectus Prætorio Galliarum *a* 315 & ibid. *n.*
Darea urbs à Juſtiniano condita *b* 192.
Dativus, Vincentius aliiq. Donatiſtæ Martyres *bb* 318. *n.*
David Dei-parens vocatus *b* 55.
Davidis funda & trini lapides quid myſtice ſignificent *c* 417.
Debitum eſt duplex, neceſſitatis & ſupererogationis *d* 696.
Decachordum myſtice expoſitum *bb* 33.
Decimæ Epiſcopis dandæ *bb* 365. quomodo ab iis diſpenſandæ ibid.
—— eas Populus Presbyteris offerat, a quibus & dividendæ *c* 394.
—— Summo Pontifici ut ſolverentur in Concilio Salisb. decretum *d* 253.
—— *lis circa* eaſdem *inter Epiſcopos Germaniæ & Abbates* Fuldenſem & Herſveldenſem *c* 336. 339. *n.*
—— in quatuor partes ſunt dividendæ *c* 338. de earum abuſu querelæ 339.
—— eas eſſe puras Eleemoſynas contenderunt Huſſitæ *d* 787. 788.
—— de iis retentis in Synodis fiat judicium *c* 10.
Decimatio in poteſtate Epiſcopi ſit *c* 12.
Decima nona ab iis qui Beneficio Eccleſiaſtico gaudent ad emendationem Eccleſiarum ſolvatur *c* 394.
Decius Imp. quot annos regnaverit *a* 286. *n.*
Decretales in Galliam illati *b* 265.
Decretales ſub Iſidori Mercatoris nomine quando in Gallias advectæ *bb* 87.
Definitio quid ſit *b* 498.
—— earum ſpecies 499.
Definitionis & deſcriptionis differentia *b* 47.
Deificatio carnis Chriſti admittenda *b* 42.
*Delrio* Soc. Ieſ. ſententia de auctore Monoſtichorum *a* 770.
S. Demetris Virgo *a* 750.
Demetrii Theſſalonicenſis Epiſtola ad Barlaamum de Proceſſu Spiritus S. *d* 378. ſeq. Barlaami Reſponſio 388. ſeq.
Denunciatio ſuperiorum peccantium ad populum fieri non debet *d* 616.
Deſcenſus Chriſti de cœlis quomodo intelligendus *b* 70. 80.
Deſcenſus Chriſti ad inferos, vide ſub voce *Chriſtus*.
Deſiderius Cadurcenſis quo anno ordinatus fuerit Epiſcopus *a* 633. 634.
—— ejus nativitas *a* 632.
—— Electio in Epiſcopum 633.
—— Ejus Epiſtolæ *a* 631.
—— controverſia cum Felice Narbonnenſi *a* 634. 641. quando obierit *a* 635.
S. Deſiderius Viennenſis quo tempore vixerit *bbb.* 5.
—— ejus Martyrium ab Adone conſcriptum *bbb* 1.
—— an vere Martyr *bbb* 3.
—— Martyrii ipſius deſcriptio *bbb* 6. 130. 131.




Digitized by Google

S. Desiderius à Brunechilde in exsilium fuit pulsus *bbb* 5. *c* 230.
—— ejus Miracula *bbb* 5. & seq. Martyrium *bbb* 6. sepultura 7. 8.
Desiderius Longobardorum Rex à Carolo victus & captus *bb* 52. *cc* 249.
Desperatio vitanda *bb* 157.
DEUS, nomen hoc non significat operationem sed naturam operantem *bb* 467.
—— de eo magis cognosci potest quod sit & quid non sit, quam quid sit. *a* 437.
Dei substantia à nemine potest enunciari *a* 188.
Deus circumscribi non debet *a* 447.
—— non est essentialiter bonus, juxta Theod. Mops. *a* 579.
—— in ejus naturam non cadit proprie consultatio aut consideratio *bb* 441.
—— liber est à necessitate naturæ *a* 117.
Dei & hominum virtutes quomodo differant *a* 355.
Deus misericordia, benevolentia ec. non passibiliter ut homo afficitur *a* 363.
—— ipse libertate naturæ est bonus, homo libertate positi *a* 99.
—— justus aliter dicitur quam nos *a* 96.
—— non potest mentiri, quia non vult nec potest velle *a* 116. & ibid. *n* ibid. 117.
Deus ubique est & virtute & substantia *a* 448. 449.
—— quomodo in omni re esse dicatur, dissertatio Photii *bb* 420.
—— & actu & substantia est in omni *bb* 421.
—— ita in omni est, ut sit nihil eorum quæ sunt *bb* 421. itemq. supra ea quæ sunt ibid.
—— est ubique sine ulla intercapedine *bb* 434.
—— si secundum substantiam sit in omni, quomodo non fiat consubstantiatio Dei & creaturæ *bb* 422.
—— quomodo intelligendus moveri *b* 257.
Deus expers est qualitatis & quantitatis *a* 442.
Dei sapientia in mundi fabrica *a* 133.
Deus quomodo cognosci possit. *bb* 423.
—— Ejus natura patribus ante & postdiluvianis haud cognita *d* 264. 265.
—— in eo tria contemplanda, substantia, virtus & operatio *bb* 427.
Deum esse, hominum mentibus inscriptum *bb* 422.
Deus non est causa mali *a* 60.
—— non est auctor peccati *a* 212.
—— eum non posse facere injustum, non imperfectio, sed summa perfectio est *a* 99.
—— quamobrem solus bonus *a* 98.
Deum aut malum aut ignarum fuisse quomodo cavillentur Manichæi *a* 138.
Deus mitis & severus æque sub lege ac sub Euangelio *a* 154. 155. 156.
—— ejus in castigando bonitas *a* 394.
Dei misericordia, ab ea unice expectanda salus *a* 490.
—— ejus gloria incommunicabilis, juxta Arianos *a* 179.
—— ipsi nihil coæternum præter Verbum *a* 438.
Deus & ejus energia inseparabiles *a* 448.
Deus & operatio Dei an idem sint *bb* 467.
Deum etiam animantia cognoscunt *d* 266.
Deum vere cognoscendi media Oratio & Scripturarum S. studium *a* 466.
Deum nihil sentire patiente sensu sed compatiente affectu, quomodo intelligendum *a* 363.
Deum patibilem esse, consectarium est doctrinæ Manichæorum *a* 92.
Deum potestatem absorptam recepisse, dogma Manichæorum *a* 81. seq.
Dei consilia nulli nisi filio cognita *a* 144. 145.
Deus cum hominibus loquitur ἀνθρωποπαθῶς *a* 363.
—— quomodo videre, audire, operari intelligendus *cc* 203.
Dei quies & immobilitas in mansione arcana *bb* 431. 432.
—— ejus consilia in lapsu angelorum & hominum imperscrutabilia *a* 97. *n*.
—— illius viæ non omnes perscrutabiles *a* 120. 121. 125.
Deum profundum aggeribus replere, dogma Manichæorum *a* 84.
Deo naturale est diligere quæ fecit *cc* 204.
de Deo quæ prædicantur vel substantialia sunt vel personalia *d* 379. 385.
Deus est incommunicabilis *bb* 433.
Deus & Deitas an unum idemq. sint *bb* 468.
Deitas in se & sine personis consideratur *bb* 468.
Dei unitas quæ, juxta Arianos *a* 178.
Deus unus non numero, sed substantia *a* 440.
—— est unus perfectus in tribus perfectis *b* 83.
Deus quare Trinunus *bb* 426. 427.
—— nec intra Trinitatem includitur, nec extra eam dilatatur *bb* 426. 427.
Dei brachium filius est *a* 362.
—— digitus Spiritus S. *a* 443.
Dei facies filius est *a* 443. 445.
—— manus sunt Filius & Spiritus S. *a* 443. 445.
Deus à Deo unctus, quomodo dicatur *a* 456.
Deum in carne apparere non opus fuisset si omnes homines fuissent sicut Moses & Elias, error Gregorii Nysseni *a* 191. 194.
Deus quare incarnatus *bb* 436.
Deum ex virgine genitum, fatuum est dicere juxta Theod. Mops. *a* 590.
Deus quomodo in carne nostra habitarit *b* 367. 368.
Deo quomodo propinquemus, aut ab eo recedamus *bb* 157.
Deus Verbum crassescit & carni hypostasis fit *b* 43.
Deus multis deiferis viris per relationem unitus fuit *b* 70.
—— quandoque præcipit fieri, quod tamen non vult fieri *d* 631. 675.
—— si meliori & perfectione modo hominem creare potuisset, accusandus videtur *a* 97.
Dei dilectio per dilectionem proximi probatur *b* 121.
Dei posteriora, quæ Moyses intuitus, quid significent *d* 265.
Deipassiani hæretici, qui *b* 76. *n*.
Dexteræ Altissimi mutatio de Christi incarnatione exposita *a* 456.
Diaboli vocis significatus *a* 211.
Diabolus Primogenitus Angelorum *a* 365.
—— cur Deus eum crearit cum sciverit malum futurum *a* 212.
—— Voluntate non substantia est malus *a* 211.
—— è statu divino est lapsus *a* 91.
—— ejus lapsus *a* 365.
—— quo crimine lapsus sit *a* 365.
—— ejus primum peccatum rapina Divinitatis *b* 346.
—— non est malus natura *a* 207.
—— est mendacii pater *b* 346.
—— peccatorum incentor & delator *a* 388.
—— Christum ut Deum cognovit *b* 326.
—— Christum hominem communem existimavit cum illum tentaret *b* 315.
—— quomodo Christum esuriviisse intellexerit *a* 784. 788.
—— cur Draco magnus & Serpens antiquus vocatus *b* 356.
—— fuit creator Mundi, juxta Manichæos *a* 157.
Diabolus sub specie Christi apparet & monacho cuidam imponit *c* 151. 152.
—— sub specie Draconis in aëre visus *c* 130.
—— eum in aëris conversatione ex elementorum concretione crassitudinen contraxisse, sententia Fausti *a* 365.
Diaconatus & Presbyteratus duo ordines Ecclesiæ primitivæ fuere *d* 691.
Diaconi officium *c* 398.
—— specialiter sunt constituti ad ministrandum mensæ in Eucharistia *c* 291.
—— non ordinentur ante 25. annum *b* 274. XVI.
—— iis prædicatio non est injuncta *d* 663.
—— absente Presbytero prædicatore Patrum homilias recitent *bb* 131.
Diaconus, quæ populo acclamet in templis *a* 472. 474.
Diaconi absq. Episcopo & presbytero non baptizent *c* 401.
—— coram Presbyteris non sedeant nisi horum jussu *b* 271. XX. *c* 398. Patrum homilias recitent, si Presbyter præ infirmitate nequeat prædicare ibid.
—— VII. sint in civitate *b* 269. XVI.
—— uxorati aut fornicatores quomodo puniendi *bb* 115. 116.
Diaconi cujusdam luxus *bbb* 70.
Dialectica unde dicta *b* 489. ejus à Rhetorica differentia ibid. ejus species ibid.
Diana apud Francos culta *c* 176.
Diapsalma quid sit *bb* 28.
Didymi duo an fuerint *a* 201.
Didymus Alexandrinus quo tempore claruerit *a* 293. 294.
—— ejus Liber contra Manichæos *a* 197.
—— tanquam Hæreticus post mortem fuit damnatus *a* 198.
—— est Commentarii in Epistolas Catholicas auctor *a* 199. 200.



Digitized by Google

Didymus cœcus Geometriam didicit *a* 197. Ejus Scripta ibid. ejus eruditio ibid. & 198.
Didymi montes ubi *b* 114.
Dies & nox in SS. pro felici aut infelici ſtatu uſurpantur *b* 318.
Dies Dominica præſtat Sabbato *d* 320.
Diei octavi myſterium *d* 321.
Die quinta & ſexta Sacramenta non eſſe celebranda, Traditio Eccleſiæ *c* 286.
Diem judicii Gregorius M. ſuo tempore inſtare judicavit *d* 636.
Differentia quid ſit *b* 490.
—— duorum ſemper eſt *b* 35. 36.
Differentia rerum immaterialium quotuplex *d* 381.
Difficultates SS. utiles ſunt *d* 482.
Digamus ad Clericatum non admittatur *c* 393.
Dignitatem Eccleſiaſticam & ſæcularem conſiſtere in merito non in dignitate, tenuere Bohemi Huſſitæ *d* 758.
Dii multi adoptione & gratia *b* 74.
Dilectionis & amoris differentia *b* 330.
Dilectio ſui quare non præcepta *b* 412.
Diligenda quæ ſint *b* 412.
Diligere Deum ex toto corde quantum poteſt homo ex præcepto non tenetur *d* 676.
Diluvium accidiſſe negabant Manichæi *a* 131. *n.*
Diluvium, quot anni a Creatione usque illud effluxerint *a* 269. *n.*
Diluvium Danielis IX. quid ſignificet *a* 245.
Diocletianus, Rabani circa eum errores *bb* 337. *n.*
Diodorus Alexandrinus in Concilio Epheſino Primatum ſibi vindicat *a* 304
Diodorus, Excerpta ex ejus libro contra Synuſiaſtas *a* 591. ſeq.
Diodori & Theodori Mopſu. error *b* 30.
Dionyſius Areopagita ceu ætatis Apoſtolicæ Scriptor citatus *a* 571.
Dionyſius Exiguus primus Collectionem Canonum in Gallia inſtituit *b* 263.
S. Dionyſii Fanum ubi conſtructum *b* 459. 460.
Dioſcorus qua ratione Epiſcopatum Alexandrinum adeptus ſit *c* 379.
Dioſcori & Severi Hæreſis *b* 30.
Diſcendum antequam doceas *a* 395.
Diſciplinæ neceſſitas *d* 569.
Diſcipuli LXX. in triplici habitudine conſiderandi *d* 688.
Diſpenſationes in quibus præceptis locum habeant *d* 79.
Diſpenſare in quibus rebus Eccleſia poſſit *d* 561.
Diſpenſationes in V. T. *d* 556. 557.
Divina humanum captum ſuperant *bb* 420.
—— homini cognitu ſunt difficilia *d* 264.
Divina opera ſemper miri quiddam habent d. V. quæ maxime ſint admiranda ibid.
Divinationes qui faciunt decennio pœniteant *b* 265. XXIII.
—— quinquennali pœnitentia punitæ *bb* 113.
Divinitas ſuperat omnem intelligentiam *a* 437. ejus deſcriptio ibid. & 438.
—— eſt impaſſibilis *a* 458.
Divinitatem in Chriſto paſſam & mortuam eſſe docuit Apollinarius *a* 609. 610.
Divinitas paſſa eſt, ſi in Chriſto una ſaltem natura ſtatuatur *b* 39.
Divinitas in Chriſto paſſa eſt non ſenſu, ſed compatientis affectu *b* 342.
Divinitas animæ vicem in Chriſto non ſupplevit *d* 284.
—— an Chriſti corpus in morte reliquerit *b* 341.
—— Carne Chriſti nequaquam circumſcripta fuit *a* 595.
Divinitas & humanitas partes erunt naturæ Chriſti ſi una ſaltem in eo eſt natura *b* 38.
Divitiarum incommoda & pericula *a* 103.
—— Saluti non obſtant *d* 726.
—— earum uſus rectus *b* 388.
—— optimus earum cuſtos Chriſtus *b* 425. 451.
Divortia Eccleſia permiſit adhuc ob alias cauſas quam Chriſtus *d* 560.
Divortii facilitas apud Græcos *d* 66.
Divortium facientes ne matrimonium aliud contrahant *b* III.
Doctorum Eccleſiæ ſcripta quaſi à Deo veneranda ſunt *d* 633.
Doctoribus ſacræ Theologiæ ubique convenit prædicare *d* 667
Doctores non miſſi non ſunt audiendi *d* 647.
Doctoribus Eccleſiæ diſſidentibus, quibus adhærere debeant laici *d* 644.
Doctrina publica ut moneta publica recipienda *d* 713.
Doctrinæ Eccleſiæ in omnibus inhærendum *d* 643.
Dodilo Dux Bojoariæ à Francis victus *b* 220.
Dodo domeſticus Pipini S. Lambertum interficit *b* 143. 144. ejus mors 145.
Dominatio Eccleſiaſtica juſtitia & caritate præſtare debet *d* 723.
Dominatum quendam ſupremum eſſe quomodo colligatur *bb* 425. & ib. *n.*
Dominatus & potentia Eccleſiæ ad comprimendos hæreticos neceſſaria *d* 716.
Dominium quid ſit *d* 741.
—— ex peccato eſt introductum *d* 740.
—— ob peccatum mortale, ſaltem perſonale, non amittitur *d* 586.
Dominii modi tres *d* 740.
Dominium in caritate non fundatur *d* 586. nec in gratia gratum faciente 587.
Dominium civile quid ſit *d* 718.
—— illud Clero non competere Taboritæ contenderunt *d* 455.
—— illud Joannes Polemar in Concilio Baſill. defendit *d* 460.
Domitiani res geſtæ *b* 177.
Domitiana perſecutio quando facta *bb* 325. *n.*
Donatus & Donatiſtæ quando ſchiſma fecerint *a* 290. & ibid. *n.*
Donatiſtæ Martyres *bb* 318. *n.*
Donatiſtæ quæ docuerint *c* 327.
—— quæ de Chriſto docuerint *d* 712.
—— eorum Clerici in Catholicam Eccleſiam recipiantur *b* 276. XXXIV.
Donatio Conſtantini M. *Vide ſub voce* Conſtantinus.
—— Donationes Eccleſiæ Salisb. factæ *cc* 461.
Donorum varietas *b* 370.
—— eorum uſus ad proximi bonum *b* 412.
Dormientes VII. *bb* 332.
—— ubi ſepulti *b* 118.
Dotatio Eccleſiæ non eſt privilegium *d* 747.
Draco, Beſtia & falſus Propheta quid ſint *b* 314.
Draconis Deſcriptio *c* 131.
Draco in aëre viſus *c* 259.
Drepana Helenopolis vocata *bbb* 91.
Drogo Metenſis Epiſcopus, Walafridi ad eum verſus *bb* 248.
Drothwin & Bertheri, Conbereth & Hunred Hæretici apud Thuringos a S. Bonifacio expulſi *c* 348.
*Dualitas veſtigia nihili in ſe fert bb* 430.
*Duo in agro, duo in lecto, duo in mola* ex Matth. 24. quid ſignificent *d* 646. 691.
Duo, ambo & utraque an differant *a* 630.


## E.


Eanbaldus Alcuini Diſcipulus *b* 413. *n.*
Eanbaldus Archiep. Eborac. Alcuini Epiſtola ad eum *b* 450.
Ebo Danorum Apoſtolus *bb* 82. 83. ejus geſta & fata ibid.
Ebbo Rhemenſis, Walafridi verſus ad eum *bb* 246.
Ebbo quis fuerit *bb* 289. de ejus reſtitutione *bb* 313.
Eboracenſes Archiepiſcopi quidam recenſiti *b* 450. *n.*
Eberhardus Epiſc. Salisb. futilia de ipſo narrata *cc* 274. ejus Vita 298. ſeqq. Matris ejus pietas 299. Vita alia 408.
—— fit Abbas *cc* 300. Italiam petit ibid. fit Epiſcopus Salisb. 301. ejus obitus 303. Miracula poſt mortem 304. ſeq.
Eberhardi Annales ab anno 1273. ad ann. 1305. *d* 215.
Ebrii pœnitentia *bb* 125. 137.
ECCLESIA formata ex ſanguine & aqua e latere Chriſti *c* 316.
Eccleſia Catholica, quotupliciter definiatur *d* 509. 513.
—— ejus ſigna debent eſſe manifeſta *d* 512. 513.
—— quomodo & quare Sancta dicatur *d* 632.
—— extra eam non eſt ſalus *b* 357. dominari non vult ſed ſervire 358.
—— eam regi à Spiritu S. & non poſſe errare, eſt articulus primus fidei & Principium primum Theologiæ *d* 475.
—— errare nequit *d* 514. 515.
—— non eſt, ubi vera fides non eſt *b* 318.
—— eſt veſtimentum Chriſti *b* 360.
Eccleſiæ infantia & adulta ætas *b* 344.
Eccleſiæ mammæ ſunt Lex & Evangelium *b* 350.
Eccleſiæ ſeptenaria univerſitas *b* 323.
Eccleſiæ ſeptem Apocal. omnem Eccleſiam ſignificant *b* 544.




Digitized by Google

Ecclesiæ Christianæ sedes principales quatuor *d* 53.
Ecclesiæ cui dominatus competit signa *d* 376.
Ecclesiam Deus nunquam deserit *d* 519.
Ecclesiæ laus *bb* 31.
Ecclesia una est & indivisa *c* 357.
——— cum consilio agit ne pœniteat post factum *b* 355.
——— duplici modo persecutionem patitur *b* 319.
——— Regali potestati non subjacet *c* 378.
Ecclesiæ ostiarius quo aperiente intrare Episcopus debet, non est Rex *c* 374.
Ecclesia quæ Apostolicæ veritatis fundamenta non possidet, deserenda est *c* 376.
Ecclesia quæ circa fidem definiverit *d* 558.
——— quando ab ea recte recedatur *d* 391.
Ecclesia imbecillis precibus, roborata vi recte agit *d* 714.
Ecclesiæ exaltatio per Constantinum M. facta *d* 730. 731.
Ecclesia temporalibus & dominio recte gaudet *d* 715.
Ecclesiæ cura publica Prælatis est commissa *d* 652.
Ecclesiarum visitatio, in ea expensarum modum teneant præsules *d* 82.
Ecclesiam parochialem Clericus à Patrono laico ne accipiat *d* 84.
Ecclesiæ res sint in potestate Episcopi ad dispensationem pauperum *b* 267. XLI.
——— in eas Prælati non habent Dominium sed saltem administrationem *d* 744.
Ecclesia Gallicana Canones sæpius mutavit *b* 265.
Ecclesiæ Judaicæ & Christianæ libertas æqualis in faciendis & mutandis constitutionibus Ecclesiasticis *d* 556. & seq.
Ecclesiæ libertas in mutandis statutis Ecclesiasticis *d* 598. 599.
Ecclesiam Latinam veram, Græcam falsam esse quatuor ex signis ostendit Barlaam *d* 369. 370.
Ecclesiæ Orientalis calamitates *d* 371.
Ecclesiarum subordinatio necessaria *d* 375. 376.
Ecclesiæ facultates non esse sub Potestate Regum, testimonia ab Anshelmo collecta *c* 389. seq.
——— ejus Thesaurus in quos usus erogandus *d* 598.
——— reditus, pars eorum in usum belli a Karlomanno retinetur *c* 354.
——— quomodo dividendi & à quo *c* 393. 394. 395.
Ecclesia ultra tres menses non sinatur a Pontifice viduata *d* 382.
Ecclesia, quæ in ea legenda aut cantanda *c* 400.
Ecclesia Romana Scariotica Bestia à Rokizana appellata *d* 463.
Ecclesiastica instituta partim ex scriptura, partim ex traditione, partim ex consuetudine derivantur *d* 562.
Ecclesiastica unitas in quibus consistat *d* 760.
Ecclesiastici quoad personas & actus Personales non sunt subditi Laicis *d* 592. 593.
——— quibus in casibus jurisdictioni sæculari subjaceant *d* 612. 613.
Ecclesia Christo, Moysi & Eliæ in monte Thabor consecrata *b* 110.
Edilhardus quis fuerit *b* 384. *n.*
——— translationi sedis Archiepiscopatus in Anglia se opposuit *b* 432. *n.*
Edmundi Campiani Epistola hortatoria ad Richardum Cheneum Episcopum Gloceſtrienſem de reditu ad Romanam Ecclesiam *d* 836.
Eduardi Angliæ Regis expeditio sancta *d* 202.
Educatio & institutio liberorum commendatur *a* 101.
Educationis liberorum necessitas & utilitas *a* 375.
Effectus, in omni effectu sex causæ sunt *bb* 11.
Egilolfus Longobardorum Rex S. Columbanum recipit *a* 658. 659.
Egilwardus quis fuerit *c* 171. an auctor vitæ S. Kiliani ibid.
Egino Abbas S. Udalrici ab Hermanno Episcopo Augustano excommunicatus, qua de causa *cc* 3. ejus vita 6 seq. Epistolæ 15. seq. mors 19. carmen de eo 21.
Ekerhardus Monachus S. Gallensis *bbb* 188.
Ekerhardi quinque recensiti *cc* 552.
Εκπαλιυσις quid significet *a* 500 *n.* 517. *n.*
Electio Episcopi à Clero & Populo fiat *c* 379. 384. 385.
Electioni Episcopi nemo Principum Laicorum se inserat *d* 280.
Eleemosyna duplex *b* 406. 451.
Elementa quatuor, eorum utilitas *a* 126.
Elephanti descriptio *d* 341.
Elias virgo *a* 756.
Elias & Henoch testes contra Antichristum ibid.
Eliæ cum Christo comparatio *d* 306.
Elias à Judæis exspectatus qualis *bbb* 12.
Eliæ Hierosolymitani Epistola ad Gallos *bbb* 40.
Elicitor quid significet *a* 374. 375. *n.*
Elipandus qui fuerit *b* 285. 286. 291.
——— ejus & Felicis Hæresis quæ *b* 281. eorum acta & fata ibid. 282.
——— an Nestorianus fuerit *b* 280.
——— ejus ad Carolum M. Epistola *b* 293.
——— an errori suo renunciaverit *b* 296.
——— ejus in Alcuinum convicia *b* 286. 288. 290.
——— in Beatum *b* 289. 290.
——— ejus error à Folmaro renovatus *cc* 198. 201.
S. Elizabeth Andreæ Hungarorum Regis filiæ & Ludovici Landgrafii Thuringiæ conjugis vita *d* 113.
——— ejus ortus *d* 118. nativitas ab Astrologo prædicta ibid. despondetur in cunis Ludovico Hermanni Thuringiæ Comitis Primogenito ibid.
——— quadrimula in Thuringiam ad sponsum adducitur *d* 119. ejus pietas 120. conjugium 122. aliæ virtutes 127. seq. liberi 124. votum continentiæ facit 131. ejus afflictiones 133. seq. Marpurgum se confert 139. mortem suam prædicit 146. obit 148. canonizatur 150. ejus translatio ibid. seq.
Elisæus virgo *a* 717.
Emaus *d* 19.
Emaus Nicopolis vocata *b* 120. 148.
*Emmanuel* vox Christum & Deum & hominem demonstrat *a* 456.
Eminentiæ titulus Episcopis tributus *a* 634. 649.
S. Emmerammi vita à quibus scripta *c* 86. 87. 90. 91.
S. Emerammus quis fuerit *c* 87. 89. *n.* ejus Patria 94. fit Episcopus ibid. ejus itinera 95. seq. martyrium 98. 99. Translatio 100. ejus carnificum pœna ibid.
S. Emmerammi Monasterium, quibus donis à principibus variis ornatum sit *c* 108. 109.
S. Emmerammi Abbates *c* 143.
Encratitæ Hæretici *a* 560.
——— quando exorti *a* 283. & ib. *n.*
Energia quid sit *a* 448.
Ενσαρκίμυθος, de ea scripsit opusculum Hippolytus *a* 7.
Engelmarus eremita cæsus à socio *cc* 212.
Engilbertus Abbas S. Richarii a Carolo M. ad Leonem III. Pontif. missus *b* 418. *n.* 419. ab Alcuino *Homerus* vocatur *b* 434. *n.*
——— an Bertham Caroli M. filiam uxorem duxerit *b* 292.
Ennii Poëtæ mors quo tempore contigerit *a* 272.
Ensdorff Monasterium à S. Ottone fundatum *cc* 47.
Enunciatio quid sit *b* 504.
Eobanus Episcopus Trajectensis à S. Bonifacio constitutus *b* 246.
Eonius sive Æonius Arelatensis Episcopus *a* 379. *n.* Vicarius pontificis per Gallias *a* 384. *n.* 390.
Eoricus Gothorum Rex *b* 200.
Ephesus descriptio *d* 338.
*Ephata* cum tactu aurium & narium in Baptismo usurpatum *b* 546.
Ephod quid sit *b* 361.
Epigrammata seu Hymni sacri illustrium virorum Monasterii S. Galli *bbb* 183.
Epiphania idem quod Theophania *bbb* 91.
——— Versus in hoc festo cantandi *bbb* 214.
Episcopalis dignitas est major Imperiali *d* 591.
Episcopatus, ad Episcopatum bigamus dispensante Papa seu Ecclesia admitti potest *d* 561. 562.
Episcoporum & laicorum officia *b* 389.
Episcopi officia *b* 450. seq. *c* 398. 399.
Episcopi in locum XII. Apostolorum Presbyteri curati in locum LXX. Discipulorum Successerunt *d* 374. 639. 647.
——— tenent Cathedras 12 Apostolorum *b* 357.
Episcopus non tantum de salute animarum debet esse sollicitus, sed etiam utilitatibus temporalibus prospicere *d* 728.
——— tria præcipue attendere debet, qualiter ad pontificatum veniat, qualiter doceat, & qualiter vivat *c* 385.
Episcopi à presbyteris etiam Apostolorum tempore distincti fuere *d* 690. 691.
Episcoporum & Presbyterorum nomina temporibus Apostolicis vix distingui solita *b* 228. 229.
Episcopus & Sacerdos iidem erant in primitiva Ecclesia nomine, sed non re *d* 561.
Episcopum & Sacerdotem eundem esse hæresis Arii fuit *d* 690.
Episcopus Presbyterum excedit tantum jurisdictionis dignitate *d* 691.



Digitized by Google

Episcoporum ordo quadripartitus, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Metropolitanorum & Episcoporum *d* 687.
Episcopus primæ sedis non vocetur princeps Sacerdotum vel summus Sacerdos *b* 275. VI.
Episcopus ordinetur à duobus vel tribus *b* 266. I. 273. XII. 275. XVI.
—— ejus consecratio fiat duobus vel tribus aliis præsentibus *c* 350.
—— præter voluntatem & conscientiam Metropolitani sui ordinatus non censendus est Episcopus *c* 380.
Episcopus sine primate, nec primas sine suffraganeis nil disponant *b* 267. XXXV. 270. IX.
Episcopi auctoritate Regum ordinati *a* 633. *cc* 42. 43.
Episcopus per sæculares Potestates Ecclesiam obtinens deponatur *b* 267. XXXI. *c* 378. 380.
Episcopos à Principe posse constitui est seminarium Simoniacæ hæreseos *c* 384. Mala quæ inde in Ecclesiam redundant, ibid.
Episcopi a Principibus instituti, à Clero & populo rejecti ceu Pseud-Episcopi. *c* 378. 379.
Episcopum de curia Imperatoris, transmissis annulo & baculo expostulare olim moris fuit *cc* 42.
Episcoporum Investitura, quando lites circa eam inter Papam & Imperatorem exortæ *cc* 275.
Episcopus non eligatur e clero alterius civitatis, nisi dignus ibi non reperiatur *c* 380.
Episcopus nullus invitis detur *c* 379.
Episcopus, Presbyter, Diaconus per pecuniam ordinatus cum ordinatore suo deponatur & excommunicetur *b* 267. XXX.
Episcopus non ordinetur in modicis civitatibus *b* 272. VI.
—— curam populi suscipere nolens excommunicetur *b* 276. XXXVII.
Episcopi ætas quæ juxta Canones requiratur *b* 239. & ibid. *n.*
—— annorum quinquaginta esse debet *c* 343. & ibid. *n.*
Episcopus quidam decem annorum *c* 8.
Episcopus sedem non mutet *b* 272. I. II.
Episcopi alienam parochiam ne invadant *b* 266. XIV.
Episcopus ultra tres septimanas in aliena civitate haud moretur *b* 273. XIV. nec à sua Ecclesia ultra duas hebdomadas absit ibid. XV.
Episcopus qui in aliena Parochia Clericos ordinaverit inscio eorum Episcopo, deponatur cum suis ordinatis *b* 267. XXXVI.
Episcopus sibi successorem legere non debet *b* 270. XXIII.
Episcopi conversatio qualis esse debeat *bb* 361.
—— epulæ *bb* 361.
—— studia *bb* 362.
Episcopus circumeat ad confirmandos populos *c* 354.
—— eum duo Presbyteri & duo diaconi ubiq. comitentur *bbb* 105.
Episcopos discordes Provinciales audiant, at damnatus ad Romanum Pontificem appellare poterit *b* 272. III.
Episcopus non sit venator *bb* 361.
Episcopi ad Comitatum non vadant, nisi ab Imperatore vocati, aut necessitatibus oppressorum subventuri *b* 273. VIII.
Episcopum Palatia Principis adire Canones vetant, sed per Diaconos ei quæ opus sunt intimare debet *c* 384.
Episcopi de omnibus etiam de Regibus judicant, ipsi à nemine nisi à Deo judicantur *d* 591.
Episcopi & Presbyteri ad Ecclesiam alterius Episcopi venientes ad verbum faciendum & oblationem consecrandam invitentur *d* 651.
Episcopi reditus quomodo distribuendi *c* 48. & ibid. *n.* 60.
Episcopus, Presbyter, Diaconus cum hæreticis orans excommunicetur *b* 267. XLIV. Si vero ad clericale officium eos hortati fuerint damnentur ibid. XLV.
Episcopus Decessorum facta justa custodire malefacta corrigere debet *c* 382.
—— fugitivum alterius Episcopi Clericum retinens excommunicetur *b* 266. XVI.
—— an tempore persecutionis a sua Ecclesia aufugere possit *bbb* 134.
Episcopus aut Archiepiscopus ubi captivus factus fuerit à divinis cessandum *d* 90.
Episcopi abdicatio inter causas majores & ad ipsum Pontificem Rom. referenda *a* 478.
Episcopi in Gallia Sæc. VII. ordinati Deo auctore & jussu Regis *a* 634.
Episcoporum Hierosolymis, Alexandriæ, Antiochiæ, Romæ successiones *a* 270. seqq.
Episcopi Papæ vocati quo tempore *a* 633.
Episcopus non nisi a Concilio judicandus *a* 478. *n.*
—— à provincialibus est judicandus *b* 270. XIII. XV.
Episcopos à Cathedrali Ecclesia tribus diebus Dominicis abesse Canones vetant *c* 384.
Episcopi & Presbyteri ignoti ante probationem Synodalem ad ministerium non admittantur *c* 354.
Episcoporum mores perversi notati *bbb* 55. 56.
—— eorum luxuria *bb* 22.
Episcopus quidam divinos honores affectat *bbb* 64. 65.
—— virga aurea loco baculi usus *bbb* 63.
Episcopi titulis superbire quando coeperint *a* 634.
Episcopi & Presbyteri Simoniaci quomodo puniendi *bb* 306.
Episcopus ob homicidium & lusum cum avibus & canibus sede à S. Bonifacio motus *c* 355. 356.
Episcopi quomodo bellum gerere possint *d* 78.
Episcopus carnem in Quadragesima comedens à Dæmone reprehensus *bbb* 65.
—— fœminam stuprans *bbb.* 66.
—— fornicator *bbb* 67.
Episcopus murem magno pretio emens *bbb* 62. 63.
Episcopi cujusdam concio festiva *bbb* 63. 64 ejusdem luxus ibid.
Episcopi cujusdam dictum facetum ad Carolum M. *bbb* 61. 62.
Episcopi ab Arianis lingua privati tamen loquuti sunt *b* 97. illorum unus ob incontinentiam hoc donum simulit 98.
Epistola ad Hebræos sub Pauli nomine citata *b* 78.
—— eam e Canone eliminatam voluit Hippolytus Portuensis *a* 4.
Epistolas Canonicas sive formatas Presbyteri dare non possunt, sed Chorepiscopi *b* 270. VIII.
Epistolæ commendatitiæ Ruricii *a* 384. 387. 388.
Eppo Abbas, ei schisma Paparum Alexandri & Victoris multis ante annis in somniis ostensum *cc* 300. de eo Eberhardum monet ipsiq. Episcoparum Salisb. vaticinatur ibid.
Equi Martyres venerantur *c* 176.
Erbaldus quid sonet *bb* 207.
Erechthius, ejus nomen inter Patres non auditum a Severianis tamen allegatum *a* 527.
—— quis fuerit *a* 570.
Eremitæ in Palæstina *d* 437.
S. Erentrudis, an soror, an vero neptis S. Rudberti fuerit *cc* 271. 272. 319. Abbatissa ab ipso Iuvavie constituta 283. ejus vita 328. miracula 333.
S. Ermenoldi Vita & miracula *d* 91. seq. distinguendus ab alio Erminoldo auctore vitæ S. Soli 92. ejus genus 94. fit Abbas Lorsacensis ibid. resignat 95. fit Abbas Prufeningensis 96. adversatur Henrico V. 97. ejus virtutes 98. seq.
—— Ejus varia nomina *bb* 163. quis fuerit 163. 164.
Ermenricus Elwangensis Monachus an Vitæ S. Magni auctor *a* 654.
Ermenricus ab Ermenoldo diversus *bb* 163.
Ermensil Idolum à Carolo destructum *bb* 52.
Ermigildus Rex à Patre Livigildo Wisigothorum Rege ob desertum Arianismum occisus *b* 95. 96. 215.
Error unus alium semper parit *a* 43. 44.
Errori resistendum & ab eo homines revocandi sunt *c* 377.
Esdras Canonis V. T. auctor fuit *d* 557.
Esther, ejus maritus Artaxerxes Longimanus *a* 248. 249.
Etherius quis fuerit *b* 289.
Etherii & Beati adversus Elipandum libri duo *b* 279. seq.
Etherius & Beatus quo tempore & qua occasione lites adversus Elipandum moverint *b* 291.
Ethica secundum Stoicos auctore Barlaamo de Seminaria *d* 405.
Ethicæ partes juxta Alcuinum *b* 489.
Evangelium non est in verbis SS. sed in sensu *d* 713.
Evangelium secundum Hebræos, quæ de Jacobo Apostolo habet *bbb* 122.
Evangelium Nazaræorum, ex eo desumptus locus, Christum non esse δαιμόνιον ἀσώματον *a* 38.
Evangelium circumcidunt Manichæi *a* 139.
Evangelium S. Bonifacii manu exaratum ubi exstet *b* 247. *n.*
Evanti Abbatis Epistola contra eos qui sanguinem animalium immundum censent *a* 520.
Evantius quis fuerit *a* 520. 522.
Eucharistia, quare ita sit dictum sacramentum altaris *d* 471.
—— ejus nomina varia eorumq. ratio *d* 521.
—— non tantum est Sacramentum sed etiam Sacrificium, ideo à Sacerdote sumta toti prodest Ecclesiæ, etiam animabus in purgatorio *d* 502. 509.
—— à Christo celebrata in quibus à subsequenti differat *d* 769.




Digitized by Google

Eucharistia, tres circa eam Doctorum opiniones *d* 761.
—— varia Ecclesiæ circa eam statuta *d* 561. 599.
—— in ea significantia & efficacia distinguenda *d* 769.
Eucharistiam spiritualiter accipi à Populo sub utraq. dum Sacerdos eam accipit, Joannes de Ragusio in Concilio Basileensi defendit *d* 456. 552.
Eucharistiæ virtutes & utilitates *d* 470. 471.
—— in ea carnem sine ossibus, sanguinem sine carne accipi tenuit Folmarus *cc* 199.
—— eam conficere solis Sacerdotibus licitum *c* 387.
—— an in secessum emittatur *bb* 286. seq. 311. seq.
—— Ritus circa eam singulares Ecclesiæ Romanæ *d* 463. 464.
Eucharistia à Papa in die paschatis sub utraq. quibusdam è Populo datur *d* 771. 772.
Eucharistiam Presbyter Laico in manus non tradat, sed in os indat *c* 399.
—— à jejunis est sumenda *b* 323.
—— mortuis & infantibus data *d* 508.
Eucharistiæ species frangi & dentibus masticari Joannes de Ragusio in Concilio Basil. statuit. *d* 456.
Eucharistiæ reliquiæ, quid cum eis Ecclesiæ Hierosolymitanæ agant *c* 294.
Eucharistiæ reliquias Græci subtexerant *d* 65. aut in puteum projiciunt *c* 321. quid Clemens Papa circa easdem constituerit ibid.
Eucharistiæ particula ne in terram cadat *d* 506. qualis pœnitentia Sacerdoti de eo agenda ibid.
—— si de ea quid in terram ceciderit, quid fiat *b* 331.
Eudocia quid fit *d* 584.
Eufrasius Arvernorum Episcopus *a* 393. *n.* Ruricii ad eum Epistola *d* 393.
Eufration Rhodiorum Episcopus quomodo Legem contra Severianos defenderit *c* 298.
S. Eugenia Virgo & Martyr *a* 745.
Eugenius & Vindemialis Episcopi miraculorum patratores *b* 191.
Eugippii Abbatis Epistola in vitam S. Severini *ad Paschasium* *a* 408.
Eugippius unus ideniq. Thesauri sententiarum & Vitæ S. Severini Scriptor *a* 409. 410.
—— Paschasium orat ut vitam S. Severini conscribat *a* 411.
S. Eulalia Virgo & Martyr *a* 707.
Eulogiæ quotuplices *a* 697. *n.*
—— ad alias Parochias ne destinentur *b* 271. XIV.
—— eas nemo ab hæreticis suscipiat, quod sint maledictiones, non benedictiones *b* 271. XXXII.
Eulogius quando obierit *a* 533.
Eunomius quis fuerit *a* 173.
—— ejus confessio fidei & Apologia *a* 172. seq. 181. 184.
—— Scholion *a* 185.
—— ejus dogma quale *a* 578. & ibid *n.*
—— Deum non fide sola, sed peculiari quadam scientia comprehendere se jactat *a* 174.
—— ejus error qualis *bbb* 50.
—— quando Hæresin sparserit *a* 294.
—— ejus de Christo sententia *a* 176.
—— qua de causa à Theodosio in exilium missus *a* 177.
—— à Basilio M. confutatus *a* 171.
—— rebaptizat Semiarianos *a* 175.
Eunomiani quare *Histapodes* appellati *a* 174.
—— Lex Theodosii contra eos *a* 173.
Eunomiorum Ecclesiæ quare ἀνάβασκοι appellatæ *a* 174.
Eunuchizatus per vim Episcopus fieri poterit *b* 267. XXI. minus vero qui se ipsum eunuchizaverit ibid. XXII. imo Clericus qui hoc fecerit deponatur XXIII. Laicus tribus annis excommunicetur XXIV.
Eusebius Pamphili à Synodo Alexandrina damnatus *bb* 4.
—— quomodo Imaginem Christi tollebat *bb* 5. 6.
Eusebius Julii Chronicum sibi proprium fecit *b* 148.
Eusebius Dorylensis Nestorii primus Adversarius *a* 592. 953.
S. Eustachium Virgo *a* 749.
Euthymius Zigabenus non potest esse Auctor Dialogi contra Judæos *d* 256. 257.
Eutolmius ausus dicere quæ substantia sit Deus *a* 188.
Eutychetis error qualis *bbb* 50. 51.
Eutychiana hæresis quæ & quando exorta *a* 304. 321.
Exarchatus a Pipino S. Petro redditus *bb* 49.
Excommunicationis formula ab Humberto contra Michaëlem Cerularium prolatæ *c* 326. 327.
Excommunicatio injusta quæ effectum habeat, quæ non *a* 604.
Excommunicatio injusta auctorem suum ferit *c* 383.
Excommunicatio quibus in casibus contemnenda sit *d* 668.
Excommunicati injuste tamen debent obedire *d* 666.
Excommunicati excludendi à militia & Reip. administratione *bb* 364.
—— nemo eum iis communicet in oratione, cibo & potu, nec ave eis dicat *c* 403.
Excommunicatus Sacerdos verbum Domini tamen debet prædicare, ex sententia Orphanorum *d* 455.
Excommunicatus, cum eo si quis saltem in domo oraverit excommunicetur *b* 266. XI.
Excommunicatus ab uno Episcopo, ab alio non recipiatur *bb* 364.
Excommunicati si mortui fuerint, quid circa eos statuendum *bb* 126.
Exempla Sanctorum quantum possint *bb* 155.
Exemplo multi sanantur qui verbo sanari nequiverunt *a* 406.
Exempla, ex iis argumentari non licet *d* 744. 745.
Exempla rerum naturalium ad divina non nimis extendenda *bb* 477.
Exsufflationis usus in Baptismo *b* 545.
Exorcisationis usus in Baptismo *b* 545.
Exorcismus ante Baptismum fiat *c* 400.
Expeditio Sancta prima *cc* 257. secunda 259.
—— II. sub Conrado tertio *cc* 588.
Expeditio S. sub Gotfredo Bullonio *d* IV. *d* 426. 427. reliquæ 438.
Experientia in Doctoribus aliorum necessaria *cc* 301.
Exvicarii vox rusticum significat *a* 299. *n.*

F.

Fabiani Papæ constitutiones *bbb* 92.
Fabricius. (Joh. Albr.) laudatur *a* 433. 765. & alibi passim.
Fabricius Holstatus, ejus Versio latina Apologetici Eunomii à D. Capperonnier correcta *a* 767.
*Faciamus hominem*, hæc verba Pater ad filium est locutus *d* 266.
Falstrada tertia Caroli M. Conjux *bb* 55. *c* 242. ejus mors 243. ubi mortua & sepulta *d* 166.
Fama in bonam & malam partem accipitur *b* 345. 346.
Fæmoralia in Monachis Græci detestantur *c* 306. 307.
Fasciarum usus in vestibus *b* 428. *n.*
Fasciolæ quid sint *b* 428. *n.*
Fausti Rhegiensis Epistolæ *a* 343.
—— & Lucidi Epistolæ Baronio & Mauguino perperam fictitiæ creditæ *a* 348. 349.
—— ad Lucidum Prædestinarianorum Epistola *a* 352.
—— Patria, vitæ tempus, studia &c. *a* 347.
—— admonitio *a* 350.
—— ad Ruricium Epistolæ *a* 355. seq.
—— Epistola XVI. *p* 362.
Faustum inter & Sidonium quæ controversia intercesserit *a* 345. 346.
Fausti in Pelagiana & prædestinationis Dogmata anathemata *a* 352.
Faustus naturæ viribus nimium tribuit *a* 346. Mauguino vapulat ibid. ejus Libri de Libero arbitrio à Gelasio damnati ibid. animarum materialitatem statuit 347.
—— fuit rigidus disciplinæ Monasticæ observator *a* 345.
—— à Baronio Sanctorum Catalogo exclusus rursumq. receptus *a* 344. 346.
Fausti lis cum Theodoro Forojulienſi Episcopo *a* 347.
Felicitas summa quæ *b* 506. 507.
Felix Urgelitanus, quis fuerit *b* 285.
—— fidei veritatem adversus Saracenos scriptis defendit *b* 285.
Felix & Elipandus unde errorem de filio Dei adoptivo hauserint *b* 285.
Feliciana Hæresis quando in Hispaniis orta *b* 284.
—— Reginoburgi damnata *b* 408. *n.*
Felicianorum dogmata quæ *b* 287. 288.
Feliciis Urgelitani de Christo sententia *b* 280.
Felix Ratisbonæ à Carolo M. damnatus Romam mittitur *b* 292.
—— Palinodiam canit in Synodo Aquisgranensi *b* 295. in exilium à Carolo M. ejectus ibid.
Felicis Papæ martyrium *bbb* 157.
Felix Colonienſis Archiep. *b* 432. *n.*
Feræ & serpentes non malæ *a* 117. 118. 119. 121.
Feriæ funerales quot *d* 324.
—— Novendiales animarum instaurationi excogitatæ *d* 324.

Fermentato pane quare Ecclesia Græca utatur *d* 53.
Fermentatum animatum esse Manichæi tenent *c* 327.
Fermentum, Græcorum rationes quod Christus fermentato pane in Eucharistia sit usus *d* 50. 51. Latinorum responsiones ibid.
—— unde conficiatur *c* 292. 293. vix in bonam partem usurpatur ibid.
—— inter tria sata farinæ à Muliere conditum quid significet *c* 292.
Ferri utilitas *a* 123.
Festa, in singula anni Festa Versus Walafridi *bb* 222. seq.
Festum omnium Sanctorum constitutum à Gregorio *cc* 251.
Ficus fructus non ferens tribus annis, significat genus humanum *d* 576.
Fides unde dicta *b* 330.
Fidei præstantia *bb* 101.
Fides argumentis Philosophicis niti non debet *cc* 202. *d* 478.
—— intellectum præcedit *b* 303.
—— miracula non requirit *b* 364.
—— recta mores producat honestos *bb* 383.
Fidei & operum nexus *a* 490. *n.*
Fides sine charitate nihil prodest *b* 218.
—— per eam salvi fiunt sancti, non ex opere *a* 490.
—— debet esse integra *b* 331.
Fidei articulum nullum credit qui unum aut alterum recusat credere *d* 837.
Fidei fundamentum est in Sacramento altaris *d* 469.
Fides non abneganda nec tacenda *a* 442.
Fidei expositio Basilii M. & Gregorii Theologi *a* 188.
—— de Christo confessio *b* 83.
Fidei, vitæ & orationis regulæ quæ *b* 308.
Fidei exempla in V. T. *b* 327. 328. in N. T. 329.
Fideles & sancti soli ad Eucharistiam præsto manebant *a* 473. *n.*
Fidelis Abbas Elipandi amicus *b* 287. 310.
Filiarum nuptiæ providendæ *bb* 363.
Filius Dei ex muliere natus an naturam, an vero hypostasin acceperit *bb* 471. 472.
Filii generatio ab æterno absque causa facta *b* 84. & ib. *n.*
Filius coæternus Patri *a* 355.
—— quomodo Patre non posterior *a* 219.
—— an imago substantiæ Patris *a* 186. 187.
—— à Patre genitus ex Prophetis ostenditur *d* 268.
—— non est pars divinitatis *a* 441.
—— quare Angelus vocetur *d* 269.
Filii Dei apparitiones in V. T. quomodo factæ *a* 191. 193.
Filios duos in Christo statuere orthodoxos criminatio Apollinaristarum *a* 192.
Filii Dei multi adoptione & gratia, unus natura *b* 74.
Filii lucis & filii sæculi qui *a* 206. quomodo hi illis sapientiores in generatione sua ibid.
Filii iræ naturâ, quomodo Didymus hanc vocem exponat *a* 199. 206.
Finis duobus modus dicitur *bb* 26. *in finem* Titulus quorundam Psalmorum quid significet ibid.
Finis, ex eo Deus hominem judicat *bb* 157.
*Firmitates*, pro locis munitis usurpatæ *bb* 49. *n.*
Flagellatorum ortus *d* 195. eorum descriptio ibid.
Flagitiosos inter & facinorosos quale sit discrimen *d* 571 605.
Flavius prænomen Regum Longobardorum *cc* 241. 242.
Florentius Presbyter à Fausto Ruricio commendatus *a* 359.
Fluminum majorum Orbis terrarum enumeratio *b* 159.
Fœminæ quæ partus suos ex fornicatione necant, decennio pœniteant *b* 268. XX.
Fœminarum perversa templorum frequentatio *a* 468.
—— locus in templis à virorum loco separatus *a* 423. & ib. *n.*
—— religiosæ ad verbum divinum seminandum à S. Bonifacio constitutæ *c* 349.
Fœniculum carmine descriptum *bb* 270.
Fœnus Christianis interdictum *bb* 114.
Folmarus, Fragmentum ex libro contra eum *cc* 197. quis ejus error fuerit 198. quo tempore vixerit 199. ejus sententia de Eucharistia ibid. ejus errores 201.
—— ab Eberhardo Episc. Salisb. est refutatus *cc* 274.
*Foreſtum* quid significet *cc* 458. & ib. *n.*
Forma pro natura accipienda *b* 68.
In Forma Dei esse idem est ac in essentia Dei esse *b* 57.
—— Esse in forma Dei quid significet *a* 550.
Formosus Papa a Stephano post obitum effossus & in Tiberim projectus *c* 256. iterum à Romanis reponitur ibid.
Fornicatio apud Græcos levis habita *c* 306.
Fornicatio in Republica, quare rectius toleretur quam puniatur *d* 570. 609.
—— ejus pœna *c* 354.
Fortitudo quid sit *bb* 103. 104.
Francicorum Annalium fragmentum *bb* 45. eorum auctor incertus 46. 47.
Franciscanorum ordo quando institutus *d* 179.
S. Franciscum quando claruerit *d* 183.
Francorum origo *b* 166. 196. *cc* 579. res gestæ *b* 197.
—— —— eorum ducum aula regio more instructa ibid.
Francorum antiquorum ornatus qualis *b* 428. *n.*
—— —— eorum vestes *bbb* 70.
Fratres Christi qua ratione evadamus *a* 386.
*Freda* quid sint *cc* 457. *n.*
Fredegarius Collectionis Chronologicæ compilator *b* 148. 151. 152.
Fredegunda Chilperici uxor *b* 210. ejus crudelia facta 215. 217. ejus mors ibid.
—— ejus facinora *c* 226. 228. ejus mors 230.
Fretum Gaditanum *strictum de Maroch* dictum *d* 337. *n.*
Friderici I. gesta *d* 172. 173. ejus dissensiones cum pontificibus ibid. earum causæ 172. *n.* expeditio S. 176. 177. *cc* 497. 502. mors 526.
Fridericus I. Henricum Leonem proscribit *cc* 597.
—— —— ab Adriano Papa coronatur *cc* 259. frenum equi & stivam soleæ Victori Papæ tenuit 260.
Fridericus II. Imperator factus *d* 179. 180. ab Honorio Papa coronatus ibid. & in *n.* ducit filiam Joannis Regis Hierosol. 181.
—— à Pontifice ob intermissam Expeditionem S. excommunicatur *d* 181. ejus ac Gregorii IX. Epistolæ super hoc negotio ibid. & 182. 183. 184. Terram S. tandem petit 189. cum Papa in gratiam redit 185. iterum excommunicatur 187. & ibid. *n.*
Fridericus dux Austriæ, ejus gesta & *proscriptio* à Friderico II. *d* 186.
—— —— à Carolo Andegavensi captus securi percutitur *d* 194.
Frisingensis Episcopatus à S. Bonifacio erectus *b* 293.
Frisonum Conversio per Willibrordum *b* 459. 465.
Fulco Francus, Leo dictus ad Expeditionem Sacram Christianos excitat *d.* V.
Fulco Andegavensis Rex Hierosol. *d* 428. ejus gesta ibid.
Fuldensis Abbatia a Carolomanno fundata *c* 363.
Fuldense Monasterium spoliatum *c* 338. *n.*
—— —— *ibi extant libri quos S. Bonifacius secum habuit b* 247. *n.*
Fulgentius Episcopus quando claruerit *c* 221.
Fulgentii dictum quoddam in dubium vocatum *d* 553. 554.
Fungus medio Januarii crescens *bbb* 223.
Fur quinquennio pœniteat *bb* 114. 123. 127. 116.
Fures apud Armenios castrantur *d* 25.
Furtum apud Mahometanos quomodo puniatur *d* 441.
Futura apud Deum jam sunt facta *a* 383. per fidem *fiunt* nobis præsentia ibid.

## G.

Galilæa qualis regio *d* 15.
—— ejus descriptio *d* 353.
S. Gallenses Monachi promissionem salutis æternæ à S. Gebehardo accepere *d* 821. 830.
S. Galli Monasterium, inscriptiones variæ in eodem extantes *bbb* 226. 227.
—— quando conditum *a* 661.
Galli à Flandris cæsi *d* 228.
Galliæ nobilitas seu patriam dimittere, seu capillos ob Gothorum tyrannidem parata *a* 367.
Galliæ Regum primæ stirpis sedes *bbb* 5.
Gallicana Ecclesia proprios Canones secuta *b* 262.
Gallorum defectio à Romano Imperio quando facta *bbb* 72.
Gallicula calceamenti genus *bbb* 75. & ib. *n.*
Gallinarum copia in Ægypto unde *d* 342.
S. Gallus in Hiberinia ortus *a* 658. *n.*
S. Galli Vita *a* 783. 784. Obitus ibid.
—— Sermo in Consecratione Joannis Episcopi Constantiensis *a* 787. ejus sermonis summa *a* 782. 784.
S. Gallus & Columbanus in Hibernia Evangelium prædicant *a* 655.
S. Gallus è filia Guzzonis Ducis Dæmonem ejicit *a* 660.
—— cum Magno in Eremo cellam construit *a* 659. 660. Monasterium *a* 661.
—— ejus obitus *a* 662.



Digitized by Google

S. Gallus ejus ſepulchrum ab Ottwino duce effractum *a* 662. 663.
S. Gallus Præſul Claromontanus *a* 650. *n.*
Ganbaldus Ratisbonenſis Epiſcopus *c* 105. 106.
Garizim mons *d* 15. 16.
Gaudentii Conſtantienſis Epiſcopi mors *a* 660.
Gaudentius Archiepiſcopus Gneſnenſis ab Adalberto creatus *c* 48. & ib. *n.* 65.
Gebehardus Epiſc. Salisb. ab Henrico IV. annuli & baculi traditione factus *cc* 275. Sclavos ad ſolvendas Decimas adegit ibid. ejus fata ſub Henrico IV. ibid. & 276. ejus Vita 313. alia 432.
—— Salisburgenſis Archiep. à factione Henrici IV. pulſus *cc* 104. quando mortuus 105. & ib. *n.*
S. Gebehardi Conſtantienſis Epiſcopi vita per Felicem Manilium *d* 819.
S. Gebehehardus Epiſc. Conſtant. quis fuerit *d* 820. 821. diſtinguendus ab alio Gebehardo itidem Conſtantienſi Epiſcopo 821.
—— ejus ſtirps & origo *d* 823. fuit exciſus de ventre Matris ibid. à S. Conrado prædicitur fore Epiſcopus 824. ab Ottone II. baculo & annullo inveſtitur ibid. & 825. vi extorquet hæreditatem à fratribus ibid. mortuum ad vitam revocat 826. Padum ſiccis pedibus tranſit 827. ejus obitus 819.
—— poſt mortem Abbati Periggero adparet *d* 828. alii 831. iterum 834. ejus jurisjurandi mos per caput ſuum non natum ibid. Ejus Miracula poſt mortem 831.
Gehennæ ſupplicia meras minas eſſe Theod. Mopſ. docuit *a* 578.
Geilana, uxor Gozberti ducis Francorum S. Kilianum interficiendum curat 176. 181. ejus pœna 178. 182.
Geiſericus Romam occupat *cc* 237.
Gelboe mons qualis *d* 15.
Generatio Filii & Proceſſio Sp. S. non inquirendæ *a* 446.
Generatio divina, mente comprehendi nequit *d* 270. ejus ſimilia à natura petita 271.
Generationes Chriſti duæ *a* 454. *b* 84.
Generationes hominum quot ante Diluvium fuerint *b* 155.
Genitum ingenito debere eſſe juniorem Arianorum objectio, quomodo ad eam reſpondendum *a* 362.
Genitum & factum eſſe quomodo diſtinguantur *a* 187.
Gennadii de Fauſti Epiſtola teſtimonium *a* 361.
Gentes LXXII. poſt diſperſionem quæ *b* 156. 157.
Gentium poſt diluvium diviſio *c* 196. 197.
Gentiles quidam ex lege naturæ ſervati ſunt *a* 354. 355.
Genu nullus flectat in dominicis diebus, nec à Paſcha uſque Octavas Pentecoſtes *c* 397. 400.
Genu uno terræ impreſſo nemo orare præſumat *c* 403.
Genuflexio, cum ea eſt orandum *c* 400. quando & quando non 402. 403.
Genuflexio pro nondum baptizatis *b* 544.
Genus quid ſit *b* 489.
Georgiani qualis gens *d* 22.
—— eorum deſcriptio *d* 434.
S. Georgius Martyr *bb* 324. ejus acta valde incerta ibid. *n.*
—— ei templum ædificatum Dioſpoli à Juſtiniano *b* 113. & ib. *n.*
Georgius Pogiebrac Rex Bohemorum, ejus Geſta circa Huſſitas *d* 462. 464. 465. à Paulo II. Romam citatus ibid.
Germani olim ligna & fontes coluere *b* 241. *n.*
—— ob bibacitatem Muſicæ fere inepti *cc* 557. 558.
Germani duo Patriarchæ Conſtantinop. *a* 25. fragmentum ex oratione contra Hæreſes non eſt prioris ibid.
Germania tota S. Bonifacio à Gregorio II. tradita *c* 368.
Geroldi comitis Epitaphium *bb* 73. quis ille fuerit ibid. *n.*
Gertrudis Pipini filia Monaſterium Carleburgi condidit *c* 176.
Gertrudis, Carinthiæ Ducis filia, Andreæ Regis Hungariæ Conjux *d* 118. à Magnatibus occiſa 119. quare? ibid. *n.* & 179.
S. Gervaſius & Protaſius Virgines *a* 728.
Geſneri in recenſendis Anaſtaſiis error *a* 432.
Gethſemane locus *d* 18.
Gewilieb Moguntiæ Epiſcopus à S. Bonifacio ob homicidium depoſitus *c* 355. 356.
Gigantis cujusdam tempore Caroli M. hiſtoria *bbb* 79.
Gildas rerum Britannicarum Scriptor quando ſcripſerit *b* 385. *n.*
Giſala Caroli M. filia *b* 478. & ib. *n. bb* 54. & ib. *n.*
Giſela ſoror Henrici II. Stephani I. Hungariæ Regis conjux, ejus pietas *c* 262.
Gladiola carmine celebrata *bb* 270.
Gladius quem miſit Chriſtus qualis *a* 795.
*Gladium accipere* Matth. 26. quid ſignificet *d* 590.
Gladius uterque ad Eccleſiam pertinet *d* 78.
Gloria inanis *bb* 93.
Glorificatio Chriſti in quibus conſiſtebat *a* 573.
Gneſnenſis Epiſcopatus quando inſtitutus *c* 55. *n.* 65.
*Gnome*, ejus vocis variæ ſignificationes *bb* 435.
Gnomica voluntas quid ſit *bb* 438. 440. 450. 459. *bbb* 51.
Gnoſtici à quo & quando exorti *a* 280.
Godeſcalcus auctor vitæ S. Lamberti à Cariſio editæ *b* 136.
—— Prædeſtinationis Doctor, ex Regno Ludovici pulſus *c* 248.
Golgatha locus *d* 19.
Golgatha ſive locus cranii quare ita vocatus *a* 244. 245.
Goteſcalchus Monachus, Walafridi ad eum verſus *bb* 254.
Gotfridus Bullonius, ejus Expeditio S. *d* IV, Rex Hieroſolymæ coronari noluit *d* 427.
Gothica orthographia Latina qualis *b* 281.
Gothi quando ſub Rhadagaiſo Italiam ingreſſi *a* 297.
—— Ariani in Hiſpania converſi *c* 229.
Gozbertus dux Franciæ orientalis, Dianæ cultor *c* 176. à S. Kiliano converſus ibid. ejus cædes 178. 182.
Gradus conſanguinitatis ad ſeptimam usque generationem obſervandi *c* 350.
Græcæ voces Scriptoribus medii ævi ſæpius in uſu *bb* 166. & ib. *n.*
Græcæ Eccleſiæ mos conficiendi Sacramentum *d* 767.
Græci & Hæretici & excommunicati *d* 45.
—— Latinos converſos rebaptizant *d* 67.
—— ſeptem ſolis diebus toto anno jejunant *d* 65.
—— Scripta Sacra & Patrum depravant *d* 74.
—— ad Concilium Baſileenſe vocati *d* 455. Papæ artibus effectum ne venirent ibid.
Græcorum errores, Tractatus contra eos *d* 29. Tribuitur Panthaleoni 31. Baſnagii ſententia de eo ibid.
—— eorum errores potiores quinam *d* 33.
—— eorum hæreſes & prævæ conſuetudines recenſitæ *d* 64. ſeq.
—— illorum mos Sabbatum tranſigendi *c* 301.
—— eorum Prælati plerique Monachi ſunt *d* 24.
Græcorum Imperator Caroli M. Legato Saxonum Gentem dono dat *bbb* 73.
—— erga Fridericum I. ejusque exercitum fraudes *cc* 505. 506. 507.
—— eorum Legati in Concilio Lugdunenſi Spiritum S. à Patre filioque procedere decantant *d* 200. 202. 217. à fide receſſere 204.
Græcorum Reges *a* 270. 271.
Grafiones vel Graviones quid ſint *c* 354. & ib. *n.*
Grammaticæ partes *b* 511.
Grammaticam docere Epiſcopo indignum *bbb* 3.
γεγράφαι ſcribere & pingere ſignificat *bb* 16.
Gratia gratis data & gratum faciens cauſa fuit diſſidii in Bohemia cum Huſſitis *d* 768.
Gratiæ & naturæ virium concurſus *a* 353.
Gratianus Imperator quomodo perierit *a* 296. & ib. *n.*
Gravida Catechumena baptizetur *b* 269. *n.*
S. Gregorii M. Vita *bbb* 251. an Paulus Diaconus ejus auctor 252. 253.
—— ejus ortus & adoleſcentia *bbb* 286. eligitur in Epiſcopum Romanum 257. Angeli cuſtodis ejus hiſtoria 258. 259. ſummus Pontifex & univerſalis Dominus appellari non vult 262. ejus obitus ibid.
—— quando Paſtorale ſuum ſcripſerit *c* 521.
—— ejus Dialogi an ſint ipſius *b* 86. 87. ejus credulitas ibid. Bibliothecam ampliſſimam qua de cauſa combuti juſſerit ibid.
—— Ejus Epiſtola ad Secundinum *bb* 146.
—— quæ in Deſiderio Vienneníi reprehenderit *bbb* 3.
—— Judæum qui Eliæ altare erexit puniri juſſit *bbb* 12. *n.*
—— ejus Caput S. Gebehardo à Johanne VI. donatum *d* 827. & ib. *n.* alia relatio de hac re ibid. *n.*
Gregorii Nazianzeni teſtimonia de Trinitate & Chriſto Deo & homine *a* 348.
S. Gregorius Nazianzenus Virgo *a* 726.
Gregorii Nyſſeni Epiſtola contra Apolinarium *a* 190.
—— ejus argumenta contra Arianos *a* 176. 177.
S. Gregorius Thaumat. Vita *a* 24. Origenem præceptorem habuit ibid. contra Leges ordinatur ibid. adhuc paganus miraculum patravit ib.
—— —— ejus duodecim capita de Fide itemque anathematiſmi *a* 20.
—— —— Non ſunt ejus *a* 25. 32. *n.*
—— —— ejus Viſio *a* 21. 22. 26. 27.



Digitized by Google

Gregorius Theologus Throno Conſtantinop. renunciavit *bb* 386. *n.*
Gregorius Turonenſis in Thoromachum transformatus *b* 151.
Gregorii II. Epiſtola ad S. Bonifacium *c* 342.
—— —— ad Epiſcopos & Principes ſuper Bonifacio *c* 345. ad Clerum & plebem 346. ad Principes Thuringiæ ibid. ad populum Thuring. 347. ad populum Altſaxonum ibid.
Gregorii III. Epiſtola ad S. Bonifacium *c* 349.
—— —— ad Epiſcopos pro ſuſcipiendo Bonifacio *c* 350. ejusd. ad optimates Germaniæ 351. ad Epiſcopos Bajoariæ & *Alemanniæ* ibid. Ejusdem Epiſtola alia ad S. Bonifacium *c* 352.
Gregorii VI. zelus circa temporalia Eccleſiarum recuperanda *d* 732. miraculum circa ejus corpus factum ibid.
Gregorii VII. acta cum Henrico IV. *cc* 256.
—— ejus erga dictum Imperatorem impietas & iniquitas *cc* 275. 276.
—— ejus ſtatutum de non accipienda Inveſtitura à Principe *c* 384.
—— Anshelmi Libri Duo pro eo *c* 369.
Grimaldus Abbas S Galli *bbb* 60. *n.*
Grimaldus Wettini frater, de eo Verſus Walafridi *bb* 233. & ib. *n.* quis fuerit *bb* 265.
Grimaldus Major domus, Deſiderii ad eum Epiſtola *a* 636. 638.
Guibertus Antipapa, Anshelmi in eum invectiva *c* 372. ſeq.
Guido de Luſignan Rex Hieroſol. *d* 429. qua ratione ad regnum pervenerit, ibid. quomodo regno pulſus fuerit *d* 429. 438.
—— ejus geſta *cc* 500. 501.
Gulæ vitium *a* 756.
Gundiochus Burgundionum Rex *b* 201.
Gundobadi Burgundionum Regis crudelia facta 201. 202. 203.
Guntheri plures *d* III. quis ex iis auctor Hiſtoriæ Conſtantinop. ibid. quando ſcripſerit IV.
Guntheri Monachi Pariſienſis Hiſtoria Conſtantinopolitana ſub Balduino *d* 1.
S. Guntheri vita *c* 183. quis fuerit 184. 185. Romam petit ibid. ad Stephanum Ungarorum Regem abit 186. fit Eremita ibid. ejus vivendi conſuetudo 187. obitus 188.
Guntramni Burgundionum Regis res *b* 209. 212. 219.
Gunzonis ducis filia Fridipurga a dæmone per S. Gallum liberata, hiſtoria ſubleltæ fidei *a* 783.
Gurcenſis Epiſcopatus a S. Gebehardo inſtitutus *cc* 436.
Guelforum Principum origo & Hiſtoria *cc* 579. ſeqq.
Gwelfii II. Ducis acta cum Conrado Salico *cc* 581. 582.
Gwelfo IV. ejus acta cum Henrico IV. *cc* 583. *n.*

## H.

Habendi ſpecies octo *b* 495.
Habitus quid ſit *d* 743.
Hæreſis, quæ ad eum requirantur *d* 746.
Hereſes quare à Deo permittantur *d* 483.
—— de iis Collectanea *bbb* 49.
—— multum utiles ſunt *d* 483.
—— circa Chriſtum variæ *b* 363. ſeq.
—— variæ circa Chriſtum damnatæ *a* 594. 595.
Hæretici qui ſint *d* 393. 394.
Hæretici & ſchiſmatici differentia *c* 387.
Hæreticorum deſcriptio *b* 351.
Hæretici omnes ex male intellectis verbis SS. facti *d* 712.
Hæreticorum decimus tertius Apoſtolus eſt Ariſtoteles *b* 32.
Hæreticus quibus modis poſſit deprehendi *b* 327. 330.
Hæreticorum artes *a* 576.
Hæretici ſemper novatores *b* 326.
—— ſunt plerumq. docti *b* 327.
—— ſunt teſticuli Anti Chriſti *b* 372.
—— Catholicis ſanctiores *d* 29.
—— ſibi invicem diſcordes *a* 559.
—— inter ſe diſcordes in contraria labuntur *b* 353.
—— Lamiæ *b* 350.
—— quomodo citent S. Patres *a* 528.
—— Patribus Scripta ſuppoſuerunt *a* 598.
—— non ſemper ſecundum temporis ſeriem à Patribus recenſentur *c* 327. *n.*
Hæreticus non Scripturis ſed potentibus Sæculi vincere cupit *b* 319.
Hæreticorum cum ranis convenientia *b* 314.
—— eorum ſcripta perperam occultantur *a* 172.
Hæretico non ſperanda ſalus extra Eccleſiam *a* 388.
Hæretici bonis ſunt ſpoliandi juxta Auguſtinum *c* 375.
—— cum iis nec in Eccleſia, nec in judicio communi & populari loqui licet *bb* 4.
—— Judæis ſunt pejores *b* 359.
Hæreticorum circa Trinitatem & incarnationem errantium Catalogus *b* 30.
Hæreticus nec Accuſator nec teſtis contra Clericum eſſe poteſt *bb* 300.
Hæreticorum accuſatores Ithacius & Urſacius Eccleſiæ communione ob id privantur *a* 296. 306.
Hæreticum qui Miſſam celebrare ſiverit quomodo puniendus *c* 407.
Hæretici ad Eccleſiam redeuntes poſt abjurationem hæreſeos per Chriſmatis unctionem reconcilientur *b* 270. VII.
Hailsbrunn Monaſterium à S. Ottone fundatum *cc* 48.
Halitgarii de vitiis & virtutibus Libri V. *bb* 81.
Halitgarius quis fuerit *bb* 82. quo tempore ſcripſerit 86.
Haman ſub Artaxerxe Longimano crucifixus *a* 249.
Hartwicus Salisb. Epiſcopus quis fuerit & quando ſedem obtinuerit *cc* 275. ejus vita 308. alia 419.
Hartmanni tres *bbb* 187. quis carminum auctor 191.
Hartmutus ab Hartmanno diverſus *bbb* 187.
Hatto Baſileenſis Epiſcopus, Caroli M. ad Nicephorum Imperat. legatus *bbb* 74. *n.*
Haugustaldenſis ædificii magnificentia *b* 405. *n.*
Hebdomades LXX. Danielis quo anno incœperint finierintque *a* 270. & ib. *n. p* 273.
Hebdomadarum LXX. apud Danielem calculus *a* 238. 239. 244.
Hebræi, ad Hebræos Epiſtola Paulo inſcribitur *bbb* 147.
Hebron urbis deſcriptio *d* 345. quare Kiriath-arbe dicta ibid. *n.*
Heddi Antiſtes Occidentalium Saxonum in Anglia *a* 710.
Helcana quid ſignificet *a* 357.
Helena mater Conſtantini M. Trevire oriunda fuit *d* 733.
Heliſeus Propheta pueris 42. maledicens, figura Chriſti *bb* 280.
—— ejus ſepulchrum ubi *b* 113. 120.
Heliſæi fons *d* 16.
Helpericus Monachus quis fuerit *b* 473.
Henochi ſcripta *c* 195.
Henoticum Zenonis *a* 324.
Heinricus I. Imperator electus *c* 257. ejus obitus 258.
S. Henrici Imperatoris vita *cc* 23. reſpectuquo Henricus I. & II. appelletur 24. 26. Virgo vixit cum uxore ibid. & 29. Phreneſi an laborarit ibid.
—— quando Imperator factus *cc* 27.
—— coronam auream Monachis Cluniacenſibus dono dat *cc* 30. Pannoniam convertit 31. ejus mors ibid. ejus anima meritis S. Laurentii Dæmonibus erepta ib. Miracula 32. ſeq. pro ejus anima denarius à Pontifice impoſitus 52.
—— quo morbo laborarit *cc* 272. à S. Erentrude ſanatur 333.
Heinricus, filius Heinrici Ducis Bavariæ ex Giſela Conradi Regis filia Dux Bavariæ factus *c* 262. itemq. Imperator ibid. ejus geſta ibid. & 263. Italiam petit 264. moritur ibid.
Henricus III. Imperator *c* 266. Ungariam vaſtat eiq. Ducem imponit 267. ejus periculum ibi ab ædibus collapſis 268. odium primorum incurrit 273.
—— ejus laudes *c* 164. 175. 166.
—— obitus *c* 275.
Henricus IV. Imperator *c* 275. Coloniam ab Hannone abducitur 276.
—— ejus ſoror Duci Poloniæ in matrimonium data *cc* 41. 42.
—— ipſius eruditio *cc* 42.
—— Epiſcopatus cum baculo & annulo confert *cc* 38.
—— Nero fuit quaſi redivivus *cc* 6. Regalibus inſignitus à Legato Pontificis iisdem privatur. 11.
Henricus V. contra patrem Imperator declaratus *cc* 259.
—— à Papa excommunicatus aditu arcetur ab Erminoldo *d* 97. quod ipſe clementer tulit 98.
—— Paſchalem Papam capit *cc* 441.
Henricus filius Friderici I. Conſtantiam Rogerii Apuliæ Regis quondam filiam ducit *d* 176. 177. Imperator poſt Patrem factus ibid. ejus geſta in Apulia ibid. ejus mors 178.
Henrici VI. Imperatoris geſta *cc* 598. 599.
Henricus frater Ottonis M. *cc* 311. & ib. *n.* Dux Bavariæ ab ipſo conſtitutus ibid.
—— Ducatum Bajoariæ accipit *c* 258. 259.

Hen-

Digitized by Google

Henricus Landgrafius Thuringiæ contra Fridericum II. electus *d* 187.
Henricus Leo à Friderico I. proſcriptus *cc* 597.
Henrici Saxonum Ducis geſta *cc* 584.
Henricus ſuperbus Bavariæ & Sueviæ Dux *cc* 583. à Conrado III. proſcriptus ibid. *n* & 587.
Henrici à Zwifaltach Prioris Ochſenhuſani Vita *c* 329. de auctore ejus 330.
Heraclianus Epiſcopus Chalcedonenſis *b* 252. *n*.
Heraclionitæ Hæretici *d* 712.
Herbarum varietas bona *a* 722.
Herculis ætas *a* 266. & ib. *n*.
Heredfordienſe Concilium quo die Paſcha celebrandum decernit *b* 311. *n*.
Heribaldus Epiſcopus Antiſſiodorenſis inter Stercoraniſtas recenſetur *bb* 236. *n*.
Hermannus Epiſcopus Auguſtenſis, ejus Acta cum Eginone *cc* 10. & ſeq. adulterium 12. excommunicatio 14.
Hermanni Contracti Chronicon *c* 191. quis fuerit 192. 193.
Hermannus Contractus quando natus *c* 263.
Hermannus Thuringiæ Landgravius, quomodo ſe geſſerit in ſchiſmate inter Philippum & Ottonem *d* 118.
Hermon quid ſignificet *b* 359.
Hermon mons *d* 14. 15.
Herodes quo tempore acceperit Principatum *a* 273.
Herodes Agrippa à Tiberio in vincula conjectus *cc* 220.
Heſſi à Bonifacio converſi *b* 240.
Heſperius quis fuerit *a* 374. *n*.
Heſucaſtæ Monachi quales *d* 366. 367. à Barlaamo oppugnati ibid.
Hierarchia derivatur à lege æterna *d* 649.
Hierachiæ in Eccleſia tres *d* 675. ejus neceſſitas ibid.
Hierarchici actus tres, *purgare* quod Diacono, *illuminare* quod Presbytero, *perficere* quod Epiſcopo competit *d* 650. 651. 663.
S. Hieronymus Virgo *a* 740.
—— quo tempore claruerit *a* 296.
—— quot annos vixerit *a* 300 *n* 315. *n*.
—— Didymi fuit Interpres *a* 202.
—— ſenex Didymum audit *a* 198. eundem iterum erubeſcit *a* 200. 201.
—— Papam fidei judicem agnoſcit *d* 506. 518.
—— ob matronarum aliquot converſationem ſuſpectus *a* 198.
—— ejus Verſio Bibliorum Latina aliis prælata *d* 558.
S. Hieronymi cella in Palæſtina *d* 20.
—— Verſus de ea *bb*. 80.
Hieronymus Pragenſis Lutetiæ ſua dogmata profeſſus eſt *d* 457.
—— —— Pariſiis diſputavit *d* 623.
—— ejus irreverentia erga imagines *d* 763. & ib. *n*.
Hieroſolymorum deſcriptio *d* 17. 22. 346. 347. 792.
Hieroſolymorum portæ deſcriptæ *d* 437. 438.
—— excidium ultimum *bb* 777. ſeq. myſtice expoſitum 280. ſeq.
—— ab Adriano inſtaurata *d* 439.
—— ejus reſtauratio myſtice expoſita *a* 389.
—— quando à Saracenis occupata *d* 426. recuperata 430.
—— à Chriſtianis Saracenis erepta *cc* 257. 258.
—— à Saracenis recuperata *cc* 597.
—— à Chriſtianis ſub Friderico II. recepta *d* 184.
Hieroſolymitanus Patriarchatus quando erectus *d* 436. quot Metropolitanos ſub ſe habeat ibid.
S. Hilarion Virgo *a* 727. Mare compeſcit ibid.
Hilarius Pictavienſis quando in exilium pulſus *a* 292.
—— ejus laus *bbb* 129.
—— ejus Scriptorum Codicem Ruricius Nepotiano transmittit *a* 376.
—— verſus de eo *bb* 80.
Hildegardis uxoris Caroli M. obitus *bb* 55. *c* 242.
S. Hildegardis Vitam S. Ruperti & Diſibodi ſcripſit *b* 101.
Hildericus Merovingorum ultimus auctoritate Papæ Throno dejicitur *c* 241.
Hildrud Caroli M. filia *b* 478.
Hincmari de Canonibus Apoſtolicis ſententia *b* 264. 265.
Hippolyti Portuenſ. Martyris Excerpta ex libro de Theologia & Incarnatione *a* pag. 1. ea ſunt dubia *a* 10.
Hippolytus Portuenſis, quis fuerit *a* 2. ejus Scripta ib. & p. 6. & ſeqq. quæ ſuppoſita *a* 9.
—— —— quo tempore vixerit *a* 3.
—— —— cujus urbis Epiſcopus fuerit ibid. & 44.
—— —— an Romæ Epiſcopus fuerit ibid. & p. 10.
—— —— an Martyr fuerit *a* 4. 8.
—— —— ejus Laterculus *a* 12.
—— —— non eſt auctor Libri *Benedictiones Balaam a* 550. *n*.
—— —— ejus ſtatua in Italia effoſſa *a*. 4.
Hippolyti duo, Portuenſis & Thebanus, *c* 21. quo tempore uterque vixerit ibid. & 22. 23.
Hyppolyti verſio Latina in quibusdam locis a D. Caperonnier emendata *a* 764. ſeq.
Hippolytus Presbyter *a* 6.
Hippolytus Eutychianiſmi accuſatus *a* 11.
Hippolytum Antiochenſem Novatianum & Schiſmaticum Martyrem laudavit Prudentius *a* 4.
Hippolyti Thebani Chronicon *c* 20. ſeq. alia ejus editio 26. ſeq. 34.
—— —— ipſe eſt auctor Tractatus de XII. Apoſtolis *c* 24.
Hircus, ſub duobus Hircis Cyrillus Chriſtum deſcripſit *b* 45.
Hiſpanicæ Eccleſiæ ſtatus Sæculo VIII. *b* 281.
—— —— ejus diviſio ſuper Chriſto filio Dei adoptivo *b* 301.
Hiſpanienſes Theologi omnia ſubtilius perſcrutantur *b* 287.
*Hiſtapodes* quid ſignificent *a* 174.
Hiſtoria Evangelica in Compendium redacta *bb* 79. 80.
Hiſtorica Collectio Anonymi cujusdam ſub Alexandro Severo *b* 147. ejus compilatores qui 148. 149. 153.
Hobæ vel Hubæ quid ſint *cc* 453. *n* 458. *n*.
Homerus quando claruerit *a* 261.
Hœdum cum lacte matris non eſſe coquendum, quomodo Elipandus hoc dicto abuſus ſit *b* 290.
Homo ad quid à Deo factus *d* 477.
—— in locum Angelorum lapſorum eſt creatus *a* 784. 785. *c*. 305.
—— non eſt fructus Diaboli *a* 90.
—— tribus partibus conſtat *b* 332.
—— nihil aliud eſt quam anima & corpus *a* 115.
Homini partes tres à Paulo Apoſtolo tribuuntur *a* 630.
Homo quomodo Deus factus dicendus *bb* 475.
Hominum genus triplex *a* 715.
Homo quando ſit Diabolus *b* 349.
Hominum tres ſpecies, ſpirituales, animales, carnales *b* 333.
Homo quare varius in bono & malo *a* 99.
—— eſt bonus aut malus ex propoſito *a* 98.
Homo carnalis quæ in SS. intelligere poſſit *b* 334.
Homo non tenetur facere omnia bona quæ poteſt *d* 676.
—— ipſius uſui omnia in orbe terrarum deſtinata *a* 132.
Hominum perverſitas *a* 466. 467.
Homicidæ, circa eos ſtatuta *b* 268. XXI. XXII.
—— quot annis pœnitere debeant *bb* 100. 123. 126. 297.
Homicidii pœnitentia *c* 404. 405.
Homicidium ex malitia à Judæo in Judæum, non vero à Judæo in gentilem commiſſum morte puniendum fuit *d* 575.
Homonyma & Synonyma quid ſint *b* 441.
Homouſios Chriſtus Deo & hominibus quomodo, ex mente Apollinariſtarum *a* 604. ſeq.
Honeſtum quid ſit *d* 413.
Honorius Papa an fuerit Monothelita *bb*. 393. *n*.
Honorius Imperator ut Arianus perperam notatus *d* 156.
Horæ quibus per diem & noctem divina officia perſolvantur *bb* 22. 36. 41. 42.
Horæ Canonicæ non negligendæ *b* 414.
Horatii Flacci ætas *a* 272.
Hormiſdæ Papa Epiſtola Encyclica *bb* 143.
Hoſpitaliorum orus *d* 432. 435.
Hoſtes tribus modis vincendi *b* 401.
Hugo Ætherianus contra Græcos ſcripſit *d* 32. 62 *n*.
Hugo Comes Pariſienſis invaſor Regni Ludovici ad Synodale Concilium citatus *c* 10.
Hugo, primus poſtillator totius Bibliæ *d* 503.
Humanitas Chriſti non erat hypoſtaſis ſed in hypoſtaſi *a* 614. *n*.
—— —— quomodo non habeat in ſe hypoſtaſin, ſed unam cum Verbo faciat *a* 622. 623.
—— —— quare non ante formata *a* 622. 623.
Humberti Sylvæ Candidæ Epiſcopi liber contra Calumnias Græcorum & contra Nicetam Pectoratum *c* 277.
Humbertus Sylvæ candidæ Epiſcopus quis fuerit *c* 278. 279. quando Conſtantinopolin ſit miſſus 279.
—— —— —— an Burgundus fuerit *c* 279. 280.
—— ejus Geſta Conſtantinopoli *c* 325.



Digitized by Google

Humilitas virtutum omnium mater *bb* 93.
Hungarorum irruptiones in Germaniam *bbb* 250. *vide plura sub* Hunni & Ungari.
Hunnerici Regis contra Orthodoxos tyrannis *d* 159. 160.
Hunnorum Regionis descriptio *bbb* 72.
—— eorum invasio in Galliam *b* 196. 208. 210.
Huss (Joannes) Transubstantiationem eum ad mortem usque credidisse Cl. Basnagio olim sententia fuit, quam postea aliquatenus mutavit *d* 451.
Hussitica varia *d* 446. seq.
Hussitæ in Bohemia combusti *d* 461.
Hussitici schismatis tres causæ præcipuæ *d* 768. 769.
Hussitarum Ecclesiastica crimina *d*. 761.
Hyberniæ descriptio *c* 175. Pelagiana hæresi fuit olim infecta ibid.
Hydriæ sex sunt sex ætates mundi *c* 297.
Hydriam unam ex sex illis in quibus Christus aquam in vinum mutaverat, Andreas Rex Hungariæ ab expeditione Sancta redux secum tulit *d* 119. *n.*
Hydroparastatæ hæretici qui *bbb* 49.
Hymnorum Auctor David *bb* 39.
Hymnorum in Christiana Ecclesia cantandorum auctor primus Hilarius, dum Ambrosius. *bb* 39.
Hymnus de Natali Domini *bb* 74.
—— in Sergium & Bacchum Martyres *bb* 78.
—— trium puerorum *bb* 243. *vide plura sub voce* Canticum.
Hypapante Domini, quale festum *bbb* 98.
Hypodiaconus, *bb* 237. *vide* & Subdiaconus.
Hypostasis quid significet *a* 288. 539. *n.*
—— quid sit *a* 188. 442. *b* 30. 31.
—— est natura cum proprietate, Natura vero non est hypostasis *b* 42.
Hypostasis & Enypostaton non sunt idem *a* 538.
—— —— quomodo differant *b* 32.
Hypostasis & hypostaticum quomodo differant *bb* 472.
Hypostasis & substantia quomodo differant *a* 615. 616.
Hypostasis una filio permansit etiam post incarnationem *a* 452.
Hypostasis una in Christo an substantia an vero accidens dicenda *b* 252.
Hypostasis, Christum ex duabus Hypostasibus constare quando Patres asseruere, quomodo intelligendi *a* 616. 617.
Hypostases duæ in Christi esse nequeunt *bb* 471.

## I.

Jacob & Esau typi Ecclesiæ & Synagogæ *d* 276. 277.
Jacobellus ut Novator notatur *d* 503.
Jacobitæ Hæretici *d* 22.
—— contra eos scribit Damascenus *b* 29.
—— secta Palæstinæ, eorum descriptio *d* 433.
Jacobitæ & Theopaschitæ inter Græcos tolerati *c* 283.
Jacobus primus Ecclesiæ Hierosolymorum Episcopus *a* 275.
—— fuit filius Josephi, frater Domini, primus Episcopus *c* 28. 36.
Jacobus Justus, frater Domini, Nazaræus, Episcopus Hierosolymit. *bbb* 122.
Jacobi Liturgia citata *bbb* 49.
Jacobi fratris Domini oratio pro occisoribus *a* 475. ejus martyrium quibus memoratum ibid. *n.*
Jacobus de Misna sive Jacobellus Misnensis Taboritarum Doctor *d* 453.
Jactantia vitanda *a* 412.
Java Hibernici Maris insula *a* 682. & ibid. *n.*
Jazira Dalmatiæ civitas à crucigeris expugnata & à Venetis funditus deleta *d* VIII. IX.
Icnomachorum facinora *bb* 5.
Idatius an Eusebium aut Hieronymum descripserit *b* 149. an Episcopus fuerit 150. ejus Chronicon ibid.
Idiomatum communicatio in una Hypostasi *a* 542.
Idiomatum communicatio qualis *a* 622. *b* 52.
Idololatria post Christi adventum ruit *bbb* 16.
Idolothyta, qui de iis comederit, qualem pœnitentiam agere debeat *bb*. 127. 311.
Idolum inter & Imaginem quæ sit differentia *bb* 15. *bbb* 51.
Jejunare cum Hebræis aut epulari cum iisdem Canone Apostolico vetitum *c* 310. 316.
Jejunandum Sacerdoti cum pœnitentibus *bb* 121. 133.
Jejunia pœnitentium qualia esse debeant *bb* 128.
Jejunia & alia observata Ecclesiæ qui solverit, anathema sit, ex Canone Concilii Gangrensis *c* 302.
Jejunia quanta pecunia debeant redimi *bb* 122. 129.
Jejunium duplex *a* 356.
—— in Litania majore *c* 10.
—— feriæ quartæ & sextæ in Constitutionibus Clementis indictum *c* 311. 317.
—— Græcorum per totum annum septem diebus absolvitur *d* 65.
Jejunium horarum aliquot post comestionem reliquiarum oblationum Clericis injunctum *c* 321.
—— die Dominica prohibitum *b* 269 XVIII.
—— die Dominica damnatum *c* 319.
—— quadragesimale nullus in cœna Domini solvat *b* 272. XLIX.
Jephta in adimplendo voto suo peccavit *d* 574.
Jerafa Africæ animal, ejus descriptio *d* 341.
Jeremias Virgo *a* 717.
Ἱερεὺς & Episcopum & Presbyterum interdum denotat *b* 229.
Jericho civitas *d* 16.
Jesus quomodo profecerit ætate, sapientia & gratia *a* 585. 595. & ibid. *n.* *b* 73.
—— scribens in terra mystice expositus *c* 391.
Jesum qui solvant *a* 601.
Jesum solvere quid sit *b* 313.
Jezrael civitas qualis *d* 14.
Ignis utilissimus *a* 126. 127.
Ignis Dei & alienus quis sit *b* 406.
Ignis quem Bestia de cœlo descendere fecit quid significet *b* 356.
Igne utuntur Jacobitæ in baptismate *d* 433.
Ignominia unde dicta *b* 345.
Ignorantia, ea neminem excusat in rebus quas scire debuit *d* 505.
Ignorantia affectata non excusat, sed aggravat delictum *bb* 158.
Ignorantia à Sacerdotibus maxime abesse debet *d* 639.
Illuminare idem quod baptizare *d*. 651.
Ilminensis & Tegerseensis Ecclesiæ fundatio *d* 749.
Imagines & Sculptilia, ad eorum cultum anima quando prolobatur *a* 149.
Imagines propter desiderium honorandi sanctos prodierunt *bb* 6.
Imago & Idolum quomodo distinguantur *bb* 15. *bbb* 51.
Imaginum cultus pius est *d* 302. 304.
Imaginum & Crucis veneratio contra Judæos defensa *bbb* 17.
Imaginis honor ad Prototypum pertinet *bb* 10. 16.
Imaginem Christi adorandam esse ubi scriptum *bb* 6.
Imaginis Christi & Crucis differentia *bb* 7.
Imago Christi præstantior Cruce *bb* 7.
—— —— idolum à quibusdam vocata *bb* 5. 395.
Imagines Sanctorum præstantiores umbris earum *bb* 12.
Imaginum adoratio Concilio Francofurtensi damnata *b* 293.
Imago B. Mariæ, Græcorum superstitiones circa eam *d* 66. 67.
Imagines bonorum & malorum, quid erga utrasque faciendum *bb* 15.
Imagines sæculo sexto in templis Hybernorum nondum pingi solitæ *a* 415.
Imaginis & narrationis communitas *bb* 18.
Imagines à Taboritis rejectæ *d* 455.
Imbres, eorum utilitas *a* 129.
Imitatio Christi non est de necessitate in omnibus *d*. 549. 550.
Immersio in baptismo sæculo XII. adhuc in usu *cc* 39.
Immersio trina quare peragenda *d* 305.
Immundum nihil coram Deo præter pravas cogitationes *a* 449.
Imperativa verba quot modis in SS. accipiantur *d* 539.
Imperatoris Titulus Regibus Franciæ ante Carolum M. sæpius tributus *b* 292.
Imperatores suas orationes, libellos &c. in Senatu per Candidatos recitabant *b* 399. *n.*
Imperatores primi Christiani nullum sibi imperium in clerum & Res Ecclesiæ arrogarunt *c* 378.
—— qui primi dominatum in Ecclesia exercuerint *c* 378.
Imperatori in divinis nullum jus esse, Sententia Ambrosii *c* 373.
Imperatorum capita antiquitus radiata effingebantur *c* 31.
Imperator Græcus equum legatorum Pontificis pedester ad Palatium Cardinalium usque Constantinopoli duxisse

Digitized by Google

se narratur *d* 61. id falsum esse ostenditur ibid. *n.*
Imperii divisio causa fuit Schismatis inter Ecclesiam Græcam & Latinam 61. 62.
Imperium Beneficium Papale esse quomodo Adrianus IV. Pontifex interpretatus sit *d.* 172 *n.*
Impossibile Deus non præcepit *d* 505.
Impossibilitas & incircumscriptio Verbo etsi humanitati unito tribuendæ *a* 540.
Incantationes prohibitæ *bb* 113. 114.
Incarnari quid significet *b* 44.
Incarnatio quid sit *bb* 474.
Incarnatio filii qualis fuerit *a* 188. 189.
—— orthodoxorum de ea sententia *b* 30.
Incarnationis Dei possibilitas *bb* 435.
Incarnatio non est simplex inhabitatio *b* 51. 72.
Incarnationis ratio exponitur *b* 50.
Incarnationis Christi rationes *b* 364.
Incarnatio duas naturas in Christo infert *b* 47.
In Incarnatione tria simul gesta, assumtio, exsistentia & deificatio humanitatis *b* 53.
Incestus inter filium & matrem contra jus naturæ est *d* 607.
—— anathematizatur *bb* 113. pœnitentia pro eo qualis *bb* 126 306. seq.
Incircumscriptum quod *a* 766.
Incorporea & invisibilia non eadem *a* 363.
Incorporeum nihil præter solum Deum *a* 364.
Indolentia non est pars beatitudinis *d* 411.
Indulgentiæ Papales fundatæ sunt in lege Dei *d* 597. seq. 620.
Indulgentia peccatorum ubi, quando & qualibus danda *bb* 153.
Indulgentiæ in Jubilæo pro visitantibus limina B. Petri & Pauli à Bonifacio VIII. concessæ *d* 213. 214.
Indulgentia à Taboritis rejectæ *e* 454.
Infantes neque boni neque mali *a* 97.
—— an voluntate gnomicagaudeant *bb* 450.
—— sunt baptizandi *b* 547.
—— per ipsum baptismum fideles evadunt ibid.
Inferi, ante descensum Christi ad inferos nullius hominis anima ex inferis liberata *d* 290.
Inferni portæ quid sint *d* 516.
Infinitum motum non suscipit *a* 13.
Ingenitum non potest dissolvi *a* 91.
—— Ingenito nihil accidere potest *a* 65.
Ingluvici ventris vitium *bb* 97. ejus remedium 98.
Inimicorum dilectio est præceptum quoad affectum, consilium quoad effectum *d* 641.
Injuria propria non vindicanda quidem sed tamen ea quæ Deo & Ecclesiæ infertur *d* 573.
Injuriarum memoria omne aliud peccatum superat *a* 476.
Innocentii I. Pontificis Rom. gesta *bb* 335.
Innocentii II. confirmatio institutorum Monasticorum S. Ottonis *cc* 50. 51.
Innocentii III. prædictio de Abbatibus & Monachis Sangallensibus *d* 796.
Innocentius III. post mortem æternis suppliciis damnatus, B. Virginis intercessione tamen liberatus variis visionibus ostensus *d* 179. *n.*
Innocentius IV. Siciliæ invasor *d* 190. ejus mores ibid. *n.*
Insensibile, ex insensibili sensile nascitur *cc* 202.
Inspiratio est duplex vel per expressam revelationem vel per instinctum *d* 652.
—— an divina sit, haud facile dijudicandum *d* 652. 653.
—— immediata miraculis probanda est *d* 516.
Inspirationis divinæ signa *d* 653.
Instinctus divinus ex quibus signis dignoscendus *d* 653.
Insufflatio Christi in discipulos signum tantum fuit traditionis Spiritus S. *d* 389.
Insula 30 stadiorum de profundo emicuit *cc* 220.
Insularum potiorum enumeratio *b* 158.
Investituras Episcoporum Imperatores baculo & annulo conferre soliti *cc* 42. 43.
—— lis circa eas inter Imperatores & Papas quando exorta *cc* 275.
Invidiæ vitium *bb* 94. ejus remedium ibid.
Joachim & Anna, Parentes B. Mariæ *c* 465. & ibid. *n.*
Joanna Papissa, quibus argumentis Spanhemius ejus historiam tuitus sit *d* 363. pro fabula habet Cl. Basn. ibid.
Joannes Apostolus Virgo *a* 720. *c* 27. in ejus domo Hierosolymis Maria mater Domini 11. annis habitavit ibid. & 35. in eadem Christus ultimum Pascha celebravit ibid. Spiritus S. quoque in ea effusus 28.
—— quotannis vixerit 29. & ibid. *n.*
—— —— supra sensum raptus scripsit initium Evangelii sui *a* 451.
—— —— juvenem latronem factum ad pœnitentiam revocat *a* 496. seq. & ibid. *n.* 514. seq.
—— —— eum non esse mortuum quidam crediderunt, alii, eum post mortem esse assumtum *bb.* 352. *n.*
Joannis Apostoli obitus *bbb* 144. 145. ejus corpus à corruptione immune creditur ibid.
Joannes Baptista Virgo *a* 718.
—— —— quot annis vixerit & baptizaverit *c* 27.
—— —— ejus sepulchrum ubi *b* 113. 120.
Joannis Abbatis Biclarienſis Chronicon *a* 335.
Isidori de eo testimonium *a* 336.
Johannes Biclarienſis quis fuerit *a* 262.
Joannes Cabilonenſis Episcopus *a* 403. & ibid. *n.*
Joannes Constantinopolitanus à Theophilo Alexandrino expulsus *a* 297.
Joannis Eleemosynarii vita à Leontio Cyprio scripta *a* 794.
Joannes Papa à Theodorico Gothorum Rege captivus factus *bb.* 328. *c* 223.
—— —— à Theodorico trucidatus *b* 191.
Joannis XII. Papæ, qui & Octavianus, perversi mores notantur *c* 259. ab Ottone I. sede dejicitur 260.
Joannes XIII. Papa in exilium à Romanis ejectus *c* 260. ab Ottone I. vindicatus ibid.
Joannes XXI. Papa *d* 203. ejus mores notati ibid. mors tragica ibid.
Joannes Episcopus Salisb. perperam frater Alcuini à quibusdam habetur *cc* 266.
—— Parisiensis Transubstantiationis impugnator *cc* 336. *n* alius ab eo qui ad altare S. Erendrudis est profectus ibid.
—— Monachus dono prophetiæ præditus *a* 297.
—— de Ragusio, Trithemii de eo testimonium *d* 449. quis fuerit 455.
—— Tranensis Episcopus, ad eum direxit Michaël Cerularius Epistolam *c* 111. & 16. *n.*
Job figura Ecclesiæ *b* 342.
Jobii Episcopi Apollinaristæ confessio de Christo *a* 602.
Jocos princeps vitare debet *bb* 415. 416.
Jonæ tres noctes in ventre ceti peractæ Alcuino trinam immersionem significabant *b* 397. *n.*
Jonæ, Scriptoris vitæ Columbani, errores *a* 772.
Jordanis origo & nomen *b* 111. 119.
—— ejus aqua ægrotos sanat ibid.
—— ejus origo *d* 12.
—— ejus descriptio *d* 352.
—— —— magnitudo *d* 788.
Joseph typus Christi *d* 279. 280.
Joseph B. Mariæ conjux, quot filios filiasque habuerit *c.* 28. 32. 36. *n.* 37. & ibid. *n.*
Josephi, B. Virginis mariti, uxor & liberi *d* 296.
—— eum cum B. Virgine post Christi partum concubuisse docuit Eunomius *a* 174.
Josephi (Flavii) locus de Christo pro genuino agnitus ab Anastasio *bbb* 11. 20.
Josephus Archicapellanus *bb* 359.
Josua quot annos Populo præfuerit *a* 267. & ibid. *n. c.* 198.
Irminsul Saxonum Idolum à Carolo M. destructum *c.* 242.
Isaac typus duplex & Christi & populi Dei *d* 274. 275.
—— ubi immolandus fuerit *d* 785.
Isaacius Græcorum Imperator obscuræ originis *cc* 510. *n.* Ipsius arrogantia erga Fridericum I. ibid.
Isidori tres, Senior, Junior & Cordubensis *bb* 152.
Isidori Epistola ad Massonem de restauratione Sacerdotis *bb* 147.
—— de Conversis liber *bb* 152.
—— Missæ, ex eo libro Elipandus plurima pro filio Dei Adoptivo hausit *b* 287. 288.
Ismael typus Synagogæ *d* 274.
Israel nomen quare Jacobo impositum *a* 787.
Israelitæ quot annos in Ægypto commorati sint *a* 267. & ibid. *n.*
Israelitici Populi historia *a* 786. seq.
Ithacius & Ursacius Galliarum Episcopi ob accusatos Hæreticos Priscillianistas communione Ecclesiæ excluduntur *a* 296. 306.
Italia ab Attila & Odoacro vastata *cc* 373.




Digitized by Google

Italia inter Berengarium & Widonem discerpta *cc* 252.
Judæa in tetrarchias divisa *cc* 219.
Judæi non sunt filii Abrahæ, sed Christiani *bbb* 27.
—— S. Scripturas non corruperunt *a* 265. *n.*
—— quare iis intradictum fuilla vesci *bbb* 27.
—— eorum judices & Reges *b* 159. 160. 163. 166.
—— quando vectigales Romanis facti *a* 272.
—— iis tres servitutes & liberatio ex iisdem prædicta, at non ex ultima *bbb* 30. 31. 44.
—— eorum peccatum maximum est mors Christo illata *d* 299.
—— mendacii pro resurrectione Christi celanda ab iis conficti absurditas *a* 463.
—— eorum excidium sub Tito *bb* 259. 260.
—— quam ob causam ultimum excidium passi *bbb* 18. 32.
—— eorum seditiones sub Romanis *b* 174.
—— in Ægypto seditio *a* 279. 280.
—— eorum templum restaurare conantium clades sub Hadriano, Constantino & Juliano *bbb* 31. 32. 45.
Judæis quando licentia Hierosolymam intrandi ademta *a* 281.
—— an Sacra extra Hierosolymam celebrare possint *bbb* 28. & ib. *n.* 43. 44.
—— canes sunt *b* 342.
—— a vectigalibus exigendis & omni potestate judiciaria excludendi *bb* 366.
—— Scriptorum contra eos Catalogus ex Bibliotheca Joannis Molani *d* 816.
—— à Gregorio M. verberibus & oppressionibus ad Religionem Christianam coacti *bbb* 260.
—— à Dagoberto ad religionem Christianam aut coacti aut regno pulsi *cc* 245.
—— quare à Christianis tolerandi *d* 571.
—— eorum in imaginem Christi perpetrata *d* 302. 303.
—— magnus illorum numerus in exercitu Regis Galliæ *d* 210.
—— cum eis fœminæ Christianæ si concumbant qualem pœnitentiam agere debeant *bb* 309.
—— cum eis si Christianus cibum sumserit, qualem pœnitentiam agere debeat *bb* 310.
Judæus cum Christiana rem habens, quomodo puniendus cum meretrice *d* 84.
Judæis non liceat habere mancipium Christianum aut munere aliquo fungi *bb* 310.
—— ipsis infanticidium impactum *cc* 488. & ib. *n.* 493.
Judæi in Germania sparsa fama de contuso ab iis in mortario corpore Christi ubiq. exusti & excisi *b* 213. 226. Ratisponæ tamen servati sunt ibid.
—— in habitu vestium à Christianis discernendi *d* 84. Balnea Christianorum ne ingrediantur ibid. convivia cum ipsis non habeantur ibid.
—— Christianorum interfectores Monaci exscinduntur *d* 208.
Judæorum conversio & accessio ad Ecclesiam post introitum plenitudinis gentium *b* 344.
—— eorum conversio adhuc futura asseritur *d* 282. 301.
—— cum iis disputandi perversa & recta methodus *d* 264. *n.*
à Judæis vel hæreticis dona festivitatis nemo accipiat *b* 271. XXXVI.
—— contra eos Collectanea *bbb* 40.
—— Andronici Constantinopolitani dialogus contra eos *d* 255. seq.
Judaici cultus abrogatio prædicta *d* 314.
Judæorum confessio de miraculis B. Emmerammi *c* 115.
Judas proditor Christum non deum sed hominem credidit *b* 340.
—— Christi Corpus sumsit *a* 469.
Judam mysticum panem Judæis ostendisse Græcorum opinio *a* 469. *n.*
—— Diabolus vocatus à Damino quare *a* 211.
—— eum bonum fuisse cum à Christo eligeretur quo argumento tueatur Didymus *a* 199. 207.
Judex controversiarum in Religione Christiana est Ecclesia universalis *d* 475. 484.
Judicare idem quod discernere *c* 302.
—— in cibo aliquem, quomodo intelligendum *c* 302.
—— alium Antichristi est flagitium *a* 477.
Judices Israelitarum *a* 267. 268.
Judicii extremi descriptio Fausti *a* 350.
Judicis sententia quibus in casibus non sit timenda *d* 668.
Judicium quotuplex sit *d* 568. 593. 617.
—— in judicio tria semper consideranda, Persona, intentio atq. modus delicti *bb* 150.
Judithæ historia à Tito Bostrensi citata *a* 57.
Judith fortitudinis exemplum *a* 152.
Judith, Ludovici pii uxor è Welforum familia fuit *c* 245. *cc* 582.
—— —— ejus laus *bb* 232. 233. 234.
Julianus Apostata *a* 112.
—— fuit hæreticorum fautor *a* 175.
—— ejus mors Didymo revelatur *a* 198.
S. Julianus Virgo & Martyr *a* 735.
Julianus Cardinalis Præses Concilii Basilicnsis, quæ egerit cum fratribus Bohemis *d* 461.
Julii Africani duo *b* 148. qui uterq. fuerint, ibid. eorum Scripta, ibid.
Julii Pontif. Rom. Epistola ad Dionysium de Incarnatione Domini, an genuina *a* 598.
—— ipsi Scriptum ab Apolinaristis est suppositum *b* 253. & ibid *n.*
Julius Cæsar quas urbes condiderit *d* 163.
*Jupiter Elicius*, quare ita dictus *a* 374. 375. *n.*
Juramentum Deus eo sensu accipit ac ille cui juratur *c* 406.
—— quando licitum *d* 574.
Juramenta irrita quæ *c* 406. 407.
—— quæ non sint servanda *c* 406.
—— eorum facilitas vituperata *bb* 410.
Jurisdictio Episcoporum & Presbyterorum derivatur à Papa *d* 688.
Juris jurandi formula à Pontifice S. Bonifacio propositа *c* 344. 345.
Juris naturalis origo *d* 82.
Jusjurandum Christianis licitum *c* 376. quomodo *à malo* sit ibid.
Justi sunt accusatores sui ipsius *bb* 156.
Justificatus spiritu Christus quomodo, ex Theod. Mopsv. *a* 588.
S. Justina Virgo & Martyr *a* 744.
Justiniani I. gesta *b* 192. 193. 239. 240.
—— Africam à Vandalis recuperat *a* 329.
—— ejus Acta tyrannica in causa trium Capitulorum, *a* 333.
—— ejus statua quæ Constantinopoli exstat descripta *d* 337.
Justinus Martyr, ejus testimonium contra errorem Eutychianorum *a* 2.
—— Expositio fidei ipsi abjudicatur *a* 11.
—— an liber de Trinitate ipsius sit, an vero alius Justini Episcopi Ciliciæ *b* 56. *n.*
—— liber de Trinitate sub ejus nomine non est ipsius *a* 549. *n.*
Justinus Imperator mente captus *b* 214.
Justitia quid sit *bb* 103.
Justitia Pharisæorum & Christi discipulorum *c* 299.
Justitiæ virtus triplex *d* 681.
*Justitiæ S. Petri* quid sint *bb* 49. *n.*
*Justitiam facere* quid significet *bb* 49. *n.*
Juvavia, ita olim Salisburgum dicta *b* 408. *n cc* 269. 287.


## K.


Kalteisen (*Henricus*) Orator in Concilio Basileensi, quis fuerit *d* 459.
—— —— ejus Oratio de libera prædicatione Verbi Dei *d* 628.
—— —— multa peccat contra Historiam Eccles. *d* 733. & ib. 4.
Καπηλίσω quid significet *a* 141. *n.*
Karlomannus singulis annis Synodum haberi constituit, ad res Ecclesiæ ordinandas *c* 353.
Κατεκτινάζω quid significet *a* 767. *n.*
S. Kiliani & Kolomanni Vita *c* 171. ejus auctor quis fuerit 172. 173.
S. Kilianus quis fuerit *c* 171. 180. nunquam fuit Episcopus Wierzburgensis 173. ejus passio 174. ejus Patria 175. fit Monachus & Episcopus ibid. ejus martyrium 177.
—— Herbipolensium fuit Apostolus *d* 752.
—— non fuit Episcopus Wirtzburgensis *c* 3. ejus corpus requisitum & effossum 6.
*Kiriath arbe* quid significet *d* 345. *n.*
Kitzingen Monasterium quando conditum *d* 135. *n.*
Κόμης quid *bbb* 267. *n.*
Kyrieleison Græcis solenne *d* 66.
Κύριε, an hæc vox de mortuis usurpetur *c* 27.


Lac

Digitized by Google

[ L.

Lac ex bove magica arte productum à S. Columba in sanguinem vertitur *a* 692.
Lacrymarum species variæ *a* 494. 512. 513. piarum vis & efficacia 495. 513.
Ladislaus Bohemiæ Rex fidei Romanæ addictissimus fuit *d* 767. *n.*
Lætitia quid sit *d* 418.
Laidradus Episcopus Lugd. à Carolo M. testis Testamento adhibitus *b* 395. *n.*
Laici, ex iis non fiant Episcopi, Presbyteri aut Diaconi *b* 273. XIII.
——— Episcopi ordinati Ambrosius, Tarasius, Photius *bb* 375.
——— Hæreticorum oppugnatores *a* 299. *n.*
——— sine Episcopali licentia Presbyteris Ecclesias dare vel adimere non præsumant *c* 10. 12.
——— Clericis & bonis Ecclesiasticis vim inferentes excommunicentur *d* 83. nec nisi à Sede Apostolica absolvantur ibid.
——— errores Doctorum in fide & moribus amplectentes nec ignorantia nec simplicitate se excusare possunt *d* 644.
——— inter Clericos intra Cancellos stare vel sedere ne permittantur *c* 399.
Laicorum negligentia circa sacra *bb* 22.
Laicus Presbyterum injuria haud afficiat *c* 10.
Laicus non-virginem sortitus aut bigamus ad Clericatum provehi nequit *c* 323.
——— bigamus dispensante Papa ad Episcopatum pervenire potest *d* 561. 562.
Lambacense Monasterium à quo conditum *cc* 315.
S. Lamberti Martyris vita *b* 135. qui eam scripserint 136. an Martyr fuerit 137. ejus parentes 139. electio in Episcopum Trajectensem ibid. ejus dejectio 140. ad crucem pœnitentiam agit ibid. sedi suæ restituitur *b* 141. Tessandros convertit 142. a Dodone occiditur 143. 144. post mortem apparuit 145. Miracula 146.
S. Lamberti Revelatio *b* 145.
*Lambes* quid fuerit *bb* 73. *n.*
Lampertus B. Emerammi percussor *c* 100. ejus stirps tota ob id misera *c* 112.
Lancea sancta Imperatoribus prælata *c* 136.
Langheim Monasterium à S. Ottone fundatum *cc* 47.
Lantbertus filius Berengarii à Papa Imperator coronatur *cc* 253.
*Langus* quid significet *a* 756. *n.*
Laodiceæ urbis descriptio *d* 13.
Lapides duodecim quos Israëlitæ e Jordane extulerunt ubi sint *b* 111.
Lapides & ligna animata credebant Manichæi *a* 131.
Lapitharum & Centaurorum bellum cui tempori assignetur *a* 267.
Lapsus hominis causa incarnationis Christi *a* 450.
Lateranense Concilium I. & II. quando habita *d* 176. & ib. *n.* quartum 179.
Laterculus Hippolyti *a* 12.
Latinorum origo & Reges *b* 167. 168.
——— reges *a* 268. *c* 199. 200.
——— causa in dogmate circa Spiritum S. potior *d* 387.
Latini Græcas uxores ducentes juramento compelluntur deserere communionem suam *d* 67.
Latronis sub Mauritio converti historia *a* 499.
S. Laurentii martyrium *bbb* 164.
Laurentius Vallanus quis fuerit *d* 768. *n.*
*Lebitonaria* quid sint *a* 167.
Lectioni & orationi tempus statuendum *b* 451. & ib. *n.*
Lectoris officium *c* 398.
Lectoribus Vetus T. & Diaconis Novum prædicare præceptum est *d* 663. 664.
Lectores vel Cantores cum orariis ne legant vel psallant *b* 271. XXIII.
Lectoribus tantum liceat matrimonium contrahere *b* 267. XXVII.
Lectores in aula Caroli M. *bbb* 59. 60.
*Ledon* & *Malina* voces explicatæ *b* 249. & ib. *n.*
Lemovicensis Episcopatus olim haud magni pretii *a* 371.
Leo humana voce S. Mammam adloquitur *bb* 196.
Leo M. legatus ad Attilam ei persuadet Italia discedere *a* 305.
——— Manichæos Româ expellit *a* 304.
Leo III. quando Pontificatum inierit *b* 479. ejus perpessiones à Romanis *b* 480. ejus iter ad Carolum M. 481.
——— quomodo a Romanis male fuerit habitus *b* 392. & ibid. *n.*
——— iter ejus ad Carolum M. quando factum *b* 472.
——— ejus juramentum purgatorium coram Carolo M. *bbb* 67.
——— Carolum M. Imperatorem Romanum renunciat *bbb* 67.
——— Alcuini ad eum Epistola *b* 418.
——— Carolo M. claves confessionis Petri transmittit. ibid. *n.*
Leo VIII. Papa ab Ottone I. constitutus à Romanis vero rejectus *c* 260.
Leonis IX. Papæ Acta contra Michaelem Cerularium *c* 279.
Leonis X. decretum pro Canonizatione S. Vitalis *cc* 347. 348.
Leo Rex Armeniorum à Pontifice Romano coronam accepit *d* 3. 4.
Leo Imperator Constantinop. ob ejus negligentiam Papa Caroli M. auxilium imploravit *d* 62.
Leodegarius Augustodunensis Episcopus *b* 410. *n.*
Leontii varii *a* 531.
——— Arelatensis, Ruricii Epistola adeum *a* 401. & ib. *n.*
——— ejus mors *a* 379.
Leontii Byzantini duo *a* 532.
Leontius Byzantinus quis fuerit *a* 529. 530. 533. Ejus Scripta anecdota 530. 531. quo tempore scripserit 533. ejus eruditio qualis fuerit 534. ejus errores & dogmata 534.
——— ——— unde Hierosolymitanus vocatus *a* 529.
——— ——— an Origeni addictus fuerit *a* 529.
——— ——— olim Nestorianus fuit *a* 575.
——— ——— quare de Concilio Quinto tacuerit *a* 533.
——— ——— ejus Dubitationes hypotheticæ *a* 624.
——— ——— ejus Liber de fraudibus Apolinaristarum *a* 597.
——— ——— ejus Solutiones Argumentationum Severi *a* 611. seq.
——— ——— ejus Libri tres contra Eutychianos & Nestorianos *a* 525.
Leontius Cyprius cujus urbis fuerit Episcopus *a* 743. quo ævo vixerit ibid. ejus Scripta 747.
——— ——— alius fuit ac Byzantinus *a* 532.
——— ——— ejus Fragmentum contra Hebræos *a* 793.
Leontius Forojulienfis a 401. *n.* ei Concilia Gallicana convocandi jus concessit Leo M. ib.
Leontius Origenista plane alius à Leontio Byzantino *a* 529. *n.* 531. 532.
Leovigildus Rex Gothorum in Hispania Arianus *c* 229.
Leovigildus Rex citerioris Hispaniæ *a* 337. seq.
——— Arianus suam religionem Catholicam appellat *a* 339. *n.*
Lepra malam Doctrinam in fide aut moribus significat *d* 606.
Lesbia Regula *d* 572.
Letania major ubi & à quo instituta *bbb* 119. *Vide plura* in Litania.
Lethiferum pro eo quod mortem aufert usurpatum *a* 759.
Levitæ in V. T. possessiones habebant *d* 717.
Levitarum officium *c* 399.
Lex æterna quid sit *d* 644.
——— ——— ab ea derivatur Lex naturæ *d* 569.
Legis genus triplex Naturalis, Scripta & Spiritualis *d* 307.
Lex divina quotuplex *d* 44.
Lex humana quid sit *d* 569. ejus necessitas ibid. ex lege naturæ derivari debet ibid.
——— qualis esse debeat *d* 570.
Lex accommodari debet hominibus *d* 570. ea tantum debet prohiberi à quibus facile abstineri potest, & quæ cedant societati damno ibid.
Leges summarum Potestatum haud sunt validæ nisi quantum à Pontifice sunt confirmatæ *d* 679.
——— quæ contra leges fiunt pro infectis habendâ *c* 382.
Lex naturæ quid sit *d* 569.
Lege naturæ quosdam Gentiles fuisse ante Christi adventum salvatos *a* 354. 355.
Lex Moysis fuit tantum temporaria *d* 308. Evangelica est æterna ibid.
Legem Veterem ab alio Deo, Novam itidem ab alio datam esse, Marcionitæ & Manichæi docuerunt *c* 286.
Legem & Prophetas nequitiæ tribuunt Manichæi *a* 136. & ib. *n.*
Legem Mosaicam Christiani non contemnunt *d* 264.




Digitized by Google

Lex umbra futurorum bonorum *a* 157.
— extra Hierosolymam non potest observari *bbb* 34.
— sine ea Christus non recipitur *a* 140.
— velut bajula & Nutrix Christi Ecclesiæ fuit *c* 296.
Legis finis Christus, quomodo *c* 298.
Legis & Prophetarum curam Christus habuit *a* 140.
Legem & Prophetas divinæ esse originis ostenditur *a* 144. 146.
Legem & Prophetas qui Hæretici impugnarint *a* 142. 143. 144.
Lex quare hæreticis exosa *a* 151.
Legis sanctitas vindicatur *a* 147. 148.
Lex sub Evangelio immutata, non mutata *c* 299.
Legis & Evangelii convenientia *a* 152. 153.
Lex ramos malitiæ, Gratia vero & radices evellit *c* 299.
Legis velamen non est in scriptione, sed in mente hominum *d* 263.
Legis mandata quare Apostoli adhuc interdum observarint *c* 303. 304.
Legalia quædam ab Apostolis pro statu Ecclesiæ vel observata vel abrogata *d* 75. 77.
Libana Provincia in Hispania *b* 290.
Liberati narratio de Virgilio & Sylverio Papis Rom. *a* 331. *n.*
Liberius Episcopus Romanus ab Arianis in exilium pulsus *a* 292. & ib. *n.*
Libertas hominis asseritur *a* 47. 97.
——— qui eam asserunt difficultate premuntur, quare Deus, illam, abusum ejus prævidens, homini dederit *a* 96. *n.*
Libertas & cum ipsa conjuncta peccabilitas beneficium est *a* 99.
Libertas arbitrii à Didymo aliisque asseritur *a* 199.
Liberum arbitrium asseritur *a* 202.
——— ——— post lapsum non penitus est extinctum *a* 354.
Libertas major in V. T. quare permissa *c* 297.
Liberorum procreationem reprehendunt & impediunt Manichæi *a* 112. 130. & *n.*
Libido quid sit *d* 418.
Libido & superbia, iis maxime tentantur homines *bb* 159.
Libisticum carmine celebratum *bb* 270.
Libri nulli alii in Ecclesia legantur nisi Novi & Veteris Testam. *b* 272. LVIII.
Librorum Canonicorum & Apocryphorum judex est Ecclesia *d* 516.
——— Canonicorum auctoritas pendet ex testimonio Ecclesiæ ibid.
Libri Apocryphi Novi Testamenti qui *d* 516.
Licita olim in Ecclesia illicita recte fieri possunt *d* 550.
Ligandi & solvendi auctoritas triplex *d* 684.
Ligna & fontes à Germanis olim culta *b* 241. *n.*
Lignum perpetuo viride miraculo S. Brigidæ factum *a* 417.
Lilium carmine celebratum *bb* 270.
Limbus, animarum receptaculum *d* 48.
Linguæ fructus *bb* 37.
Lingua intelligibili & auditoribus nota veritas doceri debet *a* 446.
Linguarum confusio *a* 786.
——— ——— quot Linguas dederit *b* 155.
Linguarum donum in Apostolis *a* 784. 791.
Lingua Latina in confitendo Christo ex novissima facta est prima, terrenam & cœlestem potestatem ferro & fide sibi defendens usque ad adventum Antichristi *c* 305.
Linus & Cletus Urbis Episcopi à Petro ordinati *bbb* 147.
——— ——— à B. Petro Romæ simul constituti *d* 649
Lioba fœmina religiosa Abbatissa à S. Bonifacio constituta in Bischofsmhas *c* 349.
Lipharius Monachus, Walafridi versus ad eum *bb* 253.
Liptinensis Synodus à S. Bonifacio celebrata *c* 353.
Livinenses Monachi laudantur *b* 398. *n.*
Litania septena à Gregorio M. qua de causa instituta *bbb* 257.
Litaniæ Hartmanni *bbb* 192. Ratperti 199.
——— Notkeri *bbb* 202.
Litera quid *b* 504.
——— earum distinctio ibid.
Litera SS. cortex, intellectus medulla est *b* 320.
Literalis sensus SS. in multis locum non habet *d* 713. 720. 721.
Litteris ut instituantur Teutonici, Wiponis consilium ad Henricum III. 167.
Litterarum Sæcularium studium à Gregorio M. in Desiderio Viennensi reprehensum *bbb* 3.
——— earum oblivio quanta mala pepererit in Anglia *b* 389. & ib. *n.*
Litterarum usus in Musicis *bbb* 198.
Literæ commendatitiæ, absq. iis nemo suscipiatur *b* 266. XIII.
Literæ confraternitatum & Confessionales sunt licitæ & utiles *d* 603.
——— à Taboritis fuere notatæ *d* 454. 455.
Literæ formatæ à Sixto Papa ordinatæ *bbb* 113. 114.
——— eædem sunt ac Canonicæ *b* 271.
——— absq. iis Clericus non proficiscatur *b* 271. XL.
Liudgarda Caroli M. uxor quando defuncta *b* 415. *n.* ab Alcuino filia vocatur *b* 435. & ib. *n.* 446. & ib. *n.*
Locus quid sit *bb* 14.
Locustarum greges per Germaniam *c* 251.
Locustæ Apoc. 9. quid significent *b* 319.
Logicæ partes juxta Alcuinum *b* 489.
Λόγος & ῥῆμα quomodo distincta *d* 399.
Logomachiæ Theologorum *b* 288.
Londoniæ & Eboraci Episcopi Metropolitani à Gregorio M. constituti *cc* 242.
le Long laudatus *b* 27.
Longobordorum origo & nomen unde *b* 210. reges & res gestæ 211.
Longobardi quando Italiam ingressi *c* 227.
——— à Carolo M. victi *c* 242.
——— eorum lex circa viduas *bb* 369.
——— caput capræ obtulerunt Diabolo *b* 91.
Lotharius quot annis imperarit *bb* 356. 357.
Lotharii II. Junioris gesta *c* 249. a Papa excommunicatur 250. ejus mors ibid.
Lotharius (Clotharius) Rex Metensis Sigebertum vincit *a* 658.
Lotharius Galliæ Rex à Theodeberto & Theodorico fratribus victus *c* 230.
Lotharius Rex Francorum conjux primus Adelhaidis *c* 73. à Berengario veneno sublatus 74. *n.*
Lotharius Rex Francorum quando mortuus *c* 233.
Lotharii, Ludovici pii filii gesta *cc* 251.
——— Imperator quando factus *c* 247. à fratribus Carolo & Ludovico victus ibid.
——— ——— Imperio se abdicat & fit Monachus Prumiensis *c* 249.
Lotharii II. Imperatoris mors *cc* 557.
Lothi ebrietas *a* 756.
Lotio virorum cum mulieribus interdicta *b* 271. XXX.
Lucas Evangelista Virgo *a* 72.
Lucas & Cleophas duo discipuli Emauntici *b* 120.
S. Lucas ubi sepultus *b* 114. 120.
S. Lucia Virgo *a* 743.
Lucidi Presbyteri Epistola errorum revocatoria *a* 354.
Lucifer quarto die creatus *bbb* 23.
Luciferi nomen bonorum affluentiam indicat *a* 91.
Lucretius poëta quo tempore vixerit *a* 272.
Lucullus primus Imperator appellatus *b* 173.
*Ludi puerorum* prohibiti *d* 90. quales fuerint ibid. *n.*
Ludovicus Pius *c* 244. 245. inter filios Regnum *dividit ibid.* filiorum ejus dissensiones ab ipso 246. capitur ab ipsis ibid. ejus mors 247.
——— ejus corporis robur *bbb* 83. ejus justitiæ amor 84. Eleemosynæ & liberalitas ibid.
——— gesta ipsius cum filiis *cc* 251.
——— Ejus laus *bb* 229. in ejus filias versus Walafridi *bb* 231. 232.
——— Elogium *bb* 72. 75.
Ludovicus, Ludovicii pii filius, ejus contra Patrem & fratrem Lotharium gesta *c* 246.
Ludovicus Balbus Galliæ Rex *c* 252. ejus mors ibid.
Ludovicus III. Galliæ Rex, ejus mors *c* 253.
Ludovicus junior Germaniæ Rex, ejus mors *c* 252.
——— quomodo ejus filii Regnum diviserint ib.
Ludovicus II. Imperator & Rex Italiæ ejus mors *c* 251.
Ludovici IV. Imperatoris mors *c* 257.
Ludovicus Germanicus Caroli M. nepos, de eo Caroli M. præsagium *bbb* 76. 77. ejus mors ibid.
Ludovicus Rex Galliæ secundæ stirpis querelas suas contra Hugonem comitem Parisiensem ad Synodum Engilenheimensem fert *c* 9.
Ludovicus Bosonis filius Imperator coronatus & mox à Berengario captus excœcatus *cc* 253.
——— Ludovici S. expeditio S. *d* 438. seq.
——— à Saracenis fuit captus *d* 188. ejus expeditio S. ultima 201.
Ludovicus Thuringiæ Landgravius S. Elisabetham uxorem ducit *d* 122. ejus virtutes 127. mores 128. expeditionem S. cum Friderico I. suscipit 131. in qua obiit 133.


Lugdu-

Digitized by Google

Lugdunenſe Concilium ſub Papa Gregorio XIII. *d* 200. aliud 202. 217.
Lugdunenſe Concilium Oecumenicum fuit. *d* 388.
Luidgardis Caroli M. conjux *b* 477. quando defuncta *c* 243.
Luiticenſes qualis populus *c* 56. & ib. *n*.
Lullus Archiep. Mogunt. Bonifacii Succeſſor *c* 241.
—— à S. Bonifacio Succeſſor in Epiſcopatu Mog. conſtitutus *b* 245. *c* 241. 356. 364.
—— Trithemii de eo teſtimonium *b* 231.
Luitolfus filius Ottonis I. Dux Alemanniæ ab ipſo conſtituitur *c* 259. ejus geſta & mors ibid. & 260.
*Lumbi præcincti & lucernæ ardentes* quid ſignificent *a* 889.
Luna creſcens & decreſcens unde, ex Manichæorum ſententia *a* 69.
S. Lupus quis fuerit *b* 439. *n*.
Lupus Epiſcopus Tricaſſinus, Ruricii ad eum Epiſt. *a* 377.
Luporum deſcriptio & cum Hæreticis comparatio *b* 352.
Lutherus inconſtantiæ & contradictionis erga ſe ipſum arguitur *a* 599.
Lutherani arguuntur Incarnationis Myſterium reipſa negare *bb* 6.
Luxuriæ vitium *a* 756. ſeq. *bb* 98.
—— ejus remedium *bb* 99.
Lyra (*Nicolaus de*) laudatus *d* 501. 502.

M.

Mabillonius circa Rabanum non-Stercoraniſtam confutatus *bb* 288. ſeq.
Macarii Chryſocephali locus reſtitutus *a* 766.
Macedonii hæreſis quæ *bb* 386. 387. *d* 41. 45.
—— —— quæ & quando orta *a* 291. 292. *n*.
—— ejus error qualis *bbb* 50.
Macedoniæ Reges *b* 164.
Machabæorum liber I. de eo verſus Walafridi *bb* 230.
Machmit Idolum fictitium *cc* 102. 111.
Maffei (Scip.) Epiſtola ad Jac. Baſnagium de Chryſoſtomi Epiſtola ad Cæſarium *a* 228.
Magdala vicus Lazari *b* 119.
Magdalum caſtellum, unde Maria Magdalena fuit *d* 13.
Magdeburgum in Archiepiſcopatum ab Ottone I. erectum *c* 261.
Mageddo mons & campus *d* 14.
Magenharius Comes, quis fuerit *b* 438. *n*.
Magicæ artes prohibitæ *bb* 366.
Magicarum artium exercitium qua pœnitentia expiandum *bb* 310.
Magi Chriſtum adorantes qui fuerint *bbb* 91.
Magorum adventus ad Chriſtum *bbb* 19.
—— —— quando factus *c* 26. 34.
Magorum corpora Coloniam tranſlata *d* 175.
Magiſtratui etiam infideli, quia à Deo, eſt obediendum *d* 586. 587.
S. Magnus aut Magnoaldus quis fuerit *a* 652. 654.
S Magni Vita *a* 652. quis ejus auctor *a* 654.
S. Magnoaaldus Columbum in eremum ſequitur *a* 655.
—— Magnus à Columbano vocatur *a* 656. 659. 665.
—— a Joanne Conſtantienſi Epiſcopo Diaconus ordinatur *a* 661.
—— Cambuttam S. Columbani ex Italia ad S. Gallum adfert *a* 661. 662.
—— ad Fauces prope fontes alpium Juliarum abit *a* 666. ibi oratorium conſtruit 668. venas ferri invenit 670.
—— cœcum illuminat *a* 664. Campidonam ſerpentibus purgat ib. Draconem interficit 667.
—— ejus obitus *a* 671.
—— Raperti de eo verſus *bbb* 205. 207.
Maguſæi qui *a* 580. & ib. *n*.
Maguſeus ſive Smerdes magus *a* 248. & *n*.
Mahometes à Sergio Monacho Neſtoriano ſeductus *d* 434. 440. quo tempore ſectæ Auctor eſſe cœperit 440. ejus geſta ibid. veneno interiit 442.
Mahometes *d* 340. fabula de ejus ſepulchro 340. 341.
Mahometana religio ſummatim tradita *d* 441. 442.
*Maicampus* quid ſit *b* 476. *n*.
Maicampus Caroli deſcriptus *b* 476.
Majorum inſtituta, quibus in rebus vim legis obtineant *c* 400.
*Majuma* Romanorum feſtum unde dictum & quale fuerit *b* 476. *n*.
Mala quæ in Republica ſunt toleranda *d* 571.
Malarum mentium indoles *c* 372.
Maleficis quare interdum pœnam effugere detur *a* 104.
Mali quomodo in Eccleſia *d* 513. per fidem ibi vivunt ibid.
Mali & boni in Eccleſia ſunt permixti *d* 510. 511.
Mali, ob eos non deſerenda Eccleſia *d* 577. 594. ſunt tolerandi ob pacem ibid. & quia utiles bonis 579.
Mali, quin & peſſimi tamen quaſdam virtutes poſſident *a* 88. 89. 99.
Mali & boni poteſtas non abſq. illorum cognitione in homine eſt *a* 98.
Malos qui percutit ob id quod ſunt mali, & habet vaſa interfectionis, miniſter Domini eſt *d* 573.
Malo Prælato debetur honor quamdiu ab Eccleſia toleratur *d* 585.
Mali definitio ſecundum Manichæos *a* 61.
Malum nihil eſt ſecundum ſubſtantiam *a* 94.
—— ſine bono eſſe nequit *b* 346.
—— ejus origo vel circa ſanctitatem vel circa providentiam Dei in errores homines conjicit *a* 60.
*Mallus* aut *Mallum* quid ſit *b* 426. *n*.
Mammæa Alexandri Severi Mater Chriſtiana fuiſſe creditur *a* 5. ad eam Origenes Epiſtolam ſcripſit *a* 8.
S. Mammæ vita carmine à Walafrido ſcripta *bb* 186. ſeq.
S. Mammetis martyrium *bbb* 153.
Mamercus Viennenſis in confutanda Fauſti de animabus ſententia eadem methodo ac Carteſius uſus eſt *a* 347.
Manaſſes Dei miſericordiæ exemplum inſigne *a* 495.
Manaſſis Regis captivitas & liberatio *a* 495. & ib. *n* & 446. *n*. 514. *n*.
Mandare idem quandoque ac rogare *d* 676.
Mandatum & Præceptum quomodo differant *d* 641.
Mandatum Chriſti non omne obligat *d* 631. 675.
Manducatio Sacramenti triplex, corporalis, ſacramentalis & ſpiritualis *d* 487.
Manducationis ſpiritualis & Sacramentalis differentia *d* 533.
Manducatio Sacramentalis non eſt de neceſſitate ſalutis *d* 774.
Manes quando hæreſin ſparſerit *a* 288. & ib. *n*.
Manetis vocis etymologia *a* 38. 60. *n*.
Manes & Scythianus falſo pro uno eodemq. homine à Theodoreto & Suida habiti *a* 38.
Manes Paracletum ſe prædicabat *a* 41. 136.
Manetis fragmentum ex Epiſtola ad Conarum Saracenum, quo Chriſto corpus phantaſticum tribuit *b* 254.
Manfredus Friderici II. nothus Principatum Siciliæ tenens *d* 190. occiſus 198.
Manichæorum dogmata *a* 288. & ib. *n*.
—— ſententia de duobus Principiis cæteraq. dogmata expoſita *a* 40. 41. quid de Chriſto ſenſerint ibid.
Manichæi Chriſtum aſſumtum corpus in ſole poſuiſſe nudumq. Deum aſcendiſſe ſentiebant *a* 189.
—— eorum perverſa fides *b* 339. cum Elipando comparatio ibid.
—— blaſphemiæ in Deum *a* 82. 83.
—— eorum errores quibus argumentis à Serapione confutentur *a* 41. 42.
—— omnia adorant *a* 147.
—— conjugium damnarunt *b* 353.
—— brutorum mactationem improbant *a* 132.
—— lapides & ligna animata credebant *a* 131.
—— quare die Dominica jejunarint *d* 551. ſanguinem Chriſti ex calice haurire quare declinarint ibid.
Manichæi à Leone M. Roma exturbati *a* 304.
Manichæi quidam ab Henrico III. Goſlariæ ſuſpenſi *c* 272.
Mannæ ſapor multiplex *b* 336.
Manuum ablutio ante perceptionem Euchariſtiæ *a* 469.
Manus impoſitio Sacramentum eſt baptiſmo majus *c* 401.
Manuum Impoſitio, ad eam, non per eam dabatur Spiritus S. *b* 300.
Manuum impoſitio ad reconciliandos pœnitentes *bb* 107.
Marcellinus Papa an in Idololatriam lapſus *bb* 325. *n*.
—— idolis ſacrificavit *cc* 229.
Marchiones unde dicti *c* 363. *n*.
Marchiones Auſtriæ, Styriæ, Iſtriæ, Cambenſis, evocati olim ad celebrationem Curiæ Ducis Bavariæ veniebant *d* 173.
Marci Evangelium Latine ſcriptum *d* 443.
—— ejus Martyrium *bb* 325.
—— Liturgia ſub ejus nomine citata *bbb* 49.
Marcianus Hæreticus Evangelium Petri circumfert *a* 40.
Marcion quo tempore hæreſin ſparſerit *a* 281.
—— quare *nauclerus* à Tertulliano appellatus ſit *c* 279.
Marcus in Ægypto docuit *b* 5.
—— ſibi pollicis partem abſcidit ne celebrare poſſet *d* 659.
Marcus Monachorum vitam inſtituiſſe apud Alexandriam traditur *d* 724.



Digitized by Google

Marcus primus ex Gentibus Hierosolymorum Episcopus constitutus *a* 281.
Mare sensu Prophetico quid denotet *b* 352.
Maris mediterranei descriptio *d* 337.
Mare mortuum, ejus descriptio *d* 16.
Maris rubri latitudo ubi Populus Israel transiit *d* 343. ejus appellatio unde ibid. & in *n*.
Mare Tiberiadis, ejus descriptio *d* 354. 355.
S. Maria Virgo permansit *a* 386. 742.
——— non obstante partu Virgo permansit *a* 563. 565.
——— ejus Genealogia, eamque esse ex stirpe Davidis ostenditur *d* 296. 297.
——— quot annis vixerit *c* 27. 29. 35. quo anno assumta ibid. in Domo Joannis Apostoli, 11. annis habitavit ibid. ejus Mater quæ fuerit 18.
——— à Petro & Joanne fuit baptizata *c* 29.
——— an ἀνθρωποτόκος, an Θεοτόκος dicenda *a* 589.
——— Dei Mater dici debet *b* 66.
——— Deipara dicenda *b* 84. 85.
——— mater omnipotentiæ, sapientiæ & clementiæ vocata *d* 460. 657.
——— preces ad eam *bb* 227.
——— Walafridi de ea carmen *bb* 255.
S. Mariæ corpus ab angelis assumtum *b* 112. 120.
B. Mariæ assumptio *bbb* 167.
B. Mariæ sepulchrum *d* 351. ejus corpus raptum ab Angelis traditur ibid. *n*.
B. Mariæ sepulchrum ubi *d* 18. 623.
Maria soror Mosis, ejus exclusio ex castris septem diebus Sacerdotis labentis exclusionem 7. annis à sacerdotio figurat *bb* 148. 302.
Marianæ de Elipando & Felice narratio *b* 281. seq.
Mariti corruptarum ne ordinentur *b* 267. XVIII.
Marmor aquam stillans *d* 350.
Maronitæ Palæstinæ Secta qualis *d* 434.
Marrubium carmine descriptum *bb* 269.
Martialis fictus Burdegalensium & Lemovicensium Episcopus *a* 371.
Martinus Turonensis quo tempore claruerit *a* 295. 184.
S. Martinus Virgo *a* 725.
S. Martini sepulchrum à Carolo M. frequentatum *b* 404. *n*.
S. Martini Corpus ab Ottone Imperatore clanculum Turonis avectum, Salisburgum transfertur *cc* 311. 423.
Martini IV. Papæ mors quo die contigerit *d* 207. ejus miracula cessasse quomodo dici potuerit ibid. *n*.
Martinus Abbas Parisiensis celebris Crucis Prædicator *d* I. VI. ejus Oratio Basileæ ibid. Turonensi comparatur VII. Reliquias Constantinopoli prædatur XVI. Basileam redit XX. quas Reliquias eodem attulerit XXI.
Martis stella toto anno in cœlo non visa *b* 401. & ib. *n*.
Marthomas Nestorianus ad Indos missus *c* 25. dedit ansam fabulæ de Thoma Apostolo Indorum ibid.
Martyrii cupido ex causa triplici *d* 508.
Martyrii duo genera passio & compassio *b* 311.
Martyrium sine aperta passione esse potest *b* 89. 90.
*Martyrizare* pro *suppliciis afficere* usurpatum *b* 113. & ib. *n*.
Martyrologium Rhabani *bb* 313.
Martyrum passiones possunt legi in eorum anniversariis *b* 275. XIII.
Martyrum sedes *bb* 214.
——— natalitia in Quadragesima non celebranda, Canon Synodi Laodic. *c* 312.
——— gesta colligere jussit Fabianus Papa *bbb* 92.
——— gesta in Ecclesia Romana non leguntur *c* 400.
*Martyrum & Sanctorum nomina ordine alphatatico invenies c* 501. seqq.
Materia, quid de ea senserint Manichæi *a* 68.
Matthæus etiam Levi vocatus, quare *bbb* 148.
Matthæi Evangelium Hebraice scriptum *d* 443.
Matthæi Evangelium Hebraicum Pantænus Alexandriam retulit *bbb* 150.
Matthias Apostolus, unus de LXX. Discipulis *bb* 262.
Matthias Hunniades Rex Hungariæ, ejus bellum contra socerum Georgium Pogiebrac Regem Bohemiæ *d* 465.
Mathildis Henricum IV. prohibet Italiam ingredi *cc* 10.
Mathildis Bonifacii Marchionis Italici filia, Gwelfonis V. conjux *cc* 583. ab ipso repudiata ibid.
Matrimonium ex lege Ecclesiæ non permissum est intra quintam lineam consanguinitatis *d* 560. 599.
Matutinarum officium quare institutum *bb* 41.
Mauritii Imperatoris cædes *bbb* 262.
Maximiliani Laureacensis Episcopi martyrium quam varia de eo referantur *cc* 265. ubi sepultus 463.
S. Mechtildis vita ab Engelhardo conscripta *cc* 527. fuit illustri prosapia 532. fit Abbatissa in Oetilstetten 534. semel carnem comedit, vinum bibit & risit 544. 545.
Mediolanensis Ecclesiæ à Romana secessus *bb* 358.
Mediolanum à Friderico I. destructum *cc* 260.
Meginfredi de Vita D. Emmerammi liber *c* 86.
Meginfredus quis fuerit *c* 87.
Megingozus quis fuerit *b* 231.
Mel in Sacrificio non offeratur *b* 266. III.
Melchisedech quomodo sine parentibus, initio & fine *c* 298. 299.
——— fuit figura Christi *b* 323.
Memoriale D. Bernardi Abbatis Sangallensis *bbb* 225.
Memphis quæ nunc Damiata *d* 25.
Menæorum & Menologiorum differentia *c* 410.
Menologium Græcorum *c* 409.
——— Basilii junioris 410. duo alia ibid.
Mentis visio duplex *bb* 477.
Mentium malarum indoles *c* 372.
Mensa mons Palæstinæ *d* 12. 13.
Mensuram suam unusquisque excedere non debet *b* 370.
Mentha carmine descripta *bb* 271.
Mercatoris (Isidori) mala fides in vertendo Canone XXXV. Concilii Laodiceni *b* 272. *n*.
Mercurius sub nomine Theut vel Dith à Germanis cultus *a* 773.
Meretrices in Armenia fuere uxores defunctorum Sacerdotum *d* 25.
Meretrices quomodo recte tolerentur Ægidius Carler in Concilio Basileensi ostendit *d* 457. 458.
Meretrices in Republica tolerandæ *d* 570. qua ratione sint tractandæ 571. 572.
Meritum in opere salutis nullum *a* 353.
Merovei nativitas *b* 197.
Meroveus Chilperici filius, ejus res & fata *b* 213.
Merseburgensis Episcopatus sublatus & in Abbatiam mutatus *cc* 28. à S. Henrico restituitur ibid.
Mersio una in baptismo rejecta *b* 444.
Mersio trina, an ad unamquamque Trinitas invocanda ibid.
Messias ut Deus à Prophetis indicatur *bbb* 14.
Μετάνοια pro capitis inclinatione Græcis recentioribus usurpata *a* 472.
Metaphora in SS. quid sit *bb* 277.
Metelli Tegerseensis Quirinalia in laudem S. Quirini *cc* 113.
Metellus Quirinalium Scriptor quando vixerit *cc* 115.
Metropolitani, Patriarchæ olim sic vocati *a* 633. 640. *n*.
Metropolitanus quomodo sit eligendus *c* 379.
Metus quid sit *d* 418.
Michael Archangelus, Walafridi de eo carmen *bb* 255.
——— S. Bonifacio apparuit *c* 348.
Michael Cerularius Patriarcha Constantinopol. Photii Successor, ejus vestigia contra Latinos secutus *d* 50.
——— ejus Epistola contra azymas, aliasque consuetudines Ecclesiæ Latinæ *c* 281.
——— ejus Acta contra Pontif. Rom. *c* 279.
——— à Legatis Romanæ sedis Constantinopoli excommunicatur *c* 325.
Michael Patriarcha Constantinopol. à Leone IX. excommunicatus traditur *d* 80.
Michael Bulgarorum Rex aut Princeps quis fuerit *bb* 376. 382.
Michelveld Monasterium à S. Ottone fundatum *cc* 47.
Migentius Quartodecimanorum errorem in Hispania renovat *b* 286.
Migetianorum hæresis ab Elipando emendata *b* 211. & ib. *n*.
Milites in Monasteriis suscipi Mauritius Imp. lege prohibuit *b* 87.
Milites Thebæi velut Martyres apud Agaunienses celebrantur *b* 459. 460.
Militia & dignitates sæculares Clero interdictæ *bb* 117.
Miracula missionis divinæ argumentum sunt *d* 700.
Miracula non sunt miracula si rerum natura immutatur *a* 564.
Miracula requirere pars incredulitatis est *b* 364.
Miracula quare cessarint *d* 702.
Miracula in morte Christi eum plus quam hominem fuisse indicant *a* 461.
Miracula in S. Brigide & ab ipsa facta *a* 414. & ib. *n*. 417. seq.
——— S. Columbæ *a* 689. seq.




Digitized by Google

Miracula S. Willibrordi *b* 465. seq.
Miraculum pluviæ cineritiæ in Theopaschitas *a* 327.
Miraculum aquæ evanescentis Episcopo Ariana formula baptizanti *a* 336.
Mirmumnum nomen Regum Sarracenorum *b* 114. & ibid. *n*.
Miser qui dicatur *d* 407.
Misericordia quid sit *d* 418.
—— severitatem consequatur *a* 406.
—— injusta quæ? *c* 375.
Missæ, quæ circa eas observanda *c* 397. 399.
Missarum necessitas & utilitas major quam prædicationis *d* 706.
Missarum celebratio quotidie facienda *bb* 361.
—— quibus de causis quotidie celebranda *d* 664.
—— non est celebranda ante horam diei tertiam *c* 399. in iis fiat deprecatio pro defunctorum spiritibus ibid.
Missas facere nullus audeat post cibum potumve *c* 399.
Missas plures ab uno Sacerdote eadem die dici posse in Concilio Basil. statuit Henricus Kalteisen. *d* 459.
Missas pro hæreticis facere si Monachus jubeatur, non licet ipsi obedire *c* 407.
Missas offerre pro malo homine est Deo blasphemiam facere *c* 399.
Missam Presbyter non celebret absque amictu, alba stola, fanone & casula *c* 397.
Missæ ritus *a* 474. *b* 320. 322. 323.
—— quales apud Græcos *c* 302.
Missa perfecta & imperfecta quibus diebus fiant, juxta Græcos *c* 320.
Missæ diei dominicæ quare hora tertia celebrari solitæ *c* 320.
Missas etiam nocte nativitatis Christi celebrari Papa Thelesphorus instituit *c* 320.
Missæ, Bohemorum fratrum circa eam mutationes *d* 763.
Missales Libri *c* 319.
Missantes plures esse debent quam prædicantes *d* 664.
Missantium multitudo & prædicantium paucitas ab Orphanis notata *d* 455.
Missi à Deo esse qui contendunt id debent probare aut per Scripturam, aut per miracula *d* 652. 654.
Missio sive divina s. humana ad prædicandum necessaria *d* 648. 649. 654. tria importat 656.
Mitra turbinata quid sit, *d* 174. *n*.
Mixtionis nomen à Patribus in mysterio Incarnationis rejectum *b* 255.
Modoinus quis fuerit *bb* 60.
—— Walafridi versus ad eum *bb* 299.
Modoini Responsio ad Theodulphum *bb* 69.
Moguntia à quibus condita *d* 263. ab Hunnis deleta ibid. a Francorum Regibus restituta ibid. fit Metropolis 164. *c* 356.
Moguntia à Friderico I. ob occisum Episcopum pessime mulctata *cc* 260.
Moguntiacus pons à Carolo M. exstructus incendio deletus *c* 244.
Molani Catalogus Scriptorum contra Judæos *d* 816.
Monachi nulli tertio sæculo, nec eorum nomen tunc notum *bb* 347 *n*.
Monachi ad militiam lege Valentis Imperatoris coacti *b* 181.
—— quiete in Monasteriis suis agant *c* 314.
—— sine licentia Abbatis extra claustra non prodeant *c* 314.
Monachorum vita qualis esse debeat *b* 397.
Monachalis vitæ felicitas *b* 408.
Monachorum virtutes quæ esse debeant *b*. 411.
—— officia *b* 408. 409.
—— eorum officium non est docere, sed lugere *d*. 651. 653.
Monachorum Græcorum gulositas & voracitas *d* 65.
Monachorum ossores castigantur *c* 354. 356.
Monachi vagantes coercendi *bb* 366.
Monachus puerorum corruptor quomodo puniendus *bb* 150.
Monachi S. Salvatoris qui *b* 414. *n*.
Monachis ob levem ægritudinem carnibus vescendi licentia apud Latinos datur *d* 63.
Monachi Græci duodecim ob Sacramentum Latinorum conviciis proscissum exusti *d* 50.
Monasteriorum mos moriente fratre aliquo *a* 479.
Monasteria Episcopis subjecta partem maximam destructa *c*. 355.
Monasteriorum restauratio Episcopis injuncta *bb* 364.
Monasteriorum & Monachorum inspectio Episcopis injuncta *c* 12.
Monasterii pueri qui *b* 454. *n*.
Monasterium Beneventanum à quo conditum *cc* 29.
Monialis nulla recipi debet nisi virginitate ejus ante probata *bbb*. 147.
Monostichon carmen quid sit *a* 773. an Monostichi auctor Columbanus ibid.
Monothelitæ Synodo sexta damnati *c*. 319.
Montanistarum origo & dogmata *a* 282. 283. & ibid. *n*
Montes præcipui *b* 159.
Morborum utilitas *a* 120.
Morbus & sanitas quare justis injustisque æque detur *a* 103. 104.
Morbus ἀλφὸς dictus, qualis sit *a* 173.
Mores, varia præceptæ circa eos *bb* 402. seq.
Mores cleri moribus sæcularium debent esse dissimiles *b* 402.
Moria mons *d* 17. 18.
Mors naturæ non est mala *a* 107. 109. ea sententia est periculosa ibid. *n*.
—— ab ea Morte Christi liberati sunt homines *a* 458. 459.
Mors per fenestras corporis ad animam penetrat *a* 380.
Mors homini non infligenda nisi ex justa causa justo ordine, justoque animo, *d* 580.
Mors liberorum æquo animo ferenda *a* 381. 382. 383. 400.
Mortis metus an in Christo fuerit *a* 580.
Mortis Christi necessitas *a* 458.
Mortis in primitiis à Christo resuscitatis sublatio arrabo est ablationis ejusdem in omnibus fidelibus tempore præfinito *a* 463.
Mortis æternæ descriptio *a* 357.
Morte afficere Christiano Magistratui quoque licet *d* 572. 573. 604. 605.
Morticinia, eis Christiano absque extrema necessitate vesci non licet *c* 303.
Mortui quorum Christus est Dominus non sunt mortui sed viventes *a* 463.
Mortui, preces pro iis, quibus in rebus utiles *b* 406.
—— pro mortuis non nisi Christianis Catholicis Sacerdos intercedat *c* 350.
Mortuis Eucharistia & baptisma ne detur *b* 274. XIX.
Mortui à Latinis sepeliuntur manibus in modum crucis haud dispositis sed deorsum missis *d* 67.
Mortuum resuscitat S. Columba a 692.
Moses typus Christi *d* 282. 283.
—— Trinitatem cognitam habuit *d* 267. 444.
—— occidendo Ægyptium peccavit *d* 574. quare ibid.
Moysis sepulchrum ubi *a* 358. 359. & ibid. *n*.
Moysis figura petræ impressa *d* 344.
Moses & Elias Legem & Prophetas figurarunt in transfiguratione *a* 140.
Moyses eremita Sarracenorum genti Episcopus datus *b* 121.
Motus septem species *b* 256.
Mulier gravida ante partum tres menses à viro abstineat, post partum 40. diebus & noctibus *bb* 113.
Mulieres partum abigentes quot annis pœnitere debeant *bb*. 110. 123. 124. 299.
Mulier quæ duobus fratribus nupserit, quod de ea statuendum *bb* 112.
Mulieres Sacrarium non introeant *bb* 117. nec altaribus ministrent ibid.
Mulierem sororem circumducere quid sit Latinis *c* 322.
Mulieres quasi pro divino cultu non tondeantur *b* 269. XVII.
*Multi* pro *omnibus* *a* 460.
Multinubi pœnitere debent *b* 269. III.
Mummolus Patricius ejus contra Longobardos strenue gesta *b* 211. contra Chlodoveum 213. ejus mors 216.
Mundus quo die conditus *c* 40.
—— eum æternum dicere impium est *bb* 467.
—— septem æonibus à Deo est fundatus *c* 40.
Mundi Gubernatio sapiens *a* 128.
Mundi status septem ætatibus descriptus *d*. 301. 321.
Mundi ætates *c* 194. 195.
Mundi finis Gregorio M. quasi proxima credita *b* 87.
*Munerba* quid sit *b* 113. & ibid. *n*.
Murciphlus parricida Alexii IV. *d* XIII. ab Alexio III. excœcatus XVIII. à Latinis quo mortis genere adfectus ibid.



Digitized by Google

Muſica beatorum *bb* 37.
Muſicæ virtus & efficacia *cc* 564.
Muſicales ſex voces qua occaſione à Pythagora obſervati *cc* 565.
Mutabilitas propria eſt creaturæ *a* 540.
*Mutare vocem* Gal. 4: 19. quid ſignificet *b* 374.
Mutatio loci converſis ſalutaris *bb* 155.
Myſtæ qui *a* 473. *n.*
Myſteria divina quomodo quis ſe ipſis dignum reddat *a* 471.
Myſterium quinque Regum ab Abrahamo devictorum *a* 357. & ibid. *n*

N.

NAbalis ebrietas *a* 756.
Nabucodonoſor legationem veritatis obiit *a* 89.
Namacius quis fuerit *a* 381. *n*
S. Narciſſus Virgo *a* 729. ejus geſta ibid.
—— Diabolo præcepit Draconem interficere *a* 659. 663.
Narſes Longobardos in Italiam introduxit *b* 210. 211. *c* 227.
Natalis Domini, de eo Hymnus *bb* 228.
Nathanael ſub ficu à Matre expoſitus, ut Herodis infanticidium evaderet *b* 120.
Natura non accidentia ſed ſubſtantiam ſignificat *a* 227.
Natura in ſpecie & in atomo, an diſtinctæ *a* 613. 614.
Natura rerum eſt fixa *a* 447.
—— una ex creato & increato effici nequit *b* 45. *b* 253.
—— apta non eſt ad ſuſcipienda contraria *a* 622.
—— una ſimul patibilis & impatibilis eſſe nequit *b* 39.
—— ſine individuis, æque ac corpus ſine loco concipi nequit *b* 259.
—— nomine Naturæ Patres interdum hypoſtaſin ſignificant *b* 42. 43.
—— ſecundum naturam operans non peccat *a* 206.
—— propter inexiſtentiam à natura nullus eſt vituperandus *d* 505.
Naturæ inſtinctus in beſtiis *a* 122.
Natura adulterina quæ *a* 542.
Natura ſapientiæ non per omnia paret *d* 474.
Naturæ unius quæ ſunt easdem per omnia differentias habent *b* 46.
Natura omnium factorum certa quadam menſura definita *a* 96.
Natura ſimplex & compoſita non eſt eadem *a* 626. 627.
Naturas tres in Trinitate nemo Patrum aſſeruit *b* 48.
Naturæ particulares in Trinitate non admittendæ *b* 259.
Natura divina non dicenda carnem aſſumſiſſe, crucifixam eſſe &c. *bb* 476.
Naturam cum proprietatibus, an ſine eis, Chriſtus acceperit *bb* 471.
Natura Verbi ſi eſt incarnata, tota Trinitas eſt incarnata *b* 42.
Natura una Verbi incarnata *b* 65. 76. *n.*
—— —— tribus modis ſaltem de re quapiam dici poteſt *a* 542.
—— —— in Chriſto eſſe nequit *a* 625. ſeqq.
—— —— ſi in Chriſto eſt, ea nullo nomine indicari poterit *b.* 38.
Naturam unam Verbi incarnatam quo ſenſu Patres dixerunt *b* 42. 63.
Natura Verbi non eſt incarnata ſed hypoſtaſis b 42.
Natura una Verbi incarnata triplicem habet notionem *a* 627.
Naturarum unio in Chriſto qualis *b* 258.
Natura una in Chriſto poſt unionem nequaquam dici poteſt *b* 38.
Naturam unam Acephali pari jure aſſerere contendunt ac Orthodoxi unam hypoſtaſin *a* 618. 619. 620.
Naturæ duæ & una in homine quomodo dici poſſint *a* 542 543.
Naturæ & operationes binæ in Chriſto *a* 16. 17. ut & voluntates *a* 18.
Naturæ duæ in Chriſto ſi ante unitionem fuere, etiam poſt eam ſunt *b* 49.
Naturæ duæ in Chriſto ſunt non ſola contemplatione & cogitatione *b* 37.
Naturas duas in unitione, & poſt unitionem unam ſaltem aſſerere incongruum *b* 40.
Naturas duas qui aſſerunt non ideo duos Chriſtos faciunt *b* 37. 38.
Naturæ duæ ſunt partes Chriſti *b* 47.
—— —— quomodo partes Chriſti dici poſſint *a* 541. 544.
—— —— in omnibus unitis manent *b* 39. 40.
Naturarum proprietates poſt unionem manſere *b* 64.
Naturæ duæ unitæ duæ tamen manſerunt *b* 34. 35.
Naturæ duæ in Chriſto, varii circa eas errores damnati a Greg. Thavmat *a* 27. ſeqq.
Naturæ duæ in una hypoſtaſi triangulo explicatæ *a* 542. & ibid. *n.*
Natura compoſita in Chriſto à quibus introducta *b* 253.
Naturarum in Chriſto mixtio, confuſio & converſio confutatur *a* 16. 17.
Natura compoſita una in Chriſto qualis eſſe potuerit *b* 46. 47.
Naturarum confuſio, teſtimonia Patrum contra eandem *a* 548. ſeq.
Naturarum unio in Chriſto quomodo facta *bb* 478.
—— —— eſt inexplicabilis *a* 14.
—— ineffabilis *b* 61.
Natura Chriſti humana qualem hypoſtaſin nacta ſit *b* 33.
Naturam inter ſive ſubſtantiam, & hypoſtaſin ſive perſonam quæ ſit differentia *b* 30.
Natura an ſit ſine hypoſtaſi & an ipſa hypoſtaſis *a* 518.
Naturæ & hypoſtaſeos differentia *a* 723.
Natura & hypoſtaſis ſi unum idemq. quæ inde ſequantur *b* 31.
Natura non eſt ſine hypoſtaſi, nec ſubſtantia ſine perſona, non tamen idem ſunt *b* 32.
Natura neutra ſine hypoſtaſi eſt, nec tamen quælibet per ſe ſubſiſtit *b* 33.
Naturæ tres an in Chriſto ſint *a* 543.
Naves quot Imperatori Græco erant *d* X.
Nazarenorum ſecta quæ *c* 285.
Nazareni Iudæorum munditiam ſervant *c* 327.
Nazareth ubi ſita *d* 14.
—— ejus deſcriptio *d* 354.
Neceſſitas reſpectu finis triplex *d* 488.
Negotiatores in templo bis à Domino ejecti *c* 389.
Nepeta carmine deſcripta *bb* 273.
Nequitia ortu & fine non caret *a* 91.
Nequitiæ ſpirituales in cœleſtibus quæ *c* 130.
Neronis res geſtæ *b* 176.
—— facinora *cc* 221.
Neſtorius qualis fuerit *bb* 388. *n.*
—— ejus error qualis *bbb* 50.
—— quo tempore hæreſin ſparſerit *a* 301.
Neſtorii & Eutychis contrarius error quis *a* 537. 538.
Neſtorii & Pauli Samoſatenſis in doctrina conſenſus *a* 593.
Neſtorii dogma de Euchariſtia *d* 507.
Neſtorii & Eutychis errores à Leontio Byzantino confutati *a* 535. 537. ſeq.
Neſtorius Anthropolatra *b* 30.
Neſtoriani Quaternitaten adorant *b* 68.
Neſtoriani Anthropolatræ *b* 79.
Neſtorianorum in Oriente ſtatus *d* 433. 434.
Neſtoriani munera & auxilia Imperatoris pollicebantur *a* 533.
Neſtoriana Hæreſis in Hiſpania Sæculo VIII. reſuſcitata *b* 282.
Neuſtraſiani Auſtraſiani ſæpius vocati *b* 152.
S. Nicephori vita *bb* 2. ejus Scripta ibid. & 3.
S. Nicephori Patriarch. Conſtantinop. opuſcula contra Iconomachos *bb* 1. ſeq.
Nicetæ Pectorati libellus contra Latinos *c* 308. Reſponſio Humberti ad eundem 319.
Nizetas Pectoratus Scriptum ſuum contra Romanam Eccleſiam anathematizavit *c* 325.
—— —— ſexcentorum triginta Patrum decreto à Communione ſuſpenſus *c* 314.
—— —— ab Humberto an converſus fuerit *c* 280.
Nicolaus I. Pontifex, primus coronatur *d* 174. *n.*
Nicolai Pontificis Schiſmatici Epiſtola pro expeditione Sancta ſuſcipienda *d* 229. ſeq. alia 232 233.
Nicolai Junioris Papæ decretum ut electio Pontificis Regi notificaretur *c* 382. ob id reprehenditur ibid.
Nicolai III. Pontificis geſta *d* 203.
Nicolaitarum hæreſis ex Epiphanio deſcripta *c* 321.
Nihilum, omne quod ex nihilo factum vim habet ut ad nihilum recidat *a* 439.
S. Nilus Abbas, eum S. Adalbertus convenit *c* 51. & *ib. n.*
Nimrod eſus carnium auctor *b* 155.
Noah, Job & Daniel Ezech. 14. quid figurent *d* 646.
Noachi ebrietas *a* 756.

*Noli*

Digitized by Google

*Noli* vel *Nolite* in N. T. non ſemper prohibitionem infert *d* 720. 721.
Nomen Dei eſſentiam ſignificans ineffabile *d* 267.
Nomen quis non niſi à meliori accipit *b* 318.
Nomina non variant rem *a* 447.
*Nomen novum* eſt illud Chriſtianorum *bbb* 43.
Nomen blaſphemiæ in Beſtia quid *b* 357.
Nomina commentitia ab Alcuino cum ſibi tum aliis tributa *b* 434. *n.*
Nominis accidentia *b* 512.
—— Genera *b* 514.
Nomocanon liber citatus *d* 67.
Nonnus Palæſtinus Origeniſtarum hæreſi infectus *a* 524. 537. *n.*
Norbertus Archiep. Magdeb. Principibus jus ſuffragii in Epiſcoporum electionibus dandum cenſet *cc* 431. *n.*
Noricum unde dictum *cc* 321.
Noricarum Eccleſiarum ſtatus medio ævo *c* 105.
Normanni baptizati *bbb* 83.
—— eorum Reges Ludovico Pio aurum argentum & gladios in ſignum ſubjectionis tradunt *bbb* 83.
—— Belgium vaſtant *c* 246. 253.
—— Galliam invadunt *cc* 251.
—— Galliam Pariſios uſq. pervadunt, eis provincia habitanda a Carolo Calvo conceditur ibid. *c* 248.
—— eorum invaſio Galliæ *bbb* 75. 80. eorundem piratica ibid.
—— ab Arnolfo ad internecionem cæſi *c* 255.
—— quando & quomodo in Italiam pervenerint *c* 273. Papæ exercitus ab ipſis fuſus ipſeq. Papa captus ibid.
Northumbrorum Regum res *b* 387. *n.*
Notariorum teſtimonium ſuper chartis falſis *bb* 370.
*Notgeri* vocis etymologia & ſignificatio *cc* 554. & ib. *n.*
*Notkeri* duo & plures *bbb* 86. 87.
—— Epiſcopus Leodienſis ibid.
—— Abbas Sangallenſis ibid.
—— Piperis granum ibid.
—— Labeo ibid.
—— Balbulus ib. ejus Scripta *bbb* 88. ejus vita *bbb* 198. 199.
Notkeri origo *cc* 554. virtutes 855. ſtudia 557. Prophetiæ ſpiritu præditus fuit 560. ejus Sequentias Pontifex probat 564. ejus conflictus cum Diabolo 569. 570. 571.
Notkeri plures *cc* 555. Notkerus Phyſicus ibid. Piperis granum 556. Balbulus ibid.
Notkerus Auctor Geſtorum Caroli M. *bbb* 55.
Notkeri Martyrologium *bbb* 85. quando ſcriptum 88.
B. Notkeri Balbuli Vita auctore Eberhardo Decano S. Galli *cc* 551. falſa in ea 552.
Notkeri obitus *cc* 574. Miracula 576.
B. Notkeri Canonizatio *d* 795.
Notkerus Piperis granum dictus idem cum Notkero Phyſico *cc* 552.
Novatus quando ſchiſma fecerit *a* 7. 5.
le Nourry Verſio loci cujuſdam è Clemente Alexandrino emendata *a* 766.
Novitas in Religione vitanda *b* 397.
Nubeani & Jubeani Hæretici in Palæſtina *d* 24.
Nudipedes hæretici *d* 712.
Numæ Pompilii geſta *b* 170.
Numeri natura *b* 41.
—— proprietates & ſpecies *a* 615.
—— diviſiones *b* 540.
Numerus ſaltem Quantum in rebus, non naturam declarat *a* 626.
Numerus vel in ſe ſpectandus vel in relatione ad res numeratas *b* 41.
Numerus binarius infamis *cc* 484.
Numeri Ternarii excellentia *b* 398.
—— —— proprietas *bb* 429.
Numerus ternarius in Trinitate numerum ſubſtantiarum excludit & numerus binarius in Incarnatione excludit numerum hypoſtaſium *b* 41. 42.
Numerus quaternarius ſacratus *bb* 104.
Numerus undenarius infauſtus *b* 373.
Numeri 318. Gen. 14, 14. ad Nomen Jeſu & Crucis ſignum myſtica applicatio *a* 357. & ib. *n.*
Numeri, in iis myſteria ſemper ineptè quæſivit Alcuinus *b* 397. *n.*
Nuptias ſub V. T. & donec Chriſtus venerit ut malas damnavit Didymus *a* 199. 209.
Nuptiæ vel natalitia non celebrentur in Quadrageſima *b* 272. LI.
Nuptiæ adultarum cum pueris prohibitæ *b* 366.
Nuptias quartas Græci & Suriani non admittunt *d* 433.

O.

Obedientia pluris eſt quam omnes aliæ virtutes *d* 756.
Obedientia monachorum in ſimplicitate eſſe debet *b* 411.
Oblationes in ſacrificium Altaris abſq. fermento eſſe debent *c* 318.
Oblationes Laicali poteſtati non ſubjaceant *c* 10.
—— diffidentium ne recipiantur *bb* 114.
—— Oppreſſorum pauperum non accipiantur *c* 402.
—— extra Eccleſiam præter conſcientiam Epiſcopi aut ejus vicarii nemo recipiat *b* 269. VIII.
Oblatio debet eſſe intincta *c* 401.
Oblatarum uſus in S. cœna *c* 295.
*Obſtrigilum* quale calceamenti genus *b* 428. *n.*
*Octava* in inſcriptione pſalmi VI. quid ſit *a* 434.
*Octava* in titulo pſalmi VI. myſtice expoſita *a* 481. & ib. *n.*
Octavianus Papa, qui & Victor, an ejus electio legitima fuerit *d* 174. *n.* ejus obitus 175. & ib. *n.*
Oculi & Verba libidinis prima incentamenta *bb* 159.
Oculi hominis interioris quid intueantur *a* 358.
Odæ Hippolyti homiliæ fuiſſe cenſentur *a* 9.
Odilo Cluniacenſis quis fuerit *c* 70. non videtur auctor vitæ Adalhaidis 71.
—— ejus obitus *c* 270.
Odo quæ in Galliis ab Arnolfo impetrarit *c* 245. ejus bella cum Carolo ſimplici 255.
Odoacer à Theodorico victus & captus *c* 221.
Oetilſleten Monaſterium ubi ſitum *cc* 528. a quo fundatum ibid.
Offa Merciorum Rex, acta inter ipſum & Carolum M. *b* 422. *n.* Sedem Archiepiſcopatus Cantuaria Lichefeldam transferre eſt conatus *b* 432. *n.* ejus facinora *b* 433. *n.*
Offerri quæ res poſſint ad altare ad benedicendum *b* 266. IV.
Officia tertiæ, ſextæ & nonæ horæ unde inſtituta *bb* 40.
Officiorum in Eccleſia diſtinctio neceſſaria *d* 645.
Okarius Dux Burgundiæ, ejus filius Rocho a Pipini filio occiſus narratur *d* 750. 751.
Olla Vulcani, in eam Theodoricus Italiæ Rex conjectus *c* 223.
Olympiades quo tempore cœperint *a* 268. & ib. *n.*
Olympias prima quando inſtituta *c* 200.
Olympius Arianus cœlitus perculſus *a* 336.
Omacius Presbyter Ruricio dilectiſſimus *a* 380. & ib. *n.*
*Oneos* quid ſignificet *b* 126.
Opera ſine fide ſunt peccata *a* 490. *n.*
Opera bona ex fide debent procedere *bb* 101.
Opera bona & mala ſunt via vel ad coelum vel ad infernum *b* 388.
Operatio, quorum una eſt operatio, eorum una eſt ſubſtantia *a* 439.
Oppoſitorum ratio *a* 627. *Vide plura in* Contraria.
Orare ſtando quando Eccleſia ſoleat *c* 400.
Orariis Presbyteri utantur propter differentiam Sacerdotalis dignitatis *c* 398.
Oratio ad altare ſemper ad Patrem dirigatur *b* 363.
Oratio dominica, extra illam nihil eſt orandum *b* 308.
—— —— ejus partes *b* 544.
—— —— quot petitiones complectatur *b* 323.
—— —— carmine reddita *bc* 262.
Orationis utilitas & virtus *bb* 402.
Orationes quæ in Eccleſia faciendæ *b* 271. XIX.
—— pro Pœnitentibus *bb* 122. 134. 141. 142.
—— pro defunctis *b* 324.
Ordinati ſæcularibus curis dediti dejiciantur *b* 266. VII.
Ordinatio, admonitio in ea *a* 397.
Ordinationes non fiant in conſpectu Catechumenorum *b* 270. IV. nec judicio multitudinis 271. XIII.
Ordinatio, Chriſma, baptiſmus, ſepultura, communio gratis miniſtranda *c* 401.
Ordines duo tantum fuere in Eccleſia primitiva, Diaconatus & Sacerdotium *d* 561. 599.
Ordines Sacros Græci abſq. pecunia non conferunt *d* 65.
Ordo Cleri conformis ordini Sacerdotum apud Gentiles *d* 687.
Ordorff Monaſterium in honorem Michaelis Archangeli conſtructum *c* 348.
Ordorph Monaſterium in Thuringia à Bonifacio exſtructum *b* 242. & ib. *n.*
S. Oreſii Abbatis libellus de ſex cogitationibus ſanctorum *a* 163.
Oreſius, Orentius & Orieſieſis an iidem *a* 163. 164.



Digitized by Google

Oresiesis quis fuerit *a* 166
—— Trithemii testimonium de eo *a* 163.
Oresius Episcopus Illiberitanus *a* 165.
Orestias urbs *d* 163. eadem quæ Hadrianopolis ibid. *n.*
Orosius qua ætate claruerit *a* 297.
Organa qualia olim fuerint *b* 146. *n.* quando innotuerint in Galliis ibid.
Organon à Constantino Imperatore Pipino transmissum *bb* 49. *c* 241.
Organum hydraulicum Aquisgrani factum *c* 246.
Orientius Præsul Auxitanus *a* 164.
Orientius Episcopus Illiberitanus *a* 165. 166.
Origenis auctoritas *a* 200.
—— dogmata *a* 288. *n.*
Origenem & Didymum erubescit Hieronymus *a* 200. 201.
Origenistæ hæretici aliud in ore, aliud in pectore fovebant *a* 529.
Orphani, Bohemorum fratrum ordo, quare se ita appellarint *d* 452.
Osbaldus Patricius, ejus fata *b* 387. *n.*
Osculum pacis in Missa *b* 323.
—— —— qua de causa datum *a* 473.
Osculum sponsæ spirituale *b* 368.
Osculum pedum Papæ *d* 681.
Osius Cordubensis Episcopus Filium Patri *συσίμον* & *συνόμιον* dici posse asseruit *b* 272.
Ossa hominis Spiritualis *a* 486. 506.
Ostiarius, quæ ad ejus officium spectent *c* 398.
Ottenbeuren Abbatia libertatis privilegio ab Ottone I. donata *c* 261.
Ottilo Dux Bavariæ à Pipino victus *cc* 285. duxit Hildrudem sororem Pipini, Matrem Thassilonis ibid. & 465.
Othlonus quando vixerit *c* 335. 336. quis fuerit ibid.
S. Othmarus primus Abbas S. Galli *c* 239. ejus mors 241.
Othricus Magister Scholarum in Germania, Magdeb. Archiep. *c* 46. & ib. *n.* 47. & ib. *n.*
Otto I. Imperator, ejus gesta *c* 258. Italiam petit eamque victo Berengario sibi subiicit 279. denuo Italiam petit & Romam occupat 260. iterum tertio ibid.
—— ejus dissidia cum filio Luitolfo ob Henricum illius fratrem *c* 259. componuntur mediatoribus Episcopis Augustensi & Curiensi ibid.
—— ejus mors *c* 261.
Otto II. Imperator factus *c* 261. ejus infelix cum Saracenis & Græcis pugna ibid. ejus mors ibid.
—— ejus bella *c* 60. a Saracenis captus quomodo evaserit ibid.
Ottonis II. laus *c* 48. & ib. *n.*
Otto III. Imperator factus *c* 201, Romam occupat 262. ejus obitus, ibid.
—— Romam petit *c* 53. 54. & ib. *n.* Brunonem Papam constituit ibid. & *n.*
—— Jus cudendæ monetæ Episcopo Salisb. concessit *cc* 275.
Ottonis IV. gesta *d* 179.
B. Ottonis Episcopi Babenberg. Pomeranorum Apostoli Vita *cc* 35. quo tempore vixerit 37. quis auctor Vitæ illius fuerit ibid. ejus perjurium in Henricum IV. 38. Parentes & studia 41.
S. Otto fit Cancellarius Henrici IV. *cc* 42. & Babebergensis Episcopus 43. Episcopatum ab Imperatore accipere renuit 44. ejus Epistola ad Papam Paschalem ibid. & 45. Romam petit & Episcopatum a pontifice recipit ibid. quæ Monasteria fundarit 47. 48. quare 49. ejus frugalitas 52.
—— à Pontifice licentiam petit Evangelizandi *cc* 87. ad Pomeranos convertendos abit ibid. & 58. revertitur domum 74. denuo abit ibid.
S. Ottonis obitus *cc* 94. Imbriconis de eo sermo ibid.
Ottocarus Rex Bohemiæ cæsus *d* 205.
Oudini Epistola ad Jac. Basnagium super Burchardo de Monte Sion *d* 6.
Ovidius quando natus *a* 273.
Ovo Ungariæ tyrannus ab Henrico III. cæsus *c* 267.

## P.

Pachomius Origenis scripta in aquam conjecit *a* 200.
Pacuvius Tragicus quo tempore vixerit *a* 272.
Pagani Christianam Religionem ridentes *b* 325.
Palæstinæ Episcopatus *d* 22. *Vide plura sub* Terra Sancta.
Pallium, quibus olim & postea concessum *bb* 64. *n.* an jus aliquod ipsi adfuerit ibid.
—— controversia de eo Desiderio à Gregorio M. mota *bbb* 3.
Pallii usus Episcopo Babebergensi à Pontifice duplicatur *cc* 46. 47.
Pallia S. Bonifacio a Zacharia Papa transmissa *c* 361. absque pretio 362.
Pamphilus Abydenorum Episcopus *b* 251.
Panis propositionis fuit typus corporis Christi *d* 321.
Panes propositionis azymi fuere *c* 287.
*Panis quotidianus* in Oratione Dominica argumento sumitur pro defendenda communione sub una *d* 456. 490.
Panis quotidianus in Oratione Dominica est Christus *b* 325.
Panis Christus, quî ita vocatus *a* 549.
Panis Eucharisticus carnem Christi veram & mysticam significat, illum autem solum continet *d* 486.
Panis divinæ mensæ supersubstantialis est *c* 315.
Panis Eucharisticus, in eo sunt tria viventia, Spiritus, aqua & sanguis *c* 309.
Panis in Eucharistia corpus Christi est appellatione, natura vero panis in ipso permanet, juxta Chrysostomum *a* 235.
Panis in Eucharistia corpus Christi vocatur quia corpus confirmat *b* 323.
Panis Eucharisticus à Græcis in alios dies reservatur *c* 320.
Panis & vinum aqua mistum nihilque præterea in Sacramentis offeratur *b* 275. IV.
Panis & vini substantia in Sacramento post consecrationem non remanet *d* 484. sed saltem accidentia 485.
Panis fermentatus, eo Christus nequaquam usus est in institutione Eucharistiæ *c* 288. 289.
Panis remanentiam in Eucharistia post consecrationem Johannes Huss modo negavit modo affirmavit *d* 757. *n.*
Panis substantiam post consecrationem *remanere*, dogma Taboritarum *d* 455.
Panis Eucharisticus in carnem cruentam mutatus *bbb* 260.
Panis benedictionis in Quadragesima non offeratur nisi in Sabbato vel Dominica *b* 272. XLVIII.
Panthaleon, quis fuerit *d* 31.
Pantheon Romæ in templum omnium sanctorum à Bonifacio IV. consecratum *cc* 231. *cc* 243.
Pannonia sive Ungaria a S. Henrico conversa *cc* 31.
Papa non est nomen ordinis sed tantum jurisdictionis & officii *d* 631. 643.
—— idem est ac Pater patrum *d* 56.
*Papæ*, Episcopi olim ita vocati *a* 632.
Papa est caput Ecclesiæ *d* 54. seq. Petri & Pauli Successor 55.
—— Vicarius Christi *d* 678.
Papam ceu Christi Vicarium esse universum dominum omnium dominiorum civilium, Joannes Polemar in Concilio Basil. defendit *d* 460.
Papæ potestas proxima potestati Christi *d* 632. 678. & major omni alia potestate 679.
Papa, ab eo sunt omnes ordines, potestates, dignitates, Imperiales & Regales *d* 769.
Papæ potestas causat omnem aliam potestatem examinando, confirmando & judicando *d* 679.
Papa in terris habet summam jurisdictionis potestatem *d* 678. 679.
—— est universorum Dominus, omnium Dominiorum primus administrator imo & Dominus *d* 715.
Papa Patriarchas, sed Patriarchæ Papam creare non possunt *d* 392.
Papæ primatus à Barlaamo impugnatus *d* 366. postea propugnatus 368. 373.
Papæ etiam extra Scripturam S. quidpiam statuenti obediendum *d* 632. 643.
Papæ unius auctoritas contra Concilia nil valet *c* 382.
Papæ auctoritos contra traditionem non est attendenda *c* 319.
Papa licet in moribus malus, quamdiu est Orthodoxus Sanctissimus est habendus dicendusque 631. 679.
Papa esse potest quis etiamsi non sit sacerdos *d* 631.
Papa ut Papa non habet potestatem conficiendi corporis Christi *d* 631.
Papa non nisi per unum crimen hæreseos desinit esse Papa *d* 678.
—— non est infallibilis, ex sententia S. Anshelmi *c* 371.
—— homo est & errori obnoxius *c* 383.
—— aliquando in fide erravit *d* 681.
Papæ Senatores Urbis se faciunt *d* 203.
Papa an Papatu se abdicare possit dubium habitum *d* 220.



Digitized by Google

Papæ Teutonici *cc* 256.
Paparum Schismata *cc* 260. 261. 437. 438.
Papæ Legati Chrisma Constantinopolim quotannis deferentes, nimia avaritia sua schismatis causa fuere inter Ecclesiam Græcam & Latinam *d* 62.
Pappas & Papas quomodo differant *c* 61. *n.*
Papaver carmine descriptum *bb* 271.
Paradisus idem quod cœlum empyreum *d* 48.
Paradisus qualis à Muhammede suis promissus *d* 441.
Paradogmatista qui sit *d* 393. 394.
Parasceve Paschæ quid *c* 290.
Parasceve, in illo die nullus celebret *d* 504. quare ibid.
——— in die Parasceves Sacerdos celebrando non debet uti vino consecrato *d* 502. 504.
Parcæ unde vocatæ *a* 367.
Parilion quid sit *b* 116. *n* 127. *n.*
*Paris* ejus vocis etymologia ex lingua Teutonica deducta, quasi sit pur Eis *d* V. VI.
Parisiorum urbs à Chlodoveo Cathedra regni constituitur *b* 203.
Parisius Monasterium ubi situm *d* V.
Parricidarum pœnitentia qualis *bb* 299. *c* 350.
Pars interdum nomine totius & totum nomine partis appellatur *a* 616.
Parthemius & Popianilla, Ruricii ad eos Epistola *a* 399. qui fuerint ibid. *n.*
Parthenopolis, Magdeburgum, qualis urbs *c* 46.
Pascha quotupliciter accipiatur *d* 52. quo die Christus suum fecerit 53.
——— Pascha primum & Pascha ultimum quot anni intersint *c* 299.
Pascha quo tempore celebrandum *a* 284. *c* 39.
——— ante æquinoctium vernale ne celebretur *b* 266. VIII..
——— quo tempore ex Victoris constitutione celebrandum *bbb* 117.
——— quo die anno 444. celebratum *a* 304.
Pascha Christianorum auctoritate Ecclesiæ in aliud tempus ordinatum *d* 559.
Pascha Christus celebravit die 13. lunæ, feria quinta *c* 310. quod refellitur 317.
Pascha legale Christus celebravit *c* 281. 286. quarta decima luna 287. an cum Iudæis 289. & seq. 310.
Pascha nuncupantur quoque dies azymorum *c* 290.
Pascha & Azyma indifferenter apud Evangelistas usurpantur *c* 290.
Paschalis Hebdomas tota celebranda *c* 10.
Paschales Cycli quando initium sumserint *c* 219
Paschalis Antipapa Alexandri III. *cc* 206. 207.
Paschalis Papæ Epistola ad S. Ottonem super ejus constitutione in Episcopum Babebergensem *cc* 45. ejusd. Litteræ ad Clerum & Populum Babebergensem 46.
Paschalis Papæ Epistolæ ad Canonicos Augustenses super Hermanno Episcopo *cc* 11. 12. ad Arnoldum Moguntinum ibid. ab Udalscalco reprehenditur 13.
Paschasius S. Severini vitam non scripsit sed Eugipius *a* 410.
Passio & impassibilitas de Christo prout ex duabus naturis est compositus prædicanda *a* 459.
Passiones naturales, non vero vitiosas Christus suscepit *a* 572. 573.
Passionem Deitati apponi imaginabantur Apollinaristæ *a* 231. 233.
Pastorum officium *a* 360. *a* 384. *b* 384.
Pastoralis virga & baculum quid denotent *b* 384.
Pastores quoad fidem ab auditoribus judicandi *a* 478. *n.*
Pastoris Electio juxta consuetudinem Ecclesiæ à Clero & Populo fieri debet *c* 378. *Plura vide sub* Clerus & Sacerdos.
Pax hominum cum Angelis per Christum restituta *b* 306. 307.
Pax universalis sub Christi adventum *a* 795. *bbb* 46.
Payne Anglus Taboritarum Doctor & Orator in Concilio Basil. Clero sæculares possessiones & civile Dominium non competere contendit *d* 455.
Pataviensis Episcopatus à S. Bonifacio erectus *b* 243.
Pater nunquam potuit esse sine filio *a* 362. *a* 439.
——— quomodo major filio *a* 185. *a* 446.
——— quomodo Petro revelaverit Christum filium suum esse *b* 298.
Patris, Filii & Spiritus S. item Dei, Domini & Paracleti nomina naturam diversam non indicant *a* 444. 445.
Patris & filii & Spiritus S. Majestas indiscreta nominibus distingui potest, at non gradibus ordinari *a* 362.
Patientia, etymologiæ hujus vocis *d* 657.
Patientiæ præstantia *bb* 95.
Patriarchæ vocantur Episcopi locorum quibus Petrus præfuit, vel vicarium illuc misit *d* 56.
Patriarcharum auctoritas *c* 385.
Patriarchæ quinque Orientales *d* 371. sunt inter se æquales ibid. à Potestatibus sæcularibus pendent ibid.
Patriarchæ Principales tres, quorum præcipuus Romanus *c* 385.
Patriarchæ Constantinopolitani duo à Papa depositi *d* 60. & ibid. *n.*
Patriarcha Constantinop. Anthimus ab Agapeto Papa depositus *c* 224. *d* 375.
Patriarchæ Constantinopolit. æqualis Prærogativa ac Romano Præsuli data *d* 74. id contra jus fasque factum est 79.
Patriarchatus Hierosolymitanus institutus *d* 56.
Patres primi Ecclesiæ fundamentum sunt *c* 338.
Patrum auctoritas *a* 547.
——— ——— eam sequendam esse in dogmatibus vult Theophilus Antiochenus *a* 436. 437.
S. Patrum os, os Dei *b* 55.
Patrum sententiæ non recipiendæ nisi quatenus cum S. S. aut Conciliis generalibus concordant *d* 382. 383.
Patres sibi invicem adversantur *d* 383.
Patrum loca de duabus in Christo naturis *b.* 56. seq.
Patres à Theodori Mops. asseclis pro ejus sententia allegati *a* 581.
——— quorundam testimonia pro Eutychianorum sententia à Timotheo citata *a* 527. seq.
——— pro communione sub una allegati *d* 498. seq.
Patrum conventus nullas Traditiones Universali Ecclesiæ possunt præfigere *c* 321.
Patrum scripta Græci depravasse arguuntur *c* 319.
S. Patricius quis fuerit *a* 417. *n.*
——— ejus sepulcrum *a* 417. *n.*
Patrini, unus saltem in baptismo & Confirmatione adhibeatur *c* 400. isque baptizatus & confirmatus ipse fit oportet ibid.
Patrocinia idem quod Reliquiæ *bbb* 270. & ibid. *n.*
Patroclus Arelatensis Episcopus occisus *a* 301.
Patronus nullus Ecclesiæ dotem in qua jus Patronatus obtinet, alienare præsumat *d* 84.
Paulinum Aquilejensem magnifice coluit Carolus M. Alcuini ad eum Epistola *b* 441. 443. 445. *b* 438. *n.* quis fuerit 443. *n.*
Paulinus Aquilejensis contra Felicem scripsit *b* 294. 443. *n.*
——— ——— ejus Libri contra Felicem verè sunt Alcuini *b* 283. *n.*
S. Paulinus Eboracensis quo anno mortuus *c* 234.
Paulini Nolani, de sui ipsius venditione ut alium redimeret fabula, Gregorio M. commemorata *b* 88.
Paulinus Nolanus quo tempore obierit *b* 89.
Paulinus Trevirensis, quando & ubi obierit *d* 155.
Paulus Apostolus Virgo *a* 721.
——— quando conversus *c* 27. 35.
——— fuit Petro minor, major & æqualis *d* 590.
Pauli raptus in tertium cœlum quando & quomodo contigerit *d* 355. 356.
Paulo abjudicatur Epistola ad Laodicenses *bbb* 147.
Pauli Epistola ad Laodicenses ab Ecclesia rejecta *d* 558.
Paulus in Bullis Papæ quare ad dextram ponatur *d* 590.
S. Paulus Eremita Virgo *a* 727. quot annos vixerit ibid.
Paulus primus Anachoreta *bb* 314.
Paulus Diaconus nullatenus auctor vitæ S. Gregorii M. a Canisio editæ *bbb* 253. 254.
Paulus Samosatenus ejus hæresis *a* 287.
Paulus Samosatensis paria cum Nestorio sensit *a* 593.
Pauli Samosateni dogma *d* 71.
Pauper felicior divite censendus *a* 103.
Pauperes Lugdunenses oculos sibi ipsi eruisse dicuntur *d* 517.
Paupertas non impedit nec divitiæ faciliorem reddunt virtutem *a* 102.
Peccabilitas inseparabilis ab homine *a* 96.
Peccandi consuetudo difficilem facit conversionem *a* 100.
Peccantes fideles non verberandi ab Episcopo, Presbytero, Diacono *b* 267. XXVIII.
Peccantium correptio Sacerdoti sub salutis propriæ jactura facienda *bb* 118. 119.
Peccantium tria genera *b* 417.
Peccati natura *a* 44. 45.



Digitized by Google

Peccati formale & materiale *d* 568.
Peccati & criminis differentia *bb* 81.
Peccatorum tria genera ex ignorantia, induſtria, & infirmitate *bb* 158.
Peccatum tribus modis peragitur *bb* 98. 118.
Peccatum duobus modis committitur *bb* 158.
—— quatuor modis in corde & itidem quatuor modis opere perficitur ibid.
Peccati nemo expers *a* 54.
Peccata tollere, quot modis id fiat *d* 608.
Peccatum non privat dominio *d* 586: 590.
Peccatum alias parvum in Principe fit magnum *bb* 381. 399.
Peccata capitalia quibus pœnis ulciſcenda *d* 609.
Peccata criminalia ſive mortalia quæ *d* 609.
Peccata manifeſta palam arguenda *c* 403. 404.
—— in quolibet manifeſto peccato tria reperiuntur *d.* 76.
Peccati mortalis deſcriptiones variæ *d* 568.
Peccata mortalia publica omnia non poſſe puniri lege humana, in Concilio Baſilienſi ab Ægidio Carlerio defenſum *d* 457. 568.
Peccata mortalia non ſemper à Magiſtratu ſunt punienda *d* 574.
Peccata multitudinis aut pravæ conſuetudinis quomodo corrigenda *d* 581.
Peccata omiſſionis & commiſſionis deflenda ſunt *bb* 156.
Peccatum originale negaſſe videtur Didymus *a* 199.
Peccata Populi aut multitudinis, quid circa ea ſtatuendum *bb* 298.
Peccata potentum occulta tegenda, publica caſtiganda ſunt *b* 370.
Peccata publica tribus concurrentibus ſunt punienda, jurisdictione, convictione & pace ſalva *d* 580.
Peccata Regum ſunt peccata publica *a* 482. *n.*
Peccata ſanctorum quare prolata *a* 54.
Peccata Superiorum ſubditi fideles licite arguere iisque obviam ire poſſe, Taboritæ contenderunt *d* 454. 568.
Peccata ſuperiorum à ſubditis puniri non poſſunt *d* 589.
Peccatum veniale non fit contra præceptum aut contra conſcientiam, ſed præter eadem *d* 494.
Peccatum veniale primum pœnam meretur ſimplam, ſecundam duplam, tertium triplam &c. *d* 641.
Peccati venialis effectus *d* 642. ob ea in purgatorio eſt ſtandum ibid.
Peccata non ex voluntate facta Deus deſpicit, juxta Maximum *a* 209.
Peccata facile dimittenda *a* 393.
Peccatorum doloſa occultatio quale ſupplicium mereatur *bb* 145.
Peccatorum indulgentia quibus concedenda *bb* 153.
Peccata quæ poſt mortem per orationes & ſuffragia dilui queant *d* 49.
Peccati conſummatio, apud Danielem, quid ſignificet Baſilio Seleuc. *a* 243.
Peccatores abſtinere debent ab Euchariſtia *bb* 89.
Peccatores ne reſipiſcant tentantur cogitatione ſe eſſe deſertos à Deo *bb* 157.
Pectines muneri miſſi *b* 430. & ibid. *n.*
Pectus in confeſſione tundere quid ſignificet *b* 416. *n.*
Pelagius quo tempore hæreſin ſparſerit *a* 298. 299. 308.
Pelagii Pontificis contra Theod. Mopſ. Epiſtol. *a* 582. *n.*
Pentateuchus quot annorum hiſtoriam contineat *a* 267. & ibid. *n.*
Pepones carmine celebrati *bb* 269.
Peregrinationes religionis ergo in lege Dei ſunt fundatæ *d* 600. propter octo cauſas pie fiunt 621. a Cleto Papa ſunt commendatæ 622.
—— ut ſuperſtitioſæ à Taboritis rejectæ *d* 454.
Peregrinationis pro aliorum abſolutione ſuſceptæ exempla *a* 352. 360.
Perfectionis ſtatus quæ ad eam requirantur *d* 688.
Perfectio, an ad eam neceſſarium ſit omnia vendere &c. *d* 722.
Perfectorum non amplius eſt imitari aliorum exempla *bb.* 155.
Perfectus & imperfectus Deus & homo qua ratione Chriſtus dici poſſit *c* 539. 541.
*Perihermeniæ* quid *b.* 502. 503.
Perjuri quot annis pœnitere debeant *bb* 124. 136. 306.
Perpetua & Felicitas Martyres è Montaniſtis *bb* 321, *n.*
Perſarum Reges *a* 270. ſeq. *b* 162. *c* 202. ſeq.
—— magna clades ſub Juſtino Imp. *a* 338.
Perſarum Legati ad Carolum M. *bbb.* 74. 75. eorum dona ibid.
Perſecutio in religione Auguſtino probata *c* 374.
Perſecutio, non perſequitur niſi qui ad malum cogit, non vero qui illud aut factum punit, aut prohibet ne fiat *c* 388.
Perſecutio Eccleſiæ cruenta in fine mundi futura *b* 319.
Perſecutores licet putent ſe benefacere, non ſunt immunes à peccato & damnatione *d* 505.
Perſona quid ſignificet *a* 188. *a* 442.
Perſonæ divinæ uni aut omnibus quæ dicta conveniant, quomodo intelligi poſſit *d* 40.
Perſonarum divinarum differentia *a* 440. *n.*
Perſonæ in Trinitate non diſtinctæ niſi proprietatibus Characteriſticis *b* 255. 256.
Perſona creata in Chriſto non fuit *bb* 460.
à Perſona ad Naturam quomodo illatio facienda *bb* 475. 476.
Perſonam humanam Neſtorius in Chriſto finxit *bb.* 449.
Perſonalis proprietas de duabus perſonis ſingulariter prædicari nequit *d* 386. & de quibus prædicatur illa numero eadem ſunt ibid.
Perturbationes quid ſint *d* 417. earum ſpecies ibid. & 418. an extirpari poſſint 414.
Perturbatio an in beatum cadat an non *d* 419.
Peſtis pecudum ſub Henrico III. *c* 267.
Petershauſen Abbatia à quo condita *c* 261.
Petrarcha, ejus adulatio erga Talayrandum Cardinalem *d* 334. *n.*
Petronax reſtitutor Monaſterii Caſſinenſis *b* 114. & ibid. *n.*
Petronellæ filiæ Petri Apoſtoli Martyrium *bb* 329.
Petronillæ Acta pro communione ſub una in teſtimonium adducta in Concilio Baſil. *d* 456. 497.
Petrus & Joannes à Chriſto baptizati *c* 29.
Petrus Apoſtolici cœtus Princeps *a* 490.
—— vertex Apoſtolorum *b* 71.
—— prærogativam habuit ſuper *reliquos* Apoſtolos *d* 55.
—— ejus prærogativæ quæ *d* 650. 689. 690.
—— ejus primatus oſtenditur *d* 374.
Petrus Chriſtum dum hominem negavit, Deum negavit *b.* 297.
—— Eccleſiam diſtribuit *d* 650.
—— primos Epiſcopos in oriente & occidente conſtituit *c* 378.
—— quo anno Romam venerit *bb* 317. *bbb* 92. 147.
—— an Romæ Epiſcopus fuerit *a* 277. ibid. *n.*
—— Epiſcopatum Romæ 25. annis tenuit *b* 175.
Petri Domus ſive Petershuſen Monaſterium à S. Gebehardo exſtructum *d* 825. Privilegium Johannis VI. Papa pro eo ibid.
Petri Apoſtoli certamen cum Simone Mago *bb* 257.
Petro Chriſtus Romæ apparet *b* 311.
Petri Epiſtola an in Canonem recipi debeat Didymus cum aliis dubitarunt *a* 202.
Petri & Pauli Martyrium *b* 176.
S. Petri Eccleſia, verſus de ea *b* 378.
Petrus Archiepiſcopus Mediolanenſis, Alcuini ad eum Epiſtola *b* 424. & ibid *n.*
Petrus Arragoniæ Rex Siciliam occupat *d* 205. ejus cum Carolo Andegavenſi geſta ibid. à Papa excommunicatur 206. 219.
—— Bleſenſis Victorem Pontificem ſcriptis dilaceravit *d* 175. *n.*
—— Comeſtor quando claruerit *cc* 480.
—— Diaconus ob Gregorii M. ſcripta combuſta ægritudine mortuus *b* 86. 87. *bbb* 255.
—— Eremita, concitator expeditionis ſanctæ *d* 426.
—— Fullo Antiochenus Præſul, quæ Triſagio adjecerit *b* 54. *n* 76. *n.*
—— —— Epiſtolæ ad eum quæ Papæ Felicis, Acacii &c. nomina præ ſe ferunt, vix genuinæ *b.* 54. *n.* cui tribuendæ *b.* 76. *n.*
—— Gnapheus, quæ Triſagio addiderit *bbb* 49.
—— de Palude laudatur *d* 502.
—— —— ut Juriſta eximius laudatur *d* 649.
—— Veronenſis quomodo aurum tranſmiſerit ad Monaſterium S. Galli *cc* 559. 560.
—— Rex Ungariæ *c* 266. ab Ovone pulſus & ab Henrico III. reſtitutus 267. iterum Throno ab Andrea dejectus 268.
Phanius aut Pappus Hæreticus pro Agapio vel Addo aut Budda poſitus *a* 39. 44.
Pharamundus Eccleſiæ Trajectenſis præſul qualis fuerit *b* 136. *n.*




Digitized by Google

Pharao figura diaboli *d* 283.
—— ejus laudabilia quæ fuerint *a* 89.
Philippus Imperator primus Chriſtianus Proſpero habitus *a*. 286.
—— —— Rom. primus Imp. Chriſtianus fertur *b*. 178.
—— ejus ludi in campo Martio *cc* 118. ſeq.
—— —— Eccleſiis prædia donavit *d* 731.
Philippus Dux Sueviæ Imperator factus *d* 177. ab Ottone de Wittelspath occiditur ibid. & 179.
Philippi II. Imperatoris Privilegium pro Archiep. Salisb. *cc* 457.
Philippus frater Henrici VI. Dux Sueviæ ab ipſo conſtitutus *cc* 598.
Philippi Franciæ Regis infelix expeditio contra Petrum Arragoniæ Regem *d* 206. 221.
Philippus Saltzburgenſis Electus quod nollet ordinem Presbyterii & Epiſcopalem conſecrationem accipere, à Pontifice Alexandro IV. dejectus *d* 191.
Philippi Archiep. Salisb. male geſta *cc* 483. 484. 485.
Philomarianitæ Hæretici *a* 577.
Philoponus Tritheitarum ſectæ Princeps *a* 533.
Phion & Giſon Paradiſi fluvii qui fuerint *d* 341. & ibid. *n*.
Philoſophi Empedocles, Zeno &c. quo tempore claruerint *a* 270.
Philoſophiæ etymon *b* 488.
—— definitio ibid. partes ibid.
Phocas Imperator Romanam ſedem caput omnium Eccleſiarum eſſe ſtatuit *d* 440.
—— ſub ejus imperio omnes hæreſes reviviſcebant *a* 533.
Photius quis fuerit *bb* 375. contra Baronii & Lambecii criminationes defenditur ibid.
—— Auctor ſchiſmatis inter Græcam & Latinam Eccleſiam *d* 33.
—— Canones Apoſtolicos falſavit *d* 75.
—— ejus depoſitio & excommunicatio cauſa ſchiſmatis inter Eccleſ. Græc. & Latin. *d* 62.
—— Epiſtola ad Michaelem Bulgarorum Regem *bb* 373. ſeq.
Photii Diſſertatio, quomodo Deus in omni re eſſe dicatur *bb* 420.
—— Diſſertatio de Theologiæ hypotypoſibus *bb* 423.
—— —— de Trinitate *bb* 426.
—— —— de Deo Uno & Trino *bb* 431.
—— —— quomodo Deum incarnatum eſſe cogitari poſſit *bb* 434.
—— —— quare Deus carnem aſſumſerit *bb* 435.
—— Liber de Voluntatibus Gnomicis in Chriſto *bb* 437.
φύλαγμα quid ſit *a* 499. *n*.
Phylacteria, qui iis uſus fuerit anathematizatur *bb* 113.
φύσις ſive natura non accidentia ſed ſubſtantiam ſignificat *a*. 227.
Phyſicæ partes, juxta Alcuinum *b* 489.
Pictura duplex eſt *bb* 16.
Pietatis præcepta *b* 420. 421. 423. 427. 438. 439.
Pietatis effectus *a* 374.
Pilgrinus Patriarcha Aquilejenſis *d* 175. & ibid. *n*.
Piltzna Urbs Bohemiæ ab Huſſitis ſemper aliena fuit *d*. 758. *n*. 759. *n*.
Pincerna & Piſtor Pharaonis Typi Gentium & Judæorum *d* 281. 282.
Pipinus Major Domus Alemanniam invadit *a* 663.
Pipini Caroli Martelli filii geſta *c* 240. Rex Galliæ declaratur 241. ſeq.
Pipinus Caroli M. parens, ejus expeditio in Italiam in gratiam Pontificis Rom. *bbb* 80. Leonem & taurum interficit ibid. ejus lucta cum Dæmone 81.
Pipinum a Bonifacio in Regem Francorum fuiſſe unctum ſcriptoribus tacitum *c* 336.
Pipinus Rex Franciæ factus *b* 220. Aiſtulfum vincit 221. 222. Legationem mittit Conſtantinopolim ibid. Aquitaniam vaſtat 229. Regnum filiis Carolo & Corolomanno dividit 225.
—— quando & ubi in Regem Francorum electus & unctus *bb* 49.
—— Monaſterium B. Magni dotat *a* 668. 669.
Pipini Privilegium pro Fuldenſi Abbatia *c* 367.
Pipinus Caroli M. filius *b* 477.
—— —— —— Rex Italiæ quando mortuus *b* 399. *n*.
Pipinus & Ludovicus Caroli M. filii ab Adriano Pontifice in Reges uncti *bb* 54.
Pipini filii Caroli M. ex concubina conſpiratio adverſus Patrem *bb* 58. *bbb* 78. ejus pœna, ibid. ejus crudele conſilium Carolo M. contra Francos datum ibid. & 79.
Pirminis Vita, quis ejus auctor *c* 335.
Pius II. quæ egerit contra Georgium Pogiebrac Regem Bohemiæ *d* 465.
Plato. ejus dogmata Theologica *a* 7. 8.
Plautus primus Scholam Romæ inſtituit *b* 172.
Plinii teſtimonium de Chriſtianis *a* 279. ejus mors 16.
*Plaſtra* quid ſint *a* 738. *n*.
Pluvia ſanguinis Eboraci malorum omen *b* 389. *n*.
Peumatomachi ſive Theumachi proceſſionem Spiritus S. à filio Symbolo abſciderunt *c* 327.
*Poderes* quid ſit *b* 361.
Pœna augenda pro contumacia *d* 573.
*Pœnarum* civilium genera octo *d* 609.
—— Eccleſiaſticarum ſex ibid.
Pœnæ poſt hanc vitam ſunt æternæ *d* 328.
Pœnæ luſtrales à Paganorum ſuppliciis infernalibus deſumtæ *bb* 180.
Pœnitens quis *a* 390.
Pœnitens a negotiatione abſtineat *bb* 106. 305. ad militiam ſæcularem redire non debet ibid.
Pœnitentis confeſſio *a* 482. ſeq.
Pœnitentes à conviviis & albis veſtibus atque ornamentis abſtineant *bb* 130.
—— etiam ab infimis officiis Clericorum per Canones excluduntur *c* 392.
—— quo tempore recipiendi *bb* 107.
—— à quibus recipiendi *bb* 121.
—— manuum impoſitione abſolvantur *bb* 107
—— in priſtina peccata recidentes, quomodo tractandi *bb* 106. 303.
—— in mortis articulo, eis abſolutio & communio non deneganda *bb* 107.
Pœnitentia non tantum ore ſed & corde agenda *a* 388. 390.
Pœnitentiæ neceſſitas *bb* 88.
Pœnitentiæ nullus poſt mortem locus *a* 491.
—— locus ei in hac ſaltem vita *bb* 156.
Pœnitentia ob ſenectutem non declinanda *a* 498.
Pœnitentiæ filii prodigi effectus *a* 374.
Pœnitentia circa varia peccata & crimina *bb* 225. 137.
—— in ea menſura temporis haud definita *bb* 90.
Pœnitentiæ tempora aut breviari aut proferri poſſunt *bb*. 130.
Pœnitentiæ tempora juxta qualitatem peccati decernantur *bb* 105. id fiat ab Epiſcopo *bb* 107.
Pœnitentia ultima nulli deneganda *bb* 105. 304.
Pœnitentium delicta & ſtatum Sacerdotes dijudicent *bb*. 107.
Pœnitentium judicia diverſa & confuſa *bb* 87.
Pœnitentium reconciliatio non à Presbyteris ſed ab Epiſcopis fiat *bb* 362.
Pœnitentiæ relaxatio in cœna Domini *bb*. 304.
Pœnitentium in peccata priſtina relabentium miſer ſtatus *bb* 158.
Pœnitentium in mortis articulo ſalus incerta *bb* 156.
Pœnitentibus jejunia injungenda *bb* 121. 133.
Pœnitentiales libelli quando in uſu eſſe cœperint *bb* 85.
Pœnitentiale Romanum *bb* 86.
Pœnitentiale Romanum aliud *bb* 133.
—— Halitgarii ſive incerti auctoris *bb* 141.
Poëtarum mos Principes carmine ſalutandi *bb* 64.
Pogiebrac, Regis Bohemiæ moderatio in controverſia Huſſitica *d* 753. *n*. Huſſitarum ope ad Regnum Bohemiæ pervenit *d* 754. *n*.
Polemar (Joannis de) oratio de civili Dominio Clericorum *d* 709.
Polemar (Johannes) orator in Concilio Baſil. quis fuerit *d* 460.
Polemius Apollinariſta *a* 602.
Poliſlaus, vide Boliſlaus.
Pollentia urbs Liguriæ clade Gothorum nobilitata *a* 297. & ibid. *n*.
Pollicitationes, quid circa eas obſervandum *bb* 411. 412.
Pollutiones, leges Eccleſiaſticæ circa easdem *bb* 117. 118.
Pollutionis nocturnæ ſpecies *c* 402. pœnitentia 403.



Digitized by Google

Polonia, Bohemia & Moravia tributariæ factæ ab Henrico S. *cc* 28.
Poloniæ tres Episcopatus qui *cc* 58.
Polycarpi martyrium *bbb* 96.
Polygamia, quare in V. T. permissa *c* 297.
Polygamia successiva damnata *bb* 113. pœnitentia pro ea *bb* 127.
Polygamiæ turpitudo *bb* 414. & ib. *n.*
Polygamia Pomeranis Ethnicis in usu fuit *cc* 62. abrogata *cc* 64.
Pomerani Ethnici furtorum & fraudum ignari *cc* 73. mirantur Episcopi scrinia serata ibid. Mensa iis semper est instructa 74.
Pomerani Deo simul & Dæmonibus servierunt *cc* 83.
Pomeraniæ descriptio *cc* 55. quomodo ad Christi fidem conversa ibid. & seq. ejus ubertas 73.
Pomeranorum conversio *cc* 39.
Pomeranæ mulieres paganæ partus fœmineos suos necare consuevere *cc* 62. 71.
Pompa Prælatis est vitanda *d* 727.
Pontianus Pontifex Rom. quo die exul mortuus *a* 6.
Pontifex Rom. Petri vicarius *b* 419.
Pontificis Romani eminentia & auctoritas *d* 418. 419
Pontificis Romani in occidente Primatus quando & à quo eum acceperit *a* 342.
Pontifices Romani quando coronari cœperint *d* 174. *n.*
Pontifex Rom. hæresi quandoque assensus *d* 357.
Pontificem Rom. in fide errare posse Henricus Kalteisen in Concilio Basil. statuit *d* 459.
Pontificis Romani Auctoritas ab Henrico Kalteisen in Concilio Basil. propugnata *d* 459.
Pontificis Romani erga Græcos odium, *d* X. causæ ejusdem ibid.
Pontifex summus peccans cum reverentia secreto admonendus est, si non corrigi possit, ad concilium generale deferendus *d* 616.
Pontificatus, ad eum nemo promoveatur nisi per distinctos gradus adscenderit *c* 380. 381.
Populus Novus quare Christiani vocati *c* 300.
Populi peccata, quid de iis statuendum *bb* 298.
Populo in superiores non competit jurisdictio *d* 589.
Porticus quid sit *b* 133. *n.*
Possessiones sæculares Clero non competere Payne Tabaritarum Doctor contendit *d* 455.
Possevinus (Antonius) laudatur *a* 20.
Potestas justa aut injusta non ex recto pravove potestatis usu, sed ex ejusdem justa injustave acquisitione censenda *d* 737.
Potestas sæcularis & spiritualis, earum differentia *b* 386.
Potestas ordinis & regiminis litium Hussiticarum in Bohemia causa *d* 768. 769.
Potestas ordinis æqualiter collata Apostolis, sed potestas jurisdictionis non est data nisi præsuppositа auctoritate distributiva Petri *d* 650.
Potestatem exercendi judicii Ecclesia non per Clericos, sed per Laicos exercere debet *d* 729.
Præceptum & mandatum quomodo differunt *d* 641.
Præceptum & Consilium quomodo differunt *d* 640. 641. Præcepta quandoque & Consilia continent 641.
Præcepta Christi non omnia præceptive & literaliter intelligenda & observanda *d* 531.
Præceptum affirmativum obligat semper, sed non pro semper *d* 582.
Præcepta quædam obligant semper & pro semper, quædam ad semper sed non pro semper *d* 521.
Præceptorum Christi observantia alia debet esse in pectore, alia in opere *d* 719.
Præcepta multitudini data non obligant unumquemque in singulari *d* 675.
Præcepti transgressio est peccatum mortale, Mandati veniale *d* 695.
Præcepta primæ & secundæ necessitatis dispensationem non admittunt, sed saltem illa tertiæ & quartæ necessitatis *d* 79.
Præceptores Palatii quid fuerint *bb* 238. *n.*
Præcipere pro permittere usurpatum *d* 676. item pro consulere ibid. it. pro tentare ibid. it. pro instruere 677.
Prædestinationem ex prævisione fidei & operum Didymus tuetur *a* 199.
Prædestinationem necessitatem actionibus & humanæ voluntati imponere contendunt Semipelagiani *a* 349.
Prædestinationis signa *d* 674.
Prædestinatorum Hæresis quando exorta *a* 315. & ib. *n.*
Prædestinatianæ hæreseos errores à Lucido revocati *a* 354. 355.
Prædicandi jus sacerdotes non habere ex ordinatione, sed ex Auctoritate Pontificis, Henricus Kalteisen in Concilio Basil. statuit *d* 460.
Prædicandi officium solis sacerdotibus curatis incumbit *d* 639. 640.
Prædicare & baptizare, quare ab initio omnibus fere concessum, postea ad quasdam personas restrictum fuerit *d* 651.
Prædicare majus est quam prophetare *d* 654.
——— Monacho non convenit, Novitio non expedit, non-misso non licet *d* 651. 654.
——— in Papa est officium jurisdictionis, non ordinis *d* 658.
Prædicatio Verbi non tantum cum zelo, sed & cum prudentia fieri debet *d* 607. 624.
Prædicationi quis sit idoneus *d* 648.
Prædicatori quando tacendum sit *d* 668. 669.
Prædicatorum Ordo quando institutus *d* 179.
Prædicatorum & Minorum fratrum controversia cum reliquo Gallicano Clero super confessionibus & remissionibus *d* 222. 223. 227.
Præfationes quæ sint recipiendæ *c* 399.
Prælati quibus in casibus possint prædicationem omittere & per alios supplere *d* 670.
Prælati peccantes, coram populo non arguendi, nisi ubi imminet fidei periculum *d* 585.
Præpositivus, Doctor antiquus, citatus *d* 527.
Præsules Orientales annulis & mitris Pontificalibus non utuntur *d* 436.
Pragensis Academia quando & à quo fundata *d* 755. & ibib. *n.*
Pragensis Episcopatus à Boleslao institutus *d* 754. & ib. *n.*
Prateolus circa Barlaamum ut hæreticum confutatur *d* 365.
Praxis Apostolorum & primitivæ Ecclesiæ non obligat *d* 550.
Preces quomodo rite peragendæ *bb* 41. 43.
——— non celebrentur nisi in Conciliis probatæ *c* 399.
——— sacerdotis inutiles nisi compreceris *a* 473.
——— sacerdotis mali quoque Deo acceptæ *d* 684. 685.
——— criminales, quibus mors alterius postulatur *bb* 298.
——— pro mortuis, earum utilitas *b* 406.
Presbyteri officium *c* 398.
Presbyter & reliqui Clerici ab uno Episcopo ordinentur *b* 266. II.
——— ante XXX. annos non ordinetur *b* 269. XI.
——— ante triginta ætatis annos non ordinandus quare? *c* 27. 35.
——— qualem potestatem accipiat in collatione ordinis *d* 640.
Presbyteris & Diaconis prædicandi licentiam vindicabant orphani *d* 455.
Presbyteris saltem liceat verbum Divinum prædicare *bb* 131.
Presbyteros prædicare posse contendit Alcuinus *b* 402. *n.*
Presbyteris non licet benedictionem super plebem facere diebus Dominicis, vel in aliis festis *c* 397.
Presbyteri & Diacones præter Episcopum nil agant *b* 267. XL. 268. XII.
Presbyter Missam celebrans ipse communicet *c* 399.
Presbyter solus Missam non celebret *c* 399.
——— inconsulto Episcopo pœnitentem non absolvat, nisi necessitate cogente *bb* 107.
——— qui contemto Episcopo suo seorsim conventus fecerit deponatur *b* 267. XXXII. 270. V.
Presbyteri extra suam Parochiam ultra tres septimanas haud morentur *b* 273. XX.
——— qui immolaverunt inviti, postea tamen paganis reluctatisunt, depositio officio honorem sedis tamen retineant *b* 268. I.
——— pro muneribus aut emolumentis nil in gratiam aut odium peccatorum faciant *bb* 131.
Presbyter & Diaconus conductor aut procurator non sit *bb* 17.
Presbyterum conjugatum, qui spernit anathema sit *b* 269. IV.
Presbyter uxorem à sua gubernatione non rejiciat *b* 266. VI.
——— si uxorem duxerit deponatur *b* 269. I.
Presbyteri uxorati aut fornicatores quomodo puniendi *bb* 115. 116. 303.




Digitized by Google

Presbyter, à Presbytero ignoranti in Nomine Patria, filia & ſpiritus S. baptizati non ſunt rebaptizandi *c* 400.
Priſlingen Monaſterium à S. Ottone fundatum *cc* 47. 48.
Primicerii multorum officiorum *b* 437. *n.*
Primicerius Capellæ in Conciliis ante Epiſcopos principem tenuit locum *b* 415. *n.*
Primislaus Rex Bohemiæ in Bavaria ab Henrico Duce turpiter cæſus *d* 192. Ungaros vincit 194. 195. 199.
Primogeniti Sacerdotes fuere usque ad Aaronem *d* 647.
Primogeniti usque ad Aaronem Sacerdotio, Dominio in fratres & majori portione hæreditatis gaudebant *d* 717.
Principia bina, unum animæ, alterum corporis creator, dogma Scythiani & Manetis *a* 39.
Principia Duo loco ſejuncta ſunt, juxta Manichæos *a* 87.
Principia Duo contraria ingenita eſſe nequeunt *a* 204. 205.
Principia Duo oppoſita eſſe non poſſunt *a* 63. 65. 67. *a* 428.
Principia prima, ad ea omnia reducenda *d* 475.
—— quomodo contra negantem probanda *d* 475.
Principium primum Theologiæ quod *d* 475.
Principis officium eſt ſaluti æternæ populi proſpicere *bb* 397.
Principum Reſcripta contra leges nil valent *c* 382. 383.
—— Conſtituta contra Decreta Romanorum Præſulum nullius ſunt momenti *c* 384.
Principes Chriſtiani obſequi ſolent Eccleſiæ Decretis, non ſuam præponere Auctoritatem, ex Gelaſii ſententia *c* 373.
Principes quibus in caſibus jurisdictionem in Eccleſiaſticas perſonas exercere poſſint *d* 612. 613.
Principes ob inveſtituram Clericorum à Gregorio VII. anathemate percuſſi *c* 384.
Priſcianus Grammaticus quo ævo vixerit *a* 224.
Priſcillianus quo tempore hæreſin ſparſerit *a* 295.
Privatio præſupponit habitum *a* 621.
Privilegium non-ſubdito collatum revocari à concedente nequit *d* 747.
Proceſſio Spiritus S. *a* 439.
Proclus Patriarcha Conſtantinop. *Deum Verbum carne paſſum eſſe* propter Neſtorianos docuit *b* 76. *n.*
Proclus & Cyrillus Theodori Mopſueſteni adverſarii *a* 582.
Procopii tres, Raſus, Parvus & de Piltzna *d* 763. *n.*
Procopius Raſus Taboritarum Dux *d* 454.
—— —— ubi cæſus *d* 461.
Prodigia ante excidium Hieroſolymorum *bb* 279.
—— varia ſub Childeberto *b* 214. 215. 216.
—— anni 580. *c* 228.
Propheta interdum & Doctorem ſignificat *d* 685.
Propheta Chriſtus ſicut Moyſes quibus in rebus *bbb* 15.
Prophetarum nomina *b* 162.
Prophetiſſarum ibid.
Prophetarum vaticinia quare ſubobſcura *bbb* 25 27. 41.
Prophetia quid ſit *bb* 25.
Prophetia duplex, aut prædeſtinationis aut comminationis, illam ſemper eventus conſequitur, hanc vero non *d* 481.
Prophetæ quæ prædixerint de Chriſto *a* 145.
—— nonnunquam decepti ſunt *d* 653.
Prophetiæ de Chriſto *bbb* 15. 16. 17. 18. 19.
Prophetia *Lupus cum agno &c. habitabit* quomodo intelligenda *a* 795.
Prophetia *Gens adverſus gentem gladium non levabit*, quomodo intelligenda *a* 795.
Propoſitiones & earum ſpecies *b* 497.
Proprium quid ſit *b* 490.
Proſperi ſex fuerunt *a* 255. ſeqq.
Proſper Africanus *a* 257.
—— Aquitanus *a* 257. an ſit auctor Chronici *a* 288. 259.
—— Aurelianenſis *a* 255.
—— Regienſis Epiſcopus *a* 256. 257.
Proſperi (Tironis) Chronicon *a* 252.
—— quouſq. Chronicon ſuum perduxerit *a* 253. 254.
—— Hieronymum jocis carpit *a* 198.
Protoſpatarii diguitas *b* 400. *n.*
Providentia divina, Manichæorum contra eam criminationes *a* 101.
Providentia Dei, ſine ea multa ex accidenti & natura rerum fieri, dogma Theod. Mopſ. *a* 579.
Prudentiæ deſcripto. *bb* 103.
Prufeningen Monaſterium quale *d* 92. à quo & qua occaſione fundatum ibid. & 96.
Przibram Huſſitarum Doctor, an ad Catholicos plene redierit *d* 762. *n.*
Pſallendi mos in veteri Eccleſia *bb* 38. quare mutatus ibid.
Pſalmus unde dictus *bb* 27. quid ſit ibid.
Pſalmi, Hymni & Odæ apud Hebræos & Græcos diſtincti *a* 6. 7.
Pſalmi C L numero *bb* 30. 32. 38
—— an in quinque libros dividendi *bb* 28.
—— in duodecin ordines diviſi *bb* 32.
Pſalmorum expoſitio quomodo facienda *bb* 29.
Pſalmi omnes tribus exceptis à Theod. Mopſ. de Zorobabele & Ezechia explicati *a* 577.
—— quot modis loquantur de Chriſto *bb* 28.
Pſalmorum liber totius S S. compendium *bb* 38.
Pſalmorum Elogium *bb* 23.
Pſalmorum Davidicorum præſtantia *a* 465.
Pſalmorum Tituli varii *bb* 26. 27. eorum omnium auctor David ibid.
Pſalmi qui pro diverſis occaſionibus recitandi *bb* 42. 43.
Pſalmiſta, quæ ad ejus officium ſpectent *c* 398.
Pſalmi in Eccleſia Chriſtiana ut canerentur à Cœleſtino Papa conſtituitur *cc* 235.
Pſalmi in Eccleſia non continue canantur, ſed lectiones interſerantur *b* 271. XVII.
Pſalmorum pœnitentialium à cæteris diſtinctio non fuit in uſu Sæculo III. *a* 6.
Pſalmus II. de Chriſto expoſitus *d* 316. ſeq. XXI. itidem 318. ſeq.
Pſalmus CXXII. à Beda carmine redditus *bb* 231.
Pſalmus CXXXIII. carmine redditus *bb* 262.
*Pſalmocanticum* quid ſit *bb* 27.
Pſalterium quid ſit *bb* 26. 27.
Pſalterium eſt quartus codex S S. *bb* 31. ab eo tyrones lectionem S S. inchoent ibid.
Pſalterii proprietates *bb* 31.
Pſeudo Chriſti & pſeudo Prophetæ qui *b* 351.
Pſaudoprophetarum artes *a* 55.
Pterygion de Veſte Pontificali explicatum *a* 246.
Pueri Monaſterii qui *b* 454. *n.*
Pulejum carmine deſcriptum *bb* 272.
Punire nemo poteſt niſi auctoritate gaudeat *d* 589.
Puniri interdum unus pro alio poteſt *d* 618.
Purgatorium animarum receptaculum *d* 48.
Patrum teſtimonia de eo ibid.
*Putiatorium* quid ſit *cc* 453. *n.*
Pyramides Ægypti, earum deſcriptio *d* 392.
Pyramidis Conſtantinopoli reperiundæ deſcriptio *d* XVIII.
Pythagoras quando claruerit *a* 260.
Pythagoras ex vocum Muſicalium obſervator *cc* 565.
Pythoniſſæ mulieres eædem ac ἐγγαστρίμυθοι *a* 7.

## Q.

Quadrageſima ſignificat hanc laborioſam vitam *c* 306.
—— in ea panem offerre non licet niſi in Sabbato & Dominico ſolo, Canon Synodi Laod. *c* 312.
—— poſt duas ipſius hebdomadas nemo baptizetur *b* 271. XIIV.
Quadrageſima unius ſeptimanæ Græcis ſancti Theodori dicta *c* 321.
Quadrageſima Græcorum triginta tantum diebus conſtat *d* 65.
Qualitas & Quantitas quid ſint *b* 346.
Qualitates rerum *b* 494.
Qualitas nulla in Deo *a* 66.
*Quando* ipſum per Filium factum *a* 438.
Quantitas in rebus quibus modis declaretur *a* 629.
Quantitas rerum definito & indefinito numero repræſentatur *b* 48.
Quantitatis menſura *b* 492.
Quantitatis conſideratio præcedere debet conſiderationem qualitatis *b* 39.
Quarantani iidem qui Carinthii *cc* 288. & ib. *n.* converſi 437.
Quarentena mons, ubi Dominus quadraginta diebus jejunavit *d* 16.
Quartadecimanorum error in Hiſpania à Migentio renovatus *b* 286.
*Qui eſt* Exod. 3. 14. non naturam indicat, ſed ſtatum *d* 267.



Digitized by Google

le Quien, Editor Damaſceni Operum laudatur *b* 26.
Quieſcentes, Monachorum genus *d* 366. 367.
Quintilis menſis Julius appellatus *b* 173.
S. Quirinus Rex & Martyr ignotus *cc* 115. 116.
——— fuit ex ſtirpe Cæſarea *cc* 117. fuit puer ſeptennis ſub Decii Tyrannide 123. ſub Pipino in Noricum demigravit 134. 143.
Quirinum Philippi ſenioris filium Epiſcopum fuiſſe in Eccleſia Laureacenſi, fabula *cc* 265. 322.

R.

Rabanus Maurus Epiſcopus Mogunt. *b* 249. *n.*
——— quando claruerit *cc* 478. 479.
——— quis fuerit *bb* 285. fuit Stercoraniſta 286. ſeq.
——— eſt Martyrologii auctor *bb* 290. ſeq.
——— ejus Pœnitentiale *bb* 283. quando ab ipſo ſcriptum 285. 286.
Rabanus Walafridi verſus ad eum *bb* 254.
——— ejus mors *c* 249.
Radix Jeſſe eſt B. virgo *d* 289.
Radulphus de Frameinſperg quis fuerit *d* 333. ejus Itinerarium 358.
Rahel quare Idola Patris abſtulerit *d* 279.
Rahel & Lea typi Eccleſiæ & Synagogæ *d* 279.
Ramuoldus Abbas S. Emmerammi factus *c* 123. ejus virtutes 175. ſeq. defertur ad Ottonem III. 134. ejus obitus 138. 139.
Rapertus Monachus S. Galli *bbb* 188. 196. 197.
Raphanus carmine deſcriptus *bb* 773.
Raptores virginum & mulierum ſuſpendantur & anathematizentur *bb* 112. 113.
*Raſile* vel *Riſile* quid fuerit *bbb* 275. & ib. *n.*
*Raſta*, quale menſuræ genus *c* 150. & ib. *n.*
Ratbodus Friſiæ Rex Eccleſias vaſtat *b* 237. *c* 341. ejus mors 239. & ib. *n.* *c* 343.
Ratio ſi non excolitur cœcatur *a* 95.
Ratio eſt quæ delinquit *a* 80.
Ratisbona quomodo olim vocata *c* 95.
——— olim *Reginum* vocata *b* 243. *n.*
——— *Noricum* olim appellata *cc* 321. poſt Tyburtina ibid.
——— Imbripoli 322. Regenſpurg ibid. unde Ratiſpona dicatur ibid.
Ratisbonenſis Epiſcopatus à S. Bonifacio erectus *b* 243.
Ratisbonenſis Epiſcopus primus quis fuerit 132. *n.* eorum ſucceſſio 133.
Ratisbonenſis Eccleſiæ antiquitas *c* 132. & ib. *n.*
Ratisbonenſis Eccleſiæ mos, ut qui Antiſtites iidem & Abbates eſſent *c* 123.
Ratpertus Monachus S. Galli, ejus obitus *cc* 567. *vide &* Rapertus.
Ravenna cum Pentapoli à Pipino S. Petro reddita *bb* 49.
Rebaptizatio, Catholicis eam non eſſe faciendam Ariani decernunt *a* 339. & ib. *n.*
Rebaptiſatio Catholicorum ab Huſſitis fiebat *d* 761.
Recaredus Rex Hiſp. ex Ariano Catholicus fit *a* 340.
Reconciliatio pœnitentium poterit fieri à Presbytero ſi periculum adſit *b* 273. VII.
Reconciliationem nolentes quomodo tractandi *bb* 114.
Regalia S. Petri, circa ea Pontificis cum Friderico I. lis *d* 172. *n.*
Reges populo à Deo dantur ſecundum ſua merita *d* 637.
Reges Judiciis Eccleſiaſticis ſubjacent *d* 591.
Regiaticina Civitas quæ? *bb* 354. 355. 356.
Reginoldus Epiſcopus Eiſtetenſis, an auctor vitæ S. Willibaldi *c* 15.
——— ——— ſcripſit vitam S. Willibaldi *b* 100.
Regis officium *b* 388.
Regnandi artes & præcepta varia *bb* 406. ſeq.
Regnum quartum Danieli oſtenſum eſt Regnum Chriſti *bbb* 13. & ib. *n.*
Regnum cœlorum omni ſexui, ætati & perſonæ æqualiter patet & *b* 376.
Regum leges non valere niſi Papali Decreto confirmatas Henricus Kalteiſen in Concilio Baſil. defendit *d.* 459.
Reicherſperg Epiſcopatui Salisburgenſi traditum *cc* 257. Monaſterium ibi extructum 259.
Reinhardtsbronn Monaſterium *d* 137. & ib. *n.*
Religio Chriſtiana Judaiſmum & Gentiliſmum ſuſtulit *bbb* 14.
Religionis cultus in fide, charitate & ſpe conſiſtit *b* 330.
Reliquiæ Patrocinia vocatæ *bbb* 770. & ib. *n.*
——— in reconciliationis ſignum miſſæ *a* 499. *n.*
Reliquias, Adami Abrahami, Iſaaci & Jacobi Chriſtum ipſum Hebrone viſitaſſe docet Don Sancho d'Avila *d.* 548.
Reliquiarum veneratio ab Ægidio Carlerio in Concilio Baſil. defenſa *d* 485.
Reliquiarum numerus ipſis fidem adimit *cc* 210.
Reliquiæ Conſtantinopli ſpectandæ *d* 337. in Cypro 338.
——— Reliquiæ quæ à Martino Abbate Conſtantinopoli Baſileam allatæ *d* XXI.
Reliquiæ in Monaſterio Windbergenſi reperiundæ *cc* 211. 212. 214. 215.
Reliquiæ, abuſus circa eaſdem à Taboritis notati *d* 454.
——— abuſus circa eaſdem à fratribus Bohemis notati *d* 602. earum veneratio honeſta, licita & ſancta ibid. & ſeq. 622. ſeq.
ῥῆμα filii eſt ſpiritus S. *d* 399.
S. Remigii Remenſis Epiſcopi acta cum Chlodoveo *b* 200. 202.
Remiſſio in converſione quam noxia ſit *bb* 154.
Remiſſio peccatorum fratri præſtanda *a* 473. ſeq.
Repreſſaliæ à Gregorio X. prohibitæ *d* 204. 217. 218.
Reprobi in poteſtatem Dæmonum traduntur *bb* 157.
Reſponſoria quid *bb* 39.
Reſurrectio mortuorum maximum luctus ſolamen *a* 383.
Reſurrectio Chriſti omni dubio vacat *a* 462.
Reſurrectio una eſt, non duplex, juſtorum & injuſtorum *b* 328.
Reſurrectio renovatione Telluris verno tempore figuratur *a* 375.
Reſurrectio corporum qualis futura *a* 602.
Revelatio immediata non amplius exſpectanda *d* 655.
Reverentia in ſacris neceſſaria *a* 470.
Rex, Dei, Epiſcopus, Chriſti imaginem habent, ideo honorandi ſi non in Perſona, tamen ob ordinem *d* 587.
Rhetoricæ partes quinque *bb* 251.
Rhodaid Caroli M. ex Concubina filia *b* 478. & ibid. *n.*
Rhodrud filia Caroli M. Græcorum Imperatori deſponſata *b* 477. & ibid *n.*
Rhodus Inſula *d* 338.
Richarda Caroli Craſſi conjux adulterii infimulata divino judicio ſe purgavit *c* 254.
Richardus Wiſigothorum Rex Wiſigothos, ab Arianiſmo convertit *b* 96.
Richardus Rex Angliæ Pater S. Walpurgis, Willibaldi & Wunibaldi *d* 239. regno relicto Luccæ moritur 240.
Richardus Rex Angliæ Viennæ captus *d* 177.
Richardus Rex Angliæ Imperator electus *d* 141.
S. Richarii vitam Alcuinus ſcripſit *b* 381.
Richbodus Epiſcopus Trevirenſis *b* 406. *n.*
Riſus indecentia *bb* 404.
Ritus Eccleſiæ Romanæ & Græcæ in Euchariſtia *c* 293. 294. Hieroſolymitanæ ibid.
Ritus Latinorum à Græcis diverſi *d* 63.
Rodomi, S. Rothomagi origo *bb* 51. *n.*
Rokizana Calixtinorum Dux *d* 451. in Concilio Baſilienſi articulum de Communione ſub utraque propoſuit *d* 453. qualis fuerit ibid. & 454.
Rokizana quis fuerit *d* 754. *n.* Eccleſiam Romanam Scarioticam Beſtiam appellavit 760. quomodo communionem ſub utraque defenderit 764.
——— Diſputatio Capituli Pragenſis cum eo de Huſſiticis controverſiis habita *d* 753.
——— ejus Diſputatio cum Catholicis, quæ ibi geſta *d.* 462. 963. quis ſcriptor dictæ diſputationis fuerit 465.
Roma quando condita *a* 269. & ibid. *n.* *b* 169. *c* 269.
Romanis quare orbis Imperium deſtinatum *d* 375.
Romanorum Reges. *a* 286. 270. *b* 169. *c* 200. ſeq.
Romani conſules quo tempore cœperint *a* 270.
——— ——— quot annis Rempubl. adminiſtrarint *c* 203.
Romanorum Imperatores *a* 273. ſeqq.
Romanum Regnum Roma in Græciam & inde ad Teutonicos tranſlatum per Pipinum *cc* 134.
Romanum Imperium ab Alanis, Wandalis, Suevis, Gothis diſcerptum *b* 184.



Digitized by Google

Romano-Christiani Imperii duratio ad finem seculorum usque *bbb* 12.
Roma quando à Gothis capta *a* 298.
—— a Genserico occupata *a* 318.
—— ab Odoacro *c* 220.
—— ab Arnolfo Imperatore capta *c* 255.
—— ab Ottone I. occupata *c* 260.
Romani Henrico IV. coronam transmittunt & de constituendo Pontifice interpellant *c* 276.
Roma est Babylon *c* 137.
Roma Babylon & purpurata Meretrix ab Hieronymo vocata *a* 202.
Roma quare præ aliis locis à Christianis frequentetur *d* 460.
Romæ binos Episcopos tertio sæculo fuisse vix verosimile *a* 4.
Romæ quot Monasteria *c* 137.
Romana Ecclesia omnia signa Ecclesiæ jure dominantis habet *d* 376.
Romanus Pontifex à nullo potest judicari *c* 382.
Romani Pontifices curam universæ Ecclesiæ semper gessérunt *d* 374.
—— —— à Clero & Senatu fuere electi, Decretum electionis tamen ante consecrationem ad Imperatorem mitti debuit *c* 379. quod postea à Constantino remissum ibid.
Romanæ sedis Primatus ab Imperatoribus agnitus *d* 375.
Romani Pontificis apud Gallos auctoritas quando invaluerit *b* 265.
Romani Ordinis antiquitas *b* 451 *n.*
Romanæ Sedis Legati Constantinopoli excommunicati *c.* 326. *n.*
Romana Ecclesia, ad eam redire debent schismatici & Hæretici omnes, si salvi esse velint *d* 836. 837.
Romuli Gesta *b* 169.
Rosa carmine celebrata *bb* 273.
Rudbertus Episcopus I. Salisburg. quot Scriptores ejus Vitæ fuerint *cc* 264. 265. ejus vita 282. alia 319. ejus ultima oratio 326. 327. vita alia 340. iterum alia 356.
Rudbertus Bajoariæ Apostolus & Ecclesiæ Salisb. fundator quando claruerit *c* 269. 270. 271.
S. Rudbertus vix fuit Wormaciensis Episcopus *cc* 265. 272. 320.
S. Rudberti translatio *cc* 284.
Rudolfus auctor Vitarum S. Liobæ & Rabani quis fuerit *bb* 166. *n.*
Rudolphus ab Arnolfo Burgundiæ Regnum obtinuit *c* 254. ejus obitus 257.
Rudolphus Henrici IV. adversarius [illegible] *d* 451. defunctus à Mezgero 275. 276.
Rudolphus Comes de Habspurg Imperator electus *d* 201. 216. Austriam ab Ottokaro Rege Bohem. recuperat *d* 204. 218. moritur 209.
S. Rufina & Secunda Virgines & Martyres *a* 750.
Ruricii Senioris vita *a* 361.
Ruricius ad religionis studium se applicat *a* 356. laudatur cum uxore Sara à Fausto *a* 358. 371.
—— Celso mittit equum *a* 367. 379.
—— ejus ad Faustum Epistolæ *a* 373.
—— ad Hesperium *a* 374. seq.
—— ad Namacium & Cerauniam *a* 381. 382.
Ruricius itineris molestias Pomerio Abbati exponit *a* 379. 380.
Ruricii Lemovicensis Epistolarum Libri duo *a* 369.
Ruricius plagiarius *a* 371.
—— a Fausto corripi optat *a* 373.
Ruriciorum Epithaphium *a* 370.
Rusticus quis *a* 632.
Rustici plures ætate Ruricii *a* 392. *n.*
Rustici quadraginta, quod carnes immolatitias comedere nollent à Longobardis occisi *b* 91.
Rusticus quidam ex visione mortem denunciat Ottoni Duci Bavariæ, Innocentio IV, Conrado IV. aliisque Principibus pacis perturbatoribus, quod & factum *d.* 189.
Ruta herba, carmine descripta *bb* 267.
Ruthenorum, (Rugiorum) vitæ ratio *cc.* 89.

S.

SAbbatum cui fini Judæis datum *bbb* 47.
Sabbati judaica observatio in quadragesima Latinis exprobratur à Græcis *c* 282.
Sabbati otium Christianis negligendum *a* 522. 523.
Sabbati observatio, quantum ad actum colendi præceptum morale est *d* 570.
Sabbato quare sit jejunandum *d* 77.
Sabbati dies jejunio & tristitia peragendus *c* 285. 286.
Sabbato uno jejunandum saltem est *c* 311.
Sabbato non esse jejunandum præter unum, non est canon Apostolicus *d* 77.
Sabbato, præter unum Græcis jejunare nefas. *d* 65.
Sabbatum omne præter unum Græci à jejunio solvunt, ut Judæi *c* 285.
Sabbatum agunt justi de corpore soluti exspectantque octavum diem, in quo corpora sua recipient *b* 545.
Sabbati jejunium qui custodiunt cum Azymis similes sunt Leopardo, & nec Judæi nec Christiani *c* 302.
Sabbati antepaschalis dies hilariter transigendus *b* 398.
Sabbati dies magnus, quare ita vocetur *d* 53.
Sabbati profanatio in muliere punita divinitus *cc* 64. item in rustico 88.
Sabbatum est translatum in diem Dominicam *bbb* 26.
Sabellii Hæresis *b* 30.
Sabellius quando hæresin sparserit *a* 285. *n.*
—— ejus error qualis *bbb* 50.
Sabellii & Arii errores *a* 538.
Sacerdos est Angelus Dei *a* 478.
—— est Mediator inter Deum & homines *a* 471.
Sacerdotes sunt os Dei & populi *d* 593.
—— eorum dignitas deducta *d* 635.
Sacerdotalis Dignitas regiæ tanto præstat quanto aurum plumbo *d* 679.
Sacerdotium ab omni potestati seculari est liberum *d* 592.
Sacerdotum apud Judæos series *b* 163.
Sacerdotum V. T. opulentia *d* 718.
Sacerdotium & Sacrificia apud Judæos cessarunt *bbb* 34. 35.
Sacerdotii N. T. præstantia præ illo Veteris Testam. *d.* 745.
Sacerdotium Novi Testamenti non est ad figuram Sacerdotii Aaronis sed Melchisedechi *d* 717.
Sacerdotium Evangelicum magis [illegible] Sacerdotio Melchisedechi, quam Levitico *d* 616.
Sacerdotes à Laicis distingui debent *d* 508.
—— quando à populo non distent *c* 384.
—— sunt homines propter se, Sacerdotes vero propter Laicos *d* 593. ideo non in moribus, sed in doctrina à Laicis judicandi ibid.
Sacerdotium quo pretio constet *a* 359.
Sacerdotes duplices, curati & non curati *d* 638. illis ordinarie prædicandi potestas est, ibid.
Sacerdotes an Clerum judicent jure Divino an saltem humano *a* 478. *n.*
Sacerdos non judicandus *a* 478. ab Episcopo judicatur ibid. *n.*
Sacerdotes sine Deo constituti qui sint *c* 386.
Sacerdos prædicare non debet nisi à Deo aut Prælato missus *d* 646. 647.
Sacerdotum officium circa corpus Christi verum & mysticum versatur *d* 638. 655. 658.
Sacerdotii actus principalis est Missam conficere, secundarius prædicare *d* 638. 640. 655.
Sacerdos Missans non tantum scire debet ac prædicans *d.* 638. 639.
Sacerdotis verba in Missa *a* 472. 474.
Sacerdotis oratio intercessoria pro peccatore *bb* 121. 122. 133.
Sacerdos si modo orthodoxus, in cætera Laicus non inquirat *a* 478.
Sacerdotum peccata si coram populo arguantur, quæ mala inde sequantur *d* 625.
Sacerdotes peccantes, qua ratione Laico contra eos agere liceat *d* 620.
Sacerdotum perversi mores *bb.* 70. 71.
Sacerdotes quamquam pessimos Populo venerandos esse, *Henricus Kalteisen* in Concilio Basil. contendit *d* 460.



Digitized by Google

Sacerdotibus etiam peſſimis honores & emolumenta exhibenda ſunt *d* 736.
Sacerdotes etiam mali ſunt honorandi *d* 634. 635.
Sacerdotum malorum miniſterium efficax eſt Deusque per eos operatur *d* 586. iis reditus debiti non ſunt ſubtrahendi 587.
Sacerdotes mali, an cauſa perditionis populi *d* 635. 636.
Sacerdotem lapſum in gradum reſtaurandum & non reſtaurandum eſſe, quomodo utrumque accipiendum *bb* 147. 184. 301. 302.
Sacerdotes impuros rejiciebant Taboritæ *d* 454.
Sacerdotes negligentes in officio redarguuntur *bb* 119. *n.*
Sacerdotibus & Levitis matrimonium interdictum *bb* 116. 303.
Sacerdotes & Levitæ cum uxoribus non coëant *c* 322. 323.
Sacerdos licet excommunicatus à prædicatione Verbi deſiſtere non debet *d* 630.
Sacerdotes quare in Euchariſtia & ſanguinem accipiant præ populo *d* 508.
Sacerdos non de civitate, ſed civitas de Sacerdote innoteſcat *a* 398.
Sacerdotes quare caput non radere, nec tamen comam nutrire juſſi *d* 728.
—— quomodo tondendi *d* 89.
Sacerdotes fornicatores S. Bonifacius coërcet *b* 243.
Sacerdotes Græci & Latini quomodo differant *d* 63.
Sacerdotes Græcorum riſui habiti *d* 65. à Laicis ad honores promoventur ibid.
Sacerdotes Græci a concubitu cum uxore ſancta adminiſtrant *d* 66.
Sacerdotes Latinorum cum laicis in bellum proficiſcuntur *d* 63.
Sacerdoti apud Latinos ter quaterque in uno die celebrare licet *d* 63.
Sacerdotes & Diaconi Surianorum matrimonium non ineunt, utuntur tamen uxoribus quas ante ſacrum ordinem receptum duxerunt *d* 433.
Sacramentum eſt ſacræ rei ſignum *d* 532.
—— fit, accedente verbo ad Elementum *c* 315.
Sacramenti perfectio triplex *d* 521. 522. 523.
Sacramenta ſeptem *cc* 39. 62. 63.
Sacramenta diſpenſandi modum Chriſtus Eccleſiæ reliquit *d* 545.
Sacramentum altaris eſt fundamentum fidei *d* 469.
Sacramenti Euchariſtiæ eſſentialia & accidentalia *d* 546. poſteriora mutari poſſunt ab Eccleſia ibid.
Sacramentum Euchariſtiæ, in eo tria conſideranda *d* 486.
Sacramenta Altaris non niſi à jejunis celebrentur *b* 275. VIII.
Sacrificantes, varia circa eos ſtatuta *b* 208. 1. —— V 111.
Sacrificium quæ in eo conſiderunda *b* 321.
Sacrificium offerre non debent niſi Epiſcopi & Presbyteri *bb* 121.
Sacrificium incruentum *b* 467.
—— delicta circa illud qua pœnitentia expianda *bb* 125. 126. 138. 139.
—— ſi ceciderit in terram, quid agendum ſit *c* 402.
Sacrorum à Sacerdote peragendorum mos *a* 472. *n.*
Sacrorum irreverentia correpta *a* 46. 470.
Sæculum X. Eccleſiæ Judaicæ & Chriſtianæ ſibi ſimilia *a* 269. *n.*
Sagæ Clero interdictæ *c* 359.
Sagittæ in clavos converſæ juſſu S. Ottonis *cc* 90.
Sal in os baptizati mittitur à Latinis Sacerdotibus *d* 63.
Sal in Sacrificio corporis Chriſti ab Hiſpanis uſurpatum *b* 397. *n.*
Salis uſus in baptiſmo *b* 545.
Salamina urbs Cypri *d* 338. ejus fata ibid. *n.*
Saliſburgenſia *cc* 263. ſeqq. eorum ordo 264. Saliſb. Epiſcopi 281. ſeq. 283.
Saliſburgenſis urbis deſcriptio ex Mabillonio *cc* 277.
Saliſburgi antiquitas *cc* 268. quare olim *Juvavia* dicta ibid. & 269. 287. ejus conditor & fata 333.
Salzburgenſis Epiſcopatus à S. Bonifacio erectus *b* 243.
Saliſburgenſium Epiſcoporum Catalogus *cc* 427.
Saliſburgenſe Concilium *d* 86.
Saliſburgenſia Concilia bina anno 1310. habita *d* 251. qua de cauſa 252.
Saliſburgenſe ſummum templum, quædam de eo *cc* 426.
Saliſburgenſium Donationum Scriptores *cc* 266. ſeq.
Saliſburgenſis Epiſcopatus ob Cunradi Epiſcopi renitentiam erga Fridericum I. proſcriptus & miſere dilaceratus *cc* 261. 262. 445. 446.
Salome uxor Joſephi, filia Aggæi, fratris Zachariæ *c* 28. 31. filia Joſephi dicitur 32.
Salome Mater Johannis Apoſtoli, filia Joſephi, conjugis Mariæ *c* 32.
Salome obſtetrix B. Mariæ, & Salome alia uxor Joſephi *d* 296.
Salome obſtetrix, Eliſabeth & S. Maria ſunt trium ſororum filiæ *c* 28. 37. *n.*
Salomon quot annis vixiſſe tradatur *d* 269. & ib. *n.*
Salomon Conſtantienſis Epiſcopus quis fuerit *bbb* 237.
—— —— ejus geſta in Monaſterio S. Galli *cc* 562. 563.
—— —— ejus Carmina ad Dadonem *bbb* 233.
Saltatio & modulatio à quibus inventa *a* 267.
Saltatio in nuptiis Chriſtianis interdicta *b* 272. LII.
σαλὲ vox quid ſignificet *a* 793. 794.
Salvia herba carmine deſcripta *bb* 267.
Samariæ deſcriptio *d* 353.
Samaria Sebaſtia vocata *b* 113.
—— quando & à quo reſtituta *a* 273. 274. & ib. *n.*
Samaria Regio & urbs qualis *d* 15.
Samaritæ unde ſic dicti *a* 269. & ib. *n.*
Samaritani qui ſint *d* 353.
Sambida Alanorum Rex *a* 317. & ib. *n.*
Samſonis vulpes cum Hæreticis comparati *b* 353.
Sanctus, vocis hujus etymologiæ variæ *d* 679.
Sanctus circa propriam vitam auſterus, circa aliorum benignus eſſe debet *cc* 301.
Sancta quæ ſint non ex opere operante ſed ex opere operato *d* 632.
Sanctitas duplex, vel innocentiæ vel Sacramentalis *d* 679.
Sanctificatio duplex, formalis & inſtrumentalis *d* 680.
Sancti ficti multi coluntur *a* 371.
Sancti Græcorum parum curantur à Latinis *c* 410.
Sanctorum geſta potius quam Homeri & Virgilii fabulæ legenda *bb* 169.
Sanctorum lapſus & peccata, quorſum relata *bb* 155. iis mali abutuntur ad perniciem propriam ibid.
Sanctorum acta ſubleſtæ interdum fidei *a* 496. *n.*
*Sanctorum & Martyrum nomina ordine Alphabetico relata invenies c* 501. *ſeqq.*
*Sanctorale*, qualis liber ſit 771. & ib. *n.*
Sanguis Chriſti pretium Redemtionis pro omnibus *a* 460.
Sanguis & aqua è latere Chriſti profluens ſupra naturam erat *a* 471.
Sanguis Chriſti è latere effluens an calidus fuerit *c* 316.
Sanguis, ab ejus comeſtione diu abſtinuerunt Chriſtiani *a* 521. quo tempore mos hic exoleverit ibid.
Sanguinis eſus & ſuffocatorum defenſus *c* 302. ſeq.
Sanguine humano Græci porcos alunt *d* 66.
Sapientia non omnino naturæ dominatur *d* 474.
Sapientiæ laus *b* 391.
Sapientia ſæcularis Spiritali ſubjungenda *a* 357.
*Sapientia juſtificata à Filiis ſuis* quid ſignificet *b* 398.
Sarabaita Nicetas Pectoratus vocatur *c* 314.
Sarraceni quando Palæſtinam Ægyptum &c. occuparint *c* 235. Galliam vaſtant 240, ubi cæduntur ibid.
—— quot annis Hieroſolymam tenuerint *d* 426.
Saraceni Aſſaſini quales *d* 24.
Sarcolatræ Apollinariſtæ ab Orthodoxis vocati *a* 228.
Sarta Galliæ fluvius repente ſiccatus *bb* 64. 65. & ib. *n.*
Satanæ vocis ſignificatus *a* 211.
Satanas mala radix juxta Manichæos *a* 88.
Satanæ Sedes quæ *b* 351.
Satanas an poſſit fieri deterior quam fuit *a* 70. *Vide plura ſub vocibus* Dæmon & Diabolus.
Saxones quomodo Ethnici adhuc ſtupra puniverint *b* 233. *n.*
Saxones à Bonifacio converſi *b* 240.
Saxonum res cum Pipino *b* 220.
Saxones à Pipino ſubjugati *bb* 49. 50.
—— à Pipino victi *c* 241.
Saxones à Pipino victi tributum 300. equorum quotannis dare coguntur *cc* 248.
—— à Carolo M. victi *bb* 52. fidem Chriſtianam recipiunt 53.
—— à Carolo M. ope Alcuini converſi *b* 421. *n.*
—— à Carolo M. & fide Chriſtiana iterum deficiunt *bb* 58.
Saxonum tertia pars à Carolo M. tranſlata *c* 243.
Saxones à Clothario cæſi *b* 207. 208.
Saxonum & Suevorum bellum *b* 213.
Scala Jacob typus B. Virginis *d* 277. 278.
Scaliger (Joſephus) an prius quam Caniſius ediderit Chronicon Victoris *a* 262.




Digitized by Google

Scandalizare Matth. 18. quid ſit *d* 607.
Scandalum in Eccleſia faciunt qui alienas à SS. fidei confeſſiones edunt *b* 312.
*Scara* quid ſit *bb* 50. ib. *n.*
Scarionēs, quale eorum munus *bbb* 63. *n.*
Schiſma quid ſit *b* 355.
Schiſma inter Græcam & Latinam Eccleſiam quamdiu durarit *d* 61. ejus cauſæ quatuor ibid. & 62.
Schiſma inter Eccleſiam Græcam & Latinam ejus potiſſimæ cauſæ *d* 372. quando factum ibid.
Schiſma contra Symmachum Papam *c* 222.
Schiſma Paparum Alexandri III. & Victoris *cc* 302. qui Germaniæ præſules priori adhæſerint ibid. & 445.
Schiſmatici qui ſint *d* 391. 393.
Schiſmatici & Simoniaci quomodo tractandi *c* 388.
Schiſmatici & Simoniaci morte plectendi, ex ſententia S. Anshelmi *c* 371.
Schiſmatici à Sæcularibus poteſtatibus comprimendi *c* 375. 388.
——— iis non debemus adjungi *c* 374.
Schizanius Hæreticus quis *a* 39. 40.
Scholares vagantes, contra eos ſtatutum *d* 89.
S. Scholaſtica Virgo *a* 747. 748.
Scholaſtici qui dicantur *a* 427.
Scholaſtici vocabulum etiam Advocatum denotat *a* 530. quid porro denotet ibid. & 532. 533.
Schotti (And.) de Etherio teſtimonium *b* 283.
Scientia non in bonis hominis locanda *d* 407.
——— quandoque pejor quam ignorantia *a* 121. & ib. *n.*
Scientia cœleſtis ſub finem mundi augeſcet *b* 343.
Sclarea carmine deſcripta *bb* 271.
Scorpianus Hæreticus, quis fuerit *a* 39.
Scortatio quare in V. T. ex lege puniri debuerit, non vero in N. T. *d* 458.
Scotus, (Joannes) quis fuerit *bb* 242. *n.*
Scotus Doctor ſubtilis appellatus *d* 502.
*Schultais* quid ſit *bb* 367. *n.*
SCRIPTURA SACRA V. & N. T. eſt divinitus inſpirata *d* 476.
Scriptura ſacra V. T. à Judæis non corrupta *a* 265. *n.*
——— eſt ſufficiens ad ſalutem & fidei regula. *d* 478.
——— ei in rebus fidei inhærendum *b* 301.
——— ejus neceſſitas *d* 477. ejus ſenſus multiplex ibid. & 479.
Scripturæ S. auctoritas eſt ab Eccleſia *d* 475.
Scripturæ Sacræ libri qui à Theodoro Mopſueſteno rejecti *a* 577.
SS. Libri qui ab Alcuino recenſeantur & omittantur *b* 382. 383.
SS. eloquentia *bb* 29.
——— ſenſus profundus & copioſus 30.
——— ſenſus eſt triplex, literalis, tropicus & myſticus *b* 333. ſeq.
SS. Interpretes quales eſſe debeant *d* 482.
Scriptura ſacra eodem ſpiritu exponenda quo inſpirata *d* 633. ei addere quomodo liceat ibid. & 683.
SS. in omnibus recto ſenſu acceptis eſt vera & certa *d* 476.
SS. explicatio quæ ſit tenenda *d* 482. 484. 517. 518.
——— ubi ejus recta explicatio petenda *d* 756.
Scripturæ S. & S. Patrum voces non mutandæ licet hæretici iis abutantur *a* 618.
S. Scriptura & ſimplicibus & doctis apta *c* 127.
SS. Lectio neceſſaria *b* 405.
SS. Lectio commendatur *b* 385. 420.
Scripturarum Divinarum aſſiduum ſtudium & Oratio mater eſt omnium virtutum *a* 465. 466.
SS. genera loquendi varia *d* 480. 481.
Scripturæ conſuetudo præterita efferre tempore preſenti *a* 187.
Scriptura S. vicina pro vicinis uſurpat *d* 268.
SS. materiam multam præſtat erroris hominibus ſuperbis *d* 476.
Scripturæ S. ſunt panis & Corpus Chriſti *b* 331.
Scrutinium ſepties fit *b* 544. 545.
Scythianus Hæreſeos Manichæorum Parens quis fuerit *a* 38. an Apoſtolo Johanni notus ibid.
Sebaſte, vide Samaria
Sebenytus Simonem colebat *bbb* 16.
Securitas vitanda *bb* 156.
Sedatus Nemauſenſis Epiſcopus fuit *a* 392. *n.*
Sedati ad Ruricium Epiſtolæ *a* 360. 361. 367.
Sedegunda maritum Leowildi Regis filium ab Arianiſmo convertit *b* 215.
*Sedere ad dextram Dei* quid ſignificet *a* 181.
Sedes quæ vocari debeant *d* 56. 57.
Seltzienſe Monaſterium ab Adelhaide conditum *c* 76. 77.
Semipelagianiſmus, in eum aliquando propendebant Aquitaniæ præſules *a* 349.
Senectus triplex hominis *d* 697.
Senectus virtutibus aptior quam juventus *a* 493. 512.
Senum & juniorum officia *b* 404.
Senſus SS. vel literalis vel Spiritualis *d* 477. Spiritualis triplex, allegoricus, tropologicus & anagogicus ibid. Senſus literalis principalis SS. eſt ille quem Spiritus S. intendit 477. plures eſſe poſſunt ſenſus literales 479. quomodo verus ſit eruendus ibid. & 480.
Senſuum paſſiones debellandæ *a* 357.
Separatio à malis quando recte fiat, quando non *d* 577. 578. 594.
Sephoris urbs ubi ſita *d* 14.
Septem dormientium hiſtoria *bb* 332. *bbb* 146.
Septenarii numeri myſterium *c* 40. *cc* 124. 125.
Septimanam edulio caſei dicatam Latini non agnoſcunt *d* 63.
Septuaginta hebdomades Danielis *bbb* 31.
——— ——— quando expletæ *b* 171.
——— ——— computatæ *d* 297.
Sepulchrum Chriſti ubi *b* 111.
——— ——— quale fuerit *a* 462.
Sepulchri Chriſti deſcriptio *d* 348. 349. & ib. *n.*
Serapion, ejus liber adverſus Manichæos *a* 35. alia ejus Scripta ibid. & *p* 37. an Confeſſor? *p* 36.
Serapionis fragmentum ex Socrate *a* 37.
Sergius & Pyrrhus hæretici, quid tenuerint *bbb* 51.
Sergii Pontificis Viſio de S. Willibrordo *b* 464.
Sermo animæ cogitatio *a* 131.
Sermo quid in eo cavendum *bb* 403.
Seronatus Catilina ſui temporis *a* 367.
Serovitus idolum Pomeranorum, ei clypeus conſecratus erat *cc* 78.
*Servari per ignem* quomodo intelligendum, juxta Græcos *d* 49.
Servatius Tungrorum Epiſcopus *b* 196. & ib. *n.*
Servus nec accuſator nec teſtis contra Clericum eſſe poteſt *bb* 300.
Severianus Epiſcopus Arethuſæ *a* 613. *n.*
Severiani Hæretici quo tempore exorti 329.
——— ——— contra eoſdem cujuſdam Anonymi Collectanea *b* 250.
Severianorum oppoſitio contra fidem orthodoxam *b* 259.
Severiani maledictam dicunt legem Moſis *c* 327.
Severus, à quo Severiani, quis fuerit *a* 613. *n.* ejus dogmata ibid.
Severus Hæreticus Corrupticola vocatus *b* 250.
Severus & Julianus de corruptibilitate corporis Chriſti diſceptantes *a* 560.
Severus Sulpitius Hiſtoricus *a* 633.
Severus Sulpitius alius, Bituricenſis Epiſcopus, ordinator Deſiderii *a* 633. ejus laus ibid. Patriarchæ titulum ſumſit ibid. & 640.
Severus Trevirenſis Epiſcopus *a* 633.
Severina ad quam Hippolytus Exhortationem ſcripſit, quænam fuerit *a* 8.
S. Severini Patria *a* 410. 412. ad Norici Ripenſis regiones ex oriente ſe recipit ibid.
Sextilis Menſis Auguſtus appellatus *b* 174.
Siagrius quis *a* 633.
Sibylla Chriſtum venturum prædixit *b* 434.
Sibyllæ prophetia de Brunichilde *b* 204.
Sibyllini Verſus in pyramide inſculpti victoriam claſſicam Latinis contra Græcos prædicunt *d* IV. XVIII.
Sicilia ab Henrico VI. occupata *cc* 598.
Sichem civitas, *d* 15.
Sidera corporati ſpiritus quibuſdam credita *a* 363.
Sidonis civitatis deſcriptio *d* II. 339.
Sidonius Appollinaris, ejus Epiſtola ad Oreſium *a* 165.
——— ——— ambiguam laudem tribuit Fauſto *a* 345.
Sidonium inter & Fauſtum controverſia quæ interceſſerit *a* 345. 346.
Sidonius Arvernorum Epiſcopus. Ruricii ad eum Epiſtolæ *a* 376. ſeq.
Sidonii Epiſtolæ ad Hecdicium pars, Epiſtolæ Sedati ad Ruricium inſerta *a* 367. & ib. *n.*
Sidonius Salius interdum audit *a* 395.
Sigeardus Auctor fide parum dignus *d* 156.
Sigebertus Galliæ Rex quo anno regnum inierit *a* 635.



Digitized by Google

Sigebertus, Desiderii ad eum Epistolæ *a* 637. Ejus Epist. ad Desiderium *a* 646. 649.
Sigebertus Suessionis Rex Brunichildem ducit *b* 209.
Sigebertus Galliæ Rex à Lothario cæsus *c* 242.
Sigefridus Normannorum Rex baptizatus *c* 202.
Sigilla septem apoc. mystice exposita *b* 337.
Sigimarus Abbas, Walafridi ad eum Versus *bb* 252.
Sigismundus Rex Allobrogum *d* 162.
Silverius Papa in exilium missus à Belisario & à Virgilio successore inediâ necatus *a* 331. *n.*
Silvestri Papæ constituta *cc* 230.
Simeon justus, qui dies ipsi sacer *c* 414. *n.*
Simeon Metaphrastes quo tempore vixerit *c* 22.
Simeon stylita *c* 433. 463.
Simile in Trinitate dicere temerarium *a* 442.
Simon Magus ab Apostolo Petro præcipitatus *a* 660.
Simon Apostolus, ejus nuptiis Nicodemus, Nathanael & Joseph Arimatheus adfuerunt *bbb* 20.
Simonis Cananæi zelus in duos magos *d* 572.
Simon, Demas, Nicolaus & Cleobius Hæretici à Joanne Apostolo notati *c* 313.
Simoniaci sunt qui dant & accipiunt pecuniam ante manus impositionem, in ea & post eam *c* 386.
Simoniaci pejores hæreticis & Juda proditore *c* 385.
Simoniaci non sunt omnes hæretici *d* 746.
Simoniaca hæresis à quibus Pontificibus fortiter sit oppugnata *c* 378.
Simoniacorum effugium, se non sacra, sed reditus sacris annexos emere vel vendere, refellitur *c* 386.
Simoniacus licet pœnitens Sacerdos manere non potest *c* 386.
Simoniacorum Sacerdotium irritum est *c* 387.
Simonius laudatur *a* 434.
Sinai montis descriptio *d* 343. 344.
Sindolphus refectorarius in S. Galli Monasterio ob calumnias probe depexus *cc* 566.
Singularia non semper habent naturam singularem *a* 618.
Singularis & Pluralis: Vox in singulari sæpe pluralitatem & Vox in plurali sæpe unitatem indicat *b* 46.
Sion mons, ejus descriptio *d* 17. 348.
—— —— figurat Ecclesiam *b* 362.
Sirletus Cardinalis laudatur *d* 259.
Slavi Carolo M. se subjicium *bb* 57.
—— quomodo ad fidem Christianam conversi *cc* 341.
Spanhemius, quibus argumentis historiam Papissæ Joannæ tuitus sit *d* 363.
Spania sæpe Hispania vocata *b* 373. & ib. *n.*
Species quid sit *b* 490.
Spectacula Clericis interdicta *b* 272. LIII.
Spes unde vocata *b* 330.
Spei descriptio *bb* 102.
Spiritualis viri æqualitas animi *a* 357.
Spiritus S. lumen est *a* 443.
—— est fluvius aquæ procedens de Sede Dei & Agni *d* 402.
—— est omnipræsens *a* 446.
—— consubstantialis Patri & Filio *a* 439.
—— non est instrumentum filii, sicut nec filius Patris *d* 398.
—— mittitur non ut Minister *a* 444.
—— ex Patre filioq. procedit juxta Patres *d* 376. 377.
Spiritum S. ex Patre per Filium procedere Patrum testimonia *d* 35. 36. 40. 41.
Spiritum S. non procedere à Filio, argumenta Græcorum *d* 34. ad ea responsio 34.
Spiritus S. Processionem ex Patre & filio quibus argumentis probent Latini *d* 379. 396. 397. seq. Græcorum argumenta contra eam 385. seq.
Spiritus S. Arianorum de eo dogmata *a* 180.
—— non semper mansit in Prophetis *bb* 25. in Christo vero semper ibid.
—— Apostolis adfuit participate, Christo vero tanquam consubstantialis *a* 446.
Spiritum S. Discipuli Christi non dederunt aliis *b* 300.
Spiritus S. etiam per malos Prælatos in Concilio generali loquitur *d* 682.
Spiritus sunt probandi *b* 315.
Spiritibus in carcere Christus remissionem prædicavit *a* 540.
Spiritus duplex, interior & exterior *d* 43.
Spiritus vitalis & organicus alius à rationali *a* 544.
Spiritus immundus Alexandrinos & Ægyptios vexat *a* 336.
Spurii ad Ecclesiasticam dignitatem non promoveantur *bb* 131.
Sodomitæ, varia statuta circa eos *b* 268. XV. XVI.
—— quot annis pœnitere debeant *bb*. 111. 123. 309. 311
Sol & aër Ecclesiam figurant *b* 319.
Solis utilitas *a* 128.
Solis & Lunæ cursus computus à Carolo M. & Alcuino contextus *b* 394.
S. Solæ Vita ab Ermenoldo scripta *bb* 161.
S. Sola quis fuerit *bb* 162. quando vixerit 165.
—— solitudinem amat ibid. ejus miracula 172. seq.
Soldani Epistola ad Fridericum I. *cc* 515. ejus clades 524.
Solenhoven monasterium unde sic dictum *bb* 171. ejus descriptio ibid. & in *n.*
Sophia, Belæ Hungariæ Regis filia, Henrico Conradi filio desponsata, in Monasterio Admontensi fit religiosa *cc* 91. 92. 93. 443.
Sophiæ templum Constantinopoli constructum *c* 225.
S. Sophiæ templum, ejus magnificentia *d* 337.
Sormo Francus à Slavis in Regem electus *c*. 232. Thuringiam vastat 233.
Sortilegia & auguria apud Pomeranos Ethnicos in usu fuerunt *cc*. 70. 71. eorum abrogatio ibid.
Sortilegiorum rei quot annis pœnitere debeant *bb* 124. 136. 310. 311.
σάζων quid significet *d* 49.
Stella Lunam ingressa *b* 207.
Stella de cœlo cadens sunt Hæretici *b* 319.
Stephanus quoto post Christi ascensionem anno lapidatus *c*. 27. 35. & ibid. *n.*
S. Stephani corporis Revelatio *bbb* 221. & ibid. *n.*
Stephanus junior Martyr stupri suspicione laboravit *c* 491. *n.*
Stephanus Papa in Franciam venit adjutorium quærens pro justitiis S. Petri *bb* 49.
Stephani Papæ constitutio *bbb* 160.
Stephanus Hungariæ Rex à Brunone baptizatur *c* 67.
Stephanus I. Hungariæ Rex Giselam S. Henrici sororem ducit & Christianam fidem amplectitur *cc* 31.
Stephani Hungarorum Regis I. mors *c* 266.
Stephanus le Moyne laudatur *a* 7.
Stercoranistæ qui *bb* 286.
Stercoranista Nicetas Pectoratus appellatur *c* 319.
Steronis (Henrici) Annales ab anno M. C. LII. ad M. CCC. 169. quis fuerit Stero 171.
Stewartii Dissertatio de Scriptione Photiana *bb* 459.
Stichometria Nicephori an ipsius *bb* 3.
στίχοι & στιχηρὸν quomodo differant *a* 773.
Stimuli carnis in Paulo qui? *bb* 159.
Stolæ albæ Apoc. 6. quid significent *d* 46.
—— —— —— significant aulinas *b*. 328.
Strabo (Walafridus) Strabus nominatus *bb* 233.
Strabi pro Strabonibus an dici possint *a* 732. *n.*
Subdiaconi officium *c* 398.
Subdiaconus orario utatur nec ostia relinquat *b* 271. XXII.
Substantia quid sit *b* 3.
—— quid sit juxta Aristotelem *b* 251.
Substantia, natura, hypostasis, atomus, an unum idemque *b* 251.
Substantiæ & naturæ differentia *b* 252.
Substantiæ & hypostaseos differentia *a* 628. *b* 252.
Substantias differentiæ substantiales constituunt *b* 39.
Substantia quadrupliciter divisa *b* 252.
Substantia non potest esse composita ex substantiis *b* 38. 39.
—— non recipit majus & minus *a* 446.
Substantia Dei & voluntas non unum idemque *a* 185.
Substantia Dei in omnibus est creaturis *a* 449.
Substantiæ particulares in Trinitate explosæ *b* 31.
Substantiæ tres in Christo *b* 317.
Substantia corporis non est mala *a* 45. 46.
Suevorum & Gothorum res in Hispania *b* 187.
Suffocati & Sanguinis esus ab Apostolis in gratiam Judæorum convertendorum ad tempus saltem prohibitus *d* 77.
Suffocatorum esus Christianis interdictus *bb* 127.
Suffocati & sanguinis esus Latinis exprobratur à Græcis *c* 282.
Suffocatum, ab eo Græci non abstinent *d* 66.
Suffraganeorum nomen quibus competat *b* 548.
Sulpitius Severus Bituricensis Episcopus *a* 633. laudatur à Gregorio Turonensi. ibid. *Vide plura in voce* Severus.


Super-

Digitized by Google

Superbiæ vitium *a* 759.
—— in cœlo ipso ortum sumsit 760.
Superbia initium peccati *bb* 92.
—— quibus indiciis possit deprehendi *bb* 97.
—— peccatorum maximum *bb* 158. 159.
Superior, in fide peccans fit inferior & tunc corripi potest ab inferioribus *d* 785. 590.
Superiores, eis subditi humiliter renitere possunt, si eos ad malum cogere voluerint *d* 617.
Supernaturale in omne naturale omnifariam potens est *cc* 203.
Superstitiones paganæ sub nominæ Sanctorum prohibitæ *c* 354.
Supplicia improbis fræna, probis majoris virtutis occasio *a* 105.
Supplicia Inferni corpora non interimunt sed conservant *a* 565.
Suriani, Palæstinæ gens, qualis *d* 22. & ibid. *n*. 23. 24. *d* 432. 433.
Susanna, Historiæ de Susanna mystica expositio *a* 10.
Syllabarum Accidentia *b* 510.
Sylva palaris & palta quid sit *cc* 458. *n*.
Sylverius Papa in exilium pulsus *c* 224.
Sylvester Pontif. Rom. Constantinum M. lepra sanavit *a*. 723. contrarium ostenditur ibid. *n*.
Symbolica Theologia non est argumentativa *d* 606.
Symbolum quid significet *b* 326. 327.
Symbolum non omnia necessaria dogmata complectitur *d* 384.
Symbolum Apostolicum *b* 304.
—— ab Apostolis est collatum *b* 327.
Symbolum Apostolicum ab Apostolis confectum traditur *b* 544.
Symbolum Apostol. extra illud non est quod credamus *b* 308.
Symboli Apostolici brevis expositio *b* 545.
Symbolum Nicænum *b* 75. *b* 309.
—— —— illud rejecit Theod. Mops. *a* 578.
Symbolum fidei Ecclesiæ Græcæ *bb* 380. 383.
Symbolo Catholicæ fidei vox *filioque* addita *b* 397. *n*.
Symbolum Elipandi *b* 309.
Symbolum Theod. Mops. *a* 578.
Symbolo qui addunt excommunicati *d* 41. ei addere quomodo liceat & non liceat ibid. & 42.
Symboli in Ecclesia cantandi potestas Gallis à Leone III. concessa *b* 327. *n*.
Symbolum & Orationem Dominicam Presbyter recitare faciat eos, quibus communionem est traditurus. *c*. 397.
Symmachus à Theodorico trucidatur *b* 191.
Synagogæ Judæorum, circa eas statuta Synodi Viennensis *d* 85.
Synedrium post Mosen nullum fuit *a* 267. *n*.
Synodus Aquisgranensis contra Felicem *b* 295.
—— Augustana *c* 11. à quibus habita ibid.
—— Chalcedonensis damnat Ephesinam *a* 304. 320.
—— Constantinopolitana contra Macedonium quando habita *a* 295. & ibid. *n*.
—— Engilenhemensis *c* 8. quas ob causas habita ibid. à quibus 9.
—— Ephesina contra Nestorium quo tempore habita *a*. 301.
—— Francofurtensis à Carolo M. habita *c* 243.
—— Francofordiensis quando & contra quos habita *b*. 281. 282.
—— Ingelenheimiana anno 972, habita *c* 260.
—— Regiaticina *bb* 353.
—— Ticinensis *bb* 369.
—— Toletana contra Arianos *a* 341.
—— Trullana falso sexta Oecumenica vocata *d* 70.
Synodorum Oecumenicarum auctoritas *bb* 4.
Synodi septem Oecumenicæ summatim recensitæ *bb* 384. seqq.
Synodus Oecum. IV. quæ constituerit *bb* 4.
Synodi sextæ acta breviter narrata *c* 218.
Synodus universalis esse nequit cui Pontifex Rom. non præest *d* 61.
Synodi quædam particulares *d* 71. 72.
Synodi quovis anno celebrandæ *c* 353.
Synodus Provincialis per Pontificis Romani Vicarios retractari poterit *b* 272. VII.
Synodi statuta in Anglia ad Archiepiscopum Cantuariensem perlata *c* 341.
Synusiastæ hæretici qui *a* 234. & ibid. *n*.
Syri quo die annum incipiant *a* 5.

## T.

TAbor mons *d* 354.
Tabor mons transfigurationis Domini & occursus Melchisedech *d* 14.
Taboriticum lumen, Hesucastarum Monachorum de eo opinio *d* 367.
Taboritæ, Bohemorum fratrum ordo, cum Reformatis per omnia consentiunt *d* 452. eorum dogmata præcipua 454.
Tabra & Tabrata fictitii Martyres *d* 156. 167.
Tacere quam loqui sæpe præstat *a* 374.
Talayrandus Cardinalis cruce signatus *d* 332. qualis fuerit quæque fecerit 334. *n* 336. *n*.
Tarsus oculus Ciliciæ *a* 577.
Tartarorum nuncii in Concilio Lugdunensi baptizati *d*. 200.
Tartari Ungariam invadunt *d* 207. & ibid. *n*.
Thassilo à Pipino Dux Bajoariæ constitutus *bb* 48. fidelitatem ipsi jurat *bb* 49. ejus perfidia *bb* 50. Carolo M. se subjicit 54. iterum 56. 57. in monasterium abit ibid.
Tassilo Bajoariæ Dux à Carolo M. in monasterium detrusus *c* 109.
Tassilo Bajoariæ Dux constitutus à Pipino *cc* 248. rebellis à Carolo in Monasterium truditur 249.
Tatianus Hæreticus Encratitarum Auctor 283. & ibid. *n*.
Tatto, Walafridi versus ad eum *bb* 252.
Tecla fœmina religiosa ad Moenum à S. Bonifacio collocata *c* 349.
Tegersеensis Monasterii descriptio *cc* 115.
Tegumentum capitis post baptismum *b* 547.
θήλυς & βήλυς quomodo differant *bb* 440.
Telesphorus Papa quæ constituerit *bbb* 89. 90. *cc* 224.
τελετὴ pro sacra Eucharistia *a* 578.
Temperantia quid sit *bb* 104.
Templariorum ortus *d* 430. 431. laudes ibid.
Templum Salomonis quot annis steterit *a* 259. *cc* 222.
Templi restauratio post vastationem Babylonicam annis 46. peracta *a* 248.
Templorum reverentia *c* 390.
Tempus hujus vitæ est tempus operis *a* 391.
Tenebræ & noctes necessariæ & bonæ *a* 113. 114.
Tenebræ substantiales ante visibilem creaturam Manichæis creditæ *n* 379.
Terebinthus arbor, sub qua Dominus cum Abrahamo comedit *d* 20.
Terentii mors quando contigerit *a* 272.
Ternarius numerus Trinitatis index *d* 271. 272.
Ternarii Numeri excellentia *b* 398.
Terræ divisio inter filios Noachi. *b* 155. 159.
Terra sensu prophetico quid significet *b* 352.
Terræ motus insignis sub Theodosio M. in quo puer sublimis raptus *c* 471.
Terræ S. Descriptio auctore Burchardo de Monte Sion. *d* 1. quæ ei addita in hac editione 4.
Terræ S. descriptio & incolæ *d* 21. 22. 23. fertilitas 22 23.
Terræ S. Discriptio per Anshelmum *d* 776.
Terræ S. præstantia *d* 335. ea præ Patria Christiano est amanda 336. quæ sectæ ibi reperiundæ 348. ejus magnitudo 355. & ibid. *n*.
Terræ S. præsens sterilitas nil præjudicat SS. veritati *d*. 4. 5.
Terræ S. Loca ubi Christus quid peregit pleraque sunt sub terra; quare? *d* 13.
Terræ Sanctæ quanta veneratio à multis Christianis exhibeatur *d* 9.
Terram S. quot annis Christiani à Saracenis recuperatam tenuerint *d*. 427.
—— quomodo & quando Christiani eandem rursus perdiderint *d* 430. 438.
Tertullianus, ejus argumentum contra confusionem naturarum Christi *a* 11.
Tertulliani liber *Scorpiacus*, quare ita dicatur *a* 40.
Testamenti Veteris auctoritas *c* 296.
—— est fundamentum Novi ibid.
Testamentum novum, quare novum vocetur *c* 299.



Digitized by Google

Teſtes contra Clericum quales eſſe debeant *bb* 300.
τετραχηλισμένοι quid ſignificet *a* 477. *n.*
Tetrici imago, de ea verſus Walafridi *bb* 227. ſeq.
Texandria qualis urbs fuerit *b* 142. *n.*
Thaddæus ſive Lebbæus Abgarum Regem baptizavit *c* 459.
Thaddæi Scoti fragmentum Chronicon de S. Kiliano &c. *d* 452.
Thales Mileſius quando vixerit *a* 269.
Thaſſilo Bojoariæ Dux à Carolo M. Ducatu privatus *c.* 242. 243. vide plura ſub voce Taſſilo.
Thaut Germanorum Deus Mercurius fuit *a* 773.
Thebeæ legionis martyrtum *bb* 225. 226.
S. Thecla Virgo & Martyr. *a* 747.
—— ejus vita a Baſilio Seleucienſi haud ſcripta *a* 239.
Thecua, illic infantes ab Herode occiſi *b* 112. 120.
Thedagus Epiſcopus Pragenſis factus *c* 64.
Theganus Chorepiſcopus Trevirenſis, Walafridi verſus ad eum *bb* 247. & ibid. *n.*
Theleſphorus Papa Miſſas etiam nocte Nativitatis Domini celebrari inſtituit *c* 320. *Vide plura ſub* Teleſphorus.
S. Theodamarus vide S. Tyemo.
Theodora Auguſta, Juſtiniani Imp. uxor legem fert, unum de Trinitate paſſum eſſe abſolute ut ſuſcipiatur *a* 328. 329.
—— eſt occulta Synodi Chalcedon. inimica *a* 330. cancro moritur 332.
Theodorus Abucara, quo tempore vixerit & cujus urbis Epiſcopus fuerit *bb* 464. Editoribus Biblioth. PP. non ſatis notus fuit 465. ejus Scripta ibid. 466.
Theodori Abucaræ Liber de Unione & incarnatione *bb.* 473.
Theodorus Mopſueſt, & Diodorus Tarſenſis an Hæretici fuerint *bb* 388. *n.*
Theodorus Mopſueſtenus quos libros è Canone S S. rejecerit *a* 577.
—— —— à Leontio Byzantino oppugnatur *a* 529.
—— —— ejus accuſationes *a* 577.
—— —— Antichriſtus eſt Leontio Byz. *a* 578.
—— —— nullum contra incarnationem ſcripſit librum *a* 583. *n.* Excerpta ex ejus Libris *a* 583.
—— —— ejus Libri in varias linguas verſi *a* 578.
Theodori Hagiopolitani Diſputatio cum Neſtoriano *bb.* 471.
—— —— ejusdem diſputationes de Deo & Deitate *bb* 463.
Theodo Bajoariæ Dux à S. Rudberto baptizatus *cc* 282. 283. quando vixerit *cc* 269. 270. 271. ejus donationes 324. 462. mors 325.
Theodeberti & Theodorici fratrum Galliæ Regum bella *c* 231. 232.
Theodemannus Aquilejenſis Patriarcha *bb* 359.
Theodorici Regis Gothorum nativitas *b* 188. Odoacrum ſuperat 189. ejus geſta alia ibid. & ſeq. obitus 191.
Theodorici Gothorum Regis geſta *c* 221. 222. 223.
—— —— ubi mortuus *a* 658.
—— —— ejus obitus *bbb* 133.
—— —— Sacerdoti in ollam ignis abreptus videtur *b* 121.
Theodorici infernus ubi *b* 114.
Theodorici Galliarum Regis mors qualis *a* 772. 773.
—— ejus filli quot? ibid.
Theodoricus Thuringus Auctor vitæ S. Elizabeth perperam à Voſſio in duos diviſus *d* 115.
Theodorus Scriptor Vitæ S. Magni *a* 652. 653.
θεὸς vox non naturam ſed functionem Dei denotat *d* 267.
θεοτόκος vox à Theodoro Mopſueſteno improbata *a* 577.
θεοτόκος Maria longe ante Neſtorium vocata *b* 84. *n.*
Theodoretus blaſphemus judicatus *d* 43. quæ fuerit ejus cum Cyrillo controverſia ibid. *n.* reſipuit ibid.
Theodoreti pro ſimplicitate ſtyli in divinis teſtimonium *b* 102. 124. 125.
Theodoſii M. res geſtæ *b* 183. 184.
Theodoſius & Gajanus Hæretici quo tempore vixerint *a* 330.
Theodoſiana Hæreſis Agnoetarum & Tritheitarum parens *a* 329.
Theodoſianus Codex quando confectus *a* 316. & ib. *n.* & 317.
Theodoſianæ leges Theodoricianis poſthabitæ *a* 367.
Theodoti, Epiſcopi Ancyrani teſtimonium pro una natura à Timotheo Severiano citatum *a* 527. 528.
Theodrada Caroli M. filia *b* 478.
Theodulfus quis fuerit *bb* 60. 61. damnatus eſt à Præſulibus Gallis *bb* 64. *n.*
—— ejus Elegiæ Epiſtolares de ſuo exilio *bb* 59.
—— Poëmata alia *bb* 72.
Theoneſtus, Urſus & Albanus, incerti & falſi Martyres *d* 155. Theoneſtus ubi Epiſcopus fuerit 158. in exilium pulſus 160.
Theoneſtus cum diſcipulis Romam adit *d* 160. Mediolanum petit 161. cum S. Ambroſio colloquium habet ibid. Paulinum Trevirenſem adit 162. 163. Moguntiam petit ibid. ejus Martyrium 168.
Theopaſchitæ Triſagio addunt: *crucifixus pro nobis a* 327.
Theopaſchitarum hæreſis *b* 76. *n.*
Theophaniæ feſtum, *Vide* Epiphania 16. *n.*
Theophania Conjux Ottonis II. quæ fuerit *c* 50. & ibid. *n.* *c* 75. & ibid. *n.* ejus obitus 76.
Theophania Mater Ottonis III. quando mortua *c* 262
Theophylactus corruptor Scriptorum Chryſoſtomi *d* 55.
Theoria mentis quid *bb* 477.
S. Thiemo Archiep. Salisb. *cc* 431. & ib. *n.* 440. vide plura in Tyemo.
Thiota Pſeudo-Prophetiſſa flagellis cæſa *c* 248.
Thmuis Ægypti civitas unde ſic dicta *a* 35. ubi ſita ibid. & p. 36.
*Tholus* quid ſit *b* 475. *n.*
S. Thomas Apoſtolus, Traditio de eo *c* 24. 25. unde hauſta ibid.
Thomas de Argentina citatus *d* 502.
S. Thomas, Alberti M. diſcipulus, laudatur *d* 499.
Thoromachus quis fuerit *b* 150. 151.
—— ejus Chronicon ibid.
Thurcorum gentis origo *b* 167.
Thuringia Francis ſubjecta *b* 204.
Thuringia, ibi ceſpes ingens 25. pedes tranſlatus *c* 245.
Thuringi à Theodorico Rege Italiæ cæſi *c* 223.
Thuringia converſa ad fidem Chriſt. *b* 242. *n.*
Tiberias civitas qualis *d* 14.
Tiberius Chriſtum Deum haberi vult *cc* 220.
—— Chriſtiana Sacra vult in urbe recipi *a* 275 *b* 175.
Tiberius II. Imp. magnum Theſaurum reperit *b* 214.
τιμάριον Veſtis clericalis *d* 77.
Timor ſuppliciorum in converſis præcedere debet amorem vitæ æternæ *bb* 154.
S. Timotheus ubi ſepultus *b* 114. 120.
Timotheus Beryti Epiſcopus Apollinariſta *a* 602. 604.
Timothei Severiani fragmentum complectens teſtimonia Patrum contra duas naturas in Chriſto *a* 527. ſeq.
Tinca piſcis genus *bb* 299. *n.*
Tintinnabula & mala punica in veſtibus Sacerdotis quæ ſignificent *d* 624.
*Tiphis* quid ſit *bb* 69. *n.*
Tithpirgo Lotharii Junioris uxor repudiata *c* 249. ipſi reconciliatur 250.
Titi Boſtrenſis libri tres contra Manichæos *a* 56. alia ejus Scripta ibid.
Titus Boſtrenſis Pelagianizat *a* 57.
Titi tres Boſtrenſes Epiſcopi ſecundum quosdam *a* 56. 57.
Tolbiacenſe prœlium inter Theodoricum & Theodopertum Reges *a* 658. 775.
Tonſura Clericorum, unde & quando in uſum venerit *c* 31.
—— an Apoſtoli eam à Chriſto acceperint *c* 30. 31. 36.
—— quomodo à Græcis fiat *d* 66.
Tonſura Clericorum in modum coronæ, an a Petro an vero à Simone Mago originem traxerit, litigatur *a* 675.
Topici loci qui *bb* 499. ſeqq.
Tothuvienſe Monaſterium à quo conditum *cc* 315.
Totilas Romam occupat *cc* 240.
Totilas à Beliſario victus *c* 225. à Narſete occiſus ibid.
Traconitidis Regio, unde ſic appellata *d* 13.
Traditio Apoſtolica, de ea ſcripſit Hippolytus Portuenſis *a* 7.
Traditionis Eccleſiæ auctoritas *bb* 4.
Traditio, contra eam non audiendus Papa *c* 319.
—— ad traditiones confugiunt Hæretici & Patres *a* 7.
—— Tradux, animas per traducem propagari ſenſit cum Tertulliano Apollinaris *a* 228.
Trajani anima precibus Gregorii M. ab inferis ſalvata *bb* 267.
Trajanopolis, urbs quæ *c* 281. *n.*
Tranſubſtantiatio explicata *d* 468.
Trapezitæ, *ut probabiles Trapezitæ fiamus* præceptum Domini *b* 314.




Digitized by Google

Treveris à Francis capta & incensa *b* 197.
——— à Normannis vastata *cc* 252.
Triballi qualis gens *d* 371. *n.*
Triballensis Archiepiscopus nulli Patriarchæ est subjectus *d* 371.
*Triglaus* Pomeranorum Idolum triceps à S. Ottone destructum *cc* 70.
Trinitas super omnem naturam & intellectum humanum *d* 381.
Trinitas creans, creata & recreans *d* 640.
Trinitas in V. T. fuit patefacta *bbb* 26. 41.
——— fuit Moysi cognita *a* 441.
——— quare à Moyse Judæis non clare revelata *d* 166.
——— Jesaiæ Prophetæ apparuit *b* 54.
Trinitas & incarnatio quare non clare in V. T. revelatæ *d* 273. 274.
Trinitas exponitur *a* 188. *b* 303.
Trinitatis descriptio *a* 440.
——— orthodoxorum sententia de ea *b* 30.
Trinitas nec Trinitas Deorum, nec tres dii dici potest *bb* 432.
Trinitatis ratio declaratur *b* 49. 50.
Trinitas cum lumine comparata *b* 366. 367.
Trinitas individua est *a* 442.
Trinitatis Divinitas indivisa re, & divisa saltem cogitatione 258. 259.
Trinitas homousios quomodo *b* 255.
Trinitas & unitas quomodo consistant *a* 443.
Trinitati omnia præter subsistentiam communia *b* 71.
Trinitatis una voluntas & potestas *b* 339.
Trinitas non ex tribus imperfectis unum perfectum, sed ex tribus perfectis unum supra perfectum *a* 541.
Trinitas, de ea nihil est statuendum præter expressa SS. eloquia *d* 387.
——— in ea nihil esse creatum aut servum, Verba Gregorii Nysseni *a* 25. 26. 27.
——— in ea nihil servum *a* 443.
——— quæ de ea tenenda *d* 265.
——— non est incarnata *a* 454. *b* 71. 72.
——— an *unum e Trinitate passum esse* dici debat *b* 76. *n.*
Trinitas secundum Elipandum & Sabellium quæ *b* 312.
Trinitas, Libri de Trinitate in Indice Expurgatorio notati non sunt *Calvini* sed *Alcuini b* 487.
Trinitas, Photii de ea dissertatio *bb* 426.
Trinitas & incarnatio contrario modo se habent: ibi tres hypostases una natura, hîc duæ naturæ una hypostasis *a* 626.
Trinitas evaderet Quaternitas nisi una Persona esset Christus *a* 554.
Trinitas fit Quaternitas ex doctrina Monophysitarum *b* 31.
Trinitas fit Quaternitas si caro Christi cum ejus divinitate una natura evasit *b* 47.
Trinitas in Quaternitatem mutatur confusione naturarum in Christo *a* 16.
Tripolis Civitas *d* 12.
Tripolis à Saracenis recuperata *d* 208.
Trisagion, adjectio ad illud blasphema declaratur *b* 54. qualis illa & à quo facta fuerit ibid. *n.*
Trisagion ut intra Sacrificium cantaretur Sixtus Papa constituit *cc* 223.
Trisagion ab Angelo puero inspiratum *b* 55. & 54. *n.*
Trisagion quomodo canendum a puero sublimi rapto docetur *c* 471.
Tristitiæ vitium *a* 758. *bb* 96.
——— ejus remedium ibid.
Tritheitarum hæresis *a* 329.
Tritheitarum Princeps Philoponus *a* 533.
Troja ubi fuerit *d* 338.
Trojanum bellum quando fuerit *a* 268.
Tubingense prælium *cc* 589.
Tudaræa civitas *b* 28. 29.
Turpiloquium vitandum *bb* 404.
Turrentii ad Ruricium Epistola *a* 359.
Turriana Versio Titi Bostrensis taxatur *a* 58.
Turris Gregis *d* 19.
Tutilo Monachus S. Gallensis quis fuerit *bbb* 189. 215.
——— ——— ejus laudes *cc* 567. 568.
Tyberis prius Albula dicta *c* 199. 200.
S. Tyemonis Vita & passio *cc* 97. Testimonia de eodem 98. 99. 100. de auctore ejus vitæ 101. ejus genus 103. pietas, ibid. fit Abbas 104. Episcopus 105. 106. ejus captivitas ibid. liberatio 106. Hierosolyma petit 108. capitur à paganis ibid. idolum prosternit 109. ejus supplicia 110. obitus 111.
*Typrus* Vasculi species *a* 656. & ib. *n.*
Tyrus quando condita *c* 198.
——— ejus descriptio *d* 10. 11. *d* 339.
——— à Saracenis obsessa *cc* 501. 502.

V.

Valens Imp. legem fert ut Monachi militarent *b* 181.
Valentini Apollinaristæ contra Timotheum & Polemium testimonium *a* 602. 603.
Valentiniani III. Imperatoris Decretum quo Leoni M. Primatum in occidente tribuit *a* 342.
Valentiniani hæretici quomodo Deum Legis, Patrem Jesu Christi non esse ratiocinati sint *a* 142. 143.
Valentinus Hæresiarcha, ejus dogmata *a* 281.
Valesii seu Valesiani Hæretici hospites suos castrant *c* 327. an Gnostici fuerint ibid. *n.*
Vallis Josaphat *d* 18.
——— ejus descriptio *d* 350. 351.
Vandali unde ita dicti *a* 298. *n.*
——— quo tempore Hispaniam occuparint *a* 298.
Vandalorum Reges *a* 311. 312.
——— Africa iis concessa *a* 302.
Vasa sancta lector & acolutus non audeat tangere *c* 392.
Vasquez, ejus de Elipando & Felice testimonium *b* 282.
Vaticinia Prophetarum de Christo *d* 288. & seq. 312. & seq. 315.
Ubiquitas Lutheranorum, ad eam accedit Gerochus Folmari adversarius *cc* 198.
Udalricus Episcopus Augustensis Ottonis I. cum filio Luitolfo diffidia componit *c* 259. Episcopatum Augustensum fororis suæ filio ab Ottone I. impetrat 260. ob id accusatus absolvitur ibid.
Udalrici Augustensis Episcopi mors *c* 261.
Udalricus Orphanorum in Concilio Basil. Orator, quæ ibi proposuerit *d* 629. 630.
Udalricus Orphanorum in Bohemia Presbyter Diaconis Presbyterisque absque licentia Episcopi prædicandi munus commisit *d* 459.
Udalscalcus quis fuerit *cc* 3. quo tempore scripserit 4.
Udalscalci narratio de controversiis inter Hermannum & Eginonem *cc* 1.
S. Vedasti vita non à Beda, sed ab Alcuino scripta *b* 423. *n.*
Velle an aliquis possit quod non vult *bb* 453. 454.
Velle nostrum est, perficere Dei *bb* 166.
*Velle* & *operari* in Deo an unum idemque sint *b* 256.
Velserus laudatur *a* 408. corrigitur 409. 410.
Venatio Caroli M. descripta *b* 478. seq.
Venatio clero interdicta *c* 354.
Vendere omnia &c. non est essentiale perfectionis, sed instrumentum *d* 722.
Veneficorum pœnitentia *bb* 127. 136. 310.
Veneti à Januensibus victi *d* 214.
Ver resurrectionis figuram præbet *a* 375
Verberatio quam Latini castigandis peccantibus peragunt contra Græcos defensa *d* 76.
Verbum Dei quotuplex *d* 632.
Verbum Christus quale *b* 362. 363.
Verbum adbreviatum Christus *b* 308.
Verbum non est ex nihilo genitum *a* 439.
*Verbum erat in principio* expositum *a* 438.
Verbum caro factum, non in carnem conversum *b* 368.
Verbum caro factum quomodo *a* 220.
Verbum caro & homo factum quomodo *b* 67.
Verbum non homousion corpori *a* 600. 601.
Verbum & Caro duo sunt secundum naturam *b* 48.
Verbum Dei extra circumscriptionem mansit *a* 13. 15.
Verbum pro nobis esse passum, quomodo capiendum *b* 76.
Verbi incarnatio & Carnis Deificatio asserenda *b* 42.
Verbum Dei nemo sedens audiat *c* 400.
Verbum Dei adulterare quid sit *b* 318.
Verbis Dei nihil licere addi nec subtrahi, Orphanorum dogma *d* 455.
Veringensium Comitum Genealogia *c* 194.
Veritas menti idem est quod corpori lumen *a* 115.
Veritas ornamentis non indiget *a* 537.
Veritas & gratia per Christum factæ quid sint *d* 643.
Veritas metu Potestatis alicujus non est occultanda *c* 377.



Digitized by Google

Veritas omnis ad ſalutem neceſſaria vel explicite vel implicite in SS. continetur *d* 478.
Verſus reciproci *a* 711. 713.
Veſperæ Siculæ *d* 205.
Veſpertinæ quare inſtitutæ *bb* 40.
Veſtes albæ poſt baptiſmum *b* 547.
Veſtis candida baptizatis tradi ſolita quid ſignificet *d* 725.
Veſtes clericorum quales eſſe debeant *d* 89.
Veſtes ſacræ à nemine gerantur niſi à ſacratis hominibus *c* 392.
Veſtimentorum Pontificalium myſtica explicatio *b* 361.
Veſtium luxus, circa eum Alcuini ad clerum admonitio *b* 410. 413. 428. & ib. *n*.
*Vetera tranſiiſſe*, quomodo intelligendum *c* 299. 300.
Victor Tunnunenſis quis fuerit *a* 262.
——— ——— Iſidori de eo teſtimonia *a* 320. ejus exlium *a* 333.
Victoris Tunnunenſis Chronicon *a* 319.
Victorini ad Ruricium Epiſtola *a* 359.
Victoris Papæ conſtituta *cc* 226.
Victorius, quo anno Paſchales cyclos inſtituerit *c* 219.
Viduarum electio in Abbatiſſas ab Angelo correpta *bb* 217.
Vigiliarum auctoritas *bb* 40.
Vigilius favore Theodoræ Auguſtæ in locum Silverii Papa Rom. evaſit *a* 330. Tria Capitula in gratiam ipſius damnat. ib. ejus Epiſtola hac de re ib. & 331. *n*.
Vigilius Papa captivus Conſtantinopolim ductus *c* 225.
——— ——— ei à Græcis falſo tribuitur anathematizaſſe quosdam qui non confitebantur duas naturas *d* 74.
——— ——— Concilio Conſtantinopol. II. ſubſcripſit *bb* 391. & ib. *n*.
——— ——— Simoniacus *a* 331. *n*.
——— ——— ejus mores *a* 331. *n*.
Vigilii Papæ Epiſtola ad Theodoſium Alexandrinum, Anthemium Conſtantinopolit. & Severum Antiochenum ut genuina defenditur *a* 330. & 331. *n*.
Villina civitas, (wollin) eam petit S. Otto *cc* 65. ibi male accipitur 66. tandem tamen converſa 72.
Ulricus, Orphanorum in Concilio Baſileenſi Orator, quæ propoſuerit *d* 455.
Vindekindus Saxonum Dux Carolo M. rebellat *bb* 54. baptizatur *bb* 56.
Vindicta, quomodo à Deo recte flagitari poſſit *b* 544. 545.
Vindicta quæ ſit ad correctionem non prohibita eſt dicto de non reſiſtendo malo *d* 573. 592.
Vinum aquæ mixtum quare in Euchariſtia adhibendum *c* 318.
Vinum ſolum in Euchariſtia, ſine aqua, offerri non poteſt *b* 324.
Vinum conſecratum non conſecrato permixtum an illud efficiat ſanguinem Chriſti *d* 464.
Vinum in Euchariſta immiſſione hoſtiæ conſecrandum *d* 464.
Vinum in Euchariſtia ad ſanguinem Chriſti refertur quia ſanguinem operatur in carne *b* 323.
Vinum, quare Mahometes ſuis illud interdixerit *d* 444.
Virga quam Apoſtoli tollere poterant myſtice explicari debet de poteſtate ſumendi alimenta *d* 480.
Virgilius Epiſcopus Salisb. Auctor Donationum Salisb. *cc* 267. quis fuerit 273. a S. Bonifacio apud Pontificem accuſatus ibid. quando Epiſcopus factus ſit ibid. ejus vita 393. Miracula 399.
Virgines non conſecrentur ante 25. annum *b* 274. XVI.
——— non habitent cum aliquibus quaſi ſorores *b* 268. XIIX.
Virgines velatæ ſi deviaverint quid de eis ſtatuendum *bb* 112. 117. 309.
Virginitas res divina *a* 209.
Virginitatis donum Chriſtus quomodo Apoſtolis commendarit *a* 789.
Virginum Sedes *bb* 215.
Virginum raptores, ſtatutum de iis *bb* 36.
S. Virgo proprie Dei Mater eſt *b* 54.
Virgo Verbum divinum prædicat *a* 415.
Virginis captivæ cum ſæculari ſapientia comparatio *a* 357.
Virtus Altiſſimi obumbrans quid ſit *d* 469.
Virtus quid *d* 406.
Virtus quid ſit *bb* 102. quatuor principales quæ? ibid.
Virtus & vitium deus fecit ut in poteſtate hominis eſſent *a* 95.
Virtus nulla ſine electione, labore & pugna *a* 97.
Virtutes quando & qua ratione falſæ *a* 81.
Virtuti ſemper locus eſt *d* 410. 411.
Virtutes quatuor *a* 152.
Virtutes quas pauper & dives ſectari debeant *a* 102.
Virtutis inclinatio quædam eſt in homine à natura, perfectio ex diſciplina *d* 569.
Vis in religione licite adhibetur, ex Auguſtino *c* 374. 375.
Vis in religione recte & utiliter adhibetur, juxta Auguſtinum *d* 571.
Vis in religionis negotio noxia *bbb* 56.
Viſio cujuſdam de Leutfredo *bbb* 69.
Viſio quædam Muhammedis narrata *d* 444. 445.
Viſio Medico cuidam circa latronem converſum facta *a* 500. ſeq. 518.
Viſitatio Dei qualis *bb* 279. 281.
Vitæ & mortis poteſtatem nemo habet præter ſolum Deum *b* 81.
Vitæ & necis jus ſummis Poteſtatibus recte competit *d* 572.
Vita activa & contemplativa *b* 335. 336.
Vita contemplativa qualis *bb* 101. *d* 659.
Vita activa qualis *bb* 100.
Vitæ & fidei regulæ quæ *b* 308.
Vitæ Regulæ *a* 775. ſeq.
Vitæ æternæ deſcriptio Fauſti *a* 351.
Vitæ monaſticæ præſtantia *a* 358.
S. Vitalis Salisb. Epiſcopus, quis fuerit *cc* 272. 273. quare patronus fœminarum parturientium habitus ibid. & 290. ejus vita 286. ſeqq. Miracula 345. ſeq. ejus Canonizatio 347.
Vitia octo principalia quæ *a* 755. 756. *bb* 91. an ſeptem, an vero octo numeranda *a* 770. 771.
de Virtutibus & octo vitiis Supplementum ad Alcuini Librum *b* 376.
Vitii quatuor ſpecies *a* 148.
Vitis in Pomerania à S. Ottone plantata *cc* 73.
Vitriaci (Jacobi) Præfatio in Hiſtoriam Orientalem & Occidentalem *d* 27.
Vivendi regulæ variæ 412. ſeq.
Unctio capitis poſt baptiſmum *b* 547.
Unctio ſcapulæ & pectoris in baptiſmo *b* 546.
Unctio ægrotorum, ea omnibus Chriſtianis permittitur *bb* 108.
*Unctio exterminabitur* in vaticinio Danielis quomodo explicandum *a* 245. & ib. *n*.
Ungarorum gens quas regiones occuparit *cc* 252. in Germania graſſantur 254. ab Ottone M. cæſi ibid.
Ungarorum Reges Ratiſponæ ab Ottone M. ſuſpenſi *cc* 27.
Ungari Italiam invadunt *c* 256. Saxoniam & Thuringiam vaſtant 257. itemq. Franciam & Alſatiam ibid. eorum clades 258. redeunt in Pannoniam ibid.
Ungari ad Licum ab Ottone I. ad internecionem cæſi *c* 259.
Ungendus Daniæ Rex, ignotus *b* 464. *n*.
Unguentum quo baptizatos ungit Eccleſia Spiritus S. eſt figura *b* 300.
Unio quid ſit *b* 44.
Uniones variæ *a* 545. 546.
Unio Divinitatis & humanitatis in Chriſto omnium rerum maxime ſtupenda *a* 450.
——— ——— quomodo facta *a* 544. & ib. *n*.
Unio naturarum in Chriſto quomodo facta *a* 453.
Unio naturarum qualis *b* 54. 52.
——— ——— in Chriſto ſine confuſione eſt *a* 482.
——— ——— in Chriſto non ſaltem unio eſt relationis *b* 70.
Unio naturarum inexplicabilis *a* 14. 19.
Unionis & incarnationis modus ineffabilis à quibuſdam venditatus *a* 544.
Unionis modus *a* 581.
Unitio naturarum nunquam ceſſat *b* 20.
Unio animæ & corporis quibus rebus diſcrepet ab unione Divinitatis & humanitatis in Chriſto *b* 44. 45.
Unio Naturarum in Chriſto quæ habeat diſſimilia cum unione corporis & animæ *b* 260.
——— ——— tres de ea opiniones *a* 621. 622.
Unionem naturarum in Chriſto non factam eſſe ſecundum ſubſtantiam, ſed ſecundum operationem & dignitatem, refellitur *a* 544. 545.
Unio & res unitæ ſemper ſimul ſunt *b* 46.
Unio Eccleſiæ Romanæ cum Græca, Barlaami Epiſtolæ de ea 361.
Unitas & Trinitas Dei ſupra naturam eſt *bb* 431.
Unita non ſunt omnibus modis unum *b* 34.
Unitum ſe non ipſum unit *bb* 424.
Unum numero & ſubſtantia differunt *a* 440.
*Unus* per *idem* explicatur *a* 357. & ib. *n*.
*Unus Deus*, *unus Epiſcopus*, axioma tertii Sæculi *a* 4.
Vodanus incognitum Germanorum Numen *a* 773
Vodeſlaus Archiep. Salisb. à Clemente IV. non obſtante ætate


Digitized by Google

ætate & ordinum defectu Archiep. factus *cc* 431. & ib. *n.*
Voluntatis acceptiones variæ *bb* 442
——— ejus divisiones apud Græcos *bb* 459.
Voluntas & operatio duplex in Christo *b* 53.
Voluntates in Christo quidem sunt diversæ, sed unum θελητὸν *bb* 441. 442.
Voluntates & operationes duæ in Christo Synodo sexta decretæ *c* 318.
Voluntas electiva in Christo non fuit *bb* 443.
Voluntas Gnomica Trinitati tribui nequit *bb* 445. 446. 453.
Voluntas divina Christi gnomica entitate est una eademque cum voluntate Patris *bb* 462.
Voluntates Gnomicæ an in Christo fuerint *bb* 439. seq. 460.
Voluntas Gnomica an detur in infantibus *bb* 450.
Voluntatem Gnomicam Christus non habuit neque humanam *bb* 441. seq. neque divinam 445.
Voluntas hypostatica in Christo *bb* 443. 444. 451.
Voluntas humana Gnomica in Christo differt à voluntate Patris & Spir. S. *bb* 462.
Voluntas invita *bb* 455.
Voluntas malefica quotuplex *d* 416. benefica quotuplex ibid.
Voluntas naturalis quæ, *bb* 440. 459.
Voluntas signi & beneplaciti *d* 631. 693.
Volusianus Turonensis Episcopus *a* 407. ejus fata. ibid.
Voluptas in beatitudine poni haud potest *d* 411.
Voluptas Venerea, piæ meditationes contra eam *bb* 149.
Voluptas in concubitu, cibo & potu, vitio caret *a* 130. 131.
Voluptates diuturno usu vilescunt *a* 103.
Voluptatum carnalium insidiæ *a* 488.
Vossii error in Thoromachi persona *b* 150. 151.
Vossii, (Gerardi) Observatio in S. Gregorii Thavmaturgi Expositionem fidei *a* 21. in Anathematismos *a* 23.
Vossius (Gerardus) plagii reus *a* 25.
Vota & promissa quæ non sint servanda *c* 106.
Vota & promissa impia non implenda *d* 574.
Voti virginalis prævaricatores pro bigamis habeantur *b* 268.

XVIII.

Vox inarticulata brutorum argumento est ipsa rationis esse inexpertia *a* 131.
Vocis species quatuor *b* 509.
Vrangia Monasterium à S. Ottone fundatum *cc* 47.
Urbanus Papa auctor Expeditionis sanctæ *cc* 257.
Urbanus IV. quomodo Papa factus *d* 195. *n.*
Urbica Priscilliani discipula Burdegalæ lapidata *a* 296.
Urgellis Hispaniæ urbs Carolo M. subjecta *b* 285.
Ursus Martyr, si unquam fuit, ubi passus *d* 156. 162.
Ursus pomorum custos à S. Magno constituitur *a* 656. 687. alius ursus ab ipso abigitur *a* 660. alius mansuetus factus *a* 670. 671.
Usuræ prohibitæ *bb* 360.
Usuræ Clero interdictæ *bb* 116. 117.
Uta Theodonis Bajoariæ Ducis filia stuprata *c* 96. 97.
Uta Regina, Conjux Arnolfi, adulterii infimulata Ratisbonæ in Conventu 72. Principum absolvitur *c* 256.
Uterus divinitatis ex quo filius genitus quid sit *a* 440.
Uvæ in sambuco natæ *b* 207.
Vulgari Græciam vastant, & Ungaros cædunt *c* 256.
Vulpium cum Hæreticis comparatio *b* 353.
Uxorem qui habet tanquam non haberet *bb* 99.
Uxorem Episcopus, Presbyter aut Diaconus non abjiciat, quomodo Latini interpretentur *c* 322.
Uxoris interfector, quæ consilia illi data *c* 405.

## W.

Wajofarius Aquitaniæ Princeps, ejus gesta contra Pipinum *b* 222. 223. 224. a suis interfectus 225.
Walafridus Strabo quis fuerit *bb* 176—180.
Walafridi Strabi Hortulus *bb* 285. non est ipsius *bb* 182.
Walafridi Sermo de subversione Hierusalem *bb* 374.
——— Poëmata *bb* 176.
Walafridus Strabo Auctor vitæ S. Galli nimis credulus *a* 183.
Walafridi Abbatis obitus *c* 248.
Waldrada Lotharii junioris Concubina *c* 249. in Italiam relegatur *c* 250. revocatur ibid.
Waldrammus quis fuerit *bbb* 188. 249. *n.*
S. Walpurgis quæ fuerit *bbb* 266. distinguenda a Walpurge Westphalica, itemq. à Wereburga ibid.
S. Walpurgæ origo *bbb* 268. fit Abbatissa Heidenheimensis ibid. mortuum suscitat 269. moritur ibid. ejus apparitio 270.
S. Walpurgis vita scripta à Wolffhardo *bbb* 263. Scriptores alii ejusdem vitæ 265.
——— alia vita auctore Philippo Episcopo Aichstadiano *d* 235. a quibus porro sit scripta 236.
S. Walpurgis ortus *d* 239. Germaniam petit 242. Heidenheimensi Monasterio præficitur 244. ejus mors 246.
S. Walpurgis reliquiæ quot miracula ediderint *bbb* 270. seqq.
S. Walpurgis an fuerit author Vitæ S. Willibaldi *b* 101. 103. 106. *n.*
Wandalorum res *b* 141.
Weingartense Chronicon de Gwelfis Principibus *cc* 577. 594.
Welf vel Gwelf nomen unde ortum *cc* 580.
Welfo Dux Bavariæ factus *cc* 256. conjurat contra Henri. cum IV. 257.
Wenceslai Imperatoris mores *d* 755. *n.*
Wenceslaus (Nicolaus) Taboritarum Orator in Concilio Basil. articulum de corrigendis peccatis publicis propo. *d* 454.
Wenibertus Abbas, Walafridi carmen ad eum *bb* 251.
Werdonis Abbatis Epitaphium *bb* 241.
Wettini Visiones a Walafrido carmine scriptæ *bb* 203. seqq. ejus mors *bb* 221.
Wibertus AntiPapa Gregorii VII. ab Henrico IV. factus *cc* 6.
Wibertus Antipapa *cc* 256. dejectus 258.
S. Wiborada virgo inclusa ab Hungaris interfecta *c* 257.
——— de ea versus *bbb* 232.
Wiklef, vocis hujus etymologia *d* 755. *n.*
Wiclefi doctrina quando & quomodo in Bohemiam allata *d* 755. & ib. *n.*
Wiclef, quare in Sacerdotes accensus fuerit *d* 737.
——— ejus dogmata de Eucharistia *d* 485. 486.
Wiclefus hæresium oppositarum postulatur *d* 457. 623.
Wido Italiæ Tyrannus *c* 254. 255. contra eum Papa Formosus Imperatorem Arnolfum evocat ibid.
Wildaroldus Argentinensis Episcopus à muribus devoratus *c* 76. *n.*
Wilhelmus Comes Hollandiæ contra Fridericum II. electus *d* 187. à Frisonibus occisus 190.
Wilhelmus miles Fautor Monasterii Windbergensis *cc* 212. ejus prophetiæ ibid.
Willibaldus quis fuerit *b* 100. 103. quando obierit ibid. ejus vitam qui scripserint 104.
Willibaldus, de eo Trithemii testimonium *b* 230.
S. Willibaldus Bonifacio adjutor à Pontifice Rom. destinatus *b* 115. 121.
*S. Willibaldi* Vita, auctore anonymo *c* 12.
——— ejus peregrinatio 117. cœcus fit 18. visus ei restituitur, ibid. fit Monachus Cassinensis ibid. & Episcopus ibid.
S. Willibaldi infantia *b* 106. 107. 117. Patrem & fratrem ad peregrinationem allicit 107. 108. 117. ejus iter per Italiam 108. 109. versus Hierosolymam 109. 110. 118.
Willibaldus cœcus factus *b* 112. 113. 120.
S. Willibaldus a S Bonifacio Eichstadensis Episcopus constitutus *b* 245. *c* 356.
S. Willibaldi Hodœporicon *b* 99. à Sanctimoniali scriptum *b* 100. 103.
S. Willibaldus Monasterium ad S. Benedictum in Aichstadt extruit *b* 116.
Willibaldi & Wunibaldi historia *d* 440. Sororem Walpurgem in Germaniam accersunt 241. 142.
Willibaldus & Wunibaldus fratres S. Walpurgæ in Germania sedes figunt *bbb* 268.
S. Willibaldus & Wunibaldus adjutores S. Solæ *bb* 172.
S. Willibrordus Trajectensis Ecclesiæ Præsul *c* 343.
S. Willibrordus quis fuerit *b* 459. 463. Clemens à Sergio Pontifice vocatur 464. Episcopus Trajectinus à Pipino factus 465. & ib. *n.* ejus Miracula ib. & seq.
S. Willibrordi Vita ab Alcuino metrice scripta *b* 463.
S. Willibrordi ætas & obitus *b* 468. & ib. *n.*
S. Willigisus, Parens S. Willibrordi, Alcuini Elegia de eo *b* 470. uxoris ejus Visio de Willibrordo ibid.
Wilzi Slavorum populus *c* 56. *n.*
Windbergensis Monasterii origo, fundatio & progressus *cc* 209. quis auctor ejus Scripti 210.
Winfrid, sic Bonifacius antea appellabatur *c* 342. à quo nomen sit ejus mutatum ibid. *n.* 344.
Winth conditor Monasterii Windbergensis *cc* 211.
Wiorenses fratres qui *b* 411. *n* 412. *n.*
Wipo quis fuerit *c* 162.
Wiponis Panegyricus carmine scriptus ad Henricum III. *c* 161.



Digitized by Google

Wirzburgenſis Epiſcopatus à quo erectus *c* 5. 6.
Wirzburgenſis Epiſcopatus quando conſtitutus *c* 240.
Wodanus Longobardorum Deus *b* 210.
Wolfgangus Epiſcopus Ratiſpon. *c* 120. 123. Ramuoldum Abbatem S. Emerammi conſtituit ibid. ejus obitus 132.
Wolfgangus Ratiſpon. Epiſcopus Henrico II. apparuit dignitatem Imperatoriam ipſi vaticinatus *cc* 27.
Wolfhardus quis fuerit *bbb* 265.
S. Wunibaldi Vita *b* 123. cum fratre Willibaldo Romam tendit 125. ſeq. tonſuram accipit 126.
S. Wunibaldus Presbyter ordinatur *b* 127. Bajoariorum mores reformat ibid. ad Bonifacium ſe confert 128. Monaſterium Heidenheim conſtruit 129. ejus ultima verba & mors 130. 131. Miracula poſt mortem ibid. & ſeq.
S. Wunibaldus in Thuringia à fratre Willibaldo inviſitur *b* 116.
——— Heidenheimenſis Monaſterii fuit conditor *b* 118. 128. 129.
——— inter Sanctos non eſt relatus *b* 104.
S. Wunibaldi vita ab eodem Auctore qui S. Willibaldi ſcripſit, literis mandata *b* 101.

X.

Xenodochia extruenda Epiſcopus curet *b* 452. & ib. *n.*
Xenodochiorum cura Epiſcopis injuncta *bb* 366.

Z.

Zacharias Joannis Bapt. parens lapidatus quando *c* 27.
Zachariæ Mitylenenſis Epiſcopi Syntagma adverſus Manichæos *a* 425. ejus alia Scripta *a* 426.
Zacharias Mitylenenſis unde Scholaſticus dictus *a* 427.
S. Zachariæ Pontificis ſex cum dimidio capita ex Libro III. Dialogorum Gregorii M. *b* 86.
Zacharias Pontif. mentem Gregorii M. de Spiritu S. inverſione Dialogorum ejus immutavit *b* 88.
——— Pipinum Regem Franciæ fieri juſſit *bb* 48. 49.
——— eundem Regem Francorum declarat *cc* 248.
Zachariæ Papæ Epiſtola ad S. Bonifacium *c* 361.
Zacharias Papa à S. Bonifacio ut corruptor Canonum & Simoniacus accuſatus *c* 362.
Zebedæus ὑιοπαύλητος, quid ſignificet *c* 28. 36. & ib. *n.*
Zebedæus cum filiis ubi ſepulti *b* 111.
Zelus Religionis bonus ſi charitate ſit temperatus *b* 29.
Zelus in divinis commendatur *c* 391.
Zeno & Anaſtaſius primi Imperatores fuere qui ſibi Eccleſiam ſubjecere *c* 378.
Zepherini Papæ conſtituta *cc* 226.
Ziſca Bohemorum Fratrum dux, fortiter ſed immaniter quandoque rem geſſit *d* 452.
——— ejus ſtratagema apud Pilznam *d* 758. *n.*
Zizania quando toleranda, quando vero extirpanda *d* 573.
Zizaniæ in Eccleſia extirpatio Chriſto reſervanda *b* 355.
Zoſimus Rom. Pontif. quot annos ſedem tenuerit *a* 299. & ibid. *n.*
Zwinek Archiepiſcopus Pragenſis Wicleffi libros combuſſit *d* 757. & ib. *n.* quando & ubi mortuus ib. *n.*
Zwentiboldus Marahenſium dux ſe Carolomanno juniori tradidit *c* 250. dein Ludovico Germanico 251.
Zwifalten Monaſterium quando conſtructum *c* 330.

FINIS.

---

# ADMONITIO.

*Index I.* Opuſculorum *quatuor plagulis conſtans vel integer huic* Indici Rerum & Verborum *præmitti, vel etiam unicuique Tomo ſua quæque plagula præfigi poterit.*

*Tomo. I. pag.* 365. *lineis* 6. 7. 8. *vocum quarundam trajectio facta eſt, quæ ita ſunt reſtituendæ:* Si agnoviſti animam localem, concede corpoream. Dic mihi anne ipſa glorioſi anima redemptoris noſtri reliquit mundum, quando conſcendit ad coelum?

*Tomo II. Parte I. Duo folia ultima ex duerniòne* N n. *exſcinduntor.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

# INDEX OPUSCULORUM.

## TOMUS IV.

CONTINET

## SAECULUM XIII.


Guntheri Monachi Hiſtoria Conſtantinopolitana ſub Balduino, anno 1210. Pag. 1.

Deſcriptio Terræ ſanctæ, Auctore Burchardo de Monte Sion, anno 1230.

1

Jacobi de Vitriaco Præfatio in Hiſtoriam Orientalem & Occidentalem, anno 1230. 27

Tractatus contra Græcorum errores de proceſſione Spiritus S., de animabus defunctorum, de Aymis & fermento, de obedientia Rom. Eccleſiæ, anno 1252. 29

Conſtitutiones Concilii Viennenſis, anno 1267. 81

- - - Concilii Salisburgenſis, an. 1274. 86

De vita & Miraculis S. Ermenoldi Abbatis Prufeningenſi, anno 1281. 91

Theodorici Turingi Libri octo de S. Elizabeth, anno 1289. 113

Acta S. Albani Martyris, incerto Auctore: item alia Acta ejuſdem S. Albani, anno 1297. 153


****

An-

Digitized by Google

# INDEX

Annales Heinrici Steronis ab anno 1152. qui est Friderici Imp. primus, usque ad Rudolphum Habspurg. & deinceps ad annum 1300. Pag. 169

Annales Eberhardi Altahensis ab Imperatore Rudolpho Habsp. sive ab anno 1273. ad annum 1305. 215

## SÆCULUM XIV.

Vita S. Walpurgis Virginis & Abbatissæ Heidenheimensis, scripta à Philippo Præsule Aichstadiano, anno 1306. 235

Concilia bina Salisburgensia, anno 1310. habita. 251

Andronici Constantinopolitani Dialogus contra Judæos anno 1310. 255

Guilielmi de Baldensel Hodoeporicon ad Terram sanctam, anno 1336. una cum Epistola ad Petrum Abbatem aulæ Regiæ anno 1336. 331

Itinerarium Rudolphi de Frameynsperg in Palæstinam, ad montem Sinai & in Ægyptum, anno 1346. 358

Barlaami de Seminaria Episcopi Gyracensis Epistolæ ad Græcos de Unione cum Rom. Ecclesia & Processione Spiritus sancti, anno 1350. 361

Ethica secundum Stoicos, Auctore eodem Barlaamo anno 1350. 405

## SÆCULUM XV.

Epitome bellorum à Christianis Principibus pro recuperatione Terræ sanctæ susceptorum, in qua etiam descriptio Palæstinæ & multa de Mahomete, ab incerto auctore conscripta, anno 1422. 423

Hus-

Digitized by Google

# OPUSCULORUM TOM. IV.

Huſſitica, anno 1433. Pag. 447

I. Oratio Joannis Raguſini, Ordinis Prædicatorum Procurator Generalis, in Concilio Baſileenſi, de communione ſub utraque ſpecie. 467

II. Ægidii Carlerii Decani Eccleſiæ Cameracenſis Oratio in Concil. Baſil. de corrigendis peccatis publicis. 566

III. Oratio Henrici Kalteiſen Dominicani, Profeſſoris S. Theol. de libera prædicatione Verbi Dei. 628

IV. Oratio Joannis de Polemar Archidiaconi Barcinonenſis, Apoſtolici Palatii cauſarum auditoris, de civili Dominio Clericorum. 709

De Fundatione Eccleſiæ Ilmenſis & Tegernſeenſis & de Translatione ſancti Altaris. Item, Fragmentum Chronicon Thaddæi Scotorum Abbatis Ratisbonæ de S. Kiliano, S. Virgilio & S. Lullo, an. 1457. 749

Diſputatio Capituli Eccleſiæ Pragenſis cum Rokyzana de Huſſiticis controverſiis, anno 1465. 753

## SÆCULUM XVI.

Deſcriptio Terræ ſanctæ, auctore Anshelmo, an. 1509. 776

Actus ſive Proceſſus Canonizationis B. Notkeri anno 1514. 795

Catalogus Scriptorum contra Judæos ex Bibliotheca Joannis Molani. 816

De vita S. Gebehardi Conſtantienſis Epiſcopi libri duo, per Felicem Manilium an. 1511. 829

Digitized by Google

# NB.

Pag. 264. Poſt vocem *quemquam* lin. 29. addatur:

*Jud*: Quoniam alterum eſt caput Legis atque Prophetarum, propera veritatem hanc nobis ob oculos conſtituere. Nam ſi hoc demonſtrabis, in utroque reos nos dedemus: tantum hæc probatio non petatur ex veſtris, ſed ex noſtris Prophetis.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google